







SCHOLA
ÆGIDIANA

THEOLOGIA EXANTIQUATA

IUXTA ORTHODOXAM BEATISSIMI ECCLESIÆ MAGISTRI

AUGUSTINI DOCTRINAM

A DOCTORE FUNDATISSIMO

B. ÆGIDIO COLUMNA

Ord. Eremit. eiusdem S. P; S.R:E. Cardin; Aquitaniæ Primate, & Archiepiscopo Bituricensi expositam.

Additis Quæstionibus nostro tempore exortis, & Recentiorum Ordine congruentiùs disposito.




AUCTORE

F. FRIDERICO NICOLAO GAVARDI MEDIOLANENSI

Eiusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Doctore, & Regij S.P. Augustini Maioris Neapolis Collegij Regente.

LIBRI I. SENTENTIARUM

TOMUS II.



Hic Liber Jesu Mariæ de Urbe Ordinis S. Augustini



est [illegible] F.F. Eremit. Discalc. Congr.nis Italiæ et Germaniæ

NEAPOLI:

In Officina Typographica Antonij Gramignani. 1685.

SUPERIORUM FACULTATE.



EMINENTISS.^{MO}, AC REVERENDISS.^{MO} PRINCIPI

PALVTIO DE ALTERIIS

S.R.E. CARDINALI CAMERARIO

Auguſtinianæ Religionis Protectori,&c.





Vantùm Tibi debeat Auguſtiniana Respublica, nec referre, nec proferre quis valet, Eminentiſſime, ac Reuerēdiſſime Princeps. Beneficia, quibus à Te cumulatur, magnitudine ita præcellunt, vt mutuum, quia reddi nequit, non repoſcant. Ineluctabili impotentiæ fato premitur; quanquam enim ingratitudinis notam ſubire detrectet, gratitudinem tamen implere non poteſt. Nec ei ſupereſt, quo debiti exoluat votum, niſi æternitati vouendo, ne vnquam ſoluatur illud profeſſura perenniter. Felix Orbis, cùm Te obtinuit Catholicam adminiſtrātem Eccleſiam; ſed felicior Auguſtini Religio, quia Te retinuit. Tūc fregiſti frementium temporum iras; nunc tempora iraſci non audent. Difficillima rerum negotia Te facilem omnibus ſemper liquere; quia ſuperior omnibus omnia Tibi ſubijciens Te maximum inter omnes probaſti. Magna hæc Tui Nominis gloria, ſed Tua magnitudine minor; Ea enim, quæ de Te valemus effari, etſi digna ſint, & in alijs maxima, in Te tamen ſunt minima, quia in maximis ineffabilis es. Auita Tuæ Gentis lumina, licèt toti Orbi clariſſima, Te nō illuſtrant, ſed Tuis magis reſplendent luminibus; & vnde Alij trahunt ſplendores, Tu non accipis, quia ſuperemicas Tuis; ſed à Te recipiūt, cùm inter Tuos Maiores, ceu Sol inter ſydera, effulgeas. Plurimum eſſet, quòd tam promptè poſtulata cōcedas; ſi etiam non poſtulata ſponte non offerres. Haud expectas precibus fatigari, ne vnquam in benefaciendo laſſeris; & Theodoſio maior nedum precantiū præoccupas vota, ſed & vel antequam voueant, adimples. Nullus præterlabitur annus, qui Te dominante beneficia nō geminet, dū bis trino Syderum aſpectu Nos aſpicis,

aſpicis, proſpiciſque. Protectores, quotquot antea fuere, non ordine annorum, ſed beneficiorum præcedis dignitate; illi enim alijs temporibus, ſed proſperis tranquillitatem, Tu aduerſis, ambiguiſque proſperitati ſecuritatem addidiſti. Publica noſtrum omnium felicitas ita Tuæ cōiungitur, vt licèt Tu ſine nobis, nos tamen ſine Te felices eſſe nequeamus. Grauiſſimum Regiminis iugum, quod nos obrueret, nō fatigat Atlantem, qui diu Orbem, quin vnquam flecteretur, ſuſtinuit. Iniectum igitur eſt in Te, vt quod Tibi leue, nobis eſſet leuamen. Virtutem promouere, ignauiam contundere; laborem prẹmijs ẹquare, deſidiam conficere, Religionis iura tueri, cauſaſque reſcindere, ſingulos fouere, & omnibus viuere non parua ſunt Tuæ monumenta clementiæ. Tempus percurrat quiſuis, quo Protectionis curas ſubire cẹpiſti, nullam diem non illuſtrem magis beneficio, quàm Sole, nullum momentum æternitate non dignum reperiet. Hæc, & eiuſmodi, quæ ẹquè laudari non poſſunt, taceri non debent, ne ſilentium pẹnas luat amoris, qui publicus laudum Tuarum exactor omnium colligit vota, cogitque ora ad laudandum. Sed vltra cōmune debitum & proprium ipſe agnoſco prẹ ceteris; sūma enim benignitas, qua nō ſemel dignatus es mea excipere obſequia, ſpeciali obſtrinxit me nexu. Quamobrem vtrunque in hoc Opere æternitati profiteor; quod dū Tui Nominis gloriam defert, eandem maximo refert cum fẹnore. Res, de quibus agitur, maieſtate, ac dignitate ceteris prẹſtant; idcirco Tibi, qui omnibus emines, reſeruari debebant. Grati animi deſiderium agnoſce, tenuitatem ignoſce; quanuis enim hoc ſit minimū, quod Tuæ offeratur Amplitudini, maximū tamen eſt, quod mea offerre exiguitas valet. Det Tibi annos plurimos Deus, quos mereris, ſeruetq; magnum animum, quem dedit: Vna noſtrum omnium oratio eſt; nobis enim precamur, cùm pro Te deprecamur.

F. Fridericus Nicolaus Gauardi Auguſtinianus.

PRAE-

PRAEFATIO.

Sublimiora Diuinitatis arcana rationi prorsus imperuia in hoc opere disquirenda suscipimus; idcirco eo proximiùs errandi itur obuiam periculo, quo res obuiat extenta longinquiùs. Vani Philosophorum sensus, nisi Cęlesti dirigantur afflatu; inutile naturæ studium, nisi gratia rudimenta suppeditet. Quid oculus in tanta rerum caligine, antequam sempiternus ille dies illuceat, valet apprehendere; nisi fulgor æterni luminis inter huius vitæ vmbras, quasi antelucanus, resplendeat? Obscuritatis nebula suæ gloriæ lucem obuoluit Altissimus, qui *tenebras posuit latibulum suum*; sua enim mysteria occultissimis Scripturarum sensibus reuelando velauit; ideo si nullum Sydus affulgeat, vllum huius noctis secretum non soluitur. Abrupta difficultatum cacumina, scabrosasque ambiguitatum salebras sine Duce, ac sine luce percurrere est se se abripere in præceps; luce duce dumtaxat tenebrarum redimuntur pericula. *Quasi Sol refulgens, sic refulsit in templo Dei Beatiss. P. Augustinus*; vt in eius Festo canit Ecclesia. Hinc pius Villanouanus: *A Sole omnia astra lucent; ab Augustino, qui post ipsum fuerunt, Doctores Sapiētiæ lumen accipiūt; Ipse verò propria luce lucet, quā à nullo hominum, sed à Solo Deo accepit.* Hnc igitur Sole discit nox, albescunt nigricantes difficultatū horrores, excussis errorum tenebris lumen veritatis omnibus resplendet; & quilibet *Gedeon* pro veritate decertans refulgurantibus illius doctrinæ radijs oppugnantium euertit, disijcitque discrimina. Ecclesiastici verbis (24.) ipsemet id nobis testatur. *Videte, quoniam non soli mihi laboraui, sed omnibus exquirentibus veritatem.* Laborauit, ne inanes essent nostrum omnium labores. Laborauit, ne laboremus, subtrahendo difficultatibus arduitatem, ambiguitatibus dubietatem, scabrositatibus vepres. Abstulit quærendi molestiam, vt nihil quæramus, quod ab ipso inuentum non fuerit, & etiam, quod non quærimus, in ipso inueniamus. Famescentibus Sapientiæ Alumnis obtulit cælestis doctrinæ pabulum vltra satietatem, sed citra nauseam adeò, vt ieiunus omnino discedat, qui ab illo recedit; & ieiunij pœna absoluatur, qui ab illo repletur. Vnius doctrinæ vinculo Occidēti Orientem coniunxit Pelagij Schismate ab Ecclesia diremptum, animorum discordias in cōcordiam reuocans, vt discant, quantò vtilius sit diuersa sententia studentibus esse vnum, cui studeant. Quantùm ingeniorum diuersitas posset, ipse vnus ostendit, cùm, quæ omnia rimari possunt ingenia, vniuersa protulerit; imò quæ nec suspicari, docuerit. Sapientiæ aquas è Mari Diuinitatis, quasi fluuius Dorix, exhausit; adeòque mens, quæ palanti hoc amne non mergitur, vanido puluere incandet, ceu altera Aegyptus excrescentibus Nili nō irrigata gurgitibus. His vndis vbertim perfusum Fundaris. Doct. Aegidium fuisse solis oculis necesse habet, vt videat quisque; irrideatque asserentes in materia de Gratia concordari non posse concludens eos vel vtrum ex illis non legere, vel intelligere neutrū. Vtrique ergo hæreamus. Vnus Columna est, ne ruamus; Alter flumen est, vt ad pręaltissimum huius Sapientiæ Mare ducamur. Illa regit; Iste dirigit. Vna tamen, eademque directio, & regimen est.

Tomus igitur exit hic alter amantissimo *P. Mag. Carolo Maria Perusia* à totius Ordinis secretis, vt zelum in Religionem, & in me suum propagaret amnrem, plurimùm satagente. Plurimos oppositores inueniet vociferantes cum turbis, cunctisque literariæ Militiæ Calonibus, quia communi Recentiorum sensui in præcipuis de Gratia quæstionibus opponitur, vt antiquorum restituat doctrinam. Nullum opto mihi adhærere; sed quemlibet velim Scripturas, & SS.PP. sincera maturitate perpendere; eamque sententiam minùs directè in illis expressam ratione corrigere, magisque conformem amplecti. Et quamuis malem semper laborare aliorum legendo labores, quàm alijs legenda semel conscribere, præsertim in tanta Scriptorum copia, vt vix quicquam eis adijci valeat; attamen Sapientissimis PP. ac Celeberrimis Valentini Collegij DD. enixè flagitantibus denegare non possum, quin statim tertio Tomo manus admoueam; docet enim *Beatiss. P. 3. de Trin.* prope initium: *Fratribus autem meis cùm non valeam resistere iure, quo eius seruus factus sum, flagitantibus, vt eorum in Christo laudabilibus Studijs lingua, ac Stylo meo maximè seruiam; egoque ipse multa, quæ nesciebam, scribendo me didicisse consitear: non debet hic labor meus cuiquam pigro, aut multùm docto videri superfluus, cùm multis impigris, multisque indoctis, inter quos etiam mihi non parua ex parte, sit necessarius.*

INDEX

INDEX QVAESTIONVM.

S.I.

Art.II.

DE LIBRO VITAE.

Quæst.I. De his,quæ pertinent ad cognitionem Libri Vitæ.

DE SS.TRINITATIS MYSTERIO.

Quæst.I.De existentia Mysterij SS.Trinitatis.

Quæst. II. De processionibus Diuinis in communi.

Quæst.IV. De processione Filij.

Art.XI.

Errata	Corrigenda
fol.104. deficit numerus 39.	39. *S. Bern. lib. de Amore Dei. Nos diligimus te amore à te nobis indito.*
fol.500.n.24. Resp. negatiuè.	Resp. affirmatiuè.
fol.522.n.13. Essentiat creat.	Essentia generat.
fol.537.n.3. Item eum termino relatiuo.	Item cum modo relatiuo.

Ceteri errores sunt parui momenti, & quilibet eorum correctionem potest faciliter videre.

CENSVRA.

SEcundum Theologiæ Tomum A.R.P.M.F. Friderici Nicolai Gauardi Mediolanensis in Regio S.P. Augustini Neapoli Collegio Regentis, eadẽ, qua primus, doctrinæ copia, subtilitate, grauitate, ac puritate compositum, nullaque aduersùs recta Fidem, vel mores prauitate infectum ita, vt facilè riuulos cognoscat eodem fonte manantes, testificor, qui vtrunque legi.

M.F. Bartholomæus Riccius Neap. Ord. Erem. S.P. Aug. Prouinciæ Neap. Prior Prouinc.

DEsiderium tot annorum, quibus nostra exoptauit Religio Expositorem Fundatiss. Doct. Aegidij conformiter ad doctrinam Sanctiss. P. Augustini, abundè expletum tandem vidi in hoc opere, quod iussu P.V. Reuerendiss. summa attentione, & ea alacritate perlegi; vt à nemine vnquam Auctore profundiùs, congruentiùs, veriùs, & clariùs scriptum, aut scribendum esse censeam.

F. Petrus de Garate Limensis Conuentus S. Spei Neap. Vic. Gen.

MAG.

MAG. F. DOMINICVS VALVASORIVS MEDIOL. TOTIVS ORD. FF. ER. S. P. AVG. PRIOR GENERALIS, ET COMMISSARIVS APOSTOLICVS.

Reu.nobis in Christo P.Mag.F.Friderico Nicolao Gauardi Mediolanensi Collegij nostri S.Aug.Maioris Neapolis Regenti eiusdem Ord,ac voti S.

NIhil magis in votis habemus, quàm vt literaria Religiosorum nostrorum meditamenta, quæ peruigili sunt elucubrata labore, in lucem prodeant, & manibus Doctiorum terantur. Ne igitur secundus Theologiæ Tomus à te exaratus sub modio occludatur,sed supra Candelabrum in commune colluceat bonum,præsertim quia,vt ex testimonio PP; quos deputauimus in Reuisores, accepimus,& sicuti superno fauente Numine cum ingenti cordis nostri lætitia, & celebri nominis tui fama, de Primo euenit, tum Christianæ Reipublicæ fructum, cùm Religioni nostræ decus allaturum speramus; præsentium tenore, nostrique Muneris auctoritate licentiam tibi cõcedimus, qua seruatis seruãdis,Typis eũ dare valeas.Dat.in Contũ nostroS.P.Aug.de Vrbe.die.17.Martij.1685.

Fr.Dominicus Valuasorius Med.Gen.Ord.Er.S.P.Augustini,& Commissarius Apostolicus

M.F.Carol.M.Perusia Secret. Nostri muneris affixosigillo. Reg.lib.6.

In Congr.habita coram Emin.Card.Caracciolo Archiep.Neap.sub.24.Aprilis 1682.fuit dictum, quòd R.P.Dom. Antonius Coragius Soc. Iesu reuideat, & in scriptis referat eidem Congreg.

Stephanus Menattus Vic.Gen. *Ioseph Imperial.Soc.Iesu Theol.Emin.*

EMINENTISSIME DOMINE.

OBsecutus Em.Tuæ nutibus mente auidissima percurri secundũ Tomum Theologicum in primum sententiarum Admodum Reu.Mag.P.Friderici Nicolai Gauardi,Regij S.P. Augustini Maioris Neapolis Gollegij Rectoris. Fidem, & Orthodoxos mores illustrat. Ad Stuporem vsque profundæ doctrinæ radios eiaculatur. Idcirco florentissimum Augustiniani Ordinis Decorem, ac Verticem illum temporibus hisce suspicio,veneror que. Adeo verum existimo dispersa per Maiores suos eiusdem Ordinis Magistros hæreditariæ Sapientiæ decora in vnum collecta Gauardum Confluxisse.Ad publicum ergo literariæ Reipublicæ commodum tantum prodeat opus, modò Em.Tuę voluntas accedat. E Collegio Neapolitano è Soc.Iesu die 20.Decembris.1684.

Em.Tuæ Reuerendiss.

Humilimus famulus.

Dominicus Antonius Coragius,è Soc.Iesu

IN Congr.habita coram Emin.Domino Card. Caracciolo Archiep. Neap.sub 25.Ian.1683. fuit dictum,quòd stante suprad.relatione Imprimatur.

Stephanus Menattus Vic.Gen.

Ioseph Imperialis Soc.Iesu Theol.Emin.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

F. Federico Niccola Gauardi da Milano Agostiniano desiderando stampare il primo libro della sua Theologia supplica l'E.S.degnarsi depurargli il Reuisore,quam Deus &c.

Reuerendus P.Nicephorus Sebastus S.T.M.videat,& in scriptis referat.

CALA REG. SORIA REG. FLORILLO REG.

Prouisum per Suam Excellentiam Neap.die 17.Aprilis 1682. *Comus Scriba.*

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

EAdem approbatione, qua primum Tomum typis editum ab hoc eximio Auctore approbaui, eiusdem,& alterum eodem titulo inscriptum, *Theologia exantiquata*, approbo. De mandato Excellentiæ Vestræ illum sedulò legi libens, gaudensque non semel euolui, in qũo non minùs, ac in primo Auctor hic nũquam satis laudandus R.adm.P.M.F. Fridericus Nicolaus Gauardi Mediolanen. hoc in nostro Regio S. P. Augustini Cænobio Gymnasiarcha, Regia immunitate inoffensa, selectiora nostri Doctoris Aegidij Columnæ dogmata, solida suæ doctrinæ Aegide defendit, aperit, dilucidatquè, sparsis vbertim vbique magni Parentis nostri Augustini doctrinæ floribus amena. Prodeat ergo in publicum opus istud Theologicum numeris omnibus absolutissimum,vt omnes Sacræ Theologiæ Professores,tàm nostri, quàm exteri illud possint; *Nocturna versare manu, versare diurna.* Ita censeo. Datũ Neap.hoc in Regio S.P.Aug.Asceterio hac die 30.Nouemb.1684.

Addictissimus.

Fr.Nicephorus Sebastus Ord.Er.S.Aug;& Neap.Collegij S.T.M; & Decanus,Arch. Curiæ Exam. Synodi;itemquè Librorum Censor,S.Off.de Vrbe in Regno,ac eiusdem Sac.Cong.Indicis Consultor.

Visa relatione imprimatur,verùm in publicatione seruetur Reg.Prag.

CARRILLO REG. CALA REG. SORIA REG. FLORILLO REG.

Prouisum per S.Excell.Neap.die 19.Augusti 1682. *Comus Scriba.*

DE INEFFABILITATE DEI.



Omen, quod quasi *Noumen* dicitur, vt vertit *Festus*, vel quasi *Notamē*, vt docet *Beatiss. P. Aug. de Gen. ad lit. imperf. c. 6*; duplici conuersæ appellationis vi rei notionem sequitur, & præcedit. *Nouimen* dicitur in Imponente, quia non nisi per rei notitiam nomen præfigitur; appellatur *Notamen* respectu Audientis; ei etenim notat, indicatque rei naturam. Deum igitur ineffabilem esse, quia illius Natura incomprehēsibilis est, & inēnarrabilis, docet Fides, Theologia fatetur. Et licèt infinitorum sit nominum, vt inquit *D. Dion*; à nullo tamen satis exprimitur, quia nunquam plenè cognoscitur. Summa lux eum obscurat; sicuti nanq; tenebræ in creaturis non sunt nisi lucis defectus; ita lucis excessus illi Substantiæ Thearchichæ tenebræ sunt: Hinc dicitur *ps. 138. Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Antiphrasis mira! Obscurior, quò lucidior; minùs notus, quò magis cognitus; ob copiam fandi ineffabilis, & per innumera nomina innominabilis. Solùm Verbum Diuinum, quia Deus est, Deum exprimit: Cetera nomina anonyma sunt, quia tantæ Excellentiæ nec congrua, nec digna inueniuntur. Sed si Deum ineffabilem dicimus, ipsum profectò ineffabilem nō nisi effando appellamus; dumque illum ineffabilem pronunciamus, effabilem esse procul dubio indicamus; quoniam *si illud* (inquit *Beatiss. P. Aug. lib. 1. de Doctr. Christ. c. 6.*) *est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.* Hanc pugnam verborum pacat idem *Sanctiss. Doct.* asserēs; quòd *Deus ipse, cùm nihil dignè de illo dici possit, admisit tamen humanæ vocis obsequium, & verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit.* Dicimus, quantùm possumus, sed non quantùm dici potest, quia semper ampliùs superest dicendum; sicque licèt continuò de Deo nobis detur effari, semper tamen ineffabilis est. Benè itaque dicimus, quod cognoscimus; & bene dicimus, quod ignoramus iuxta *Cant. Dan. 3. Benedicite dies, & noctes Domino*; id videlicèt, quod nobis illucescit dicendum, pura bene dicimus mente; quodque nescientiæ vmbris absconditur, casto laudamus silentio.

Ex his apparet recta Tractatuum connexio; cùm enim primum Tomum Visio Dei recluserit, Ineffabilitas, quæ ad visionem, seu cognitionem sequitur, aperit hunc secundum. Nec ab alio quopiam, quàm ab Ineffabilitate sumendum erat initium eò, quòd ineffabilia prorsus contineat Diuinæ Scientiæ, Voluntatis, Prædestinationis, ac Trinitatis Mysteria.

QVÆST. VNICA.

De Nominibus Dei.

MAgnus *Areopagita Dionysius* Theologorum Primicerius primus omnium hac de re graui, sublimique stylo librum composuit. Plurimas de rebus significatis per nomina quæstiones inseruit; & mira breuitate concludens ea, quæ à Theologis fusa describuntur periodo, verborum paucitatem arcana vocabulorum significatione compensat. Quoniam tamen de rebus Diuina significatis per nomina in toto huius Diuinæ Scientiæ cursu discurritur, ad sola nomina arctamus sermonem; nec tamen ad omnia, quia, cùm sint infinita, calamus in infinitum excurreret. Ea igitur solùm, quæ *Sacris* afferuntur *in literis*, & quæ aliquā difficultatē inuoluunt, explicare curabimus.

ART. I.

An, & quomodò Deus sit nominabilis?

ANtequam resoluamus difficultatem duo declaranda sunt ad illius intelligentiam maximè necessaria.

1 Primum est; quòd *nomen* non significat immediatè res ipsas, prout existūt extra animam, neque actionem intellectus, sed rem ipsam, prout existit in mente, quæ appellari solet verbum, seu conceptus obiectiuus ipsius mentis. Prob. 1. hoc *B. Doct. Aeg. in 1. dist. 22. princ. 1. q. 2. in corp. & dist. 27. princ. 1. q. 2. §. Propter hoc ex Ar. 4. Met. t. c. 28.* dicente: *Verbum exteriùs ipsam definitionem significat*; patet autem, quòd definitio est res in mente. 2. ex *Beatiss. P. Aug. 15. de Trin. c. 11.* docente: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet*; ex quo sic arguitur. Omne signum significat illud primariò, & immediatè, ad quod significandum essentialiter est institutū; sed verbum vocale essentialiter est institutum ad manifestandum conceptum obiectiuum formatum in mente; ergo verbum vocale essentialiter, & per consequens primariò, & immediatè significat conceptum obiectiuum, seu verbum mentis. Maior patet; nam quæ conueniunt essentialiter signo, conueniunt primariò, & immediatè; cùm illud primariò sit in re, quod conuenit essentiæ, quæ est primum omnium in vnaquaque re. Mi prob. Præcisa à verbo vocali significatione verbi mentalis ad nihil deseruiret verbum vocale, & sic destrueretur eius essentia; si enim verbum mentis statim, ac formatum est in intellectu, innotesceret omnibus, non esset necesse formare verbū vocale, quo manifestaretur, quia verbum mentis iam esset manifestum; & res significata iam esset sufficienter manifestata per verbum mentis; sed essentia cuiuslibet rei non de-

deſtruitur formaliter niſi per deſtructionem illius, quod ei eſſentialiter conuenit; ergo verbũ vocale eſſentialiter eſt inſtitutum ad manifeſtandum conceptum obiectiuum formatum in mente. 3. Signum immediatè illud, ſignificat, à quo immediatè deſcendit, & cum quo immediatiùs vnitur; ſic fumus immediatiùs ſignificat ignem, quàm lignum, quia immediatè oritur ab igne, & mediante igne à ligno; ſed verbum vocale immediatè deſcendit à verbo mentali, & cum ipſo immediatiùs vnitur; nam verbum mentale producitur in intellectu à re obiecta; & verbum vocale producitur à verbo mentali, imò eſt idem, ac verbum mentale, non quidem in eſſe phyſico; quia verbum mentale eſt ſpirituale, & vocale ſenſibile, ſed in eſſe repræſentatiuo, quoniam vtrũque ipſam rem æquè repræſentat; hinc docet *Beatiſs.P.Aug. de Temp ſerm.27. Sicut verbũ, quod corde geſtamus, fit vox, cùm id ore proferimus, nec tamen illud in hãc cõmutatur, ſed illo integro iſta, in qua procedit, aſſumitur, vt et intus maneat, quod intelligatur, & foris ſonet, quod audiatur, hoc idem profertur in ſono, quod ante ſonuerat in ſilentio: atque ita verbum, cùm fit vox, non mutatur in voce, ſed manens in mentis luce, & aſſumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deſerit cogitantem*; ergo verbum vocale immediatè ſignificat conceptum obiectiuum, mediatè verò rem obiectam ad extra.

2 Dices contra hanc doctrinam. Verbum vocale ſubſtitutum eſt ad ſignificandam rem obiectam loco verbi mentalis, ſed verbum immediatè ſignificat rem obiectam; ergo & vocale. Imò verbum vocale eſt idem, ac verbum mẽtale, vt diximus *ex Beatiſs.P.Aug*; ergo vtrunque immediatè ſignificat rem. 2. Audita hac voce *homo* ſtatim mihi innoteſcit natura humana, ergo immediatè illam ſignificat. 3. Si voces immediatè ſignificarent verbũ mẽtis, ſequeretur, quòd audita hac voce *homo* deberet audienti innoteſcere priùs verbum mentis, & in eo mediatè cognoſcere naturam humanam; ſed conſequens eſt falſum; non enim res, quas audimus à loquente, cognoſcimus in eius verbo mentali, ſed immediatà cognitione tendimus in ipſa rem ſignificatam per talem vocem; vnde ad cognoſcendum verbum mentale habemus alias voces, nempe conceptionem, intellectionem, & verbum; ad cognoſcendum verò naturam humanam vtimur hac voce *homo*; hinc qui docent linguas, & idiomata extranea, in explicatione vocabulorum nõ dicũt hanc vocem ſignificare hanc conceptionẽ, ſed hanc naturam; ergo verbũ vocale immediatè ſignificat rem obiectum, non verbum mentale; vel æquè immediatè ſignificat vtrunq; vt volunt *aliqui Recentiores.*

Reſp. ad 1. diſt. ma. Verbum vocale ſubſtitutum eſt ad ſignificandam rem, prout eſt in ſe ipſa immediatè, neg; mediatè, prout eſt in mente concepta, conc; vnde ſiquis falsò conciperet hominem in mente, illum certò proferret in voce, ſicut concepit in mente; quod tamen non fieret, ſi verbum vocale immediatè non ſignificaret rẽ, prout in mente conceptam. Ad id, quod additur, dicitur verbũ vocale eſſe idem cum mentali in expreſſione ita tamen, vt vocale ſit à mentali, ac propterea illud immediatè ſignificet; ſicut verbum mentale eſt idem in eſſe intelligibili cũ re intellecta, à qua deſcendit, & cuius loco ponitur in intellectu, cùm res per ſe ipſam nequit intellectui vniri, & ideo immediatè ipſam rẽ ſignificat: cùm autẽ inter verbũ vocale, & ipſam rẽ mediet verbum mentale, verbũ vocale non niſi mediatè rem ſignificat. Ad 2. diſt. eodem modo ant. Innoteſcit natura humana, prout concepta in mente loquentis, conc; prout in ſe ipſa, neg; audiens enim aliquem proferentẽ hanc vocem *homo* ſtatim cognoſcit loquentem cõcepiſſe indiuiduũ naturæ humanæ, non caninæ &c; & conſequenter agnoſcit naturam humanam. Ad 3. dicimus, quòd in verbo mentis reperitur prima intentio, quæ eſt ſecundùm illud eſſe, quod habet in intellectu, & reperiũtur illæ denominationes, quæ conſequuntur ſecundam intentionem, vt v. g. quòd ſit ſpecies, quòd ſit verbum, &c. Diſt. igitur ma. Audienti hanc vocem *homo* deberet innoteſcere verbum mentis quoad primam intentionem, conc; quoad denominationes pertinentes ad ſecundam intentionẽ, neg; innoteſcit enim natura humana, quæ eſt prima intentio concepta à loquente; & in ipſa prout recepta in aure audientis, & ab aure per alios ſenſus tranſmiſſa ad intellectũ ipſius audiẽtis cognoſcit rem ſignificatam; non enim eſt neceſſe audientẽ intelligere per verbũ exiſtens in mente loquentis, cùm hoc ſit impoſſibile; ſed ſufficit, quòd verbum loquentis cõmunicetur audienti, & ſic vnitum cum eius intellectu parit notionem. Sic dicitur, quòd habemus alias voces ad cognoſcendũ verbum, prout eſt ſecunda intentio; nam prout eſt prima intentio, nõ habemus niſi hanc vocem *homo*. Ita docentes linguas extraneas dicũt has voces prout ab Auctore illarum linguarum impoſitas, vel à gentibus illius idiomatis vſurpatas ſignificare hanc naturã; vnde ſemper verbũ vocale immediatè ſignificat verbum mentale, & mediatè rem ſignificatam per verbum mentale.

3 Secundum eſt; quòd nomen non poteſt clariùs, & diſtinctiùs ſignificare rem, quàm concepta fuerit ab imponente illi talẽ nomen. Eſt contra *Scotum in 1. diſt. 22. apud Caiet. hic* docẽtem poſſe aliquam vocem ex vi ſuæ ſignificationis ſignificare aliquam rem diſtinctiùs, quàm cognoſcatur ab impoſitore talis vocis, vel etiam à loquente, aut ab audiente talem vocem; v.g. hæc vox *animal rationale* impoſita eſt ad ſignificandã eſſentiam hominis quiditatiuè, vt contradiſtinctam ab accidentibus; & tamen ex nobis, neque qui profert, neque qui audit talem vocem, cognoſcit eſſentiam hominis niſi per accidentia.

Eſt

Eſt etiam contra *Vaſq: hic diſp. 57. c. 2. & 3.* ſubſtinentem perfectionem ſignificationis ſumendam eſſe ex illo, qui audit, nõ autem ex eo, qui loquitur, aut qui nomen imponit; quia voces inſtitutæ ſunt ad communicandos proprios cõceptus audienti; loquenti enim iam ſunt noti ſine vocibus proprij conceptus.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. Aug. in pſ. 85.* docente: *Quid quæris, vt aſcendat in linguam, quod in cor non aſcendit*? Cui conſonat *B. D. Aeg. in 1. diſt. 22. q. 3. §. hoc*; vbi ait: *Nomina à nobis impoſita ſic ſignificant, ſecundùm quod in noſtram cognitionem veniunt*. Ex quo ſic. Verbum vocale ita commenſuratur cum verbo mentali, vt non ſit niſi idem verbum mentale exteriùs manifeſtatum, vt ſuperiùs dictum eſt; quapropter ait *Phil. lib. 1. Periher. c. 1. Ea, quæ in voce conſiſtunt, ſigna ſunt effectuum, quæ in anima ſunt*; ſigna autem debent conuenire, & commenſurari cum re ſignificata, quotieſcunque ſigna per ſimilitudinem ſignificãt, vt ſunt verba, de quibus ait idem *Phil. ibid. Res quoque, quarum hi ſimilitudines ſunt*: patet enim, quòd ſimilitudo importat relationem æqualitaris, & ideo ſigna debent adæquari rei ſignificatæ, cuius ſunt ſigna; ergo implicat, quòd verbum vocale clariùs ſignificet rem, quàm fuerit concepta ab Auctore nominis; & quod audiens tale nomen clariùs ipſam rem cognoſcat; aliter nec daretur identitas in repræſentando, nec adæquatio; vel idem eſſet diuerſum à ſe ipſo, nec adæquaretur ſibimetipſi.

Conf. Verbum vocale oritur à verbo mentali, tanquam effectus à ſua cauſa, vt fumus oritur ab igne, cuius eſt ſignum; ergo verbum vocale nequit clariùs, & perfectiùs rem ſignificare, quàm ſignificet verbum mentale, à quo ortũ fuit; aliter effectus eſſet nobilior, & perfectior ſua cauſa; cuius oppoſitum docet Philoſophia.

4 Prob. 2. Voces ſunt ſigna ad placitum, in hoc enim diſtinguuntur à verbo mẽtali, quod ſignificat naturaliter; ſed non ſunt ſigna ad placitum loquentis, vel audientis; nõ enim licet loquenti, vel audienti vti vocibus ad ſignificandũ aliter, ac illis impoſita ſit ſignificatio ab Auctore illarum; vnde loquens, vel audiens hanc vocẽ *Virago*, quæ ab Adamo impoſita fuit ad ſignificandam mulierem, nequit ea vti ad ſignificandũ maſculum, aliter fiet ſumma confuſio in idiomate, & nullus poſſet diſtinctè percipere, quid tali voce ſignificaretur, ſi promiſcuè aſſumeretur ad ſignificandum maſculum, & fœminam; & ideo ſi quis ita vteretur hac voce, diceretur communiter errare in illius ſignificatione; ergo voces ſignificant ſolùm ad placitum imponentis, & per conſequens limitantur, & coarctantur ad tantam ſignificationem, quantam illis dare placuit imponenti; ergo voces nequeunt clariùs, & diſtinctiùs ſignificare, quàm intentum fuerit ab imponente; neque earum ſignificatio menſuranda eſt ex audiente, vel loquente.

5 Inſt. 1. *cum Scot.* Poteſt aliqua vox ex vi ſuæ ſignificationis ſignificare diſtinctiùs, quàm cognita fuerit ab Auctore talis vocis, vel à loquẽte, aut audiente; etenim hæc vox *animal rationale* ſignificat eſſentiam hominis, vt contradiſtinctam ab accidentibus, & tamen impoſitor, loquens, & audiens cognoſcit eſſentiam hominis ſolùm per accidentia, & ideo imperfectiùs; ergo verbum vocale non menſuratur ex imponente, loquente, vel audiente. 2. *cum Vaſq*; Verba vocalia inſtituta ſunt ſolùm ad manifeſtandos conceptus audienti; quapropter ait *Beatiſs. P. Aug. in Enchir. c. 22. Verba inſtituta ſunt, per quæ in alterius quiſq; notitiam cogitationes ſuas proferat*; ergo eorum ſignificatio debet tantùm menſurari ex audiente. Tum quia Angelus audiens hanc vocem *homo* prolatam à Viatore perfectiùs intelligit naturam hominis, quàm ipſe Viator; & ſic Beatus, vel Deus audiens hanc vocem *Deus* prolatam ab homine viatore quiditatiuè intuitiuè cognoſcit eſſentiam Diuinam, quam homo viator ſolùm abſtractiuè, & quoad *an eſt* intelligit; ergo ſignificatio vocum poteſt extendi ab audiente, & ideo non coarctatur ab imponente.

Reſp; quòd dupliciter poteſt aliqua vox audiri. 1. ita, vt per talem vocem generetur in aure audientis ſpecies talis vocis tranſmiſſa ad intellectum ipſius audientis, vt ſuccedit in hoc ſtatu, in quo intelligimus per acceptionem ſpecierum; & tunc nequit vox magis ſignificare, quàm intentum fuerit ab imponente propter rationes ſuperiùs allatas. 2. ita, vt non generetur ſpecies, ſed audiens ſolùm reflectat ad ſpeciem perfectiorem, quam actu habet in ſuo intellectu; vt cùm Angelus audit hanc vocem *homo* reflectit ſe ſuper ſpeciem, quam habet concreatam cum ſuo intellectu; & tunc audiens poteſt percipere clariùs eſſentiam rei ſignificatæ. Ad *Scot.* igitur diſt. ant. *Animal rationale* ſignificat eſſentiam hominis, vt contradiſtinctam ab accidentibus in audiente, in quo generatur ſpecies illius vocis, vt in homine exiſtente in hoc ſtatu, qui ſemper intelligit per acceptionem ſpecierum, neg; in audiente, in quo non generatur ſpecies, vt in Angelo, qui non intelligit per acceptionem ſpecierum, ſed per ſpecies ſibi cõgenitas, conc; ſed neg. con; tunc enim audiens nõ intelligit ex vi vocis, ſeu ſpeciei ipſius vocis, ſed altioris, & perfectioris ſpeciei. Ad *Vaſq*; dicitur, quòd ex eo, quòd voces inſtitutæ ſunt ad manifeſtandos conceptus mentales; hæc autem manifeſtatio non fit, niſi per communicationem ipſius conceptus mentalis, qui deſcendit in vocem, & à voce ad aures, ac tandem ad intellectum audientis, apertè ſequitur, quòd vox in audiente non poſſit magis ſignificare, quàm in imponente, aliter effectus, vel quaſi effectus eſſet nobilior ſua cauſa; quòd ſi talis manifeſtatio fiat ſolùm per reflexionem ſupra ſpeciem perfectiorem, nõ per generationem ſpeciei talis vocis, tunc non

vox ipsa, sed aliena species perfectiùs significat; ideo in primo sensu conc. ant;& neg. con. Per quod patet ad illud, quod additur de Angelo,& homine docto, qui pariter intelligit per speciem perfectiorem, quam habet, non per illam acceptam à rustico;non enim est necesse accipere nouam speciem, cùm iam acceperit perfectiorem; & de Deo, qui intelligit se ipsum per suam Essentiam Diuinam omnia lucidissimè repræsentantem, & significantem. His ita declaratis congruentiùs ad rectam Philosophiam.

6 Controuersia modo est, an homo secundùm cognitionem, quam habet de Deo in præsenti vita,possit imponere Deo aliquod nomen significans ipsum quiditatiuè ita,vt audiens illud Beatus possit ex vi illius nominis præcisè cognoscere quiditatiuè Deum? Vbi aduertenda est differentia, quæ reperitur inter imponere nomen, & recitare aliquod nomen impositum ab alio; nam licèt ad recitandum aliquod nomen impositum ab alio non requiratur cognitio rei significatæ per tale nomen; vt patet de psythaco, vel pica instructa ab aliquo homine ad proferendas aliquas voces humanas absque eo,quòd cognoscat res significatas per tales voces; attamen ad imponendum aliquod nomen alicui rei necessaria est cognitio illius;quapropter tales aues nequeunt imponere noua nomina. Ita licèt homo proferat aliqua nomina Dei,à Deo, vel ab Angelis nobis reuelata *in sacris literis*; quæ nomina fortè significant quiditatiuè Deum; attamen per hoc non euincitur posse hominem imponere Deo aliquod nomen quiditatiuè ipsum significans. Igitur.

7 Vnica concl. Homo viator nequit imponere Deo aliquod nomen quiditatiuè ipsum significans; sed tantùm abstractiuè quoad *an est*.

Prob. 1. ex illis *Scripturæ* locis, in quibus dicitur, quòd nomen Dei est inuestigabile, & incognoscibile,vt *Iudic:13: Cur quæris nomen meum,quod est inscrutabile? Et Prou:30:Quod nomen est eius,& quod nomen Filij eius,si nosti?* Ac ex illis *textibus*, in quibus affertur nomen Dei; vt *Exod: 15:Omnipotens est nomen eius*;& *Iudith. 9. Dominus nomen est tibi*; quæ loca non possunt concordari, nisi dicendo, quòd Deus quiditatiuè est ineffabilis, & abstractiuè est nominabilis; illæ enim res;quæ sunt quiditatiuè nominabiles, *in Sacra Scriptura* non vocantur ineffabiles; vt *Gen:2*;vbi habetur: *Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia Cæli,& omnes bestias terræ*;quæ omnia, vt communiter dicitur, Adam per scientiam sibi à Deo infusam quiditatiuè cognouit, vt posset ea nominibus suæ quiditati, seu naturæ congruentibus appellare. Habetur etiam *in c. Firmiter de summa Trin*;in quo Deus dicitur *ineffabilis*.

8 Nec potest dici Deum dici ineffabilem comprehensiuè, quia à nulla creatura potest comprehendi.

Nam contra est; quia licèt Deus sit etiam ineffabilis comprehensiuè, non tamen diceretur ineffabilis per contradistinctionem à creaturis; cùm etiam creaturæ nequeant comprehendi ab intellectu creato siue humano, siue Angelico;vt ostendimus contra *plures Recentiores To. 1. de Inuisib. Dei q. 5. art. 1. n. 3; & seq.*

9 Prob. 2. ratione *B. Doct. Aeg. hic q. 1.* Nomen adæquatur, & commensuratur cum verbo mentali, ad quod sequitur, & deriuatur, ac cum quo identificatur in repræsentando, vt superiùs habitum est *ex Beatiss. P. Aug*;atqui verbum mentale,quod potest habere homo in hoc statu, nequit repræsentare Deum quiditatiuè,sed tantùm abstractiuè, & quoad *an est*; quia homo in hac vita nequit cognoscere Deũ,nisi abstractiuè quoad *an est*;vt latè probauimus *To. 1. De Subst. Dei q. 1. art. 1*; ergo nomen, quod potest homo imponere Deo in hoc statu, nequit significare Deum quiditatiuè, sed tantùm abstractiuè, & quoad *an est*.

10 Conf. Ad imponendum aliquod nomen quiditatiuè significans necessaria est cognitio quiditatiua rei significatæ per tale nomen; hinc ait Christus Dominus Io: 13. *Quod scimus,loquimur*;& *Gen. 2.* habetur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret,quid vocaret ea*;idest, vt quiditatiuè cognosceret,quomodò eis imponeret nomina; videre enim, & quiditatiuè intuitiuè cognoscere idem est; sed homo in hoc statu nequit Deum quiditatiuè videre;nam visio cognitiua, quam potest homo habere in hac vita, ad septem genera reducitur; vt ostendit *B. Doct. Aeg. hic* ex doctrina *D. Dion. 1. De Diuin. Nomin*; scilicet ad visionem, quæ habetur per sensum externum, vel per phantasiam, vel per æstimatiuam;vel quę habetur per intellectum nudum sine habitu; & hoc dupliciter,idest per nomen, seu definitionẽ; ratio enim, quam significat nomen, est definitio *ex Ar. 5. Met*; vel per sermonem, seu enunciationem; vel tandem quæ habetur per intellectũ informatum aliquo habitu; & hoc pariter dupliciter, scilicet habitu primorum principiorum, & habitu scientiæ;patet autem Deum non esse quiditatiuè visibilem per sensus externos, vel internos,quia non est sensibilis,& corporeus;neque per intellectum naturalem siue nudum, siue informatum habitu naturali; quia est Ens supernaturale superexcedens captum naturalem cuiuscunque intellectus naturalis; ergo homo in hoc statu nequit imponere Deo aliquod nomen quiditatiuè illum significans. Eadem ratione asserunt Theologi hominem non posse imponere Angelis nomina quiditatiuè,quia nequit eos intuitiuè videre, cùm omnis cognitio intuitiua hominis pro hoc statu sit circa quiditatem naturalem sensibilem;Angeli autem non sunt sensibiles,quia non sunt corporei.

Ex

Ex his apparet, quòd illa propositio regulans hanc conclusionem (scilicet impositionem nominis quiditatiuè significantis supponere essentialiter, tanquam radicem, à qua fluit, cognitionem quiditatiuam rei significatæ per nomen) colligitur manifestè nedum ex ratione, & *ex Phil*; sed etiam *ex SS. PP*; *& ex Sacris Scripturis*, vnde non nisi irrationabiliter potest negari.

Obiectiones *Scoti*, *& Vasq*; quæ militāt cōtra 1. partem conclusionis, superiùs dilutæ sunt.

11 Obijc. vlteriùs. Multæ linguæ fuerunt à Deo inuentæ, & infusæ hominibus, vt patet *ex hist. Turris Babylonicæ Gen.* 11; sed Deus habet perfectam notitiam sui; ergo voces, quibus in illis linguis significatur Deus, quiditatiuè, & perfectè Deum significant. 2. Nomina imposita morbis, vitijs, vel virtutibus, aut ijs rebus, quæ nunquam visæ sunt ab imponente talia nomina, distinctiùs significant apud eos, qui tales morbos, vitia, & virtutes experiuntur, aut illas res clarè vident. 3. Scimus Deum non posse à nobis cognosci eo modo, quo est in se; ergo possumus illi imponere nomen significans ipsum eo modo, quo non cognoscitur à nobis; sicut enim possumus imponere nomina rebus nobis notis; sic, & rebus nobis ignotis. 4. Si nomen deberet adæquari cum cognitione, sequeretur, quòd sicuti nos non cognoscimus Deum nisi ex creaturis, ita non possemus eum nominare nisi per ordinē ad creaturas; sed hoc est falsum; quia multa nomina tribuimus Deo sine ordine ad creaturas, vt esse Ens à se, summum bonum, primum Ens &c; ergo & falsum est id, vnde hoc sequitur.

Respondent *aliqui* ad 1. Deum in confusione linguarum se gessisse, vt sapientem hominem, imponendo nomina non iuxtà conceptum proprium, sed iuxta conceptum, quem possunt habere homines. Sed hæc responsio non placet, quia ex ipsa manifestè sequitur verbum vocale nō debere essentialiter commensurari cum verbo mentali imponentis, sed audientis, cuius oppositum superiùs traditum est. Satiùs itaque responderent dicendo tales linguas edoctos fuisse homines per Angelos, quibus mediātibus Deus dicitur operari *in Scripturis*, vt interpretantur *SS. PP.* Veriùs tamen respondetur dando totum arg; hic enim quæritur de impositione, non de prolatione alicuius nominis impositi ab alio; quia quamuis ad proferendum aliquod nomen non requiratur cognitio rei significatæ, vt diximus de psythaco, & pica, attamen requiritur ad imponendum. Ad 2. dist. assumptum. Significant distinctiùs ex vi alterius speciei, quam habent aliunde, conc; ex vi speciei acceptæ ab ipsa voce neg. Ad 3. neg. con; incognitum enim nequit nominari, sicuti non ens nequit cognosci; nam si nominatio est explicatio rei, implicat, quòd aliquod explicetur, & maneat incognitum, & ideo inexplicitum. Ad 4. neg. seq; Deus enim dicitur Ens à se per oppositionem ad creaturam, quæ est ens ab alio; & non cognoscimus Deum esse Ens à se, nisi cognoscendo creatnras, quæ sunt entiā ab alio, necessariò debere esse ab aliquo Ente à se; sic dicitur de summa Bonitate, quæ in Ente à se nequit esse, nisi summa; & illam cognoscimus ex bonitate creaturarum, in quas se diffundit prima Bonitas. Præterea dicitur, quòd licèt nos primò non deueniamus in cognitionem Dei nisi per creaturas, attamen supposita prima cognitione possumus elicere alias cognitiones de Deo sine ordine ad creaturas.

12 Obijc. 2. contra 2. partem concl. Ratio, quam significat nomen, est definitio; sed Deus nequit definiri, cùm sit infinitus; ergo non habet nomen. 2. Deus dicitur incomprehēsibilis, ignotus, inuestigabilis; vnde *prop. 6. de Causis* dicitur, quòd *est supra omnem narrationem*. 3. Omne nomen significat substātiam, & qualitatem; in Deo autem non est qualitas. 4. Si Deus posset nominari aliquo nomine, vel esset positiuè, vel negatiuè? Non primum; quia *affirmationes de Deo sunt incompactæ*, vt ait *D. Dion.* Neq; secundum; quia Deū negatiuè nominare est ipsū non nominare.

Resp. ad 1; quòd *ibidem* sumitur definitio pro natura, seu essentia; cùm definitio sit oratio explicans naturam rei; vnde cùm Deus habeat naturam, potest habere aliquod nomen. Ad 2. dicitur, quòd Deus est incōprehensibilis, ineffabilis, & supra omnem sermonem quiditatiuè, perfectè, & completè, non autem abstractiuè, imperfectè, & incompletè. Ad 3. dicitur, quòd nomen significat substantiam, & qualitatem realiter distinctam à substantia in creaturis; in Deo autē substantiā, & qualitatē distinctā virtualiter eo modo, quo diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 1. art. 4. n. 3; & 8.* Ad 4. resp. nominari vtroq; modo, & ex eo, quòd affirmationes sint incōpactæ, dicimus non posse nominari nisi incōpletè, quod idē est. Et ad aliud dicitur, quòd nominare negatiuè quoad modum significandi, & quoad rem significatam, est non nominare; nominare autem negatiuè quoad modum significandi, & affirmatiuè quoad rem significatā, sicut nominamus Deum, est nominare.

Ad complementum huius difficultatis aliquot quæsita in *seq.* §. resoluemus.

§. I.

Resoluuntur aliquot Quæsita.

13 Quæres 1; an Beati possint imponere aliquod nomen Deo quiditatiuè, & clarè ipsum significans?

Resp. iuxta doctrinam superiùs allatam affirmatiuè; & ratio est; quia Deus à Beatis quiditatiuè, & clarè cognoscitur; ergo quiditatiuè, & clarè est nominabilis; sicuti Viator, quia abstractiuè Deum cognoscit, potest ei imponere nomē abstractiuè ipsum significans.

14 Quæres 2; an Beati possint reuelare hoc nomen Viatoribus?

Re-

Resp. communiter negatiuè; quia Viatores nequeunt percipere tale nomen; nomina enim reuelantur ad hoc, vt audiens percipiat quiditatem significatam per tale nomen; Diuina autem Essentia significata per illud nomen nequit cocognosci quiditatiuè sine lumine gloriæ, quo carent Viatores. Hinc *Apoc.2.* dicitur *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit*; idèst, qui audit; audiens enim accipit à loquente nomē, quod cognoscit.

15 Sed ista responsio nō est absolutè vera; nam certum est, quòd aues proferentes voces humanas audiunt à loquētibus illas voces, & tamen nō intelligunt res significatas per tales voces. Quòd si animalia irrationalia possunt accipere materialiter voces prolatas à substantijs intellectualibus absque eo, quòd illarum significatum formaliter percipiant eo modo, quo illas percipiunt substantiæ intellectuales; non videmus, quomodò à fortiori substātiæ rationales nō possint accipere voces significantes obiecta supernaturalia absq; eo, quòd illa clarè percipiant; maiorem enim inhabilitatē habent ad recipienda verba vocalia entia irrationalia, quàm rationalia. Neque essentialiter requiritur, quòd locutio fiat audienti, qui percipiat eadem claritate, qua percipit ipse loquens; nam præter quam quod hoc patet de locutione auibus facta, constat etiam de magistro edocente scientias; Discipulus enim non statim percipit ea, quæ sibi traduntur à Magistro, ea claritate, qua cognoscit Magister; quapropter dicimus, quòd illa, quæ in Magistro est Scientia, in Discipulo est fides; quia ille scit euidenter, iste obscurè; vt diximus *To. 1. q.3. Proem. art.5.* Tum quia sequeretur, quòd visio supernaturalis non potuisset nobis reuelari à Deo, vel ab Angelis Beatis, qui illam clarè possident; & idem dicendum est de quolibet mysterio supernaturali; quod tamen secundùm Fidem *Deus olim loquens in prophetis, nouissimè nobis locutus est in Filio*; & de reuelatione visionis Beatæ habetur *ps. 47. Sicut audiuimus, sic vidimus*; ergo sicuti potest reuelari Viatori visio Dei clara absque eo, quòd audiens illam clarè percipiat, ita potest reuelari à Beatis Viatori aliquod nomen quiditatiuè significans Deum absque eo, quòd Viator quiditatiuè percipiat Deum significatum per illud nomen.

16 Propter hoc non dubitamus asserere, quòd fortè in *Scripturis* reuelata sunt aliqua nomina, quæ ex vi sua quiditatiuè significant Deū, quod præsertim dicendum est de illo nomine *Iehoua*, seu *Tetragrammaton*, quod dicebatur ineffabile, quia est incognoscibile; omne enim, quòd est cognoscibile, est effabile, vt supra diximus; patet autem, quòd Deus solùm quiditatiuè est incognoscibilis à nobis, & ideo solùm quiditatiuè est ineffabilis; vnde si hoc nomen est ineffabile, deduci potest, quiditatiuè Deū significare.

17 Dicendum igitur est, quòd illa responsio ita debet intelligi. Nomen quiditatiuè significās Deum nequit à Beatis reuelari Viatori ita, vt Viator eadem claritate, & ideo quiditatiuè cognoscat rem significatā per tale nomē; sic enim explicata hæc responsio communis habet veritatem à nullo negabilem; quia ad cognoscendā rem eadem claritate requiritur idem lumen gloriæ, quod deest Viatori. Et sic intelligitur illud *Apoc*; nam, licèt ad hoc, vt quisquam *sciat*, idèst clarè cognoscat, *nomen nouum*, necesse sit, quòd *audiat*, non tamen omnis audiens necessariò scit; vt videntur docere *quidem Recentiores*, inter quos *Gabr. excal. 1. p. disp. 13. dub. 1. n. 7*; sed requiritur, quòd audiens habeat *calculum candidum*, idèst lumen clarum.

18 Quæres 3; an possit Beatus reuelare nomen Dei quiditatiuum clarè alteri Beato?

Hoc quæsitū distinguimus à primo; potest .n. quis proferre aliquod nomen absque eo, quòd audiatur ab aliquo, vt patet in soliloquijs, in quibus nomina non reuelantur alicui. Resp. igitur communiter affirmatiuè; quia vterque Beatus habet lumen clarum sufficiens ad prolationem, & perceptionem talis nominis.

19 Instat *Gabr. excal. vbi sup. n. 8.* De ratione nominis est, quòd ex vi prolationis illius, & ex efficacia auditionis audiens efformet sibi cognitionem rei significatæ; sed Beatus audiens nequit ex vi prolationis nominis Dei efformare sibi cognitionem quiditatiuam Dei, quia ista cognitio esset extra visionem, & extra visionem Deus est ineffabilis; quapropter *Apostolus* post raptum non potuit efformare nomina eorum, quæ audierat in Verbo; ergo Beatus nequit alteri Beato loqui nomen Dei quiditatiuum. Addi potest, quòd sicuti non repugnat vox creata quiditatiuè significans Deum, ita non repugnare deberet species creata exprimens quiditatiuè Deum; cuius contrariū sentiūt *Thomistæ in tract. de Vis.*

Sed hæc instantia soluitur ex dictis *in sup. art. n.5*; Beatus enim audiens non audit per receptionem nouæ speciei, sed per ipsam Diuinam Essentiam gerentem vicem speciei, quæ repræsentat talem vocem. Aliter Angeli non loquerentur spiritualiter ad inuicem, cùm ipsi non intelligant per species acceptas à rebus, sed concreatas, vt etiam ipse *Gabr. 1. p. disp. 44. dub. 2.* fatetur cum *Thomistis*; propter quod videtur sibi parum constare. Dist. ergo ma: Si aliunde non habeat cognitionem repræsentantem rem significatam per illud nomen, conc. Si habeat, neg. ma: & min. Ad id, quod additur de specie, resp. verbum vocale dupliciter considerari, vt diximus *in sup. art. n.1*; scilicet materialiter in esse physico, & sic nihil aliud importat nisi literas sensibiles, & corporeas assumptas tanquam signum ad significandum Deum, & in hoc sensu verbum vocale est quid creatum; neque repugnat, quia sic acceptum non est similitudo naturalis

ralis

talis Dei,quemadmodum debet eſſe ſpecies; de ratione enim ſigni ad placitum eſt, quòd non ſit ſimilitudo rei;quia ſimilitudo rei eſt ſignum naturale,nõ ad placitum. 2.Conſideratur formaliter in eſſe repræſentatiuo, & ſic verbum vocale eſt Diuina Eſſentia in mente concepta,prout exteriùs ſignificatur, & exprimitur, vt diximus *ex Beatiſs.P. Aug.vbiſ.Verbum,quod corde geſtamus, fit vox,cùm id ore proferimus* &c; & in hoc ſenſu verbum vocale exprimit, & ſignificat Deum, ſed non eſt quid creatum, cùm ſit ipſe Deus, vt dictum eſt.

20 Quæres 4;an nomina dicta de Deo dicãtur ſubſtantialiter?

Reſp.affirmatiuè, ſiue ſint nomina poſitiua, ſiue negatiua;& ratio eſt; quia nomina dicta de Deo ſignificant aliquam perfectionem exiſtentem in Deo; ſed quicquid eſt in Deo, ſubſtantia eſt, cùm in illo nullum detur accideus, vt docet *Beatiſs.P.Aug.de Trin.lib.15.c.5. Quicquid ſecũdùm qualitates illic dici videtur, ſecundùm ſubſtantiam,vel Eſſentiam eſt intelligendum*;& *lib.7. c.5.Deus eſt, in quo non eſt aliquid tanquam in ſubiecto*; ergo nomina dicta de Deo dicuntur ſubſtantialiter,non accidentaliter.Et licèt nomina negatiua videantur ſolùm remouere à Deo aliquam imperfectionem,quæ eſt in creatura,attamen ſunt negatiua ſolùm quoad modũ ſignificandi, affirmatiua verò quoad rem ſignificatam; quia remouendo à Deo imperfectionem, maximam ſignificant in Deo perfectionem, vt oſtendimus *ex B.Doct.Aeg.To.1. De Attr. in com. q.1. art.1.n.3; & ſeq.*

21 Dices 1. *Ex Beatiſs. P. Aug. lib.5. De Trin.c.8.*habetur:*Quicquid ad ſe dicitur præſtantiſſima illa, & Diuina ſublimitas ſubſtantialiter dici;quod verò ad aliquid,non ſubſtantialiter, ſed relatiuè.2.ibid.c.16.* docet: *Certè vel vt Dominus hominis eſſet,ex tempore accidit Deo*; ergo nomina relatiua, & quæ accidunt Deo ex tempore, non dicuntur de Deo ſubſtantialiter;& per conſequens non omnia nomina Dei dicuntur de ipſo ſubſtantialiter.

Reſp. ad 1; quòd tunc ſumitur *ſubſtantialiter*, prout contradiſtinguitur à relatiuè, non autem prout contradiſtinguitur ab *accidentaliter*; nos autem hic ſumimus hoc ſecundo modo, nõ primo; quapropter ſubdit *idem Beatiſs. Doct. c. 16. Quomodò ergo obtinebimus nec ipſa relatiua eſſe accidentia?* Ad 2.dicitur, quòd nomina Deo aduenĩetia ex tẽpore non ſignificãt aliquod accidens intrinſecè Deũ afficiens;ſic enim Deus mutaretur; ſubdit enim *ibid. Quoniam nihil accidit Deo,quia non eſt mutabilis.*& infra: *Quomodò igitur obtinebimus nihil ſecundùm accidens dici Deũ, niſi quia ipſius naturæ nihil accidit, quo mutetur, vt ea ſint accidentia relatiua,quæ cum aliqua mutatione rerum accidunt.*Significant ergo accidens mutans creaturas;id autem,quod ſignificant in Deo,eſt ſubſtãtia;v.g. Dominus,prout ſignificat excellẽtiam,maieſtatem;& Creator potentiam, quæ ſunt formaliter in Deo, ſignificant ſubſtantialiter; prout verò ſignificant relationem Deo aduenientem in tempore, nõ ſignificant aliquod exiſtens in Deo,ſed extrinſecè.

22 Quæres 5, An aliqua nomina dicantur priùs de creaturis,quàm de Deo?

Reſp.nomina, quæ dicuntur de Deo, alia dici propriè, & alia trãſlatiuè, ſeu metaphoricè, vt infra dicemus. Rurſus illa,quæ propriè dicuntur, poſſunt conſiderari vel quantùm ad rem ſignificatam, vel quantùm ad modum ſignificandi. Dicimus ergo,quod nomina metaphorica,& nomina propria tranſlata à creaturis, quantùm ad modum ſignificandi priùs dicuntur de creaturis, quàm de Deo; quantùm verò ad rem ſignificatam priùs dicuntur de Deo, quàm de creaturis. Rationem huius tradit *Beatiſs.P.Aug.Tract. 80. in Io.* ſuper illud: *Ego ſum vitis vera.* Cui ſubdit: *Nunquid,vt adderet vera,hoc ad eam vitem retulit, vnde iſta ſimilitudo tranſlata eſt? Sic enim dicitur vitis per ſimilitudinem, nõ per proprietatem, quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cætera huiuſmodi, quæ magis ipſa ſunt vera, ex quibus ducuntur iſtæ ſimilitudines, non proprietates.* Cui conſonat *B. Doct.in 1.diſt.22.q.3.§.Dicamus ergo,quòd nomina ſimpliciter perfectionẽ importantia quãtùm ad rem ſignificatã magis propriè cõpetunt Deo, quàm creaturis,ſecundùm talia non fit tranſlatio à nobis ad Diuina,ſed à Deo ad nos.*Et ad 5.ait: *Quãtùm ad rationem illam,vnde nomen imponitur, non ſic ſe habet;quia ſecundùm eandem perfectionem analogicè ſumptam,vt per priùs in Creatore,per poſteriùs in creatura dicitur ſapientia.* Formatur autẽ ſic iſta ratio. Nomina priùs dicuntur de re,cui ſunt impoſita,& à qua transferũtur, quàm de illa,ad quã transferũtur,vt patet de riſu,qui priùs dicitur de homine,quã de prato;ſed nomina metaphorica,& nomina propria trãſlata à creaturis quantũ ad modũ ſignificãdi ſunt impoſita creaturis, & à creaturis transferuntur ad ſignificandas perfectiones,quæ ſunt in Deo; quantùm verò ad rem ſignificatam priùs competunt Deo, quàm creaturis; ergo nomina metaphorica, ſiue nomina propria tranſlata à creaturis quantùm ad modum ſignificandi priùs dicuntur de Creaturis,quàm de Deo;quantùm verò ad rem ſignificatã è contra. Maior patet;quia nomina priùs dicuntur de re,cui ſunt priùs impoſita, quàm de illa, ad quam transferuntur, cui tantùm ſecundariò conueniunt.Min.quo ad 1.partem liquet; nomina enim metaphorica,cùm ſint eſſentialiter tranſlata,quia metaphora eſt formaliter *tranſlatio.*, transferuntur à creaturis ad Deum. 2. pars min.etiam conſtat;quia nomina propria, quæ ſignificant aliquam perfectionẽ formaliter in Deo exiſtentem, cùm à nobis non cognoſcantur, niſi per creaturas iuxta illud *Apoſt.Inuiſibilia Dei per ea,quæ facta ſunt* &c; ideo quantùm ad modũ ſigni-

gnificandi, quem habent in nobis, trãsferuntur à creaturis ad Deum. 3. pars min. prob. Nomina quantùm ad rem significatam priùs dicuntur de illa re, cui conueniunt per essentiam, quàm de illa, cui conueniunt per participationem, vt calor priùs dicitur de igne, qui est primus in genere calidorum, quàm de aere, qui participat calorem ab igne; sed res significatæ per nomina propria, vt v.g. formalitas sapientiæ, &c; conueniunt Deo per essentiam, & creaturis per participationem; ergo nomina propria quantùm ad rem significatam priùs dicuntur de Deo, quàm de creaturis.

23 Quæres 6; an nomina, quæ dicunt relationem rationis ad creaturas, dicãtur de Deo ex tempore?

Resp. quòd creatura potest considerari in triplici statu, scilicet in statu possibilitatis, vel futuritionis, & sic nomina, quæ dicunt relationem rationis ad creaturas, in hoc duplici statu dicuntur de Deo ab æterno, vt Deus prædestinans, cognoscens, decernens creaturas, &c; vel in statu actualis existentiæ, & tunc conueniunt Deo ex tempore, vt docet *Beatiss. P. Aug. 5. de Trin. c. 16*; & *B. Doct. Aeg. in 1. dist. 30. q. 1*; & ratio est. Nomina, quæ dicunt relationem rationis ad creaturas in statu possibilitatis, & futuritionis, significant actum immanentem in Deo existentem ab æterno; nomina verò, quæ significant relationem rationis ad creaturas in statu actualis existentiæ, significant actionem transeuntem, quæ non est, nisi in tempore, vt docet Fides; ergo illa conueniunt Deo ab æterno, ista verò in tempore.

24 Quæres 7; quid significet hoc nomen *Deus*; & an sit communicabile creaturis?

Resp. *B. Doct. Aegid. in 1. dist.* 2: in fine super lit. §. *Item super illud Deus est nomen naturæ*; quòd Deus, qui græcè dicitur *Theos*, vel dicitur *à Thein*, quod est curare, siue fouere; vel ab *Aethin*, quod est ardere; vel *à Theaste*, quod est cõsiderare, seu videre. *Deus* ergo quoad ethimologiam nominis importat aliquod attributum circunstans naturam; hinc dicunt *alij*; quòd *Deus* idem est, ac *Prouidens*, Dominus, seu Diuus, vel Diues in omnes: quantùm verò ad id, ad quod significandum est impositum, significat naturam, quia significat Deitatem; & ideo *Beatiss. P. Aug. lib. 1. De Doctr. Christ. c. 6.* de hoc nomine ait: *Cũ aures eorum sonus ille tetigerit, monet ad cogitandam excellentissimam quandam, immortalemque naturã.* Et sic est nomen naturæ, nõ proprietatis.

Quoad 2. dicimus hoc nomen *Deus* esse communicabile naturæ creatæ per vnionem hypostaticã; Christus enim est homo Deus; & esse communicabile Beatis in esse intentionali; eorum enim intellectus fit res intellecta, quæ est Deus; tandem puræ creaturæ esse communicabile per quandam analogiam ad huius nominis ethimologiam, quatenus vna creatura potest recipere à Deo prouidentiam, dominium, & potestatem super alias creaturas, vt patet de *Moyse*, cui dixit Deus *Exod. 2. Ego constitui te Deum Pharaonis.*

25 Quæres 8; an Deus possit sibi imponere nomen comprehensiuè ipsum significans?

Resp. *Aliqui* affirmatiuè; quia enim Deus se ipsũ comprehensiuè cognoscit, potest se ipsum comprehensiuè nominare.

Verùm cùm hic agamus de nomine vocali corporeo externo, & cùm repugnet cuicunque rei corporeæ, vtpotè finitæ, & limitatæ per quãtitatem molis, habere vim significatiuam simpliciter infinitam, sicut illi repugnat entitas infinita, ad quam sequitur vis significatiua, ideo negatiuè est respondendum. Quid autem dicendũ de Verbo spiritali sibi identificato in natura, in quo adæquatè dicit se ipsum; hoc enim non nisi Verbum Diuinum est, quod sine dubio comprehensiuè repræsentat Deum, *in Tract. de Trin.* tractabitur; quanquam enim omne nomen sit verbum, non tamen omne verbum est nomen, quia verbum mentale internum non est nomen, cùm per nomen intelligamus quid externum exteriùs prolatum significans verbum internum, vt docet *Beatiss. P. Aug. lib. de Magistro c. 4*; & sufficienter patet ex dictis.

ART. II.

An Deus sit nominabilis à nobis pluribus Nominibus absq; Synonimia?

1 Difficultas procedit de nominibus inadæquatis, incompletè significantibus ipsum Deum; nomina enim, quæ à nobis viatoribus Deo imponuntur, nõ nisi inadæquatè ipsũ significant. Quærimus igitur, an de Deo dicantur plura nomina inadæquata absq; eo, quòd sint synonima? Et ratio dubitandi est; quia Deus est simplicissimus, & ideo videtur, quòd vnum simplex nomen illi tantùm conueniat.

2 Vnica cõcl. affirmatiua quæsiti. *Ita B. Doct. hic q. 20.* Prob. 1. ex illis *Scripturæ* locis, in quibus plura nomina Deo attribuuntur; vt v. g. *omnipotẽs nomen eius; Dominus nomen illi, &c.* Prob. 2. ex *Beatiss. P. Aug. 7. de Trin. c. 4.* docente: *Conferimus nos ad inueniendum aliquod speciale, vel generale nomen; neque recurrit animo, quia excedit supereminentia Diuinitatis vsitati eloquij facultatem.* Quam doctrinam sic exponit *Fũdatiss. Doct. Aeg. vbi sup.* Pluralitas nominum prouenit ab exuberãtia perfectionis obiecti, & ex imperfectione intellectus; quotiescunque enim aliquod obiectum ob copiam perfectionum, quas continet, superat aliquem intellectum, tunc non potest vnico verbo, seu conceptu mentali cognosci ab intellectu, aliter intellectus esset eiusdem excellentiæ, & immaterialitatis cùm ipso obiecto in esse intellectuali; sed Deus infinitè superat nostrũ intellectum; ergo infinitis potest conceptibus à nobis cognosci, & per consequẽs infinitis nominibus appellari; propter quod ait

D. Dion.

D.Dion.Deus est infinitorum nominum.

Explic. Quia Essentia hominis continet duas perfectiones, quarum vna est principium discurrendi, & altera est principium sentiendi; & quia nos non habemus vnicum nomen, quod simul explicet vtranque perfectionem; rationalitas enim explicat solùm principium discurrẽdi, non verò principium sentiendi; & animalitas è contra; ideo necessitamur assumere hæc duo nomina *animal rationale* ad explicandam adæquatè essentiam hominis; sed Deus continet infinitas perfectiones; & nos non habemus nomen adæquatè illas explicans; ergo cogimur ad plurificanda nomina Dei, quibus illius Essentiam percipiamus, quantùm possumus.

3 Prob. 2. pars concl. sic. Synomina, siue sint polyonima, siue heteronyma, vt *To.1. De Attr. in com. q.2. art.2. n.4.* diximus *ex Beatiss. P. Aug. lib. categ. c.2*; sunt illa, *quæ & nomine, & interpretatione iunguntur; neque vlla differentiæ nominum redditur ratio; vt Ensis, mucro*; seu vestis, & indumentum; ergo plura nomina dicuntur de Deo sine synonimia. Declaratur ant. *à B. Doct. Aeg. tum hìc ad 1; tum princ. 1. q.3. art.1.* sic. Illa nomina dicuntur synonima, quæ significant idem omnibus modis secundùm eandem rationem; quapropter *Com. 12. Met. c.39.* ait; *quòd Viuum, & vita, & huiusmodi in Deo non significant idem omnibus modis, sicut significant nomina synonima*; quòd si Viuum, & vita non significant idem in Deo, nec sũt synonima, multò minùs idẽ significabunt Iustitia, & Omnipotentia, quæ disparatè se habent; nam magis differt vnum disparatum ab alio, quod excludit, quàm abstractum à concreto, quod illud includit; ergo illa, quæ *iunguntur*; idèst conueniunt *in nomine & interpretatione*, nempe in ratione significata per nomen, nec habẽt *vllam rationem differentiæ, seu diuersitatis*, sunt synonima. Prob. con. Per hoc nomen, v. g. *Iustitia*, significatur virtus in Deo *tribuens vnicuique, quod suum est*; at hoc non explicatur per hoc nomen, *misericordia*, per quod explicatur virtus *subleuatiua inopum à miseria*; & sic de reliquis.

Conf. Nomina, quæ significant Attributa, & relationes Diuinas, distinguuntur virtualiter, vt ostendimus *To.1. de Attr. in com. q.2. art.8*; ergo non sunt synonima, quia omni diuersitas in re significata per nomina tollit synonimiam.

4 Obijc. 1. *Ex Auic. in Met.* Si vnum non adderet supra ens, ens & vnum essẽt synonima; & dicere ens, & vnum esset nugatio; sed perfectiones significatæ per nomina Diuina, non addunt supra Deum, quia ab illo non distinguuntur; ergo talia nomina sunt synonima. 2. Synonima sunt plura nomina idem significantia; sed nomina Dei idem significãt, quia iuxta *D. Boet.* nullus numerus datur in Deo; ergo sunt synonima. 3. Res simplex per omnem modum vna simplici cognitione cognoscitur; ergo vnico nomine significatur. 4. Pluralitas nominum vel se tenet ex parte Dei, vel ex parte nostri intellectus? Non primum; quia Deus est sũmè vnus, & simplex. Si secundũ; ergo hæc nomina sunt fictitia.

Ad hæc resp. *Fundatiss. Doct.* hìc 1. Auicennã errasse, vt notat *Cõ.4. Met.* Præterea dist. ma. Si nõ adderet aliquod virtualiter vel æquiualenter distinctum, conc; & in hoc sensu, neg. min. Aliquid realiter distinctum, neg. mi. Et sic dicitur ad 2; quòd synonima significant idem omnibus modis, scilicet realiter, virtualiter, & æquiualenter; nomina autem Dei, licèt significẽt idem realiter, non tamen virtualiter, & æquiualẽter. Ita ad 3; Deus enim est simplex tãtùm realiter, non autem virtualiter, & æquiualenter. Ad 4. dicitur, quòd pluralitas nominum prouenit ex pluralitate verborum mentalium, & hæc ex superefflueutia perfectionum rei significatæ per nomen.

5 Quæres quibus nominibus appellatus sit Deus *ab Hebræis* in lingua Sancta.

Resp. principalia nomina esse decem, vt colligitur *ex Fluddo, Ioanne Rheuel; Aggrippa, & Trithemio*; scilicet, *El*, quod significat Deum gratiæ; *Eloha*, quod significat Deum *prouidentem, & gubernãtem*; *Elohim Gibor*, quod significat Deum fortem; *Sabaoth*, quod semper coniũgitur cum alio nomine, vt *Adonai Sabaoth*; quod significat *Dominum exercituum, vel virtutum*; *Elion*, quod significat *excelsum*; *Ehie escer eie*, quod significat *Qui est*; *Adonai*, quod significat *Dominum*; *Ia*, quod significat *Deum*; vnde hoc nomẽ *Alleluia*, quod cõponitur ex *allellu*, quod significat laudate, & *ia*, quod significat Deum, idem sonat, ac laudate Deum. *Elchai Sadai*, quod significat *Viuum, Omnipotentem*; *Zor*, quod significat *Dominum*; & *Iehoua*, quod *græcè* dicitur *Tetagrammaton*, & hoc ab *Hebræis* reuerentiæ causa nõ pronũciabatur, sed habebatur tãquam ineffabile, diuinissimũ, & sacratissimũ, vtpotè primariò significans Essentiã Dei; vnde quando occurrebat *in Sacris Scripturis*, loco illius pronũciabatur *Adonai*. Prima autẽ nouem nomina cõprehenduntur in *Iehoua*, vt videre est in *Arbore Sephirotica*, seu *Diuinarum Emanationum* ducta *ex dictis Autoribus*.

6 Aliqui Auctores Linguæ Sanctæ docent nomen, *Qui est*, esse idem, ac *Iehoua*; nam *Iehoua* deriuatur à verbo *Haia*, cuius futurũ primæ personæ est *Eie*, idèst *ero*; quapropter *Teodoret. in Exod. q.15.* ait Deum reuelasse *Moysi* suum nomẽ ineffabile, cùm illi dixit. *Ego sum, qui sum.* Et *Clemens Alex. lib.5. Strom; Genebrard; & alij apud Lippoman*; quibus cõsentit *Gabr. Excal; & noster Lafosse To.2. q.2. §. 2. V. Veritatem* asserunt idem.

Ceterùm, vt rectè obseruat *Marcus à Serra hìc q. 13. art. 11*; sicut *esse* apud *Latinos* duplex est, vt diximus *ex Fundat. Doct. To.1. de Subst. Dei q.2. art.3. §.1. n.11; & alibi*: scilicet es-

sentiæ,& existentiæ,ita dicendum, quòd nomen *Iehoua* significat *Essentiam Dei* incommunicabilem simpliciter; at verò *Eie escer eie* significat *Existentiam*.

ART. III.

An aliqua nomina dicantur propriè de Deo?

1 EXaminat hanc difficultatem *Fundatiss. Doct*; non quia grauis circa eam sit lis inter Theologos, sed vt concordet aliquas *SS. PP.* sententias, quæ inter se pugnare videntur; nam *D. Dam. lib. 1. c. 4*; postquam enumerauit aliqua attributa,nēpe Bonitatem,Iustitiā,Sapiētiam, &c; ait: *Talia de Deo dici propriè non valent*; quod sentit etiam *D. Dion.* asserens *affirmationes de Deo esse incompactas*; idest *improprias*, vt vertit *Hugo de S. Vict.* E contra verò *Beatiss. P. Aug. 15. de Trin. c. 5; & lib. 6. c. 7.* ait: *talia verè, & dignè de Deo dici*; quod etiam repetit *D. Ans. prosol. 5.* Imò *D. Dion. & D. P. Aug.* sibimetipsis contradicere videntur; nam ille *5. de Diuin. Nomin.* ait, quòd *Deus propriè dicitur existens, & esse, & conuenienter per tale nomen laudatur*; & *in eodem lib. c. 1.* dicit *ipsum nihil existentium existens*. Iste verò *loc. cit.* ait: *talia verè, & dignè dici de Deo*; & *lib. 1. de Doct. Christ. c. 6; & alibi* ait; *nihil dignè de illo dici posse*. Vt igitur hæc concordentur.

2 Not. *ex B. Doct.* quòd nomina, quæ dicūtur de Deo, alia significant perfectiones simpliciter simplices, quæ vt diximus *To. 1. de Emin. art. 1.* sunt in Deo secundùm propriam formam demptis imperfectionibus, quas habent in creaturis; vt *Sapientia*; alia significant perfectiones simplices limitātes ad speciem, quæ non sunt in Deo secundùm propriam formam, sed transferuntur solùm ad significandam aliquam virtutē existentem in Deo per quandam similitudinem, non per proprietatem, vt *Agnus* ad significandā mãsuetudinem, *Leo* ad significandā fortitudinē.

Nomina autem significantia perfectiones simpliciter simplices possunt considerari vel quoad modum significandi, quem habent in illis subiectis, à quibus transferuntur ad Deum; vel quoad rem significatam in ipso Deo. Cùm enim, vt *sup.* diximus, in hoc statu nos non valeamus cognoscerè perfectiones Dei, nisi per cognitionem perfectionum, quæ sunt in creaturis, iuxta documentum *Apostoli*; ideo cogimur ad transferenda nomina ex creaturis ad Deum; modus nanque significādi sequitur modum cognoscendi; sicuti nomen sequitur mentis conceptum. *His not.*

3 Vnica concl. Nomina significantia perfectiones simpliciter simplices quoad rem significatam magis propriè, & dignè dicuntur de Deo, quàm de creaturis; quoad ad modum verò significandi impropriè, & indignè dicuntur de Deo; Nomina verò significantia perfectiones simplices impropriè, & metaphoricè dicuntur de ipso.

Prob. 1. pars concl. Illa nomina dicuntur magis propriè quoad rem significaram, quæ significāt aliquā formam existentem in aliquo subiecto primò formaliter, & per essētiā, quàm illa, quæ significant aliquā formam existētem formaliter in aliquo subiecto per participationē, vt calor magis propriè, & perfectè dicitur de igne, & lux de Sole, cui inest primò, & per essentiā, quia ignis est primus in genere calidorum, & Sol est primus in genere lucidorum, quàm de alijs subiectis, quæ participant calorem ab igne, & lucē à Sole, vt diximus ex *B. Doct. To. 1. q. 1. proem. art. 6. n. 1; & 13; & art. 7. n. 5*; sed res significatæ per nomina importantia perfectiones simpliciter simplices sunt in Deo primò, & per essentiam; & in creaturis participatiuè; ergo magis propriè dicuntur de Deo quoad rem significatam, quàm de creaturis.

4 Prob. 2. pars. Modus significandi, quem habent nomina à nobis Deo imposita, est modus, quem habent in creaturis, quia ex creaturis à nobis transferuntur ad Deum; cùm non cognoscamus Deum, nisi per creaturas; sed modus significandi proprius creaturarū est improprius & indignus Deo; nomen enim *Sapientia* v. g. in creaturis significat aliquam virtutem determinatam ad vnam speciem distinctè ab alijs virtutibus; in Deo autem *Sapientia* significat virtutē illimitatam, & indistinctam ab alijs virtutibus, & perfectionibus; ergo nomina significantia perfectiones simpliciter simplices quoad modū significādi impropriè, & indignè dicūtur de Deo.

5 Prob. 3. pars. Nomina, quæ non significāt formam existentem formaliter in illa re, cui imponuntur, dicūtur tantùm metaphoricè; sed nomina importātia perfectiones simplices, vt *ouis, agnus, leo, lapis angularis*, &c; non significant aliquam formam existentem formaliter in Deo, aliter Deus esset formaliter, *ouis, agnus*, &c; sed significant tantùm per similitudinem, non per proprietatem, quia dicitur *ouis* ad significandā eius mansuetudinem, *leo* ad significandam fortitudinē, &c; ergo dicūtur tantùm metaphoricè.

6 Dices. Modus significandi sequitur modum essendi; ergo si nomina dicta de Deo sunt impropria quoad modum significandi, erunt etiam impropria quoad modum essendi, seu quoad rem significatam.

Resp. dist. ant. Sequitur modum essendi illius rei, prout cognitæ ab intellectu, à qua trāsfertur, & desumitur significatio, conc; vnde quia modus essendi, quem habet creatura, est imperfectus, improprius, & indignus Deo. Sequitur modum essendi illius rei, ad quam transfertur, & cui applicatur, neg; quia proprietas sequitur tantùm illam rem, à qua oritur, non autem illā, à qua non oritur; quare cùm modus significandi non oriatur ab esse Dei, potest esse imperfectus, etiansi res significata sit perfectissima, & Deo propria.

7 Ex

7 Ex his apparet cõcordãtia SS. DD; qui nõ pugnãt inter se, nec sibi cõtradicunt, cùm asserũt eadẽ nomina esse incompacta, impropria Deo, & postea esse propria, & digna; nam in primo sensu loquuntur de nominibus quoad modum significandi, quem habent in creaturis; & in secundo sensu loquuntur quoad rem significatam.

8 Colligitur ex dictis nomen *Iehoua* esse magis propriũ Deo, significat enim substantiam Dei, prout incommunicabilẽ creaturis, vt dictũ est *in sup. art*, cetera autem nomina, etsi sint propria Dei, vt *Qui est*; solus nanque Deus habet existentiam à se, non tamen ex vi suæ significationis habent significare res, vt incommunicabiles explicitè, vt significat nomen *Iehoua*, sed ad summum illas significant implicitè incommunicabiles.

ART. IV.

An detur aliquod nomen vniuocum Deo, & creaturis?

1 Quanuis *Arist.* diuidens nomen asserat aliud esse *Synonimum*, quod comprehendit *vniuocum*, & aliud *homonimum*; quod idem est, ac *æquiuocum*, vt docet *Beatiss. P. Aug. lib. categor. c. 2*; attamen loquitur de *æquiuoco* latè sumpto, prout comprehendit etiam *analogum*; quapropter *1. Top. c. 4. Sanum dicit æquiuocum ad cibum, & ad vrinam*; vt aduertit *B. D. Aeg. in 1. dist. 25. princ. 2. q. vnica in corp*; patet autem, quòd sanitas de his analogicè dicitur. In hoc sensu lato locutus est etiam *Com. de Subst. Orbis* dicens: *Quæcunq; sunt in corporibus supercælestibus, & in istis inferioribus, dicuntur æquiuocè*. Imò etiam *Beatiss. P. Aug. vbi sup.* enumerans genera æquiuocorum docet esse quatuor, scilicet: *Similitudo*, vt *homo pictus, & verus*; *Proportio*, vt *sicuti principium animalis dicimus cor, ita principium aquæ fontem dicimus. Ab vno*; vt *cum à medicina dicimus medicinale ferramentum, medicinalis scientia*. & *ad vnum*; vt *potio salubris, medicus salubris per ordinem ad salutem animalis*. Tandem etiam *D. Damasc. lib. 3. c. 9.* ait; quòd *Voluntas, seu liberum arbitrium æquiuocè dicitur in Deo, in hominibus, & Angelis*. Etenim cùm analogum importet diuersitatem, & identitatem rationis significatæ per nomen; & magis importet diuersitatem, quàm identitatem, ideo sub æquiuoco potiùs, quàm sub vniuoco debet constitui.

Nihilominùs propriè loquendo, vt fatentur communiter omnes, nomen triplex est, scilicet *vniuocum, analogum, & æquiuocum*. Primum est illud, quod *significat plura habentia eandem naturam, seu definitionem*. Secundum, quod *significat plura habentia naturam, seu definitionem nec omnino eandem, nec omnino diuersam, sed partim eandem, partim diuersam*. Vltimum, quod *significat plura habentia naturam, seu definitionẽ omnino diuersam*. Hanc diuisionem tradit *Fun. Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 2. datis. Doct. 7. Physs. c. 24. lect. 8. dubit. 1. §. Dicendum &c.* his verbis: *Quædam sunt purè æquiuoca, vt ea, quæ conueniunt in sola voce; quædam purè vniuoca, vt quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ; quædam autem sunt analoga*. Idem repetit *in 1. vbi sic & sæpè alibi*.

Quamobrem illa opinio, quæ solet referri, asserentium omnia esse æquiuoca respectu Dei, & creaturarum, vt apud *nostrum Lafosse* inferius allegandũ, in re non differt à nostra sententia, loquuntur enim de æquiuocatione latè sũpta, vt *sup.* dictum est.

2 Prima sententia vult plura nomina esse vniuoca respectu Dei, & creaturarum. Ita *noster Greg. in 1. dist. 8. q. 3. art. 2*; vbi docet substantiã, actionem, & relationem vniuocè dici de Deo, & creaturis. Ipsum sequuntur *Nominales*, & omnes illi; qui volunt Deum poni in prædicamento; & etiam *alij*, qui negant Deum poni in prædicamento, etiamsi aliquod nomen dicatur vniuocè de ipso, & creaturis.

Secũda sentẽtia docet omnia nomina, quæ dicũtur dici analogicè de Deo, & creaturis. Ita *B. Doct. Aeg.* & *omnes eius Discipuli*. Eandẽ docet *S. Thom*; & *omnes Thomistæ*, & ferè omnes *alij* communiter. Sed hæc sententia diuisa est, nam *aliqui* volunt talem analogiam esse præcipuè proportionalitatis, quanuis etiam possit intelligi attributionis, & proportionis; vt *noster Lafosse de Simplic. Dei q. 4. c. 4. §. 2*; *Alij* solius proportionalitatis, vt *quidã alij ex nostris in M. S.* Ceterũ vera *Fũdatiss. Doct.* sentẽtia est esse analogiã attributionis, quæ verior analogia est, quanuis possit etiam dici proportionalitatis, non autem proportionis; vt patebit *ex textibus B. Doct.* infra allegandis.

3 Not; quòd ad rationem veræ analogiæ, quæ tantùm est analogia attributionis, tria requiruntur. 1. quòd ratio analogans reperiatur intrinsecè vel formaliter, vel causaliter tam in principali analogato, quàm in minùs principalibus analogatis. 2. quòd reperiatur inæqualiter in principali, & in minùs principalibus. 3. quòd minùs principalia analogata dicant ordinem ad principale analogatum.

Ratio 1. traditur *à B. Doct. 6. Met. q. 3*; vbi loquens de analogia entis respectu substantiæ, & accidentis, quam docet *Phil. 4. Met. t. c. 2.* ait, quòd si *accidentia nullo modo haberent intrinsecè aliquid entitatis, tunc nullam haberent definitionem nec simpliciter, nec per additamenta*; quia definitio rei, de qua hìc sermo est, supponit in eo, quod definitur, aliquid reale intrinsecum. Tum quia cùm analoga definiantur esse illa, quę in analogatis important rationem partim eandem, partim diuersam; sicut æquiuoca importãt in æquiuocatis rationem omnino diuersam; & vniuoca omnino eandem; si in analogatis non daretur intrinsecè ratio analogans, iam intrinsecè essent omnino diuersa, & sic essent æquiuoca,

uoca, non analoga. Tum quia analoga ideo important rationem partim eandem, partim diuersam, quia sunt media inter vniuoca, & æquiuoca; & ideo debent participare naturam vniuocorum, & æquiuocorum; ergo sicuti, prout participant naturam æquiuocorum, important rationem diuersam; quæ ita est in vno analogato, vt sit extra aliud, aliter eadem esset in vno, ac in alio, & sic non esset diuersa, sed eadem; ita prout participant naturam vniuocorum, important rationem eandem communem omnibus analogatis; sicuti vniuoca important eandem entitatem communem omnibus vniuocatis, sed vniuoca important rationem intrinsecè repertã in omnibus vniuocatis; ergo & analoga, prout important naturam vniuocorum, debent importare rationem intrinsecè repertam in omnibus analogatis. Tandem, quia, vt statim dicemus, si nulla esset ratio intrinseca minùs analogatis, nõ esset ratio, cur istæ res potiùs, quàm aliæ analogarẽtur, v.g. cur potiùs aer, quàm terra, vel ignis analogaretur ad sanitatem animalis?

Diximus vel *formaliter*, vel *causaliter*, vel *significatiuè*; quia aliquod potest esse in alio, vel in esse physico, vel in esse repræsentatiuo. Si in esse physico, vel formaliter secundùm propriam rationem formalem; vt sanitas est in animali; vel causaliter secundùm virtutem causatiuam; vt effectus est in sua causa; & sic sanitas est in medicina. Si in esse repręsẽtatiuo, sic est velut in signo, cuius est repręsẽtare, vt sanitas est in vrina.

4 Ratio 2. habetur *ibid*; quia *sicut accidens accidit substantiæ, ita substantia accideret accidẽti, quod improbatur, quia, vt dicitur 1. Phys. t. c. 27; Quod verè est, nulli accidit.* Si ergo ratio analogans reperiretur æqualiter in omnibus analogatis, iam entitas, quæ est in substantia, accideret, & alteri inhæreret, sicut inhæret entitas, quæ est in accidente; quod est contra rationem substantiæ, quæ importat esse per se. Sicut rationalitas, quæ est ratio vniuocãs in Petro, & Paulo, quia in Petro est principium discurrendi, ita & in Paulo. Tum quia si non reperiretur inæqualiter, sed æqualiter, nulla esset ratio, cur potiùs hoc esset principale analogatum, quàm aliud, & sic cur hoc esset minùs principale, non illud; nec cur hoc diceretur per attributionem ad illud, non è contra; quia enim vniuoca habent rationem æqualem, ideo inter ipsa non datur maior, & minor principalitas; nec vnum dicitur per attributionem ad aliud. Nec sufficit ratio causæ, vel effectus ad principalitatem; quia medicina est causa sanitatis, & tamen medicina est analogatum minùs principale; & sanitas est causa vrinæ sanæ, & tamen sanitas est analogatum magis principale; ergo maior, vel minor principalitas promiscuè dicitur de causa, & effectu; & ideo à ratione causæ, vel effectus nequit haberi determinatè principalitas. Tum quia analoga important rationem partim eandem, partim diuersam; si autem esset æqualis in analogatis, iam non haberetur, vnde posset desumi diuersitas; quia vt habetur *in prædicamento Relationis*, æqualitas fundat relationem similitudinis, & idẽtitatis; inæqualitas verò relationem diuersitatis, & dissimilitudinis.

5 Ratio tertij legitur *apud Fundatiss. Doct. 2. de An. t. c. 2. dubit. 2. §. Viso*; vbi ait; *Analogia secundùm causam, & causatum tollit rationem generis; nam licèt animal perfectiùs reperiatur in homine, quàm in leone, homo tamen non est causa, quare animal de leone prædicatur.* Nam cùm analoga denominentur per ordinem ad vnum principale, in quo est forma denominans, analoga minùs principalia, sicut dicunt ordinem ad vnũ principale denominans, ita dicunt ordinem ad esse vnius principalis, quia denominatio sequitur ad esse; & ideo dicunt quodammodò ordinẽ causalitatis. Dixi *quodammodò*; quia licèt risus prati non causetur à risu hominis; attamen risus hominis est ratio, cur risus prædicetur de prato; si enim nõ esset risus in homine, & in nullo alio, nec prata dicerentur ridere; quia non esset, vnde posset trãsferri hoc nomen; & ideo risus hominis est causa, vel *quodammodò* causa risus prati. Hinc *Fundatiss. Doct. 4. Met. q. 3.* ait; quòd homo pictus, & verus dicuntur analogicè, quia homo pictus, seu similitudo, quæ est in homine picto, ducitur ab idæa hominis veri, quæ est in mente Pictoris; & ideo homo verus se habet, vt causa hominis picti; at verò homo viuus, & mortuus dicuntur æquiuocè; nam licèt sint similes in lineamentis, illa tamen lineamenta nõ ducuntur ab homine vero, sed resultant à forma cadauerica, & per consequens, cùm nõ dicant ordinem ad hominem verum, non dicuntur analogicè. Tum quia si analogata nõ dicerent ordinem ad principale analogatum, nulla esset ratio, cur hoc analogaretur, non illud; imò non esset ratio, cur potiùs hic aer, quàm ille diceretur sanus; hæc potio non illa; & sic de singulis; in tantùm enim hæc potio dicitur sana, in quantùm potest causare sanitatem in animali, & ideo quatenus dicit ordinem causalitatis; ergo præciso hoc ordine nulla remaneret ratio, cur potiùs hæc potio emuncta ex herbis salubribus sit sana, quàm alia extorta ex herbis venenosis, & mortiferis.

6 Quòd autem nedum illa, quæ continent solùm causaliter, vel significatiuè rationem analogantem, sed etiam illa, quæ eam continẽt formaliter, dicantur analoga per attributionem ad vnam formam numero existentem in principali analogato, præter loca citata docet *Fundatiss. Doct. in 1. dist. 3. p. 2. princ. 3. art. 3. §. Respondeo*; vbi ait: *Phil. 4. Met. t. c. 2. vult, quòd vnitas entis sit vnitas attributionis, non prædicationis; ita quòd propter entitatem, quæ est in substantia, dicitur accidens ens; non propter entitatem, quæ sit in eo: sicut propter sanitatem, quæ est in animali, dicitur cibus sanus, non propter sanitatem, quæ sit in*

cibo

cibo. Et diſt.14.princ.1. q.2; vbi habet: Licèt reperiantur aliqua analogica, in quibus reperitur natura vna per prius, & poſterius participata; vt in ſubſtantia, & accidente natura entis; quia vnitas analogiæ, non eſt vnitas prædicationis, ſed attributionis; non enim ex eo, quòd reperitur entitas in ſubſtantia, & accidente, dicitur ens analogicè de vtroq; ſed ex eo, quòd reperitur in ſubſtantia ſolùm, ratione cuius accidentia ſunt entia; ideo accidentia non ſunt entia, niſi qui a ſunt entis. Et *diſt. 19.p.2.princ.2.q.2.S. eſt ergo*, vbi ait. *Non dicitur ens de his analogicè, quia nulla entitas ſit in accidente; ſed quia ratio entitatis completè reſernatur in ſubſtantia, diminutè autem in accidente*. Et rationem huius paulò *infra* tradit. *Quia non eſt denominatio abſolutè ab eo, quod eſt ſecundùm quid &c; ſicut accidentia eo, quòd habent incompletam entitatem, abſolutè non dicuntur entia per entitatem, qua ſit in ipſis; ſed per eam, qua eſt in ſubſtantia; vnde non ſunt entia, niſi quia ſunt entis*. Quę ratio ſic efformatur. Denominatio abſolutè, & ſimpliciter ſumitur ab eo, quod eſt abſolutè, & ſimpliciter, non autem ab eo, quod eſt diminutè, & ſecundùm quid, denominatio enim ſumitur ab eſſe; vnde Aethiops, licèt ſit albus ſecundùm quid, idèſt ſecundùm dentes, nõ tamen dicitur abſolutè, & ſimpliciter albus, ſed abſolutè, & ſimpliciter niger, non obſtante albedine ſecundùm quid, quæ, cùm nullo modo cõcurrat ad denominationẽ ſimpliciter, ſe habet tãquam nihil reſpectu illius denominationis, quia illud ſe habet, vt nihil reſpectu alicuius, quod merè negatiuè ſe habet reſpectu illius, nihil enim eſt mera negatio, quapropter lapis dicitur nihil habere de viſione, quia merè negatiuè ſe habet reſpectu viſionis; ſed accidentia ſunt entia ſecũdũ quid, & diminutè, quia ſunt entis entia; ergo dicuntur per attributionem ad entitatem, quæ eſt in ſubſtantia, nõ autem per entitatem, quę eſt in ipſis, & per conſequẽs nedum analogata, quæ continent rationem analogantem cauſaliter, vel ſignificatiuè, dicũtur per ordinem ad vnam formam numero, quæ eſt in principali analogato; ſed etiam analogata, quæ continent rationem analogantem formaliter, dicuntur per attributionem ad eandem formam numero exiſtentem in principali analogato.

7 Supereſt modò videndum de analogia proportionis, & proportionalitatis, de qua agit *Fundatiſs. Doct.7.phyſ.lect.8.* vbi ſup. his verbis. *Proportio eſt duarum quantitatum alterius ad alterã certa habitudo; ex quo apparet, quòd non eſt proportio, niſi inter ea, quæ sũt einſdẽ rationis; numeri enim ad ſuperficiẽ, vel lineæ ad corpus nõ eſt propriè proportio, ſed lineæ ad lineã, ſuperficiei ad ſuperficiẽ poteſt eſſe proportio dupla, vel tripla, vel æqualis, vel aliqua alia ſpecies proportionis. Secundò poteſt reſeruari vnitas, & analogia ſecundùm proportionalitatem; & hac non eſt rerum ad ſe inuicem, ſed per comparationẽ ad aliam, eſt enim proportionalitas, vt tradit Euclides 6. Geomet. quadam ſimilitudo proportionum: quare non eſt inconueniens proportionalitatem reſeruari inter res diuerſorum generum, & inter ea, qua non ſunt einſdem rationis, propter quod licèt non ſit proportio nnmeri ad ſuperficiem, quia non eſt inter ea determinata habitudo; poteſt inter talia eſſe proportionalitas, idèſt ſimilitudo proportionum, quia ſicuti ſe habet vna ſuperficies ad aliam, ita ſe habere poteſt vnus numerus ad alium.*

Ex hac doctrina manifeſtè deducitur, quòd proportio eſt tantùm inter ea, quæ ſunt eiuſdem rationis, & ſpeciei; cùm enim ex Matematica habeamus, quòd proportio propriè loquendo poteſt eſſe æqualis, vel dupla, vel tripla &c; tripla quidem, ſi vna res compararetur ad aliam rem excedentem ſecũdùm duplum, vt v.g. vnus gradus caloris ad tres gradus caloris; dupla, ſi cõparetur ad aliã rem excedentẽ ſecundũ reduplicationẽ, vt v.g. vnus gradus ad duos; & æqualis, ſi reſcindatur exceſſus, vt v.g. à tripla duplũ, remanet vnitas; ſi à dupla reſcindatur vnitas, remanet pariter vnitas; & ſic ſi à tribus gradibus caloris exiſtentis in ligno reſcindantur duo gradus caloris, fit æqualis vni gradui caloris exiſtentis in alio ſubiecto, & fit vera vniuocatio, quia fit æqualitas, & tollitur diuerſitas exiſtens inter illos calores exiſtentes in diuerſis ſubiectis; ſed res, quæ ſpectant ad diuerſas ſpecies, nũquam poſſunt fieri æquales, quia eſſentiæ rerum *ex Phil.* ſunt inæquales in perfectione; ergo propriè loquendo nequit eſſe, niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem rationis. Tum quia ſi proportio poſſet eſſe inter ea, quę ſunt diuerſę rationis, nõ haberetur, per quid diſtingueretur à proportionalitate, & ſic merè nugatoriè replicarẽtur hęc duo nomina, quæ tamen à Matematicis, à quibus inſtitura ſunt, accipiuntur pro diuerſis.

8 Dices. Proportio reperitur v.g. inter numerum binarium, & ſenarium; ſed numeri differunt ſpecie; ergo proportio eſt inter ea, quæ sũt diuerſæ ſpeciei.

Reſp; quòd numerus poteſt conſiderari 2; ſcilicet Phyſicè, & Aritmeticè. Phyſicè importat rem numeratam; Aritmeticè importat numerum numerantem. Diſt. igitur maior. Proportio reperitur inter numerum binarium, & ſenariũ phyſicè acceptũ ſecũdùm rem numeratam, neg; & in hoc ſenſu neg. min; Aritmeticè, conc.

9 Igitur dicendum, quòd analogia propriè dicta poteſt transferri ad proportionem, & proportionalitatem.

1. Pars colligitur *ex Fundatiſs. Doct. in 1. diſt. 12. princip. 2. p.1*; vbi poſtquam oſtendit, quòd illud principium: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; non valet in vniuocis, quia non participant naturam inæqualiter, ſed æqualiter, quapropter non valet: *Ignis genitus eſt calidus propter ignem generantem: ergo ignis generans eſt magis calidus*; concludit illud principium

cipium valere in analogicis; quia analogia essẽtialiter importat inæqualitatem; & in principali analogato importat formam simpliciter, per essentiam, & secundùm totalitatem; at verò in minùs principalibus analogatis importat formam participatiuè, siue secundùm partem, non secundùm totalitatem, *quia participare est idem, ac partem capere*; & illud, quod est tale secundùm partem, est minùs tale, quàm illud, quod est tale secũdùm totum; statim affert exemplum de igne, qui quia est calidus per se primò in genere calidorum, & per suam essentiam, nam calor est proprietas suæ essentiæ; cœtera verò, quia participant calorem ab igne, ideo ignis est magis calidus, & per consequens inæqualiter, quàm cetera calida; ergo secundùm *Fundatiss. Doctorem* calor ignis, & calor ligni dicuntur anologicè; sed hæc analogia est proportionis, *vt sup.* dictum est; ergo iuxta eius mentem datur analogia secundùm proportionem.

Prob. autem ratione. Illa dicuntur analogicè, quæ important rationem inæqualem, & quæ dicuntur per ordinem ad primum analogatum, in quo illa ratio est primò per se, & per essentiam, in ceteris verò per participationem, diminutè, & secundùm quid, *vt sup. diximus*; sed res, quæ dicuntur secundùm proportionem inæqualem, sunt huiusmodi, vt diximus de calore existente in igne secundùm octo gradus, & in ligno secundùm duos, vel quatuor gradus; ergo dicuntur analogicè.

10 Prob. 2. pars. Possunt dari duæ proportiones diuersæ speciei, quarum vna originetur ex altera, in qua ratio analoga sit primò, & principaliter, ac perfectiori modo; in alia verò minùs principaliter, diminutè, & secundùm quid, vt v.g. *Sicut Sol, qui est lucidus, vt octo, illuminat aerem, vt quatuor; ita aer, qui est lucidus, vt quatuor, potest illuminare aulam, vt duo*; constat enim, quòd lux in lampade est participatiuè à Sole, qui est fons totius lucis, & in Sole est per essentiam; sed comparatio plurium rerum secundùm inæqualitatem modo dicto est vera analogia; ergo potest dari analogia secundùm proportionalitatem. Quòd si comparatio fiat inter duas proportiones specie diuersas, quarum vna non dicat ordinem ad aliam, nec inæqualitatem, tunc est comparatio merè æquiuoca, non analoga.

11 Ex his deducitur 1; quantùm hallucinentur diuidentes analogiam attributionis, & proportionalitatis, seu proportionis; patet enim, quòd omnis analogia vel importat essentialiter inæqualitatem rationis analogantis, quæ necessariò debet esse in primo analogato simpliciter, absolutè, per essentiam, perfectiori, & altiori modo; & in minùs principalibus analogatis diminutè, secundùm quid, & imperfectiori modo; & cùm ea, quæ sunt diminutè, & secundùm quid talia, non denominentur nisi per ordinẽ, & per attributionem ad id, quod est simpliciter tale, vt semper constantissimè repetit *Fundatiss. Doct.*; patet, inquam, quòd omnis analogia, quæcunque illa sit, debet esse attributionis; quapropter ait *Fundatiss. Doct. de Esse, & Essentia q. 1. Semper vnitas analogi est vnitas attributionis ita, quod nunquam analogum, secundùm quod huiusmodi, dicetur de aliquibus duobus, quin vnum attribuatur alteri, vel ambo attribuantur tertio; & qui hoc nescit, naturam anologiæ ignorat.* Si autem analogia diuideretur in attributionem, proportionalitatem, & proportionẽ, cùm membra diuidentia sese inuicem excludant, vt constat *ex regulis bonæ diuisionis*, sequeretur dari analogiam, quæ non esset attributionis, & per consequens esset sine sua essentia, siue sine suo conceptu formali, quod est ridiculum. Attributio ergo est quid cõmune omnibus speciebus analogiæ, imò est ipsa analogia, *vt sic*.

12 Igitur diuidenda est analogia in analogiam attributionis per continentiam formalem rationis analogantis solùm in principali analogato, & causaliter, vel significatiuè in minùs principalibus analogatis, vt sanitas respectu animalis, medicinæ, & aliorum; & in analogiam attributionis per continentiã formalem in omnibus analogatis inæqualiter tamen; vt ens respectu substantiæ, & accidentis; & in analogiam attributionis secundùm proportionem inæqualem; vt calor respectu ignis, & ligni calefacti; & in analogiam attributionis secũdùm proportionalitatem inæqualem; vt lux respectu Solis, aeris, & aulæ.

13 Nec contradicimus iis, quæ scripsimus *To. 1. de Verit. Dei art. 7. n. 1*; tunc enim obiter scribebamus de hac re; quia non erat quæstio, *an Veritas dicatur analogicè de Deo, & creaturis*; Sed *an Deus sit prima veritas*? Quapropter non erat necesse explicare omnes species analogiæ; quod in hunc locum, tanquam in propriam sedem seruauimus. Attulimus ergo tantùm primam speciem analogiæ, & secundam, quæ potest fundare proportionalitatem, quæ est quarta species, vt dicemus *in cõcl.*; referre n. illo in loco omnia hæc erat opprimere quæstione quæstionẽ. Ideo diuisimus analogiã secundũ sensũ aliorum, dicentes; *vt traditur in Logica*; sic enim solet explicari à pluribus, vt *à nostro Lasosse vbi sup. §. 1*; quamuis tunc in illa diuisione analogiæ intelligeremus nomine *analogiæ attributionis* analogiam attributionis per continentiam formalem, quæ potest fundare proportionalitatem; sicut etiam intelleximus *de Simplicit. Dei art. 8. n. 10*; vbi fundamentum conclusionis inferiùs ponendæ explicuimus. Inadæquatè igitur diuisionem innuimus, sicut insinuat *Fundatiss. Doct. loc. ibid. cit. de Verit.*

14 Hallucinantur 2; qui dicunt inter Deũ, & creaturas dari analogiam proportionis, inter quos *noster Lasosse vbi sup.* Deus enim nequit esse

esse eiusdem speciei cum creatura;per quod patet, quàm longè erret *iste eruditissimus Auctor* à mente nostri Doctoris. His declaratis.

15 Vnica concl.Omnia nomina,quę dicuntur de Deo, & creaturis, dicuntur analogicè analogia attributionis per continentiam formalem rationis analogantis in omnibus analogatis; quæ analogia potest etiam fundare analogiam proportionalitatis aliquo modo, non tamen verè, & propriè.

Prob. 1. pars concl. ratione *Doctoris* allata *de Simplic. Dei art.8. nu.*10; quam vbiq;constanter prosequitur, & præsertim *locis cit. n.6.* Ex *sacra Scriptura* habetur, quòd creatura comparata ad Deū est tanquā nihilū; vt diximus *vbi sup;* hinc *Beatiss.P.Aug.lib.7.confess. c.11.*ait: *Et inspexi cetera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse. Esse quidem, quoniam abs te sunt; non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt; Id enim verè est, quod incommutabiliter manet;* ergo Deus, & creatura nequeunt dici vniuocè, sed analogicè analogia attributionis per continentiam formalem rationis analogantis in omnibus analogatis.Prob.con.Illud,quod denominatur formaliter per ordinem ad aliud, in quo est ratio analogans simpliciter, & per essentiam, & habet in se ipso formaliter eādem rationem diminutè, & secundum quid, analogatur ad illud analogia propriæ attributionis per continentiam formalem; sed creatura est huiusmodi, quia habet in se entitatem formaliter diminutam, aliter si nullam haberet in se entitatem,*omnino non esset formaliter;* & si haberet entitatem simpliciter, *omnino esset;* idem enim sonat *omnino*, ac *simpliciter;* ergo creatura analogicè per attributionem formalem dicitur de Deo. Maior patet; quia illud dicitur analogum analogia attributionis, cui tribuitur aliquod nomen per ordinem ad formam existentem in principali analogato, non per ordinem ad formam existētem in se ipso; vt patet de hoc nomine,*sanus*, quod tribuitur aeri per ordinem ad sanitatem, quæ est in animali, non per ordinem ad sanitatem, quæ sit in ipso aere; sed ei, quod habet formam diminutè, & secundùm quid, tribuitur nomen per ordinem ad formam existentem in principali analogato, in quo est simpliciter,& per essētiam; denominatio enim, vt docet *Fundatiss.Doct. vbi sup;* sumitur à nobiliori, & perfectiori, quod est simpliciter, absolutè, & per essentiam; non autem ab imperfectiori, & viliori, quod est secundùm quid, & diminutè,vt diximus *de albedine in AEthiope;* ergo illud,quod denominatur per ordinem ad aliud, in quo est ratio analogans simpliciter, & per essentiam, & aliunde habet in se eādem rationem diminutè,& secundùm quid,est analogum attributionis per continentiam formalem.Prob.min. Esse creaturarum (siue sit esse entis, siue substantiæ, siue esse viuentis, siue esse intellectuale; siue esse bonitatis, sapientiæ &c.) dicit aliquod limitatum ad vnicum esse indiuiduale, quod fundat negationem infinitorum esse indiuidualium,quæ sūt possibilia; esse autem Dei est omne esse, quia est infinitum esse, ideo est infinita esse; sed esse limitatum ad vnicam singularitatem indiuisibilem est minimum esse; sicut punctus est quid minimum in linea, quia est limitatus ad indiuisibilitatem; imò tale esse limitatum comparatum ad omne esse est nihil, quia negat omne esse, & per consequens infinita esse, quæ sunt in omni esse;quod autem negat omne esse, & infinita esse,est nihil;nihilū .n. est *negatio omnis esse;* & est extra infinitum, quia extra infinitum nihil est; vnde creaturæ dicuntur *non esse, quia id, quod est Deus, non sunt;* quapropter dicitur,quòd creatura respectu Dei se habet,sicut punctus respectu lineæ infinitæ;punctus autē nihil addit lineæ, ideo extra lineam nihil est; ergo creatura nequit denominari esse per entitatem, quam habet in se, quæ comparatiuè ad Deum, diminuta, & minima est, ac quasi nihil, sed per entitatem existentem in Deo, quæ est omne esse denominans quodcunque ens.

Conf.Analoga importāt formaliter rationem partim eandem, partim diuersam, seu partim similem, partim dissimilem; sed dissimilitudo, & diuersitas fundatur in inæqualitate, sicut similitudo, & identitas fundantur in æqualitate;ergo analoga important formaliter rationem partim æqualem, partim inæqualem; sed quod importat rationem partim æqualem, partim inæqualem, absolutè est inæquale, vt v. g. semilinea, quia importat longitudinē partim æqualem lineæ,& partim inæqualē; adæquatur enim medietati lineæ, & non adæquatur alteri medietati, absolutè dicitur inęqualis lineæ; ergo analoga absolutè important inæqualitatem formaliter; atqui ratio significata per nomen existens in creatura est inæqualis rationi,quę est in Deo, quia illa est diminuta, & solùm secundùm vnicum esse indiuiduale; ista verò est secundùm totalitatem, seu secundùm omne esse; v.g. sapientia in creatura est hæc numero sapientia, non autem omnis sapientia; in Deo autem est omnis sapientia; ideo sapientia in creatura est solùm secundùm partem, quia partitur in creaturas secundùm diuersa esse indiuidualia; in Deo autem est secundùm totalitatem, & plenitudinem omnis esse,quapropter in Deo vocatur *Supersapientia;* ergo ratio importata per nomen commune Deo, & creaturis analogicè dicitur analogia attributionis ad primū analogans per continentiam formalem in omnibus analogatis; illud enim, quod est secundùm quid,dicitur per attributionem ad id, quod est simpliciter, vt superiùs habitum est.

16 Prob. 2. pars concl. Proportionalitas, *vt sup.* dictum est *ex Euclide*,est similitudo duarum proportionum specie differentium; sed inter

ter Deum,& creaturas datur diuersitas nedum specifica,sed etiam generica prædicamentalis,& analogica, quæ est superior ad prædicamentale; ergo analogia, quæ reperitur inter Deum, & creaturas, potest fundare aliquo modo proportionalitatem; vt *v.g.* dicendo: *Sicut substantia creata dicitur per attributionẽ ad substantiã Diuinam, tanquam ad primum analogatum; ita accidens dicitur per attributionem ad substantiam creatam,tanquam ad primum analogatum*.

17 Hæc tamen nõ est verè,& propriè proportionalitas; quia proportionalitas est inter duas proportiones,quæ sunt eiusdem speciei;vt *sup.*diximus; sicut autem substantia creata non proportionatur substantiæ Diuinæ, quia non sunt eiusdem speciei, ita nec accidens proportionatur substantiæ creatæ,à qua differt genere.

18 Obijc. 1. *ex nostro Greg. vbi s.* Omne, quod prædicatur *in quid* de aliquo pronomine demoustrante rem aliquam, & de pronomine demonstrante aliam rem specie distinctam,nec tamen prædicatur de quolibet,vt Ens,est in genere; sed quod est in genere, est vniuocum; ergo omne, quod prædicatur *in quid* de aliquo pronomine demonstrāte aliquam rem,& de pronomine demõstrante aliam rem specie distinctam, nec tamen prædicatur de quolibet,vt Ens,quod secundùm aliquos prædicatur *in quid* de quolibet, & tamen non est in genere, est vniuocum; arqui hoc nomen *Spiritus* prædicatur de Deo, & creatura *in quid*; ergo hoc nomen est vniuocum Deo,& creaturis. Maior patet; quia genus est *illud, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*; vt patet de animali respectu hominis, & equi; & de colore respectu albedinis, & nigredinis. Min.conc. à nobis; & min. subsumpta constat ex eo, quòd *Spiritus* est prædicatum substantiale, quod non potest prædicari, nisi *in quid*.

Resp. Dist. ma. Si prędicetur æqualiter, conc; si inæqualiter, neg. Et sic dicitur ad mi. subsumptam, quòd hoc nomen *Spiritus* prædicatur de Deo secundùm totalitatem, & secundùm omne esse spirituale; de creatura verò secundùm partem, & secundùm vnicum tantùm esse indiuiduale; & ideo non est vniuocum. Propter quod est disparitas de animali, quod participatur æqualiter ab homine, & leone; ac de calore, qui participatur æqualiter ab albedine,& nigredine.

19 Sed contra instat *Greg.* Participari inæqualiter, & non secũdùm eandem rationem vel dicit non participari secundùm eandem rationẽ specialissimã;vel non participari secundùm eandem rationem genericam,& communem? Non primum; quia animal nõ participatur secundùm eãdam rationem specialissimam; nam ratio specialissima est ratio differentialis; rationes autem differẽtiales cõtrahentes animal sũt diuersæ, & tamen nõ tollitur,quin animal sit vniuocũ. Nec secundùm; quia ratio communis, quam importat hoc nomen *spiritus*, æqualiter descendit in Deum,& creaturam;eadem enim definitio *spiritus* communiter sumpti conuenit Deo, & creaturæ; ergo æqualiter participatur; quia illa æqualiter participantur, quæ prædicãtur secundùm eandem definitionem.

Resp.participari inæqualiter,quia nõ participantur secundùm eandem rationem genericam,seu communem; Deus enim capit omnem rationem *Spiritus,vt sic*; creatura verò capit solùm aliquam partem *Spiritus*; sicut si homo caperet in se ipso omnem animalitatem,& leo solùm aliquam partem animalitatis; animalitas, *vt sic*, non descenderet æqualiter in hominem, & leonem; quia in hominem descenderet secũdùm totalitatem; in leonem verò solùm secundùm partem, quæ pars esset etiam in homine alio modo,quia in homine esset animalitas secũdùm suam totalitatem; & sic animal non esset vniuocum, sed analogum. Animalitas ergo, *vt sic*, non debet cogitari, vt indiuisibilis; quia sic esset athoma, nec posset diuidi in species; sicut dicimus de qualiber differentia vltima; sed debet cogitari,vt diuisibilis in suas differẽtias,quarum quælibet capit solùm partem animalitatis, non totam; pars enim animalitatis, quæ est in leone,non est in homine;aliter si caperet totam, animal non diuideretur, quia diuisio essentialiter est in partes; hoc autem est contra *omnes Philosophos* asserẽtes animal diuidi in rationale,& irrationale. Ad improb.neg;quòd *Spiritus* æqualiter descẽdat in Deum,& creaturas; aliter sicut creatura capit solùm rationem spiritus veluti partialiter; non enim est omnis spiritus; sic Deus non haberet, nisi vnam rationem spiritus, nec esset omnis spiritus. Sic etiam falsum est eandem definitionem spiritus conuenire Deo, cui cõuenit definitio importans omnem rationẽ Spiritus;creaturæ verò definitio importans vnã tantùm rationem spiritus; quapropter Scientia Dei,vt habetur *ex D.Dion.infra cit.de Scien.Dei q.1. art. 1;* definitur *Superscientia*. Prærerquaquod nulla definitio competit Deo, quia est infinitus; vt *alibi*.

20 Obijc. 2. *ex eodem. Arist.12. Met. t.c.2.* agens de prædicamento substantiæ, prout contradistinguitur à ceteris prædicamentis, distinguit ipsum in substantiam sensibilem, insensibilem,conceptibilem;& postquam egit de substãtia sensibili, tractat de insensibili, abstracta, & tandem concludit inter substantias insensibiles dari substantiam primam, & nobilissimam, quæ est finis,& perfectio ceterarum,& totius vniuersi, quam nos Deum appellamus; ergo *ex Phil.* substantia Diuina est species contenta in prædicamento substantiæ, & per consequens substantia, *vt sic*, vniuocè dicitur de Substantia Dei,& creaturæ.

Resp.*Phil. ibid.* agere de speciebus substã-

tiæ

tiæ vniuocè dictis, & de prima substātia, quæ est primum efficiens, & finis omnium illarū; & ideo quæ non nisi analogicè dicitur iuxta ipsius doctrinam *superiùs* traditam de substantia, & accidēte. Nec ex eo, quòd agat in eodem loco etiā de Substātia Dei, arguitur, quòd illam ponat in prædicamento substantiæ, sed supra; sicuti ex eo, quòd 8. *Phys.* agat de primo Motore, arguitur, quòd ipsum ponat sub genere *mobilis, vt sic*, de quo agit *in octo libris Physicorum*; quia primum Motorem *ibid.* probat immobilem, & supra motum: Agit ergo vtrobique, non tanquam de aliquo formaliter contento, sed tanquam de causa efficiente extrinseca motui, & prædicamento.

21 Obijc. 3. Animalitas non participatur æqualiter ab homine, & equo; nam ab homine participatur perfectiori modo, quia participatur spirituali ori modo, & ab equo modo imperfectiori, quia participatur modo sensibili, & tamen animalitas vniuocè dicitur de homine, & equo; ergo licèt substantia sit inæqualiter in Deo, & creaturis, attamē nō tollitur vniuocatio.

Resp. *ex Fundatiss. Doct. vbi sup. n.* 5; quòd nō quæcunque inæqualitas, sed illa solùm, quæ in vno totalitatē, & in alio dicit partibilitatē, facit analogiam, & tollit vniuocationem; vnde quia in homine est tantùm pars animalitatis, nō enim in ipso est animalitas equi, leonis &c; & animalitas equi non descendit, aut causatur ab animalitate hominis, ideo non dicitur analogicè. Dist. ergo ant. Est perfectiori modo ratione differentiæ, à qua sumitur æquiuocatio, & ideo dicit *Phil. in generibus latere æquiuocationes*, conc; ratione sui, neg; nam ratione sui æqualiter est vnū partiale principium sentiendi in homine, ac in equo. Illa igitur inæqualitas est omnino extranea, & per accidens, quia sumitur à differentia, quæ est extra rationem generis, esset autem intranea, & per se, si in homine esset duplex, vel triplex, vel omnis animalitas; & in equo vna tantùm; ac propterea illa non tollit, sicut tolleret ista vniuocationem.

Ceteræ obiectiones, & earum solutiones *vid. To. 1. de Simplic. Dei art.* 8; *&* 9.

ART. V.

An Ineffabilitas sit Attributum Dei?

1 NOn loquimur de Ineffabilitate, prout negat impositionem nominis comprehensiuè significantis Diuinam Essentiam; hęc enim ineffabilitas non est Deo propria, vt diximus *art.* 1. *n.* 8. Sed sermo est de Ineffabilitate quiditatiua, prout negat impositionem nominis quiditatiuè significantis Deum; & quærimus, an esse quiditatiuè ineffabilem sit proprium Deo ita, vt nulli creaturæ possit competere?

Hæc difficultas parua est, & ferè ab omnibus neglecta, quanquam enim *Gabr. exc alc. hic disp.* 13. *dub.* 2. referat aliquos suppresso nomine, qui eam negatiuè tuentur, nullum tamen in

suis terminis ipsam agitantem inspicere potuimus. Itaque citò expedienda, vt ad alia maioris litigij progrediamur.

2 Not; quòd quia Ineffabilitas consequitur ad inuisibilitatem, & cum illa commensuratur; vt diximus *art.* 1; sicut Deus dicitur inuisibilis solùm respectu creaturæ naturalis, non autem respectu sui ipsius, vel creaturæ supernaturalizatæ per lumen gloriæ; clarè etenim videtur nedum à se ipso, sed etiam à Beatis; ita dicitur ineffabilis solùm respectu creaturæ in puris naturalibus cōstitutæ. Quanquam autem detur aliqua creatura vel in ordine naturali, quæ est inuisibilis secūdùm quid respectu alterius creaturæ inferioris, vt Angelus respectu hominis viatoris; attamen non est inuisibilis simpliciter, quia à se ipso videtur, & à quolibet alio Angelo. Ita dicēdum de Ineffabilitate, quę licèt secundùm quid possit competere Angelo, qui à nobis non est quiditatiuè nominabilis, sicut nō est quiditatiuè agnoscibilis, attamen simpliciter nequit ei competere, quia naturaliter est nominabilis à se ipso, & ab alio Angelo quiditatiuè eum vidente. Vel in ordine supernaturali, vt est gratia, Incarnatio, & quodlibet aliud supernaturale; attamē quia dona supernaturalia sunt tantùm participatiuè talia, non autem per essentiam, ideo quāuis eis communicetur aliquod, quod est propriū Dei, nihilominùs non tollitur, quin illud, quod participatur, sit proprium solius Dei per essentiam, vt diximus *To.* 1. *de Inuisib. q.* 1. *art.* 4. *§.* 1. Inquirimus itaque, an esse per essentiam ineffabile simpliciter respectu omnis creaturæ naturalis sit Attributum proprium ipsius Dei?

Recolenda sunt, quæ diximus *To.* 1. *de Infinit. Dei art.* 2; *&* *de Immens. art.* 1; *&* *de Immutab. art.* 2; *&* *de Aetern. art.* 3. Præterea videndæ sunt conditiones requisitæ ad rationem formalem attributi expositæ à nobis *de Attr. in com. q.* 1. *art.* 3; quibus not.

3 Vnica concl. Ineffabilitas per essentiam est Attributum propriū Dei. Prob. 1. *ex ps.* 135. *Non est similis tibi in Dijs Domine*. Super quod *Beatiss. P. Aug.* ait: *Quodlibet aliud cogitet homo, non est simile, quod factum est, illi, qui fecit. Excepto Deo, quidquid aliud est in natura rerū, factum est à Deo. Quantùm interest inter eum, qui fecit, & illud, quod factum est, quis dignè cogitet? Iste ergo dixit: Non est similis tibi in Dijs Domine. Quantùm autem sit dissimilis Deus, non dixit, quia dici non potest. Intēdat charitas vestra; Deus ineffabilis est. Faciliùs dicimus, quid non sit, quàm quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus. Mare cogitas, non est hoc Deus.* Et enumeratis sic omnibus creaturis, subdit: *Quid quæris, vt ascendat in linguam, quod in cor non ascendit.* Quibus concordans *Fundatiss. B. Doct. Aeg. in* 1. *dist.* 22. *q.* 1; postquam *ex D. Dion.* enumerauit omnes cognitiones naturales claras, quibus clarè, & quiditatiuè possunt cognosci omnes creaturæ; &

per conſequens quiditatiuè nominari, concludit Deum eſſe quiditatiuè innominabilem. Ex quo ſic arguitur. Ineffabilitas Dei per eſsētiam conſequitur ad eius incognoſcibilitatem, cum qua commenſuratur; ſicut enim incognoſcibilitas Dei nil aliud eſt, quàm quiditatiua ſumma eius cognoſcibilitas excedens cognitionē claram naturalem vniuſcuiuſque creaturæ; & ſicut cognoſcibilitas non eſt niſi exprimibilitas quiditatiua per cognitionem; ita Ineffabilitas nihil aliud eſt, quàm eius quiditatiua nominabilitas ſuperans ſignificationem claram cuiuſcunque creaturæ; & nominabilitas non eſt niſi exprimibilitas quiditatiua per vocem externam; ſed incognoſcibilitas, quæ idem eſt, ac inuiſibilitas eſt Attributum Dei, incognoſcibilitas enim Dei importat cognoſcibilitatem quiditatiuā ſuperātem cognitionem naturalem cuiuſcunque creaturæ, quæ cognoſcibilitas poteſt attingi à creatura per lumen gloriæ, per quod Deus à creatura poteſt quiditatiuè cognoſci; & cognoſcibilitas quiditatiua, quæ poteſt per lumen gloriæ attingi à creatura, eſt ſcibilitas Dei, quæ eſt attributum; non enim eſt intelligibilitas eſſentialis ſimpliciter in omni genere, quæ eſt conſtitutiua Eſſentiæ Diuinæ, vt diximus *To. 1. de Subſt. Dei q. 2. art. 5; 6; & 7*; hæc enim eſt obiectum ſolius cognitionis comprehenſiuę, quę eſt propria ſolius Dei; ergo Ineffabilitas Dei per Eſſentiam eſt attributum proprium ipſius Dei.

4 Prob. 2. Attributum Dei eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, poſitiua, abſoluta, propria ſolius Dei, adueniens Diuinæ Eſſentię iam completæ in ſua linea, vt diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 1. art. 3*; ſed Ineffabilitas Dei eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia cùm ſit ſupra omnem creaturā, nullam inuoluit imperfectionem, quæ eſt propria ſolius creaturæ; eſt poſitiua; licèt enim quantùm ad modum ſignificandi exprimat negationem, ſicut inuiſibilitas, & infinitas, attamen quoad rem ſignificatam eſt poſitiua, quia importat nominabilitatē quiditatiuam ſuperātem expreſſionem naturalem omnis creaturæ; eſt abſoluta, quia conuenit omnibus tribus Perſonis Diuinis; eſt Deo propria, vt *ſup.* diximus *n. 1*; tandem aduenit Diuinæ Eſſentiæ iam conſtitutæ in ſua linea; quia aduenit poſt ſcibilitatem, quæ ſupponit Eſſentiam plenè conſtitutam; ergo eſt attributum Dei.

5 Obijc. 1. Ineffabilitas congruit etiā creaturę. 2. Importat meram negationem; ergo non eſt attributum proprium ipſius Dei.

Reſp. hæc omnia ſolui ex dictis *n. 1*. Igitur ad 1. diſt. Ineffabilitas ſimpliciter, & per Eſſentiam, neg; ſecundùm quid, & per participationē, conc. Ad 2. diſt. Importat negationem quoad modum ſignificandi, conc; quoad rem ſignificatam, negatur.

Ceteræ obiectiones ſoluuntur locis cit.

ART. VI.

Aſſertur adæquata diuiſio Nominum Dei.

1 Circa Diuiſionem nominum Dei videntur diuerſè opinari *SS. PP*; vt patet *apud Mag. sēt. in 1 it*; nā *D. Ambr.* diuidit nomina Dei in tria genera, ſcilicet in ea, quæ dicunt eſſentiæ vnitatem, vel diſtinctionem Perſonarum, vel tranſlationem. *Beatiſs. P. 5. & 6. de Trin*; diuidit in quatuor genera; nam vel dicuntur priuatiuè, vt ingenitus, inuaſcibilis; vel poſitiuè, & ſic tripliciter; nam vel ſunt abſoluta, vt magnitudo, Diuinitas &c; vel relatiua, vt paternitas, filiatio; vel per ſimilitudinem, vt ſitus, habitus, tempus &c. *D. Damaſc.* diuidit in ſex genera; vt patet *ex lib. 1. c. 12, & 13*; nam vel dicuntur per remotionem, vt immortale; vel indicant quoddam pelagus infinitum, vt eſſe, vel indicant aliquod circa ſubſtantiam, vt bonum, iuſtum; vel dicunt actionem, vt Deus, qui dicitur *à Thein*, quod eſt curare, vel fouere; vel *ab Aethin*, quod eſt ardere; vel *à Theaſte*, quod eſt conſiderare; vel important quandam habitudinem, ſeu reſpectum ad creaturas, vt Dominus, Creator; vel tandem dicuntur per comparationem ad ipſas Perſonas, vt generans, genitum, & procedens. *D. Dion.* verò videtur magis difformiter loqui; nam aliquando vocat Deum innominabilem, vt *3. de Diuin. Nomin*; aliquando dicit eſſe infinitorū Nominum, vt *c. penul*; aliquando ait tripliciter nominari, ſcilicet, per remotionem, per cauſalitatem, & per ſuperexcellentiam. Igitur, vt concordentur *SS. PP.* circa hanc rem, inſtituit *Fundatiſs. Doct.* præſens quæſitum; pro quo.

2 Notat *B. Doct*; quòd diuiſio alia eſt generis in ſpecies ſubalternas, vt cùm diuiditur ſubſtantia in ſpiritualem, & corpoream; ſpiritus enim continet ſub ſe plures ſpecies, quia omnes Angeli differunt ſpecie; & ita dicendum de corpore. Alia eſt diuiſio generis in ſpecies athomas; vt cùm diuiditur animal in rationale, equinum, caninum, &c. Et vtraque diuiſio eſt adæquata; quia vtraq; continet ſub membris diuidentibus omnes ſpecies; licèt prima eas contineat potentialiter virtualiter, quia ſpecies ſubalterna, cùm ſit genus, & genus contineat ſuas ſpecies potentialiter virtualiter, ad modū generis eas continet; Secunda verò illas continet actualiter formaliter diſtinctè. Quamobrem *SS. PP.* non pugnant inter ſe in diuiſione nominum Dei; quia *S. Ambr.* aſſignat tantùm tria genera generaliſſima; *Beatiſs. P. Aug.* vltra illa genera procedit ad diuiſionem vnius ex illis, nempe *notionalis*, in poſitiuum, & negatiuum; *D. Damaſc.* verò relicto notionali diuidit eſſentiale in quinque membra, vt diximus. Tandem *D. Dion.* aliquando vocat Deum innominabilem quoad modum ſignificandi, quem habent talia nomina in creaturis; qui modus ſignificandi, vtpotè proprius creaturæ, dicit imperfectionem, & ideo

Deo

Deo incongruit; aliquando vocat infinitorum nominum eò, quòd infinitæ perfectiones indiuiduales, quæ sunt in creaturis, & explicantur per nomina, reperiuntur in Deo eminenter virtualiter; & denique assignat solùm diuisionem nominum essentialium, relicto nomine notionali. Apparet ergo, quòd omnes allatæ diuisiones sint sufficientes in suo genere, & non discordent ad inuicem, nisi secundùm rationem genericam, & specificam. Vt autem clariùs hoc percipiatur, affert *Fundatiss. Doct.* diuisionem sequentem.

3 Vnica concl. Nomina Dei adæquatè, & sufficientissimè sic diuiduntur.

4 Nomina, quæ dicuntur de Deo, vel dicuntur essentialiter, vt Deus, bonus; vel notionaliter, vt Pater; nam vel dicuntur de omnibus Personis Diuinis, vel de aliqua tantùm.

5 Nomina, quæ dicuntur essentialiter, vel important respectum causalitatis per comparationem ad actionem, aut ad rem productam, vt Dominus, creator; vel important aliquam rationem existentem in creaturis, vt bonus, sapiens.

6 Nomina, quæ significant aliquam rationem existentem in creaturis, vel significant aliquam perfectionem, vt bonus; vel significant imperfectionem, quæ est in creatura, vt incorporeum, increatum, & sic dicuntur per remotionē; & ita possunt etiam accipi ea, quæ dicuntur secundùm causalitatem, vt Deus dicitur iratus, quia causat eosdem effectus, quos causaret, si esset iratus formaliter.

7 Nomina, quæ significant perfectionem, vel important perfectionem simpliciter simplicem, vt bonus, sapiens, & hæc dicuntur formaliter; vel perfectionem simplicem cum admixtione imperfectionis; vt leo, agnus, & hæc dicuntur per translationem.

8 Nomina, quæ important perfectionem simpliciter simplicem, vel sumuntur secundùm causalitatem, vt Deus dicitur magnus, quia magna facit; vel sumuntur per superexcellentiam, vt superscientia, omnipotentia.

9 Nomina, quæ important perfectionem simpliciter simplicem, vel significant aliquod prædicatum constitutiuum substantiæ Diuinæ; & sic dicunt pelagus infinitum Diuinæ substantiæ, quia ab ipsis oriuntur omnia prædicata attributalia, vt existentia, quæ contrario modo est in Deo, & in creaturis; quia in Deo dicit ipsam substantiam, quæ formalissimè est suum esse; in creaturis verò dicit aliquid circa substantiam, quia aduenit ipsi substantiæ. Vel significant aliquod prædicatum, quod concipitur aduenire substantiæ Diuinæ, & huiusmodi sunt omnia attributa Diuina.

10 Explicatis diuisionibus nominum, quæ dicuntur de Deo *essentialiter*, procedit *B. Doctor* ad explicandas diuisiones alterius membri, scilicet nominum, quæ dicuntur *notionaliter*.

11 Nomina notionalia, quę conueniunt nō Essentiæ, sed Personis Diuinis, vel dicuntur de Deo ex tempore, vt missus temporaliter; vel ab æterno, vt Pater.

12 Nomina notionalia, quæ dicuntur ex tempore, vel ex se ipsis important aliquam relationem rationis, vt missus; vel solùm dicunt relationem implicitè, vt Incarnatio, quę rationem vnionis implicat relationem.

13 Nomina notionalia, quæ conueniunt Deo ab ęterno, vel dicuntur priuatiuè, seu per modum negationis, vt ingenitus, innascibilis; vel positiuè, vt Pater.

14 Nomina notionalia, quæ dicuntur positiuè, vel non important notionem simpliciter, vt posse spirare; vel important notionem simpliciter, vt spirator.

15 Nomina, quę important notionem simpliciter, vel significant per modum collectionis, vt Trinitas; vel dicunt notionem sub esse communi, vt *relatio, relatiuum, Persona, hypostasis*; vel dicunt relationem in speciali, vt *Pater, Filius, Spirator, & Spiritus Sanctus*; de quibus agemus *in Tract. de Trin.*

16 Sed vltra ista nomina non est assignabile aliud nomen, quod reduci non possit ad aliquam ex his diuisionibus; ergo diuisio Nominum Dei allata ex *SS. PP. à B. Doct.* est adæquata, & sufficit.

DE VITA DEI.

DEum summè viuere documentum Fidei est, & Naturæ; illa *Io. 1. in ipso vita erat*; hæc 12. *Met. Primum mouens est primum Viuens*: quia Vita consistit in motu, quo se ipsum quisque intelligendo, & volendo comprehendit. Cùm igitur intelligere, & velle Deo maximè, & principaliter competant, ideo ei maximè conuenit Vita simpliciter indeficiens, quia semper oriens, nunquam occidens; quam tempora non diminuunt, quia æternitate firmatur; non consumunt ætates, quia semper in ipsius ortus cunabulis sine detrimento antiquitatis enascitur. Cui si nostrum viuere comparetur, mori potiùs dicendum est, cùm continuò à vita deficiat; nec verè viuere possumus, nisi cùm in illo viuemus, & erimus. De hac igitur Vita, quæ nunquam abbreuiatur, breuiter dicemus; quia nulla circa illam difficultas inualuit.

Rectè autem postquam egimus de Ineffabilitate, & antequam agamus de scientia, de Vita agendum est, quia cùm ineffabilitas sit obiectum solius intellectus Diuini, qui solùm potest simpliciter

plicitèr effari se ipsum;& Vita in operatione actuali consistat, quæ se habet, vt quid commune ad intellectionem, & volitionem; ideo recta methodo hic agimus de Vita; cùm agere debeamus semper à communibus ad specialia.

QVÆST. VNICA.

De Vita Dei Attributali.

Diximus *To.1.de Subst.Dei art.2.* Vitam sumi pro principio actionis immanentis, & pro ipsamet actione;& statuimus Vitam sumptam pro principio intellectionis essentialis virtualiter cum illa identificato,& pro principio volitionis virtualiter ab illa distincto esse prædicatum essentiale constitutiuum Dei. Modò quærimus;an Vita sumpta pro actuali intellectione attributali, & pro volitione sit attributum ipsius?

ART. VNICVS.

An in Deo sit Vita attributalis; vbi alia?

1 Ex dictis *To.1.vbi s.* patet Vitam dici solùm de eo, quod habet principium se mouendi ab intrinseco vel motu proprio, vt constat de Vita vegetatiua, sensitiua,& locomotiua; vel motu sumpto pro tendentia, qua quis tendit in se ipsum conuertendo se supra se; vt in operatione intellectiua, & volitiua, qua quis intelligit, & amat se ipsum. Constat etiam nos *hic* loqui solùm de Vita intellectuali, quæ est perfectissima Vita; & quæ formaliter est in Deo; & ideo ex hoc potest illi competere esse attributum; non de vegetatiua, & sensitiua; quæ, cùm importent formaliter imperfectionem, formaliter esse nequeunt in Deo; & ideo nec esse illius attributa. Tandem constat nos loqui de Vita, quæ consistit in operatione attributali intellectus, quæ est *intellectus principiorum, Scientia, Sapientia, Prouidentia, & Ars*; de quibus agemus in *seq.Tract.q.1.art.1.§.2*; & in operatione voluntatis: hæc enim solùm sunt attributa, vt videbimus *infra*.

2 Vnica concl. In Deo est Vita attributalis, & in illa viuunt omnes creaturæ etiā inanimes.

Prob. 1. *Io.1.* habetur. *In ipso Vita erat*; super quod *Beatiss.P.Tract.1.in Io.* ait: *Quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides? Est in Arte terra. Cælum vides? Est in Arte Cælum. Solē, & Lunam vides? Sunt & ista in Arte; sed foris corpora sunt; in Arte vita sunt*; ex quo sic arguitur. Omnes creaturæ viuunt in Arte, per quam factæ sunt; ergo Ars, per quam factæ sunt, Vita est; nam solùm per Vitam viuere possumus; sicut solùm per esse sumus; sed Ars est Attributum Dei; vt dicemus *in seq.Tract.q.1.art.1.§.2*; ergo in Deo datur Vita attributalis, & in illa viuunt omnes creaturæ etiam inanimes.

Conf. Vita, qua in Deo viuunt creaturæ, nequit esse Vita essentialis; quia ipsæ non sunt immediatè in intelligere essentiali, sed in attributali, vt ostendimus *To.1.de Emin.art.3*; ergo in Deo datur Vita attributalis, in qua viuunt omnes creaturæ.

3 Prob. 2. In Deo intellectio scientifica, & volitio creaturarum sunt attributa ipsius Dei; sed perfectissima Vita in actu secundo consistit formaliter in actuali operatione intellectus, & voluntatis; ergo in Deo est Vita attributalis, in quo viuunt creaturæ cognitę, & amatę à Deo.

Conf. Vita consistit formaliter in actu cōuersiuo, quo idem conuertitur ad se ipsum; sed per intellectionem attributalem, & volitionem Deus conuertitur ad se ipsum; quia per illam cognoscit, & amat creaturas secūdùm illud esse, quod habent in se ipso; ergo in illis operationibus reperitur formaliter Vita, sed illæ operationes sunt attributa; ergo datur Vita attributalis, in qua viuunt omnes creaturæ etiam inanimes.

4 Tandem. Scientia, & Voluntas Dei sunt purissimi actus, summè immateriales; ergo sunt summè conuersiui ad ipsum Deum; nam ratio, cur aliquid nequeat conuertere se supra se, est materialitas, quę ob sui inflexibilem duritiem nequit reflectere supra se ipsam; sed quod est summè conuersiuum, est summè viuens: quia habet principium se mouendi ab intrinseco ad se ipsum; ergo hæc duo attributa sunt formalissimè viuentia; & per consequens datur Vita attributalis, in qua viuunt creaturę contentę in ipsis attributis.

5 Obijc. Deus non est formaliter animatus; ergo non est formaliter viuens; nam Vita sumitur ab anima.

Resp. neg. con. Ad prob. infertam dist. Vita vegetatiua, sensitiua, vel rationalis, conc; Vita purè intellectualis, vt est Vita Dei, neg.

6 Ceterę obiectiones, quæ fieri possūt, soluuntur ex dictis *To.1.de Subst. Dei vbi s; & de Vnit.art.8; & de Simplic.art.9; & de Verit. art.8; & de Bonit.art.5, et de Infin.art.2; & de Immēsit. art.1; & de Immutab.art.2; & de Eternit. art. 3.*

DE

DE SCIENTIA DEI.

SApientię,& Scientię Dei incomprehensibiles vias,atque arcana Diuinę mentis secreta pertingi posse,& apprehendi,visibilis cęcitas,malè sapida insipientia est. Etenim si humani cordis latibula in eiusdem propinquitate speciei penetrare non possumus; quomodò abditissimos Diuini intellectus recessus extra oculi, mentisque vias permeare licebit? Imò si *Apostolus*, licèt Diuini Luminis radijs illustratus in raptu, admirari didicit, enarrare non valuit; & *Psaltes* tot Superni Spiritus superfusus luminibus Mentem illam ęternam infinitis redundantem affectibus *Abyssum multam* nescientiæ tenebris vndequaque conclusam inscripsit; quomodò nostra hęc hebetudo sub obscuris Fidei crepusculis eam rimari temerario ausu intentabit? Ausus hic *Manichaeos* effecit, *Pelagianos*, & *Semipelagianos* inuexit, *Caluinistas*,*Geuseos*, ceterosque à veritate rebelles in varios dispersit errores;nimia nimirum in recensendis Diuinæ Mentis secretis,decretisque præsumptio. Hæc *Catholicorum* Scholas aduersa dificeit in agmina adeò, vt non iam, quod *Veritas* clamat, sed quod *ratio* dictat;non quod Doctrina *in Scripturis* Diuinitus tradita, sed vana speculatio humanitus habita;nō quod *Sancti* Fidei *Doctores*,sed quod Ethnicæ professionis arbitrantur *Auctores*,perurgere conentur inaniter,infeliciùs laborent;vnde non Fidei ratio,sed Fides pedissequa videatur rationi; & quãuis non detrectent fateri, quòd quantùm sit illa infallibilis, tantùm hæc supponatur errori, non tamen apertis *Scripturarum* testimonijs suam mentem subijciunt,sed ad proprium cuiusque sensum trahunt manifesta distorsione *Scripturas*.Diuinæ Spiritu intelligentiæ dimisso,propriæ feruntur ductu rationculæ:cùmque ineluctabili quatiuntur *Doctrinarum* pondere,vt scientiam, quam propriū effracto cerebro abortitur ingenium,quoquo modo defensent, dant pro responsis conuicia,pro rationibus iurgia. Veternosa fuit hæc *Pseudosophorum* solemnitas, cùm argumentis auctoritatum vi roboratis se torqueri sentirent,vt torturam effugerent,ad censuras euadere. Sic *Iulianus Ecclanēsis Pelagianorum primigenius Beatiss.P.Augustini* iugulatus doctrinis,vt videre est *in Suppl.oper.imperf.* modò *Traducianum* eum appellat;modò *Manichæum*, modò *Manichæis* peiorem; modò cum *Iouiniano* sentientem,modò *Iouiniano* intolerabiliorem;nunc *Fausti Discipulum*; nunc *Adimanti alumnum*;nunc *Sycophantam*;nunc *Callipbontem alterum*;nunc *Paruulorum tortorem*;tandem *lib.2.Suppl.c.* 155. *Iudæum* criminari sacrilega impietate non metuit. Ommissis igitur hisce, quæ *Catholicum* dedecent,calumnijs; & compresso humani impetus ausu ad rimanda secretiora Diuinitatis arcana, quę in hoc Opere continentur,ducentibus *Scripturis*, docentibus *Patribus*, pro modulo mentem admouemus humiliter,rationem subijcimus.Quantus autem hac in re sit *Sanctiss.Ecclesiæ Magister Augustinus*, inficiari non nisi procax auderet; cùm tamen aliunde suppetant tot *Sanctorum* auctoritates,tot *Conciliorū* Sanctiones,tot *Summorum Pontificum* Oracula,& vniuersi Orbis vna,eademque sententia.Quemadmodum tamen ij,qui aquam è puteo haurire plenis conantur lagenis, non alienam,sed propriam semper videntur extrahere; ita qui mentibus semetipsis imbutis,& propria plenis sententia ex hoc *profundissimo Scientiarum Pelago* aquam Sapientiæ satagunt exhaurire, non nisi propriam mentem piscantur,& penes nomen,non iuxta Doctrinam,*Augustinianos* se iactitant.Euacuato igitur alieno quocunque sensu, quid sentiat *Magister*, quid *Pater* edoceat, quæramus; hoc etenim decet *Augustini* Filium,*Augustini* Discipulum.

QVÆST. I.
De Scientia Dei secundùm se.

EXplicata Vita attributali,quam diximus consistere in actuali operatione spirituali,quæ duplex est;scilicet, scire, & velle; directè tendimus ad agendum de scire, quod ipsum velle antecedit Prius autem de Scientia Dei in communi,deinde de eius speciebus agemus.

ART. I.
An Scientia sit formaliter in Deo?

1 NOn loquimur *hic* de intelligere essentiali, quod est constitutiuum naturæ Diuinæ;de quo satis egimus *To.1. de Subst. Dei q.2. ab art.5. ad 7.* vnde Deum esse essentialiter intelligentem, seu naturæ intellectualis *ibid.* probarum est; sed loquimur de Scientia, quæ est intelligere attributale, & correspondet habitui Scientiæ, qui in nobis superadditur potentiæ intellectiuæ,vt explicuimus *ibid. art. 6.§. 3.n.*14.Quòd autem intelligere essentiale sit actus absolutus virtualiter distinctus ab actu scientifico attributali, communiter tenetur contra *Godoy Tract.3.disp.27.§.3;* nā in Deo est admittenda intellectio, per quam procedit Verbum Diuinum; sed intellectio attributalis no est huiusmodi; ergo præter istam admittenda est intellectio essentialis. Ma.patet;nam Verbum Diuinum de facto procedit per intellectionē, quia Pater intelligendo se generat Verbum, vt docet *Fides*; & ideo debet admitti intellectio,per quam Verbum procedit; aliter Verbum procederet per intellectionem, quæ non est de facto, sed somniatur in Deo. Prob. mi.Intellectio, per quam



quam procedit Verbum, formaliſſimè eſt Eſſentia Dei, quia Verbum formaliſſimè procedit per eſſentiam, aliter non eſſet genitum; ſed intellectio attributalis non eſt eſſentia, ſed attributum virtualiter diſtinctum ab eſſentia; ergo intellectio attributalis non eſt intellectio, per quam procedit Verbum.

2 Nec refert, quòd intellectio, per quam procedit Verbũ, ſit notionalis, non eſſentialis.

Nam contra eſt; quia intellectio notionalis eſt eadē intellectio abſoluta cum modo tantùm relatiuo, qui modus non facit diuerſam cognitionem, cùm ſequatur ad illam, vt tenebitur fateri *Godoy cum Thomiſtis in Tract. de Trin. contra Scot*; ergo ſi intellectio, per quam procedit Verbũ, nō eſt attributalis erit eſſẽtialis.

3 Conf. Si Verbum procederet per Scientiam attributalem, iam non procederet formaliter per naturam, ſed per aliquod attributum naturæ; & ſic ei non communicaretur immediatè, & per ſe primò natura; ergo præter ſcientiã attributalem danda eſt alia intellectio eſſentialis, quæ ſit conſtitutiua naturæ, vt per illam Verbum procedat.

4 Prob. 2. In nobis præter quinque cognitiones, quæ procedũt à quinque habitibus, datur ſimplex apprehenſio, quæ eſt ſimplex intuitus diſtinctus, & clarus, vt cùm dicitur *animal rationale*; & iſte intuitus non pertinet ad habitum primorum principiorũ, quia actus primorum principiorũ, vt vult *Godoy* licèt falsò, eſt iudicium compoſitiuum; neque pertinet ad alios habitus, vt patet; ergo in Deo dandus eſt iſte ſimpliciſſimus intuitus perfectiſſimè comprehendẽs omnia Diuina ſine iudicio compoſitiuo, & ſine deductione; nam ſimpliciſſimum eſt perfectiſſimum, & perfectiſſimum eſt ſine imperfectione; & ideo non repugnat, ſed neceſſariò debet poni in Deo formaliter. Tum quia quilibet actus verus noſtri intellectus poteſt formaliter depurari à ſuis imperfectionibus, quas materialiter importat, ſicut poteſt depurari potentia intellectiua ſecundùm ſui totalitatem formalē, per quam reſpicit omnes ſuos actus; ſed potẽtia intellectiua depurata ab imperfectionibus materialibus ponitur in Deo formaliter ſecundùm ſui totalitatem; ergo & omnis eius actus; aliter potentia non poneretur ſecundùm ſui totalitatem, quia non poneretur ſecundum virtutem productiuam illius actus, qui non poneretur in Deo, & ſic poneretur inadæquatè, & imperfectè. Quòd ſi ponitur adæquatè, neceſſariò debet etiam poni actus ſecundùm totalitatem adæquans potentiam, aliter poneretur ſecundũ aliquid priuata realiter ſuo actu. Tum quia iudicium compoſitiuum, & illatio dicunt maiorē imperfectionem, quàm ſimplex intuitus, quia dicunt compoſitionem plurium cognitionum inadæquatarum realiter diſtinctarum, & tamen poſſunt depurari ab imperfectionibus, & poni formaliter in Deo; ergo multò magis ſimplex intuitus poteſt depurari ab imperfectione inadæquationis, & omnis alterius defectus, & poni formaliter in Deo. Tandem ad hominem. Per *Godoy hic n. 26.* Simplex apprehenſio non eſt in Deo, quia omnis Diuina cognitio eſt perfectum iudicium; quod ait ſine probatione; ſed per eundem *Tract.8. de Prædeſt. diſp. 59. §. 1*; vltra iudicium datur in Deo ſimplex intelligentia; & §.5. n.65. datur imperium; & §. 8. datur actus proponens; & *diſp.60. §.1.* datur ordinatio; & §. 5. ait iudicium pertinere ad artem; non ad prudentiam; & tamen certum eſt non omnes actus Diuini intellectus pertinere ad artem, quia actus artis eſt practicus; ergo per *Godoy* omnis cognitio Dei eſt iudicium, & non eſt iudicium.

Inſt. Omnis cognitio Dei, vel eſt practica, vel ſpeculatiua? Si primum; erit actus prudentiæ, vel artis. Si ſecundum; erit ſcientiæ, vel luminis principiorũ; quia vel attingit principium indemonſtrabile, & per ſe notum; vel concluſionem in principio, & in cauſa. Conf. *n.27.* Cognitio ſpeculatiua vel terminatur ad eſſentiam ſecundũm primarium conceptum, ſcilicet vt naturam; vel ad attributa, & creaturas? Si primum; ergo eſt actus luminis principiorum; quia eſt actus attingens eſſentiam, vt quid indemonſtrabile, & per ſe notum. Si ſecundum; ergo eſt actus ſcientiæ; quia cognitio tendens in attributa, & creaturas, cùm ſit comprehenſiua, & à priori, illa cognoſcit in eſſentia, tanquam in radice, & in cauſa. Prob. 2. *n.31.* Nullus actus iudicatiuus certus, & euidens eſt dabilis in intellectu creato, qui non ſit actus luminis principiorum, aut ſcientiæ; ergo neque in Deo; quia ſicut ceteri actus intellectus Diuini participantur à creaturis, ita poteſt participari, & ille.

Reſp. ad 1. omiſſa reſp. *Salm*; quòd cognitio ſpeculatiua diuiditur in ſimplicem, quæ reſpicit obiecta per modũ ſimplicis intuitus, & in cognitionē, quæ reſpicit res cōpoſitas, ſeu cōplexas; vt habet *Fund. Doct. in 1. diſt. 35. princ. 1. q. 1. ad 3.* poſteà referendus. Tunc ad arg. neg. ſecundum; ad improb. diſt. Cognitio ſpeculatiua reſpiciens obiectum per modum complexi eſt actus luminis principiorum, qui eſſentialiter reſpicit enunciabile complexum, vt vult *Godoy*; vel actus ſcientiæ, quæ reſpicit complexum ex cauſa, & effectu, conc. Cognitio ſpeculatiua reſpiciens obiectum per modum ſimpliciſſimi intuitus, neg. Ad prob. inſertam dicitur, quòd cognitio per modum ſimplicis intuitus non attingit per modum principij, neque per modum concluſionis, quia ſic attingeret per modum complexi, non per modum ſimplicis intuitus. Ad conf. dicitur eodem modo, quòd non terminatur ad eſſentiam, neque ad attributa, & creaturas diſiunctiuè, aut compoſitiuè, ſed per modum ſimplicis intuitus obiecti, quod præſcindit à ratio-

ne

ne principij,& effectus. Ad 2.neg.suppositum; supponit enim, quòd omnis cognitio Dei sit iudicium per modum compositionis, quod supra improbauimus.

6 Remanet ergo, quòd scite propriè loquendo sit actus attributalis distinctus virtualiter ab intelligere substantiali, quod est constitutiuum naturæ Diuinæ.

Modò videndum est, an omnes quinque habitus nostri intellectus enumerati *à Philosophis*, scilicet intellectus primorum principiorũ, sapientia, scientia, prudentia,& ars, sint in Deo formaliter,& distinctè ita, vt conceptus formalis explicitus vnius non sit formalis conceptus explicitus alterius, & ideo sint quinque attributa intellectus Diuini? Et ex hoc apparebit manifestiùs resolutio præsentis *Articuli*.

§. I.

An Intellectus principiorum, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars sint formaliter, & distinctè in Deo?

7 Quoniam præter eos, qui negant scientiam formaliter in Deo, ferè omnes alij confundunt aliquos ex his habitibus in Deo;vt referemus *in seq.*§; nam *Vasq*: confundit scientiam cum habitu primorũ principiorum, arbitrans scientiam formaliter importare discursum, quem non importat habitus principiorũ.*Godoy* cõfundit eã cum sapientia *hìc disp.*27.§.1.*cõcl.* 1; apud quẽ *Henr. in sũma q.*73. *n.*20; *Albelda hìc art.*1. *sect.*4; *Salm. tract.*3. *disp.*1. *dub.* 4. *n.* 87; *Serra hìc art.* 1. *dub.*2; *Gonet disp.*1. *art.*1.*in* 1.*prob.conc.*1; vbi distinguit sciẽtiã ab arte,prudentia,& habitu principiorũ, non autẽ loquitur de sapientia; *Io.à S.Tho.*1.*p.q.*14. *disp.*16.*art.*3. §. *Notandum,& cum ipsis ferè omnes Thomistæ* hoc supponunt.

8 Dicendum tamen hæc quinque esse in Deo formaliter, & distinctè ita, vt secundùm esse explicitum constituant quinque attributa athoma virtualiter distincta inter se existentia in Diuino intellectu. Colligitur *ex Fundatiss. Doct. vbi sup.*docẽte: *Possumus tamen per quandam adaptationem dicere, in Deo esse intellectum, sapientiam, & scientiam; nam intellectus propriè dicitur respectu rerum simplicium, & per comparationem ad quiditatem;scientia autem,& sapientia propriè est cognitio compositarum* (scilicet causæ, & effectus) ; *in Deo autem licèt esse non sit realiter distinctum ab essentia, est tamen distinctum secundùm rationem, vt dicatur intellectus esse in Deo, prout cognoscit naturam suam; sapientia, prout cognoscit naturam suam esse; scientia, prout cognoscendo se scit aliud; quæ omnia in Deo sola ratione distinguuntur; & tamen sic ratione talia distinguendo non saluamus intellectum, sapientiam, & scientiam esse in Deo,vt in nobis existunt; & ideo ratio deficiebat,quia de rebus Diuinis ad modum rerum humanarum iudicare volebat; non tamen propter hoc minùs propriè talia in Deo existunt, imò magis, in quantùm secum non compatiuntur imperfectiones annexas.* Ex quibus apparet hæc tria esse in Deo magis propriè, & formaliter, quàm sint in creaturis,secundùm diuersos conceptus explicitos pertinentes ad diuersam speciem athomam; & ideo esse attributa virtualiter diuersa Diuini intellectus. Non tamen eodem modo sunt in Deo, ac in creaturis; quia scientia in creaturis est cognitio rerum per causas imas, & inferiores idest vt dicebamus *To.*1. *q.*3.*proem. art.*5.*n.*4.per causas proprias,& eiusdem generis; ibi enim loquebamur de scientia creata formaliter, vt creata,quæ scilicèt,si consideretur, prout est propria hominis, importat formaliter discursum, quia rationalitas, quæ est constitutiua hominis, est principiũ formale discurrendi; attamen si consideretur scientia creata, prout præscindit ab humana, & angelica, illi non conuenit discurrere, quia scientia in Angelo non est discursiua, aliter in Angelo esset rationalitas, quæ est principium formale discurrendi, & sic non differret specie Angelus ab homine, vt innuit *B. Doct. hìc ad* 2. Scientia ergo creata formaliter importat esse per causas imas, & inferiores; at verò, si scientia accipiatur secundùm latiorem abstractionẽ, ei non conuenit esse per causas imas, & inferiores, quia hoc conuenit rantùm scientiæ creatæ, quæ, quatenus creata, est ima, & inferior; & ideo sciẽtia in Deo nequit esse per causas imas; nam licèt Deus cognoscat vnam creaturam esse effectum alterius creaturæ; attamen quia creatura non est ratio primaria, sed secundaria cognoscendi, ideo non constituit scientiam Dei; quia obiectum secundarium neque constituit, neque distinguit.

9 Quamuis ergo scientia, & sapientia in quadã lata significatione, prout vtraque est cognitio rei per causam, possint vsurpari pro eodem, vt docet *Beatiss. P. Aug.* 13. *de Trin.c.*19. *Loquendi enim latiore consuetudine vtraque sapientia, vtraque scientia dici potest*; cui consonat *B.Doct.Aeg. vbi sup.ad* 13; attamen propriè loquendo scienria contradistinguirur à sapientia; subdit enim idem *Beatiss. P. Aug.ibid.Nullo modo tamen scriptum esset apud Apostolum*: Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ; *nisi, & propriè singulis nominibus hæc vocarentur*. Et assignans rationẽ formalem differentialem vtriusque ait. *Si inter se distant hæc duo, vt sapientia Diuinis,scientia humanis attributa sit rebus*; quod colligit ex definitione vriusque; nam sapientia *est cognitio rerum per altissimas causas*: sciẽtia verò *est cognitio rerum per causas*.Remanet ex hoc; quòd scientia in Deo sit cognitio creaturarum per suam onnipotentiam; nam per res humanas intelliguntur res creatæ. Sapientia verò sit cognitio rerum diuinarum per essentiam Diuinam tamquam per causam virtualem,à qua procedũt.

10 Et

10 Et hoc colligitur *ex Phil. 1. Met;* vt diximus *To. 1. vbi sup. n.5;* vbi assignans differentias inter scientiam, & sapientiam ait, quòd sapientia *versatur circa difficillima, & cognoscit causas causarum;* scientia verò versatur circa facilia; *& cognoscit causas immediatas;* ex quibus habetur, quòd cognitio, qua Deus cognoscit sua attributa, quæ sunt causæ immediatè creaturarum, est scientia; cognitio verò, qua cognoscit sua attributa per suam essentiam, quæ est causa virtualis attributorum causantium creaturas, cùm sit per causam causarum, est sapientia; tum quia creaturæ sunt facilioris cognitionis, quàm attributa diuina; ignobilius enim *iuxta Phil.* faciliùs cognoscitur, quàm nobilius, & ideo cognitio creaturarum est scientia; cognitio verò attributorum est sapientia.

11 Et quanuis cognitio creaturarum per attributa Diuina in creaturis sit sapiētia, hoc tamen accidit sciētiæ, scilicet prout est in creaturis; nam cùm sciētia creata specificetur à causa creata, quæ est inferior; ideo si creatura cognoscat per causam increatā, quæ est causa causæ specificantis scientiam creatam, talis cognitio est sapiētia; at verò cùm scientia Dei nequeat specificari à causa creata, vt dictum est, ideo cognitio creaturarum per sua attributa, cùm non sit formaliter per causas causarum, non est sapientia, sed scientia. Tum quia *Supremum infimi est infimum supremi, vt inquit D.Dion;* & ideo sapientia, quæ in creaturis est superior ad scientiam, in Deo habet rationem scientiæ; quæ est veluti inferior ad sapientiam.

12 Conformiter ad hæc *Fundatiss.Doct.vbi sup.* ait, quòd cognitio, qua Deus cognoscit suam essentiam, vt quid indemonstrabile, & per se notum, est intellectus primorum principiorum; in quo distingitur ab intelligere essentiali, quod per simplicem intuitum cognoscit non solùm essentiam, sed omnia cognoscibilia formaliter. Dicitur autem cognitio simplex, prout excludit complexionem causæ, & effectus, non prout excludit iudicium rationis; sic enim intelligendus est *B. Doct;* cognitio verò, qua cognoscit suam essentiam esse, est sapientia; quod est intelligendum de esse attributali, per quod Deus dicitur *esse sciens, esse bonum, esse iustum &c;* quod tantùm distinguitur virtualiter à Diuina essentia, & fluit ab illa tanquam proprietas; quia sapientia debet esse de re, quæ fluit ab alio, tanquam à causa; non de esse substantiali, quod nec distinguitur virtualiter ab essentia, nec est proprietas illius; cùm ipsam formalissimè constituat, vt diximus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 3.* Tandem cognitio, qua cognoscendo se ipsum cognoscit creaturas, quæ sunt aliud ab ipso, est scientia. Hæc tamen tria, scilicet intellectus, sapientia, & scientia in Deo non distinguuntur realiter, vt in nobis, sed tantùm virtualiter, seu ratione cum fundamento, vt ait *Beatus Doctor vbi sup.*

Not. tamen, quòd cùm istæ cognitiones sint perfectissimæ, & superintellectuales, omnes sunt comprehensiuæ, ideo attingunt omnia, quæ sunt in Deo, sed sub diuersa ratione; nam intelligere essentiale attingit formaliter omnia Diuina, & ab illis specificatur; cùm specificatiuum formale intellectionis essentialis dicatur latissimum, quia omnia comprehendit formaliter, *vt infra art. 3.* Intellectus principiorū attingit formaliter solam essentiam, quatenus quid indemonstrabile; materialiter tamen identicè attingit omnia, quæ identificantur cum essentia, quia perfectissimè videt essentiam; & ideo solùm ab essentia specificatur formaliter. Sapientia attingit formaliter attributa per essentiam; & scientia creaturas per attributa; vtraque tamen attingit omnia, quæ identificatur cum suo obiecto formali, materialiter tamen identicè, quia vtraque comprehensiuè videt. Ex quo habetur neutram ex his cognitionibus inadæquatè, & præcisiuè cognoscere. Nec sequitur obiecta identicè cognita esse secundaria; obiectum enim materiale est primarium, non secundarium; vt patet de corpore respectu Physicæ; in quo hallucinantur ferè *omnes Recentiores;* vt patebit *infra q. 3. art. 4. n. 12; & 13;* & sic intelligenda sunt, quæ diximus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 5; & 7.*

13 Prob. modò ratione. De Diuinis debemus philosophari *secundùm Apost.* ex ijs, quæ videmus in creaturis demptis tamen imperfectionibus, quæ sunt limitatio, & distinctio realis; sed intellectus primorum principiorum, sapientia, scientia, prudentia, & ars, sunt formaliter in creaturis, & in suo cōceptu formali nullam inuoluunt imperfectionem; ergo demptis imperfectionibus limitationis, & distinctionis realis, quas trahunt à subiectis creatis finitis, & limitatis, in quibus sunt, ponuntur formaliter in Deo; sed illa, quæ in creaturis distinguuntur realiter, & pertinent ad diuersas species realiter distinctas, in Deo distinguuntur virtualiter, vt dictum est *To. 1. de Attr. in com. q. 2. art. 8;* ergo ista quinque, quæ in creaturis distinguuntur realiter, & sunt diuersæ species diuidentes habitum, *vt sic iuxta omnes Philosophos,* in Deo distinguuntur virtualiter.

14 Conf. Intellectus secūdùm totam suam latitudinem nullā formaliter dicit imperfectionem; ergo omnes habitus intellectuales, qui comprehendūtur sub latitudine intellectus, nullam formaliter dicunt imperfectionem, & ideo ponuntur formaliter in Deo, secundùm suam propriam formam, & conceptum explicitum diuersum, quem habent inter se, sed ea, quæ sic ponuntur, distinguuntur virtualiter; ergo ista quinque sunt attributa virtualiter diuersa Diuini intellectus.

Ex hoc ruit *Thomistarum opinio*, quòd scilicet scientia sit imperfecta sapientia; sic enim inuo-

inuoluerit in ſuo conceptu formali imperfectio-nem, quod virtuti intellectus nequit compete-re. Vid; quæ diximus *To. 1. q. 3. proem. art.6. n.3; & 4.*

16 Prob.2. Per *Godoy n.3.* illa, quæ habent diuerſa obiecta formalia, diſtinguuntur ex pro-prijs conceptibus eſſentialibus, & in Deo diffe-runt virtualiter, ac per conſequens ſunt attribu-ta virtualiter diuerſa; nulla enim alia ratione attributa Dei multiplicantur; ſed intellectus primorum principiorum babet pro obiecto for-mali principium per ſe notum; ſapientia cauſas cauſarum formaliter; ſcientia cauſas immedia-tas;prouidentia directionem rerũ in finẽ; & ars rationem factibilium, quæ omnia ſunt formali-ter diuerſa,vt dictum eſt;ergo ſunt attributa vir-tualiter diuerſa.

17 Prob. 3. contra *Godoy, & alios Thomi-ſtas, quos vid. Tom.1. q.3. proem. art.5. n.3.* Si ſcieutia, & ſapientia diſtiuguerentur, vt perfe-ctum, & imperfectum, eſſent eiuſdem ſpeciei, & non poſſent ſe compati in eodem ſubiecto; quia duo accidentia ſolo numero diſtincta nequeunt eſſe in eodem ſubiecto, cùm ab ipſo trahant vni-tatem numericam; vt ſupponimus *ex Met;* calor enim, vt duo, exiſtens in ligno, aduenientibus alijs gradibus caloris nõ remanet diſtinctus nu-mero ab illis; ſed conſequens eſt falſum; quia in eodem homine eſt Metaphyſica, quæ eſt ſa-pientia cognoſcens Ens, vt ſic, & Philoſophia, quæ eſt ſcientia conſiderans tale ens; & in An-gelo eſt ſcientia, & ſapientia; ergo diſtinguun-tur ſpecie.

Conf.Omnes virtutes exiſtentes in volun-tate ponũtur in Deo,vt virtualiter diſtinctæ; er-go omnes habitus exiſtentes in intellectu diui-dentes habitum, *vt ſic*, ponuntur in intellectu Diuino, vt virtualiter diſtincti, non quidem, vt habitus, ſed vt virtutes; ſed non minùs pruden-tia, & ars, quàm ſcientia, ſapientia, & intelle-ctus principiorum ſunt babitus diuidentes habi-tum, *vt ſic*, vt habetur communiter *ex Phil*, er-go ponuntur in Deo, vt virtutes diſtinctæ vir-tualiter; & ideo, vt plura attributa.

18 Prob.4.Illa,quæ concipiuntur aduenire Eſſentiæ Diuinæ,vt proprietates illius per com-parationem ad proprietates creaturarum, quæ realiter accidunt ſubſtantiæ creatæ, ſunt attri-buta virtualiter diſtincta; ſed iſta quinque con-cipiuntur aduenire intellectui Diuino pèr com-parationem ad intellectum creatum,cui accidũt realiter,vt manifeſtum eſt; aquiruntur enim in tempore,vt in homine; & fluunt ab intellectu,vt in Angelo; ergo in Deo ſunt attributa virtua-liter diſtincta.

19 Prob. tandem contra *Vaſq.* Ideo ſcien-tia in Deo confunditur cum habitu principio-rum, quia ſcientia importat formaliter diſcur-ſum;ſed hoc eſt falſum, vt patebit *ex ſeq.*Si ergo non confunduntur.Prætereà impugnatur omni-bus ſuperiotibus rationibus, quæ æqualiter mi-litant contra omnes.

20 Obijc.1.*Godoy hic n.11.Ex D.Tho.in 1. diſt.35.q.1. art.1. ad 5. Omnis ſapientia ſcientia eſt*. Tum quia ſcientia Dei non poteſt cogno-ſcere res,niſi per altiſſimas cauſas. Tum quia ſapientia idem eſt, quòd perfectiſſima ſcientia; ergo ſapientia, & ſcientia in Deo nõ differunt virtualiter.2.*ex Alarc.* Ideo in creaturis in vna, & eadem potentia multiplicantur actus, quia ſunt limitati; ſed ſcientia Dei eſt infinita in ra-tione cognitionis,ergo non dantur alia attribu-ta cognoſcitiua virtualiter diſtincta.

Reſp.ad 1;quòd *D.Tho.*loquitur de ſcien-tia latè, non ſtrictè ſecundùm propriam ſignifi-cationẽ formalem,vt ſupra diximus *ex Beatiſſ. P.Aug.* Ad aliud dicitur,quòd licèt in creaturis cognitio per altiſſimas cauſas,quia eſt cognitio per cauſas cauſarum,ſit ſapientia;non tamen in Deo, vt dictum eſt. Ad vltimum neg. ant. Ad *Alarc.* reſp. *ex B. Doct.* diſt. min. Scien-tia eſt formaliter infinita ſecundùm conceptus explicitos in ſua linea,conc;in aliena linea,neg. Quanuis igitur ex infinitate colligatur identi-tas realis,& ſecundùm conceptus implicitos,& identitas virtualis ſecundùm conceptus expli-citos in eadem linea; non tamen colligitur idẽ-titas virtualis in diuerſa linea; aliter nec Eſſen-tia, nec Attributa, cùm ſint infinita, diſtin-guerentur virtualiter inter ſe, vt diximus *To.1. q.2.art.7;8;9;10. Vid.alias obiectiones q.2. de Subſt.Dei art.6.§.1.n.14;& art.7.§.2.*

21 Obijc.2. Ita ſe habent in voluntate ele-ctio mediorum,& intentio finis,ſicut in intelle-ctu habitus principiorum, & ſcientia, vt ait *B. Doct.in 1.diſt.45.princ.1.q.2;* quia ſicut conclu-ſio ſcita cauſatur ex principijs, ita medium cau-ſatur ex intentione finis; ſed licèt attributa di-ſtinguantur virtualiter ab eſſentia, non tamen poſſunt attingi per electionem, & eſſentia per intentionem; ergo licèt detur diſtinctio virtua-lis, attamen non ſufficit, vt eſſentia attingatur per intellectum principiorum, & attributa per ſapientiam, vel ſcientiam.

Hoc arg; quod adeò difficile putauit *Godoy*, facilè ſoluitur diſt. ma. Quantùm ad priorita-tem,& poſterioritatẽ,in qua genericè conueniũt, vt habet *B.Doct.ibid;*cõc;quátùm ad rationẽ dif-ferẽtialem,neg;nam electio eſt reſpectu liberi,& cõtingẽtis,ac per ordinẽ ad cõſecutionẽ finis nõ habiti, & ideo reſpectu attributorum, quæ nec ſunt contingẽtia,nec conducunt ad cõſecutionẽ eſſentiæ non habitæ, non eſt electio; at verò ſa-pientia,& ſcientia sũt reſpectu alicuius neceſſa-rij ſupponentis neceſſariò exiſtentiam eſſentiæ; & ideo circa attributa poteſt eſſe ſapiẽtia. Illud ergo,quod cauſatur ab aliquo virtualiter,in ge-nere cauſæ efficiẽtis,vel quaſi efficientis, nequit habere rationem eligibilis,niſi ſit contingens,& virtualiter præcedat actualem conſecutionem

finis; quod non contingit in attributis, quæ non præcedunt, sed supponunt actualem existentiam essentiæ, nec contingenter se habent.

Inst. Quanuis hoc verum sit de pura electione, attamen falsum est de electione, quæ simul est electio, & intentio, quæ vocatur electio inadequata, seu intermedia; hæc enim potest esse necessaria. Resp; quòd electio inadæquata in eo, quòd electio, debet esse inadæquatè cōtingens, & inadæquatè præcedere existētiam finis; quod etiam repugnat attributis.

§. II.

Rsoluitur Articulus, & reijcitur discursus virtualis.

22 Prima sententia vult in Deo non esse propriam scientiam, nec respectu attributorum, nec respectu creaturarum, quia cognitio scientifica debet causari ex cognitione principiorum. Ita *ex Thom. Heruæus Quodl.2. q.2; Ferrar.1. contra Gent. c.2; & Dion. Licien. apud Ferrum tract.5. de Scient. Dei q.1.3; quos* sequitur *Vasq.1.p.disp.85.c.7; Conimb; & ex nostris Corneio apud nostrum Gibbon hic*; sed ante omnes *Auerr.* negauit Deum cognoscere creaturas, quia vilesceret; à quo etiam tribuitur *Phil. 12.Met.t.c.51.apud Fundatiss.Doct.dist.35.q.3.*

Secunda sententia cōcedit Deo scientiam respectu creaturarum, non attributorum. Ita *ex Thom.Naz; & Magaslanes de Scient. Dei 1.p.c. 1.apud Ferrum; & ex nostris Gibbon hic disp.20. dub.2.§.3; & Bernardin.eius Magister.*

Tertia sententia concedit scientiam in ordine ad proprietates creaturarum, non autem in ordine ad essentiam, & existentiam illarum. Ita *Dur.in 1.dist.35.q.3; & 4.apud Godoy.*

Quarta sententia concedit sciētiam respectu attributorum, & creaturarum. Ita communiter *Thomistæ Bann; Zum; Albel; Salm; Io.à S.Tho; Godoy Tract.3.disp.23. §.1. Gonet eius Discipul; Ferrus tract.5.q.1.§.3;* & ex nostris *Lafosse q.1. de Scient.Dei c.2.§.3.coroll.3.*

Vltima, & verior sentētia docet cognitionem attributorum per essentiam esse verè, & propriè sapientiam; cognitionem verò creaturarum esse scientiam. Ita *Fundatiss. Doct. dist. 35.q.1.vbi sup; & q.3; & 4.* Colligitur etiam *ex nostris Greg. in 1.dist. 35.q.1; Ger; & alijs.*

Quanuis hæc nostra sententia satis pateat ex supradictis, attamen quia reijciendi sunt plures modi dicendi *Recentiorum* ad hanc rem omnino inutiles, ideo, vt fortiùs confirmetur, reiectis falsitatibus, quibus veritas præpeditur, ne euidenter appareat.

23 Not.*ex B.Doct.hic q. 1; & lib.de causis prop.2.p.2.lit.V*; quòd scientia potest considerari dupliciter, vt diximus *de Ineffab.Dei art.3.n.4*; nempe quoad modum significandi, quem habet in creaturis, & quoad rem significatam. Si consideretur primo modo, certum est non esse in Deo formaliter, quia modus significandi, quē habet in creaturis, est imperfectus, & ideo non ponitur in Deo cum isto modo, sed cum modo altiori, & perfectiori sine vlla imperfectione; & ideo scientia quoad modum significandi ponitur in Deo solùm eminenter, & superexcedenter, vnde potiùs dicenda est superscientia, vt inquit *D. Dion.* Si consideretur secundo modo, ponitur in Deo formaliter, quia conceptus formalis, quem formamus de re significata per hoc nomē *scientia*, nullam inuoluit imperfectionem.

Imperfectiones autem, quas habet sciētia, prout est in creaturis, sunt esse accidens, distingui realiter à substātia, esse quid determinatum ad vnam speciem habitus, distinctum ab alijs speciebus; scientia enim importat esse sciens distinctum ab esse Iusto &c; esse in potētia passiua ad suum actum; de quibus omnibus in *seq. art.* Tandem prout est in homine, importat esse discursiuum. De primis imperfectionibus nulla est difficultas apud *Auctores*, quòd scientia non possit ab illis absolui. Solùm pugnatur circa discursum; nam *Vasq; vbi sup.* ait formaliter importare discursum realem. Thomistæ verò aiunt importare discursum virtualem; vt *Godoy hic disp.28; Gonet; & Serra q.14.art. 7. apud quem alij; & Ferrus vbi s; & ex nostris Lafosse q.1.c.2. §.2.resp. 2.ad 1; & Gibbon de Scient.Dei disp.20. dub.2.§.1.n.6; & seq;*

24 Verior tamen doctrina est, quòd scientia nec etiam virtualē discursum includat. Colligitur *ex Fundatiss.Doct. hic ad 2. Quòd autem dicat discursum rationis, accidit scientiæ simpliciter sumptæ; licèt nō accidat scientiæ nostræ; & quia in Deo sunt perfectiones absque imperfectione, in Deo erit scientia absque mutabilitate, & discursu.* Idem docet *noster Corneio, & plures Thomistæ,* quos suppresso nomine citat *Godoy.*

Prob. autem sic 1. Discursus supra cognitionem simplicem rei per causam nihil aliud addit formaliter nisi ignorantiam vnius cogniti per notitiam alterius, & compositionem duarū cognitionum, quarum vna est in potentia passiua ad alteram; vt patet ex definitione discursus, quæ circumfertur *apud omnes*; nec aliud quidpiam potest excogitari, nisi velimus efformare nouam definitionem, quod nō licet; sed ignorantia, compositio, & potentialitas passiua nec etiam virtualiter poni possunt in Deo, aliter in ipso poneretur virtualiter imperfectio, & non esset ratio, cur in ipso non poneretur virtualiter error, & malitia, dicente *Phil*; quòd *malitia, & error contingunt in rebus propter potentialitatem,* vnde si in ipso poneretur potētialitas, quę est radix malitiæ, & erroris, non posset saluari, quòd ab ipsa non posset pullulare error, & malitia; ergo in Deo non ponitur discursus virtualis, & ideo scientia non inuoluit discursum realiter, nec virtualiter.

Conf. Quanuis perfectio creata admixta im-

imperfectioni ponatur in Deo virtualiter, attamen ponitur solùm secundùm id, quod dicit perfectionis, non autem secundùm id, quod dicit imperfectionis, quia ponitur, vt depurata à sua imperfectione, aliter si poneretur etiam virtualiter imperfectio, non poneretur, vt depurata, sed vt commixta imperfectioni; sed id, quod dicit perfectionis cognitio scientifica, est cognitio rei per causam; id autẽ, quod addit discursus supra cognitionẽ, est ignorantia, compositio, & potentialitas, quæ est imperfectio adueniens cognitioni per causam; ergo discursus nec realiter, nec virtualiter ponitur in Deo.

25 Prob. 2. euertendo fundamentum *Aduersariorum*. Quamuis in Deo dentur cognitiones virtualiter distinctæ disparatè, & disiunctiuè sumptæ, vt diximus §. 1; specificè diuersæ; attamen non dantur cognitiones virtualiter distinctæ successiuè, & coniunctim sumptæ, per quas intellectus Dei eat de vna cogitatione in aliam; quia talis successio, si sit realis, importat mutationem realem; si verò virtualis mutationem virtualem; mutatio autem realis, & virtualis repugnat Deo, quia dicit puram imperfectionem; sed discursus non dicit cognitiones disparatas, & disiunctas, vt patet; bene tamen successionem cognitionum, & transitum de vna cognitione ad aliam, quia ab vna cognitione fertur in aliam; quapropter *Beatiss. P. Aug. 5. de Trin. c. 16.* docens in Patria non remansurum discursum, sed per vnum simplicem intuitum videnda esse omnia, ait. *Non erunt volubiles cogitationes nostræ, ab alijs in alias euntes, atque redeuntes; sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus*; quibus verbis nedum reijcit à Deo discursum realem, & virtualem, sed etiam docet scientiam posse absolui ab omni discursu; ergo in Deo non datur discursus virtualis.

Conf. Discursus realis importat volubilitatem realem de vna cogitatione in aliam; ergo discursus virtualis importat volubilitatem virtualem; sicut calor realis importat principium reale formale calefaciendi, & calor virtualis importat principiũ virtualiter calefactiuum; sed volubilitas virtualis importat imperfectionem virtualem, sicut volubilitas realis realem; ergo discursus virtualis non est in Deo.

26 Tandem euertitur alia ratio. Si ad discursum virtualem sufficeret distinctio virtualis ex parte obiecti, sequeretur, quòd in Deo daretur nedum discursus virtualis, sed etiam realis; quia Deus cognoscit obiecta realiter distincta, quorum vnum realiter causatur ab alio, quia cognoscit creaturas; quæ causantur à sua omnipotentia; vnde sicut distinctio virtualis obiectorum sufficit ad discursum virtualem, ita distinctio realis posset sufficere ad discursum realem; nulla enim ratione posset impugnari euidenter discursus realis in Deo; ergo in ipso non datur discursus virtualis.

27 Obijc. *Godoy. 1. §. 1. n. 11.* Non repugnat, quòd vna cognitio causetur virtualiter ex alia; ergo nõ repugnat Deo discursus virtualis. Prob. ant. 1. Non repugnat, quòd attributa virtualiter causentur ab essentia, neque vnum ab alio. 2. Nõ repugnat distinctio virtualis inter cognitiones Dei; ergo neque causalitas. 3. Inter obiectum luminis principiorum, quod est essentia, & inter obiectum scientiæ, quod sunt attributa, reperitur virtualis causalitas; ergo & inter ipsas cognitiones, quæ deriuant suam distinctionem ab obiectis. 4. Virtualis causalitas est illa, qua duæ formalitates sic se habent, vt si vna realiter distingueretur ab alia, realiter causaretur ab illa; sed si cognitio scientifica Dei distingueretur realiter à cognitione principiorum, realiter causaretur ab illa; ergo non repugnat causalitas virtualis vnius cognitionis ex alia. 5. Deus attingit suam naturam secundùm conceptum naturę per cognitionem distinctam virtualiter à cognitione scientifica attingente attributa, quia naturam attingit per intelligere essentiale; attributa verò per scire attributale; ergo ex illo proceditur virtualiter ad istud; sicut homo realiter procedit ex principijs ad conclusionem; quia attingit per actum distinctum.

Resp. ad 1. dist. ant. Non repugnat causalitas virtualis disparata sine volubilitate, ignorantia, & compositione virtuali, conc; Scire enim, vtpotè attributum, fluit ab intelligere, quod est essẽtia; tamen non fluit tanquam per ordinem ad aliquod ignotum, quia per intelligere essentiale, cùm sit vniuersalissimum; & omnino comprehensiuum, cognoscitur, quidquid attingitur per scire; neque per ordinem ad aliquod componens, quia nullam cognitionem addit, quæ non contineatur in intelligere essentiali; de ratione autem partis componentis est esse extra aliam partem; sed fluit, tanquam proprietas explicans cognitionem magis restrictam. Non repugnat causalitas virtualis cum volubilitate, ignorãtia, & compositione virtuali, quæ requiruntur ad discursum virtualem, neg. Sic tenentur dicere *Thomistæ* negantes compositionem virtualem; quòd nempe attributa fluant ab essentia non per modum componentis virtualiter, sed per modum integrãtis vnam lineam disparatam secundùm esse explicitum. Ad 1. prob. dist. eodem modo. Non repugnat causalitas inter attributa sine cōpositione, conc; cũ cōpositione, neg. Ad 2. pariter dicitur, quòd distinctio, & causalitas disparata datur inter cognitiones Diuinas, & tamẽ nõ est discursus. Ad 3. dicitur, quòd licèt cognitio principiorũ, & cognitio cōclusionũ, si cōponãtur, generent discursũ, quatenus sciẽtia accipit ab habitu principiorũ cognitionẽ eorũdẽ, & ex illa, non quatenus cognita ab habitu principiorum, sed quatenus cognita ab ipsa scientia, voluitur ad cognitionẽ conclusionis ignotę ambas cognitiones simul componendo per mediũ ter-

terminum, qui est nexus illarum generans discursum; attamen si cognitio principiorum, & cognitio scientifica sumantur disparatè ita, vt per medium terminum non fiat reuolutio modo dicto componendo, & procedendo de noto ad ignotum, non generatur discursus. Et sic ad 4. & 5. Ad id, quod additur de homine, dicitur, quòd non discurrit præcisè ex eo, quòd habeat cognitiones reales distinctas; nam cognitiones disparatæ sunt distinctæ, & tamen non sunt discursus. Requiritur ergo compositio per medium terminum, & volubilitas de noto ad ignotum, vt patet ex dictis.

Remanet igitur à ratione scientiæ excludi omnem discursum, siue realem, siue virtualem; sic enim solùm est depurata ab omni imperfectione. His suppositis.

28 Vnica concl. Cognitio Dei respectu suorum attributorum verè, & propriè est sapiētia; respectu verò creaturarum scientia. *Ita Beatiss. P. Aug. 13. de Trin. c. 19; & Fundatiss. Doct. vbi sup.*

Prob. 1. pars. Cognitio rerum Diuinarum per causam Diuinam est sapientia, vt patet ex eius definitione; sed cognitio attributorum per essentiam Diuinam est huiusmodi; ergo est sapientia. Tum quia licet fortè ad scientiam strictè sūptam requiratur cognitio per causam realiter distinctam, & ideo etiam ex hoc possit colligi cognitionem creaturarum per omnipotentiam Diuinam, quæ realiter distinguitur, esse scientiā; attamen ad rationem sapientiæ sufficit causa virtualiter distincta; hinc *Metaphysica*, quæ cognoscit passiones entis tantùm virtualiter distinctas, est sapientia; Philosophia verò naturalis, quæ cognoscit passiones corporis, quæ sunt realiter distinctæ, est scientia; sed essentia Diuina est causa virtualis attributorum; ergo cognitio, qua cognoscuntur attributa per essentiam, est sapientia. Tum quia *sapientia est cognitio per causas causarum* specificantium scientias; quia sicut scientia est inferior ad sapientiam, ita id, quod est inferius in obiecto sapientiæ, debet esse superius in obiecto scientiæ iuxta illud: *Supremum infimi est infimum supremi*; quod autem est superius in obiecto, specificat scientiam, quia specificatio sumitur à primario, & per consequens à superiori; sed causæ specificantes Diuinam scientiam sunt Attributa Diuina, quæ immediatè respiciunt creaturas, vt diximus *To. 1. de Emin Dei art. 3*; ergo cognitio attributorum per essentiā, quæ est causa virtualis illarū, est sapientia. Tū quia *iuxta Phil. sapiētia versatur circa nobilissima, altissima, & difficillima*; sed cognitio versans circa attributa per essentiam est huiusmodi; ergo est sapientia. Tandem si cognitio attributorum per essentiam non esset sapientia, sequeretur, quòd sapientia ex suo conceptu formali non esset in Deo, sed tantùm prout confunditur cum scientia; quia secundùm suum cōceptum formalem distinguitur à scientia; sicut scientia secundùm suum conceptum formalem distinguitur ab Arte; si autem scientia esset in Deo, prout formaliter confunditur cum Arte, iam non esset secundùm suum conceptum formalem, de cuius ratione est distingui à conceptu Artis; sed consequens dici non debet; quia si Ars, & Prouidentia, quæ sunt inferiores ad sapientiam, nullam in suo conceptu formali dicūt imperfectionem, & ponūtur formaliter in Deo, multò magis sapientia, quæ est superior; tum quia nullus habitus intellectus dicit imperfectionem formaliter, quia esse intellectiuum secūdùm suam totalitatem formaliter depurari potest ab imperfectionibus; & ideo sapientia est formaliter in Deo; ergo sapientia est cognitio attributorum per essentiam Diuinam.

Conf. 1. Penes cognitionem creaturarū per essentiam Diuinam attenditur scientia; ergo si sapientia non attenderetur penes cognitionem attributorum per essentiam Diuinam, non esset obiectum, penes quod posset desumi sapientia; & sic sapientia, quæ est perfectio simpliciter simplex, secundùm suum conceptum formalem deficeret Deo. Quòd autem sapientia secundùm suum conceptum formalem distinguatur à sciētia, patet ex dictis *in sup. §.* quia *illa versatur circa causas causarum, & circa nobilissima, & difficillima, & regulat scientiam, vt docet Phil. 1. Met*; scientia verò versatur tantùm circa causas, & circa effectus ignobiliores, & ideo facillimos, & regulatur à sapientia; ergo conceptus sapientiæ est diuersus formaliter à conceptu scientiæ.

Conf. 2. Cognitio attributorum per essētiam est superior, & regulat cognitionem creaturarum per attributa, vt patet; ergo illa est sapientia; hæc scientia.

29 Prob. 2. pars *ex B. Doct. hic q. 1.* Illud, quod reperitur formaliter in aliquo per participationem, si nullam in suo conceptu formali inuoluat imperfectionem, reperitur formaliter, & principaliter in primo Ente, in quo est per essentiam imparticipatum; vt lux, quæ reperitur in his sublunaribus formaliter per participationem à Sole, reperitur formaliter, & magis principaliter in Sole, in quo est per essentiam, idest non participatiuè ab alio corpore, quanuis illam habeat participatiuè à Deo; sed scientia reperitur per participationem formaliter in creaturis, & nullam dicit imperfectionem in suo conceptu formali; ergo magis principaliter, & cum plenitudine omnis sciētiæ reperitur formaliter in Deo. Min. superiùs probata est.

30 Prob. 3. *ex eodem ibid. q. 3. §. Cogimur.* ratione desumpta *ex Beatiss. P. Aug. 6. de Trinit. c. 10*; vbi ait: *Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; ac non potiùs ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter sciuntur à Deo.* Ex quo sic. Deus est primum Agens immobile; ergo in ipso est formaliter scien-

ſcientia creaturarum. Ant. deducitur ex mouentibus, & motis. Prob. con. Primum Agens immobile agit à ſe, quia non agit, vt motum ab alio; ſed quod agit a ſe, agit liberè, quia agit cum dominio ſuarum actionum (in hoc enim differt agens neceſſarium, quod cùm agat, vt motum ab alio, non agit cum dominio ſuarum actionũ, ab agente libero, quod quia agit etiã, vt motum à ſe, habet dominium ſuarum actionum) et quod agit liberè, agit ſciens, & volens, quia libertas ſupponit cognitionem; ergo in Deo eſt formaliter ſcientia. Hanc rationem ſubtiliter proſequitur *noſter Greg. hic.*

Explicatur, & conf. hæc ratio *ab eodem q. 4. §. Ad hoc*. Ad rationem formalem ſcientiæ quatuor requiruntur. 1. vt cognoſcatur cauſa rei. 2. vt cognoſcatur, quoniam illius eſt cauſa. 3. quòd noſcatur talem cauſam eſſe per ſe, & ſimpliciter, non per accidens. 4. quòd talis cauſa ſit immutabilis; hæc enim colliguntur ex definitione ſcientiæ tradita *à Phil. 1. Poſt;* vbi ait: *Scire eſt rem per cauſam cognoſcere*, ex quo habetur primum; vnde ſi quis cognoſceret aliquam rem per ſe ipſam, non per cauſam, non haberet ſcientiam illius rei. *Et quoniam illius eſt cauſa*; ex quo habetur ſecundum; vnde ſi quis cognoſceret interpoſitionem terræ, quæ eſt cauſa Ecclipſis, non tamen cognoſceret illam eſſe cauſam Ecclipſis, nõ haberet ſcientiam. *Simpliciter, & non ſophyſtico modo;* ex quo habetur tertium; quia ſcientia eſt ex veris, non ex falſis. *Et quod eſt impoſſibile aliter ſe habere*; ex quo habetur immutabilitas, ita, vt qui cognoſceret cauſam mutabilem alicuius rei, non haberet ſcientiam illius, quia de contingentibus non eſt ſcientia, ſed opinio, & cõiectura; ſed Deus noſcit ſe ipsũ, & cognoſcit ſe eſſe cauſam omnium creaturarum, & eſſe cauſam ſimpliciter, & eſſe ab omni mutabilitate ſemotum; ergo in Deo eſt formaliter ſcientia.

31 Prob. 3. *ab eodem q. 3.* Deus eſt cauſa finalis vltima ſimpliciter omnes creaturas ordinans in ſuos fines; ſed cauſa ordinans debet cognoſcere in ſe ipſa omnes effectus, quos ordinat, quia ordinare eſt actus intellectus, cùm ſit actus videntis; ergo in Deo eſt formaliter ſcientia; quia ſcientia formaliter eſt cognitio rei per ſuam cauſam. Sic procedit iſta ratio nedum de cauſa efficiente, ſed etiam de finali.

32 Tandem prob. Ad rationem formalem ſcientiæ ſufficit cognitio per cauſam, nec requiritur diſcurſus realis, vel virtualis, vt ſupra dictum eſt; quia Deus vnico ſimpliciſſimo intuitu cognoſcit ſe ipſum, & creaturas, ſed etiam cognoſcit creaturas cauſari à ſe ipſo, & dependentiam cauſalitatis, quam habent ad ipſum; ergò malè excluditur ratio formalis ſcientiæ à Deo propter diſcurſum. Tum quia licèt creaturæ ſecundùm ſe ſint contingentes; attamen comparatæ ad Diuinam præſcientiam, & voluntatem induunt neceſſitatem, vt docet *B. Doct. in 1. diſt. 47. princ. r. q. 1. ad 4;* ergo poſſunt terminare ſcientiam.

Ratio autem probans per immaterialitatem immediatè probat intellectualitatem eſſentialem, ad quam conſequuntur ſcientia, & alij habitus intellectus, vt oſtendimus *To. 1. de Subſtant. Dei q. 2. art. 7. §. 1.*

33 Obijc. 1. Scire *per Phil. 1. Poſt. eſt per demonſtrationem intelligere;* ex quo deſumpta eſt illa definitio ſcientiæ; *Scientia eſt habitus per demonſtrationem aquiſitus;* ſed demonſtrare eſt diſcurrere, quia demonſtratio eſt vna ex ſpeciebus ſyllogiſmi, vt traditur in ſummulis; ergo ſcientia formaliter importat diſcurſum. 2. Scientia, eſt per cauſas inferiores, in quo diſtinguitur à ſapientia. Tum quia ſcientia eſt ex proprijs; Deus autem eſt cauſa communis omnium creaturarum.

Reſp. *B. Doct. ad 2;* quòd hæc, & aliæ ſimiles auctoritates *Phil.* procedunt de ſcientia, prout formaliter in nobis, non autem de ſcientia, *vt ſic*, prout præſcindir ab humana, Angelica, & Diuina; ſicut enim triplex eſt intellectualitas eſſentialiter diuerſa, ad quam ſequitur ſcientia, vt diximus *To. 1. q. 2. de Subſt. Dei art. 7. §. 2. n. 22;* ita triplex eſſe debet ſcientia; paſſiones enim commenſurantur cum eſſentia, à qua fluunt; cùm autem ſcientia hominis nequeat differre à ſcientia Dei, in eo, quòd eſt cognitio rei per cauſam, quia hoc eſt commune, neceſſariò debet differre in eo, quòd humana eſt diſcurſiua, & demonſtratiua; Diuina verò non. Ad 2. patet ex dictis *in ſup. §. n. 8; & 11;* diſt. n. Sciẽtia ſequens ad intellectualitatem inferiorẽ, quam definiuit *Phil;* conc; ſcientia ſequens ad ſuperintellectualitatem, neg. Ad 3. reſp. *B. Doct. q. 4. ad 3.* diſt. min. Deus eſt cauſa communis tantùm attingens rationes vniuerſales, vt Sol reſpectu effectus ſublunaris, neg; communis, & propria attingens rationes vniuerſales, & particulares cuiuſcunque creaturæ conc. Deus ergo ita eſt cauſa communis, vt etiam ſit propria cuiuſcunque creaturæ.

34 Obijc. 2. Ex *B. Doct. diſt. 45. q. 1.* Scientia primariò tendit in concluſiones, ſeu in effectus; quia *intellectus eſt principiorum, ſcientia concluſionum;* ſed Diuina cognitio nequit primariò tendere in creaturas, quia creaturæ ſunt obiectum ſecundarium; neque prius tendere in attributa, quàm in eſſentiam, aliter intelligeret eſſentiam à poſteriori; ergo in Deo neque eſt ſcientia, neque ſapientia. Mi. patebit inferiùs; Prob. ma. Si ſcientia, & intellectus principiorum æquè primariò tenderent in principia, non diſtinguerentur formaliter, quia diſtinctio formalis habetur tantùm ab obiecto primario, à quo ſpecificantur.

Reſp. *B. Doctorem* nihil aliud intendere, quàm quòd intellectus, qui eſt potentia, prius ten-

tendit in principia, quàm in conclusiones, & quòd actus, quo tendit in principia, est actus primorum principiorũ, & cùm sit primus actus, sortitur nomen potẽtiæ, & vocatur intellectus; actus verò, quo tendit in conclusiones, vocatur scientia. Igitur omissis responsionibus *Thomistarum*, vt *Godoy* §. 1. *n.*39; *& Ferri* §. 4. *ad* 1. concedentium maiorem, & negantium minorẽ; Neg.ma;nã si sciẽtia essentialiter tẽderet primariò in conclusiones, vt sciẽtia humana,& in effectus,vt Diuina,& Angelica;& secũdariò tẽderet in principia, nulla daretur scientia à priori,sed omnis sciẽtia esset à posteriori;quia effectus esset ratio primaria cognoscẽdi causã,nõ è contra; & sic sciẽtia esset cognitio causæ per effectum;non verò effectus per causam,vt communiter definitur scientia; particula enim *per* designat causam formalem. Non autem sufficit causa in cognoscendo; sed requiritur causa in essendo. Ad prob. dist. Si æquè primariò secundùm eandem rationem; conc; secundùm diuersam rationem formalem, neg. Intellectus ergo principiorum tendit primariò in principia, quatenus indemonstrabilia,& per se nota; scientia verò tendit primariò in illa relatiuè ad effectum, quatenus per illa demonstratur effectus. Tum quia illud primariò cognoscitur à scientia, quod est ratio, seu causa cognoscendi alterum; sed principia sunt ratio cognoscendi conclusiones in scientia humana; & in Diuina, & Angelica causa est ratio cognoscendi effectus; ergo causa primariò cognoscitur à scientia. Idem dicitur de sapientia.

35 Obijc. 3. Si Deus haberet scientiam, vel sapientiam de suis attributis, posset habere scientiam,vel sapientiam de sua scientia, vel sapientia; cùm scientia,& sapientia sint Dei attributa; sed consequens est falsum, quia cognitio scientifica, vel sapientifica petit distingui saltem virtualiter à suo obiecto, sicuti actio vitalis à suo principio; & si sic distingueretur, daretur processus in infinitum; ergo falsum est & antec.

Resp. hoc arg. nimis probare; probat enim Deum nõ posse cognoscere suam cognitionem, quia cognitio, per quam cognosceret suam cognitionem, deberet distingui à sua cognitione, & sic in infinitum. Neg. igitur mi; tum quia potentia, actus, & obiectum, cùm integrent vnam speciem, seu lineam,vt vocant, non distinguuntur virtualiter; vt diximus *To.*1. *de Attr.in com. q.*2. *art.*8; *& seq.* Resp. 2. dist. ma. posset habere sapientiam reflexè, conc; directè, neg; eadem enim cognitione scientifica, qua cognosceret directè cetera attributa, cognosceret reflexè suam sapientiam.

36 Obijc. 4. Si Deus cognosceret suam Essentiam, vt causam virtualem attributorum, cognosceret illam,vt distinctam ab attributis; quia sicut causa realis distinguitur ab effectu realiter; ita virtualis virtualiter; sed distinctio virtualis est per intellectum; ergo Deus efformaret distinctionem rationis inter Essentiam, & Attributa.

Resp. neg. mi; distinctio enim virtualis est ante opus intellectus, vt diximus *To.*1. *de Attr. in com. q.*2. *art.*3. *n.*7; *& art.*4. 7; 8; *&* 9.

37 Obijc. 5. Fides, & visio beata, quæ illi succedit,est participatio Diuinæ cognitionis;sed Fides, & visio non sunt propriè scientia; ergo neque Diuina cognitio est propriè scientia.

Resp; quòd Fides est participatio obscura intellectus principiorum, vt diximus *To.* 1. *q.*3. *proem.art.*2.*n.*6;visio autem est participatio clara vtriusque.

ART. II.

Asseruntur aliqua proprietates scientiæ.

Vidimus *in sup. art*; quid importet formaliter scientia Dei sumpta præcisè secundũ conceptum explicitum; modò videndum est, quid importet materialiter, ratione scilicet Diuinæ Essentiæ, in qua purissimè imbibitur sine vllo compositionis defectu, ad hoc, vt pleniorem illius habeamus notitiam. Plures autem complicabimus in hoc articulo articulos, vel quia non sunt controuersi *inter Doctores*; vel quia alibi ex professo explicantur. Igitur.

1 Scientia Dei est à priori, non à posteriori. Colligitur *ex B. Doct. hic q.*1. docente: *Deum cognoscendo se intelligere alia à se*; & colligitur *ex Beatiss. P. Aug.* 5. *sup. Gen. c.*18. *Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, eùm ea fecisset, quàm illo, quo ea nouerat, vt faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio*. Quòd si Deus non cognouit alio modo creaturas, quàm in se ipso, vt in causa potente illas producere, optimè sequitur scientiam Dei esse tantùm à priori, non à posteriori. Et ratio est. Modus cognoscendi à priori per causam est perfectior, vt tenetur communiter, quàm modus cognoscendi à posteriori per effectum; & adeo quia in genere intelligentium homo est imperfectior, habet modum intelligendi à posteriori; sed modus imperfectior intelligendi repugnat Deo, qui est perfectissimũ intelligẽs; ergo modus cognoscendi à posteriori per effectum,& per consequens scientia à posteriori repugnat Deo. Hæc ratio probat communiter de scientia, & de sapientia Dei. *Vasq. apud Ferrum q.* 1. §. 5. censetur septire oppositum.

2 Scientia Dei est perfectissima, tam intẽsiuè, quàm extensiuè; *Ita B. Doct. dist.*38. *p.*1. *q.*2; *& Beatiss. P. Aug. vbi sup.* docente. *Non sanè propter inferiorum scientiam nuncijs indiget, quasi per illos fiat scientior; sed illo simplici, ac mirabili modo nouit omnia stabiliter, atque incommutabiliter*. Et ratio est. Scientia Dei est comprehensiua; ergo adæquat omnẽ cognoscibilitatem tam intensiuam, quàm extensiuam. Tum quia videt per lumen infinitum simpliciter manifestans,

quod-

quodcunque intelligibile; ergo extenditur ad omnia tam intenſiuè, quàm extenſiuè: non enim res ſunt intelligibiles ſolùm intenſiuè, ſed etiam extenſiuè.

3 Scientia Dei non inuoluit aliquam potentialitatem ſiue eſſentialem, ſiue accidentalẽ. *Ita B. Doct. diſt. 35. princ. 2. q. 2; et Beatiſs. P. vbiſ. Porrò ſi nouerat ea, priuſquam faceret ea, profectò priuſquam fierent, apud illum erant eo modo nota, quo ſempiternè, atq; immutabiliter viuũt.* Vbi nota quòd eſſe in potẽtia eſſentiali eſt intellectũ eſſe denudatũ omni ſpecie, & habitu; ſicut eſt intellectus pueri, qui eſt, *tãquam tabula raſa*, eo modo, quo materia dicitur eſſe in potentia eſſentiali, quando eſt denudata omni forma accidentali. Eſſe autem in potentia accidẽtali eſt intellectum eſſe informatum ſpecie, & habitu; carere tamen actuali intellectione. Prob. modò ratione. Deus non intelligit per ſpecies acceptas à rebus, non enim expectat, vt res ſint, quaſi ab illis accipiat nũcios, idẽſt ſpecies, vt illas cognoſcat, ſed per ſe ipſum ſibimetipſe eſt ſpecies, habitus, & actus, quo illas cognoſcit; ergo eius ſcientia non eſt in potentia eſſentiali, vel accidentali ad illas cognoſcendas. Tũ quia ſpecies, habitus, & actus ſunt formæ perficientes intellectũ Diuinum, qui nequit eſſe in potẽtia paſſiua ad ſuas perfectiones, quia potentia paſſiua dicit carentiam ſui actus; ergo eodem modo implicat ſciẽtiam Dei, vtpotè perfectiſſimam, carere ſua ſpecie, & actu, & ideo eſſe in potentia paſſiua eſſentiali, vel accidentali.

4 Scientia Dei non eſt in actu primo, ſeu per modum abijcientis actum, nec in actu ſecũdo, prout elicito ab actu primo, ſeu per modum actus ſecundi coniuncti cum primo, ſed eſt per modũ actus puriſſimi vitaliter eliciti à potentia intellectuali abſq; vlla diſtinctione virtuali. *Eſt contra Godoy hic diſp. 14. per totã*; quẽ tamen latè reiecimus *To. 1. de Subſt. Dei q. 2. art. 6. §. 2.* Traditur tamen *à Beatiſs. P. Aug; & Fundat. Doct. vbi ſup.* Et ratio eſt. Actus primus eſt eſſentialiter perfectibilis per ſecundum, & componibilis cum illo; actus enim primus *ex Phil. 12. Met.* comparatur dormienti, qui, licèt ſit potens cognoſcere, attamen actu non cognoſcit; & actus primus coniunctus cum ſecundo comparatur materiæ coniunctæ cum forma; ſed actu non cognoſcere repugnat Deo, quia *non eſt Deus, quaſi dormiens*, & eſſe compoſitum etiam virtualiter repugnat Deo; ergo ſcientia Dei nõ eſt per modum actus primi abijcientis actum ſecũdum, vel per modum actus ſecundi coniuncti per diſtinctionem virtualem cum primo, ſed eſt per modum puriſſimi actus per identitatem etiam virtualem eliciti à potentia intellectiua. *Vid. dicta vbi ſup.*

5 Scientia Dei propriè non eſt vniuerſalis, neque particularis, ſed tantùm ſimilitudinariè. *Ita Fundatiſs. Doct. vbi ſup; & colligitur ex doctrina Beatiſs. P.* docentis Deum omnia cognoſcere in ſe ipſo. Ex quo ſic arguitur. Scientiæ trahunt ſuam vniuerſalitatem, vel particularitatem ab obiectis; ſed obiectum ſcientiæ Dei eſt eſſentia Diuina, quæ non eſt vniuerſalis, neque particularis; habet tamen ſimilitudinem cum obiecto vniuerſali, quatenus in ſe ipſa comprehendit omnia cognoſcibilia, & totam latitudinẽ Entis; ergo ſcienria Dei nõ eſt propriè particularis, vel vniuerſalis, ſed tantùm ſimilitudinariè vniuerſalis, & ſpecialis. *Vid. dicta To. 1. q. 3. proem. art. 10.*

6 Scientia Dei eſt inuariabilis, immutabilis, & vniformis. *Ita Fundatiſs. Doct. diſt. 38. princ. 1. q. 2; & Beatiſs. P. Aug. vbi ſup.* dicẽs: *Nouit omnia ſtabiliter, atque incommutabiliter.* Ratio eſt. Scientia ſumit modum eſſendi ab obiecto primario, à quo ſpecificatur; ſed obiectum primarium ſcientię Diuinæ eſt Diuina eſſentia, quæ eſt inuariabilis, immutabilis, & ſemper vniformis; ergo ſcientia Dei eſt inuariabilis, immutabilis, & vniformis.

7 Scientia Dei omnia ſimul, non ſucceſſiuè cognoſcit. *Ita Fundatiſs. Doct. vbi ſup: & Beatiſs. P. 6. de Trin. c. 10. Cùm decedũt, & ſuccedant tempora, non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei. Et lib. 2. ad Simplic. q. 2. Ita ſit, vt, quod longè à veritate ſeclufum eſt, temporaliter aliquid accedat Dei, cùm temporaliter, quæ præſciuntur, etiam præſentia ſentiuntur, quæ non ſentiebantur, antequam fierent, ſed tantummodò præſciebantur.* Ratio eſt. Omnia ſunt ſimul præſentia Diuino intellectui ſecundùm eſſe, quod habent in Diuina eſſentia, in qua continentur nedum ſecundùm præſciẽtiam Dei, ſed etiam ſecundùm præſentiam, quam habebunt in ſe ipſis in tempore; vt explicuimus *To. 1. de Aeter. Dei art. 4*; nec poſſunt à Deo aliter cognoſci, quàm ex vi Diuinæ eſſentiæ, quæ omnia ſimul repræſentat; ergo ſcientia Dei omnia ſimul, non ſucceſſiuè cognoſcit; quia Diuina eſſentia, vt potè æterna, dicit ſimultatem ſine ſucceſſione. Tum quia ſcientia habet ſucceſſionem ſolùm ab obiecto primario, à quo ſucceſſiuè accipit ſpecies; ſed ſcientia Dei non accipit ſpecies à rebus creatis, penes quas tantũ eſt ſucceſſio, & variabilitas; ergo omnia ſimul ſine ſucceſſione cognoſcit. Et quanuis creaturæ in tempore ſibimetipſis ſuccedant, & illa ſucceſſio cognoſcatur à Deo; attamen quia ſunt tantùm obiectum ſecundarium, & non cognoſcuntur immediatè in ſe ipſis, ideo nullam ſucceſſionem traſfundunt in ſcientiam Dei.

8 Scientia Dei eſt infallibilis, etiam reſpectu futurorum contingentium. *Ita B. Doct. diſt. 48. princ. 3. q. 1; & Beatiſs. P. Aug. vbi ſup.* Ratio eſt. Scientia Dei cognoſcit futura contingentia ſecũdum illud eſſe, quod habẽt in Diuina eſsẽtia; ſed illud eſſe, quod habẽt in Diuina eſſentia, eſt immutabile, & infallibile; ergo ſcientia Dei cogno-

cognoſcit futura cõtingentia infallibiliter. Ma. patebit *infra*; quia nihil cognoſcit Deus immediatè extra ſe ipſum. Prob. mi. Non implicat, quòd aliqua res ſit variabilis, & inuariabilis ſecundùm diuerſas rationes cõſiderata, quia omnis creatura ſecundùm gradus vniuerſales eſſentiales eſt inuariabilis, & infallibilis; ſecũdùm verò gradus particulares eſt variabilis, & fallibilis; ergo creaturæ à fortiori ſecundùm illud eſſe, quod habent in Deo, ſunt infallibiles, & inuariabiles; quia in Deo nulla variabilitas eſſe poteſt, quamuis eſſe, quod habent in ſe ipſis, ſit variabile, & fallibile. Tum quia fallibilitas cognitionis non tollit neceſſitatem à rebus, quia videns contingenter Solem oriri non tollit neceſſitatem ab ortu Solis; ergo infallibilitas cognitionis non tollit contingentiam à rebus.

9 Scientia Dei cognoſcit enunciabilia inenunciabiliter, *Ita Fundatiſs. Doct. diſt. 38. princ. 2. q. 2; & Beatiſs. P. Aug. vbi ſup.* Ratio eſt. Deus cognoſcit omne cognoſcibile ſecundùm illud eſſe, quod habet in Deo; res enim, vt v.g. lapis, non cognoſcitur immediatè, quia non vnitur ſecundùm illud eſſe materiale, quod habet in ſe ipſo, ſed ſecundùm illud eſſe ſpirituale, quod habet in intellectu; hinc dicitur *noſter intellectus cognoſcere materialia immaterialiter*; ſed enunciabilia habent eſſe cognoſcibile, quia habent veritatem, & hæc veritas eſt in Deo, in quo eſt omnis veritas modo ſimplici, ac mirabili; quia omnia, quæ ſunt in Deo ſtant cum ſumma ſimplicitate, cùm Deus ſit ſummè ſimplex; ſicuti omnia temporalia ſecundùm illud eſſe, quod habent in Deo, ſunt æterna eò, quia Deus eſt æternus; ergo ſcientia Dei cognoſcit omnia enunciabilia inenunciabiliter, idēſt per intuitum ſimpliciſſimum.

10 Scientia Dei non eſt habitualis. *Ita Fũdatiſs. Doct. diſt. 35. princ. 2. q. 2. ad 2. vlt. dub, & Beatiſs. P. vbi ſup.* Ratio eſt. Habitus importat duplicem imperfectionem, vnam extrinſecam, quia ſupponit intellectum perfectibilẽ per ipſum habitum; alteram intrinſecam, quia habitus non importat in ſuo conceptu formali ſuam vltimam actualitatem, ſcilicèt, operationem; ſed omnis imperfectio repugnat Deo; ergo ſcientia Dei non eſt habitualis. Sed hoc eſt intelligendum de habitu realiter diſtincto tam ab intellectu, quàm ab ipſa actuali operatione.

11 An autem ſcientia Dei habeat rationẽ habitus virtualiter diſtincti tam ab intellectu, quàm ab ipſa actuali cognitione?

Negat *Godoy hîc diſp.* 24. §. 8. Prob. 1; quia habitus in ſuo conceptu formali importat imperfectionem eò, quia exigit ſubiectum ſuſceptiuum ſui; ſubiectum autem ſuſceptiuum ſui importat potentiam paſſiuam realiter diſtinctam ab actu; & potentia paſſiua eſt maxima imperfectio. 2. Habitus eſt de genere accidentis; accidens autem importat formaliter imperfectionem. 3. Habitus eſt actus medius inter potentiam, & actum, vnde habens habitum comparatur dormienti; actus autem medius importat imperfectionem, quia importat carentiam actus. 4. Habitus ſupponit intellectum imperfectum in ratione potentiæ; quia, cùm tribuat potẽtiæ, virtutem, proportionem, & facilitatem ad actum, ſupponit in potentia carentiam virtutis, improportionem, & difficultatem vincendam per ipſum habitum; iſtę autem ſunt maximę imperfectiones. Tandem quia *D. Tho.* concedit in Deo ſcientiam, & potentiam, negat autem habitum; hoc autem eſſe nequit, niſi quia habitus importat eſſentialiter diſtinctionem realem à potentia, quæ eſt maxima imperfectio repugnans Deo.

12 Sed hæc parum roboris habent; poteſt enim reſponderi, quòd hæc competunt habitui materialiter ratione ſubiecti creati, non autem formaliter. Ad 1. dicitur, quòd exigere ſubiectũ ſuſceptiuum ſui eſt aliquod commune omnibus accidentibus; ergo nequit competere habitui ſecundùm proprium cõceptum formalem, quia proprius cõceptus formalis habitus eſt ille, per quem diſtinguitur ab omni alio accidente; quod non eſt habitus, & ideo nequit conſiſtere in aliquo communi, & generico; conceptus enim formalis explicat differentiam, quæ eſt aliquod extra conceptũ generis. Sic licèt actio intellectiua in nobis exigat recipi in intellectu, tanquã in ſubiecto ſuſceptiuõ, attamen in Deo datur *per ipſum Godoy* ſine vlla imperfectione, vt virtualiter diſtincta à potentia intellectiua. Ad 2. eodem modo; nam ratio accidentis eſt ratio cõmunis generica, quę nequit importari ab habitu formaliter differẽtialiter ſũpto. Ad 3. ſimiliter; nam eſſe medium inter potentiam, & actum cõuenit etiam potentiæ, quæ eſt media inter principium radicale remotum, & ipſum actum; & tamen ratione identificationis realis tollitur *per ipſum Godoy* omnis imperfectio; ergo à pari de habitu. Ad 4. dicitur, quòd etiam potentia intellectiua tribuit naturæ virtutem proximam ad intelligendum; proportionẽ cum obiecto intelligibili, quia ponit illam in eadem ſpecie, quæ eſt vera proportio, vt vidimus *de Ineffab. Dei art.* 4. *n.* 7; & promptitudinem ad actum, quia reddit ipsã formaliter expeditam; & tamen, quia non diſtinguitur realiter, ideo non ſupponit in eſſentia imperfectionem carentiæ, improportionis, & inexpeditionis; ergo à pari, licèt habitus tribuat potentiæ virtutem, proportionem, & facilitatem; attamen, quia non diſtinguitur realiter ab ipſa, non ſupponit in potentia carentiam virtutis, improportionem, & difficultatem vincendam; nõ enim eſt minor imperfectio ſupponere in ſubiecto carentiam virtutis proximæ, quã ſupponere difficultatẽ in virtute, quia carẽtia virtutis dicit defectum ſimpliciter ipſius virtutis; difficultas autem non dicit carentiam

tiam

tiam virtutis simpliciter, sed tantùm secundùm quid, scilicet intensionis virtutis; vnde creatura carēs aliqua virtute dicitur imperfectior, quàm creatura habens illam virtutem in remisso difficulter operatiuam; ergo si potentia proxima intellectiua, licèt supponat carentiam sui in essentia, attamen, quia non distinguitur realiter ab illa, nullam inuehit in Deum imperfectionem, à fortiori licèt habitus supponat carentiam facilitatis, attamen ratione identificationis realis nullā importat imperfectionem. *Ad D.Thom.* dicitur, quòd manifestè loquitur de habitu realiter distincto *in textibus adductis*; & ideo nihil cōtra *Auctores* oppositos ponentes in Deo rationem habitus cum summa identitate.

13 Prætereà debet soluere *Godoy*, quomodò intelligere secundùm sui totalitatem dicat perfectionem depurabilem ab imperfectione, & ponatur in Deo formaliter; & tamen habitus, qui pertinet ad genus intellectiuum, non possit depurari ab imperfectione, sicut deputatur scientia, sapientia, prudentia &c? Ommissis ergo his rationibus, quæ videntur insufficientes.

14 Prob. pars negatiua *cum B.Doct. vbi sup. Cùm virtus intellectiua, & memoria dicant rationem principij, ponendo in Deo talia, non ponimus ibi imperfectionem; habitum tamen ibi non ponimus propter duplicem imperfectionem, quam videtur habere habens habitum; nam cùm habitus sit perfectio potentiæ, sequitur; quòd habens habitum habeat virtutem intellectiuam perfectibile m per aliquid additum. Rursum cùm habitus non dicat perfectionem vltimatam; sed insit ei perfectio ex operatione, sequitur, quòd intelligens per habitum non sit actus purus; dicit enim habitus perfectionem aquisitam ex operibus, quæ omnia Deo competere nō possunt; vnde sicut Deus est magnus sine quantitate; licèt magnitudo in rebus corporalibus sit species quantitatis; ita est sciens sine habitu; licèt scientia in nobis sit species habitus.* Et hoc colligit *ex doctrina Beatiss. P. Aug. 5. de Trin. c. 1.* docente: *Quod ergo non inuenimus in meliore nostro, non debemus in illo quærere, quod melius longè est meliore nostro. Vt sic intelligamus Deum, si possumus, quantùm possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, siue habitu omnia continentem &c.*

Primum sic explica tur. Habitus super sciētiam v. g. importat solù m facilitatem potentiæ in ordine ad actus, quos potentia non habet in se ipsa, quæ facilitas, licèt comparatiuè ad non habentem talem facilitatem sit perfectio, quia meliùs est habere talem facilitatem, quàm non habere, attamen absolutè dicit imperfectionem supra ipsam perfectionem scientiæ, quia dicit carentiam realem actuum, in ordine ad quos facilitat potentiam; ergo habitus ex suo conceptu non importat aliquam perfectionem supra virtutes intellectus, & voluntatis; sed importat solum modum, quo sunt in creatura; qui modus, vtpotè imperfectus formaliter, repugnat Deo; ergo habitus secundùm suum conceptum formalem non est in Deo.

Secundum sic ostenditur. Habitus non dicit vltimatam perfectionem actus, quia non dicit omnē actum; ponitur enim habitus ad facilitandam potentiam in ordine ad eliciēdos alios actus; ergo supra perfectionem actus scientiæ v. g. dicit carentiam aliorum actuum cum facilitate potētiæ ad illos eliciendos; & per consequēs ex suo conceptu formali importat imperfectionem, & ideo non ponitur formaliter in Deo.

15 Nec refert, quòd illa facilitas sit perfectio potentię creatę; nam contra est, quia, vt diximus *To. 1. q. 1. de Attr. in com. art. 1. ex B. Doct.* creaturam contrahi ad determinatum genus, & determinatam speciem est perfectio propria creaturæ, quæ si tolleretur ab ipsa, poneret in ipsa omnem imperfectionem; at verò si Deus limitaretur ad aliquod genus, & speciem determinatam, non poneretur in Deo aliqua perfectio, sed tolleretur à Deo omne esse; limitaretur enim ad vnum tantùm esse specificum; quapropter in Deo ponitur omnis perfectio speciei sine imperfectione generis, quia ponitur sine limitatione, seu sine modo, quem habet illa res in creatura; ergo licèt facilitas dicat modum perfectionis, quem habet scientia in creatura, attamen in Deo esset summa imperfectio. Itaq; ponitur vtique in Deo entitas actus scientifici v. g; quia secundùm suum conceptum formalem dicit puram perfectionem; non tamen ponitur secundùm modum proprium, quo est in creatura, scilicèt per modum facilitantis potentiam, seu per modum habitus, quia iste modus, licèt dicat perfectionem in creatura, attamen in Deo diceret imperfectionem, quia diceret limitationem ad vnum tantùm actum scientificum, & ponendo in ipso scientiam per modum habitus tolleret ab ipso omniscientiam, quæ est perfectio propria Dei. Vnde sicuti si in creatura daretur actus scientificus, qui esset omnis actus possibilis elici à scientia, & esset inammissibilis, profectò ille actus non esset per modum habitus, quia non facilitaret potentiam ad eliciendos alios actus; nam alij actus essent impossibiles; sed actus scientiæ in Deo est omnis actus, & est inammissibilis ab intellectu Diuino; cùm sit idem realiter cum illo; ergo non est per modū habitus. *Vid. de Vol. Dei q. 2. art. 1. §. 1. n. 19.*

16 Ex his patet, quòd habitus non dicit aliquam perfectionem intellectus entitatiuè, & specificè distinctam ab alijs; sed dicit solùm modum, quo perfectiones intellectus sunt in creatura; & ideo licèt esse intellectiuum secundùm totalitatem suæ perfectionis nullam dicat imperfectionem formalem, & ponatur formaliter in Deo; attamen quia secundùm modum proprium,

prium,quo eſt in creatura,dicit imperfectionem repugnantem Deo,ideo non ponitur formaliter in Deo; & per conſequens habitus non eſt in Deo.Nec ſequitur,quòd aliqua perfectio intellectus non ſit in Deo; ſed ſolùm quòd modus perfectionis proprius creaturæ non ſit in Deo; quod omnes confiteri tenentur. *Vid. dicta To. 1. vbiſup.*

17 Vlteriùs apparet,quòd nomine habitus non debemus ſomniari aliquam entitatem productam ab actibus, & relictam in potentia, ſed ſolam facilitatem, quæ non eſt niſi modus relictus in illa, ſicut ſigillatio ceræ non eſt niſi modus relictus à ſigillo in ipſa cera. Quid autem dicendum ſit habitibus infuſis,ſuo loco patebit; vel enim habent rationem potentiæ, & modum habitus,vt diximus de lumine gloriæ *To.1.q.2. art.1. à n.* 4; vel non ſunt niſi actus perſeuerantes in potentia,per quos potentia illis informata elicit actus aliarum virtutum, quæ pendent ab illis actibus quoad exercitium ſuorum actuũ; v. g. amor Dei exiſtens in voluntate inflammat ipſam ad exercẽda opera miſericordiæ,pietatis, pænitentiæ &c.Sed de hoc *alibi.*

18 Obijc.1. *ex Henr. 1. p. art. 37. q. 1; & Arriaga hic diſp.15. ſect.3.ſubſect.4. apud Godoy vbi ſup.* Aggregatum ex potentia,& habitu nullam dicit imperfectionem, quia dicit potentiã facilem,& expeditam; facilitas autem eſt perfectio ex ſuo genere, quia opponitur difficultati, quæ dicit imperfectionem; ergo eſt ponenda in Deo ratio habitus. Tum quia intellectus Dei ſine vlla difficultate, imò cum maxima ſuauitate, & facilitate elicit ſuas actiones. Tum quia licèt indigere facilitate iuuante potentiam cum diſtinctione reali ſit imperfectio, non tamen eſt imperfectio indigere facilitate ſolùm virtualiter diſtincta; ſicut licèt indigere intellectu realiter diſtincto ad intelligendum ſit imperfectio, non tamen indigere intellectu ſolùm virtualiter diſtincto; ergo quanuis ratio habitus realiter diſtincti dicat imperfectionem, non tamen ratio habitus virtualiter diſtincti.

Reſp.omiſſis reſpõſionibus *Godoy* de facilitate ſupponente difficultatem in ſubiecto, & non ſupponente, quæ non concludunt, vt ſupra diximus; neg. ant. Ad prob. diſt. Facilitas eſt perfectio entitatiuè, & ſimpliciter, neg; nihil enim addit ſupra entitatem actus, niſi modum relictum in potentia, qui modus, cùm ſit proprius creaturę etiam *iuxta D.Tho*; nequit transferri ad Deum, quia perfectiones creaturarum transferuntur ad Deum quoad rem ſignificatã, non quoad modum ſignificandi; vt diximus *in ſup.art*; §.2. *n.*4. Facilitas eſt modus perfectionis creatæ oppoſitus difficultati, quæ eſt imperfectio conueniens ſolùm creaturæ ob limitationẽ virtutis, conc. Ad 2. diſt.vlt.pars. Cum facilitate diſponente potentiam ad eliciendos actus, quos non habet, neg. Cum facilitate adæquãte potentiam per omnem actum, conc; ſed in hoc non conſiſtit ratio habitus, vt *ſupra dictum eſt.* Ad vlt. dicitur eodem modo; quòd indigere facilitate adiuuante potentiam ad eliciendos actus, quos non habet,in quo conſiſtit ratio habitus,eſt maxima imperfectio remouẽda à Deo, licèt ſit perfectio in creatura.

19 Obijcit 2. *Godoy* §. *vlt. n.* 198. Illi, qui aſſerunt potentiam intellectiuam non diſtingui virtualiter ab actuali intellectione, coguntur admittere in Deo rationem habitus; nam ſic aſſerentes admittunt in Deo potentiam intellectiuam, quia actualitas Diuina concipitur à nobis ad inſtar potentiæ, & actionis, idèſt per ſpeciem actionis, & per ſpeciem potentiæ; ſed actualitas Diuina poteſt concipi etiam per ſpeciem habitus; ergo coguntur admittere in Deo rationem habitus.

Sed nimis debile eſt hoc, vt poſſit cogere nos ad concedendam in Deo rationem habitus. Igitur reſp. 1. neg. ma; nam non ideo admittimus in Deo potentiam intellectiuam per modum actus puriſſimi,quia à nobis poſſit concipi per modum potentiæ, & actionis, ſic enim admitteretur ſolùm per noſtrum intellectum; ſed ideo illã admittimus realiter formaliter in Deo, quia re vera actio vitalis non petit vllo modo diſtingui à ſuo principio proximo; diſtinguitur enim ſolùm ratione finitatis,& limitationis,quæ cùm in Deo non ſit, ideo actio poteſt pertingere vſque ad identitatem virtualem proximam. *Vid. dicta To.1. de Subſt. Dei q.2. art.6.* §.2; & de hoc iterum *de Trin.q.3.de Pot.generatiua.*

Reſp. 2. diſt. min. Poteſt concipi per ſpeciem habitus ſine imperfectione, neg; cum imperfectione, conc; Illa ergo ponuntur in Deo formaliter, quia concipiuntur ſine imperfectione; habitus verò non; quia nequit concipi ſine imperfectione ipſius Dei,vt dictum eſt.

20 Scientia Dei, & noſtra dicuntur ſolùm analogicè. Colligitur *ex Beatiſſ. P; & Fundatiſſ. Doct. locis cit. de Ineffab. Dei art.* 4. Ratio eſt; quia dicuntur inæqualiter ſecundùm eundem conceptum formalem; & noſtra dicitur per attributionẽ ad ſcientiã Dei. *Vid.ibid.dicta.*

21 Tandem. Eſſentia Diuina impropriè dicitur ſpecies reſpectu intellectus Diuini; quanuis propriè dicatur forma intelligibilis, vt diximus *To. 1. de Inuiſib. Dei q.3. art.2; & 3.* Colligitur *ex Beatiſſ. P. Aug. 9. de Trin. c. 12.* docente: *Ab vtraque enim paritur notitia, à cognoſcente ſcilicet, & cognito; & lib. 11; & 12.* latè probat ex obiecto, & potentia gigni notitiam. Idem docet *Fundatiſſ. Doct. diſt.35.princ.1.q.2*; vbi docet, quòd ratio cognoſcendi in Deo eſt obiectum ipſum cognitum; *& princ.2.q.2.* Idem habet *Sua. Met. diſp.30. ſect.15.* Eſt tamen contra *Godoy hic diſp. 24. §. 7. n.156; apud quem Ban; Zum; Albel, Salm; Ferrar; Caiet; Bieſcas,& communiter alij Thomiſtæ*; quibus adduntur

Alar-

Alarc; Granad; Vasq; Val; Mol; & Ruiz.

22 Lis est de nomine; si enim intelligatur, quòd Diuina essentia in ratione repræsentantis habet vniri, vt forma intelligibilis intellectui Diuino, verum est; sed negamus hoc conuenire soli speciei; conuenit enim etiam obiecto, cuius species est vicaria; cùm enim obiectum est omnino immateriale simpliciter, vt est essentia Diuina, tunc habet repræsentare se ipsum absque specie; sic se habet essentia Angeli respectu proprij intellectus. Vnde ponitur species, vt gerat vicem obiecti, quando obiectum non est immateriale, nec præsens; tunc enim repræsentat se ipsum absque specie. Quare propriè loquendo dicendum est potiùs speciem habere rationem obiecti, quàm è contra, quia ratio repræsentandi primò conuenit ipsi obiecto, quod est principale, quod attingitur; quàm speciei, quæ est vicaria obiecti; sicut Episcopus non dicitur habere rationem sui Vicarij gerentis vicem Episcopi; sed Vicarius habere rationem Episcopi.

23 Dices *ex Godoy*. Species in suo conceptu formali nullam inuoluit imperfectionem; ergo est ponenda formaliter in Deo. Ant. patet; tum quia si inuolueret imperfectionem, Diuina essentia in intellectu Beato non posset gerere rationem speciei. Tum quia, cùm pertineat ad esse intellectiuum, esse intellectiuum non diceret perfectionem simpliciter secundùm totam suam latitudinem, cuius oppositum dicebamus superiùs.

Resp; quòd tota perfectio, quam dicit species, est ipsum obiectum, quod dicit in esse intelligibili; vnde ponendo ipsum obiectum repræsentatum per speciem, & ipsam rationem repræsentandi, quam habet species ab obiecto, ponitur in Deo tota perfectio speciei; cetera verò, quæ conueniunt speciei, vt distingui ab obiecto &c; dicunt imperfectionem. Hinc Diuina essentia vnitur, non in ratione speciei distinctæ à se ipsa, sed per se ipsam, vt forma intelligibilis, quæ tamen propter hoc non est dicenda habere rationem speciei, vt dictum est.

24 Controuersia de re cum *Godoy* est; quòd nos dicimus essentiam, vt obiectum Diuini intellectus, non distingui virtualiter ab ipsa intellectione, & natura; cuius oppositum ipse docet *vbi sup. n. 167*. Prob. autem, & explicatur. Nam vel obiectum, siue formalitas speciei est intelligibilitas vniuersalissima, *vt sic*, quæ est obiectum adæquatum intellectionis essentialis constitutiuæ Diuinæ naturæ, & sic non distinguitur virtualiter à natura Diuina, quæ constituitur per ipsam intellectionem essentialē, quia obiectum, actus, & potentia pertinēt ad eandem speciem, seu lineam. Vel est intelligibilitas per causam, quæ est obiectum, vel species respectu cognitionis scientificæ, & hæc vtique distinguitur virtualiter à natura, cùm sit proprietas attributalis illius, non tamen distinguitur virtualiter à cognitione scientifica, quia est eiusdē speciei, vel lineæ cum illa; vt ostendimus *To. 1. de Subst. Dei vbi sup; & de Attr. in com. q. 1. art. 4; & 8; & seq.*

25 Obijcit *Godoy* 1. Inter essentiam, & operationem mediat virtus differens ratione ab essentia, & actu; sed hæc est potentia intellectiua; ergo potentia intellectiua differt virtualiter à sua actione, & ideo etiam ab essentia Diuina, vt gerit vicem speciei. 2. Quia sapientia, & bonitas dicuntur analogicè de Deo, & creaturis; & sapientia non est ratio bonitatis, ideo in Deo differunt virtualiter; sed intellectus, & cognitio, & ratio speciei dicuntur de Deo analogicè, & ratio vnius non est ratio alterius; ergo in Deo differunt virtualiter. 3. Essentia virtualiter distinguitur ab intellectione, & illam elicit, & præcedit virtualiter, sed in essentia, prout præcedit intellectionem, saluatur ratio formalis potentiæ intellectiuæ; quia saluatur facultas proxima intellectiua; essentia enim virtualiter influit in intellectionem immediatè; tum quia inter essentiam, & intellectionem nihil mediat constituens ipsā proximè intellectiuam; tum quia essentia non habet potentiam proximā intellectiuam ab ipsa intellectione actuali; ergo potentia virtualiter distinguitur ab actuali intellectione, & idem dicēdum de specie. 4. Potentia intellectiua virtualiter influit proximè in intellectionem; ergo distinguitur virtualiter; quia sicut influxus realis petit distinctionem realem; ita virtualis virtualem. 5. Virtualis distinctio inter potentiam intellectiuam, & intellectionem nullam dicit imperfectionem; tum quia per hoc, quòd identificet sibi realiter volitionem, excluditur omnis imperfectio; tum quia ex hoc, quòd radicale principium attributorum distinguatur virtualiter ab attributis, nulla est imperfectio; ergo in Deo est admittenda. Si dicatur intellectionem esse in eadem linea cum principio intellectiuo; attributa verò esse in diuersa linea. Contra instat; quia licèt intellectio sit vltima actualitas potentiæ intellectiuæ, non tamen est intra lineā potentiæ; sicut licèt volitio sit vltima actualitas naturæ, vt radicaliter volitiuæ, non tamen est intra lineam naturæ, quia est operatio egrediens à natura; sed egreditur etiam à potentia; ergo est extra lineam potentiæ. Contra 2. Linea diuiditur in principium radicale, proximum, & intellectionem; ergo quanuis sit intra eandem lineam genericè, non tamen est intra eandem lineam specificè. Contra 3. Particulares intellectiones, vt intellectus principiorum, scientia, sapientia, prouidentia, & ars sunt intra lineam intellectus, & tamen distinguūtur virtualiter. Cōtra 4. Existentia est vltima actualitas essentiæ, & tamen distinguitur virtualiter. Item suppositalitas est vltima actualitas naturæ, & tamen distinguitur virtualiter, quia est relatio. Tandē actualis generatio est vltima actualitas naturæ, & ta-

men distinguitur virtualiter, quia dicit relationem; ergo identitas lineæ non tollit distinctionẽ virtualem. Hæc obijcit *Godoy tract.6. de Volunt. Dei disp.47.§.3. à n.27. vsque ad 43*; quæ hic apposuimus, ne iterum *in illo tract.* hanc difficultatem repetamus; cùm illã iam resoluerimus *Tom.1.de Subst. Dei vbi sup*; & *hic* omnia, quæ dici possunt, subijcimus.

Resp.ad 1.dist.ma. Inter essentiam,& operationem scientificam mediat virtus differens ratione æqualiter ab vtraque; neg; ab essentia enim potentia intellectiua differt tantùm ratione sine fundamento;ab operatione autem scientifica differt ratione cum fundamento; inæqualiter, conc; & sic ratio specici, prout repræsentat intelligibilitatem per causam,differt virtualiter ab essentia, non autem ab actu scientifico per causam. Quòd si maior intelligatur de actu intellectionis essentialis, potentia intellectiua æqualiter differt ab essentia, & intellectione, sed pura ratione sine fundamento. Ad 2. dist.2. pars ma.Et sapientia non est ratio bonitatis specificè, sed est diuersæ speciei, conc; non est realiter numericè, neg; nam ad distinctionem virtualem non sufficit quæcunque distinctio, sed requiritur diuersitas specifica; quæ non datur inter intellectum, intellectionem essentialem, & speciem; & ideo in hoc sensu neg. mi. Ad 3. eodem modo dist.Essentia virtualiter distinguitur ab intellectione essentiali, neg. attributali, conc. Et dist. mi. In essentia,prout præcedit intellectionem attributalem,saluatur ratio potentiæ intellectiuæ, conc; prout præcedit intellectionem essentialem,neg; sic enim esset imperfecta, vtpote carens suo actu primario, à quo specificatur; & ideo non esset Diuina, quia non haberet specificatiuum,à quo poneretur in Natura Diuinitatis. Ad id, quod additur de influxu, dicitur, quòd talis influxus est purissimus sine vlla distinctione etiam virtuali.Tandem negatur, quòd essentia non habeat ab actuali intellectione essentiali potentiam proximam intellectiuam; intellectio enim essentialis est constitutiua formaliter potentiæ intellectiuæ; de intellectione autem attributali, conc. Ad 4. neg. ant; aliter intellectio vitalis non esset formaliter in Deo, sed tantùm eminenter virtualiter. Potentia ergo intellectiua influit realiter formaliter in intellectionem, sed sine distinctione virtuali per identitatem purissimam; quod necessariò est percipiendum,vt saluemus in Deo veram rationem actionis vitalis, & productiuæ. Ad prob.conf.dicitur influxum realem ratione limitationis petere distinctionem realem, non verò ratione sui, ideo posse stare cum identitate purissima. Ad 1. prob. dicitur, quòd hoc argumentum debet solui *à Godoy*; est enim *Scoti* asserentis distinctionem ex natura rei inter attributa Diuina, quia ad excludendam omnem imperfectionem finitatis sufficit identitas realis. *Vid. dicta Tom.1. de Attr. in com.q.2.art.7.n.5.* Neg. ergo assumptum. Ad 2. bene fuit responsum. Ad 1. improb. neg; quòd intellectio essentialis sit extra lineam potẽtiæ intellectiuæ;conc. de volitione respectu naturæ; nec omnis egressus sufficit ad constituendam actionem extra potentiam; sed requiritur egressus à specie potentiæ, vt est volitio respectu naturæ, vel egressus finitus, vt in creatura; intellectio autem essentialis egreditur per identitatem purissimam in eadem specie, seu linea. Ad 2. improb. neg. cons; principium enim radicale, potentia, & intellectio differunt veluti indiuidualiter, quia sunt intra eandem speciem potentiæ, ideo constituunt vnam lineam athomam. Ad 3. improb. dicitur,quòd habitus intellectus sunt proprietates veluti accidentales illius, ideo possunt multiplicari specie, quia plura accidentia specie diuersa conueniunt eidem rei absque eo, quòd multiplicetur specie illa res;& intellectus respectu suarum proprietatum se habeat veluti genericè,non tamen potest sic se habere respectu suę lineæ essentialis; ita se habet voluntas respectu iustitiæ, misericordiæ &c; & essentia respectu suorum attributorum; & tamen nullus diceret, quòd linea essentię Diuinæ sit generica respectu suorum prædicatorũ essentialium. Ad 4.neg. de existẽtia,vt diximus *To.1.de Subst.Dei q.2.art.3. §.2.* Ad vlt.dist.vtrunque ant. Suppositalitas, & generatio actualis est vltima actualitas in linea absoluta, neg; relatiua, conc; & sic non est mirum, quòd distinguatur virtualiter à natura, quæ est in linea absoluta; intellectio autem essentialis est in linea absoluta,& in eadem specie athoma; ideo non concludit.

26 Obijcit 2. *hic disp.24. §.7. n.168.* Ratio obiecti terminatiui diuinæ intellectionis distinguitur virtualiter ab essentia; ergo, & species, quæ est ratio obiecti motiui. Prob. antec. Ratio obiecti terminatiui Diuinæ intellectionis est veritas; sed veritas est attributum essentiæ; ergo distinguitur virtualiter.

Resp. hoc arg. solui ex dictis *To. 1. de Verit. Dei art. 8. à n.1. ad 4; & de Bonit. art. 5. n. 2.* dist. ergo antec. Ratio obiecti terminatiui materialis,conc;formalis,neg. Ad prob.dist.ma. Ratio obiecti terminatiui materialis est Veritas transcendentalis, quæ est in rebus, conc; & in hoc sensu conc. mi. Ratio obiecti terminatiui formalis est Veritas transcendentalis,neg. Cùm enim obiectum formale intellectus debeat vniri cum intellectu ad hoc, vt ab vtroque oriatur cognitio; & Veritas transcendentalis sit in rebus, non in intellectu, ideo Veritas trãscendentalis, quæ est attributum, vt diximus *vbi sup*; nequit esse obiectum formale terminatiuum Diuinæ intellectionis, sed Diuina Essentia, vt vnita intellectui; ideo argumentum non probat.

ART.

ART. III.

Quodnam sit obiectum primarium motiuum, & terminatiuum Scientiæ Dei?

1 QVanuis hanc difficultatem satis soluerimus *To. 1. de Inuisib. Dei q. 4. art. 1;* vbi ostendimus Diuinam essentiam, prout complectitur attributa, & relationes, esse obiectum primarium siue motiuum, siue terminatiuum visionis Beatæ; cùm enim *Theologia Beatorum imitetur modum Theologiæ Dei*, ideo, quod diximus de scientia Beatorum, dicendū sit etiā de sciētia Dei; attamen suppositis, quæ *ibid.* diximus, colligenda sunt, quæ hìc addunt *Auctores*.

2 Certum est 1. secundùm Fidem Deum cognoscere se ipsum, & quancunque creaturam siue possibilem, siue futuram, siue existentem. Primum habetur *ex 1. Cor. 2. Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei;* secundum verò *Hebr. 4. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius*; & de possibilibus, ac futuris *Rom. 4. Vocat ea, quæ non sunt.* Ratio primi affertur *à B. Doct. dist. 35. princ. 1. q. 2.* Cognoscere se ipsum est conuertere se supra se ipsum per suam cognitionem; in tantùm enim oculus nequit videre se ipsum, in quantùm nequit conuertere se supra suam visionem; sed Deus est conuersiuus supra se ipsum; nam res ideo nequit conuertere, & reflectere se supra se ipsam, quia est materialis, Deus autem est omnino immaterialis; ergo Deus cognoscit se ipsum. Rationes secundi allatæ sunt *art. 1.*

3 Certum est 2. apud *omnes DD.* obiectum primarium scientiæ Dei esse ipsum Deum; quia inter obiectum primarium, vt arguit *B. Doct. ibid. q. 3;* & intellectum cognoscentem debet dari proportio; solus autem Deus proportionatur intellectui Diuino, quia proportio dicit identitatem speciei, vt diximus *de Ineffab. Dei art. 4;* creaturas verò esse obiectum secundarium. Et quanuis *Aureol; & Dur;* negent creaturas esse obiectum secundarium scientiæ Dei, conueniunt tamen in hoc, quòd non sint obiectum primarium, & solùm intendunt creaturas nullo modo esse obiectum scientiæ Dei; quod tamen falsum est; quia illud dicitur aliquo modo obiectum intellectus, quod illi obijcitur cognoscendum, siue cognoscatur ratione sui, vt obiectum primarium; siue ratione alterius, scilicet per rationem formalem cognoscendi non existentem in se, sed in alio, vt obiectum secundarium; creaturas autem obijci intellectui Diuino cognoscendas, docet Fides, vt supra diximus.

4 Quod modo inquirimus, est, an sola essentia, prout præcisa ab attributis, & relationibus, sit obiectum primarium; an verò nedum essentia, sed etiam attributa, & relationes pertineant ad obiectum primarium? Et vt clariùs procedamus.

Vnum aduertimus, quod implicitè innuimus *de Inuisib. vbi sup;* scilicet, quòd hic non quærimus de obiecto formali *quo*, seu de ratione formali *sub qua*, vt loquuntur *Recentiores Thomistæ*; patet enim *ex hucusque dictis* obiectum formale *quo*, seu rationem formalem *quæ*, vt loquuntur *B. Doctoris Discipuli*, seu rationem formalem *sub qua*; vt loquuntur *Thomistæ*; intellectionis essentialis non esse essentiam Diuinam; aut omnia attributa, & relationes, sed esse solam intelligibilitatem, *vt sic*, quæ est vna tantùm ratio virtualiter distincta ab attributis, ac relationibus. Quòd si essentia, attributa, & relationes, prout distinguuntur inter se, essent rationes formales specificantes intellectionem essentialem Dei, sequeretur tot esse intellectiones essentiales in Deo virtualiter diuersas, quot sunt rationes essentiæ, attributorum, & relationum; à ratione enim formali *quæ*, vel *sub qua*, vt loquuntur *Alij*, sumit intellectio suam distinctionē. Loquimur ergo de obiecto formali *quod*, idest de illo; quod imbibit in seipso formaliter rationē formalē *quæ*, seu *sub qua*, vt *ibid.* dicebamus. Quapropter dicimus, quòd Cœlū, & quodlibet aliud corpus, quia habet in se ipso rationē formalem *quæ*, seu *sub qua* specificatiuam *Philosophiæ*, scilicet mobilitatem, pertinet ad obiectū primarium illius; spiritus verò, quia non habet in se ipso mobilitatem physicam, ideo non pertinet ad obiectum primarium, sed secundarium. Vnicum hoc est attendendum, soluit enim omnem nodum difficultatis, omnemque modum euertit locutionis amphibiæ.

5 *Nicol. Martinez de Scient. Dei contr. 1. disp. 3. sect. 1.* negat omne obiectum formale motiuum intellectionis essentialis; aut scientiæ Diuinæ, siue sit physicè, siue intentionaliter motiuum, ea ductus ratione; quia omne motiuum dicit respectum ad mobile, ad motionem, & ad actum, ad quem mouet; sed in Deo non datur potentia mobilis, quia in ipso non datur intellectus per modum potentiæ, sed tantùm per modum actus purissimi omnino improducibilis, & improducti; ergo non datur obiectum qualitercunque motiuum scientiæ Dei.

Sed hæc sētentia dimittenda est; nam certum est voluntatem creatam mouere se ipsam, & tamen voluntas mouens non distinguitur realiter à se ipsa; ergo in intellectu Diuino perfectissimo, & ratione suæ infinitatis excludentis omnem distinctionem, poterit saluari ratio motiui, potentiæ mobilis, & actus absque vlla distinctione etiam virtuali. Tum quia intellectio per modum actus purissimi est actio vitalis, quæ essentialiter petit oriri à potentia vitali; ergo est imperceptibilis ratio actionis intellectiuę absque ratione potentiæ elicitiuæ. Vel debet negari in Deo esse vitam formaliter, quæ consistit in actione vitali, & per consequens debet negari Deum se ipsum formaliter intelligere, & ama-

re

re; quia ſi formaliter intelligit, & amat, non niſi per intellectionem, & amorem formalem, qui eſt actus eſſentialiter elicitus ab intellectu, & voluntate. Cùmque diuinæ proceſſiones conſiſtant formaliter in intelligere, & amare; quia Pater intelligendo ſe generat Filium; & Pater, & Filius amando ſe ſpirant Spiritum Sanctum, ſequitur negantem veras actiones formales vitales in Deo, per quas conſtituuntur proceſſiones Diuinæ, negare etiam proceſſiones Diuinas formaliter in Deo, quia negato conſtitutiuo negatur conſtitutum. *Vid. de Subſt. Dei q.2. art.6. §.2. n.2; & inf. de Trin. q. 3. art.*1. Intelligitur ergo *hic* nomine motiui formalis, non quidem cauſa tranſmutatiua, vel productiua alicuius motus phyſicè mutantis ſubiectum, huius enim eſt incapax Deus, qui eſt ſimpliciter immutabilis; ſed principium ſpecificatiuum potentiæ intellectiuæ ſimul cum ipſa eliciens actionem vitalem ſine vlla prorſus diſtinctione etiam virtuali. Ad arg.in forma diſt.ma. Omne motiuum dicit ordinem ad mobile, & ad actum, vel per diſtinctionem, vt in creaturis, vel per identitatem puriſſimam, vt in Deo, conc; per diſtinctionem tantùm, negatur.

6 Prima ſententia vult obiectum primariū intellectus Diuini eſſe ens in comuni præſcidēs à Deo, & creaturis. Tribuitur *Okam; Gabr; Dur. diſt.35.q.1.n.9; & ex noſtris Albiz diſp.5. ſect.9;* qui tamen docet Deum eſſe obiectū principale, non autem adæquatum.

Secunda ſententia vult obiectum primarium ſpecificatiuum motiuum Diuini intellectus, & terminatiuum eſſe ſolam Diuinam eſſentiam, vt præſcindit ab attributis, & relationibus. *Ita Capr. in 1.diſt.35.q.2.art.1; Palud; & Hiſpal.ibid, Ferrar. 1.cōtr. Gent; Zum; Serra art.6.dub.1; Salm; Gabr.excal; Godoy diſp.25. §.5; & 7;* qui citat etiā *Caiet; Mol; & Ruiz;* quanuis *noſter Gibbon* hos referat pro noſtra ſententia. *Item Sua; Vaſq; Arrub; Granad, & Alarc;* quibus additur *ex noſtris Laſoſſe hic q.1.c.3.*

Tertia ſentētia vult obiectum primarium formale ſpecificatiuum intellectus Diuini eſſe ſolam Diuinam eſſentiam, obiectum verò formale terminatiuum eſſe eſſentiam, prout complectitur attributa, & relationes. *Ita Io.à Sanct. Thom; & Serra apud Ferrum hic q.2. §.2; & 4; Ferrus ibid; Naz. apud Godoy vbiſup. §.7; Gonet diſp.2.art.5. §.3.ad vlt; & alij Thomiſtæ.*

Vltima tandem ſententia docet obiectum formale *quod* ſpecificatiuum, & terminatiuum Diuini intellectus eſſentialiter ſumpti eſſe Diuinam eſſentiam, prout complectitur omnia prædicata ſiue abſoluta, ſiue relatiua. *Ita Fūdatiſſ. Doct. locis cit. de Inuiſib. Dei vbiſup;* quem ſequūtur *ex noſtris Ger; Argent; Bernardin; Greg. Martinez 1.2.q.3. art.1. dub.1; Gibbon hic diſp. 21.dub,1; & M. Conſon. in M. S; & reliqui.* Ex exteris verò *Caiet. 2.2.q.2.ar.8; Mol; Ruiz; Granad; Gonzal; Io.à S.Tho; Phil. à SS.Trin.apud noſtrum Gibbon.*

7 Vnica concl. Obiectum *quod* primarium ſpecificatiuum motiuum, & terminatiuū intellectionis eſsētialis eſt Diuina eſſentia cōplectēs omnia prædicata formaliter Diuina, vt ſecundùm ſe ſimpliciter cognoſcibilia; obiectum verò primarium motiuum, & terminatiuum ſcientiæ attributalis eſt Diuina eſſentia complectens attributa Diuina, vt cauſæ creaturarum.

Prima pars concl. licèt ſufficienter probata ſit *de Inuiſib. Dei vbiſ;* prob. tamen ſic breuiter. Illud eſt obiectum ſpecificatiuum, & terminatiuum, *vt quod*, quod continet in ſe ipſo formaliter rationem *qua*, ſeu *ſub qua*; ſed eſſentia, attributa, & relationes continent in ſe ipſis formaliter rationem formalem ſpecificatiuam Diuini intellectus; continent enim in ſe ipſis intelligibilitatē Diuinam, *vt ſic*, quæ adæquatur Diuino intellectui, & eſt ratio formalis vniuerſaliter imbibita in omnibus prædicatis Diuinis formaliter; ſicut æternitas imbibitur in omni prædicato Diuino, quod eſt æternum per vnicam rationē æternitatis; ergo eſſentia, prout complectitur attributa, & relationes, ſūt obiectū ſpecificatiuum, & terminatiuū Diuinæ intellectionis.

Conf. Obiectum primarium ſpecificatiuū, & terminatiuum primarium debet proportionari adæquatè cum potentia; ſed ſola eſſentia Diuina non adæquatur cum intellectu Diuino; quia intellectus Diuinus poteſt cognoſcere etiā attributa, & relationes Diuinas, quæ ſunt in eadem ſpecie Diuinitatis, & ideo non cognoſcuntur, vt obiecta ſecundaria, quæ neceſſariò ſunt diuerſæ ſpeciei; ergo obiectum ſpecificatiuum, & terminatiuum primarium eſt eſſentia cum attributis, & relationibus.

8 Prob.2. Circa eſſentiam præcisè ſumptā non verſatur intellectus ſumptus ſecundùm totam ſuam vniuerſalitatem, ſed verſatur intellectus primorum principiorum, vt nobiſcum fatentur *Aduerſarij art.1. §.1;* ſed intellectus primorum principiorum eſt attributum, vt etiam concedunt; ergo eſſentia præcisè ſumpta nequit eſſe obiectum adæquatum primarium ſpecificatiuum, & terminatiuum intellectionis eſſentialis vniuerſaliter ſumptæ; implicat enim 1; quòd ſpecificatiuum ſit particularius re ſpecificata; cùm hęc dicantur ad conuertentiam, & ideo ſint æqualis latitudinis. 2; quòd vnum ſpecificatiuū ſpecificet duo prædicata virtualiter ſpecificè diuerſa. Hæc ratio maximè vrget, ſi bene accipiatur.

9 Eliduntur modò ſpecialiter ſingulæ ſententiæ. Ens, *vt ſic*, præſcindens à creato, & increato nequit ſpecificare, niſi intellectum, *vt ſic*; ſed intellectus Dei non eſt intellectus, *vt ſic*; ergo nequit ſpecificari ab ente, *vt ſic*. Mi. patet; & ma. colligitur ex dictis; nā ſpecificatū, & ſpecificatiuū debent eſſe eiuſdē ſpeciei, quia debent eſſe

pro-

proportionata; & ideo debent esse eiusdem latitudinis. Tum quia sicut se habet ens, *vt sic*, ad potentiam, *vt sic*; ita tale ens ad talem potentiã.

10 Dices ex hac ratione sequi, quòd intelligibile, *vt sic*, prout est commune omnibus prędicatis substantialibus, attributalibus, & relatiuis, non sit obiectum specificatiuum intellectionis essentialis; nam intelligibilitas, *vt sic*, est veluti generica ad omnia prædicata Diuina; intellectio autem substantialis est predicatum veluti specificum pertinẽs solùm ad lineam substantiæ.

Resp. hoc solui *ex dictis in sup. art. n. 26.* Dist. ergo seq. Intelligibilitas, *vt sic*, materialiter sumpta, prout est idem, ac veritas transcendentalis, conc; formaliter sumpta, neg. Ad prob. dicitur, quòd licèt intelligibilitas, *vt sic*, materialiter sumpta, prout transcendit ad omnia, sit veluti generica; attamen formaliter sumpta pertinet ad lineam substantiæ Dei; quia vna cum intelligere essentiali integrat prædicatum vltimò constitutiuum Dei. Et quanuis per istam intelligibilitatem formalem intelligantur omnia, quæ sunt in Deo; sicut per vnicam æternitatem sunt æterna omnia, quæ sunt in Deo; attamen non sequitur, quòd non sit vnum prædicatum substantiale specificum; sicut non sequitur, quòd æternitas non sit prædicatum attributale. Quemadmodum ergo per vnicam intelligibilitatem essentialem sunt intelligibilia omnia, quæ sunt in Deo; ita per vnicum intelligere essentiale intelliguntur omnia, quæ sunt in Deo; & ideo adæquantur inter se.

11 Secunda sententia euertitur eadem ratione; nam sola essentia Diuina non adæquat totam vim intellectiuam intellectus Diuini; qui potest intelligere etiam attributa, & relationes; ergo illam non specificat adæquatè.

12 Nec refert, quòd intellectus Diuinus possit etiam attingere creaturas. Nam cõtra est; quia creaturæ non attinguntur per intelligibilitatẽ Diuinam formaliter in se ipsis existẽtem; sed solùm attinguntur per intelligibilitatem Diuinam existentem formaliter in ipsis prædicatis Diuinis; ideo solùm sunt obiectum secundariũ, quod nõ specificat potẽtiam intellectiuã.

13 Improb. tertia sententia. Principium, & terminus *iuxta Phil.* debent sibi ad inuicem correspondere; ergo implicat hæc sententia in terminis. Prob. ant. Si sola essentia esset principiũ specificatiuum intellectus Diuini, & intellectus tenderet primariò in essentiam, attributa, & relationes, principium specificatiuum, & terminus primarius non adæquarentur inter se, nec sibi correspõderent secundùm illud, in quo vnum excedit aliud; & sic potentia specificata posset tendere extra suum specificatiuum, quod est cõtra rationem superius allatam.

14 Improb. 2. Ille est terminus primarius potẽtiæ intellectiuæ, qui primò, & per se intelligitur ab illa; sed id, quod per se primò intelligitur in obiecto intellectus Diuini est illud, quod specificat intellectum Diuinum, est enim essentia *iuxta Aduersarios*; ergo hæc sententia implicat in terminis.

Tandem. Si sola essentia esset obiectum primarium specificatiuum; attributa, & relationes essent obiectum secundarium; obiectum enim adæquatè diuiditur in primarium, & secũdarium; sed hoc est contra communem sententiam *SS. PP. & DD.* asserentium solas creaturas esse obiectum secundarium; ergo falsum est solã essentiam esse obiectũ primarium specificatiuũ.

15 Resp. *noster Corneius, & ex illo Salm.* Attributa, & relationes in rigore non esse obiectũ secundarium, quia non attinguntur in alio priùs cognito, sed neq; esse obiectum primarium, quia nõ cognoscũtur ratione sui, sed ratione essẽtiæ.

Contra est, nam nomine obiecti secundarij nihil aliud intelligitur communiter, quàm illud, quod non attingitur ratione sui, sed ratione alterius; sic tenebræ ratione lucis, ens rationis ratione entis realis; ideo hæc responsio ludit vocabulis. *Vid. dicta de Inuisib. Dei vbi sup.*

16 Prob. 2. pars concl. Obiectum primariũ specificatiuum scientiæ Dei est scibile per causam; scientia enim *est cognitio rei per causam*; sed essentia Diuina non est causa creaturarum nisi mediantibus suis attributis, in virtute quorum continet creaturas; non enim immediatè illas cõtinet in se ipsa; vt diximus *To. 1. de Emin. Dei art. 3*; ergo obiectum primarium specificatiuũ, & terminatiuum scientiæ attributalis Dei est essentia, prout complectitur attributa Diuina, quatenus causas creaturarũ; denominatio enim scientiæ habetur ab obiecto formali specificatiuo; vnde cùm scientia sit *cognitio rei per causam*, optimè infertur, quòd obiectum scientiæ sit scibile per causam.

17 Quid autem dicendum sit de obiecto formali intellectus principiorum, sapientię, prouidentię, & artis; patet *ex dictis art. 1*; nam obiectum intellectus principiorum est essentia nudè sumpta, quatenus est primũ cognitũ simpliciter indemonstrabile à priori; obiectum sapientię est cognitio essentię quatenus causa attributorum; obiectũ prouidẽtiæ est ordinabilitas creaturarũ ad vltimum finem; & obiectũ artis est factibilitas creaturarum per Diuinas Ideas.

18 Obijc. 1. *Lafosse*. Attributa sunt veluti qualitates Diuinæ substantiæ, vt docet *B. P. Aug. 15. de Trin. c. 5.* vbi ait; *quòd spiritus tãtummodò videtur significare substantiam, cetera verò substantiæ qualitates*; sed proprietates essentiæ videntur per essentiam; ergo sola essentia est obiectum primarium. Ma. patet ex dictis; attributa enim, & relationes oriuntur ab essentia tãquam proprietates virtualiter distinctę. Mi. etiam constat, nam effectus in sua causa videtur per causã. Prob. con. Obiectum primarium est illud, quod per se cognoscitur, & ratione cuius cetera cogno-

gnoſcuntur;ſed ſola eſſentia eſt huiuſmodi; ergo ſola eſſentia eſt obiectum primarium.

Conf. Si attributa, & relationes non cognoſcerentur per eſſentiam, Diuina cognitio non eſſet ſcientia; ſed hoc eſt falſum; ergo & antecedens. Tum quia obiectum primarium eſt illud, quod primò intelligitur, & illud primò intelligitur, quod primò habet eſſe; nam modus intelligendi ſequitur modum eſſendi; ſed eſſentia eſt primò intelligibilis, quia primò habet eſſe, quã attributa, & relationes; ergo ſola eſſentia eſt obiectum primarium.

Reſp. ad arg; auctoritatem nihil concludere; intendit enim *Beatiſs.P. ibid.* ſolùm docere attributa habere modum proprietatis, non quidem realiter, ſed virtualiter diſtinctæ. Ceterùm 15. *de Trin.c.*14. loquens de intelligere eſſentiali, per quod procedit Verbum, apertè docet noſtram ſententiam his verbis: *quidquid eſt in ea ſcientia, de qua eſt genitum, & in ipſo eſt; quod in ea non eſt, nec in ipſo eſt*; vbi vniuerſaliter loquitur de omnibus, quę ſunt in Deo, nec diſtinguit modũ, quo cognoſcitur eſſẽtia, & quo attributa, & relationes. Diſt. igitur mi. Proprietates cognoſcuntur per eſſentiam cognitione eſſentiali, tanquam per cauſam ſpecificatiuam illius, neg. Cognitione ſapientifica, conc; & ſic dicitur ad prob. mi. Ad prob. conſ. diſt. ma. Et illa cętera non habent in ſe ipſis rationem formalem cognoſcendi, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam etiam attributa, licèt cognoſcantur per eſſentiam, habent tamen in ſe ipſis rationem formalem cognoſcendi, ſcilicet rationem entis Diuini, quæ eſt ratio ſufficiens ſpecificare intellectum Diuinum, cùm ſit eiuſdem ſpeciei.

Ad conf. diſt. ma. Diuina cognitio eſſentialis, conc; attributalis, neg. Ad aliud diſt. ma. Obiectum primarium ſpecificatiuum eſt illud, quod primò, per ſe, & adæquatè intelligitur, conc; inadæquatè, neg; obiectum enim inadæquatum non ſpecificat niſi inadæquatè. Quanuis ergo eſſentia ſit primò intelligibilis, quia tamen non abſorbet adæquatè totam intelligibilitatem Diuinã, ideo non eſt obiectum primariũ adæquatum, ſpecificatiuum, de quo tantùm *hic* loquimur. Sic quanuis vnum corpus cauſetur ab alio, non tamen ſequitur; quòd corpus cauſatum non ſit obiectum *quod* primarium Philoſophiæ.

19 Reſp. 2. ad arg; quod eſt principale *Aduerſariorum*, diſt. mi. Attributa cognoſcuntur per eſſentiam, tanquam per cauſam à priori, conc; tanquam per rationem formalem adæquatam cognoſcendi omnia Diuina, neg; ratio enim formalis cognoſcendi omnia Diuina eſt intelligibilitas Diuina, *vt ſic*, per quam cognoſcitur eſſentia, attributa, & relationes. Et quia hæc intelligibilitas Diuina, *vt ſic*, prout communis omnibus prædicatis Diuinis, reperitur intrinſecè formaliter in illis, ideo omnia illa ſunt obiectum formale *quod* adæquans, & ſpecificans intellectum Dei. Sicuti licèt paſſiones entis à priori conſiderentur per ens, a tamen non dicuntur obiecta ſecundaria; & licèt accidentia oriantur à ſubſtantia, attamen non dicitur, quòd ſola ſubſtantia ſit obiectum primarium adæquatum ſpecificatiuum Metaphyſicæ, ſed tantùm obiectum principale inadæquatum; ita quanuis attributa Diuina oriantur ab eſſentia, attamen ſola eſſentia non eſt obiectum primarium adæquatum intellectus Diuini, quia ratio entis Diuini reperitur etiam formaliter in illis; ſed ad ſummum dicitur obiectum inadæquatum.

20 Inſtat *Godoy hic* §. 7. *n.* 131. Quia ens reale, *vt ſic*, eſt obiectum formale primarium ſpecificatiuum intellectus creati, ideo tale ens, quod continetur ſub ente, *vt ſic*, non eſt obiectum primarium; ſic coloratum, *vt ſic*, quia eſt ſpecificatiuum oculi, ideo tale coloratum non eſt obiectum primarium, quia tale coloratum attingitur ratione colorati, *vt ſic*; ergo à pari quia attributa attinguntur ratione eſſentię, ideo ſola eſſentia eſt obiectum primarium ſpecificatiuum intellectus Diuini.

Retorquetur arg. Quia ens, *vt ſic*, eſt obiectum formale primarium adæquatè ſpecificans intellectum creatum, ideo tale ens eſt obiectum formale primarium inadæquatum, inadæquatè ſpecificans intellectum creatum; ergo quia intelligibilitas Diuina, *vt ſic*, eſt obiectum primarium adæquatè ſpecificãs intellectum Diuinum, ideo talis intelligibilitas, quæ competit eſſentiæ, eſt obiectum primarium inadæquatum inadæquatè ſpecificans intellectum Diuinum; nam ideo talia entia ſunt obiecta primaria inadæquata partialia, quia in illis reperitur ratio entis formaliter non quidem adæquatè, ſed partialiter inadæquatè; ſed intelligibilitas Diuina non reperitur tota in eſſentia, ita vt non reperiatur etiam in attributis, aliter non poſſet ſaluari, quòd non eſſent obiecta ſecundaria, ſicut ſunt creaturæ; ſicuti ſi talia entia, vt v.g. ſubſtantia, & accidens, non eſſent obiecta primaria partialia inadæquata, non poſſet ſaluari, quomodò non eſſent obiecta ſecundaria, vt ſunt negationes, priuationes, entia rationis &c; ergo eſſentia non eſt obiectum primarium adæquatum intellectus Diuini. Idem dicendum de colorato.

21 Obijc. 2. *ex Salm.* Illud eſt obiectum primarium, & ſpecificatiuum intellectionis eſſentialis, quod identificatur etiam virtualiter cum illa; ſed ſola eſſentia identificatur virtualiter cum intelligere eſſentiali; quod eſt conſtitutiuum formale illius; ergo ſola eſſentia eſt obiectum intellectus Diuini. Min. eſt noſtra ſententia. Prob. ma. Potentia, actus, & obiectum pertinent ad eandem lineã; & ideo non diſtinguuntur virtualiter.

Reſp. diſt. ma. Quod identificatur in eſſe intelligibili, conc; in eſſe entitatiuo, neg. Quanuis

tis ergo attributa, & essentia distinguantur in esse entitatiuo, attamen non distinguuntur in esse intelligibili, quia per vnicam intelligibilitatem formalem omnia intelliguntur. Hinc dicunt nobiscum *Aduersarij in tract. de Vis*; quòd essentia potest cõmunicari sine personis, non autem videri; quia distinguitur in esse entis, non autem in esse intelligibilis. Quòd autem sit vna tantùm formaliter ratio intelligibilitatis, *vt sic*, patet ex eo, quòd sicuti per vnam æternitatem indiuisibilem virtualiter omnia prædicata Dei sunt æterna; & per vnicam existentiam omnia existunt; & sic per vnicam infinitatem infinita, per vnicam magnitudinẽ magna, vt docet *Beatiss. P. Aug. 5. de Trin. c. 10*; ita per vnicam intelligibilitatem indiuisibilem omnia sunt intelligibilia.

22 Inst. Si omnia sunt intelligibilia per vnicam intelligibilitatem, *vt sic*; ergo non datur, vel frustra ponitur intelligibilitas per causam, quæ est specificatiua scientiæ; & sic de intelligibilitate specificatiua sapientiæ &c.

Resp. ad hoc fuisse responsum superiùs *art. 1.* neg. cons; quia istæ sunt intelligibilitates specificè diuersæ, quę possunt in Deo specificare prædicata virtualiter diuersa. Sicut enim in nobis, quia vltra potentiam intellectiuam datur scientia, quæ est qualitas aquisita, vel infusa, vt in Angelis, ideo debet dari diuersa intelligibilitas specificatiua potentiæ intellectiuæ, & scientiæ; ita cùm debeamus philosophari de Diuinis ex ijs, quæ videmus in nobis, iuxta documentum *Apostoli* absque tamen imperfectionibus, sequitur, quòd in Deo debeamus admittere intelligibilitatem, *vt sic* specificantem intellectum, & intelligibilitatem per causam specificantem scientiam Diuinam; & sic de reliquis.

23 Obijc. 3. Illud est obiectum primarium intellectionis essentialis, quod per se communicatur Verbo, sed sola essentia per se cõmunicatur Verbo; ergo sola essentia est obiectum primarium. Prob. ma. Illud est obiectum primarium, quod formalissimè identificatur cum intellectione essentiali; sed intellectio essentialis per se communicatur Verbo; ergo illud est obiectum primarium, quod per se communicatur Verbo. Mi. patet; nam relatio est incommunicabilis ex suo conceptu; & attributa non commuuicantur formaliter ex vi processionis; sed tantùm materialiter identicè, quatenus identificantur cum essentia; *vt inf. de Trin.*

Conf. Illud est obiectum primarium, quod per se vnitur, vt species, Diuino intellectui, per quam redditur fæcundus ad productionem Verbi; nam ens rationis, quia non vnitur intellectui per propriam speciem; sed per speciem entis realis, ideo non est obiectum primarium, sed secundarium; sed sola essentia vnitur intellectui Dei, vt species; attributa verò, & relationes non vniuntur, vt species; quia illud vnitur vt species, quod cognoscitur ratione sui, & per se; attributa autem non vniuntur ratione sui, quia non cognoscuntur per se, sed per essentiam; ergo sola essentia est obiectum primarium.

Resp. dist. ma. Quod per se communicatur in esse intellighbili, conc; & in hoc sensu, neg. mi; nam non solùm communicatur Filio intelligibilitas essentiæ, sed etiam intelligibilitas attributorum, & relationum; aliter Filius non intelligeret attributa, & relationes, cùm non possit intelligere, nisi per intelligibilitatem acceptam à Patre. In esse entitatiuo, neg. Ad prob. dist. eodem modo ma; quòd scilicet obiectum primarium identificatur formalissimè in esse intelligibili cum intellectione essentiali, non autem in esse reali; nam licèt relatio intelligatur per eandem intelligibilitatem formalissimè, per quam intelligitur essenria; non tamen est ens per eandem entitatem formalissimè, per quam est ens ipsa essentia; cùm in esse entis distinguatur virtualiter; sicut licèt in esse durationis esentia, & attributa sint æterna per eandem æternitatem formalissimè; attamen in esse entis esentia, & attributa distinguuntur virtualiter.

Si dicatur esse intelligibile, & esse entitatiuum sunt idem formalissimè, quia esse intelligibile est constitutiuum naturæ; ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Esse intelligibile, & esse entitatiuum esentiæ, conc; & esse entitatiuum attributorũ, neg; sicut esse æternum non distinguitur formalissimè ab ipsa æternitate; distinguitur tamen virtualiter ab essentia, quæ est æterna per æternitatem.

Ad conf. responsum fuit *de Inuisib. vbi sup. n. 11*; nam essentia vnitur intellectui, vt species adæquata, quæ non constituitur, nisi per intelligibilitatem adæquatam, per quam omnia intelliguntur.

24 Obijc. 4. *ex Godoy §. 5. n. 75; & seq.* Obiectũ motiuũ virtualiter distinctũ ab intellectione est prius virtualiter intellectione, & intellectu, quia se habet, vt causa formalis illius; sed nullũ attributum potest esse prius intellectione esentiali, quia intellectio esentialis est constitutiua Dei; & constitutiuum est illud, quo nihil prius est in re; ergo sola esentia est obiectum motiuum. Tum quia volitio Diuina est attributum; sed attributum nequit esse prius intellectione, cùm sit proprietas esentialiter sequens ad illam; ergo sola esentia est obiectum motiuum intellectionis essentialis.

Resp. hæc, & similia dilui eadem distinctione; scilicet in esse entis, et in esse inteligibili. Neg. igitur ma; quia obiectum motiuum, cùm integret eandem lineam cum intellectione, non distinguitur virtualiter. Ad prob. insertam dicitur, quòd non omnis causa, seu ratio formalis distinguitur virtualiter, sed tantùm illa, quæ est

est in diuersa linea, seu specie; sic essentia, quæ est causa formalis attributorum, & est in diuersa linea, distinguitur; intellectio tamen, quæ est causa formalis esse intellectiui actualis; sicut albedo est causa formalis esse albi; nec virtualiter per ipsum *Godoy* distinguitur ab esse intellectiuo actuali, licèt *per ipsũ* distinguatur à potẽtia radicali intellectuali. Ad min. dist. Nullũ attributũ potest esse prius in esse intelligibili, neg; in esse entis, conc. Et sic ad aliud dist. min. Volitio nequit esse prior intellectione in esse intelligibili, neg. in esse entis, conc. Tum quia illa prioritas non est *in qua*, vt concedunt *Thomistæ contra Scotum*, sed *à qua*, quæ non denotat nisi modum originis, qua vnum oritur ab alio; vnde licèt voluntas oriatur ab intellectu, est tamen in eodem signo rationis simul cum intellectu, & ideo simul per eandem intelligibilitatem intelliguntur.

25 Obijc.5. *Ferrus* §.4. Ratio, *sub qua* intellectus attingit omnia, est ratio actus purissimi; sed ratio actus purissimi conuenit attributis ratione essentiæ, quia conuenit primò essentiæ, & per ipsam indiuisibiliter attributis; ergo sola essentia est obiectum motiuum.

Resp. sicut ad 1; quanuis enim ratio entis coueniat accidenti ratione substantiæ, attamen accidens non dicitur obiectum secundarium metaphysicæ, quia ens intrinsecè imbibitur formaliter in accidente; sed multò magis intrinsecè imbibitur formaliter ratio actus puri in attributis; ergo multò magis pertinent ad obiectum primarium.

26 Obijc.6. Sola essentia constituit lineam primariam adæquatã, attributa verò lineam secundariam; prædicata enim essentialia sunt de primario intellectu; attributalia verò de cõceptu secundario; sicut dicitur de essentia creata, & proprietatibus illius; ergo sola essentia est obiectum primarium, proprietates verò secundariũ.

Resp. eodem modo dist. ma; in esse entis, conc; in esse intelligibili, neg. ma; & supp; supponitur enim dari duplicem lineã, sicut in esse entis, ita in esse intelligibili secundùm se, quod est falsum; vel quòd per intelligere essentiale vniuersalissimum intelligatur sola essentia, nõ verò attributa, quod quoq; est falsum.

Alia arg. *vid. de Inuisib. Dei vbis*; quæ omnia, si bene perpendantur, ad summum probant essentiam esse obiectum primarium principale, non verò adæquatum; sicut substantia *in Metaphysica*, & demonstratio *in Logica*.

Remanet ergo ex dictis solas creaturas esse obiectum secundarium; de quo *infra* agemus.

ART. IV.

Afferuntur diuisiones Scientiæ Dei.

1 SCientiam Dei esse vnicum attributum virtualiter indistinctum asseritur communiter; & potest patere *ex hucusque dictis*; nam scientia in nobis est vnus habitus speciẽ; ergo in Deo nequit constituere plura attributa, quæ essentialiter constituuntur per plures species. Insuper certum est ratione obiecti primarij specificatiui, à quo desumitur vnitas, esse summè vnã; quia summè vna est essentia Diuina, quę est eius obiectum. Remanet itaque inquirenda illius diuisio in ordine ad obiecta secundaria, quę sunt creaturæ, in ordine ad quas licèt non admittat in se ipsa distinctionẽ virtualem, quę sumitur tantùm ab obiecto formali specificatiuo; attamen admittit intrinsecè quandam distinctionem, quam *To.1. de Attr. in com. q.2. art. 10.* appellauimus *Aequiualentiæ simplicis*, quæ potest fundare distinctionem rationis cum fundamento in re. *Vid. ibid. dicta.* Et quidem creaturæ possunt considerari veluti inadæquatè, cùm non considerantur omnes, sed solùm aliquę, v.g. quãdo consideratur sola natura Angelica. Vel possunt considerari quidem omnes, sed non in omni statu; status autem creaturarum triplex communiter assignatur, scilicèt *possibilitatis*, *futuritionis*, *& existentiæ actualis*; tunc ergo considerantur omnes adæquatè; sed non in omni statu, quando considerantur omnes, vt possibiles, sed non, vt futuræ, vel existentes. Scientia Dei non recipit diuisionem à creaturis inadæquatè consideratis in eodem ordine, quia sic poneretur in ipsa scientia incompletio, & inadæquatio, seu partialitas, quę essentialiter repugnat perfectioni Diuinæ, vt Diuina est. Igitur diuiditur sciẽtia Dei solùm per ordinem ad creaturas adæquatè sumptas in diuersis statibus, qui habent quodammodò constituere diuersa obiecta totalia, & adæquata; sic enim scientia Dei seruat suam completionem, adæquationem, & totalitatem, quæ est illi essentialis. *Vid. vbi sup.*

2 Status autem futuritionis, & actualis existentiæ communiter confunditur in vnum; & ratio est; quia vterque dicitur per ordinem ad existentiam rerum; futuritionis quidem ad existentiam habendam suo tempore determinato; actualitatis verò per ordinem ad existentiam iam habitam; quapropter per ordinem ad hos duos status non assignatur, nisi vnica scientia; *vt infra*. Et hoc colligitur *ex Beatiss. P. Aug. lib. 11. de Ciu. c. 21.* vbi ait: *Non quia factum vidit, scientiam duplicauit, vel aliqua ex parte auxit, tanquam minoris scientiæ fuerit, priusquàm faceret, quod videret; qui tam perfectè non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex eius operibus adderetur.* Quamobrem.

Scientia Dei alia est speculatiua, alia practica. Colligitur *ex Beatiss. P. ibid. lib. 12. c. 18. Dei sapientia simpliciter multiplex*; idèst multiplex sine læsione suæ summæ simplicitatis, *& lib. 11. vbis.* dixerat: *Ibi ergo vidit bonum esse, quod fecit, vbi bonum esse vidit, vt faceret.* Hanc diuisionem tradit *Fundatiss. Doct. in 1. dist. 39. q. 2. in corp; & ad 2; & dist. 38. q. 1; & sæpè alibi.*

Scien-

Scientia speculatiua est illa, quæ versatur circa creaturas, vt omnino indifferentes ad existendum, vel non existendum; & sic sunt possibilia. Practica est, quæ versatur circa ea, quæ facere disposuit per imperium suæ voluntatis; & hæc sunt futura, & existentia.

Præterea scientia Dei alia est naturalis, seu necessaria, alia libera. *Ita B. Doct. in 1. dist. 39. q. 1. per totam; & alibi.* Naturalis est illa, quæ versatur circa ea, quæ omnino præcedūt actum Diuinæ voluntatis quomodocunq; consideratūs & hæc sunt merè possibilia. Libera est illa, quæ versatur circa ea, quæ Deus liberè vult; & hæc sunt futura, vel existentia.

Item scientia Dei alia est simplicis notitiæ, seu intelligentiæ; alia visionis. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 38. q. 1. in corp; & alibi.* Scientia simplicis intelligentiæ est illa, quæ versatur circa possibilia. Scientia visionis est, quæ versatur circa creaturas futuras, vel existentes.

Tandem scientia Dei alia est approbationis, alia reprobationis. Scientia approbationis est illa, quæ versatur tantùm circa futura, vel existentia, quæ voluntas Dei approbat sibi complacendo, & circa illa se habet per modū prosecutionis. Scientia reprobationis est, quæ versatur circa futura negatiuè, vel solùm permissiuè. Hanc diuisionē insinuat *B. D. dist. 38; & 39. vbi s.*

3 Circa has diuisiones duæ sunt controuersiæ inter *Auctores*. 1. est; an scientia speculatiua, naturalis, & simplicis intelligentiæ sint omnino idem formalissimè ita, vt hæc nomina sint merè synonima; & scientia practica, libera, & visionis idē quoq; significēt? 2. est; an diuisio sciētiæ in simplicē intelligentiā, & visionē sit adæquata?

4 Quoad 1. *Godoy dist. 34. S. 1; & disp. 37. S. 1. n. 1; & seq.* ait scientiam simplicis intelligentiæ non esse idem adæquatè cū scientia naturali, seu necessaria; sicut nec scientia visionis est idem adæquatè, ac libera. Ratio 1. est; quia scientia cōditionatorum est libera, & tamen in sententia *plurium Thomistarum* reducitur ad scientiam simplicis intelligentiæ, cui sent entiæ subscribit; tum quia si reducitur ad sci en tiam visionis, tantùm reductiuè est idem, non ve rò formaliter. Ratio 2. est; quia Deus habet scientiam visionis sui ipsius, quia videt intuitiuè se ipsum, & tamē talis visio non est libera; ergo scientia simplicis intelligentiæ non est idem formaliter, ac sciētia naturalis necessaria; sicut scientia visionis nō est idem formaliter adæquatè, ac libera.

5 Ad hanc sententiam conatur vi trahere *Fundatiss. Doct. noster Ioseph Villanou. disp. 1. de cognit. possib. dub. 2. c. 3.* ex eo, quòd asserat *de Prædest; & Præsc. c. 2.* prædestinationē supponere scientiam simplicis intelligentiæ, per quam non imponitur necessitas rebus, & per quam cognoscuntur omnia contingentia libera à voluntate elicienda in statu puræ possibilitatis. Tum quia *Fundatiss. Doct.* ait futura cognosci in Idæis, quæ sunt ante decretum voluntatis Dei; quod etiam ei impingit *Gonet. infra q. 4.*

6 Sed hæc sententia non parùm implicat hunc *Auctorem* 1; nam *disp. 35. S. 5;* ait futura sub conditione cognosci in decreto Diuinæ voluntatis; quod autem cognoscitur in decreto Diuinæ voluntatis, non est merè possibile; sed extractum à possibilitate ad futuritionem, quod stare nequit cum eius sententia. 2. Merè possibile necessariò connectitur cum Diuina omnipotentia, cuius est obiectum; liberum autem ita cōnectitur, vt potuerit non connecti; ergo implicat, quòd liberum sit merè possibile. 3. Liberum est obiectum voluntatis, quæ est formaliter libera; sed possibile non est obiectum voluntatis; ergo possibile nequit esse formaliter liberum. 4. Possibile est indifferens ad existentiam, & non existentiam; futurum autem est determinatum ad existentiam; vt fatetur *disp. 33. S. 1; & 2.* Item est cōmunis sententia omnium *DD.* necessarium antecedere liberum pro aliquo signo rationis saltem *à quo*; sed in illo priori intelligitur omne possibile, in quo tamen nō intelligitur liberum; ergo possibile adæquatè distinguitur à libero; & ideo scientia simplicis intelligentiæ, quæ tendit circa possibile, nequit tendere in liberum. Tandem liberum est contradistinctum à necessario; ens enim diuiditur in liberum, & necessarium; ergo nequit confundi cum necessario, vel esse commune, tanquam genus, necessario, & libero; sed scientia simplicis intelligentiæ habet pro obiecto aliquod necessarium, vt fatetur *Godoy*, aliter esset adæquatè libera, quod hucusque nullus dixit; ergo eius obiectum nequit esse vllo modo liberum. Sic dicendum de scientia visionis, quæ, cùm habeat tendere circa obiectum liberum, nequit vllo modo tendere circa necessarium; aliter liberū esset genus ad necessarium, & contingens; quod nequit esse; secus rationalitas, quę est vnum membrum diuidens animal, posset esse communis homini, & bruto. Tum quia sciētia visionis supponit decretum liberum voluntatis; ergo est essentialiter libera.

7 Ad rationes *Godoy* dicitur, quòd illi *Auctores*, qui reducūt futura conditionata ad sciētiam simplicis intelligentiæ, asserunt futura cōditionata non esse formaliter futura, supposito, quod antecedant decretum liberum, à quo solùm habetur futuritio, sed esse merè possibilia, ideo cognosci per scientiam simplicis intelligētiæ; nullo modo tamen talia futura esse libera, cùm præcedant decretum liberum, à quo solùm pendet eorū libertas. Ad id, quod additur, dicitur quòd *reduci* aliquādo sumitur pro *pertinere*; vnde reduci ad scientiam visionis idem est, ac pertinere formaliter ad scientiam visionis. Ad 2. dicitur, quòd licèt Deus intuitiuè videat se ipsum, non tamen habet scientiam visionis, quāuis habeat cognitionem visiuam sui; quia scientia vltra cognitionem intuitiuam dicit cogni-

tionem creaturarum per Diuina attributa, vt diximus *art.* 1; vnde cùm Deus videt simpliciter intuitiuè se ipsum præcisiuè, non habet scientiam, sed simplicem intuitum; cùm verò videt sua attributa per suam essentiam, non habet scientiam, sed sapientiam. Denique cùm videt creaturas secundùm existentiam habendam, vel habitam, dicitur propriè habere scientiam visionis, quæ formaliter terminatur ad existentiã habendam, vel habitam; & cùm creaturę liberè habeant, & habiturę sint existentiam, ideo scientia visionis, vt sumitur hic *à Theologis*, adæquatè libera est.

Ad auctoritatem B.Doct. dicitur, quòd licèt scientia simplicis intelligentiæ præcedat prędestinationem tanquam regula regulans, non tamen deducitur, quòd cognoscat futura, vt futura, quia futura in statu possibilitatis non sunt futura, & ideo non possunt cognosci; ergo malè deducitur intẽtum; cùm aliunde doceat *B.Doct.* vt vidimus *locis cit*; quòd per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscuntur nisi necessaria; futura autem non possunt esse necessaria. Ad 2. dicitur, quòd ait futura cognosci in Idæis actu determinatis per decretum. *Sed de vtroq. infra.*

8 *Alij, inter quos quidam ex nostris in M.S;* asserunt scientiam simplicis intelligentię esse etiam practicam, quia est factiua possibilium, sicut scientiam visionis esse simul speculatiuam, quia versatur circa peccata, quæ non operatur; & circa futura negatiuè, scilicet circa ea possibilia, quæ decreuit non esse futura.

9 Sed hæc doctrina est manifestè *contra Fundatis. Doct. in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *in corp; & sæpè alibi;* vbi docet intellectum Dei tantùm fieri practicũ per extensionem ad voluntatem; sed voluntas Diuina nihil negotiatur circa creaturas possibiles, vt possibiles sunt; ergo circa eas nequit esse scientia practica. Tum quia falsum est, quòd scientia simplicis intelligentiæ sit factiua possibilium ita, vt faciat sensum intransitiuum; scilicet, quòd esse possibile existẽdo in mera possibilitate producatur à scientia Diuina; productio enim, siue factio respicit primariò existens, quod propriè dicitur fieri; creaturæ autem possibiles præscindunt ab existentia, & non existentia. Tum quia Deus ad extra nihil necessariò operatur; si autẽ produceret esse possibile creaturarum, cùm talis productio non regularetur à decreto libero Diuinæ voluntatis, esset necessaria, non libera. Tum quia si esse possibile fieret à Deo, iam illud fieret extra Deum, cùm intra Deum nihil sit factũ, vt docet Fides; sed esse possibile est ab æterno; ergo iam ab æterno esset aliquid factum extra Deum, quod est cõtra Fidem. Tandem quia circa creaturas possibiles voluntas Diuina operatur solùm negatiuè, scilicet decernendo illas nõ creare; sed volitio negatiua est non productio; ergo possibilia non fiunt à Deo. Aliud sic impugnatur; nam *hic* non sumitur practicum in rigore eo modo, quo diximus *To.* 1. *q.* 3. *proem. art.* 4; sed solùm prout extenditur ad voluntatem; sed scientia, quæ respicit peccata futura, vel existentia, aut quæ respicit nolitionẽ futuritionis, supponit actum volũtatis, non quidem positiuè volentis peccata, aut existentiam possibilium; sed solùm permittentis peccata, & nolentis existentiam possibilium; ergo est scientia practica. Remanet ergo scientiam simplicis intelligentiæ, naturalem, & speculatiuam esse eandem formalissimè; & sic scientiam visionis, practicam; & liberam vsurpari synonimè.

10 Quoad 2. *Dur. in* 1. *dist.* 36. *q.* 1; *& ex nostris Argent. ibid. art.* 4; quibus additur *ex Thomistis Vincentius relect. de Grat. Christi q.* 6. *dub.* 1; volunt inter scientiam simplicis intelligentię, & visionis mediare sciẽtiam approbationis, quæ versatur circa bona futura, vel existentia illa approbando, & sibi in illis complacendo; sicut sciẽtia reprobationis versatur circa mala, quæ Deus non approbat, sed tantùm permittit.

Ceterùm hæc sententia faciliter ruit; nam, vt insinuat *Fundatiss. Doct. vbi sup. dist.* 38; *&* 39; scientia approbationis, & reprobationis diuidũt scientiam practicam, tanquam species subiectiuę illius; quia obiectum totale scientiæ practicæ est omne futurum siue sit positiuè, siue permissiuè volitum; bona autem, & mala diuidunt futurum, *vt sic*; vt patet; ergo & scientiæ, quæ tendunt diuisiuè in bonum, & in malum futurum, erunt subdiuisiones scientiæ futurorum, *vt sic*; sic enim *secantur scientiæ, quemadmodum obiecta*, vt docet *Phil.* Constat autem, quòd subdiuisio alicuius membri diuidentis non tollit immediationem, & adæquationem primæ diuisionis; vt quanuis irrationale subdiuidatur in plures species, non tollit, quòd rationale, & irrationale sint membra diuidentia adæquatè animal.

11 Dices. Scientia, qua Deus cognoscit chimæram, non est simplex intelligentia, quia hæc versatur tantùm circa possibilia, & chimæra non est possibilis, sed impossibilis; neque est scientia visionis, quia hæc versatur tantùm circa futura, quæ aliquando erunt; ergo danda est alia scientia, qua Deus cognoscat chimæras; & alia non entia.

Resp. 1. chimæras cognosci à Deo, prout sunt in intellectu creato fingente; & sic si intellectus creatus cognoscatur, vt possibilis, cognoscit chimæram, vt possibilem; si futurus, vt futuram si existens, vt actu existentem. 2. Dato, quòd Deus posset cognoscere chimæram præciso intellectu creato, vel cognoscendo ipsã chimæram esse possibilem, in quo consistit ratio chimeræ; vel cognoscendo illam esse impossibilem, in quo intellectus est verus; quia cognoscit negationem chimęræ; dicitur, quòd, cùm chimæra non cognoscatur per speciem sui, sed per speciem entis realis, cognoscitur per illam scientiã,

per

per quam cognoscitur illud ens reale; vnde si istud sit in statu possibilitatis, cognoscitur illa per scientiam simplicis intelligentiæ; si in statu futuritionis, per scientiam visionis. In forma neg.ant; quia,cùm *rectum sit index sui, & obliqui*; per simplicem intelligentiam cognoscitur nedum impossibile,sed etiam possibile;sicut per scientiam visionis cognoscitur nedum futurum positiuè, sed etiam futurum negatiuè, quod est non futurum.Igitur ex hoc capite remanet adæquata hæc diuisio.

12 Demum superest videndum, an scientia media, quam docent *Sapientissimi PP. Societatis*, tollat adæquationem huius diuisionis.

Plures, & principaliores docent hanc diuisionem esse adæquatam. *Ita Mol; Sua; Vasq; Bellarm;Val;Less;& Herice apud Godoy hic disp.* 37. §. 5. *Alij* autem volunt scientiam mediam mediare inter has duas scientias, *vt vid. apud Fasol*;quibus accessit *Nicol.Martinez*.

13 Dicendum est cum primis scientiam mediam non tollere adæquationem diuisionis. Probat *Godoy hic disp.*29. §.3. *n.*18.Inter existēs exercitè,& non existens exercitè non datur medium; sed obiectum scientiæ visionis est existens exercitè, & obiectum simplicis intelligentiæ est non existens exercitè; ergo simplex intelligentia, & scientia visionis adæquatè diuidunt scientiam,*vt sic*.

14 Sed ratio huius *celebris Doctoris* non videtur concludere; nam existens exercitè est solùm futurum absolutum, cui aliquando conuenit exercitium existentiæ; sed vltra futurum absolutum datur futurum conditionatum, cui nunquam conueniet exercitium actualis existētiæ; ergo hæc diuisio obiecti non videtur adæquata.Dimissa igitur hac ratione.

15 Prob.sic. Inter futurum, *vt sic*, reduplicatiuè,vt futurum,& possibile non datur mediū; sed scientia visionis considerat futurum, *vt sic*, reduplicatiuè, vt futurum; considerat enim id, quod est liberū, quia in hoc distinguitur à sciētia simplicis intelligentiæ, vt supra diximus; & simplex intelligentia considerat possibile,*vt sic*, reduplicatiuè, vt possibile; ergo inter has duas scientias non datur medium.

Conf.Futurum conditionatum,& futurum absolutum diuidunt futurum, *vt sic*, vt fatentur *PP. Societatis*; ergo scientia conditionatorum, & absolutorum conueniunt in vnica ratione scientiæ considerantis futurum, *vt sic*, & adæquantis totum statum futuritionis;quæ est scientia visionis,de cuius ratione est adæquare totam futuritionis latitudinem,sicut de ratione simplicis intelligentiæ est adæquare totum statum possibilitatis.

16 Obijc. Futura conditionata, quæ nunquam erunt, cognoscuntur à Deo; sed non cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, aut visionis; ergo scientia media, per quam cognoscuntur, mediat inter illas duas scientias. Ma. patebit inf. Prob.mi. Per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscuntur solùm possibilia, quæ sunt necessaria; & per scientiam visionis cognoscuntur solùm ea, quæ sunt præsentia in æternitate; cùm præsentia in æternitate sit necessaria ad terminandam visionem intuitiuam, quæ essentialiter petit terminari ad rem existentem,vt existens est; in æternitate autem non existunt, nisi ea, quæ aliquando habebunt existentiam in tempore; ergo per nullam ex his scientijs cognoscuntur.

Resp. omissis resp. *Thomistarum*, qui volunt præsentiam realem in æternitate esse necessariam ad visionem intuitiuā,vt infra;neg.mi. Ad prob. dicitur, quòd præsentia in æternitate non est necessaria ad visionem supercintuitiuam, estò sit necessaria ad visionem intuitiuam. Sed de hoc infra.

Resp. 2; quòd cùm *oppositorum sit eadem ratio, & potentia*, quapropter oculus nedum dicitur videre lucem, sed etiam tenebras, ideo scientia visionis nedum dicitur videre existentia, quæ sunt, vel erunt positiuè præsentia; sed etiam non existentia, vt sunt futura conditionata, & futura negatiua, idèst possibilia, quæ nunquam erunt. Et hæc est doctrina *Beatiss. P.Aug.* 5. *de Trin. c.*6; & 7; vbi ait: *Quod negat, pertinet ad eandem speciem, ad quam pertinet forma negata*; ex quo deducit; quòd ingenitum, cùm neget relationem, ideo pertinet ad relationem, & per consequens nequit conuenire Filio.

QVÆST. II.

De Scientia simplicis intelligentiæ.

NON agimus *hic* de obiecto primario scientiæ Dei, quia, cùm hoc importet vel essentiam, vel etiam attributa, & relationes iuxta diuersitatem *sententiarum*; cùnque de essentia, attributis, & relationibus agatur in toto primo libro sententiarum; ideo relinquitur solùm agendum de obiecto secundario, quod est omnis creatura. Quia tamen iuxta diuersitatem statuum, in quibus est creatura, desumuntur scientia simplicis intelligentiæ, & visionis; & status possibilitatis, penes quem sumitur simplex intelligentia, sit prior statu futuritionis, penes quem sumitur scientia visionis; ideo recta methodus postulat, vt prius agamus de simplici intelligentia possibilium,quàm de visione futurorum.

ART. I.

A R T. I.

An Deus cognoscat creaturas possibiles immediatè in se ipsis?

1 Supponimus *ex dictis in sup. q. art. 3. n. 2; & art. 1.* Deũ cognoscere omnes creaturas possibiles, quod prob. *à Fundatiss. Doct. dist. 38. princ. 2. q. 1. ex B. P. Aug. 15. de Trin. c. 13: Non aliter Deus cognoscit creata, quàm creanda iuxta Apost. Rom. 7. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt;* & ratio eius est præter alias allatas. *Modus intelligendi sequitur modum essendi;* sed ex eo, quod Deus sit suum esse, habet modum essendi omne esse; ergo ex eo, quòd sit suum intelligere habet modum cognoscendi omne cognoscibile; sed creaturæ possibiles sunt cognoscibiles; ergo cognoscuntur à Deo.

2 Neque officit, quòd aliquando SS. PP. videantur negare Deo cognitionem possibiliũ; nã loquuntur de aliqua cognitione tantũ in particulari, vt vel de cognitione practica, quia nihil Deus operatur circa possibilia; vel de cognitione per speciẽ acceptam à rebus; vel de cognitione possibiliũ extra se ipsum; non autem loquuntur de omni cognitione simpliciter; hoc enim manifestè est contra *Scripturas*, & rationem.

3 Præterea supponimus tanquam certum communiter contra *Aureolum*, Deum nedum cognoscere eminentiam, seu omnipotentiam actiuè continentem creaturas, sed etiam ipsas creaturas, seu esse creaturarum passiuè contentam in ipsa eminentia, seu omnipotentia virtualiter, non formaliter; & ratio est; quia Deus si cognosceret solam eminentiam actiuè continẽtem, non autem esse creaturarum contentarum in illa, Deus cognosceret solam potentiam productiuam, non verò effectus producibiles, quia effectus producibilis à Deo constituitur per esse ipsius contentum in omnipotentia; sicut effectus productus constituitur ad extra in se ipso per suum esse, quod habet formaliter in se ipso. Tum quia implicat, quòd comprehendatur omnipotentia continens, quin cognoscatur res contenta, quia continentia dicitur per ordinem ad aliquod contentum, aliter esset continentia nihili.

4 Si dicatur *ex D. Hier. Habac. 2.* habetur Deũ nõ cognoscere vilia. 2. Cognitio realiter distincta ab obiecto dependet ab illo. 3. Quod actu non est, non est actu cognoscibile; sed creaturæ possibiles actu non sunt; ergo non sunt cognoscibiles.

Ad 1. dicitur. Deum non cognoscere vilia comparatiuè, quatenus non habet prouidentiam specialem, sicut de rationalibus. Ad 2. dicitur verum esse de obiecto primario, non secundario. Ad 3. dicitur possibile importare esse contentum in omnipotentia cum modo relatiuo ad extra, vt diximus *To. 1. de Omnipot. art. 1;* illud autẽ esse est maximè actuale; cùm sit ipse Deus, qui est actus purissimus.

4 An autem cognoscantur nedum secundùm rationes vniuersales, secundùm quas sunt vnum, sed etiam secundùm rationes particulares, secundùm quas distinguuntur, videbimus *inf. art. 3.* Igitur.

6 Prima sententia vult Deum nullo modo cognoscere creaturas in se ipso, sed tantùm in semetipsis primariò, & per se. Tribuitur *Okamo in 1. dist. 35. q. 3; & Gabr. ibid. art. 2. concl. 2.*

Secunda vult Deum cognoscere creaturas in se ipso, non vt in causa, & obiecto priùs cognito, sed vt in specie expressa, & Verbo, & vltra hoc cognosci etiam immediatè in se ipsis per exclusionem medij priùs terminantis talem cognitionem. Ita *Vasq. disp. 60. c. 3; Bec. c. 10. q. 4; & Alarc. hic tract. 2. disp. 2. c. 3.* Adhæret *Mastrius in 1. disp. 3. q. 1. art. 3. n. 42. ad 2.*

Tertia vult cognosci à Deo in se ipso, vt in causa, & obiecto priùs cognito, & simul immediatè in se ipsis. *Ita ex nostris Albiz. disp. 5. sect. 2. n. 18; & sect. 12. n. 3; Henric. disp. 5. c. 4; Lugo lib. 1: de Deo disp. 28. c. 4; & alijs Recent;* quibus additur *Nicol. Martinez hic contr. 2. disp. 7. sect. 1. concl. 2.* Alij tamen *ex his* volunt creaturas esse obiectum tantùm terminatiuum, non verò motiuum. *Alij* verò nedum terminatiuum, sed etiam motiuum intentionale, non physicum; & dant exemplum de habente ante oculos speculum repræsentans aliquam imaginem, & ipsam imaginem; tunc enim potest immediatè videre imaginem, nedum in speculo, sed etiam in se ipsa.

Quarta sententia docet Deum cognoscere creaturas immediatè tantùm in se ipso, vt in causa, & in obiecto priùs cognito; & solùm mediatè in se ipsis, siue motiuè, siue terminatiuè. *Ita B. Doct. hic dist. 35. princ. 1. q. 3.* dicens: *Nihil cognoscit extra se, tanquam obiectum principale &c; quia omnia alia cognoscit cognoscendo se; Et ad 6. Deus cognoscit omnia per essentiam suam, quæ est causa omnium; & in eodem 1. princip. 1. proem. p. 1. q. 2. S. Quartò* circa medium: *Deus nihil intelligit extra se per se, & primò, sed intelligendo se intelligit omnia.* Idem docet *dist. 35. cit. q. 1; 2; & 4; Et dist. 29. princip. 2. q. 1. in corp; & Quodl. 6. q. 1;* vbi assignat rationem; quia inter intellectum, & obiectum primarium, & immediatum debet dari commensuratio, & proportio. Ipsum sequuntur *omnes illius Discipuli; Argent. dist. 35. q. 2. art. 3; Ger. ibid; Lusitan; Putean; Gibbon; Bernardin; M. Conson; Cornelio in M. S; Ioseph Villanou. de Præscient. disp. 1. dub. 3; Toletan. dist. 38. q. 1. art. 2. concl. 4; Paul. Venet. 3. de An. c. 42. not. 2; Franc. à Christo in 1. dist. 35. q. 3; Scierra ibid. quæstio 9; Cælestin. Quodl. 13. disp. 1. c. 3. S. 1. n. 2; Lafosse hic q. 3. c. 4.* Hanc sententiam docet expressè etiam *noster Greg. in 1. dist. 35. q. 1; ad inst. post resp. ad 10;* quanuis enim referatur *pro 1. sent.* dicẽs omnia

nia à Deo immediatè cognosci; attamen per *ly immediatè* intendit solùm excludere medium cognoscendi realiter distinctum à Diuina essentia, sicut excludit *Beatiss.P.Aug.inf.* non tamen vult, quòd Deus omnia immediatè non cognoscat per suam essentiam, quamuis identificatam cum sua cognitione, sicut asserimus nos; ait *n.ad 2.auct.D.P.Aug. Deus omnia videt in essentia sua; quia scilicet ipsa sua essentia est notitia quorũcunque; nec aliquid aliud præter ipsam est sibi necessarium ad intelligendum.* Et sic opinamur intelligẽdos esse *Auctores 1.sẽt; ac omnes Nominales.Ex exteris* verò sequũtur *Thomistæ cõmuniter. Dur; Capr.in 1.dist.35.q.2; Palud; Hispal; Caiet; Zum; Ban; Biesc; Zanard; Ripa, Serra, Naz; Albel; Io.à S. Tho; Godoy hic disp. 26; Gonet. Ex PP..Soc.Mol; Sua; lib.3.de Attr.c.2; Granad; Albertin; Tanerus, Valen.apud Godoy; aliíque; & nouissimè Thyrsus 1.p.To.1. disp.8;* cuius principaliores sententias ad nos trãsmisit *Sapientiss.noster P.Mag.Sequejros Hispan. Gen. Assistens Cathedræ vespertinæ Complut.sup.Mag.Sent.Regens.* Tandem refertur *Alen;* & *Auersa;* pro cuius resol.

7 *Aliqui Recentiores*, inter quos *Martinez vbis;* vt hanc difficultatem magis difficilem reddant, alijs illam onerant difficultatibus; scilicet, an Deus possit se ipsum cognoscere in creatura immediatè cognita; & an possit vnam creaturam immediatè cognoscere in alia? Has tamen omnes negatiuè soluemus ostendendo generaliter Deum nullam posse immeditè cognoscere creaturam.

8 Aduertendum, quòd creaturas videri in essentia Diuina, vt in causa, & in obiecto priùs viso, non est, vt imaginatur *P.Martinez*, scilicet ita, vt *ly priùs* cadat supra cognitionem, & faciat sensũ, quòd ad hoc, vt Deus videat creaturas, necesse sit priùs per vnam cognitionem videre se ipsum, & deinde creaturas per aliam; hoc enim non intendit nostra sententia. Sed *ly priùs* cadit supra obiectũ, & facit sensum, quòd Deus, licèt vnica cognitione formalissima attingat essentiam, & creaturas; attamen quia essentia attingitur, vt causa, & creaturæ, vt effectus; & quia causa est prior effectu; ideo priùs attingitur essentia, cũ sit ratio attingendi creaturas. Huius rei dat exemplũ aptissimũ *B.P.Aug.* de *Impressore*, qui licèt vnica impressione attingat omnes caracteres, attamen vnus caracter est prior alio.

9 Præterea videnda sunt, quæ diximus *To. 1.de Omnipot. Dei art.4;* vbi cùm ostenderimus creaturas possibiles importare formaliter esse contentum in Deo virtualiter cum modo relatiuo ad extra, & esse, quod est in Deo, sit ipse Deus; quia *creatura in Deo nihil aliud est nisi creatrix essentia;* sequitur creaturas possibiles essentialiter connecti cum Deo, & quòd non possint impossibilitari, aut destrui, nisi impossibilitato, aut destructo esse Dei, quod est essentialiter omne esse; quia Deus connectitur essentialiter cum omni eo, cum quo identificatur; & impossibilitatur impossibilitato suo esse.

10 Vnica Concl. Deus videt creaturas in se ipso, tanquam in causa; & nullo modo motiuè, vel terminatiuè extra se ipsum. Prob.1. *Ex Eccl.33.iuxta Translat.70. Antequam crearẽtur, omnia sunt nota illi; sic & postquam consumata sunt;* super quod *Beatiss.P.Aug.15.de Trin.c.13.* ait. *Sic, inquit, non aliter;* quibus verbis probat id, quod superiùs dixerat. *Vniuersas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit; non enim nesciuit, quæ erat creaturus. Quia ergo sciuit, creauit, non quia creauit, sciuit. Non enim eius sapiẽtiæ aliquid accessit ex eis, nec aliter sciuit creata, quàm creanda.* Ex quo sic. Deus *ex Scriptura, & Beatiss. P;* est agens per intellectum eodem modo cognoscens suos effectus, antequam creet, & postquam creauit; *sic* enim, *& non aliter* cognoscit; sed antequam creet, non videt suos effectus in se ipsis existentes extra Deum; sic enim falsò videret; ergo neque antequam creet, videt illos in se ipsis immediatè, vt possibiles extra se ipsum; si enim eodem modo videt, vt existentes, & vt possibiles; & vt existentes, non videt immediatè in se ipsis; quia videret ipsos aliter, ac videt, vt possibiles; nõ enim videt possibiles, vt existentes in se ipsis per actualem existentiam à parte rei; optimè sequitur nec videre immediatè, vt possibiles in se ipsis. Et rationem huius reddit eò, quia eius scientia, cùm sit actus purus, est suum esse; subdit enim: *In illius naturæ simplicitate mirabili non est aliud sapere, quàm esse; sed quod est sapere, hoc est & esse &c.* Deinde. *Nostra verò scientia in rebus plurimis propterea, & ammissibilis est, & acceptibilis; quia non hoc est nobis esse, quòd scire, vel sapere;* quam rationem *inf.* explicabimus.

11 Præterea *lib.5.de Gen. ad lit.c.18.* idem habet. *Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cùm ea fecisset, quàm illo, quo ea nouerat, vt faceret;* ex quibus sic. Agens per intellectum cognoscens solùm in se ipso effectum, vt faciat, illum tantùm cognoscit in se ipso, tãquam in causa; hoc enim est cognoscere aliquod tanquam in causa, vt intendit nostra conclusio; sed Deus est huiusmodi; ergo cognoscit creaturas solùm in se ipso immediatè tanquam in causa.

12 *Et ibid.c.15. Vidit omnia, quando fecit, & sicut vidit ea, ita & fecit, non præter se ipsum videns; sed in se ipso.*

13 *Et lib. 11. de Ciu. c. 7. Cognitio quippe creaturæ in se ipsa decoloratior est, vt ita dicam, quàm cùm in sapientia Dei cognoscitur, velut in arte, qua facta est;* sed ars est causa; ergo si cognoscitur in arte, qua facta est cognoscitur, vt in causa. Et si cognitio creaturæ in se ipsa est decolorata, quia creatura tenebra est, vt habet *sup. Io.1; & tenebræ eum non comprehenderunt;* cognitio autem decolorata repugnat Deo; ergo & immediata.

14 Et

14 *Et lib.83.qq.q.46. Non enim extra se ipsum quidquam intuetur Deus; hoc autem opinari sacrilegum est*.

15 Idem docet *lib.2. ad Simplic. q.2; & innumeris alijs in locis*, quæ recensere nimis longum esset.

Hæc testimonia sunt adeò manifesta, vt nullam penitus possint admittere nisi distortam, & alienā ab eius mēte interpretationē; attamen.

16 Respondent istis, & similibus auctoritatibus nihil aliud intendi, nisi, quòd Deus non accipiat species à rebus, & per consequens non specificetur à creaturis; sic enim dependeret ab illis. 2. quòd creaturæ non cognoscātur per speciem sibi adæquatā; cognoscūtur enim per Diuinam essentiā, quæ, licèt sit species propria omnis creaturæ, attamen nulla creatura illi adæquatur.

Quamuis hæ responsiones non mereantur solui, euidenter enim patet de se earum distorsio; attamen præterquanquòd si scientia Dei terminaretur immediatè ad creaturas motiuè, vel terminatiuè reciperet species, nec non specificaretur à creaturis, & adæquareтur creaturis; dicimus, vt optimè aduertit noster *Lafosse, Beatiss.P.* absolutè negare Deum aliquid cognoscere immediatè extra se, quia nunquam restrinxit suam sententiā ad solā negationē receptionis speciei, specificationis, & adæquationis, quod tamen tot *in locis* semel præstitisset; si aliquo modo putauisset Deum cognoscere posse creaturas immediatè in se ipsis.

17 Prob. ratione 1. Scientia Dei ex eo, quod est suum esse, est omne esse, quod potest causare in creaturis; ergo obiectum, à quo specificatur, & ad quod immediatè terminatur, est esse, quod est suum esse, & omne esse, quod potest causare in creaturis; & per consequens obiectū motiuum, & terminatiuum immediatè, est sola essentia Dei, vt causa creaturarum. Ant. patet 1. quoad 1. part. Conf. legitimè infertur; quia obiectum primarium, motiuum, debet adæquari, & esse eiusdem speciei cum sciētia, cuius est obiectum. 1. pars prob. Obiectum motiuum mouet scientiam ad intellectionem sui primò, & principaliter; vt patet discurrenti de omnibus obiectis motiuis primarijs; lux enim mouet oculum ad visionem sui; bonum mouet voluntatem ad amorem sui; corpus mobile mouet scientiam naturalem ad cognitionem sui; ergo ipsum obiectum motiuum est primariū terminatiuum motus ipsius potentiæ, quia illud est primarium terminatiuum, ad quod potentia mouetur primò ab obiecto motiuo; potentia autem ob obiecto motiuo primariò mouetur ad ipsum obiectū motiuum. Prob. 1. conf. Diuina essentia repræsētatur intellectui Diuino, vt causa creaturarum, quia repræsentatur eo modo, quo est in se ipsa; aliter si repræsentaretur secus, ac est, falsò repræsentaretur, & falsò cognosceretur; cùm in se ipsa sit causa creaturarum; ergo intellectus Dei tendit in Diuinam essentiam, vt est causa creaturarum; quia quælibet potentia tendit in suum obiectum, vt est sibi præsentatum, aliter tenderet in obiectum, vt non est sibi præsens, quod à nullo rationabiliter admitti potest; sed causa perfectissimè continens suos effectus secundùm omnes rationes repræsentata, vt talis, intellectui proportionato facit, vt intellectus perfectissimè cognoscat omnes illos effectus contentos in illa causa; ergo Deus immediatè cognoscit omnes creaturas in sua esētia, tāquam in causa.

18 Prob. 2; seu magis explicatur 1. ratio. Quodlibet obiectum in tantùm terminat aliquā potentiam, in quantùm attingitur ab illa potentia; nullo enim alio modo explicari potest terminabilitas obiecti; sic punctus in tantùm terminat lineam, in quantùm est indistans à linea; quapropter punctus existens in linea *A* nequit terminare lineam *B* distantem; quia illam non contingit; ergo illud primariò terminat, quod primariò attingitur; sed illud primariò attingitur, quod attingitur ratione sui, quia illud, quod attingitur ratione alterius, non est primum, cùm habeat supra se illud, ratione cuius attingitur, & quod est causa talis attactus; *primum autem est illud, quod non habet aliud supra se*, & *quod est causa ceterorum* in eo genere, in quo est primū; ergo illud, quod primariò terminat, attingitur ratione sui. Sed illud, quod attingitur ratione sui, est ratio formalis motiua talis attactus; quia nomine obiecti motiui nihil aliud intelligimus, nisi rationem formalem, per quam attingitur tale obiectum; ergo obiectum primariò terminatiuum est obiectum primarium motiuum. Tunc sic. Creaturæ nequeunt esse obiectum primariò motiuum; quia hoc, cùm sit specificatiuum potētiæ, debet esse eiusdem speciei cum illa; tum quia obiectum motiuum debet esse proportionatum potentiæ; proportio autem, vt diximus *ex Euclide de Ineffab. Dei art.4.n.7*; est *similitudo duorum eiusdem speciei, & naturæ*; tum quia debet esse adæquatū potētiæ; nulla autem creatura potest esse eiusdem speciei, & naturæ cum Deo, aut illi adæquari; cū creatura sit *tanquā nihilum ante Deum*; ergo creaturæ nequeunt esse obiectum primariò terminatiuum scientiæ Dei; per quod euertitur tertia sententia. Vlterius. Sed obiectum immediatum alicuius cognitionis est primariò terminatiuum illius; quia si non habet medium, per quod terminat cognitionem, iam est illud, quod primò terminat; quia *primū est illud, supra quod nihil est*; quapropter *primū*, & *immediatum* idem omnino significant, vt diximus *To.1. de omnipot. art.6.n.2*; ergo si creaturæ nequeunt esse obiectum primariò terminatiuum, quia simul essent obiectum primariò motiuum, neque possunt esse obiectum immediatè terminatiuum scientiæ Dei.

Ex hoc patet, vt *supra* dicebamus, quòd si scientia Dei terminaretur immediatè ad creaturas,

turas, ab illis specificaretur, & illi adæquaretur.

19 Conf. Creaturæ secundùm *omnes* sunt obiectum secundarium scientiæ Dei: ergo essentialiter supponunt obiectum primarium nedum in ratione motiui, sed etiam in ratione terminatiui; quia si solùm supponerent in ratione motiui, non verò in ratione terminatiui, iam creaturę priùs cognoscerentur à Deo, quàm ipse Deus; in tantùm enim res cognoscitur, in quantùm terminat cognitionem, & sic creaturæ essent obiectum primò cognitum à Deo; & ideo non essent obiectum secundarium, sed primarium; nomine enim obiecti primarij intelligimus id, quod primariò cognoscitur; ac per consequens *Deus non cognosceret creaturas cognoscendo se*, vt loquuntur *SS.PP.* & *DD*; sed è contra. Sed obiectum secūdariò terminatiuum non cognoscitur immediatè terminatiuè; ergo creaturæ nequeūt à Deo immediatè in se ipsis cognosci, aliter nō essent obiectum secundarium, sed primarium; quod est contra communem sententiam.

20 Prob. 3. In tātùm oculus potest per speciē lucis terminari ad tenebras, in quantū potest deficere à claritate, & à suo obiecto primario; seu in quantùm potest non videre; videns enim tenebras dicitur nihil videre, quia tenebræ nihil sunt; & quatenus videt tenebras, non videt lucem, vt patet; sed mens Dei nequit deficere à sua claritate, cùm essentialiter sit ipsa lux, & claritas, nec potest deficere à visione sui, quia nequit deficere à se ipsa, est enim essentialiter visio sui; nec potest nihil videre, quia hoc dicit summam imperfectionem propriam creaturæ; ergo Diuina mens etiam per speciem Diuinæ essentiæ nequit terminari ad creaturas extra se ipsā, quæ se habent tanquam tenebræ respectu lucis, vt supra diximus *ex Io. 1. & Beatiss. P. ibid.*

21 Prob. 4. Scientia Dei comprehēsiuè cognoscit essentiam Diuinā, idēst omnibus modis, quibus cognoscibilis est; sed est cognoscibilis, vt causa creaturarū, quia habet esse realiter causa creaturarum, & ad esse sequitur cognosci; ergo cognoscitur, vt causa creaturarum; sed nequit cognosci, vt causa creaturarum, nisi creaturæ cognoscantur ex vi Diuinæ essentiæ; sicut nequit esse causa creaturarū, nisi creaturæ verè possint causari à Diuina essentia; ergo scientia Dei cognoscit creaturas in essentia, vt in causa creaturarum; & ideo non cognoscuntur immediatè in se ipsis.

22 Tandem. Ideo *per Aduersarios* creaturæ possibiles nequeunt simul indiuisibiliter cognosci per eandem cognitionem, qua cognoscitur essentia, quia creaturæ possibiles non connectuntur essentialiter cum Diuina essentia; sed consequens est falsum; nam creaturæ possibiles important idem esse, quod habet Diuina essentia, vt ostendimus *de Omnipot. Dei art. 4*; illud autem, quod identificatur realiter cum alio, essentialissimè connectitur cum illo; quia nulla res potest essentialiùs connecti, quàm cum se ipsa, cum qua est vnum simplicissimè; maior enim vnitas est maior connexio; ergo creaturæ cognoscuntur per Diuinam essentiam, vt est causa illarum; & per consequens immediatè in se ipsis non cognoscuntur.

23 Non tamen propter hoc sequitur creaturas non videri, prout sunt in se ipsis, quia prout sunt in se ipsis, repræsentantur in Deo; cùm in ipso non solùm sint omnia esse, sed etiam omnes modi essendi demptis imperfectionibus; ergo cognoscuntur, prout sunt in se ipsis.

Conf. Creaturæ in se ipsis conformantur illi esse, quod habent in Diuina essentia, seu in Diuinis Idæis, quia illas imitantur; sed comprehenso imitabili cognoscitur imitatiuum; ergo cognoscuntur, prout sunt in se ipsis. Sicut quia in speculo repræsentatur homo, prout est in se ipso, dicitur videri, prout est in se ipso.

Not. tamen, quòd cùm dicimus creaturas cognosci in essentia Dei, intelligendum est de essentia realiter sumpta, prout identificat sibi sua attributa; non enim est causa creaturarum nisi mediantibus suis attributis.

24 Obijc. 1. ex *Vasq.* Creaturæ non connectitur cum Diuina essentia intrinsecè, & necessariò, vt causa illarum; ergo essentia Dei nequit esse ratio cognoscendi creaturas. Prob. ant. 1. Magis necessarium non potest connecti cum minùs necessario; sed Deus est magis necessarium, quàm creaturæ possibiles; creaturę verò sunt necessariæ solùm ratione Diuinæ Omnipotentiæ: ergo creaturæ possibiles non connectuntur cum Diuina essentia necessariò, & intrinsecè, vt causa illarum. 2. Id, quod connectitur necessariò cum alio, dependet ab illo; vt proprietates, quę necessariò connectuntur cum essentia creata, dependent ab illa; Deus autem nequit pendere à creaturis possibilibus. 3. Destructis creaturis possibilibus non destrueretur Omnipotentia Dei. 4. Possibilitas consistit in non repugnātia ad esse, & non esse; non repugnantia autem idem est, ac contingentia. 5. Quę posita se ponunt, & ablata se tollunt, depēdent ad inuicem; ergo si positis possibilibus poneretur omnipotentia, & ablatis tolleretur, non minùs omnipotentia dependeret à creaturis, quàm creaturę ab omnipotentia.

Resp. hęc leuiter solui *ex dictis de Omnip. vbi sup.* neg. ant. Ad 1. prob. dist. mi. Deus est magis necessarius, quàm creaturę possibiles secundū esse, quod importāt in Deo, neg; secundū modum relatiuum, transeat; necessitas autem sumitur ab esse, non à modo. Ad 2. dist. Quod connectitur cum alio per emanationem, & distinctionem ab illo, vt proprietas respectu essētię creatę, conc; quod connectitur per identitatem secundùm esse, vt possibilia, quę nullum aliud esse important, quàm esse Dei, aliter daretur ab æterno aliquod esse extra Deum, neg;

idē.n. nequit pēdere à se ipso. Ad 3.neg. ant;nā esse possibiliū est idem,ac esse omnipotētię;quia effectus in causa non habet esse distinctum ab esse causæ. Ad 4. dicitur, quòd illa definitio est in ordine ad existentiam, quam potest habere creatura possibilis; existentia autem est contingens,& ideo essentia creaturarum definitur per ordinem ad aliquod contingens, licèt secūdùm esse, quod importat formaliter in se ipsa, sit necessaria,quia est idem ac esse Dei,prout communicabile ad extra; quapropter dicitur, quòd essentiæ rerum sunt inuariabiles, & immutabiles,& æternæ,quod non potest saluari, nisi dicēdo quòd essentiæ important formaliter esse Dei, quod solum est inuariabile, immutabile, & æternum; quodlibet autem extra Deum est variabile, mutabile, & temporaneum saltem aptitudinaliter. Dist. ergo possibilitas est non repugnantia in ordine ad existentiam, quam potest habere extra Deū,conc; in ordine ad esse,quod formaliter importat,neg. Ad 5.neg.ant;nam posito Patre ponitur Filius,& ablato tollitur,& tamen Pater non dependet à Filio; neque Filius à Patre, si loquamur de Filio Diuino: Vel dist. ant. Quæ posita se ponunt per emanationem vnius ab alio,& per distinctionem in esse,in qua consistit depēdentia formaliter,conc; licèt enim Verbū Diuinū accipiat esse à Patre, quia tamen non accipit esse distinctum, ideo non dependet ab illo;per identitatem,neg.

25 Inst. illud dependet ab alio, quod nequit subsistere sine illo;sed sine possibilibus non posset subsistere omnipotentia; ergo dependeret à possibilibus.

Resp. 1. neg. ma; nam dependere est accipere esse ab alio per distinctionem, vt dictum est. 2. Neg. iterum ma. Illa enim, quæ identificantur,non dependent ad inuicem, quia dependentia oritur ex causalitate, idem autem non potest causare se ipsum, & tamen vnum sine alio nequit subsistere.

26 Replic. Si possibilia importarent formaliter esse Dei, possibilia non dependerent ab ipso Deo, & sic essent quid increatum, & independens, & per consequens non essent creaturæ; nec essent possibilia, quia possibilitas repugnat esse ipsius Dei;ergo nulla solutio.

Resp. dist. ant. Si possibilia importarent formaliter esse Dei secundùm se absolutè,conc. si esse Dei cum modo relatiuo ad extra, quatenus scilicet est communicabile extra Deum, vt dicimus nos,neg; creaturæ enim possibiles cùm secundùm suam possibilitatem non importent aliquod esse causatum à Deo, vt probauimus *vbi sup*; ideo non important dependentiam,nisi per ordinem ad existentiam, quam possunt habere extra Deum; neque denominantur creaturę per aliquam actionē actualiter extra Deum existentem,sic enim essent aliquod creatum formaliter; sed denominantur creaturæ per actionem creatiuam, per quam possunt poni sub esse actuali extra Deum, & in hoc distinguitur possibile ab actualiter existenti.

27 Obijc. 1. Agens per intellectum priùs intelligitur intelligens, quàm agens; statuarius enim priùs, quàm formet statuam, ipsam intelligit; ergo Deus priùs intelligit possibilia,quàm sit causa illorum; & per consequens nequit intelligere possibilia per causam, aliter intelligeret priùs per id, quod est posterius ad suam intellectionem. 2. Deus continet possibilia sub ratione vniuersalissima, quia est causa vniuersalissima illarum; ergo nequit ratione talis continentiæ illas distinctè intelligere; sicut intelligens per speciem repræsentantem genus animalis non intelligeret distinctè omnes differentias illius. 3. Angelus comprehendit suum intellectum, & tamen non cognoscit omnes suas intellectiones, quia sūt infinitæ;ergo licèt Deus comprehendat suam omnipotentiam, non tamen comprehendit omnes effectus illius. 4. Quod habet rationem medij ducentis in cognitionem alterius, dicit relationem ad illud; Diuina autem essentia nullam relationem dicit ad creaturas.

Resp. ad 1. dist. ant. Quàm agens actualiter extrinsecè, conc; quàm intrinsecè potens agere, neg;ex eo enim,quòd formaliter cognoscatur, vt potens agere, cognoscitur, vt agens in actu primo, quanuis non concipiatur, vt agēs exercitè in actu secundo extrinsecè. Ad 2. dist. ant. Deus continet possibilia sub ratione vniuersalissima formaliter imbibente omnes rationes particulares,hęc enim est perfectissima continentia, quæ conuenit soli perfectissimæ causæ, quæ est Deus, conc; abstrahente à rationibus particularibus, neg; sic si species animalis perfectè repræsētaret ipsum animal secundùm omnes suas differētias, si quis cognosceret per illā speciem, perfectè attingeret omnes differentias distinctè. Ad 3.omissa resp. *Thomistarum*, neg. ant; comprehensio enim, vtpotè perfectissima inter cognitiones, nequit competere nisi primo, & perfectissimo intelligēti,qui est Deus; vt diximus *To.1. de Inuisib. Dei q.5. art.1. n.3; & seq*; & licèt *D.Tho.* aliquando asserat Angelum comprehēdere se ipsum, attamen loquitur lato modo,vt cùm Beati vocantur comprehēsores, quatenus ita prendunt, vt immobiliter adhæreant, & totum capiant, sed non totaliter, Ad 4. neg. 1. ant; nam Diuina essentia, vt species,est medium ducens in cognitionem creaturarum *per Vasq*; & tamen non dicit relationem ad illas. 2. dist. Quod habet rationem medij per distinctionem in esse, transeat; per indistinctionem, vt in casu,neg; Essentia enim;quanuis sit medium cognoscendi creaturas, quia tamen non distinguitur realiter ab illis, ideo non refertur realiter ad illas. 3. dist. Dicit relationem, vel modum relatiuum, conc; relationem, neg.

Es-

Essentia ergo, licèt non dicat relationem ad creaturas, quatenus illarum causa, dicit tamen modum relatiuum, qui modus est realis. *Vid. de Attr. in com. q. 2. art. 16.*

28 Obijc. 3. Deus cognoscit peccata possibilia, & entia chimærica, quæ non causat; ergo falsum est, quòd omnia, quæ cognoscit in se ipso, cognoscat tanquam in causa. 2. Intellectus creatus multa cognoscit, quorum non est causa; ergo à pari. 3. Scientia Dei est causa rerum, *vt inf.* ergo si cognosceret res in causa, cognosceret eas in se ipsa; & sic daretur scientia ante scientiam. 4. Ad hoc, vt aliquod sit medium cognoscendi, debet perfectè assimilari rei cognitæ; sed Diuina essentia nequit perfectè assimilari creaturæ; ergo nequit esse medium cognoscendi illam.

Resp. ad 1. dist. 2. part. ant. Quæ non causat per efficientiam, conc; per deficientiam, neg; peccata enim, & entia rationis, cùm sint defectus, non exigunt causam efficientem, sed deficientem, idèst non causantem: deficere autem à malo in Deo non est imperfectio, sed summa perfectio. Cũ ergo *oppositorũ sit eadẽ ratio*; ideo sicut Deus in se ipso, tanquã in causa, cognoscit entia, quę efficit; ita in se ipso, tanquam in causa, qua deficiunt, cognoscit non entia, quæ entibus opponuntur. Ad 2. dicitur disparitatem esse, quia intellectus creatus non est causa vniuersalissima omnium entium, ideo potest intelligere aliquod nõ causatum ab illo; at intellectus Dei est causa vniuersalissima omnium ratione suæ infinitatis, ideo nullum ens potest intelligere, quod non causet. Ad 3. dist. ant. Scientia practica est causa rerum, conc; speculatiua, neg; est enim tantùm conditio *sine qua non*, vt infra; non est autem incongruum, quòd detur scientia speculatiua ante scientiam practicam. Ad 4. retorq. 1. Medium cognoscendi debet perfectè assimilari rei cognitæ; sed Diuina essentia, vt species, non assimilatur perfectè creaturæ; ergo neque, vt species, est medium cognoscendi creaturam; & sic hoc probat Deum nullo modo cognoscere creaturas. Dist. ergo ma. Debet perfectè asimilari obiecto primario, conc; secundario, neg.

29 Obijc. 4. Veritas creata nequit esse ratio formalis Deo cognoscẽdi veritatem increatam; ergo à pari; nam in tantùm creatura nequit esse ratio formalis, per quam Deus videat se ipsum; in quantùm ratio formalis debet adæquatè proportionari rei cognitæ; sed Diuina essentia non est adæquatè proportionata creaturæ; ergo nequit esse medium cognoscendi.

Resp. neg. con; & disparitas est, quia creatura est effectus Dei, & modus cognoscendi per effectum, vtpotè imperfectior, repugnat Deo; at verò essentia est causa creaturæ; cognitio autem per causam, vtpotè perfectior, Deo debet attribui. Ad prob. neg. ma. de obiecto secundario, non autem de obiecto primario. Si autem Deus per creaturã cognosceret se ipsum, creatura esset obiectum primarium, & ideo deberet esse adæquata; Diuina autem essentia est ratio videndi creaturas, quæ sunt obiectum secundarium, non autem primarium, & ideo non currit paritas.

30 Obijc. 5. Deus cognoscit veritates creatas omni modo, quo sunt cognoscibiles; aliàs non esset infinitus in cognoscendo, & eas non comprehenderet; *comprehensio enim est cognitio rei omnibus modis, quibus cognoscibilis est*; sed veritates creatę sunt cognoscibiles mediatè in Diuina essentia, & immediatè in se ipsis; ergo vtroque modo eas cognoscit. 2. Propositiones identicæ, *vt homo est homo*; & veritates per se notæ sunt cognoscibiles à Deo in se ipsis; cùm enim sint per se notæ, non indigent cognosci per aliud. 3. Si creaturæ existerent ab æterno, Deus illas in se ipsis immediatè cognosceret, quia essent veritates ratione sui determinatæ, & ideo in se ipsis posset terminare cognitionem determinatã. 4. Intellectus Christi Dñi cognoscit veritates creatas in Diuina essentia, & etiã immediatè in se ipsis extra verbum per scientiam supernaturalem infusam ad hoc, vt ei concedatur omnis modus possibilis cognitionis rerum; ergo à fortiori dicendum est de Intellectu Diuino. 5. Omnis effectus creatus habet esse in causa, & extra causam; ergo habet duplicem cognoscibilitatem, per quam potest cognosci mediante causa, & extra causam immediatè in se ipso.

Resp. ad 1. dist. ma. Omnibus modis importantibus formaliter imperfectionẽ, neg; nullam importantibus imperfectionem, conc. Et sic dist. mi. Modus cognoscendi creaturas immediatè nullam defert imperfectionem, neg; aliquam defert imperfectionem, vt supra dictum est, cõc; & neg. consequentiam; aliter si deberet cõcedi Deo cognitio omnibus modis, quibus creatura est cognoscibilis, deberet concedi, quòd Deus abstractiuè, materialiter, & sensitiuè per dependentiã à phantasmatibus materialibus, & per discursum possit illam cognoscere; quæ tamen omnia remouentur à Deo propter imperfectiones, quas important. Cùm ergo dicitur comprehẽsio *est cognitio omnibus modis*, non cadit supra modum cognoscendi, sed supra cognitum ita, vt nihil sit in re cognita quocunque modo siue formaliter, siue virtualiter, siue absolutè, siue relatiuè, quod à comprehendente non cognoscatur. Ad 2. neg. assumptum; quia veritates per se notæ possunt per se ipsas immediatè cognosci ab intellectu creato, cùm possint illum specificare, non sic autem de Deo. Ad 3. neg. assumptum; quanuis enim creaturæ existentes ab æterno essent determinatæ, hoc tamen non sufficeret ad hoc, vt immediatè cognoscerentur à Deo, vt dictum est; ergo à pari. Ad 4.

neg. cons. quia intellectui Christi Domini humano non repugnat imperfectio; quam importat modus cognoscendi creaturas immediatè in se ipsis. Ad 5. dist. conf. Habent duplicem cognoscibilitatem, quarum vna est decoloratior, vt loquitur *Beatiss. P.*; quæ repugnat Deo, conc; æquè lucidam, & claram, neg; & sic soluuntur etiam antecedentes rationes à nobis aliter solutæ.

31 Obijc. 6. Possunt creaturæ ratione sui terminare cognitionem Diuinam, absque eo, quòd illam specificent; ergo nulla conclusio. Prob. ant. Possunt creaturæ secundùm suam substantiam esse extra intellectum ipsius Dei, & tamen intelligi ab illo; in tali autem casu non specificarent, quia specificatiuum debet esse intrinsecum rei specificatæ. Tum quia in tantùm obiectum specificat cognitionem aliquam, in quantùm ab illo accipitur species, quæ est principium cognitionis; sed in casu Deus non acciperet speciem à creaturis; ergo ab illis non specificaretur.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd licèt obiectum sit extra intellectum secundùm suam substantiam; attamen debet esse intra suam speciem. Ad 2. dicitur, quòd licèt Deus non acciperet species à rebus creatis, vt Angeli; attamen eius cognitio specificaretur per ordinem ad creaturas, quia creaturę essent obiectum primarium, ratione cuius attingerentur, *vt sup.* dictum est; sic scientia Angeli, licèt non accipiat species à rebus, attamen specificatur per ordinem ad illas.

32 Obijc. 7. Omnipotentia, & iustitia terminantur ad creaturas in se ipsis, quia omnipotentia versatur formaliter circa factibile, & iustitia circa punibile ex aliqua culpa; nihil autem in Deo habet rationem factibilis, vel culpæ punibilis; ergo & scientia immediatè terminatur ad creaturas, cùm sit æqualis perfectionis.

Resp. neg. ant. Omnia enim Diuina attributa habent pro obiecto primario Diuinam essentiam, & pro secundario creaturas. Omnipotentia ergo habet pro obiecto primario Diuinam bonitatem, vt communicabilem creaturis; & iustitia vindicatiua habet pro obiecto primario Diuinam bonitatem, vt vindicantem mala, quibus opponitur.

33 Obijc. 8. Cognitio rei in se ipsa perfectior est, quàm cognitio ipsius in speculo; sed Deo debet tribui perfectior cognitio; ergo cognoscit creaturas immediatè in se ipsis. 2. Creaturæ cognoscuntur à Deo secundùm esse proprium, quod habent in rerum natura; sed secundùm hoc esse nequeunt esse in Deo, quia hoc esse dicit perfectionem mixtam imperfectioni; ergo cognoscuntur immediatè in se ipsis. 3. Si Deus non videret immediatè creaturas in se ipsis, abstractiuè eas cognosceret, quia abstraheret ab earum præsentia, & existentia; cognitio autem abstractiua, vtpotè imperfecta, repugnat Deo.

Resp. dist. ma. Quàm in speculo continente obscuriori, & imperfectiori modo, quàm sit in se ipsa; conc; continente clariori, & perfectiori modo, quàm sit in se ipsa, neg. Ad 2. dist. ma. Cognoscuntur immediatè secundùm esse proprium, neg; mediatè, conc. Ad 3. neg. assumptum; quamuis enim abstraheret à præsentia, & existentia earum extra Deum, attamen quia nō abstraheret à præsentia, & existentia, quam habent in Deo, perfectiori modo, quàm in se ipsis, ideo non abstractiuè, sed *superintuitiuè* illas cognoscit; *sed de hoc infra.*

34 Collig. *ex dictis* obiectum *in quo* motiuum cognoscendi creaturas non esse Diuinam essentiam, vt præcisam ab attributis, sed tam obiectum motiuum, quàm terminatiuum esse Diuinam essentiam prout affectam attributis, quæ constituunt ipsam causam proximam creaturarum. Est contra *Godoy hic disp. 26. §. 10. corol. 1. n. 264.* Prob. *ad hominem.* Obiectum motiuum, & terminatiuum primarium scientiæ Dei est Diuina essentia, vt causa creaturarum; obijcitur enim scientiæ, vt causa creaturarum, cùm hæc sit ratio specificatiua scientiæ, prout contradistinguitur ab alijs habitibus intellectus, vt diximus *q. 1. art. 1. §. 1*; sed non est causa creaturarum præcisis attributis; ergo obiectum motiuum, & terminatiuum primarium scientiæ Dei non est Diuina essentia, vt præcisa ab attributis. Tum quia Diuina essentia est obiectum scientię, prout continet creaturas; de ratione enim causæ est continentia effectus; sed creaturæ non continentur immediatè in essentia Diuina, aliàs esset formaliter in illa; vt diximus *de Emin. Dei art. 3*; ergo non est obiectum motiuum, vt præcisa ab attributis.

35 Obijcit *Godoy*. Illud est obiectum motiuum *in quo*, quod vnitur intellectui *per modū* speciei; sed sola essentia est huiusmodi; ergo sola est obiectum motiuum. 2. Sola essentia, vt causa radicaliter cōtinens attributa, est obiectum motiuum scientiæ attributorum; ergo à fortiori, vt causa radicaliter continens creaturas, est obiectum motiuum scientiæ Dei.

Resp. ad 1. neg. mi. vt diximus *q. 1. art. 3*; *& de Inuisib. q. 4. art. 1. n. 11.* Præterea si essentia solùm, vt species, est obiectum motiuum, non verò, vt causa, videtur docere sententiam *Vasq*; quā tamen impugnat; ergo parum congruè ad suam doctrinam videtur loqui. Ad 2. neg. con; quia essentia Diuina est causa virtualis proxima attributorum; non autem creaturarum; ideo nulla est paritas.

ART. II.

An Scientia possibilium sit formaliter intuitiua?

Certum est secundùm *omnes* scientiam Dei non posse esse abstractiuam, sed necessariò

rio esse intuitiuâ respectu obiecti formalis specificatiui, quod est Diuina essentia; quia si Deus abstractiuè cognosceret suam essentiam, illam inadæquatè,& imperfectè cognosceret,quod nō est dicendum. Vertitur modò in dubium,an respectu obiecti secundarij dicenda sit intuitiua, vel abstractiua? Et quia obiectum secundarium scientiæ simplicis intelligentiæ est creatura possibilis, ideo quæritur, an scientia Dei respectu creaturarum possibilium, quæ non habent, nec vnquam habebunt existentiam,sit intuitiua, vel abstractiua?

Prima sententia vult scientiam Dei respectu creaturarum possibilium esse abstractiuam. *Ita plures Thomistæ; Io.à S. Tho. hic q. 14. disp. 18. art. 1. §. 2; Godoy hic disp. 31. §. 1. n. 6; & seq; Gonet. disp. 2. art. 2. §. 3. ad Inst. 1. obiect; Cabr; & alij.*

Secunda sententia vuult tam scientiam visionis,quàm simplicis intelligētiæ esse intuitiuā. *Ita nostri DD.Greg.in 1.dist.36.q.1.propè finem; & Franc.à Christo in 1.dist.29.q. 6. ad 6.*

Tertia sententia vult scientiam possibiliū non esse formaliter abstractiuam, aut intuitiuā; sed superintuitiuam. *Ita noster Toletan. in 1.art. 1.prol.ad rationes nostri Oliuerij.* Hanc sententiā putamus esse *nostri Fundatiss. Doctoris docentis, vt supra vidimus,q.1. §. 2. n. 23;* scientiam Dei vocandam esse potiùs superscientiam,ideo sicut ratio intuitiui sequitur rationem scientiæ, vel tanquam species, vel tanquam modus, vt vult. *Io.à S.Tho.vbi sup;* ita ratio superintuitiui sequitur superscientiam.

Ratio dubitandi, quæ est vnicum fundamentum *Aduersariorum*,est. Cognitio intuitiua constituitur formaliter,& distinguitur ab abstractiua in hoc;quòd illa versatur immediatè circa rem præsentem,& existentem,prout præsens, & existens est in se ipsa formaliter; ista verò circa rem,prout præsentem,& existentem in alio, in quo repręsentatur;vt diximus *To.1.de Subst.Dei q.1.§.1.à n.2.ad* 8; sed creaturæ possibiles non habent existētiam, & præsentiam in se ipsis formaliter extra Deum; habent enim solùm esse in Deo, tanquam in sua causa perfectissima continente nedum earum essentias,sed etiam existentias,vt *infra*; ergo scientia Dei erga possibilia nō est intuitiua,sed abstractiua. Vt hoc dissoluatur.

Not;quòd,vt diximus *To.1.vbi sup;* cognitio abstractiua in hoc distinguitur ab intuitiua, quòd illa præscindit ab existentia, & præsentia rei.Hoc autem non est ita intelligendū, vt omni modo præscindat; quia potest per aliquam speciem clarè repræsentantem nedum essentiam, sed etiam existentiam,& præsentialitatem ipsius rei, secundùm quam res coexistit tali differentiæ temporis, cognosci res abstractiuè; vt diximus *ibid.*de Angelo, qui habet speciem quiditatiuè repræsentantem alterum Angelum, & ideo repræsentantem essentiam, & existentiam actualē ipsius; quia existentia pertinet ad quiditatem ipsius rei,tanquam complementum illius, & tamen solùm abstractiuè cognoscit. Dicitur ergo præscindere ab existentia, & præsentia rei,quatenus existentia, & præsentia formalis propria ipsius rei non est motiuum immediatum,& proprium talis cognitionis, sicut est substantia propria respectu sui intellectus, & cognitionis, qua cognoscit suam substantiam. Etenim nō cognoscit Angelus quiditatiuè existentiam alterius Angeli,vel alias creaturas, nisi per speciem existētem in suo intellectu;species autem, quæ existit in suo intellectu,non existit per existentiam alterius Angeli, aut creaturæ, sed per existentiā propriam Angeli cognoscentis; quia omnia accidentia,quæ sunt in illo, existunt per existentiā propriæ substantiæ,in qua fundantur;ergo ratio formalis motiua non est existentia, & præsentia propria alterius Angeli, quæ se habet tantùm materialiter,& secundariò;sed existentia,& pręsentia propriæ speciei, quæ est sua propria existentia, & præsentia, in quam primò, & directè tendit;& qua mediante tendit in existentiam, & præsentiam alterius Angeli; motiuum autem formale debere esse primum,& immediatum fatentur nobiscum *Thomistæ*. Igitur ideo intellectus creatus in causa creata intelligit effectum abstractiuè, quia causa creata, vtpotè essentialiter imperfecta,continet tantùm imperfectè suos effectus; idèst solùm secundùm rationes vniuersales, non secundùm rationes particulares, quæ sunt *hic*, & *nunc*; quæ formaliter important existentiam,& præsentiam; & propterea cognoscēs causam creatam cognoscit effectum in ipsa abstrahendo ab existentia, & præsentia illius; cùm in causa creata effectus præscindat à sua existentia, & præsentia formali. At verò quęlibet creatura est in Deo perfectissimo modo secundùm rationes vniuersales,& particulares;*vt videb.in seq. art;* & ideo nedum est in illo secundùm essentiam;sed etiam secundùm existētiam, & pręsentiam propriam formalem, quam potest habere extra Deum; ideo scientia Dei cognoscens possibilia in Diuina essentia non est abstractiua, quia non præscindit essentiam ab existētia creaturę; nec videt illam per existētiam alterius rei, sed per existentiam propriam, & particularem, cùm in illo sint omnes rationes particulares proprię cuiusque creaturę, vt concedunt *Thomistæ*.Nec dici debet intuitiua formaliter;si nomine *intuitiua* intelligatur cognitio rei in se ipsa, prout est extra suam causam; ergo reliquū est, vt appelletur superintuitiua, quatenus intuetur propriam existentiam, & pręsentiam rei, non quidem in se ipsa formaliter,sed in sua causa altiori,perfectiori,& clariori modo repręsentante ipsam existentiam, & pręsentiam ipsius;in quo superat intuitiuam, quę imperfectiori, & humiliori modo illam videt.Hoc supposito.

Vnica concl. Scientia possibilium non est ab-

abstractiua, vel intuitiua, sed superintuitiua. Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. 4. sup. Gen. c. 15. in princ. Cùm procul dubio melius aliquid in illa sit, quo ea facta sunt, quàm, quæ facta sunt;* cui congruit *Fundatiss. Doct. de Regim. Princip. lib. 1. p. 3. c. 3. Bonum vniuscunque principaliter est à Deo, & excellentiùs reseruatur in Deo, quàm in se ipso.* Ex quo formatur nostra ratio fundamētalis sic.

Cognitio abstractiua abstrahit ab existentia, & præsentia propria ipsius rei; & intuitiua tendit formaliter in existentiam, & præsentiam propriam rei in se ipsa formaliter extra causam; sed cognitio Dei non abstrahit ab existentia, & præsentia propria creaturarum possibilium, neque tendit in illas immediatè, vt actu existentes, & præsentes in se ipsis formaliter extra Deum, quia tendit in existētiam, & præsentiam propriam ipsius rei excellentiori modo, quàm sit in se ipsa; ergo non est vocanda formaliter abstractiua, vel intuitiua, sed superintuitiua. Ma. traditur *ab Aduersarijs*. Prob. 1. pars mi. In Deo actu est existentia, & præsentia propria, quæ potest competere cuique rei extra ipsum; quia in illo sunt omnes perfectiones, & omnia esse, quæ possunt communicari creaturis; ergo Deus cognoscit existentiam, & præsentiam propriam cuiusque rei; & per consequens eius cognitio non abstrahit ab existentia, & præsentia propria creaturarum, quia abstrahere est non cognoscere. Tum quia si cognitio Dei abstraheret ab existentia, & præsentia propria creaturarum, iam Deus non cognosceret in se ipso existentiam, & præsentiam propriam eo modo, quo creaturæ illam possunt habere extra Deū; hoc enim est abstrahere; ergo per positionem creaturarum à parte rei extra Deum cognitio Dei fieret scientior, quia cognosceret aliquid in creaturis, quod anteà non cognoscebat; quod est expressè *contra Beatiss. P. Aug. lib. 5. de Gen. ad lit. c. 18. Non sanè propter inferiorum scientiam nuncijs indiget, quasi per illos fiat scientior.* Tum quia cognitio abstractiua ex suo conceptu formali importat imperfectionem; importat enim ignorantiam alicuius prædicati realis conuenientis ipsi rei, quod non cognoscit, & à quo abstrahit: ergo non est ponenda in Deo. Prob. 2. pars mi. Cognitio intuitiua est, quæ fertur immediatè in ipsam rem, vt existentem, & præsentem in se ipsa extra suam causam; sed cognitio Dei non fertur in creaturas possibiles, vt existentes, & præsentes in se ipsis formaliter extra Deum; quia in se ipsis non sunt, aliter essent existentes, non possibiles; tum quia etiam si fierent existentes, cognitio Dei non posset immediatè ferri in ipsas, vt diximus *in sup. art;* ergo cognitio Dei non fertur in creaturas possibiles, vt existentes, & præsentes in se ipsis extra Deum. Prob. 3. pars. Creaturæ habent in Deo perfectiori, & sublimiori modo propriam existentiam, & præsentiam, quam possunt habere extra Deum; ergo cognitio, quæ fertur in creaturas possibiles secundùm existentiam, & præsentiam, quam habent in Deo, est superintuitiua; nam sicut cognitio, quæ fertur in existentiam, & præsentiam rei modo inferiori (modus enim habendi existentiam extra Deum est inferior modo habēdi existentiā in Deo) est intuitiua; ita cognitio, quæ fertur in existentiam, & præsentiam rei modo superiori, & sublimiori, dicenda est superintuitiua.

6 Conf. 1. Sicut se habet ratio intuitiui ad scientiam; ita ratio superintuitiui ad superscientiam; sed ratio intuitiui conuenit formaliter scientiæ; ergo ratio superintuitiui conuenit formaliter superscientiæ; atqui scientia Dei est formaliter superscientia, vt inquit *D. Dion;* quia superat quancunque scientiam; ergo est formaliter superintuitiua.

7 His ijsdem rationibus probatur scientiam visionis non esse intuitiuam, vel abstractiuam, sed superintuitiuam; quapropter non esse necessariam præsentiam in æternitate ad saluandam futurorum visionem. *Sed de hoc infra.*

8 Ad rationem dubitandi dist. 2. pars ma. Cognitio abstractiua versatur circa rem, prout præsentem, & existentem in alio per propriam præsentiam, & existentiam, quam res habet in se ipsa, neg; per præsentiam, & existentiam illius, in quo repræsentantur, conc; & concessa mi. in sensu explicato neg. consequentia.

9 Obijc. *Io. à S. Tho.* Ratio intuitiui, & abstractiui non differunt ratione maioris, vel minoris claritatis; important enim formaliter solam coexistentiam realem obiecti; ergo cognitio abstractiua nequit Deo repugnare.

Resp. Omissa ant. neg. con; nam licèt non repugnet Deo ratione obscuritatis; attamen repugnat, quia Deus nequit nescire existētiam, & præsentiā propriam ipsius rei, quę est in Deo, & est ipse Deus; aliter posset nescire se ipsum.

10 Instare posset. Scientia Dei potest abstrahere à futuritione rei, quia per scientiam simplicis intelligentiæ non cognoscitur futuritio; ergo potest etiam abstrahere ab existentia, & præsentia rei.

Resp; quòd futuritio rei potest considerari 2. scilicet materialiter, & formaliter. Futurum materialiter importat ipsam existētiam rei, quæ est in Deo; & hoc cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ; de formali verò dicit modum relatiuum ad essendum extra Deum suo tempore determinato; & hoc modo non cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ; non tamen propter hoc dicenda est abstractiua, quia non abstrahit ab existentia, & præsentia rei; etiam eo modo, quo illam habitura est in statu futuritionis, vel actualis existentiæ; quia sicut omne existens creatum priùs fuit futurum, quàm existens; ita omne futurum concipitur priùs fuisse possibile, quàm futurum.

Ne-

Negatur igitur ant; quanuis enim non cognoſcat futurum,vt futurum; attamen, quia cognoſcit illud,vt poſſibile cum omni modificatione, & determinatione, quam poteſt habere,vt futurum, propriè non dicitur abſtrahere.

11 Obijc.2. contra 2.part. concl.Cognitio intuitiua eſt perfectiſſima; ſed ſimplex intelligentia eſt perfectiſſima; ergo eſt intuitiua. 2. Deus cognoſcit creaturas exiſtentes intuitiuè; ergo & poſſibiles; nam *ex Beatiſs. P.Aug. Deus non aliter cognoſcit facta, quàm facienda*. 3. Eadem cognitione, qua Deus cognoſcit ſe ipſum, cognoſcit creaturas; ſed Deus cognoſcit ſe ipſum intuitiuè; ergo, & creaturas.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Facta comparatione inter cognitiones, quas poteſt habere creatura, conc; creatura enim nequit habere cognitionem perfectiorem, quàm ſit intuitiua; cùm nequeat comprehendere; facta comparatione inter omnes cognitiones ſiue creatas, ſiue diuinas, neg; cognitio enim comprehenſiua, & superintuitiua eſt perfectior quiditatiua ſimpliciter intuitiua. Ad 2. neg.ant; vt dictum eſt; videt enim creaturas exiſtentes ſuperintuitiuè, quia videt immediatè ſecūdùm illud eſſe,quod habēt in Deo; & quia in Deo continetur nedum exiſtentia creaturæ,ſed etiam differentia temporis, in qua eſt creatura, ideo dicitur ſolùm videri in ſe ipſo, quanuis etiam videatur eo modo,quo eſt extra illum, quia etiā ille modus eſt in Deo. Ad 3. diſt.ma. Eadem cognitione ſecundùm diuerſam rationem, conc; ſecundùm eandem rationem, neg. Neque implicat, quòd eadem cognitio reſpectu diuerſorum diuerſificetur; quia eadem cognitio, qua intellectus videt ſpeciem exiſtentem in ſe ipſo, eſt intuitiua; & qua cognoſcit obiectum repræſentatum per ſpeciem eſt abſtractiua; ſicut viſio, qua oculus videt ſpeculum, eſt intuitiua, & qua videt rem repræſētatam in ſpeculo, eſt abſtractiua non ob aliam rationem, niſi quia ſpeculū videtur per propriā præſentiam,& exiſtentiā; res autem repræſentata videtur per præſentiam, & exiſtentiam ſpeculi. Ita à pari cognitio Dei, prout terminatur ad propriam exiſtentiam, & præſentiam in ſe ipſo formaliter, poteſt eſſe intuitiua; prout verò terminatur ad exiſtentiam, & præſentiam creaturarum, non quidem in ſe ipſis formaliter extra Deum, ſed in Deo, eſt ſuperintuitiua.

A R T. III.

An Deus cognoſcat poſſibilia ſecundùm rationes vniuerſales, & particulares?

1 COm.in 12.Met.voluit Deū non cognoſcere particularia, quia particularia ſunt infinita, & infinitum nequit determinari, & finiri.

2 *Auuic;& Algazel*; licèt nō negarent Deū cognoſcere particularia,dicebant tamen illa tātùm cognoſcere ſecundùm rationes vniuerſales,non ſecundùm particulares; quia cùm rationes particulares ſint mutabiles, variabiles, & contingentes, nequeunt cognoſci à ſcientia immutabili, inuariabili, & infallibili; aliter ſicut particularia modo augentur, & modo minuūtur ſecundùm numerum; ita ſcientia Dei modò creſceret, modò minueretur; cùm ſcientia creſcat, & decreſcat ad incrementum, & decrementum obiectorum.

3 *Rabbi Moyſes*, licèt concedat Deum cognoſcere particularia ſecundùm rationes vniuerſales, & particulares, attamen negat ſequi inconuenientia prædicta, quia non valet arguere à ſcientia noſtra ad Diuinam, quæ dicuntur merè ęquiuocè,ſed hęc ſententia falſa eſt in modo defendendi; ſcientia enim noſtra, & Diuina dicuntur analogicè, non ęquiuocè; vt dictum eſt *de Ineffab.art.4*.

4 Sentētia tamen communis omnium Catolicorum eſt Deum cognoſcere omnes creaturas ſiue poſſibiles,ſiue futuras,ſiue exiſtentes ſecundùm rationes vniuerſales,& particulares indiuiduales. *Ita B.Doct.in 1.diſt.36.q.1;Ger.ibid. diſt. 35.q.1. art.3;& communiter omnes ei us Diſcipuli; & omnes alij extra noſtram ſcholam.* Diſſidium tamen eſt in aſſignanda ratione.

5 *Thomiſtæ,inter quos Godoy hic diſp.26. §. 10. n.284*; ſic probant hanc ſententiam. Deus producit materiam, & formam; ſed à forma ſumitur vniuerſalitas, & à materia particularitas, cùm materia ſit principium indiuiduationis; ergo producit gradùs vniuerſales,& particulares; ſed producit per intellectum; ergo cognoſcit creaturas ſecundùm gradus vniuerſales, & particulares.

6 Sed iſta ratio non videtur ſufficiens; quapropter ſic arguit *Fundatiſs. Doct; & Ger. vbi*. Ad hoc, vt cognoſcantur particularia particulariter, requiritur, quòd cognoſcantur diſtinctè ſecundùm eſſe actuale indiuiduum;ſed ex vi cognitionis materiæ, vt eſt principium indiuiduationis non cognoſcuntur omnia indiuidua particularia diſtinctè; ergo non cognoſcuntur ſecundùm rationes indiuiduales particulares. Ma. patet,quia in hoc cōſiſtit, & diſtinguitur cognoſcere ſecundùm rationes particulares à cognoſcere ſecundùm rationes vniuerſales. Prob. mi. Effectus creati non continentur in ſuis principijs creatis ſecundùm rationes particulares,ſed ſolùm ſecundùm rationes vniuerſales, in hoc enim diſtinguuntur cauſę creatę à cauſa prima, quia illę continent tantùm imperfecto modo, idèſt ſolùm ſecundùm rationes vniuerſales, iſta verò continet perfectiſſimo modo, idèſt ſecundùm omnes rationes vniuerſales, & particulares;quapropter *Auuic*,& *Algaz.* dicebant Deum cognoſcere Eclipſes ſecundùm rationes vniuerſales tantùm, quia cognoſcit diſtantias Orbium, & motus Planetarū, qui ſunt cauſa Eclipſium; ſed materia eſt cauſa creata, quę continet

tinet tantùm in potentia passiua effectus particulares, quæ continentia est imperfectissima, cũ sit imperfectior omni continentia actiua, quia omnis potentialitas passiua est imperfectior omni actualitate; ergo ex vi cognitionis materiæ Deus non cognoscit creaturas secundùm rationes indiuiduales. 2. Licèt hæc ratio probaret de creaturis materialibus; non tamen probat de creaturis spiritualibus, vt sunt Angeli in quibus non est materia, & tamen certum est in illis esse gradus vniuersales, in quibus conueniunt, & indiuiduales in quibus differunt, licèt differant specificè, non tantùm numericè; tum quia cognitiones vnius Angeli circa idem obiectum differunt solùm numericè, & tamen hæc differentia numerica non potest cognosci ex vi materiæ, quia materia in illis non est. Igitur nisi aliud addatur, hæc ratio non videtur sufficiens.

7 Vnica conclusio. Deus cognoscit omnes creaturas secundùm omnes rationes vniuersales, & particulares indiuiduales. Et quod dicimus de simplici intelligentia respectu possibilium, dicendum est etiam de scientia visionis respectu futurorum.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. lib. 2. ad Simplic. q. 2. Nec enim potest, quæ ventura prænoscit, nosse, cùm venerint, nisi bis innotescant, & prænoscendo, antequàm sint, & cognoscendo, cùm iam sunt.*

Ex qua doctrina sic arguit *Fundatiss. Doct. vbi sup. & Quodlib. 6. q.* 1. Deus est omne esse actuale, quod potest communicari cuicunque creaturæ; esse enim Dei, cùm sit infinitũ simpliciter, & purissimus actus, debet includere omnẽ actualitatem possibilem communicari ad extra, aliter non esset omnis actus, nec includeret in suo esse omne esse; ergo cognoscit creaturas secũdùm gradus vniuersales, & particulares, quia cognoscit suum esse, in quo includitur omne esse cuiuscunque creaturæ secundùm omnes gradus. Ant. patet; hic enim est conceptus essẽtialis esse ipsius Dei. Prob. cons. Ideo intellectus creatus nequit cognoscere creaturas secundùm rationes particulares, quia propter suam potentialitatem, & finitatem non est esse actuale creaturarum; sed debet expectare, vt creaturæ progrediantur in esse, & posteà ab illis recipere speciem representantem esse actuale illarum; nam omne agens vniuocum, sicut est intellectus, qui nequit producerẽ actionem extra speciem intellectiui, debet esse in actu secundùm illam formam, per quam agit; sed intellectus Diuinus est omne esse actuale cuiuscunq; creaturæ; ergo cognoscit creaturas secundùm rationes particulares; nam cognoscere tantùm secundùm rationes vniuersales est cognoscere solùm secundùm prædicata generica vniuersalia abstrahendo ab esse actuali signato indiuiduali; & ideo si cognoscit secundùm esse actuale, cognoscit secũdũ rationes particulares.

Conf. Omnis creatura recipit à Deo omnes rationes, quas habet in se ipsa; aliter si haberet aliquam rationem irreceptam, illa esset independens à Deo, & per consequens increata; sed Deus cognoscit omnem rationem, quam communicat, & potest communicare creaturis, cùm sit perfectissimum agens per intellectum, quem nihil potest latere de sua actione; ergo cognoscit creaturas secundùm omnes rationes vniuersales, & particulares.

8 Prob. 2. *ex eodem ibid.* Deus ordinat omnia particularia secundùm ordinem suæ sapientiæ in suos fines; ergo debet cognoscere particularia, vt particularia, aliter cæco modo ordinaret. Ant. patet; quia sicut de ratione primi efficientis est creare omnia, ita de ratione primæ causæ finalis est ordinare omnia.

Prob. 3. *ex eodem*. Deus est remunerator bonorum, & vltor malorum iuxta determinatam mensuram meritorum; & demeritorum in particulari; sed hoc nequit esse, nisi cognoscat merita, & demerita in particulari, & merita, & demerita in particulari nequeunt cognosci, nisi cognoscantur causæ particulares, à quibus progrediuntur, cùm actiones sint particularium, non vniuersalium, sunt enim suppositorum; ergo cognoscit creaturas secundùm rationes vniuersales, & particulares.

9 Tandem prob. Gradus vniuersalis, & particularis habet veram rationem entis, quia ens essentialiter imbibitur in vtroque; sed Deus cognoscit omne ens, quia eius scientia est omniscientia; ergo cognoscit gradus vniuersales, & particulares. Tum quia cognitio secundùm gradus vniuersales præscindens à rationibus particularibus est abstractiua, imperfecta, & confusa, quæ repugnat Deo.

10 Obijc. 1. Si creaturæ essent in Deo secundùm gradus particulares, daretur in Deo realis distinctio; quia secundùm gradus particulares desumitur distinctio realis, secundùm quã creaturæ distinguuntur realiter inter se; sed distinctio realis in esse repugnat Deo, quia summum ens est summè vnum; ergo in Deo non cognoscuntur gradus particulares.

Resp. neg. ma; nam licèt ponatur in Deo entitas realis gradus particularis, non tamen ponitur distinctio realis sequens ad entitatem realem, prout est in creaturis; quia in creaturis sequitur ratione suę finitatis; in Deo autẽ nequit sequi ratione infinitatis. *Vid. To. 1. de Attr. incom. q. 2. art. 7. n. 18; & seq.*

11 Obijc. 2. *De singularibus nõ datur sciẽtia, nec definitio ex Phil. 7. Met. t. c. 20*; ergo Deus nõ cognoscit singularia. Prob. ant. Singularia sunt mutabilia; sed scientia est de immutabilibus; ergo de singularibus non est scientia.

Resp. dist. ant. De singularibus secundùm se consideratis immediatè, & præcisè, conc; quia singularia secundùm se præcisè considerata sunt mutabilia; consideratis in Deo, in quo habent esse

eſſe immutabiliter, vt docet *Beatiſſ.P.Aug;* neg; per quod patet ad prob.

12 Obijc. 3. Gradus particulares cognoſcuntur per ſenſum, quia vt dicitur 1. *Phyſ. ſentire eſt particularium,* ſed Deus non eſt ſēſitiuus, quia non eſt corporeus; ergo non cognoſcit particularia.

Reſp. diſt. ma. A' cognoſcente per phantaſmata materialia, cuius cognitio habet ortum à ſenſu, conc; A' cognoſcente independenter à phantaſmatibus, neg.

13 Obijc.4. Ideo noſter intellectus nequit cognoſcere particularia, quia eſt immaterialis; ſed Deus eſt ſummè immaterialis; ergo nequit cognoſcere particularia. Prob. ma. Ideo ſenſus cognoſcit particularia, quia eſt materialis; & ideo non cognoſcit ſpiritualia, quia non eſt ſpiritualis; inter enim cognoſcens, & cognitum debet dari proportio; ergo ideo noſter intellectus nequit cognoſcere particularia, quia eſt immaterialis, & vniuerſalis; non materialis, & particularis.

Reſp. diſt. ma. Quia eſt immaterialis per abſtractionem potentialem paſſiuam, quæ neceſſariò indiget recipere ſpecies à rebus ſingularibus extractas; ſpecies autē extractæ à ſingularibus nequeunt eſſe ſingulares, aliter non eſſent extra ſingularia, conc; per depurationem ab omni potentialitate paſſiua, ſicut eſt intellectus Dei, qui, cùm ſit omnis actus, eſt ſeparatus ab omni potētialitate paſſiua,& ideo non habet recipere ſpecies, ſed per eſſe particulare cuiuſcunque creaturæ contentum in ſe ipſo poteſt cognoſcere quoslibet gradus particulares, neg.

14 Obijc. 5. Quidquid cognoſcit Deus, cognoſcit in ſua eſſentia;ſed ſua eſſentia eſt cauſa vniuerſaliſſima omnium effectuum; & in cauſa vniuerſaliſſima non continetur effectus, niſi ſecundùm gradus vniuerſales; ergo non cognoſcit creaturas ſecundùm gradus particulares.

Reſp. diſt. 1. part. min. Eſt cauſa vniuerſaliſſima perfectiſſimè continens omnes rationes, conc; imperfectè; neg; & ſic ad 2.part.

15 Obijc.6. Particularia ſunt infinita; ergo nequeunt à Deo cognoſci; quia, quod cognoſcitur, quodamodò finitur cognitione cognoſcentis; repugnat autem infinitum finiri.

Reſp.neg.con. Ad prob. inſertā dicitur cognitum finiri; idēſt adæquari à cognoſcente, vt explicat *Beatiſs. P. Aug.* 12. *de Trin. c.* 18; aliter Deus non poſſet ſe ipſum cognoſcere.

16 Obijc. 7. Deus non cognoſcit creaturas diſtinctè;ergo non cognoſcit illas ſecundùm gradus particulares.

Reſp. diſt. ant. Si *diſtinctè* cadat ſupra cognitionem, & faciat ſenſum, quòd illas non cognoſcat per diſtinctas cognitiones, conc; ſi cadat ſupra creaturas cognitas ſecundùm eſſe, quod poſſunt habere extra Deum, & faciat ſenſum, quòd Deus non cognoſcit clarè omnem diſtinctionem, quam poſſunt habere creaturæ extra Deum, neg.

17 Obijc.8. Deus non cognoſcit res viles; ait.n. *D.Hier.ſup.Habac.*1. *Abſurdum eſt ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotue moriantur.* Tum quia ſi cognoſceret vilia, vileſceret; ergo non cognoſcit omnia particularia.

Reſp. communiter *D. Hier.* velle tantùm, quòd Deus non habet æqualem prouidentiam de rebus irrationalibus, quam habet de rationalibus; quia illis nō propoſuit præmium aquirendum in alia vita, ſicut propoſuit iſtis. Ad 2. reſp. *Fundatiſſ. Doct*; diſt. ant. Si ſciret vilia, vt obiectum primarium, conc; vt ſecundarium, neg.

ART. IV.

An Deus cognoſcat infinitum in quantitate continua, & diſcreta?

1 HAec quoque difficultas, ſicut & præcedens, & duæ aliæ ſequentes procedere poſſunt tam de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quàm de ſcientia viſionis; quia ſicut ſe habet ſimplex intelligentia reſpectu poſſibilium ſecundùm rationes vniuerſales, & particulares in eſſe poſſibili conſideratas; ita ſcientia viſionis reſpectu earundem in eſſe futuritionis; & ſicuti ſimplex notitia ſe habet reſpectu multitudinis infinitæ, quæ eſt quantitas diſcreta; & ad quantitatem continuam finitam ſincathegorematicè diuiſibilem in infinitum in eſſe poſſibili; ita ſcientia viſionis in ordine ad multitudinem infinitam non quidē entitatum ſubſtantialium, hāc.n.infinitatē nō dari à parte rei ſupponimus, ſed accidentium; v. g. cognitionum, & volitionum, quæ erunt per totam æternitatem, & ad quantitatem continuam in eſſe futuro. Vnde hæc ſola differentia eſt inter ſimplicem intelligentiam, & viſionem; quòd illa reſpicit actu ſimul infinitas ſubſtantias poſſibiles, & infinita accidentia; hæc verò reſpicit ſola accidentia futura actu infinita, non quidem ſimul ſimultate exiſtentiæ à parte rei extra Deum, ſed ſimul in eſſe obiectiuo, ſecundùm quod obijciuntur intellectui Diuino. Ita dicendum de negationibus, entibus rationis, & peccatis, quæ conſequuntur ad rem futuram, & ad rem in eſſe poſsibili. Quamuis etiam ſcientia viſionis reſpiciat ſubſtantias futuras negatiuè actu infinitas, *vt inf.*

2 Inquirimus igitur,an Deus per ſcientiam ſimplicis intelligētiæ cognoſcat infinitam quantitatem diſcretam actu ſimul, v.g. numerum infinitum hominum; & omnes diuiſiones continui poſſibiles ita,vt euacuatū videat continuum; quòd enim non videat quantitatem continuam à parte rei infinitam, patet ex dictis *in Phyſ.* vbi oſtenditur infinitum continuum in actu repugnare; quod autem repugnat, non eſt poſſi-

bile; & quod non est possibile, non est cognoscibile positiuè, vt possibile, sed ad summum, vt negatiuè possibile; scilicet, vt non possibile.

Prima sententia vult Deum cognoscere tantùm creaturas finitas in infinitū syncathegorematicè. Ita *Aureol. in 1.dist.15. q.2,Dur.in 1. dist.39.q.2.n.9;& cit.Sua.3.p.q.10.art.6.sect.3.*

Secunda vult Deū cognoscere tantùm finitas,& nullo modo infinitas; quia infinitū est impossibile,& ideo incognoscibile. Tribuitur *Pesāt.*

Tertia docet Deum cognoscere infinitum actu simul in quantitate discreta in esse possibili, non autem in quantitate continua. *Ita Fundatiss. Doctor in 1.dist.39. princ.1. q.3; Ger. ibid; Gibbon,Lafosse quad 1.partem;& omnes alij communiter*; quanuis *quoad* 2. *partem nonnulli* oppositum substiueant.

3 Vnica cōcl.Deus cognoscit infinitū in quātitate discreta, non autē in quantitate continua.

Prob. *ex Beatiss. P. Aug. 12. de Ciuit.18. Quanuis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non tamen est incomprehensibilis ei, cuius intelligentiæ non est numerus*; sed numerus est quantitas discreta;ergo Deus videt infinitum in quantitate discreta.

4 Prob.2.ratione *Fundat.Doct.* Deus videt omnes creaturas possibiles; sed istæ in esse possibili sunt infinitæ discretè, seu secundū numerū; ergo videt infinitū in actu discretè in esse possibili.Ma.prob.Deus cognoscit omnes creaturas, quas potest creare, quia est agēs per intellectū, quod essentialiter importat cognitionē eorum, quæ potest agere; in hoc enim distinguitur agēs intellectuale à non intellectuali;sed potest creare omne illud, quod est possibile, quanuis illud, quod est possibile, non possit totum simul actu produci, sed tantùm successiuè, ne detur infinitum in actu; ergo Deus cognoscit omnes creaturas possibiles. Mi. patet, quia si creaturæ possibiles non essent infinitæ secundùm numerum, potentia Dei non esset infinita extensiuè, vt ostendimus *To.1.de Infinit.art.1.S.1;& 2.*

5 Prob.3.concl. quoad vtranque partē alia ratione *Fundatiss.Doct.*Continuum syncathegorematicè infinitum, & discretum cathegorematicè infinitum habent infinitatem solùm ratione partium;sed infinitas partium continui est incognoscibilis,& infinitas partium totius discreti est cognoscibilis; ergo Deus cognoscit solùm infinitum in quantitate discreta, non autem in quantitate continua. Ma. patet; nam vtrunque dicitur infinitum, quia habet partes infinitas, cum hac differentia, quòd partes continui sunt infinitæ in potentia; partes verò discretæ sunt actu infinitæ. Prob. mi. Hæc est differentia inter totum discretum, & totum continuum, quòd totum discretum non est ens ratione sui, sed ratione partium; quia ratione sui non est vnum; *vnū autē,& ens conuertuntur*;totum verò continuū est ens ratione sui,nō ratione partium, quia partes nōn sunt, cùm sint in potentia ad esse; illud autem, quod est in potentia ad esse, est potiùs non ens, quàm ens; tum quia ratione partium non est vnum;nam quæcunque diuisio tollit vnitatem, cui opponitur; & ideo totum continuum ratione partium est non ens; sed non ens est incognoscibile, quia non ens non habet idæam in Deo, nec cognoscitur, nisi per idæam entis;& solùm ens est cognoscibile,quia cognoscibilitas est passio sequens ad ens; ergo partes continui sunt incognoscibiles, & partes discreti cognoscibiles.

Not.tamen nos *hic* loqui de partibus proportionalibus, seu communicantibus inter se, quæ solùm dicuntur esse in potentia;non autem de partibus aliquotis, seu non communicantibus, quæ sunt actu in continuo; istæ enim sunt finitæ, & solùm illæ infinitæ.

6 Tandem prob. Si Deus cognosceret infinitas partes continui, vel cognosceret, vt diuisibiles, vel vt indiuisibiles? Si primum; ergo non cognosceret omnes, vt actu diuisas; quia illæ possent ampliùs actu diuidi, & sic non cognosceret infinitas; quia infinitas partium continui est tantùm respectu omnium, non verò respectu aliquarum, cùm aliquibus partibus possit fieri additio aliarum,quæ remanent, quod est contra conceptum formalem infiniti. Si 2; ergo iam non videret illud totum, vt continuum, sed vt discretum; quia totum discretum est illud, quod habet omnes partes sui actu diuisas; in quo distinguitur à toto continuo, quod habet aliquas partes diuisibiles in potentia, & aliquas diuisas in actu. Tum quia si continuum totum diuideretur in partes indiuisibiles, iam componeretur ex illis; *vnunquodque enim componitur ex his, in quæ resoluitur*; & sic continuum non esset continuum; quia indiuisibile additum indiuisibili non facit diuisibile; sicut punctum additum lineæ non facit maiorem ipsam lineam.

7 Obijc.1. Infinitum non repugnat quantitati continuæ *ex Phil.ex* t.*phys.t.*103; quia finitas, & infinitas sunt passiones quantitatis, passio autē non repugnat essentiæ,cuius est passio;ergo Deus cognoscit infinitū in quantitate continua.

Resp.dist.ant. Infinitas non repugnat quātitati continuæ secundùm se genericè sumptæ, transeat; & in hoc sensu locutus est *Phil*;specificè sumptæ,quatenus talis quātitas est,neg; quælibet enim species quantitatis clauditur terminis, vt linea punctis,superficies lineis, & corpus superficiebus, & ideo quælibet species quantitatis essentialiter est finita.Cùm igitur Deus nō possit producere quantitatem,nisi in aliqua specie;ideo non potest producere infinitum, & per consequens non potest illud cognoscere.

8 Obijc. 2. Non minùs repugnat dari infinitum discretum à parte rei, quàm continuum; sed infinitum continuum ideo nequit à Deo cognosci,quia nequit dari à parte rei; ergo neque discretum. Resp.

Resp. neg. causalitatem min; nõ enim ideo continui infinitas non potest à Deo cognosci, quia nequit dari à parte rei, sed quia talis infinitas est incognoscibilis, cùm sit ratione partiũ, quæ sunt non ens; quod non verificatur de partibus discretis, vt dictum est.

9 Obijc. 3. Deus videt actu infinitas lineas possibiles, & infinitas vniones possibiles infinitarum linearum; ergo videt illas infinitas lineas posse vniri; sed sic vnitæ facerent cõtinuum actu infinitum; ergo videt continuum actu infinitum.

Resp. dist. ant. Videt infinitas lineas possibiles discretè, & infinitas vniones disiunctiuè possibiles, conc; collectiuè possibiles, neg; videret enim aliquod, quod repugnat; & sic dist. con. Ad mi. subsumpt. neg. supp.

10 Obijc. 4. Si Deus videret multitudinem discretam infinitam, videret aliquod possibile, quod non posset producere; sed hoc est falsum; 1. Quia possibile denominatur à potentia productiua. 2. Quia potentia Dei esset minor scientia; in Deo autem *nihil maius, aut minus* docet *Symb. D. Athan*; ergo Deus non videt infinitum in quantitate discreta. Ma. patet; quia Deus nequit producere multitudinem infinitam discretam, dareur enim infinitum in actu.

Resp. dist. ma. Quod non posset producere successiuè, neg; simul, conc. Hoc enim est discrimen inter scientiam, & potentiam Dei; quia scientia, cùm sit actus immanens intra Deum, est æterna, indiuisibilis, & tota simul; at verò potentia productiua ad extra, qnia dicit actionem trãseuntem, quæ non recipitur in Deo, sed in creatura, quæ non est æterna, sed temporalis, & successiua, ideo potentia Dei, quatenus importat actionem transeuntem, non importat omnia simul; quanuis, prout importat actum immanentẽ intra Deum, secundùm quem respicit possibilia, vt possibilia, sit æterna, & omnia simul respiciat in illo statu non minùs, ac scientia. Ad 1. prob. mi. dicitur, quòd possibile denominatur à potẽtia productiua, non autem ab actuali productione extrinseca; patet enim, quòd res est possibilis, antequam actu producatur. Ad 2. dicitur, quòd in hoc consistit æqualitas scientiæ, & potentiæ Dei, quòd sicut illa scit omne scibile; ita ista potest omne producibile; non autem, quòd potẽtia possit producere omne id, quod cognoscit scientia; quia scientia cognoscit peccata, & tamen potentia nequit illa causare.

11 Obijc. 5. Diuisio cõtinui est euacuata in Diuino prospectu, sed in continuo sunt infinitæ diuisiones; ergo videt infinitum in quantitate continua. Prob. ma. Si aliqua esset diuisio, quæ actu non videretur à Diuino intellectu, Deus illam ignoraret, & eius scientia posset augeri.

Resp. *Lafosse hic q. 3. c. 1. §. 2. ad 2.* concedendo omnes partes continui videri à Deo, & ideo videri infinitum in quantitate continua.

Sed hæc responsio est in terminis *cõtra B. Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 2. Doct.* Igitur neg. ma; est enim contra rationem continui, & sic videret, vt discretum, non vt cõtinuum. Ad prob. neg. assumptum; nam ignorantia importat nescientiam alicuius rei, quæ est; & sic scientia potest augeri, quando potest extendi ad aliquod obiectum, quod priùs non cognoscebat; vnde ex eo, quòd Deus non cognoscat incognoscibile, nõ dicitur ignorare, & eius sciẽtiam posse augeri. Cùm igitur euacuatio continui repugnet continuo, ideo ex eo, quòd Deus illam non cognoscat, non dicitur ignorare, & eius scientiam posse augeri.

12 Obijc. 6. *ex Sua.* Deus non aliter cognoscit creaturas, quã sũt à parte rei; secus cognitio Dei esset falsa; quia cognoscere res aliter, ac sunt in se; sed à parte rei sunt successiuè sincathegorematicè; ergo tantùm sic eas cognoscit.

Resp. iterum *Lafosse ibid.* creaturas possibiles nõ cognosci nisi, vt sincathegorematicè infinitas. Sed hæc responsio immediatè opponitur *Fundatiss. Doctori*, qui *dist. 39. vbi sup.* apertè docet Deum cognoscere possibilia secundùm illud esse, quod habent in Deo; & quia in Deo possibilia non sunt successiuè, sed simul, ideo cognoscit illa, vt cathegorematicè infinita, non vt sincathegorematicè. Igitur.

Resp. neg. ma. Deus enim cognoscit creaturas, prout sunt in se ipso, & quia in se ipso sũt simul, ideo nõ fallitur eius cognitio; quia tamen in se ipso repræsentãtur creaturæ eo modo, quo sunt à parte rei, ideo cognoscuntur etiam eo modo, quo sunt ponendæ à parte rei merè obiectiuè extrinsecè, nõ autem formaliter intrinsecè.

13 Obijc. 7. Infinitũ est impossibile; sed impossibile est incognoscibile; quia est non ens; ergo infinitum à Deo non cognoscitur.

Si dist. ma. de infinito in esse actualis existentiæ, conc; in esse possibilitatis, neg.

Contra est. Quod est possibile potest reduci ad actum; ergo si datur infinitum in esse possibili; potest etiam reduci ad actualem existentiã, tum quia infinitum discretum est actu, cùm sit cathegorematicè.

Resp. ad replic. dist. ant. Potest reduci ad actum cathegorematicè secundùm omnes partes discretas, neg; sincathegorematicè secundũ aliquas partes finitas in infinitum, conc; in hoc enim consistit perfectio omnipotentiæ nunquã exhauribilis per suos effectus, quæ perfectio tolleretur, si infinitũ actu posset produci. Ad aliud dist. assumptum; si *ly actu* cadat supra actualem existentiam, neg; si cadat supra actualem diuisionem, conc.

A R T. V.

An, & quomodò Deus cognoscat negationes, priuationes, entia rationis, & peccata?

HAec omnia simul complectimur; eadem enim videtur ratio de omnibus, vt ex dicendis constabit.

1 Supponimus autẽ Deum cognoscere hæc omnia posse esse dupliciter. 1. Modo opposito, quo sunt; v.g. non entia, vt entia; negationes, & priuationes, vt formæ reales; entia rationis, vt entia realia; & peccata, vt bona moralia; & hoc modo certum est Deum illa non cognoscere, quia talis cognitio esset falsa. 2. Cognoscere eo modo, quo sunt, vt negationes, & priuationes, tanquam carentias reales illius entitatis, seu formæ, quam negant, & qua priuant; & entia rationis, vt entia conficta à nostro intellectu, vel resultantia ex natura rei etiam ad intellectionẽ Diuinam; vt diximus *To.1.de Attr. in com. q. 2. art.15; & 16.*

2 Communis sentẽtia est Deum cognoscere negationes, priuationes, entia rationis, & peccata, exceptis *Vasq;* & nostro *Bruno*, negantibus Deum cognoscere entia rationis etiam formata ab humano intellectu eò, quia putant, quòd cognoscere ens rationis sit formare ens rationis; vt vidimus *To.1.vbisup.art.15.n.1*; & quanuis posset esse dissensio *inter nostram, & alias Scholas*; an scilicet Deus possit formare entia rationis, & illa cognoscere indepẽdenter à nostro intellectu; quia tamen de hoc satis diximus *vbis. art. 16*; conformiter ad *ibid.* tradita dicimus sic cognoscere ea, quæ ex natura rei necessitantis consequuntur ad Diuinam intellectionem; nec hoc indiget maiori probatione; satis enim hoc *ibid.* explicatum est. Excipiuntur etiam, *quidam Hæretici Albanenses*, qui, vt testatur *Beatiss.P. Aug.15.de Trin.c.13*; asserebant Deum non cognoscere peccata, nisi referente Diabolo.

3 Ceterùm cõmunis sentẽtia prob. *ex Scripturis*; nam *ps.102. dicitur: Ipse cognouit figmentũ nostrum; & ps.68. Et delicta mea à te nõ sunt abscondita; & ps.24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* Et ratio *Fundatiss.Doct.est* ista. *Rectum est index sui, & obliqui*; sed priuationes, negationes, entia rationis, & peccata sunt obliquitates deficientes ab ente reali positiuo, & bono; ergo scientia Dei, quæ cognoscit ens reale positiuum, & bonum, cognoscit etiam priuationes, negationes, entia rationis, & peccata. Præterea Deus est iustus Vltor peccatorum, & pius medicus sanans peccata; sed Iudex cognoscit delicta, quæ puniat; & medicus morbos, quos sanet; ergo Deus cognoscit peccata; sed peccata habent saltem annexam priuationẽ rectitudinis debitæ; & multa peccata sũt entia rationis, vt præsertim patet de blasphæmijs, quæ attribuunt Deo aliquod, quod ei non conuenit à parte rei; ergo cognoscit priuationes, & entia rationis.

4 Neque officit 1; quòd Deus aliquãdo in *Scripturis* dicatur nescire, ignorare, & non cognoscere peccata; vt *Habac.1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & ps.100. Declinantem à me malignum non cognoscebam.* Non officit inquam, quia hæc intelliguntur, vt docet *Beatiss. P. Aug.lib.83.qq.q.60; & 65*; de scientia approbationis, de qua ait; *per hanc scientiam scire, quæ illi placent, & nescire, quæ displicẽt.* Et super eundem *ps. Quid est, non cognoscebam? Nõ approbabã.*

5 Neque officit 2. Deũ cognoscere omnia in se ipso; peccata autem non esse in Deo. Neq; id, quod docet *Phil*; scilicet intellectũ fieri rem intellectam; Deum autem non posse fieri peccatum. Neque id, quod tradit *3.de An*; scilicèt cognoscentem priuationẽ per habitum esse in potentia passiua ad vtrunque; patet autem Deum non posse esse in potentia passiua, cùm sit purissimus actus.

Nam ad 1. dicitur Deum omnia cognoscere in se ipso per concordantiam, vt entia positiua, vel per discordantiam, vt peccata. Ad 2. dicitur verum esse de intellectu recipiente speciem à rebus; Deus autem nõ accipit species à rebus. Ad 3. verum esse de cognoscente per habitum realiter superadditum; Deus autem inelligit per suam essentiam.

6 Neque tandem officit, quòd scientia, vel causatur à rebus, vel causat res; scientia autem Dei non causatur à peccatis, neque causat peccata; nam contra est; quia, licèt verum sit de scibili, quod respicit in recto, falsum tamen est de eo, quod respicit in obliquo; tenebræ enim neq; causant, neque causantur à visione; peccata autẽ sciuntur in obliquo, non in recto.

7 Modò duplex dissidiũ vertitur inter *DD.* Primum est; an negationes, seu non entia cognoscantur à Deo per dissensum, vel per assensum? Secundum est; in quo medio cognoscantur; scilicet, an per entitatem, & bonitatem creatam, cui opponuntur, vel per bonitatem increatam.

8 Quoad 1. affirmant *Henriq; Fonsec; Gill; Mol; & noster Lusit. apud Gibb. hic disp. 24. dub. 1. n. 3.* Quibus additur *Godoy hic disp. 26. §.10.n.295.*

Alij negant, *vt Sua; Vasq; Arrub; Alarc; Heric; Ruiz; Gonzal. & ex nostris Corneius, & Bernardinus apud Gibbon idem sentientẽ vbis.n.4.*

9 Sed hæc difficultas est parui momẽti; & si rectè perpendatur, lis est de nomine; certum enim est Deum necessariò assentiri propositioni veræ, à qua dissentiri non potest, ne fallatur eius scientia; sed hæc propositio: *chimæra est impossibilis*; vel *homo non est equus*; est propositio vera; ergo Deus illam cognoscit per assensum. Et licèt propositio negatiua fundetur supra propositionem affirmatiuam, vt hæc: *chimæra est impossibilis*: fundatur super hanc; *solùm ens reale est possibile*; quia quælibet *negatio fundatur super affirmationem*; vt docet *Phil*; hoc tamen non tollit, quòd in vtranque non possimus tendere per assensum; quia ad hoc, vt assentiamur vtrique sufficit, quod vtraq; sit vera; nam assensus formaliter est circa verum, & dissensus circa falsum; sicut actus prosecutionis est circa bonum, & actus fugæ circa malum. Verùm si intellectus tendat

in

in has propositiones aliter, ac sunt; vt *chimæra est possibilis*; tunc intellectus verus tendit per dissensum; aliter non esset intellectus verus.

10 Quoad 2. maior est cõtrouersia. *Nam D. Tho; & Thomistæ cõmuniter* volunt peccata cognosci per bonitatem creatam, cui opponuntur; quibus adduntur *Sua; Vasq; Mol; Val; Arrub; & ex nostris Corneius, Bernardinus, & Gibbon disp. 24. dub. 2. n. 12.*

Nostra tamen sententia docet Deum cognoscere peccata immediatè per bonitatem suam, à qua discordant; non autem cum qua cõcordant. *Ita Fundatiss. Doct. hìc dist. 36. princ. 1. q. 2; Lafosse q. 3. c. 5; & omnes eius Discipuli; & ex extraneis Zum; Nauarret; & D. Bon.*

11 Prob. 1. *ex D. Dion. 7. de Diuinis nomin.* assimilante Diuinam cognitionẽ lumini; ex quo sic. Si lumen esset cognoscitiuum, per se ipsum cognosceret tenebras, nec aliunde traheret cognitionem earum, non ob aliam rationem, nisi quia tenebræ opponuntur luci; sed malum opponitur bono; ergo ex eo, quòd Deus sit ipsum bonum præcisè, cognoscit omne malũ; sed peccatum est malum morale; ergo Deus per suam bonitatem cognoscit peccatum.

12 Prob. 2. *ex Beatiss. P. Aug. 12. de Ciu. c. 3.* docente. *Natura igitur non est contraria Deo, sed vitium, quia quod malum est, cõtrarium est bono. Quis autem neget Deum summè bonum? Vitium ergo contrarium est Deo, tanquam malo bonum.* Et paulò post. *Vnde colligitur, quanuis non possit vitium nocere incommutabili bono, non tamen posse nocere, nisi bono; quia non inest, nisi vbi nocet.* Ex quibus sic euellitur fundamẽtum *Thomistarum*. Malum opponitur bono incommutabili, cui nequit nocere; nam illi solùm potest nocere, in quo potest esse malum formaliter; in bono autem incommutabili, vt est Deus, nequit esse malum formaliter; quia in Deo nequit esse peccatum, & ideo malum potest opponi bono absq. eo, quòd illi noceat; sed sola oppositio est sufficiens ad cognoscẽda opposita; ergo per propriã bonitatem, prout ab illa discordant, peccata, tanquam opposita, Deus cognoscit.

Per hoc ruit *ratio Godoy vbi sup. n. 306.* dicentis formam, & priuationem fieri circa idem subiectum; nam quanuis hoc verum sit de subiecto commutabili, falsum tamen est de subiecto incommutabili, vt est Deus.

13 Prob. 3. *ex Fũdatiss. Doct.* Peccata opponuntur bonitati Diuinæ, nedum generaliter, sed etiam specialiter; ergo ruit fundamentum *Thomistarum*; Prob. ant. Deus est causa communis omnium creaturarum, in quantùm omnes producit, & omnes imitantur Diuinam essentiam; & est causa propria cuiusque creaturæ, in quantũ non omnes eam imitantur eodem modo; sed peccata nedum opponuntur Diuinæ bonitati, quatenus omnia discordant ab illa, quæ est oppositio communis, sed etiam quatenus omnia non eodem modo deficiunt, & discordant ab illa; ergo oppununtur nedum oppositione generali, sed etiam speciali. Con. patet; nam *Thomistæ* ideo negant hanc sententiam, quia asserunt peccata non opponi Deo oppositione speciali propria cuilibet peccato, sed tantùm generali, quatenus mala sunt.

Confir. 1. Malum, *vt sic*, opponitur bono, *vt sic*; ergo tale malum opponitur tali bonitati; sed in Deo nedum est bonitas, *vt sic*, sed etiam est omnis bonitas specialis; ergo peccatum, quod est tale malum, opponitur bonitati Diuinæ, quatenus importat talem bonitatem oppositam tali malitiæ.

Confir. 2. Si peccatum secundùm suam rationem specialem differentialem non opponeretur bonitati Diuinæ, sequeretur, quòd peccatum secundùm suam rationem differentialem non esset peccatũ; nam peccatum in ratione entis physici non est peccatum, quia non opponitur entitati Diuinæ; ergo si peccatum secundùm rationem differentialem non opponeretur bonitati Diuinæ, iam peccatum non esset peccatum secundùm suam rationem differentialem; & sic omnia peccata essent æqualia, quia opponerentur solùm secundùm oppositionem communem, quæ est æqualiter in omnibus, & non est inæqualiter, nisi secundùm specialem malitiam cuiusque peccati.

Conf. 3. Sicut per artem grãmaticę cognoscimus congruitates concordantes ipsi arti, & incongruitates discordantes ab ipsa arte; ita per bonitatem Diuinam cognoscimus bona concordantia cum ipsa bonitate; & mala discordantia ab ipsa bonitate; nam licèt per phrasim congruã cognoscamus phrasim incongruam, vt arguit *Gibbon*, qui hoc exẽplum *Fundatiss. Doct.* simul *cum Gonet* trahit ad propriam sententiam; attamen non tollitur, quòd per artem non cognoscatur ipsa incongruitas, quatenus est contra regulam artis; vnde potest dari casus, in quo aliquis incipiat discere aliquam artem à declinando vitia, quæ opponuntur tali arti; vt si quis in grammatica addisceret non esse vtendum nominibus Gallis, Hispanicis &c; tunc per artẽ deuitaret incongruitates absq; eo, quòd sciret congruitates; ergo à pari.

14 Vrgetur ampliùs. Si peccata discordarẽt à Deo solùm secundùm rationem genericam, sequeretur, quòd concordarent, & conuenirent cum ipso secundùm rationem formalem specificam; sed consequens est falsum; ergo & antec. Prob. seq. Si homo discordaret ab Angelo solùm in ratione generica animalis, homo, & Angelus conuenirent in specie; sicuti quia homo, & equus discordant solùm in ratione specifica, conueniunt in ratione generica animalis; aliter si homo, & Angelus non conuenirent in ratione specifica, iam discordarent in ratione generica, & specifica; quia disconuenientia idem est, ac discor-

discordantia; ergo à pari. Prob. mi. discurrendo per singula peccata;nam impietas opponitur Deo nedum generaliter, quia bonus est, sed etiam specialiter, quia pius est; pietas enim est quædã specialis species bonitatis Dei; mẽdaciũ opponitur Deo,quia verax est;& sic de reliquis.

15 Tandem prob.Deus nequit cognoscere bonitates creatas immediatè in se ipsis extra Deum, vt fatentur *Thomistæ*; ergo peccata nequeunt primariò, & immediatè cognosci per bonitates creatas; ergo cognoscuntur immediatè,& primariò solùm per bonitatem Diuinam, quia hæc sola immediatè, & primariò cognoscitur ab intellectu Diuino.

16 Obijc.1. Si peccatum opponeretur specialiter Deo,vel opponeretur contrariè,vel priuatiuè; sed neutro modo opponitur; ergo non opponitur specialiter.Prob.mi.1.*Opposita cõtrariè, & priuatiuè habent fieri circa idem*, vt patet de calore, & frigore; & de forma & priuatione; sed peccatum nequit esse in Deo, in quo est bonitas; ergo peccatum non opponitur Deo contrariè, vel priuatiuè.2. Malum diminuit bonum, cui opponitur; peccatum autem nequit minuere bonitatem Dei. 3. Bonum formaliter expellit peccatum, cui opponitur; quia forma expellit priuationem; & gratia peccatum; sed bonitas Diuina formaliter non expellit peccatum, aliter nullum peccatum daretur in Mundo; ergo non opponitur peccato.

Resp. omissa ma. neg.mi. Ad 1. prob.dist. ma. Opposita, vt opposita sunt, neg; vt accidentia sunt, vel ratione priuationis annexæ, conc; rationalitas enim, & irrationalitas sunt opposita contrariè, & tamen idem nequit esse modò rationale, modò irrationale; Forma Cœli, & sua priuatio sunt opposita; & tamen sua priuatio nequit esse in materia Cœli defectu primarum qualitatum; ergo opposita priuatiuè, non quatenus opposita, habẽt fieri circa idem subiectum, sed quatenus illi subiecto sunt annexæ qualitates contrariæ. Sic in Cœlo est carentia formæ ligni, & tamen Cœlum nequit transmutari ad hanc formam. Et ratio est; quia in tantùm opposita priuatiuè habent fieri circa idem, in quantùm talis forma competit subiecto corruptibiliter, amissibiliter, & mutabiliter; quòd si forma competat inamissibiliter, priuatio illius nequit fieri circa idem, cùm forma, & priuatio nequeant esse simul, aliter simul posset esse, & non esse; ergo opposita, non quatenus opposita, sed quatenus competũt amissibiliter, & mutabiliter, habent fieri circa idem, & in hoc sensu locutus est *Phil*;quia loquebatur tantùm de his inferioribus; patet autem hoc de cœlestibus non verificari. Sed bonitas competit Deo immutabiliter, & incorruptibiliter; quia nihil potest Deũ mutare,aut corrũpere,vt docet Fides, & *Beatiss. P. vbis*; ergo circa ipsum nequit fieri peccatum. Ad 2. resp. *Beatiss. P. vbi sup.* dist. ant. Malum diminuit bonum, cui inest, conc; cui non inest, neg; peccata autem non insunt Deo, sed tantùm creaturæ. Siue cum *Fundatiss. Doct.* Malum lędens; conc; malum discordans, neg. Sic ad 3. Bonum expellit malum à subiecto, in quo inest, conc; & sic nullum malum est in Deo; à subiecto, in quo non inest,neg.

17 Obijc.2.*Gonet.* Deus non cognoscit malum, nisi per idæam boni; sed non habet idæam suæ bonitatis, cùm illam tantùm habeat creaturarum; ergo per suam bonitatem nequit cognoscere peccata.

Resp. malè syllogizare *hunc Auctorem*; nam Deus non cognoscit creaturas, nisi per idæas creaturarum; sed Diuina essentia non habet idæam;ergo non cognoscit creaturas per suam essentiam.Respondeat ipse.2. Retorq.arg. Deus cognoscit mala per idęã boni;sed idęa bonitatis creatæ non est ipsa bonitas creata, vt est in se ipsa extra Deum; est enim ipsa essentia, vt imitabilis à creaturis, vt volũt *Thomistæ cum D.Tho*; ergo non cognoscit mala per bonitatem creatam. Soluat. Dist.ergo ma. Deus cognoscit mala per idæam boni creati, quæ idæa non est ipsa bonitas creata, sed bonitas increata, prout imitabilis à creatura, conc; per idæam bonitatis increatæ, neg.

18 Obijc.3.*Sua*.Priuatio cognoscitur tantũ per ordinem ad formam, qua potest priuare subiectum; non verò per ordinem ad obiectum, vel finẽ; cæcitas enim cognoscitur per ordinẽ ad visum, non per ordinem ad colorem;sed peccata nequeunt priuare Deum bonitate;ergo non cognoscuntur per Diuinam bonitatẽ.2. *Valent*. Peccata dicunt ordinem ad bonitatẽ creatam, qua priuãt;ergo nõ possũt cognosci,nisi per ordinẽ ad bonitatẽ creatã,quia relatiua nequeunt cognosci,nisi per ordinem ad suũ correlatiuum.

Resp. ad 1. dist. ma. Per se, & essentialiter, neg; si enim visio esset forma inamissibilis à subiecto, adhuc per ipsam cognosceretur cæcitas, quæ est eius priuatio.Per accidens,& materialiter, transeat. Ad 2. dicitur aliud esse relatiua non posse cognosci nisi in ordine ad sua correlatiua; & aliud, quòd vnum cognoscatur per aliud; quanuis ergo Deus cognoscat peccata per suam bonitatem,adhuc tamen cognoscere potest illa dicere ordinem ad bonitatẽ creatam; sicut quanuis per visionem essentiæ videat paternitatem,attamen non sequitur,quòd non videat paternitatem,vt relatam ad filiationem. Ita dist.ant.Dicunt ordinem ad bonitatem creatam,qua priuant, & ad increatam, à qua discordant, conc; secus,neg.

19 Obijc.4. *Vasq*.In temperãtia opponitur temperantiæ; sed in Deo non est temperantia; ergo nequit cognoscere peccatum intemperantiæ per suam specialem bonitatem.

Resp. dist. mi.Non est in Deo formaliter, conc; eminenter, neg; & hoc sufficit adhoc, vt

per

per ipsam cognoscatur intemperantia; sicut adhoc, vt effectus cognoscantur in causa, sufficit contineri in illa virtualiter.

20 Obijc. 5. *Ban.* Res non cognoscitur, nisi per suam definitionem; sed in definitione cæcitatis non ponitur color, sed visus; ergo priuatio cognoscitur tantùm per ordinem ad formã, qua priuat; peccatum autem priuat solùm per bonitatem creatam.

Resp. retorq. Res non cognoscitur, nisi per suam definitionem; sed essentia Diuina non est definitio essentiæ creatæ; ergo essentia creata non cognoscitur per essentiam Diuinam. Ex quibus patet argumenta horum *DD*; vt parùm congrua suæ doctrinę, ipsos confundere, dum nos ferire moliuntur. *Dist.* ergo ma. Res non cognoscitur, nisi per suam definitionem, si cognoscatur per se ipsam immediatè, conc; si cognoscatur per causam, eum qua concordat, vel à qua discordat, neg; sed peccata discordant à Diuina bonitate: ergo cognoscuntur immediatè per Diuinam bonitatem.

21 Inst. Non potest cognosci, quomodò aliquod discordet à Diuina bonitate, nisi cognoscatur, quomodò aliud concordet: ergo peccata cognoscuntur per bonitatem creatam, quæ concordat cum Diuina bonitate.

Resp. hoc nihil aliud concludere, quàm quòd per eandem rationem cognoscẽdi cognoscatur bonitas creata, & peccatum, quia cognoscuntur, vt inter se relatiua; non tamen, quòd peccata cognoscantur immediatè per bonitatem creatam.

22 Colligitur ex dictis negationes, & priuationes immediatè cognosci per entitatem Diuinam, cui opponuntur; & errores, ac falsitates nostri intellectus per veritatem infallibilem Diuini intellectus, à qua discordant; & ideo errores, ac falsitates aliquo modo induunt veritatẽ, vt inquit *Fundatiss. Doct.* sicut negatio induit affirmationem.

Reliqua, quæ supersunt dicenda de scientia simplicis intelligentiæ, quia habent connexionem cum iis, quæ spectant ad scientiam visionis, ideo de illis agemus *in seq. quæst.*

QVÆST. III.

De Scientia visionis futurorum absolutorum.

Postquam egimus de obiecto, & medio cognoscendi scientiæ simplicis intelligentiæ, sequitur agendum de obiecto, & medio cognoscendi scientiæ visionis; quæ est alterum membrum diuidens scientiam Dei. Quia tamen futurum, quod est eius obiectum, communiter diuiditur in absolutum, & conditionatum; ideo *in hac quæst.* disputabimus de futuro absoluto, acturi *in seq.* de conditionato.

ART. I.

An scientia visionis sit causa rerum futurarum?

1 Certum est secundùm omnes scientiam Dei esse causam rerum præscindendo ab hac, vel illa scientia. Colligitur *ex Scripturis*; nam *ps.* 102. *Omnia in sapientia fecisti*; *& ps.* 148. *Ipse dixit, & facta sunt*; *et Prou.* 3. *Dominus sapientia fundauit terram*; *& Io.* 1. *Omnia per Verbum facta sunt*; *& Ephes.* 1. *Qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ*; & innumeris alijs in locis. Modò in discrimen vertitur, quænam sit hæc scientia, an scilicet simplicis intelligentiæ, an visionis?

2 Non loquimur *hic* de causa immediatè executiua; de hoc enim loquendo, neque scientia, neque voluntas est causa rerum, sed omnipotentia, quæ virtualiter distinguitur ab vtraque; vt diximus *To.* 1. *de Omnipot. art.* 6; sed loquimur de causa quomodocunque influente siue mediatè, siue immediatè.

3 Prima sententia vult causam rerum esse scientiam simplicis intelligentiæ; non verò visionis. *Ita Sua. lib.* 3. *de Attr. c.* 4; *Bellarm. lib.* 4. *de grat. & lib. arb. c.* 13; *Mol; Val; Vasq; Arrub; Henric; Ruiz, Martinez; controu.* 3. *disp.* 10. *sect.* 1. *concl.* 2; quamuis *sect.* 2. *concl.* 2. nobiscum sentiat; *Thyrsus*, qui falsò citat *Beatum Doct. Aegid, & alij*, dicentes scientiam visionis supponere rem iam factam. *Et ex nostris Mendoza, Putean.* 1. *p. q.* 14. *art.* 13. *dubit.* 3. *ad* 2; *Albiz. disp.* 7. *sect.* 2; *Brunus Quodl. c* 3. *disp.* 5. *c.* 2. *§.* 7; *Stunica lib.* 2. *de vera, & falsa Relig. c.* 4; *Zerda q.* 1. *Schol. art.* 7. *n.* 2; *Gueuara, Aloys. Legion; Petrus de Aragon; Didacus Tapia, Petrus de Vzeda. Sequuntur aliqui Scotistæ, Mastrius in* 1. *disp.* 3. *q.* 3. *art.* 2. *n.* 88; *apud quem Faber, Vulpes, & Smisingh.*

Secũda sentẽtia docet sciẽtiã in actu practico causatiuã rerũ esse scientiam visionis; sciẽtiam verò simplicis intelligentię esse solùm causatiuam in virtute, seu in actu signato, & esse tantùm conditionem *sine qua non. Ita Fundatiss. Doct. in* 1. *dist.* 38. *princ.* 1. *q.* 1; *& in Opusc. de laud. Diuinæ Sap. c.* 16; & *Quodl.* 3. *q.* 4. Ipsum sequuntur omnes eius discipuli antiqui, *Greg. dist.* 38. *q.* 1, *ad* 3. *princip; Ger. &c; & ex modernis Lafosse hic q.* 4. *c.* 3; *Ioseph à Villanoua de Præscient. disp.* 3. *dub.* 4. *c.* 2; *apud quem noster B. Henric. de Vrimaria in notis ad Mag. Sentent. lib.* 1. *dist.* 38; *Gibbon hic disp.* 23. *dub.* 2; *Bernardin; & M. Conson. in M. S.* Hanc docent *omnes Thomistæ communiter, vt vid. apud Io. à S. Tho. Ferrũ; Godoy disp.* 40; & ex eo *Gonet; & omnes alij communiter*, & hanc esse conformiorem *SS. PP.* tradit *noster Villan, vt inf.* pro cuius explicat.

4 Hanc

4 Hanc litem putamus esse de nomine, si rectè perpendantur ea, quæ dicuntur; nam cùm certum sit scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis esse vnam, eandemque simplicissimam scientiam, quæ respectu diuersorum statuum creaturarum habet sortiri diuersa nomina, sicuti obiectum illarum est vna, & eadem creatura in diuersis statibus considerata; non enim creaturæ in statu futuritionis sunt aliæ secundùm essentiam à se ipsis in statu possibilitatis consideratis; sicuti eadem est creatura, quæ transit de actuali præsentia ad præteritionem, & solùm importat diuersos ordines ad diuersas differentias temporis; sic eadem est creatura, quæ transit de statu possibilitatis ad futuritionem; de futuritione ad existentiam; & de existentia ad præteritionem. Igitur eadem scientia Dei, quæ respicit creaturas possibiles, habet causare creaturas in actu secundo; non quidem, prout respicit illas in statu possibilitatis; in illo enim statu creaturæ nõ causantur; sed prout respicit illas in statu futuritionis, & existentiæ; in hoc enim statu solùm causantur, quia causari idem est, ac recipere existentiam iuxta definitionem causæ allatam *ex Phil. Causa est illa, ad cuius esse sequitur aliud.* Ita dicimus, quòd per candem artem, per quam Pictor speculatur picturam faciẽdam, si applicetur ad actum secundum, practicè pingit; non enim est necesse ponere duas artes pingendi in mente pictoris realiter entitatiuè diuersas, vnam speculatiuam, alteram practicam; sed sufficit vna ars eum diuersa modificatione; sed scientia, prout respicit creaturas in statu futuritionis, seu existentię, non est sciẽtia simplicis intelligentię, sed visionis, quãuis secũdùm se ipsam præscindendo ab omni respectu, sit eadem scientia, quæ solis mutatis nominibus per respectum ad diuersa connotata habet causare res; ergo hæc quæstio videtur de solo nomine. Sed hoc omisso.

5 Nomine scientiæ visionis *hic* non intelligimus ipsam secundùm totam latitudinem veluti genericam, secundùm quam habet respicere omne futurum, siue sit ens, & bonum; siue sit non ens, & malum; sed intelligimus solam illam, quę respicit res, quas causat; res autem idem est, ac ens; & ens idem est, ac bonum; quæ scientia vocatur approbationis, quæ est membrum diuidens scientiam visionis, *vt sic*; vt diximus *q. 1. art. 4. n. 10*; vnde hæc scientia conuenienter appellatur scientia visionis; cùm quælibet species possit aptè vocari nomine sui generis, quidquid dicat *noster Lasosse contra Thomistas*; *Fundatiss.* enim *Doct. pluribus in locis* sic eam appellat.

6 Not; quòd, cùm *B. Doctor* appellat scientiam Dei modò conditionem *sine qua non* respectu productionis rerum; modò causatiuam in virtute, siue signatè; vt colligi potest ex eo, quod *de Ideis* docet *dist. 36. princ. 2. q. 3*; idem enim dicendum est de ideis, ac de scientia illas respiciente proportione seruata; modò practicam actu, & causam exercitè, seu in actu secundo; hoc debet intelligi secundùm diuersos respectus, & combinationes, quas habet scientia. Intellectus igitur, in quo est scientia, vel potest considerari secundùm se præcisè, vel prout comparatur ad voluntatem, cùm qua essentialiter colligatur. Si accipiatur primo modo, ei nequit competere ratio causalitatis extrinsecæ, de qua solùm loquimur *hic*, sermo enim est de creatura, quæ producitur extra Deum. Ratio est. In hoc distinguitur intellectus à voluntate, quòd *ille trahit res ad se; hæc trahitur à rebus*; motus autem *ad se* non est motus ad extra se; & ideo non est causalitas productiua alicuius rei ad extra; quia hæc causalitas essentialiter importat, vt docet *B. Doct. hic vbi sup*; egressionem, seu exitum quendam ab agente; & ideo in hoc sensu intellectus merè dicitur speculatiuus, quia nihil ad extra producit. Ad voluntatem autem adhuc dupliciter potest comparari. 1. Ad actum voluntatis practicè, quatenus tendit in obiectum volitum, in quod, cùm voluntas non possit tendere, nisi supponatur, vt cognitum, & apprehensum; voluntas enim est potentia cæca, quæ nequit tendere in suum obiectũ, nisi illud sibi ostendatur ab intellectu; hinc dicitur: *Nihil volitum, quin præcognitum*; sic intellectio habet rationem conditionis *sine qua non*; licèt enim non sit causa elicitiua volitionis, est tamen conditio, qua non posita non poneretur volitio. 2. Potest comparari, quatenus voluntas mouet potentias executiuas externas ad aliquod producendum ad extra; & hoc modo sicuti voluntas dicitur practicè operari per suum actum, quatenus coniungitur cum potentijs operatiuis externis; ita intellectus, qui habet semper comitari voluntatem, & actio intellectus, quæ indissociabiliter iungitur cum actione voluntatis, & ideo cum actionibus potentiarum exequentium, ne vnquam voluntas cæco modo operetur vsque ad finem operationis externæ, sortitur denominationem practici, & causatiui; ex quo manet explicatum illud axioma *Phil. Intellectus extensione fit practicus. Vid. T. o. 1. q. 3. proem. art. 4. §. 1.*

7 Apparet ergo, quòd scientia Dei dicitur causatiua in virtute, seu signatè; quatenus scilicet præscindit ab omni applicatione actuali ad potentias executiuas; & quòd dicitur conditio *sine qua non* per ordinem actum voluntatis præcisè, ad quem præsupponitur; non autem per ordinem ad actionem productiuam ad extra potentiæ executiuæ; & quia præscindere ab actione voluntatis applicatiua omnipotentię agentis ad extra, & præsupponi ad actum voluntatis conuenit solùm scientiæ simplicis intelligentiæ; ideo, scientia simplicis intelligentię est causatiua rerum solùm in virtute, & signatè; non autem actualiter, & exercitè. Postremò, quia comitari actio-

actionem voluntatis, prout applicantis omnipotentiam, vsquedum terminetur eius actio ad extra per completam productionem creaturæ in esse actuali, competit solùm scientiæ visionis approbatiuæ, quæ habet supponere, & sequi voluntatem, per quam solùm fit applicatio actualis, & ideo rationabilissimè dicitur, quòd scientia visionis approbatiua sit causa rerum actu, & exercitè. Sic explicata nostra sententia.

8 Vnica concl. Sola scientia visionis approbatiua est causa rerũ in actu secũdo, & exercitè.

Prob. 1. *à Fundatiss. Doct. dist. 18. vbi sup.* duplici auctoritate *Beatiss. P. Aug*; quarum prima insinuat ratione fundamentalẽ nostræ sẽtẽtiæ.

Prima sumitur *ex 6. de Trin. c. 10. Et primus, ac summus intellectus, cui non est aliud viuere, & aliud intelligere; sed id, quod est intelligere, hoc viuere, hoc esse est; vnum omnia, tanquam verbum perfectum, cui nihil deest; & Ars quædã omnipotentis, atque sapientis Dei plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea; sicut ipsa vnũ de vno, cum quo vnũ. Ibi nouit omnia Deus, quæ fecit per ipsam; & ideo cùm decedant, & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei. Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt; ac non potiùs ideo facta sunt vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo sciũtur.* Ait ergo, quòd summus intellectus est ars omnipotentis plena idæarum, *per quam fecit omnia*, quæ facta sunt; & *quòd fecit, quia sciuit*; sed ars, per quã fit aliquid, est causa effectiua, saltẽ, *vt quo*, illius; & illa particula *quia* denotat veram causalitatem realem physicam; ergo scientia Dei, quæ in Diuino intellectu respicit creaturas, est causa illarum in actu secundo, & exercitè. Sed hanc rationem *inferiùs* prosequemur.

Secunda est *ex 15. de Trin. c. 13. Vniuersas creaturas suas, & spirituales, & corporales, nõ quia sunt ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit; non enim nesciuit, quæ fuerat ipse creaturus. Quia ergo sciuit, creauit; non quia creauit, sciuit.* Hæc testimonia ita clara sunt, vt soli oculi sufficiant ad ea percipienda.

9 Respondent 1. *Beatiss. P.* loqui de causalitate logica in inferendo, non autem de causalitate physica in essendo; ex eo enim, quòd Deus cognoscat futura, optimè infertur, quòd sint futura; aliter si non essent futura, falsò cognosceret; non tamen ex eo, quòd Deus nouit futura, futura accipiunt esse ab illius scientia.

Hanc responsionem, quam tradit *B. Doctor dist. 38. in fine sup. lit. Mag*; vt soluat auctoritatẽ *Orig; & aliorum SS; & noster Greg. vbi s*; extorserunt *Aduersarij* ad explicandam mentem *Beatiss. P. August*; post quos eam nuper recitat *Mastrius*; sed quòd, licèt possit applicari SS. DD. dicentibus in oppositum; *ideo futura sciuntur à Deo, quia sunt futura, non è contra*; attamen directè repugnet auctoritatibus prædictis, sic ostenditur. *Beatiss. P.* loquitur de causalitate factiua, & creatiua; ait enim: *Nouit omnia, quæ fecit per ipsam* (supple *artem*, seu scientiam) *Et ideo facta sunt, quia sciuntur*; *Et quia sciuit, creauit*; quis autem rationabiliter posset dicere, quòd *facere*, & *creare* importent solam causalitatem logicam, non physicam; vel solam illationem cognitionis, non verò receptionem realem existentiæ? Profectò siquis hoc diceret, tolleret à Deo rationem veræ causæ realis, cùm causalitas logica non sit vera causa realis, sed intentionalis. At verò *Orig*; & *SS. PP. infra* afferendi nunquam dicunt; quia *creata sunt*, quia *facta sunt*, *sciuntur*; sed quia *sunt futura*; verbum autem *sunt* potest vtique importare causalitatem logicam, quia potest conuertere propositionem, ex qua inferatur alia propositio; absque eo tamen, quòd importet causalitatem physicam; vt cùm dicitur: Quia *Petrus est rationalis, est homo.* Non sic verbum *creare*, *facere*, *producere*, *&c.* essentialiter enim important cõmunicationem existentiæ, à qua sumitur causalitas physica. *Vid. Fundatiss. Doct. vbi sup.*

10 Resp. 2. *Thyrsus To. 1. disp. 36. n. 7. Beatiss. P.* nihil aliud velle, quàm quòd Deus nõ discat ab euentibus, sed antequam res producat, perinde penetrare essentias rerum, ac cùm sunt productæ; sed antequam eas producat, cognoscit per simplicem intelligẽtiam; ergo cùm producit, cognoscit per simplicem intelligentiam, non per scientiam visionis.

Sed hoc falsum euidenter est; nam manifestè docet per ipsam artem facta esse omnia; quantùm autem inter non discere, & facere intersit, quis non videat? Quòd si penetrat essentias, ac quiditates rerum, antequam eas producat, nemo diceret Deum eas penetrare causando in actu exercito; sic enim esset antequam, & non esset antequam; vt compertum est; sed solùm eas penetrare per scientiam signatè potentem causare; scientia autem considerans creaturas, antequam producantur, est simplex intelligentia, quæ præcedit scientiam visionis; sicut possibile præcedit futurũ eo prorsus modo, quo scientia in Artifice creato præcedens actualem productionem artefacti dicitur speculatiua præscindens ab actuali existentia sui obiecti; cõcluditur ex hac responsione nostra conclusio. Quod magis confirmat *idem Auctor* subdens; quòd scientia, quæ est causa rerum, est illa, quæ per decretum efficax applicatur ad productionem earum. Ex quo sic. Scientia, quæ applicatur ad actualem productionem, est practica, quæ habet pro obiecto futura, vt ponibilia sub esse actuali; sed scientia simplicis intelligentiæ nõ habet pro obiecto futura, vt ponibilia sub esse, sed possibilia; vt communi fertur Theologorum sententia; ergo scientia, quæ est causa rerum, non est simplex intelligentia, sed scientia visionis.

11 Prob. 2. ratione *Beatiss. Patris vbi sup.*

sic efformata à *Fundatiss. Doct.* Quotiescunque aliqua duo assimilantur per adęquationem inter se ita, vt vnum aliud imitetur, vel vnum est causa alterius, vel vtrunque causatur à tertio; sed res creatæ assimilantur per adęquationem Diuinæ scientiæ, & imitantur Ideas existentes in Diuina scientia; ergo cùm Diuina scientia nequeat causari à rebus creatis, nec simul cum illis causari ab aliquo tertio, quia est essentialiter increata, & independens, necessariò sequitur, quòd sit causa rerum; sed causa in actu practico causans nequit esse scientia merè speculatiuè se habens, quia hæc non dicit actuale exercitiũ ipsius causalitatis; vt patet de artifice simpliciter speculante; ergo debet esse scientia in actu practico; & ideo scientia visionis approbatiuæ; hoc enim intelligitur nomine scientiæ visionis approbatiuæ. Min. patet; quia omnis scientia est adęquatio rerum ad intellectum; cùm scientia essentialiter *fit ex veris*; & veritas dicat adæquationem rerum ad intellectum, vt diximus *To.1. de Verit.art.3*; nam scientia ita debet cognoscere res; sicut sunt cognoscibiles, & è cōtra. Prob. ma. Ideo imago v. g. Pontificis imitatur Pontificem, quia Pictor recepit speciem à Pontifice, & per illam efformauit imaginẽ; & ratio à priori est; nam quotiescunque aliqua similitudo reperitur in duobus, necesse est, quòd in vno sit per essentiam, & in alio per participationem, vel in vtroque per participationem ab aliquo tertio, in quo est per essentiã; implicat enim, quòd dentur duo inter se essentialiter diuersa habentia esse imparticipatum, independens, & increatum; sed illud, in quo est per essentiam, est causa illius, in quo est per participationem; & illud, in quo est per participationem, causatur ab illo, in quo est per essentiam; sicut illa duo, in quibus est per participationem, causantur ab illo tertio, in quo est per essentiã; ergo quotiescunque aliqua duo inter se assimilantur per adęquationem ita, vt vnum fiat ad imitationem alterius, vel vnum causatur ab alio, vel ambo causantur à tertio.

Explicatur ampliùs. Ideo nostra scientia causatur à rebus, quia imitatur ipsas res; scientia autem Angeli, licèt non causetur, attamen adęquatur rebus; quia res, & scientia causantur à Diuinis Ideis, quas imitantur; & omnes res imitantur Ideas existentes in scientia Dei; ergo causantur ab illa.

11 Conf. *ex eod. ibid.* In hoc distinguitur Agens artificiale ab Agente naturali; quòd illud producit suos effectus per scientiam; istud verò non; sed Deus se habet, vt Agens artificiale; ergo producit creaturas per scientiam; & ideo scientia Dei est causa creaturarum; nam nomine causæ *hic* nō intelligimus principium *Quod*; hoc enim est Deus; sed principium formale *quo* effectiuum. Ma. patet de se; & prob. euertendo responsionem *Mastrij* dicentis scientiam se habere tantùm directiuè, non effectiuè. Tum quia ex eo, quòd Magister dirigat manum pueri scribentis, mouet illam, & dicitur effectiuè simul scribere cum illo; ergo ex eo, quòd scientia Dei dirigat actionem creatiuam, dicitur influere in illam, & simul cũ illa effectiuè producere creaturas; sed scientia effectiuè producens non est simplex intelligentia, quæ se habet merè speculatiuè; ergo est scientia visionis approbatiua. Tum quia ars in Artifice est principium effectiuum artefacti, vt omnes communiter substinent; sicut potentia naturalis v.g. calor est principium effectiuum effectus naturalis; sed scientia Dei comparatur ad creaturas, sicut scientia Artificis ad artefacta eò, quia Deus est Agens per intellectum, & voluntatem; vnde *in Scripturis* dicitur *sũmus Artifex, Opifex &c*; ergo scientia Dei est causa effectiua creaturarũ; sed scientia Artificis efficit solùm, vt est practica; non vt merè speculatiuè se habet; ergo sola scientia practica est causa rerum; quæ à nobis vocatur scientia visionis approbatiua. Tum quia sicut intellectus, quanuis secundùm se sit merè speculatiuus, attamen quatenus coniungitur cum habitu operatiuo, dicitur practicus, & operatiuus; ita scientia Dei, quanuis secundùm se sit speculatiua, attamen quatenus cōiungitur cum arte, quæ est factiua, & cum omnipotentia executiua, dicitur practica, & operatiua creaturarũ; sed quatenus coniungitur cum arte, & omnipotentia, est scientia visionis, non simplicis intelligẽtiæ; ergo scientia visionis est causatiua creaturarum. Tum quia sicut sapientissimus Artifex priùs speculatur res faciendas, antequam actu illas faciat; & posteà se determinat, & applicat ad opus operando secundùm illam scientiam, & cognitionem, quam habet; ita Deus, vtpotè sapientissimus Artifex, priùs merè speculatiuè cognoscit creaturas faciendas, & posteà cōcipitur per voluntatem se determinare, & applicare suam omnipotẽtiam ad productionem illarum; sed scientia merè speculatiuè cognoscens creaturas est simplex intelligẽtia; & scientia supponens determinationem voluntatis, & regulans actionem suę omnipotentiæ est scientia visionis approbatiua; ergo scientia visionis approbatiua est causa exercitè creaturarum. Tandem quia, vt arguit *Beatiss. P*; si scientia visionis practica approbatiua non esset causa creaturarum, Deus crearet nesciens, non autem sciens; licèt enim ante productionem actualem præsupponeretur intelligens per scientiam simplicis intelligẽtiæ; attamen actu producens non cognosceret actu suam actionem exercitam, neque rem, quam actu producit; quia res, quam actu produicit, prout actualiter producta, & actio productiua, non cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ tantùm habet cognoscere res, vt possibiles, & prout antecedunt omnem actum voluntatis Diuinæ; vt cōmuniter traditur; ergo scien-

ſcientia Dei practica approbatiua eſt cauſa rerum in actu ſecundo, aliter Deus cęco modo operaretur actualiter.

12 Dices 1. Hæc ratio probat tantùm in Deo eſſe artem factiuam creaturarum, non autem ſcientiam viſionis eſſe cauſam rerum; ars enim, vt dictum eſt *q.1. art.1.* §.2., eſt attributum virtualiter diſtinctum à ſcientia; ſcientia autem viſionis nō diſtinguitur virtualiter ab attributo ſcientiæ; vt quoque dictum eſt *ſuperiùs q.2.art.4*; ergo ex doctrina *Beatiſs.P.* non colligitur intentum concluſionis. 2. Ars practica nō diſtinguitur ab arte ſpeculatiuè ſe habente; ſed eſt ipſa ars, per quam artifex priùs ſpeculatur rem faciendā, prout applicata ad actualem operationem; ergo ſcientia cauſans creaturas non diſtinguitur à ſcientia ſpeculante creaturas, ſed eſt ipſa eadem ſcientia, prout applicatur actuali operationi; ſed ſcientia merè ſpeculatiua creaturarum eſt ſimplex intelligentia; ergo cauſa creaturarum eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, prout applicata ad actualem productionem, non verò ſcientia viſionis.

Reſp. ad 1. neg. ant; probat enim argumentum, quòd ſicut ars non dicitur practica, & factiua artefacti, niſi quatenus coniungitur cum potentijs executiuis tranſeunter agentibus, & tamen ipſa ars eſt habitus intellectus, qui ſecundùm ſe præciſè non eſt factiuus; ita ſcientia, quanuis ſit attributum intellectus diſtinctum ab arte, & prout conſideratur ſecundùm ſe, ſit ſpeculatiua; quatenus verò coniungitur cum arte, & comitatur indiſſociabiliter actionem artis vſquedū vltimò cōpleatur, & terminetur, eſt practica, & factiua. Ad 2. dicitur hoc non probare niſi, quòd ſcientia viſionis non diſtinguitur virtualiter à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quod admittimus; non tamen probare, quòd ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundùm ſe pręciſo omni alio ſit cauſa rerum; cùm autem conſideratur ſimul cum voluntate, & omnipotentia exequente, iam non eſt ampliùs ſimplex intelligentia, ſed ſcientia viſionis approbatiua; vt *ſuperiùs* diximus. Igitur ſicut eadem ars diuiditur in ſpeculatiuam, & practicam; ita eadem ſcientia diuiditur in ſimplicem intelligētiam, & viſionem; & ſicuti ars ſpeculatiua non dicitur actualiter exercitè cauſans, ſed tantùm in virtute; ars autem practica dicitur actu exercitè cauſare; ita ſimplex intelligentia, quæ aſſimilatur arti ſpeculatiuæ (dicitur enim ſimplex intelligentia, quatenus importat puram, & ſimplicem cognitionem, idèſt non compoſitam cum alia actione) non dicitur actu exercitè cauſans, ſed tantùm in virtute; ſcientia verò viſionis, quæ importat coniunctionem cum actu voluntatis, & omnipotentiæ, & aſſimilatur arti practicæ, dicitur actu, & exercitè cauſa rerum.

Id autem, qnod dicitur de *imperio à Thomiſtis*; quia ſcientiam viſionis eſſe imperium ſine ratione dicitur; tum quia imperiū non eſt actus intellectus, vt *infra*; tum quia poteſt intellectus videre aliquod obiectum abſque eo, quod imperet aliquod, omittimus.

13 Obijc. 1. Deus cognoſcit futura, quia futura ſunt, non è contra; ergo ſcientia Dei non eſt cauſa rerum. Prob. ant. ex pluribus *SS. PP*; nā *D. Iuſtinus q.58.ad Ortod. Non eſt præſcientia cauſa eius, quod futurum eſt; ſed quod futurum eſt, cauſa præſcientiæ. Orig. lib.7. in Ep. ad Rom; Non enim propterea erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat; D. Damaſc. cont.Manich. Vt ea, quæ facturi ſumus, præſciat Deus, à nobis proficiſcitur. Eſt quidem Dei præſcientia vera, & infallibilis; verum ipſa nequaquam eſt cauſa cur omnino fiat, quod futurum eſt; D. Hier. in c.26. Hierem; Non ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus nouit; D. Leo ſer.16. de Paſſ. c.3.* idem habet; *D. Cirill. lib.9. in Io; D. Chriſ. Hom.* 32; & 60. *in Matth; D.Athan. ſer.de Paſſ; Beda lib.var. qq. q.13; Beatiſſ. P. Aug.lib.3.de Lib. Arbitr.c.4; Boæt.5.de Conſol; D.Anſel; & alij.*

Reſp. *Fundatiſs.Doct.vbiſup*; diſt. ant. Futura poſitiuè, neg; futura permiſſiuè, conc. Ad prob. dicitur *omnes illos SS. PP.* loqui de peccatis futuris; nam *D.Iuſtin.* loquitur de peccato Adæ, & Iudæ; *Orig.* de peccato perditionis; *D. Dam.* de futuro, quod eſt morbus animæ; *D.Hier.* ait præſcietiam non cogere ad peccandum; idem docet *D.Leo*; & *D.Ciril.D.Chriſ.* loquitur de ſcandalis. *D.Athan.* vult prophetiam eſſe tantùm indicem rerum, non autem loquitur de ſcientia Dei; *Beda* loquitur de futuritione peccatorum. Tandem *Beatiſs. P.Aug*; & *D.Boæt.* expreſsè docent noſtram ſententiam, vt videri poteſt *apud Fundatiſſ. Doct*; dicunt enim ſcientiam Dei non eſſe cauſam peccatorum; eſſe tamen cauſam rerum. *Vid.noſter Villan.vbi ſup.*

Reſp.2. *SS.PP.* loqui de cauſa conſequentiæ, non conſequentis, vt *ſup.* dictum eſt; cùm enim nos non poſſimus cognoſcere voluntatem, & ſcientiam Dei, niſi à poſteriori; ideo videndo aliquod eſſe futurum, inferimus, quòd Deus illud nouit. 3. Quòd loquuntur de ſcientia merè ſpeculatiua. 4. Quòd loquuntur de cauſa adæquata; nam ſcientia Dei ſimul cum voluntate, & omnipotentia, non autem ſe ſola cauſat res.

14 Obijc. 2. Potentia ſimpliciter effectiua non poteſt ſuum effectum intelligere, vt patet de omnipotentia, quæ poteſt producere, non intelligere; ergo potentia ſimpliciter intellectiua nequit ſuum obiectum efficere.

Reſp. conc. totum; nam ſcientia ſimpliciter intellectiua eſt ſcientia merè ſpeculatiua, quę reduplicatiuè, vt talis, nequit efficere; ſcientia autem viſionis, quatenus coniungitur cum potentia effectiua, non eſt ſimpliciter intellectiua, ſed etiam effectiua, vt dictum eſt.

15 Inst. Omnipotentia, quatenus coniungitur cum scientia, non est simul formaliter effectiua,& intellectiua; ergo à pari.

Resp. neg. con; nam omnipotentia non mouet scientiam, sicut scientia mouet omnipotentiam; quia superius mouet inferius, non è contra; neque coniungitur scientiæ influendo in cognitionem formaliter; at verò scientia coniungitur omnipotentiæ illam mouendo, & influendo in actionem illius; ergo scientia ex coniunctione ad omnipotentiam habet, quòd sit factiua eò, quia motiua, & influxiua; non tamen è contra; quia omnipotentia nullam habet in scientiam motionem, & influxum, à quo solùm sumitur ratio actiua.

16 Obijc. 3. Illa scientia est causatiua rerum, quæ determinatur per Diuinam voluntatem; scientia enim, quæ causat res, liberè causat; non potest autem liberè causare, nisi per liberam voluntatem, in qua solùm residet libertas formaliter; sed scientia, quæ determinatur per scientiam Diuinam, est simplex intelligentia; illud enim, quod determinatur, est indifferens; aliter determinaretur id, quod iã est determinatum; sola autem scientia simplicis intelligentiæ est indifferens ad producendas potiùs has, quàm illas res; ergo sola simplex intelligentia est causa rerum. 2. Scientia artificis non fertur in ipsum artefactum, vt actu existens, sed vt possibile fieri; sed sciontia causatiua rerum assimilatur scientiæ artificis; ergo non fertur in res, vt actu existentes, sed vt possibiles; & ideo est simplex intelligentia, non scientia visionis. 3. Scientia visionis consequitur decretum efficax futuritionis rerum; ergo supponit causam futuritionis rerum, & per consequens supponit res, vt futuras. Prob. ant; nam *Genes.* 1. dicitur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat*; ergo visio supponit factionem rei. Tandem scientia visionis est intuitiua; sed cognitio intuitiua supponit obiectum, vt existens,& præsens in se; vt habet *Beatiss.P.Aug. 4.sup. Gen. ad lit. Nec enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant*; ergo nõ est causatiua.

Resp. ad 1. dist. ma. Illa scientia est causatiua rerum, quæ determinatur per voluntatem, vt actu determinata est per voluntatẽ, conc; vt actu non est determinata, neg; scientia autem Dei, vt actu est determinata per voluntatem, est visionis, non intelligentiæ simplicis; vt patet ex ipso vocabulo *simplicis*, quod excludit compositionem cũ alio. Ad 2. neg. paritas quoad hoc; quia agens artificiale creatum nõ producit rem in instanti, sed longitudine temporis propter debilitatem suæ virtutis, ideo nequit ipsam intueri, vt existentem, & præsentem in ipso instanti productionis; at verò Deus operatur in instãti, & ideo intuetur rem, quando producit; quia in eodem instãti, in quo producitur res, est existens, & præsens. Ad 3. dist. ant. Consequitur, idèst sequitur cum decreto ad dandam futuritionem rebus, conc; Consequitur, idèst est posterior decreto, neg. Ad prob. dicitur, quòd Deus vidit faciendo, & fecit videndo; non autem eius visio præsupposuit rem factam; quia Deus, vt videat, non expectat, vt fint res, ut docet *Beatiss. P.*; aliter acciperet scientiam visiuam, saltem prout visiuam à rebus. Neque officit, quòd *fecerat* dicat in præterito plusquam perfecto, quod est remotius tempore perfecto; Contra enim est; quia omnia tempora respectu Dei significant eodem modo; cùm Deus tempore non mensuretur. Ad 4. dist. mi. Scientia intuitiua merè speculatiua, conc; practica, neg. Vnde si potentia visiua esset productiua coloris, per eandem visionem produceret, & intueretur. *Beatiss.P.* loquitur de scientia speculatiua.

17 Inst. cont. resp. ad 1. Quod est causa in actu primo, causat etiam in actu secundo, vt patet de calore, qui est causa in actu primo, & causat etiam in actu secundo; sed simplex intelligentia est causa in actu primo; ergo etiam in actu secundo.

Resp. dist. ma. Prout actu applicatum causat in actu secundo, conc; & in hoc sensu scientia Dei est visio, non simplex intelligentia; prout præscindit ab actuali applicatione, neg. Hoc arg. nõ probat, nisi eandẽ scientiã specie esse simplicẽ intelligentiam, & visionem; quod concedimus.

18 Obijc. 4. *SS.PP.* quando explicant, quomodò scientia Dei non lædat nostram libertatem, vtuntur exemplo visionis corporeæ, quæ intuetur obiecta, & in ea nihil influit; ergo ex *SS.PP.* scientia Dei non est causa rerum. 2. Quælibet potentia supponit suum obiectum; sed res sunt obiectum scientiæ; ergo scientia non causat res. 3. Idæa est causa primaria creaturarum; ergo non scientia; quia non possunt dari duæ causæ primariæ. 4. Scientia visionis videt peccata, & tamen illa non causat; ergo à pari.

Resp. ad 1. *SS. PP.* vti exemplo visionis ocularis propter hoc; quia sicut visio corporalis, licèt clara, & certa, non tamen tollit incertitudinem ab obiecto viso; ita visio Dei, licèt infallibilis, non tamen tollit fallibilitatem à rebus; omnia autem exempla currunt vno pede, & claudicant nonaginta nouem, vt docet *Fundatiss. Doct.* Ad 2. dist. ma. Potentia mensurata,& specificata à rebus, conc; sed in hoc sensu neg. mi; potentia mensurans, & specificans res, neg; & in hoc sensu conc. mi. & neg. con. Ad 3. neg. con. Ad prob. infertam dist. In eodem genere nequeunt dari duæ causæ primariæ, conc; in diuerso genere, neg. Idæa ergo est in genere causæ exemplaris; scientia verò in genere causæ formalis effectiuæ. Ad 4. dist. ant. Videt peccata per scientiã approbatiuã, neg; per reprobatiuam, conc. Nos *hic* loquimur de scientia visionis approbatiua respectu entium; non verò de reprobatiua respectu non entium, vt sunt peccata.

19 Obijc. 5. *ex Martinez*, qui secundùm rem sentit nobiscum. Vel scietia visionis est causa rerum secundùm id, quod dicit in recto, vel quod

quod dicit in obliquo,vel secundùm vtrunque? Si primum; ergo sola scientia simplicis intelligentiæ causat res;quia hæc importatur in recto. Si secundùm, sic arguit. Obliquum est ipsa res, vt futura;res autem,vt futura, nequit esse causa sui ipsius;ergo non secundùm obliquum. Si tertium;contra est;nam scientia visionis est causa rerum solùm secundum id,quod dicit perfectionis in Deo; sed res futura, seu connotatū ad extra, quod importat in obliquo, nullā dicit perfectionem in Deo;ergo neque tertium.

Resp;quòd scientia visionis,prout est causa rerum, importat scientiam Dei prout applicatam voluntati,& omnipotentiæ Dei,non autē importat solam scientiam simplicem; & sic simplex intelligentia non est causa immediata,quia causa immediata est applicata actu ad causandum; quomodò non est applicata simplex intelligentia.Dicitur ergo primum;ad cuius improb. neg; quòd in recto importetur simplex intelligentia;importatur enim scientia, prout applicata,& coniuncta decreto,& omnipotentiæ.

ART. II.

Quotuplex sit futurum,& in quo consistat formaliter futurum absolutum?

Diuisio, & definitio futuri absoluti inquiritur in præsenti, quia diuisio inseruit ad venandam definitionem rei, vt dicitur *in Sūmulis*; vt tamē distinctiùs procedamus.

§. I.

Assertur diuisio futuri, vt sic.

1 Quoad 1. Futurum aliud est necessariū; aliud cōtingēs.*Ita Fūd.Doct.q.10.de Cog.Ang.*Necessariū est illud, *quod oritur à causa necessaria,& ad vnū determinata*; vt lux à sole; cōtingēs est illud,*quod habebit esse à causa impedibili.*Notat autem *Doct.ibid*;quòd nullum futurum est necessarium simpliciter secundùm rationes particulares; quia quælibet causa creata est impedibilis à Deo, & secūdùm rationes particulares est subiecta mutationi, & variationi;vt motus solis, qui est à Cœlo, quod est causa necessaria, fuit impeditus tempore *Iosue*,& Eclipsis Solis *in passione Domini* fuit in plenilunio;igitur necessarium simpliciter attenditur solùm secundùm rationes vniuersales; vt *triangulus habet tres angulos*. Cùm ergo futuritio importet existentiam, quæ est prædicatum particula e importās conditiones indiuiduātes, quę sūt *hic*,& *nunc*,& quę cōueniūt creaturę;nō enim dicitur res futura per ordinē ad existētiam *vt sic*, sed in ordine ad propriam existentiam in particulari, quæ solùm contingenter conuenit creaturæ; ideo nullum futurum est simpliciter necessarium; sed tantùm dicitur necessarium attento ordine, & natura ipsius causæ, quæ, vtpotè ad vnum determinata, ex se habet necessariò producere talem effectum.Vnde propositiones, in quibus prædicatur aliquod prædicatum vniuersale,dicuntur necessarię simpliciter,quia appellant supra essentiam, quæ coalescit ex prędicatis vniuersalibus, & est necessaria, & immutabilis;propositiones verò, quæ enunciant gradus particulares,sunt contingentes, quia appellāt supra existentiā creaturę mutationi subiectā.

2 Ex hac doctrina habetur,quòd futurū cōtingēs aliud est impedibile ab extrinseco, quod *est à causa, quæ potest ab alia causa impediri ita tamen, vt illa causa non habeat ab intrinseco potentiam ad illud non ponendum*,vt fructus dicitur contingens ab extrinseco respectu plantæ, quia licèt planta non habeat ab extrinseco potestatem ad illud non producendum,sed sit naturaliter determinata ad productionēm illius;attamē potest impediri, vel à Deo, vel à Cœlo, vel ab alia causa extrinseca;& hoc dicitur futurum cōtingens determinatum; quia habet esse in causa ad vnum determinata; seu specialiter dictum, idèst secundùm aliquam rationem. Contingens ab intrinseco est illud, quod *prouenit à causa liberè operante,quæ ita illud operatur,vt possit illud non operari*;& ideo dicitur impedibile ab intrinseco, quia causā, à qua oritur, intrinsecè potest impedire euentum illius, & hoc dicitur cōtingens liberum, seu generaliter dictum, idèst secundùm omnem rationem.

3 Futurum contingens liberum aliud est absolutum,& aliud conditionatum. Absolutum est illud, *quod erit in aliqua differentia temporis independēter à cōditione*,vt Antichristus erit. Cōditionatū est illud,*quod erit posita aliqua cōditione*;vt si Christus prædicasset *Tyrijs*,cōuersi fuiss.

4 *Aliqui* dicunt futurum conditionatum esse illud,quod pendet à conditione non ponēda;nam si conditio ponatur,est futurum absolutum,vt Incarnatio ex cōditione peccati. In hoc sensu accipiunt *Recentiores* futurum conditionatum; vt loquitur *Godoy disp.33. §.8. n. 81*; & plures *alij*.Sed non videmus;quarè etiam in statu existentiæ actualis nō possit admitti aliquod conditionatum; cùm nequeat negari dari in statu actualitatis aliquod ita dependens ab alio in esse,vt si tollatur illud,tollatur etiam istud,vt v. g.existentia accidentis,quæ essentialiter dependet ab existentia substantiæ; vnde accidens non dicitur absolutè existēs, aliter existeret solutum ab omni alio;& ideo sine substantia.Nec verum est, quòd futurum conditionatum posita conditione transeat in absolutum; licèt enim posita conditione fiat existens,& definat esse futurum, non tamen desinit esse conditionatum,quia non soluitur à conditione; cùm etiam in statu actualitatis stet sub conditione actuali; sicut enim futurum absolutum ex eo, quòd trāseat ad actualēm existentiam,desinit esse futurum, nō tamen desinit esse absolutum;ita à pari.

5 Satius ergo dicendum; quòd futurum conditionatum aliud est, quod dependet à conditio-

ditione ponenda, & fit actu existens; & aliud, quod dependet à conditione non ponenda, & nunquam fit existens. Ratio huius est. Sicut res absoluta potest considerari, vel in statu possibilitatis, vel futuritionis, vel existentiæ, ita res cõditionata potest considerari, vt possibilis, vt futura, & vt existens, quia nedum est possibilis res secundùm se, sed etiam vt connexa cum alia, & dependens ab illa tanquam à causa; vt nedum fuit futura conuersio *Tyriorum* dependenter à prædicatione Christi, sed etiam fuit possibilis cum tali depẽdentia, & potuit poni in actu cum eadem dependentia; sicut enim nihil est existens tempore præsenti, quod non fuerit futurum tẽpore antecedente; ita nihil est futurum, quod non fuerit possibile; impossibile enim nec futurum, nec existens esse potest; & sic sicut nihil est possibile, quod non potuerit esse futurum; ita nihil est futurum, quod non potuerit esse actuale, hæc enim tria se se respiciunt per ordinem, & sibi possunt succedere. Quod valde obseruandũ est; dirimit enim plura, quæ confundunt *Recentiores; vt infra quæst. seq.*

6 Futurum conditionatum aliud est disparatum, quod nullam habet connexionem cum conditione; vt *si percussisses terram quinquies, aut sexies, siue septies percussisses Syriam vsque ad cõsumptionem; Reg. 4. c. 13.* Aliud est connexum cum conditione; vt *conuersio Tyriorum cum prædicatione Christi Domini.*

7 Futurum connexum cum conditione aliud est connexum infallibiliter metaphysicè; vt *voluntas efficaciter præmota, vel vt præuisa per scientiam mediam, quòd sit præstitura consensum, infallibiliter operabitur,* ne frustretur gratia, & scientia; quamuis secundùm se possit non operari. Aliud est connexum solùm moraliter; vt *si homo grauiter tentetur sine speciali adiutorio Dei succumbet.* Aliud est connexum solùm probabiliter; vt *si tempus crastinum erit nubilosum, pluet.* Aliud solùm dubiè, & omnino contingenter; vt *si Petrus viuet, fiet doctus.*

8 Tandem futurum tam absolutum, quàm conditionatum aliud est futurum positiuè, quòd est volitum positiuè à Deo; aliud futurum negatiuè, quod est non futurum per nolitionem, qua Deus vult illud non esse.

Hic quærimus solùm de futuris absolutis, acturi *in seq. quæst.* de conditionatis.

8 Quoad 2. Tantam difficultatem secum præfesert tempus, vt *Beatiss. P. Aug. 11. Confess. c. 14.* dixerit se nescire quærenti, *quid est tempus*, respondere; quamuis illud nullo interrogante rectè perciperet. Hinc quia absolutum futurum inuoluit futuritionem, quæ est vna ex differentijs temporis, fuit in causa, quòd *Auctores* circa rationem formalem constitutiuam futuri absoluti in tot abierint sententias; vnusquisque sibi statuens, quid ipse sentiret, non quod alijs suaderet; vt facilè non sit omnium placita colligere in examen, & illa dissoluere.

§. II.

Quænam sit ratio constitutiua futuri absoluti?

SEptem sententias enumerat *Nic. Martinez hic contr. 3. disp. 1. sect. 1*; quæ tamen reduci possunt ad infra assignandas. Igitur.

10 *Aliqui* volunt futuritionem absolutam importare negationem existentiæ de præsenti, & ipsam existentiam pro tempore subsequenti. Hos refert *noster Gibbon hic disp. 25. dub. 1. n. 2.*

Sed hæc sententia nedum est contra Auctoritatem *SS*; & communem modum loquendi *DD*; sed etiam contra rationem.

Primò quia negatio existentiæ pro tempore præsenti conuenit nedum futuro, sed etiam præterito, & à fortiori conuenit possibili, quòd magis distat ab existentia, quàm futurum, vt patet; ergo sola differẽtia constituens futurum absolutum est existẽtia habenda suo tempore subsequente. Tunc sic. Vel habitio existentiæ suo tempore conuenit rei futuræ ex se ipsa intrinsecè independenter à quacunq; determinatione causæ siue creatæ, siue increatæ; vel dependenter à determinatione causæ suæ creatæ, siue increatæ? Si primum; ergo illud suo tempore erit existens independenter à causa increata, & creata; nam eo modo res existit in tempore præsenti, quo modo fuit futura in tempore antecedenti; ideo enim fructus in tempore præsenti existit dependenter à causa necessaria creata, & à causa libera increata; quia pro tempore antecedenti, pro quo erat futurus, dicebat ordinem ad existentiam cum tali dependẽtia, quam quia essentialiter creatura importat, ideo ab illa nequit absolui, in quocunque statu ponatur; sed consequens est falsum, repugnat enim creaturam existere independenter à Deo, sicut repugnat non habere esse à Deo; dependentia enim sumitur ex receptione esse; ergo & falsum est antecedẽs. Si secundum; ergo futuritio non importat præcisè negationem existentiæ pro tempore antecedenti, & existentiam pro tẽpore subsequẽti.

Secundò Vel hæc negatio, & existentia est seclusa voluntate Diuina, vel non? Si primum; ergo, quòd res sit futura, seu quòd res non existat, vel existat, est præter voluntatem Diuinam; nam quia creaturam possibilem non existere posse tamen existere est præter voluntatem Diuinam, ideo possibilitas, seu negatio existentiæ actualis cum indifferentia ad existendum, vel ad non existẽdum est præter voluntatem Diuinam; rem autẽ esse futuram, & existentem præter voluntatem Diuinam repugnat in terminis, aliter esset à Deo, & non esset à Deo. Si secundum; ergo præter negationem existentiæ, & existẽtiam suo tempore habendam inuoluitur conformitas ad voluntatem Diuinam.

Tertiò. Negatio existentiæ cum ordine ad existentiam suo tempore habendam est ad ipsam

ſam exiſtentiam determinatè;non enim eſt indifferenter ad exiſtentiam, & non exiſtentiam; aliter futurum non diſtingueretur à poſſibili; quia poſſibile de facto eſt cum negatione exiſtentiæ cum indifferentia ad illam habendam, vel non habendam; ſiue cum ordine ad exiſtentiam indifferenter;ſed determinatio ad exiſtentiam nequit eſſe ab ipſa re, quæ dicitur futura; aliter non eſſet ratio, cur creatura, quæ de facto eſt poſſibilis, non poſſit determinare ſe ipſam ad habendam exiſtentiam determinatè in aliqua differentia temporis; ſicut creatura, quæ de facto eſt futura, ex ſe ipſa determinauit ſe hoc modo ad exiſtentiam; cùm enim ſe determinauit, erat merè poſſibilis; neque determinatio ad exiſtentiam pro aliqua differentia temporis poteſt eſſe ab ipſo tempore præſenti,& ſubſequenti propter eandem rationem; quia poſſibile à tempore præſenti, & ſubſequenti nequit accipere hanc determinationem;tum quia res non eſſet determinatè futura,vel exiſtens dependenter à voluntate Dei, ſed dependenter à tempore præſenti,& ſubſequenti, determinatio enim futuritionis haberetur à tempore, non à Deo; ergo hæc determinatio indiſpenſabiliter eſt à voluntate Diuina; & per conſequens futurum abſolùtum nequit formaliter conſtitui per ſolã negationem exiſtentiæ de præſenti cum ordine ad exiſtentiam pro tempore ſubſequenti.

Quartò. Poſſibile, *vt* poſſibile, nequit formaliter conſtitui per aliquod præciſiuum à potentia potente illud cauſare,vt patet ex ipſo vocabulo importante ipſam potentiam; ergo neque futurum poteſt conſtitui per aliquod in ſe ipſo formaliter præſcindendo à cauſa potente illud ponere in eſſe.

Quintò. Iſta negatio exiſtentiæ, & ordo ad exiſtentiam debent fundari in aliquo eſſe; negatio enim fundatur ſuper aliquod poſitiuum; aliter daretur negatio negationis, & ordo, cùm ſit relatio, eſſentialiter fundatur ſuper abſolutum; ſed hoc eſſe fundans hanc negationem, & hunc ordinem nequit eſſe poſſibile, quia poſſibile fundat negationem exiſtentiæ,& ordinem ad exiſtentiam indifferenter, & ideo poſſibile, vt poſſibile,nequit fundare ordinem ad exiſtentiam determinatè; ergo eſt eſſe futurum; ſed eſſe fundans negationem, & hunc ordinem præſupponitur ad negationem, & ordinem, quia fundamentum præſupponitur ad id, quod in eo fundatur;ergo iã præſupponitur futurũ ante talẽ negationem, & ordinem; & per conſequens nequit formaliter conſtitui per illam, & iſtum.

Tandem quia *SS.PP;* & *DD.* explicant futurum per ordinem ad determinationem cauſarum; vt *infra* patebit; ergo nequit formaliter conſiſtere in ſola negatione exiſtentiæ pro tempore præſenti cum ordine ad exiſtentiam pro tempore ſubſequenti.

Ex his manet reiecta futuritio formalis, quam vocant *Recentiores* futuritionem rei in ſe ipſa præciſo omni reſpectu ad cauſam.

11 *Alij* propter auctoritates SS. PP; & DD.diſtinguunt duplicem futuritionem; aliam vocãt cauſalem, quam habet res,prout conſideratur in ſua cauſa cum ordine ad eſſendum extra illam; aliam formalem, quam habet res in ſe ipſa formaliter, prout conſideratur extra cauſam; & hanc diſtinctionem fundant in doctrina *D.Tho.q. 12. de Verit.art. 10. ad 7. Aliquid poteſt dici eſſe futurum, non ſolùm ex hoc, quòd erit; ſed quia ita ordinatum eſt in cauſis ſuis, vt ſic ſit futurum.*Hanc tenet *Martinez vbi ſ.ſect.2. concl.4;* vbi ait de futuritione cauſali. *Nihilominùs omnia futura, ideo ſunt futura futuritione in cauſa, quia in cauſa prima ab æterno fuit, vt fierent; nempe bona prædefiniendo, & mala permittendo;* quam dicit eſſe opinionem *P.Sua.*

Sed hæc ſententia quantùm ad futuritionem formalem ſufficienter impugnata eſt. Ad doctrinam *D.Tho.* dicitur, quòd non eſt intelligenda diſiunctiuè ita, vt diuidat futurum in id, quod eſt in cauſa, à futuro, quod eſt extra cauſam; ſed coniunctiuè ita, vt ad rationem futuri nedum requiratur eſſe in cauſa, ſed etiam ordo ad eſſendum extra cauſam pro tempore ſubſequenti cum negatione exiſtentiæ actualis pro tempore præſenti. Igitur ſi ſcindantur hęc duo, vtrinque ſcinditur ratio futuri; & cùm ſit duplex futurum, nullum omnino remanet. Sicut cùm dicitur, quòd intellectus *eſt potentia dicens ordinem ad verum,*ſi quis diuideret potentiam ab ordine ad verum, tolleret intellectum;& è contra ſi quis ſumeret ſolùm ordinem, non habet conceptum potentiæ intellectiuæ.Sic futurum eſt illud, quod habet eſſe in ſua cauſa cum ordine ad illud habendum in determinata differentia temporis; qui ſumit futurum, prout dicit eſſe in cauſa ſine ordine ad illud habẽdum extra cauſam,non habet conceptum futuri; quia eſſe in cauſa non eſt futurum, ſed actualiter; non enim cauſa eſt in potentia ad habendum in ſe ipſa eſſe effectus; & ſi quis ſumit ordinem præciſè ad eſſe in ſe ipſo in aliqua determinata differentia temporis, non habetur, à quo habeatur illa determinatio, vt dictum eſt; ſine qua nequit ſaluari ratio futuri.

12 *Alij* volunt futuritionem abſolutam formaliter ſumptam conſiſtere in ſcientia viſionis, vt exiſtente in tempore antecedente ad exiſtentiam rei. *Ita Thyrſus 1.p. Tom. 1. diſp. 18. ſect.4. n.23. concl.3.*

Sed hæc ſententia intolerabilis eſt. 1. Si ſcientia viſionis, vt exiſtens in tempore antecedente ſufficeret ad futuritionem formalem ipſius rei, ſufficeret etiam ſe ſola ad exiſtentiam actualem rei, prout exiſtit in tempore, in quo eſt exiſtentia rei; adhoc enim, vt aliquod futurum abſolutum ponatur in eſſe actualis exiſtẽtiæ, ſufficit, quòd adueniat illa differentia temporis, in

qua

qua erit illius existentia; & nihil aliud requiritur ex parte Dei illi intrinsecè adueniens in tempore, cùm in tempore sola denominatio extrinseca ei adueniat, vt saluetur eius immutabilitas. Tum quia sicut sola coexistentia scientiæ visionis tempori antecedenti sufficit ad hoc, vt creatura transeat de statu possibili ad futuritionem absolutam; ita sola scientia visionis,vt coexistens tempori, in quo erit existentia rei, sufficit ad hoc, vt creatura futura transeat de futuritione ad actualem existentiam; cùm maior sit transitus de possibilitate ad futuritionem; est enim transitus ex indifferentia, & ex mera non repugnantia; quàm de futuritione ad existentiam; cùm futuritio sit omnino determinata ad existentiam, ad quam infallibiliter debet transire;sed hoc tollit à Deo rationem Creatoris; quia ratio Creatoris non importat solam coexistentiã Dei ad creaturam, coexistentia enim requiritur solùm, tanquam conditio, vltra quam exigitur communicatio ipsius esse; tum quia coexistentia conuenit Deo ratione æternitatis; ratione cuius habet coexistere cuicunque differentiæ temporis;per æternitatem autem non habetur formaliter ratio potentię productiuę; & ideo vltra coexistentiam potentia creatiua requirit aliquid aliud, per quod formaliter constituatur; ergo hæc sententia non est admittẽda.

Secundò.Scientia visionis per *istum Auctorem* est merè speculatiua; quia non est causa rerum, nam illas supponit causatas per scientiam simplicis intelligẽtię,ad quã sequitur posteà illas intuendo, vt existentes,& pręsentes,vt vult *disp. 36.sect.2*; ergo scientia visionis nequit esse causa formalis futuritionis absolutæ. Quod magis vrgetur. Scientia simplicis intelligentiæ, vel est causa futuritionis rerum, vel existentiæ, vel vtriusque? Si primum; ergo scientia visionis, quæ sequitur ad scientiam simplicis intelligentiæ, sicut futurum concipitur,vt posterius possibili, supponit res futuras; & ideo non est causa, vel ratio futuritionis illarum. Si secundum;ergo multò minùs scientia visionis potest causare futuritionem, aliter causaret futuritionem, postquam res fuit causata, vt existens à simplici intelligentia; & sic futuritio esset post existẽtiam; & ideo non distingueretur à præteritione. Si tertium; ergo scientia visionis supponit futuritionem iam causatam per scientiam simplicis intelligentiæ;& ideo illam non causat. Hoc totum fundatur in eo, quòd sicut possibile priùs concipitur, quàm futurum;& futurum priùs essentialiter concipitur, quàm existens; sicut existens priùs, quàm præteritum; ita scientia respiciens possibile, vt possibile,debet concipi priùs,quàm scientia respiciens futurum, existens, & præteritum; quod ab vllo sine confusione terminorum inficiari non potest.

Tertiò. Ita se habet scientia visionis respectu futuri absoluti, sicut scientia media respectu futuri conditionati; vt *hic docet in terminis*; sed scientia media supponit futurum conditionatum, quia, vtpote merè speculatiua, supponit suum obiectum; vt docet *disp. 14. sect. 7. n.82*; ergo scientia visionis supponit futurum absolutum, & per consequens futuritio absoluta nequit consistere formaliter in scientia visionis, vt existit in tempore antecedente ad existentiam rei; quia nulla res potest formaliter constitui per aliquod, quod est se ipsa posterius; cùm constitutiuum sit illud, quod est, & intelligitur primariò in ipsa re; vt habetur ex communi conceptu.

Quartò. Ideo decretum efficax nequit esse radix, seu ratio formalis constituens futuritionem absolutam actus liberi, quia ob suam infallibilitatem ortam ex efficacia inimpedibili lædit fallibilitatem actus, & euertit libertatem; sed non minùs est infallibilis scientia visionis infallibilitate orta ex summa immutabilitate, quæ pugnat cum fallibilitate, & mutabilitate actus, & ideo euertit libertatem; ergo idem de vtroque. Et si dicatur scientiam visionis supponere scientiam mediam,& sic non tollere libertatem; sic dici potest tale decretum efficax supponere scientiam mediam,& ideo libertati non officere. Imò magis officit libertati infallibilitas visionis, quàm infallibilitas decreti; quia infallibilitas visionis præciso decreto non est formaliter libera,cùm libertas sit formaliter in voluntate,& in eius actibus, radicaliter verò in actibus intellectus; sed magis lædit libertatem id, quod ei magis opponitur; & magis opponitur id,quod non est formaliter liberum; ergo infallibilitas visionis magis officit libertati, quàm decretũ efficax.

13 Nec eius ratio fundamentalis aliquod concludit; arguit enim sic. Pro priori ad scientiam non datur ab æterno denominatio futuri; ergo hæc prouenit, tanquam à forma, à scientia, quatenus repræsentat existentiam, quam habebit res pro tempore sequenti. Respondere enim possunt illius *Aduersarij*; quòd licèt futuritio absoluta non sit ante scientiam visionis,attamen est simul cum illa, quatenus per decretum efficax determinat ipsam rem fore, & per talem determinationem extrahit rem à statu suę indifferentiæ, quam habet in statu possibilitatis; & sic radix futuritionis non est scientia, nisi quatenus practica; non est autem practica, nisi per decretum efficax; vnde colligitur decretum esse radicem futuritionis. Præterea falsum est id, quod subdit in consequentia,scilicet sciẽtiam repræsentare existentiam; nam licèt scientia cognoscat existentiam, attamen illam non repræsentat; eum repræsentare competat formaliter Ideæ, non scientiæ; ergo hæc ratio nedum nititur in falso supposito,scilicèt non esse aliud simul cum scientia visionis; à quo possit desumi futuritio; sed etiam inconstanter vacillat, cùm transeat ad probandam futuritionem de-

desumi ab idæa, non à scientia.

Et sic reijciuntur omnes aliæ sentētiæ constituentes futuritionem absolutam in aliquo, quod non habet rationem causæ determinantis rem ad habendam existentiam suo tempore; vt v.g. in coexistentia æternitatis, in præsentia obiectiua ad intellectum Diuinum &c.

Alij tandem volunt futuritionem absolutam desumi penes decretum efficax Diuinæ voluntatis, quatenus determinat rem creare in aliqua differentia temporis determinatē sequenti, non præsenti; quia quando est præsens, non dicitur res ampliùs futura, sed actu existens. Ad rationē ergo formalē futuritionis absolutæ volunt requiri determinationē Diuinæ voluntatis, quæ determinatio nihil aliud est, quàm decretum efficax, quo decernit transferre creaturam à statu possibilitatis ad statum actualis existentiæ; requiri negationē actualis existētiæ pro illo tunc, seu pro illo præsenti, pro quo res dicitur futura, & requiri ordinem ad actualem existentiam habendam pro sequenti differentia temporis. *Ita communiter Thomistæ, & plures ex PP. Societatis*; nec ex hoc infertur aliquod præiudicium scientiæ mediæ; quia illud decretum efficax, cùm supponat præuisionem in statu conditionato independentem à decreto, supponit integrè scientiam mediam. Differunt ergo inter se, quòd illi negant omnem præuisionem futuri in statu conditionato independētem à decreto; volunt, enim quòd tota, & adæquata ratio futuritionis sit decretum; isti verò conformiter ad sua principia volunt, quòd futuritio absoluta supponat præuisionem ipsius futuri in statu conditionato; quia Deus priùs videt, quid factura sit voluntas cum illis auxilijs; & vidēs consensuram postea decernit dare illi talia auxilia.

15 Adhuc autem *inter Thomistas* sunt scissuræ; nam *Aliqui* volunt ipsum decretum esse rationem formalem constituentem intrinsecè ipsum futurum. *Ita Godoy hic disp. 33. §. 5. in resp. ad arg; Salm; & plures alij nobilissimi DD*; quos suppresso nomine citat *Ferrus hic q.7.§.4; & 5.* E contra verò *Alij* sentiunt, quòd quanuis requiratur indispensabiliter ad futuritionem decretum efficax, attamen hoc non est forma constituens ipsum futurum, sed forma constituens futurum est ipsa præsentia futuritionis, in qua verificatur, quòd erit, habens infallibilem connexionem cum sui existentia pro tempore subsequenti. *Ita Ferrus vbi sup.* referens alios pariter suppresso nomine.

Sed hæc sententia, quanuis secundùm aliquid vera sit; attamen modus explicandi Diuinum decretum falsus est, nec *iuxta mentem Beatiss. P. Aug*; qui non admittit decretum prædeterminans voluntatem creatam ad ipsam volitionem, sed solùm decretum inspirans ipsum actum bonum, vt à nobis latè ostendetur *in sequenti quæst*; nec iuxta doctrinam *Concilio-rum, & Antiquissimorum DD.*

Quoad verò sententiam *Ferri* est omnino falsa, nec congruit *doctrinæ Thomisticæ*, quia formaliter coincidit cum prima sententia; & impugnatur iisdem rationibus: nam præsentia temporis, quæ competit futuritioni, non est sufficiens ad constituendum formaliter futurum, vt dictum est; tum quia futurum nedum importat connexionem infallibilem pręsentię futuritionis cum existentia habenda, sed importat ipsum esse ponendum in tempore subsequenti; quod esse, si consideretur, vt actu non existens, & existendum posteà, constituit formaliter futurum; sed illud esse, quod actu non existit, erit tamen posteà, est in ipsa causa, vt determinata ad illud ponendum posteà; ergo futurum formaliter constituitur per ipsum decretum. *Vid. sup. n. 10.*

16 Vnica concl. Futuritio absoluta importat formaliter esse, quod habet res in sua causa cum modo relatiuo, seu cum determinatione ad illud habendum in subsequenti differentia temporis.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. lib. 26. contr. Faust. c. 4. Porrò si audiam, quòd aliquid futurum erat, sed Deus fecit, ne fieret, fidissimè respondebo, illud potiùs futurum erat, quod Deus fecit; non illud, quod si futurum fuisset, hoc fecisset.* Ex quo sic. Illud futurum erat, antequam fieret, quod Deus fecit; sed illud, quod Deus fecit, antequā fieret, erat in Dei voluntate, tanquam in causa; quia effectus, antequā fiat, nō habet aliud esse, quàm in causa; ergo futurū absolutum importat formaliter esse determinatum in causa cum ordine ad illud habendum extra causam.

Et lib. 6. sup. Gen. ad lit. c. 17. Hoc autem necessariò futurum est, quod ille vult. Et infra. *Secundùm quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam &c. Secundùm aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat; secundùm illas autem, quæ sunt in voluntate, & præscientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quid illo tempore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitam, quando finiuit.* Vbi distinguens duplex futurum, scilicet, quod habet esse respectu causæ creatæ, & respectu Dei, vocat illud simpliciter futurum, quod habet esse in causa, quæ à nullo potest impediri, ne ponatur existentia sei tempore subsequenti; sed hęc est voluntas Dei, quæ à nullo potest impediri; causa enim creata, quæ est inferior ad Deum, potest impediri vel à Deo, vel ab alia causa; & ideo futurum respectu causæ creatę dicitur tantùm futurum secundùm quid, & ex suppositione determinationis voluntatis Diuinę; sic enim redditur inimpedibilis causa creata; ergo futuritio absoluta simpliciter constituitur solùm per decretum efficax Diuinæ voluntatis, seu per scientiam visionis, quatenus inuoluit decretum, & quatenus ratione illius determinatur ad causan-

dum in tempore subsequenti.

17 Idem docet *Fundat. Doct. q.10. de cog. Ang.§. Propter primum. Futura non sunt in se ipsis, sunt tamen in suis causis; ex hoc enim dicitur aliquid futurum, quia non est secundùm se, sed in sua causa habet aliquem ordinem, vel aliquam aptitudinem, vt fiat*. Quibus verbis nedum refert in terminis nostram sententiam, sed etiam affert rationem allatam *à Beatiss. P. Aug.* primo loco; scilicet. Illud est formaliter futurum, quod habet esse in sua causa cum ordine, seu aptitudine ad illud habendum extra causam pro determinato tempore subsequenti; sed esse, quod habet effectus in causa, est esse ipsius causæ, prout participabile ad extra; ergo futurum formaliter importat esse ipsius causæ cum ordine, seu aptitudine ad illud habendum extra causam pro tempore subsequenti determinato. Ma. patet; nam denominatio futuri non cadit nisi super esse, quod habebit effectus; sicut denominatio præsentis cadit super esse, quod habet effectus in se ipso extra causam; & denominatio præteriti super esse, quod habuit, & non habet; nec cadit supra solam differentiam temporis coexistentis causæ pro eo tunc, quo non est effectus; quia differentia temporis secundùm se ipsam est præsens causæ, nec dicitur futura, nisi ratione esse, quod non est; ipsa autem est, si coexistit; quapropter docet *Beatiss. P. Aug. lib. 11. Confess. c. 20*; quòd tam futuritio, quàm præsentia, & præteritio, si sumantur secundùm se, important præsentiam. *Fortasse propriè diceretur; tempora sunt tria; præsens de præteritis, præsens de præsentibus, & præsens de futuris*; & ideo solùm respectu esse, quod habebit, habet, & habuit res, dicitur futura, præsens, & præterita; esse autem, quod habet causa, non debet sumi absolutè secundùm se, quia hoc modo sumptum est præsẽs, cùm actu sit; sed debet sumi relatiuè ad extra ad differentiam temporis, in qua non est, sed erit; ergo illud est formaliter futurum, quod habet esse in sua causa cum ordine, aptitudine, seu modo relatiuo ad illud habẽdum extra causam. Mi. patet; nam ex eo, quòd aliqua causa sit determinata ad producendum aliquem effectum pro tempore subsequenti, non est esse illius effectus extra causã pro illo tempore antecedẽte actualem productionem; quid enim est rosa extra truncum, quando est in sola potentia suæ causæ? Secus si effectus haberet aliquod esse extra causam, iam non esset futurum, sed existens; & sic cùm creatura sit futura ab æterno, iam haberet aliquod esse ab æterno extra Deũ, & sic secundùm illud non esset futura, sed præsens; quia futuritio dicit negationem esse, sicut præsentia positionem actualem; sed esse, quod habet effectus in causa, est in causa, & quod est in causa, est esse ipsius causæ; sicut quod est extra causam, nõ est esse ipsius causæ; & esse, quod habet effectus in causa, non est esse causæ, prout imparticipabile, quia sic nõ esset esse ipsius effectus, esse enim effectus est illud, quod potest participari à causa; ergo esse, quod habet effectus in causa, est esse causæ, prout participabile ad extra.

Conf. Possibilitas creaturæ non importat formaliter, nisi esse, quod habet creatura in Deo, cum modo relatiuo ad extra sub indifferentia ad esse, & non esse; vt ostendimus *To. 1. de Omnip. Dei art. 4*; ergo futuritio nõ importat formaliter, nisi esse, quod habet creatura in Deo, cum modo relatiuo ad illud habendum determinatè in subsequenti differentia temporis; per hoc enim futurum sufficienter distinguitur à possibili, præsenti, & præterito, vt patet. *Vid rationes allatas vbi s.*

Prob. tandem illis rationibus, quibus impugnatæ sunt aliorum sententiæ; facilè enim aptari possunt ad probandam nostrã conclusionẽ.

18 Hæc sententia traditur expressè *à D. Tho. de Verit. q. 2. art. 12. ad 7. Cùm dicitur, hoc est futurum, vel fuit futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei ad productionem eius.*

19 Obijc. 1. *Ferrus*. Decretum Dei non respicit primariò præsentiam futuritionis, sed existentiam actualem rei; decernit enim Deus dare esse actuale rei; ergo nequit esse ratio formalis constitutiua futuritionis. Tum quia Decretum nequit esse ratio formalis constitutiua præteritionis; ergo neque futuritionis.

Resp. dist. 2. part. ant. Respicit primariò existentiam habendam tempore subsequenti, conc; habitam actu, neg. Existentia ergo habenda est constitutiuum futuri; quæ existentia, cùm non sit extra causam, sed in causa, nihil aliud est, quàm ipsum esse causæ cum ordine ad essendum extra ipsam. Ad 2. resp. *Godoy hic disp. 33. §. 4. n. 34.* neg. conf; & disparitas est, quia existẽtia præterita, cùm fuerit extra causas producta, potest fũdare denominationẽ præteriti; at verò futuri, cùm nihil sit extra Deum, nequit fũdare denominationem, nisi per aliquod infra Deum.

Inst. Participium de præterito potest ampliare subiectum ad id, quod est, vel fuit; ergo participium de futuro potest ampliare subiectũ ad id, quod erit.

Resp. idem neg. conf; in tantùm enim participium de præterito ampliat subiectum inquantũ existentia fuit extra causam; refert enim rem, quæ modò est præterita, ad illam differentiam temporis, in qua erat actu existens extra causam; participium verò de futuro non potest hoc modo referre, quia differentia, in qua erit actu existens, non est actu extra Deum. Nescimus, quomodo hæc responsio possit congruere huic *Auctori*, qui tenet omnes differentias temporis simul actu esse præsentes in æternitate. Quanuis possit rectè tenere in nostra sẽtentia.

Resp. tamen 2. neg. ant. Sicut enim decretum, seu nolitio creaturarum possibilium fundat futuritionem negatiuam, *vt infra*, ita decretum, quo vult Deus aliquod non existere post existentiam, fundat præteritionem, & ideo partici-

pium

pium de præterito non ampliat ad id,quod eſt, vel fuit, ſed appellat Diuinum decretum, quo fit,vt non ſit poſt exiſtentiam. Hæc eſt doctrina *Beatiſs. P. Aug.lib.26.cont.Fauſt.c.5*; vbi ait:*Sententia, qua dicimus aliquod fuiſſe, ideo vera eſt, quia illud,de quo dicimus,non eſt*; & paulò poſt. *Quòd ſi quæras, vbi ſit hæc ſententia, priùs inuenitur in animo noſtro,cùm id verum ſcimus,& dicimus;& ſi de animo noſtro ablatum fuerit,cùm id,quod ſcimus,obliti fuerimus, manebit in ipſa veritate;ſemper enim verum erit fuiſſe illud,quod erat,& non eſt,& ibi verum erit iam fuiſſe,quod erat, vbi verum erat,antequam fieret, futurum eſſe,quod non erat.*

20 Obijc. 2. *Sua.* Habere eſſe in cauſa eſt aliquod præſens, non futurum; ergo futuritio non conſiſtit in determinatione cauſę.Prob.ant. 1.Si habere eſſe in cauſa eſſet idem,ac eſſe futurum,ſequeretur,quòd Angelus poſſet naturaliter cognoſcere futura:poteſt enim comprehendere cauſam;ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens. 2. Sequeretur,quòd Deus non cognoſceret infallibiliter futura, quæ habent eſſe in cauſa indifferenti ad vtrumlibet, vel ad ſummum ea cognoſceret in cauſa, vt inclinata, & propēſa,quod non eſt cognoſcere certò. 3. Poſſet aliquid fieri in tempore,quod antecedenter non erat futurum, quia tempore antecedente non erat inclinatio in cauſa; vel è contra poſſet aliquod eſſe futurum,quod tamen nunquam eſſet præſens,quia cauſa inclinata, prout libera, poteſt illud actu non ponere. 4. Eſſe in cauſa eſt aliquod prius,quàm eſſe futurum,nec eſt idem ſynonimè eſſe in cauſa, ac eſſe futurum, ſicut nō eſt idē rē eſſe poſſibilē, ac habere eſſe in cauſa, aliter denominatio poſſibilis eſſet extrinſeca rei;extrinſecè enim proueniret à potētia cauſæ.

Reſp.diſt.ant.Habere eſſe in cauſa abſolutè eſt aliquid præſens, cōc;relatiuè ad exiſtentiā habendam,neg. Ad 1.neg.ſeq. Angelus enim nequit comprehendere cauſam, quia cognitio comprehenſiua eſt propria ſolius Dei; vt diximus *To.1.de Inuiſib.q.4.art.1*; & ſi poſſet comprehendere cauſam procul dubio cognoſceret omnia futura. Ad 2.neg.pariter ſeq; nam cauſa determinata nedum importat inclinationem, ſed importat omnes actus, quos poteſt elicere; determinatio enim potentiæ habetur ſolùm per actum;quia *actus eſt,qui determinat ex Phil*; vnde Deus cognoſcens ſuam voluntatem decernentem omnes actus eliciendos à noſtra voluntate,cognoſcit noſtram voluntatē cum omni ſua determinatione, quam habebit, & ideo infallibiliter cognoſcit,*ſed de hoc infra*. Ad 3.neg. ſupp; cauſa enim determinata non dicit cauſā ſolam inclinatam, & propenſam; nam cauſa inclinata,quanuis propendat magis in vnam partē,quàm in aliam, attamen eſt indifferēs vſquedum non habeat actum, à quo ſolùm determinatur.Ad 4.neg. antecedens quoad omnes partes; nam poſſibile idem eſt, ac eſſe in cauſa cum modo relatiuo ad eſſendum extra cauſam indifferenter; & ſic futurum eſt idem,ac eſſe in cauſa cum modo relatiuo ad eſſendum extra cauſam determinatè in aliqua differentia temporis.

21 Obijc.3. In hac propoſitione: *Antichriſtus erit*; nulla realitas de præſenti enunciatur, quia enunciatur ſola exiſtentia ſuo tempore habenda; ergo negatio exiſtentiæ actualis cum ordine ad exiſtentiam habendam conſtituit formaliter futurum. Prob.ant. 1. *ex Beatiſſ.P.Aug. 10.Confeſſ.c.20.dicitur præſens de futuris,præſens de præſentibus,& præſens de præteritis*;ergo ſola præſentia negationis de præſenti cum ordine ad præſentiā de præsēti conſtituit futurum.2.In hac propoſitione:*Adam eſt præteritus*;nihil enūciatur de pręſenti;ergo & in propoſitione de futuro.

Reſp.diſt.ant.Nulla realitas enunciatur de præſenti extra Deum, conc; intra Deum; neg. Ad 1.prob. dicitur *Beatiſſ.P.* nihil aliud velle, quàm quòd tam exiſtentibus, quàm futuris, & præteritis, conueniat aliqua præſentia temporis; nam hoc tempus præſens coexiſtit negationi exiſtentiæ Adæ; qui eſt præteritus, & negationi exiſtentiæ Antichriſti, qui futurus eſt; & exiſtentiæ actuali Angeli; ergo per ſolam præſentiam nequeunt diſtingui futurum, exiſtens,& præteritum;cùm eadem præſentia poſſit coexiſtere omnibus; & ideo per ſolam præſentiam nō conſtituuntur; quia *idem eſt diſtinctiuū, & conſtitutiuum*. Ad 2.diſt.eodem modo. Nihil enunciatur de præſenti extra Deum,conc; intra Deum,neg;enunciatur enim decretum voluntatis Diuinæ, quo Deus vult Adam non eſſe exiſtentem.

22 Obijc. 4. Futurum nequit conſtitui à decreto in genere cauſæ formalis; ergo neque à determinatione cauſarum ſecundarum. Prob. ant. 1. Decretum dat denominationem politi; ergo nequit dare denominationem futuri. 2. Futurum eſt obiectum decreti; quia Deus vult ab æterno rem eſſe futuram; ergo nequit eſſe effectus formalis decreti; ſicut obiectum potentiæ viſiuæ nequit cōſtitui formaliter per ipsā viſionem. 3. Si decretum conſtitueret futurum, etiam ſciētia viſionis conſtitueret futurum,quia eſt cauſa futuri,vt diximus *art.1*,ſed hoc eſt falſum; quia Deus nedum videret futura in decreto, ſed etiam in ſua ſcientia; & ſic eius ſcientia eſſet reflexiua,quod nullus dixit.4. Omnis effectus formalis debet habere cauſam efficientem; ſed decretum nequit habere cauſam efficientē; quia hæc non poſſet eſſe,niſi ipſum decretum,& ſic decretum cauſaret ſe ipſum; præterquam quod decretum eſt increatum, & ideo ei repugnat habere cauſam;ergo decretum nequit eſſe ratio formalis conſtituens futurum.

Reſp.neg.ant.Ad 1.prob.dicitur,quòd volitum ſecundùm diuerſas rationes habet rationem futuri,præſentis,& præteriti; ergo ſi decre-tum

tum dat denominationem voliti, secundùm diuersos respectus dat denominationem futuri, præsentis,& præteriti. Ad 2.dist.ant. Futurum, vt ponendum ad extra, est obiectum decreti, cõc;secundũ esse,quod dicit ad intra,neg.Quãuis ergo futurum secundùm illud esse, quod ponetur ad extra,& ad quod refertur ad extra,non constituatur per decretum;attamen secundùm illud esse,quod habet in causa, prout est in causa cum solo modo relatiuo, constituitur per decretum; nam futurum, quia plures inuoluit rationes,ideo non est mirum,quòd secundùm vnã rationem sit obiectum, & secundùm aliam sit effectus formalis decreti. Ad id de potentia visiua neg. paritas; nam potentia visiua non facit suum obiectum, ideo nequit esse constitutiua illius neque in facto esse, neque in fieri; quòd si faceret suum obiectum, sicuti per extrinsecam actionem illud constitueret in facto esse; ita per determinationem ad illud faciendum pro tempore subsequenti constitueret illud futurum. Ad 3.neg. ma; quia scientia non est causa futuri ratione sui, sed tãtùm ratione decreti,cui coniungitur, vt diximus *in superiori art.* Ad 4.dist. ma. omnis effectus formalis realiter distinctus à sua causa,conc;realiter identificatus cum sua causa, neg; nam dicimus, quòd summa intellectualitas est effectus formalis summæ immaterialitatis,& tamen nec ista, nec illa habent causam efficientem; quia conueniunt soli essentiæ Dei, quæ est increata.

23 Obijc.5. Decretum nequit esse ratio futuritionis peccati;aliter Deus esset Auctor peccati;ergo nequit esse ratio futuritionis rerum.

Resp.dist.ant.Decretum permissiuum,neg; positiuum,cõc. Ad prob.insertam dicitur, quòd solùm decretum positiuum, quo Deus vult res, constituit Deum Auctorem illius; decretum autem permissiuum,quo Deus negatiuè tantùm se habet,non constituit *Auctorem*; *Auctor* enim est causa operans positiuè,permittens autem nõ operatur,sed non operatur; vnde sicut operatio constituit *Auctorem*; ita non operatio constituit non *Auctorem,sed de hoc infra.*

24 Colligitur ex dictis futurum simpliciter,quod dicitur solùm respectu Dei,infallibiliter fore;futurum verò secundùm quid,quod dicitur solùm respectu creaturæ, posse non euenire.Primum traditur *à Beatiss.P.Aug.lib.6.contr. Faust.c.4.*docente:*Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita.* Secundum traditur ab eodem *lib.6.sup.Gen. ad lit.c.17*;vbi exponens *illud Isaiæ 38. de morte Regis Ezecchiæ:Hæc dicit Dominus,morieris enim tu,& non viues*; ait: *Secundùm aliquas igitur causas inferiores iam vitam finierat; secundùm illas autem, quæ sunt in voluntate, & præscientia Dei, qui ex æternitate nouerat, quid illo tẽpore facturus erat, & hoc verè futurum erat, tunc erat finiturus vitam,quando finiuit*. Hoc prosequitur etiã *c.18.*

A R T. III.

An Deus cognoscat infallibiliter futura libera absoluta?

1 Error fuit *Epicureorum*, qui,vt testatur *Beatis.P.Aug.lib.5.de Ciuit.c.9*;vt saluarent libertatem in homine, negarunt Deo præscientiam futurorum, & per consequẽs prouidentiam;prouidentia enim, vt vertit *Fundat. Doct.*;idem est,ac *procul videntia* eorum, quæ nõ dum sunt.Hunc errorem secutus est *Cic.lib.2.de Diuinat*,de quo ait;*ibid.Sanctiss.P.Dum vult facere liberos, facit sacrilegos*; vnde, vt saluaret libertatem in homine, in eum sacrilegium inuexit; quia in mentibus hominum statuere studuit sententiam lædentem supremam Diuinitatis scientiam. Hæc sententia tribuitur etiam *Arist.* à *DD.Clem.Alex.*;*& Greg.Niss.*;nec non à nostris *Greg.Arim.*;*& Coquæo*; licèt *D.Thoq.2.de Verit. art.2.& 3.*;asserat *Arist.*negasse solùm Deum cognoscere res extra se. Sed illam apertè sequitur *Auuer*; vt diximus *q.1.art.1.§.2.n.22*;*& Aphrodisæus apud nostrum Franc. à Christo in 1. disp. 38. q. 6.*

2 *Stoici* quoque negarunt Deo scientiam futurorum,sed alia via *Epicureis* opposita; nam isti dicebant dari actus liberos, qui non cognoscuntur à Deo, ne destruatur libertas; illi verò negabant omnem actum liberum in homine *Fatum* adstruentes, quorum errorẽ secuti sunt *Manichæi*, vt aduertit *Beatiss.P.*; & tandem Recentiores Hæretici *Vuicleff*; *Caluin*; *Luther*; *& alij eorum Discipuli*,vnde *Cicero*,vt patet *ex Beatiss.P.vbi sup.* cum *Epicureis* contra *Stoicos* pugnasse dicendus est; vt obseruat etiam *noster Lafosse.*

3 *Ex Catholicis* refertur *Aureol.apud nostrũ Greg.in 1.dist.38.q.2. art.1.* sensisse Deum non cognoscere certò, & infallibiliter propositiones de futuro contingenti;sed eum ab hac sententia vindicat *Bricemn.in 1.cont.12.dist.2.ar.4.à n.44.*

Sententia tamen omnium Catholicorum docet de Fide esse Deũ cognoscere certò,& infallibiliter omnia futura. *Ita Fundatiss. Doct.in 1.dist.38.q.2. art.vlt*; *Greg*; *Albiz*; *& omnes alij communiter siue nostri siue extranei.*Imò *Sanctiss. P.Aug. lib.3. de Ciu.c.9.* oppositum ait *esse insaniam,& Tertull.2.cont.Marcion.5. asserit. Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.*

4 Dubitant tamen Theologi; an possit hæc veritas ratione naturali demonstrari?

Negat *Heric.disp.6.c.1. n.5.* adducens pro sua sententia *OKam,Gabr*;*nostrum Greg*;*& alios*, qui tamen explicantur *à Ribad.*

Vera tamen sententia docet id posse euidenter demonstrari loquendo de demõstratione latè sumpta,prout idem est, ac syllogismus identicus,infallibilis, in quo sensu ferè semper loquuntur Theologi. *Vid.To.1. de Subst. Dei q.1. art.4. §. 1.*

5 Vnica concl. Deus cognoscit futura libera

libera abſoluta certò,& infallibiliter.

Prob. 1. *Eccl.* 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores ſuper Solem circunſpicientes omnes vias hominum,& profundum abyſſi, & hominum corda intuentes in abſconditas partes;Domino enim Deo, antequam creentur,omnia ſunt agnita, & ſic poſt perfectum reſpicit omnia. Et pſ.* 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longè, & omnes vias meas præuidiſti; & Sap.*8.*Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter,& diſponit omnia ſuauiter.* Si autē ſcientia Dei non cognoſceret futura libera,iam non attingeret omnia,nec illa diſponeret, & ordinaret in ſuum finem. Et de eadem ſapientia dicitur *Eccl.* 24. *Ego ex ore altiſſimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*; per quod oſtēditur Deum cognoſcere omnia, & diſponere, antequam exiſtant,& ideo,vt futura. *Et Eccl.*23. *Domino Deo,antequam crearentur,omnia cognita ſunt; & Dan.*13. *Deus æternus, qui noſti omnia, antequam fiant.*

6 Prob. 2. *ex Beatiſs. P.Aug.*5.*ſup. Gen.ad lit.c.*15.*Vidit omnia,quando fecit; & ſicut vidit ea,ita fecit;non præter ſe ipſum videns, ſed in ſe ipſo,ita enumerauit omnia,quæ fecit*. Ex quo patet,quòd *B.Doct.Aeg.*non debebat formidare, vt loquitur *noſter Laſoſſe hic q.*5.*c.*3.*§.*1; aſſerere Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſis; cùm hoc expreſsè doceat *Sanctiſſ.P.tum hic,tum pluribus alijs in locis*;vt vidimus *q.*1 *art.*1;non quia Deus non videat creaturas eo modo, quo ſunt extra ipſum; in ipſo enim repræſentantur eo modo, quo ſunt in ſe ipſis; ſed quia eius cognitio non fertur extra Diuinam eſſentiam; ne pateretur aliquam mutationē;quia omne, quod eſt extra Deum,mutabile eſt.Et paulò poſt. *Neque enim ea faceret,niſi ea noſſet, antequam faceret; nec noſſet, niſi videret;nec videret,niſi haberet; nec haberet ea, quæ nondum facta erant, niſi quemadmodum eſt ipſe non factus*. Si ergo Deus cognoſcit omnia in ſe ipſo, vt exiſtentia in ſua eſſentia, & videt ea, vt ſibi præſentia præſentialitate identificationis cum ſua eſſentia; & viſio eſt certa,& infallibilis; optimè ſequitur Deum cognoſcere futura libera certò, & infallibiliter; aliter hæc non eſſent in Diuina eſſentia; quod derogaret infinitæ perfectioni ipſius Dei continentis omnem perfectionem creatam perfectiſſimo modo; vel non viderentur in ipſa eſſētia, quod non congruit perfectioni ipſius viſionis comprehenſiuæ.

7 Prob. 3. ratione *Fundatiſſ. Doctoris in* 1. *diſt.*38.*q.*2.*art.vlt.* deſumpta *ex Beatiſs. P.Aug.* 15. *de Trin.c.*13;vt diximus *ſup.q.*3.*art.*1.*n.*12. Diuina eſſentia ex eo, quòd ſit ſuum eſſe, perfectiſſimè continet omne, quod poteſt communicare, quod communicabit, & quod actu communicauit creaturis; ſed Diuinus intellectus eſt ſuum eſſe; ergo perfectiſſimè cognoſcit omne eſſe poſſibile, quod poteſt communicare; futurum,quod communicabit; & exiſtens,quod actu communicauit creaturis; Atqui perfecta cognitio eſt certa, & infallibilis; ergo certò, & infallibiliter cognoſcit futura libera contingentia. Ma. probata eſt *To.* 1. *de Emin. Dei art.*1; *& de Infinit. Dei art.*1. §. 1. Mi. conſtat; quia ſicuti ad eſſentiam creatam, quæ non eſt ſuum eſſe, quia non eſt actus purus, ſequitur intellectus, qui non eſt ſuum eſſe;proprietas enim commenſuratur cum eſſentia; ita ad eſſentiam Dei, quæ eſt ſuum eſſe, debet ſequi intellectus, qui eſt ſuum eſſe.Conſ. rectè infertur; quia ſicuti eſſentia, quæ eſt ſuum eſſe, eſt actu omne eſſe; ita intellectus, qui eſt ſuum eſſe, eſt actu omnis intellectio omnis eſſe.

Conſ. *Ex Beatiſſ. P. Aug. lib.*5. *de Ciu.c.*9. habetur. *Qui enim non eſt præſcius futurorum, non eſt vtique Deus*;ſuper quod *Fundatiſs.Doct. in Opuſc. de Prædeſt; & Præſc.c.*2. arguit ſic.Nomine Dei intelligimus ſubſtantiam intellectualem puriſſimam ſeparatam ab omni potentialitate paſſiua, & includentem omnem perfectionem,& actualitatem poſſibilem; ſed ſi Deus non cognoſceret certò, & infallibiliter omnia futura libera abſoluta, quæ tamen poſſet cognoſcere, cùm actu ponuntur,eius intellectus non eſſet ſubſtantia puriſſima in eſſe intellectuali ſeparata ab omni potentialite paſſiua; eſſet enim in potentia ad cognitionem certam, & infallibilem futurorum; nec includeret omnem perfectionem, & actualitatem, quia non includeret cognitionem certam, & infallibilem, quæ procul dubio eſt actus, & perfectio, quæ poteſt competere intellectui;ergo Deus non eſſet Deus.

8 Prob.4.Cognoſcens comprehenſiuè cauſam infallibiliter cognoſcit omnes effectus contentos in illa; ſed Deus comprehenſiuè cognoſcit ſuam eſſentiam, vt eſt cauſa futurorum; ergo infallibiliter cognoſcit omnia futura. Ma.patet; quia cognitio comprehenſiua ita adæquat totam cognoſcibilitatem rei, vt nihil rei lateat cognoſcentem; & ita perfecta eſt, vt illi repugnet fallibilitas. Mi.etiam conſtat ex dictis;nam Diuina eſſentia eſt verè cauſa futurorum; ergo cognoſcitur à Deo, vt cauſa illorum, aliter ipſam non cognoſceret; quia ratio cauſæ eſſet in Diuina eſſentia, quæ tamen non attingeretur à Diuina ſcientia. *Vid.ſuperiùs art.*1;*& q.*2.*art.*1.

9 Prob.5. Infallibilitas cognitionis ſumitur ab obiecto ſecundùm illud eſſe, quod habet in intellectu, quod primariò reſpicit, & à quo ſpecificatur;nam licèt aliqua veritas ſit certa à parte rei, attamen ſi repreſentetur, vt dubia, dubiè cognoſcitur; ſed eſſe obiectiuum, quod habent futura in intellectu Dei, eſt eſſe infallibile, & certum; cùm ſit eſſe ipſius Dei, in quo continetur omne eſſe; non enim Deus accipit ſpecies à rebus, vt pluries dictum eſt *ex Beatiſſ. P. Aug*; ſed per ſuam eſſentiam cognoſcit res; cui eſſentialiter repugnat contingentia, & *viciſſitudinis obumbratio* ob eius ſummam claritatem; ergo licèt

cèt futura in se ipsis sint contingentia, & fallibilia, attamen certò, & infallibiliter cognoscuntur à Deo.

10 Tandem. Cognitio fallibilis subijcitur errori; importat dubietatem, vel opinionem; sed hæc omnia ex suo conceptu important imperfectionem cognoscentis; ergo releganda est à Deo, qui est primum, & perfectissimum cognoscens.

11 Obijc. 1. *Cic. vbi sup.* Præscientia liberorum futurorum tolleret libertatem à nostris actibus; ergo in Deo non est admittenda; quia in ipso non est admittendum, quod repugnat, & euertit naturas ab ipso creatas. Prob. ant. 1. Præscientia infallibilis est solùm de rebus necessarijs, quæ non contingunt aliter se habere. 2. De eo, quod potest non esse, nequit esse scientia infallibilis; quia scientia mensuratur ab obiecto. 3. Præscientia Dei induceret necessitatem in opera nostra; quia nostra voluntas nequit superare scientiam Dei, vt faciat opus aliter, ac ipsum præsciuit scientia Dei. 4. Præscientia infallibilis facit, quòd nõ possimus nõ operari illud, quod præscitum est ab illa; ergo præscientia infallibilis tolleret libertatem à nostris actibus. Prob. con. Si in Deo admitteretur præsciẽtia tollẽs nostrum libertatẽ, *omnis humana vita*, vt discurrit idem *Cic. apud Beatiss. P. Aug. de Ciu. vbi sup; subuertitur, frustra leges dantur, frustra obiurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque vlla iustitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt*; sed hæc sunt absurda, & indigna rebus humanis; ergo in Deo non est admittenda hæc præscientia.

Resp. *Beatiss. P. ibid, & lib. 3. de lib. arb. c. 2*; quòd præscientia Dei videt actus futuros eo modo, quo erunt, & quia erunt liberè, & non nisi volentibus nobis, ideo non tollit libertatem ab illis. Dat exemplum *Fundatiss. Doct. vbi sup.* Videns contingenter Solem oriri, & videns certò hominem ambulantem non tollit necessitatem ortus à Sole, nec contingentiam ambulationis ab homine; ita à pari. Ad arg. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd futura, vt sunt in intellectu Diuino, sunt necessaria, & non possunt aliter se habere; licèt in se ipsis sint contingentia, & possint aliter se habere; ideo de illis, prout sunt in intellectu Diuino, potest esse præscientia, non autem prout sunt in se ipsis; hinc dicimus Deum cognoscere omnia in se ipso, non extra se ipsum, ne mutationi, & fallibilitati subijciatur: per quod patet ad 2. Ad 3. neg. assumptum; quia præscientia Dei cognoscit eo modo, quo nostra voluntas actu se determinabit; & quia voluntas, cùm se determinabit, non poterit simul ponere oppositam determinationẽ, ideo non poterit facere opus aliter, ac Deus præuidit se determinaturam; & ideo nequit superare præscientiam Dei, quia nequit superare se ipsam, quæ non potest liberè simul ponere hoc, & oppositum huius. Ad 4. neg. ant; non enim præscientia facit, vt non possimus non operari aliter; sed est ipsa voluntas, quæ sec undùm se, cùm est in actu determinato, nequit aliter simul se determinare; quia *res, quandiu est, necesse est esse*; vnde etsi nulla esset præscientia, adhuc voluntas, prout est sub actuali determinatione, non posset aliter operari. Igitur quia actus liber, qui erit in voluntate nostra pro subsequenti differentia temporis, modò est actu in voluntate Dei; nam in ipsa est actu omnis entitas creata, & creabilis; sicut quando erit actu in voluntate nostra, non lædet nostram libertatẽ; ita nunc actu existens in voluntate Dei non lædit nostram libertatem. Hoc arg. transit à libertate actus, quæ dicit determinationem; *actus enim est, qui determinat*, ad libertatem potentiæ, quæ, quia dicit indeterminationem, ideo fallibilis est.

Inst. Ideo cognoscens contingenter ortum Solis non tollit necessitatem ab illo, quia illum non causat; sed scientia Dei causat infallibiliter futurum; ergo tollit contingentiam ab illo.

Resp. neg. causalem; nam etiamsi cognoscens ortum Solis causaret illum, dummodò illum causaret eo modo, quo actu est, non tolleret necessitatem ab illo. Et sic dist. mi. Scientia Dei causat futurum eo modo, quo est in se ipso, conc; diuerso modo, neg.

12 Obijc. 2. *SS. PP.* aliquando videtur negare ipsi Deo præscientiam futurorum, & illi concedere solam scientiam præsentium; ergo Deus non cognoscit futura.

Resp. *SS. PP.* negare præscientiam rerum extra ipsum Deum, quæ expectat res, vt illas cognoscat, vt præsentes; & concedere solam cognitionem præsentium, quia concedunt solam scientiam rerum, prout sunt in Deo, in quo sunt præsentes; cùm in Deo, nihil sit in potentia passiua ad esse; illud tamen, quod est præsens in Deo, potest esse futurum per ordinem ad extra Deum.

13 Obijc. 3. Si Deus cognosceret futura contingentia infallibiliter, cognosceret aliter, ac sunt in se; quia in se sunt fallibilia; sed cognitio rei aliter, ac est in se, est falsa; ergo cognitio Dei esset falsa; quod implicat.

Resp. dist. ma. Si *ly infallibiliter* dicat modum cognoscendi, conc; si dicat rem cognitam, neg. Ad mi. dicitur eodem modo. Cognoscere rem aliter, ac est in se ipsa obiectiuè, idẽst ipsam apprehendere affirmando ea prædicata, quæ ipsi repugnant, & negando ea, quæ conueniunt, conc; formaliter, idẽst ipsam apprehendere per cognitionem habentem diuersum modum essendi, neg; nam intellectus noster apprehendit materialia immaterialiter, singularia vniuersaliter, distantia præsentialiter, & tamen non fallitur; ita à pari.

14 Obijc. 4. Deus cognoscit res, quatenus

nus est causa illarum; sed Deus non semper causat res actualiter;ergo sēper illas non cognoscit.

Resp. *Fundatiss. Doct. dist. 32. q. 2. art. 2. ad 2. q. 2.*; quòd actio Dei; eò, quia est sua substantia, ideo sicut sua substantia semper est actu, ita sua actio semper est actu secundùm id, quod dicit intra Deum; effectus tamen producibilis extra Deum non est actu, nisi in illa differentia temporis, quam illi præstituit ordo Diuinæ sapientiæ, & dispositio voluntatis, quæ ordinauit,& disposuit rem illam esse in tali differentia temporis. Igitur dist. mi. Non semper causat secundùm illud, quod dicit immanenter intrinsecè,neg; secundùm id,quod dicit transeunter extrinsecè, conc.

15 Obijc. 5. Vt aliquid cognoscatur ab æterno, debet habere ab æterno veritatem determinatam; sed contingentia non sunt huiusmodi, quia veritas determinata fundatur in existentia actuali, quam ab æterno non habent; ergo ab æterno non cognoscuntur.

Resp. *noster Albiz. dist. 6. sect. 3.* dist. ma. Veritatem determinatam, vel determinandam, conc; solùm determinatā, neg. Sed hæc responsio eijcitur, quia veritas determinanda idem est, ac indeterminata, & indifferens; illud autem, quod habet veritatem indeterminatam, nequit determinatè cognosci. Igitur.

Resp. dist. mi. Non habent veritatem determinatam in se ipsis extra Deum, conc; in Deo, neg; nam res in Deo habent esse actu existentes eo modo, quo illud habebunt in tempore, antequam illud actu habeant extra Deum.

16 Inst. *idem*. Si futura haberent veritatem determinatam ab æterno, possent etiam determinatè cognosci à creatura; consequens est falsum; ergo & antecedens.

Resp. neg. seq. Creatura enim nequit comprehendere Deum; & ideo nequit cognoscere omnes effectus in illo actualiter existentes; & ideo cognoscit solùm eos determinatè,qui extra Deum sunt in se ipsis determinati.

ART. IV.

An possibilia, quatenus negatiuè volita à Deo, vt non futura, cognoscantur per scientiam visionis; & futura, quatenus important quiditates necessarias, per scientiam simplicis intelligentiæ sciantur?

1 VTranque iungimus difficultatem, quia de vtraque eadem est ratio. Et supponimus pro nunc voluntatem Dei non mansisse de facto suspensam ab omni actu circa creaturas, quas non decreuit creare (quidquid sit, an potuerit circa illas suspendere omnem actum, de quo *in seq. Tract.*) sed negatiuè circa illas se habuisse nolendo illas esse futuras; ex qua nolitione creaturæ possibiles dicuntur negatiuè futuræ, seu positiuè non futuræ; quatenus per actū positiuum explicatum per modum negationis voluit Deus illis negare futuritionem. Quærimus ergo; an prout non futuræ, cognoscantur per scientiam visionis? Similiter inquirimus; an creaturæ futuræ post decretum de futuritione, si considerentur secundùm earum quiditates, & prædicata necessaria essentialia, cognoscantur per scientiam simplicis intelligentiæ; de illis enim, vt præcedunt decretum; iam diximus *q. 2. art. 1.*

2 Prima sententia affirmat. *Ita Godoy hic disp. 30*; apud quem *Gonzal; Cornejo, Vasq. disp. 61. c. 1*; *Sua. lib. 3. de Attr. posit. c. 4*; *Ferrus hic q. 4. §. 5*; *6; & 7*; apud quem *Albel*; *Io. à S. Tho. q. 14. disp. 18. art. 1.*

Sententia tamen communior aliorum Theologorum docet; quòd licèt Deus cognoscat (vno excepto *Caiet.*) futura negatiuè per scientiam visionis; attamen quiditates creaturarum post decretum non cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. *Ita omnes DD. citat. q. 1. art. 4; & q. 2. art. 1*; volunt enim absolutè, & simpliciter creaturas ante decretum cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ, & post decretum per scientiam visionis tantùm.

3 Vnica concl. Quiditates possibiles, vt liberè nolitæ, & vt liberè volitæ, cognoscuntur à Deo solùm per scientiam visionis. 1. pars traditur expressè *à Beatiss. P. Aug. 5. de Trin. c. 6*; vbi latè probat negationem, & affirmationem pertinere ad eandem speciem; vt diximus *q. 1. art. 4. n. 16.* Altera pars habetur *5. sup. Gen. ad Lit. c. 15. Vidit omnia, quando fecit.*

4 Prob. 1. ratione scientia visionis in hoc essentialiter differt à scientia simplicis intelligentiæ, quòd illa sequitur, hæc antecedit decretum, vt docet communissima sententia; ergo scientia, qua Deus videt quiditates possibiles, vt liberè nolitas,& vt liberè volitas, est visionis, nō simplex intelligentia. Ant. probatum est *q. 1. art. 4. n. 6; & seq.* Prob. con. Quiditates possibiles non sunt liberæ nolitę, & liberæ volitæ, nisi per decretum; quia nomine decreti nihil aliud intelligimus, nisi actum voluntatis Diuinę, quo Deus vult aliquas creaturas esse, & alias non esse; ergo scientia cognoscens quiditates possibiles reduplicatiuè, vt nolitas, & volitas, est visionis, non simplicis intelligentię.

Conf. Scientia simplicis intelligentiæ est essentialiter erga obiectum necessarium; & sciētia visionis erga obiectum liberum; vt fatentur *Aduersarij*; sed quiditates possibiles, vt liberè nolitæ, & volitæ, sunt aliquod complexum liberum; quia omne id, quod Deus vult, & non vult ad extra, liberè vult, & non vult; aliter esset agens ex necessitate; quod repugnat supremo illius dominio, & iuri, quod habet in creaturas; ergo quiditates possibiles, vt volitæ, & nolitæ, videntur per scientiam visionis.

5 Prob. 2. *ad hominem 1. cont. Caiet.* In tantùm

tùm creaturæ possibiles, vt nolitæ, cognoscuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, in quantùm per positiuum cognoscitur negatiuum; quia *rectum est index sui, & obliqui*; atqui non futuritio non est negatiuum possibilitatis, quia negatiuum possibilitatis est nō possibilitas; sed est negatiuum futuritionis; sicut enim non possibile est negatiuum possibilis; ita non futurum est negatiuum futuritionis; vt euidenter constat; ergo per eandem scientiam visionis, qua videtur futurum, videtur etiam non futurum; sicuti per eandem scientiam simplicis intelligentiæ, qua videntur creaturæ possibiles, videntur etiā chimæræ, vt impossibiles. 2. In tantùm negatio futuritionis nequit attingi per scientiam visionis, quia scientia visionis essentialiter est intuitiua, & tendit in rem existentem, & præsentem; & ideo nequit tendere in non existentiam, seu in negationem existentiæ; sed etiam visio corporea, qua videtur lux, est intuitiua, & tamen tendit in tenebras, quæ sunt priuationes lucis; ergo à pari. Tum quia scientia visionis non dicitur intuitiua eo, quia requirat existentiam creaturæ in se ipsa; quia creatura in se ipsa nequit vllo modo terminare visionē Dei; vt dictū ēst *q. 2. art. 1. & infra art. 7.* ergo ruit hæc ratio.

6 Præterea *cont. Godoy, & Ferrum.* 1. Quiditates possibiles in instanti decreti connectuntur cum decreto; sed talis connexio est essentialiter libera; ergo creaturæ possibiles, vt connexæ cū decreto, non videntur per scientiam simplicis intelligentiæ, sed visionis. Ma. patet; nam si non supponantur connexæ cum decreto, iam sunt in statu possibilitatis, quia status possibilitatis est ille, qui antecedit decretum, & per consequens connexionem cum decreto; & sic de illis nulla est difficultas; quæ solùm potest esse de illis, vt connexis cum decreto. Prob. mi. Quanuis quiditates possibilium secundùm se ipsas, prout concipiuntur separatæ, & absolutæ à decreto, sint necessariæ, attamen non connectuntur necessariò cum decreto, sed liberè; quia talis connexio non est, nisi per voluntatem Dei, quæ liberè agit ad extra; ergo talis cōnexio est essētialiter libera.

7 Tum quia sicuti creaturæ possibiles, quanuis considerata separatim à non futuritione, attinguntur à simplici intelligentia; attamen, vt coniunctæ cum non futuritione, attinguntur à scientia visionis; quia hoc coniunctum, & complexum est essentialiter liberum; ergo quanuis creaturæ possibiles, si considerentur, vt separatæ à decreto, attingantur per simplicem intelligētiam; attamen si considerentur, vt coniunctæ, attinguntur per scientiam visionis.

8 Dices. Potest Deus præscindere quiditates creaturarum ab existentia, & à decreto, & illas tantùm considerare, vt necessarias, prout important necessariam cōnexionem terminorum; sic enim non considerantur complexè, sed incomplexè, & hoc modo possunt terminare simplicem intelligentiam.

Sed contra est. 1. Præscindere quiditates possibiles ab existentia, & à decreto est illas reducere ad statum possibilitatis, & illas merè considerare, vt possibiles; quia nomine status possibilitatis intelligitur cōmuniter status præcisus ab omni existentia, & decreto, ergo est destruere quæstionem; nulla enim est difficultas, quòd creatura cognoscatur per simplicem intelligentiam in statu possibilitatis. 2. Hæc præcisio, licèt nō repugnet ratione intuitionis, quia creatura nequit videri intuitiuè in se ipsa; vt *infra* videbimus; attamen repugnat ratione inadæquationis; talis enim cognitio non esset adæquata rei cognitæ; quia per talem cognitionem videretur sola essentia, non existentia, quæ tamen esset in obiecto; vnde importaret ignorantiam alicuius, quod esset verè cognoscibile; nec esset comprehensiua, quia aliquid obiecti ipsam lateret; sed cognitio coniuncta cum ignorantia, & latentia obiecti est indigna Deo; ergo talis cognitio præcisiua inadæquata non est in Deo. Quod vlteriùs explicatur. In tantùm Deo conceditur scientia simplicis intelligentiæ, quæ pro aliquo priori videat essentiā Diuinā, à qua oriūtur creaturę possibiles; in quantùm pro illo tunc creaturæ non sunt futuræ, & ideo non sunt cognoscibiles; atque adeò illa scientia non habet ignorantiam, quia ignorantia importat cognoscibilitatem obiecti non cognitam; sed in statu futuritionis creaturæ futuræ sūt cognoscibiles; ergo si in tali statu à Deo non cognoscerentur per scientiam aliquam præcisiuam, illa scientia pateretur defectum ignorantiæ, non comprehensionis, quæ Deo repugnant.

9 Tum quia scientia visionis nequit præcisiuè cognoscere existentiam rei non cognita essentia; aliter cognosceret existentiam nihili; & hoc non ob aliam rationem, nisi quia inadæquatè cognosceret rem; non enim cognosceret omne cognoscibile, quod est in ipsa; ergo scientia simplicis intelligentiæ nequit cognoscere essētias rerum præcisiuè ab existentia in statu futuritionis; in quo essentia, & existentia coniungūtur. Prob. conf. Ita se habet scientia visionis respectu quiditatis necessariæ; sicut simplex intelligentia respectu existentiæ futurę; nam sicut quiditas necessaria est obiectum simplicis intelligentiæ; ita futuritio est obiectum scientiæ visionis, & sicut se habet vna scientia ad obiectum alterius; ita alia ad obiectum illius; sed scientia visionis nequit cognoscere solam existentiam, quia inadæquatè cognosceret; quatenus non cognosceret quiditatem necessariam, quæ est obiectum simplicis intelligentiæ; secus si cognitio inadæquata non repugnat Deo, non est, cur possint negare Deum præcisiuè posse cognoscere vnum attributum sine alio, & essentiam sine attributis, quod tamen negāt; ergo simplex intelligentia nequit præcisiuè cognoscere in statu fu-

tu futuritionis quiditates neceſſarias non cognita exiſtentia, & decreto, quod eſt obiectum ſcientiæ viſionis.

10 Tandem. Scientia ſimplicis intelligentiæ, & viſionis ſunt vna ſimpliciſſima ſcientia, quæ diſtinguitur ſolùm ratione diuerſorum ſtatuum creaturæ; ſicut vna, & eadem eſt creatura, quæ conſideratur in diuerſis ſtatibus; vt diximus *art.*1.*n.*4;*&* 12; ergo falsò finguntur duæ ſcientiæ in ſtatu futuritionis, quarum vna cognoſcat quiditates neceſſarias creaturarum, & altera exiſtentiam illarum.

Rationes *Caiet. contr.* 1. part. concl. ſolutæ ſunt *n.* 5.

11 Obijc. 1. *Godoy diſp.*30. *n.*1. Quiditates creaturarum, quę aliquando erunt, non cognoſcuntur per ſcientiam viſionis; ergo per ſimplicem intelligentiam. Prob. ant. 1. Verbum Diuinum procedit ex cognitione omnium poſſibilium; ſed hæc cognitio non eſt ſcientia viſionis creaturarum ſecundùm prædicatâ neceſſaria, ergo quiditates poſſibiles non cognoſcuntur per ſcientiam viſionis. 2. Quiditates, quæ aliquando erant, terminant neceſſariam Dei cognitionem, cùm importent connexiones neceſſarias prædicatorum eſſentialium; ſcientia autem viſionis eſt libera. 3. Ante decretum poſſibilia cognoſcebantur quoad ſuas quiditates neceſſarias per ſimplicem intelligentiam; ergo & in inſtanti decreti; nā decretū nō tollit, quin pro eodē inſtanti illorū quiditates ſint cognoſcibiles per ſcientiā neceſſariam. 4. Sicut per decretum liberum poſitiuum redditur poſſibile futurum, ita per decretum negatiuum redditur repugnans eius futuritio; ſed per decretum liberum negatiuum, quo decernitur non futuritio poſſibilium, non tollitur, quin poſſibilia, adhuc prout ſtant ſub illa non futuritione, cognoſcantur per ſimplicem intelligentiam; ergo à pari. 5. Obiectum ſimplicis intelligentiæ non eſt quiditas poſſibilis ſub negatione exiſtentię; ergo decretum de exiſtentia non tollit, quin illa quiditas attingatur per ſimplicem intelligentiam. Prob. ant. Si obiectum ſimplicis intelligentiæ eſſet quiditas ſub negatione exiſtentiæ, talis ſcientia eſſet libera, quia poſſibilitas non conſtituitur ſub negatione exiſtentiæ, niſi per decretum liberum.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd illi, qui aſſerunt Verbum procedere ex cognitione poſſibilium, non futurorum, hoc ſubſtinent, quia volūt proceſſionem Verbi eſſe pro aliquo priori ante decretum de productione creaturarum; vnde per illam cognitionem formaliter non cognoſcuntur creaturæ in ſtatu futuritionis; ſed ſolùm in ſtatu poſſibilitatis; & ſolùm pro ſigno ſubſequenti cognoſcuntur, vt futuræ per ſcientiam viſionis, non per ſimplicem intelligentiam. Ad 2. diſt. 1. pars aſſumpti. Quiditates poſſibiles, quæ aliquando erunt terminant cognitionem neceſſariam, ſi ſumantur complexè cum futuritione, neq; ſi incomplexè, conc. Quanuis enim poſſibile incomplexè ſumptum ſit neceſſarium, attamen complexè eſt quid contingens; ſicut ſubſtantia, licèt incomplexè ſumpta ſit ens per ſe, attamen complexum ex ſubſtantia, & accidēte eſt ens per accidēs, ita à pari. Ad 3. neg. conſ. decretum enim iunctum cum quiditate facit complexum merè contingens, vt dictum eſt. Ad 4. neg. mi; quiditas enim prout ſtat ſub non futuritione attingitur per ſcientiam viſionis, non per ſimplicem intelligentiam; quia tale complexum eſt liberum. Ad 5. neg. conſ; licèt enim obiectum ſimplicis intelligentiæ non ſit quiditas ſub negatione exiſtentiæ, attamen eſt quiditas ſub indifferētia, & indeterminatione ad exiſtentiam, & non exiſtentiam, vt fatetur *Godoy diſp.*33; *& alibi paſſim*; ergo ſicuti ſi obiectum ſimplicis intelligentiæ eſſet quiditas ſub negatione exiſtentię, per ipſam tolleretur, quin ſimplex intelligentia poſſet illam attingere, vt poſitam ſub exiſtentia; ita quia illius obiectum eſt indifferens ad exiſtentiam, tollitur, quin poſſit illud attingere, vt determinatum per exiſtentiā.

12 Obijc. 2. *Ferrus.* Quanuis natura Diuina actu coniungatur cum ſuis attributis, attamen per lumen primorum principiorum poteſt cognoſci nō cognitis attributis; vt dictum eſt *q.*1. *art.*1. *§.*1; *&* 2; ergo quanuis quiditas coniungatur cum decreto, attamen poteſt cognoſci non cognito decreto. 2. Poteſt Deus non vti decreto ad cognoſcēdas quiditates poſſibiles, quia Deus non vtitur decreto ad cognoſcendas quiditas neceſſarias, ad quas non requiritur decretum; ergo poteſt illas cognoſcere non cognito decreto.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Non cognitis attributis materialiter identicè, neq; formaliter ſub ratione cauſalitatis, conc; ait enim *B. Doct. in* 1. *diſt.* 45 *princ.* 1. *q.* 2; quòd intellectus in hoc diſtinguitur à ſcientia; quia intellectus tendit in principia primò, & per ſe, vt indemonſtrabilia, & per ſe nota, & ex conſequēti, ſeu materialiter idēticè in concluſiones, pręcipuè ſi ſit intellectus comprehenſiuus, vt eſt intellectus Dei; ſcientia verò tendit primò, & per ſe in principia, quatenus per ipſa formaliter inferuntur concl. demōſtratiuè. Vtrumque ergo cognoſcitur, ſed ſub diuerſa ratione formali; aliter daretur cognitio inadæquata. *Vid. q.*1. *art.*1. *§.*1. *n.*12. Et inſto ſic. Si Deus per cognitionem claram, quiditatiuam, & euidentem poſſet intuitiuè videre ſuam eſſentiam exiſtentem, & præſentem non viſis attributis; quare Beatus nō poteſt per viſionem claram, quiditatiuam, & euidentem intuitiuè videre eſſentiam ſine attributis; vt aſſerit *Ferrus contra Scotiſtas de Viſ*; cui aſſertioni parùm congruenter *hic* loquitur? Ad 2. diſt. ant. Poteſt non vti decreto ad cognoſcendas quiditates poſſibiles incomplexè ſumptas in ſtatu meræ poſſibilitatis pro illo priori, pro quo non concipiun-

piuntur, vt volita, conc;complexè, prout ſtant ſub decreto, neq; ſic enim ſunt quid liberum, nō neceſſarium, vt dictum eſt.

13 Inſtabis. Poteſt intellectus primorum principiorum formaliter ferri in eſſentiam, & identicè in attributa, quæ ſunt obiectum ſapientiæ; ergo poteſt ſimplex intelligentia ferri formaliter in quiditates, & identicè in decretum; quatenus identificatur realiter cum ſua omnipotentia; quanuis decretū ſit obiectum viſionis.

Reſp.neg.conſ.& diſparitas eſt; quia obiectum ſimplicis intelligentiæ antecedit eſſentialiter obiectum viſionis, & pro eo tunc non intelligitur decretum; & ideo neque formaliter, neque materialiter identicè poteſt tendere in id, quod non eſt; at verò obiectum intellectus principiorum non concipitur, vt prius eſſentialiter pro aliquo priori in eſſe cognoſcibili ad attributa; aliter pro aliquo priori cognoſceretur eſſentia ſine attributis; & ideo pro illo priori, quo cognoſcitur formaliter eſſentia, vt indemonſtrabilis, cognoſcuntur etiam attributa idēticè, quatenus identificantur, non quatenus cauſantur; & ſimul pro eodem priori per ſapientiam cognoſcuntur, quatenus cauſantur, non quatenus ſolùm identificantur. Intellectus ergo, & ſapientia non habent inter ſe ordinem eſſentialiter prioris, & poſterioris, nec eorū obiecta ſe ſe excludunt oppoſitione prioritatis, & poſterioritatis; ſicut eſſentialiter ſimplex intelligentia, & ſcientia viſionis habent rationem prioris, & poſterioris ad decretum; & eorū obiecta ſe ſe excludunt ratione oppoſitionis proritatis, & poſterioritatis; & ideo nequeunt eſſe ſimul.

Reſp.2. Intellectum principiorum cognoſcere identicè attributa, quia eſſentia, quatenus extenditur ad identificationem attributorum, non eſt obiectum ſapientiæ, prout contradiſtinguitur ab intellectu principiorum; ſic enim non poſſet intellectus eam cognoſcere, aliter daretur confuſio intellectus cū ſapiētia. Extēdi ergo idēticè ad attributa conuenit vtrique communiter, quatenus vtraque cognitio comprehenſiua eſt; at verò quiditates, prout extenduntur ad decretum, ſunt obiectum formale ſcientiæ viſionis, prout contradiſtinguitur à ſimplici intelligentia, & ideo nequit eſſe quid commune vtrique; ergo, prout complexè extenduntur ad decretū, nequeunt attingi à ſimplici intelligentia, aliter confunderetur cùm ſcientia viſionis.

Tandem. Scientia viſionis, & ſimplicis intelligentiæ non ſunt duo attributa virtualiter diuerſa; ſicut intellectus principiorum, & ſapiētia; ſed ſunt vna ſcientia, quæ, quatenus non extenditur ad decretum, dicitur ſimplex intelligentia; quatenus extenditur ad decretum, dicitur viſio; ſed illud, in quo viſio diſtinguitur eſsētialiter à ſimplici intelligentia, nequit competere ſimplici intelligentiæ, aliter confunderentur; ergo extendi ad decretum nequit competere ſimplici intelligentiæ.

ART. V.

An adhoc, vt ſcientia viſionis ſit intuitiua, inuariabilis, & infallibilis, requiratur coexiſtentia realis extrinſeca creaturarum in æternitate?

1 POſtquam egimus de obiecto ſcientiæ viſionis, ſequitur agendum de medio, in quo cognoſcat ſuum obiectum. Duplex autem medium cognoſcendi futura aſſignant *Recentiores Thomiſtæ*; ſcilicet coexiſtentiā creaturarū in æternitate, & decretum, quo Deus eas cauſat. De primo agimus nunc; de altero *in ſeq. art.*

2 Sicut olim *Manichæi*, vt ſaluarent infinitam efficaciam omnipotentiæ Dei; finxerunt ante productionem huius mundi effeciſſe infinitos mundos imaginarios, vt diximus *de Immenſit. Dei art. 4. n.3.* Ita *aliqui Recentiores*, vt ſaluent infinitatem immenſitatis, infinita loca imaginaria produxere; *alij* verò, vt ſaluent infinitatem, & ſimultatem durationis, coexiſtentiam ſimultaneam omnium creaturarum in ęternitate aduexerunt. Et quia ratio parum, vel nihil eos adiuuat, ab auctoritate *PP; & DD.* ſibi parare conantur ſubſidium ad ſuum ſenſum manifeſta violentia trahentes eorum doctrinas ita, vt quandam *Fati* neceſſitatem eos pati cogant, de quo *Beatiſſ. P. Aug. lib.5. de Ciu.c.8.*

Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt.

Hinc vt ſuadeant pręſentiam in ęternitate, pręcipuè *ex Beatiſs. P. Aug.* textus adducunt, quibus habet apud Dei ſcientiam *præterita, & futura ſtare; præterita non tranſire, & futura iam facta eſſe; omnia eſſe in ſua præſcientia, & præſentialitate; & cetera huiuſmodi.*

3 Iſtæ tamen ſententiæ reiectæ ſunt *Tom.1. de Immenſit; & de Aeternit;* quæ omnes vnico principio excutiūtur, ſcilicet: *Nullum attributum Dei ſpecificatur ab aliqua creatura extra Deum*; cùm nulla creatura poſſit eſſe eiuſdem ſpeciei cū Deo. Ex quo ſic. In tantū potentia productiua in creaturis eſt otioſa, in quantùm eſt ſuſpenſa à ſuo actu; & in tantùm eſt ſuſpenſa à ſuo actu, in quantùm habet actum ab extrinſeco ſpecificatiuo, quod poteſt illum non cauſare; ſi enim ſuum actum haberet in ſe ipſa ſibi identificatum, nunquam poſſet eſſe priuata ſuo actu, & ideo nunquam otioſa, quia nunquam poſſet carere ſe ipſa. Potentia autem Dei, cùm non ſpecificetur ab aliquo extrinſeco, ſed ſit ſuus actus antiquus ab æterno, & ſemper perſeuerans, vt docet *Fundatiſſ. Doct. 1. Met.q.27*; ideo nunquam poteſt eſſe ſuſpenſa à ſuo actu, & nunquam otioſa, etianſi non dentur actu creaturæ productæ extra Deum. Ita præſentia localis, cùm non ſpecificetur à loco extrinſeco, poteſt ſaluari, etianſi loca extrinſeca non dentur. Sic ſimultas æternitatis poteſt ſtare cum ſucceſſione extrinſeca creaturarum, cùm ab illa non ſpecificetur.

Tan-

Tandem scientia Dei potest stare cum intuitione creaturarum, etiamsi creaturæ extra Deum non existant, quia non specificatur ab illis secundùm esse, quod habent extra Deum, sicut specificatur nostra scientia, secus non posset saluari, quomodò non esset abstractiua, variabilis, successiua, & otiosa, sicut est nostra scientia. Sicut ergo negatio productionis ad extra non lædit perfectionem omnipotentiæ Dei; nec finitas locorum infinitatem immensitatis; ita priuatio coexistentiæ extrinsecę non lædit infinitatem, & simultatem æternitatis; nec simultatem intuitionis, & perfectionem scientiæ Dei.

4 Igitur *Beatiss.P.Aug;* quando ait creaturas esse in Deo *secundùm præscientiam, & præsentialitatem, & existentiam;* secundùm quam non fluit, aut succedit, sed fixa est, & semper manés; profectò loquitur de creatura secundùm illud esse, quod habet in Deo, in quo est nedum secundùm essentiam, & existentiam, sed etiam secundùm illam differentiam temporis, in qua erit extra Deum; & ideo est in illo secundùm suam præsetialitatem realem, & non solùm secundùm esse obiectiuum, secundùm quod dicitur præscientia; creatura enim est in Deo nedum obiectiuè, seu in esse intellectuali eo modo, quo lapis est in nostro intellectu, sed etiam realiter in esse physico, quia Deus est causa physica creaturę; quę propterea est in illo secundùm omnes rationes vniuersales, & particulares, & secundùm quoscunque modos, quos potest habere creatura extra Deum, vt diximus *q.2.art.3.* Cùm autem hęc omnia, prout sunt in Deo, sint ipsum esse Dei, quod nunquam fluit, sed semper stat, nec vnquam transit, nec vnquam est in potentia ad esse, nec vnquam succedit, aut deperditur eo, quia est æternum; ideo creatura considerata, prout est in Deo, dicitur mensurari æternitate, illique coexistere.

5 Hinc scientia, quæ cognoscit creaturas, prout sunt in Deo, dicitur nunquam variari, aut mutari, aut falli; quia esse Dei, in quo est creatura, & in quo solùm videtur creatura (non enim potest Deus exire à se ipso ad videndas creaturas, vt docet *Beatiss.P. vbi sup.q.2.art.1.*) est simpliciter variabile, immutabile, infallibile, & æternum.

6 Quamuis ergo *Aduersarij* penitus côuincantur creaturas non existere in æternitate eò, quia æternitas non specificatur à creaturis; attamen supposita tali coexistentia saltem de possibili, quæritur in præsenti, an sit medium, in quo scientia Dei infallibiliter, immutabiliter, & intuitiuè videat creaturas ita, vt sublata tali coexistentia sciētia Dei deperderet infallibilitatem, inuariabilitatem, & intuitionem?

7 Prima sententia affirmat. *Ita Salm.hic disp. 16. dub.4; & ex ipsis Gabr.excal.ibid.*

Secunda sententia vult coexistentiam in æternitate esse necessariam ad inuariabilitatem,

& intuitionem; non verò ad infallibilitatē scientiæ Dei. *Ita Io.à S.Tho.hic disp.18.art.4; Godoy hic disp.42; apud quem Granad; Gonet. hic disp.4. art.8; Ferrus hic q.8.§.14; & alij Thomistæ. Ex nostris verò Gibbon hic disp. 25. dub. vlt; Cornejus, & Bernardin;* qui tamen sustinét coexistentiam creaturarum non esse necessariam, vt medium cognoscendi, sed solùm per modum conditionis se tenentis ex parte obiecti.

Vera sententia docet coexistentiam in æternitate, etiamsi daretur, non tollere, aut causare infallibilitatem, inuariabilitatem, & superintuitionem scientiæ Dei. *Ita Fundatiss. Doct; Toletan.vbi sup. q.2. art.2;* quibus adduntur *ex nostris Putean; Albiz; Legionen; Frāc.à Christo, & Ioseph à Villan. de Præscient.disp.3.dub.6.c.1.n. 251; & c.3.n.267;* apud quem *Arrub; & Bricen.*

8 Vnica concl. Coexistentia creaturarum in æternitate non est ratio infallibilitatis, inuariabilitatis, & superintuitionis scientiæ Dei.

Prob.1. *ex Beatiss.P.Aug.lib.26.cont.Faust. c. 5;* vbi loquens de sententia, qua dicimus aliquod fuisse, seu esse præteritum, inquit. *Si quæras, vbi sit vera hæc sententia? Prius inuenitur in animo nostro, cùm id verum simus, & dicimus; sed etsi de animo nostro ablata fuerit, cùm id, quod scimus, obliti fuerimus, manebit in ipsa veritate. Semper enim verum erit fuisse illud, quod erat, & non est; & ibi verum erit, iam fuisse, quod erat, vbi verum erat, antequam fieret, futurum esse, quod non erat. Huic veritati Deus non potest aduersari; in quo est ipsa summa, & incommutabilis veritas, qua illustratur, vt fit, quidquid in quorunque animis, & mentibus verum est.* Ex quo sic. Præteritum, quod non existit, videtur à Deo, vbi videbatur, antequam fieret existens; sed tūc videbatur in sua veritate incommutabili, quæ est Deus; ergo negatio existentiæ creaturarum extra Deum non tollit mutabilitatem, infallibilitatem, & intuitionem scientiæ Dei.

Conf. hæc ratio. Ideo scientia Dei non est fallibilis, variabilis, mutabilis, successiua, & abstractiua, quia Deus videt creaturas immediatè in se ipso, in quo solùm habent esse secundùm omnes rationes communes, & proprias infallibiliter, inuariabiliter, immutabiliter, æternaliter, & præsentialiter secundùm propriam præsentiam, quam habebunt in tempore; nam extra Deum sunt omnino contingentes, simpliciter variabiles, & successiuę, cùm nihil extra Deū detur simpliciter immutabile, & simpliciter æternum; ergo sciētia Dei non recipit ex coexistentia extrinseca creaturarum inuariabilitatem, infallibilitatem, & superintuitionem; aliter esset dupliciter infallibilis, immutabilis, & superintuitiua, quod est cont. *Beatiss.P.lib.2.ad Simplic.q.2; vt inf.* Tum quia ab eo, quod est simpliciter variabile, fallibile, & extrinsecum, seu mediatum, nequit desumere inuariabilitatem, infallibilitatem, & intuitionē; *quia nemo dat, quod nō habet.*

9 Si dicatur creaturas, licèt in se ipsis sint variabiles,& mutabiles,attamen per ordinem ad æternitatem Dei sunt inuariabiles; ergo,quatenus coexistunt æternitati Dei, possunt dare inuariabilitatem eius scientiæ.

Sed contra est; nam esse inuariabiles per ordinem ad æternitatem Dei, non est recipere in se ipsis aliquam inuariabilitatem intrinsecam; quia hæc pugnat cum intrinseca variabilitate; sed est esse tantùm inuariabiles extrinsecè; hoc autem non est, nisi denominari inuariabiles per formam inuariabilem extrinsecam, quæ est æternitas Dei; sed id, quod est solùm extrinsecè denominatiuè tale,nequit dare illud esse alteri;quia daret id, quod non habet in se intrinsecè;ergo licèt creaturæ secundùm coexistētiam in æternitate dicerentur inuariabiles; quia tamen hæc est denominatio merè extrinseca, ideo nequeũt communicare sciētiæ Dei inuariabilitatem. Sicut quia paries denominatur extrinsecè visus, nequit communicare, & facere, quòd homo sit visus; si autem haberet formaliter in se ipso visionem, posset facere eo modo, quo oculus,quòd homo sit visus.Ita à pari.

10 Prob.2.Infallibilitas,inuariabilitas,& intuitio habetur solùm ab obiecto primario, immediato,& specificatiuo; obiectum enim secundarium,sicut cognoscitur ratione obiecti primarij,ita nullam aliam infallibilitatem, & inuariabilitatem refundit in scientiam præter illam,quã habet ipsum obiectum primarium; quia infallibilitas, & inuariabilitas mensuratur cum ratione cognoscendi,quæ est mensura ceterorum;*primum enim est mensura ceterorum ex Phil*; sed creaturæ sunt obiectum secundarium, & mediatum; ergo ab ipsis nequit sumi infallibilitas, inuariabilitas, & intuitio; quæ essentialiter est rei immediatè in se ipsa,vt fatentur *Thomistæ*.

Conf.Immensitas Dei ex eo,quòd transeat de non habere loca actu repleta ad habere loca actu repleta; sicut potentia de non habere creaturas ad extra actualiter productas ad illas habere; sic æternitas de non habere ad habere tēpora ad extra, non dicuntur variari, & mutari; quia mutatur solùm id, quod fit; & illud solùm, quod fit,propriè dicitur transire; cùm productio sit transitus de non esse ad esse; nihil autem fit in immensitate Dei ex actuali productione locorũ; nec in potentia ex actuali productione ad extra; nec in æternitate ex successione extrinseca temporũ;ergo ex eo, quòd creaturæ transeãt de esse futuro ad esse existens, & de esse existente ad esse præteritum, non variatur scientia Dei, nec propriè dicitur transire de abstractiua in intuitiuam, quia nihil in ea fit intrinsecè per actualem productionem creaturarum;per quod intrinsecè mutetur. Præterea ex eo,quòd creatura fiat existens in se ipsa, non fit, vt scientia Dei tendat immediatè in illam, vt fatentur *Aduersarij*, per quos ad rationem scientiæ intuitiuæ requiritur immediata tendentia in ipsam rem;ergo nec per actualem productionem præsentiæ ipsius creaturæ redditur intuitiua scientia Dei; nam sicuti immensitas respicit loca, vt quid secundarium extrinsecum;ita potentia actualem productionē; æternitas tempora; & scientia respicit existentiam ad extra.

11 Prob.3.Cognitio cōmensuratur cũ obiecto secũdũ illud esse,quod est in intellectu,vt diximus *art. 3.n.9;& q.1. art. 2. n.* 8; nam hæc est ratio, quare cognitio obiecti materialis non sit materialis,& sensibilis, sed immaterialis, & spiritualis; illud enim esse, quod habet obiectum materiale sensibile in intellectu,est immateriale, & spirituale; atqui creaturæ non intelliguntur à Deo secundùm esse, quod habent extra Deum, sed secundùm illud esse, quod est in intellectu Dei, & est esse ipsius Dei simpliciter inuariabile,& infallibile;aliter Deus intelligeret per species acceptas à rebus; ergo,quantumuis creatura extrinsecè mutetur de non esse ad esse, & è contra, attamen cognitio Dei est simpliciter inuariabilis,& infallibilis.

12 Prob.4. Creatura,licèt coexistat æternitati, non tamen secundùm suam durationem adæquat æternitatē; aliter nullo modo posset saluare, quòd non esset ab æterno;in tantùm autē secundùm suam durationem non adæquat æternitatē, in quantùm in æternitate datur aliquod signum virtuale, seu rationis correspondens alteri durationi, vel actuali, vel possibili, in qua non est illa creatura, vt fatentur *Aduersarij*. Ex quo sic arguitur. Vel in illo signo virtuali, seu rationis, in quo v. g. creatura non coexistit æternitati secundùm propriam durationem; v. g. signum rationis æternitatis,cui coexistit existentia Adæ, in illa differentia temporis, in qua non coexistit formaliter existentia Antichristi, scientia Dei respectu existentiæ Antichristi est infallibilis, inuariabilis, & intuitiua; vel non? Si primum; ergo scientia Dei non habet suam infallibilitatem, inuariabilitatem, & rationem intuitiui ab existentia creaturæ, quæ pro eo signo rationis non datur.Si secundum;ergo pro eo signo rationis, cui non coexistit creatura, scientia Dei non est infallibilis, inuariabilis, & intuitiua; & pro eo signo rationis; cui coexistit creatura secundùm propriam durationem,transit de fallibilitate in infallibilitatē, & de abstractiua in intuitiuam, vt arguunt *Thomistæ* contra nos,qui tamen suis argumentis conuincuntur.

13 Tandem. Futura cōditionata cognoscũtur à Deo per scientiam visionis, quæ est infallibilis,inuariabilis,& intuitiua secundùm *Aduersarios*; sed futura conditionata non coexistunt æternitati, quia nunquam habebunt existentiam, vt ipsi asserunt;ergo existētia creaturarum non est,necessaria ad hoc, vt scientia Dei sit infallibilis,inuariabilis,& intuitiua.

14 Resp.*noster Gibbon n.7*.disparitatem esse, quia

quia futura conditionata cognoscuntur in decretis conditionatis indefectibilibus; non autem possunt coexistere æternitati, quia nunquam sunt habitura existentiam in tempore; at verò ad cognitionem futurorum absolutorum requiritur coexistentia in æternitate, quæ tantùm reddit cognitionem Dei præsentem omnibus, quæ habent esse in aliqua duratione; aliter hæc duratio non esset indefectibilis, atque adeò nec cognitio, neque decretum esset indefectibile.

Sed hæc responsio non soluit, quamuis sua obscuritate inuoluat rationem; nam sicuti in decretis conditionatis præcisa coexistentia in æternitate habetur infallibilitas, inuariabilitas, & intuitio scientiæ Dei; & sicuti decreta conditionata præcisa coexistentia sunt indefectibilia, quia ab intrinseco sunt simpliciter immutabilia; ita decreta absoluta etiam præcisa coexistêtia sunt indefectibilia, quia sunt ab intrinseco immutabilia; non enim recipiunt immutabilitatem à coexistentia extrinseca creaturarum; ergo sicuti futurum conditionatum ex vi solius decreti códitionati cognoscitur à Deo infallibiliter, inuariabiliter, & intuitiuè, & solum decrêtum conditionatum sufficit ad reddendam præsentem cognitionem Dei omnibus futuris conditionatis ad hoc, vt intuitiuè videantur; ita futurum absolutum ex vi solius decreti absoluti cognoscitur à Deo infallibiliter, inuariabiliter, & intuitiuè; & solum decretum absolutum sufficit ad reddendam cognitionem Dei præsentem omnibus futuris absolutis ad hoc, vt intrinsecè videantur.

15 Obijc. 1. *Beat. P. Aug. lib. 2. ad Simplic. q. 2. ait. Si autē sicut in ordine tēporaliū creaturarū, ita & apud eū nondū sunt, sed ea præuenit sciendo; bis ergo ea sentit, vno quidē modo secundùm futurorū præscientiā; alio verò modo secundū præsentiū sciētiā. Aliquid ergo temporaliter accedit sciētiæ Dei, quod absurdissimum, & falsissimum est*; quibus verbis expresse docet, quòd si Deus prius cognosceret creaturas, vt futuras; & postcà inciperet in tempore eas cognoscere, vt physicè sibi præsentes, successiuè variaretur scientia Dei.

Resp. hanc esse continuam hallucinationem *Aduersariorum*, qui falsò imaginantur *Beatiss. P.* loqui de præsentia extrinseca, cùm tamen manifestum sit loqui de præsentia secundùm esse intrinsecum, quod habent creaturæ in Deo, in quo nedum sunt secundùm essentiam, sed etiam secundùm existentiam, & præsentiam ad illam differentiam temporis, in qua erunt extra Deum, quia Deus continet in se ipso nèdum omne esse creaturarum, sed etiam omnem differentiam temporis; & de hac præsentia loquitur, cùm asserit *Deum omnia uidere in se ipso præter se nihil videns*; quibus verbis excludit illam præsentiam *Thomistarum*. *Vid. alias auctoritates allatas q. 2. art. 1; & q. 3. art. 1. n. 8; & art. 3. n. 7; & hic vbi sup.*

16 Obijc. 2. Si voluntas Dei inciperet velle aliquod, quod priùs nolebat, mutaretur; ergo, si scientia Dei inciperet velle in tempore aliquod sibi præsens, & coexistens, mutaretur; sicuti enim se habet voluntas respectu rei volitæ, ita scientia respectu rei scitæ.

Resp. retorquendo arg. Ita se habet scientia respectu rei scitæ, sicut voluntas respectu rei volitæ; sed licèt res volita incipiat existere in tempore, non mutatur voluntas illam volens ab æterno, quia ab æterno vult illam existere in tempore; & mutatio facta in tempore, cùm sit omnino extrinseca, non refundit in Deum mutationem intrinsecam; ergo, licèt res scita incipiat existere in tempore, non mutatur sciētia cognoscens illam ab æterno, quia illam cognoscit exituram solùm in tali tempore, non in omni tempore; aliter falsò cognosceret, & mutatio facta in tempore, cùm sit extrinseca, non mutat Deum intrinsecè. Mutaretur ergo voluntas Dei, si inciperet in tempore habere aliquam volitionem intrinsecam, quam priùs non habebat; sic mutaretur scientia, si aliquid videret in tempore intra Deum, quod priùs non videbat; sicut autem mutatio extrinseca facta in tempore non mutat intrinsecè voluntatem Dei; ita mutatio creaturæ in tempore extrinseca non mutat scientiam Dei, vnde hoc argumentum probat, non improbat nostram conclusionem.

17 Obijc. 3. Si creaturę fierent existentes in tempore, scientia Dei mutaretur de abstractiua in intuitiuam, quia ab æterno illas non videret, vt sibi præsentes, & coexistentes extrinsecè; quas tamen videret in tempore; ergo scientia Dei mutaretur.

Resp. neg. supp. Scientia enim Dei respectu creaturarum secundùm illud esse, quod habent ad extra, non est abstractiua, vel intuitiua, vt diximus *q. 2. art. 2*; non abstractiua, quia non videt essentias sine existentijs, nihil enim videt ab æterno extra Deum; cùm ab æterno creaturę non sint extra Deum; effectus enim, antequam producatur, non est extra causam, sed in causa; neque intuitiua; quia non fertur in creaturas immediatè, vt in se ipsis existentes.

18 Obijc. 4. De ratione scientiæ intuitiuæ est terminari ad obiectum, vt existens, & præsens in se ipso extra suam causam; quia cognitio rei in causa abstrahit ab exercitio ipsius existentiæ actualis; ergo, si creaturæ non essent præsentes Deo ab æterno, Deus non videret illas intuitiuè.

Conf. 1. Cognitio intuitiua est illa, qua cognoscitur res secundùm suum proprium esse formaliter; sed quando effectus cognoscitur in causa, cognoscitur per esse alienum, scilicet per esse ipsius causæ; ergo non cognoscitur intuitiuè. 2. Præsentia, quæ requiritur ad rationem scientiæ intuitiuæ, nequit esse præsentia in esse obiectiuo; aliter omnis cognitio esset intuitiua;

quia

quia omnis cognitio habet ſuum obiectum præſens ſaltem in eſſe obiectiuo; ergo debet eſſe præſentia in eſſe reali.

Ad arg.neg.ſupp; nam creaturæ nequeunt immediatè videri in ſe ipſis, & ad cognitionem intuitiuam requiritur viſio immediatè in ſe ipſis; vtrunque enim fatentur *Aduerſarij*. Diſt.ergo ant. De ratione ſcientiæ formaliter intuitiuæ,conc; ſuperintuitiuę,neg. Ad prob. inſertam diſt. Cognitio rei in cauſa illam continente imperfecto modo,idèſt ſecundùm rationes vniuerſales, quæ conſtituunt eſſentiam; non ſecundùm rationes particulares, quę conſtituunt exiſtentiam, eſt abſtractiua, conc; cognitio rei in cauſa continente perfectiſſimo modo ſecundùm rationes vniuerſales, & particulares, idèſt ſecundùm eſſentiam, & exiſtentiam, neg.

Ad 1. conf. diſt. mi. Quando effectus cognoſcitur in cauſa continente rem imperfecto modo ſecundùm eſſentiam, non ſecundùm exiſtentiam, cognoſcitur per eſſe alienum, conc; continente perfectiſſimo modo ipſam rem ſecundùm propriam eſſentiam, exiſtentiam, & pręſentiam, neg. Ad 2. diſt. conſ. Debet eſſe præſentia in eſſe reali vel in ſe ipſo, vel in ſua cauſa illud perfectiſſimè continente, conc; tantùm in ſe ipſo,neg. Prætereà conceditur totum de ſcientia intuitiua formaliter,ſed negatur de ſuperintuitiua; ac proinde neg.ſupp.

19 Obijc.5.*Ferrus*. Si creaturę non exiſterent ab ęterno, Deus non eſſet ab ęterno vidés creaturas exiſtentes extra ipſum,& fieret ſic videns in tempore; ergo intrinſecè mutaretur; nam hęc eſt differentia *iuxta D.Tho.* inter denominationes fundatas in actionibus tráſeuntibus extrinſecis, & fundatas in actionibus immanentibus intrinſecis; quòd illæ, etſi Deo adueniant in tempore, non mutant Deum; iſtæ verò, ſi aduenirent, mutarent ipſum intrinſecè, quia aliquid intrinſecum ipſi deficeret; ſed formalitas intuitionis eſt de genere actionum purè immanentium; ergo,ſi adueniret in tempore, mutaret intrinſecè Deum.

Reſp. diſt. ant. Non eſſet Deus videns ab æterno creaturas in ſe ipſo eo modo, quo extituræ ſunt in tempore,neg. In ipſis creaturis immediatè,conc; ſed hoc modo nequit eas videre, nec etiam in tempore. Ad prob.conſ. dicitur, quòd debebat *Ferrus* meminiſſe ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum,vt docet ſimul *cum alijs Thomiſtis*; manifeſtum autem eſt, quòd non cauſat res in ipſo Deo intrinſecè, quia nihil cauſatum eſt in Deo;& ſi cauſat extrinſecè, hoc neceſſariò debet eſſe per actionem tranſeuntem;quomodò ergo vocat modo ſcientiam viſionis de genere actionum merè immanētium; cùm actiones merè immanentes nihil cauſent tranſeunter? Dicitur itaque ſcientiam intuitiuam eſſe de genere immanentium, ſi ſumatur præcisè ſecundùm ſe ipſam; cauſare autem tranſeunter, quatenus coniungitur cum potentia tranſeunter agente; vt diximus *art.1.*

20 Inſt. *idem.* Viſio rei in ſe ipſa eſt certior cognitio, quæ de re poteſt haberi; quia res dicitur vera ab eo, quod eſt, vel non eſt; ergo ſi res non eſſent Deo præſentes ab æterno, Deus non habuiſſet hunc gradum certitudinis perfectionis ab æterno; & ideo eius ſcientia non fuiſſet ita certa, ſicut modò.

Reſp. neg. ant; nam,vt *ex Beatiſſ. P. Aug.* docent *Fundatiſſ. & Angelicus Doct*; res habent verius, & perfectius eſſe in Deo, quàm in ſe ipſis; quia in Deo habent eſſe incommutabile, & cognoſcitur per incommutabilem, & primam veritatē ſimpliciter,per quam verificātur cetera ab ipſo;vt diximus *de Verit.art.7.* Prętereà creaturæ in Deo habent eſſe perfectum ſine vlla imperfectione mutabilitatis, defectibilitatis, finitatis &c; & ideo in illo habent perfectiorem cognoſcibilitatem, & veritatem.

21 Inſt.2. Certiùs videt rem ille, qui videt ſecundùm determinationem, quam habet res in ſe ipſa; & ſecundùm determinationem, quam habet in ſua cauſa; quàm ille, qui videt rem ſecundùm determinationem ſolùm, quam habet in ſe ipſa; certior enim eſt cognitio, quæ oritur à duplici motiuo certitudinis, quàm illa, quæ oritur ab vno tantùm; ſed ſi creaturæ non eſſent præſentes ab æterno, Deus videret illas ſolùm ſecundùm determinationem, quam habent in Deo; non verò ſecundùm determinationem, quam habent in ſe ipſis; ergo eas non videret æquè infallibiliter.

Reſp. diſt. ma. Quotieſcunque determinatio cauſæ non continet perfectiori modo determinationem effectus in ſe ipſa, conc; quotieſcunque determinatio cauſæ continet determinationem effectus in ſe ipſa perfectiori modo, quàm ſit in ſe ipſo, neg. ma; & mi; nam creaturę in Deo vidētur ſecundùm determinationem, quam habituræ ſunt in ſe ipſis, quia videntur etiam ſecundùm gradus particulares,ſecundùm quos ſumitur determinatio effectus in ſe ipſo; & iſti gradus particulares, prout ſunt in Deo, ſunt incommutabiles ſimpliciter;& ideo certiorem reddunt cognitionem.

ART. VI.

An futura poſitiua abſoluta videantur in decreto poſitiuo abſoluto?

1 IN hac difficultate poſſunt data manu pacificè conuenire *principaliores Scholæ*, in quibus acriùs certatur circa alterum modum cognoſcendi futura; ſi tamen præſcindatur modus admittendi decretum; & hoc ſine præiudicio ſententiæ cuique propriæ; nam abſtrahendo, an decretum abſolutum ſupponat cognitionem anteriorē futuri in ſtatu conditionato per ſcientiam mediam, vt docent *PP. Societatis*; &

an

an hoc decretũ sit idem, ac conditionatum, quod posita conditione fit absolutum; vel aliud nouũ; & an hoc decretum sit prædeterminans, vt volunt *Thomistæ*; vel concomitans, vt volunt aliqui *Scotistæ apud Mastrium*; vel an hoc decretum sit prædeterminans in statu naturæ lapsæ, & indifferens in statu innocentiæ; vt putant *aliqui*, qui peculiari nomine ambiunt vocari *Augustiniani*; vel simpliciter inspirans; omnes tamen isti conuenire possunt futura absoluta cognosci in decreto absoluto. Quapropter *Fasol.* diligentissimus versator *Auctorum*, *& PP*; & post *Sua*; *& Vasq.* exactior in referendis *aliorum*, *& suorum* sententijs; propter quod magna fides ei adhibenda est; statuit tanquam certum in *Schola PP. Societatis*, & tanquam documentum *Iunioribus* ad tollẽdam confusionem, & acceptionem suæ sententiæ in malam partem, futura absoluta cognosci in decreto absoluto supponẽte tamen cognitionem eorum in statu conditionato independenter à decreto absoluto ex parte actus. Hęc habet 1.*p.q.*14. *art.*13. *dub.*12. *n.*191. his verbis. *Ne Iuniores Theologi in huiusmodi controuersijs minùs versati confundantur, & nostras sententias immeritò in malam partem accipiant, ad cognoscenda futura contingentia absoluta, expressimè Sua. Opusc. de Scient. fut. lib.*1. *c.* 8. *circa finem, in quo capite ponit suam opinionem de videre per simplicem intuitum veritatis, & Vasq. disp.*65. *per totam, vbi ponit opinionem suam de videre ex veritate obiecti, & infinitate scientiæ, docent esse necessarium cognoscere aliquod liberũ Dei decretum; ad cognoscenda verò futura conditionata, sicut & illorum veritatem obiectiuam, non esse necessarium vllum Diuinæ voluntatis decretum in actu positum, sed solùm sub conditione ponendum Sua; & Vasq; & alij Societatis nostræ Theologi, loquendo præsertim de decreto prædeterminante, in quo antecedenter à Deo cognosci possint effectus liberi, constantissimè tuentur.* Idem habet *Bec.*1.*p.Tract.*1.*c.*10.*q.*11.*concl.*1.

De *Thomistis* autem nulla est difficultas, cùm omnes substineant cognosci omnia futura in decreto voluntatis Dei antecedentẽ scientiam mediam. Idem habent *Scotistæ ex Scoto in* 1.*dist.*39.*q.*1. cum hac differentia, quòd volunt hoc decretum vtique antecedere scientiam mediam; non autem actum liberum, quẽ tantùm concomitatur, vt habet *Mastrius disp.*3.*q.*3.*art.* 8. *n.* 168. Si ergo pax *inter Scholas* esse potest, nec nos bellum volumus.

2 Solùm aliqui *Nominales* id negant; inter quos noster *Greg.disp.*38.*q.*2.*art.*2; vbi ait medium cognoscendi futura esse à nobis incognoscibile.

Quanuis autem *omnes Scholæ* id vniuersaliter doceant, non desunt tamen aliqui *particulares Doctores*, qui negant; vt *ex PP.Soc. Albertin; & Aldret*; & ex nostris *Putean; & Mendoza.*

Alij tandem volunt Deũ cognoscere contingentia in sua essentia, & in suo esse, & in Idæis post decretum ita, vt decretum non sit medium cognoscendi, sed tantùm conditio *sine qua non.* Ita noster *Villanouan.disp.*3.*dub.*7.*c.*1. *n.*330; vbi refert *B.Doct; & Ger.* Hunc sequitur noster *Lassosse hic q.*5.*c.*5.§.1. Contra quos.

3 Vnica concl. Deus cognoscit omnia futura absoluta in decreto suæ voluntatis.

Prob. 1. *Esth.* 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere volontati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti Cælum, & terram, & quidquid Cæli ambitu cõtinetur. Dominus omnium es, nec est, qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis. Et Isaiæ* 46. *Annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt, dicens, consilium meum stabit, & omnis volũtas mea fiet.*

Et *Beatiss.P.Aug. de Præd.SS. c.*17. *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit; & c.*18. *Non ergo, quia futuri eramus, sed vt essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus. Et lib.*3. *de Trin.c.*4. *Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium specierum, atq; motionum; nihil enim fit visibiliter, & sensibiliter, quod non de interiore inuisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur secundùm ineffabilem iustitiam præmiorum, atque pœnarum.*

Idem habet *D.Hil.* 9. *de Trin. Quod Deus facere decreuit, in sua voluntate cognouit.*

Idem habet *Fundatiss. Doct. in* 1. *dist.* 45. *princ.*2.*q.*1; vbi in terminis concludit voluntatẽ Dei esse causam supremam omnium rerum.

4 Ex his prob.1.concl. Causa est optimum medium ad cognoscendos suos effectus; sed Diuina voluntas est causa omnium futurorum absolutorum; ergo est optimum medium ad cognoscẽda omnia futura absoluta. Ma. probata est *To.*1.*q.*1.*de Subst.Dei art.*1.§.2. *n.*17; & est cõmunis sensus omnium Philosophorum docentium scientiã esse cognitionẽ rerum per causam; si autem causa non esset medium, seu ratio cognoscẽdi effectum, falsa esset definitio scientiæ, quia per cognitionem causæ non duceremur in cognitionem effectus; illud enim est medium cognoscendi aliud, per quod ducimur in cognitionem illius. Tum quia illud, quod in se ipso continet aliud actiuè, potest esse ratio cognoscendi illud. Tum quia cognitio sequitur ad esse rei; sed effectus habet esse nedum in se ipso, sed etiam in causa; ergo habet cognosci nedum in se ipso, sed etiam in causa. Mi. patet ex supradictis auctoritatibus, & prob; quia si voluntas Dei non esset causa rerum, idest si Deus non causaret res per voluntatem, Deus non esset Agens formaliter liberum; cùm libertas consistat formaliter in voluntate; sed esset agens ex nece-

neceſſitate naturæ; nam quia voluntas hominis non eſt principium actuum naturalium hominis; ideo homo reſpectu talium actionum eſt agens ex neceſſitate,non ex libertate; ita à pari.

5 Prob.2. Ideo Diuina eſſentia in ratione ſpeciei,& Idææ eſt ratio cognoſcendi creaturas, quia in ratione ſpeciei, & Idææ continet eſſe creaturarum; ſed etiam cauſa,vt cauſa,continet eſſe ipſius effectus;ergo etiam cauſa, vt cauſa, eſt ratio cognoſcendi effectus; ſed Diuinum decretum eſt cauſa futurorum abſolutorum; ergo Diuinum decretum eſt ratio formalis cognoſcendi futura abſoluta.

Conf. Ideo Deus comprehendens ſuam omnipotētiam cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, quia eſt cauſa illas perfectiſſimè continēs;ſed decretum Diuinum eſt cauſa perfectiſſimè continens futura abſoluta; ſicuti enim effectus neceſſarij continentur in potentia neceſſaria; ita effectus liberi in cauſa libera; ergo Deus comprehendens ſua decreta cognoſcit futura abſoluta.

6 Prob.3.In tantū cauſa nequit per ſe ipsā repræſentare intellectui ſuos effectus, in quantùm vel illos perfectè nō continet, vel ob ſuam materialitatem non eſt actu per ſe intelligibilis, & vnibilis intellectui in ratione obiecti; ſed Diuina voluntas perfectiſſimè continet futura abſoluta, quia illa continet ſecundùm rationes vniuerſales,& particulares; & eſt ſummè immaterialis,& ideo per ſe actu intelligibilis, ac vnibilis intellectui Diuino in ratione obiecti; ergo poteſt per ſe ipſam repræſentare futura abſoluta intellectui Diuino, & per conſequens eſſe medium illa cognoſcēdi.Prob.ma.Species ponitur in intellectu,quando ipſum obiectum ob defectum immaterialitatis nequit eſſe per ſe intelligibile; quapropter eſt *vicaria obiecti*; vt communiter dicitur; & ob hanc rationem ſubſtantia Angeli intelligitur per ſe, non per ſpeciem ab ipſo Angelo; & ideo ſpecies repræſentatiua hominis nequit repræſentare Angelum, quia illum nō continet perfectè ſecundùm ſuos gradus ſpecificos, & indiuiduales; eſtò illum contineat ſecundùm gradus genericos cōmunes Angelo,& homini,vt v.g. ſubſtantiæ,viuentis &c.Prob.mi. Ita ſe habet Diuina voluntas reſpectu effectuum futurorum, ſicut omnipotentia reſpectu poſſibilium; quia ſicuti poſſibilia ſunt obiectum potentiæ formaliter neceſſariæ, ita futura ſunt obiectum potentiæ formaliter liberæ,quæ eſt voluntas; ſed omnipotentia perfectiſſimè continet omnia poſſibilia, & eſt ſummè immaterialis, quia eſt actus puriſſimus excludens omnem potentiam paſſiuam, quæ eſt formaliter materialitas; ergo Diuina voluntas perfectiſſimè cōtinet futura abſoluta,& eſt ſummè immaterialis, & actu per ſe intelligibilis, ac vnibilis intellectui Diuino in ratione obiecti; & ideo non indiget cognoſci per ſpeciem.

Conf. Ideo intellectus Dei videt per Diuinam eſſentiam immediatè omnia attributa, quia Diuina eſſentia perfectiſſimè continet illa, & eſt perfectiſſimè intelligibilis per ſe abſque ſpecie, quia eſt ſummè vnita intellectui Diuino in ratione obiecti; ſed etiam Diuina voluntas reſpectu futurorum abſolutorum eſt huiuſmodi; ergo eſt ratio immediata cognoſcendi futura abſoluta.

7 Dices attributa in eſſentia, & creaturas poſſibiles in omnipotentia contineri neceſſariò; futura autem abſoluta contineri liberè, & contingenter;ideo eſſentia poteſt eſſe ratio videndi attributa,& omnipotentia creaturas poſſibiles; non autem Diuina voluntas futura abſoluta.

Sed contra eſt; nam licèt futura abſoluta contineantur liberè,attamen verè,& actu continentur; ergo Diuina voluntas poteſt eſſe ratio illa videndi; ſola enim continentia eſt ratio videndi;neceſſitas autem,& contingentia facit ſolùm,quòd neceſſariò, & contingenter videātur. Tum quia,licèt futura contineantur in voluntate contingenter abſolutè, attamen ex ſuppoſitione, quòd ſemel ſint futura, continentur neceſſariò; quia Diuina voluntas non eſt volubilis de volitione in volitionem, ſicut Diuina mens non eſt vertibilis de cognitione in cognitionē; quod ſine mutatione eſſe non poſſet; ergo ſi cōtinentia neceſſaria, & immutabilis eſt ratio immediata videndi res contentas;cùm Diuina voluntas ſuppoſito,quòd ſemel decreuerit futura, illa ex vi talis ſuppoſitionis neceſſariò velit,erit ratio immediata illa videndi. Ita ſpeculum,quāuis contingenter contineat aliquam ſpeciem,attamen neceſſariò videtur ab oculo aſpiciente ſpeculum; ideo ſola continentia ſufficit ad hoc, vt aliquod ſit ratio cognoſcendi rem contentā.

8 Obijc.1. *Noſter Laſoſſe.* Decretum non eſt in ordine intellectuali, & repræſentatiuo;ergo nequit eſſe medium formale cognoſcendi futura.Ant. patet; quia decretum eſt in ordine volitiuo,cùm ſit actus voluntatis.Prob.con.Ideo voluntas non cognoſcit,quia non eſt in ordine cognoſcitiuo; ergo decretum non eſt medium cognoſcendi, quia non eſt in ordine intellectiuo.2. *Beatiſs.P.Aug.12.de Trin.c.2.*ait. *Rationis eſt iudicare de iſtis corporalibus ſecundùm rationes incorporales, & ſempiternas*; ergo ſolæ idææ ſunt rationes cognoſcendi. 3. *Fundatiſs.Doctori* tribuitur hæc opinio, tanquam ſingularis, quòd ſcilicet cognoſcat creaturas ſolùm per idæas,nō verò per decretum; vt patet *in 1.diſt. 36.q. 3; & alibi.*

Reſp.ad 1.diſt. ant. Decretum non eſt in ordine intellectuali, & repræſentatiuo conſideratum ſub ratione volitiui, conc; ſub ratione intelligibili, neg; eadem enim res ſub diuerſa ratione eſt intelligibilis, & volibilis, aliter voluntas Dei nō eſſet per ſe ipſam intelligibilis; quod nullus dixit.Ad prob.dicitur, quòd licèt volun-

tas

tas non sit principium intelligẽdi, est tamen per se ipsam intelligibilis, quatenus est ens diuinū, ad quod sequitur intelligibilitas. Quanuis autẽ decretum non sit in ordine repræsentatiuo, nisi quatenus est intelligibile, attamen ex hoc non sequitur, quòd cognoscatur per idæam, quia datur tantùm idæa creaturarum, cùm solæ creaturæ sint factibiles; non autem prædicatorum diuinorum, vt *infra* ostẽdemus *cum Fundatiss. Doct*; ergo quanuis decretum non sit ratio cognoscẽdi creaturas, nisi quatenus intelligibile, ex hoc non infertur, quòd creaturæ non cognoscantur, nisi per idæas. Sicuti licèt substantia Angeli nõ cognoscatur per se ipsam ab ipso Angelo, nisi quatenus est intelligibilis, non sequitur, quòd ipsa substantia Angeli sit idæa sui, aliter esset causa productiua sui ipsius, quia de ratione idæę, est esse causam productiuam ideati. Item licèt Diuina essentia non cognoscatur, nisi quatenus est intelligibilis, attamen non sequitur, quòd cognoscatur per idæam sui. Esse ergo intelligibile latiùs patet, quàm esse Idæam; nec est idem adęquatè cum illa. Ad 2. dicitur *Beatiss. P.* velle tantùm, quòd creaturæ cognoscantur per idæas; nõ tamen, quòd per solas idæas cognoscantur; quia cognoscuntur etiam per Diuinam voluntatem, in qua continentur, tanquam in causa; vt visum est in eius auctoritatibus *superiùs* allatis. Et ratio est; quia creaturæ in tantùm cognoscuntur in Idæis, in quantùm continentur in illis, tanquam in causis exemplaribus; sed etiam continentur in voluntate Diuina, tanquam in causa effectiua; ergo ratione talis continentiæ cognoscuntur vtrobique sub diuersa ratione. Ad 3. dicitur eodem modo; quòd *B. Doct*; dum asserit cognosci in Idæis, non negat cognosci in voluntate; sicut dum ait contineri in Idæis, non negat contineri in voluntate; sicut enim diximus *ex eodem To. 1. de Emin. Dei art.* 4; creaturæ possibiles continentur non solùm in Idæis speculatiuis, sed etiam in omnipotentia; ita creaturæ futuræ continentur non solùm in Idæis practicis, sed etiam in volũtate, à qua habent formaliter futuritionem. Præterea falsò tribuitur hæc opinio tanquam singularis *B. Doctori*; sicuti falsum est, quòd nullibi dixerit cognosci in decreto; nam *Quodl. 3. q. 4.* ait: *Non pertinent ad aliquam scientiam visionis, nisi quatenus sunt volita, vel permissa*; vbi illa particula *quatenus* reduplicat rationem formalem videndi, non sunt autem volita, vel permissa, nisi per decretum affirmatiuum, vel permissiuum. *Et dist. 35. princ. 1. q. 2. & 4.* docet Deum cognoscere omnes creaturas distinctè in se ipso, vt in causa libera agente ex beneplacito; patet autem, quòd non est causa libera, nisi per voluntatem. Idem habet *innumeris alijs in locis.*

9 Instat *idem* §. 2. *ad* 2; *& Villanou. c. 3. n. 356. Beatiss. P. Aug*; quando ait Deum futura præscire in sua voluntate, intelligẽdus est, quòd illa non cognoscat, nisi dependenter à decreto, tanquam à conditione *sine qua non*; non autem tanquam à medio formali cognoscendi.

Sed contra est; quia hoc omnino gratis dicitur; cùm decretum per se ipsum sit intelligibile, vt causa creaturarum; etiansi præscinderentur Idæę; nec auctoritas allata à *Lafosse* docet, quòd non cognoscantur per decretum; patet enim, quòd vnum affirmare non est aliud negare; ideo ex eo, quòd asserat cognosci per Idæas, non sequitur, quòd neget cognosci per decretum, aliter negaret etiam de possibilibus cognosci per omnipotentiam. Præterea *ex eodem cont. Faust. lib. 26. c. 5.* habetur, quòd Deus videt futurum fore, vbi est futurum, sicut videt præteritum *iam fuisse, vbi verum erat, antequam fieret, futurum esse, quod non erat*; sed futurum, quod non erat, erat in voluntate ipsius Dei; quæ sola fundat veritatem de futuritione; intellectus enim non est causa futuritionis, nisi quatenus coniungitur cum voluntate; ergo manifestè docet voluntatẽ Diuinã esse medium formale cognoscẽdi futura.

10 Obijc. 2. *noster Villan.* Decretum non continet in se intelligibilitatem futurorum; quia in suo conceptu essentiali dicit solùm amorem illorum; ergo nequit esse ratio cognoscendi futura; quia ad rationem cognoscendi requiritur continẽtia intelligibilitatis, vt docet *Fundatiss. Doct. in Opusc. de Laud. Diuinæ sap. c. 16.* Præterea si futura cognoscerẽtur solùm in decreto, vt in medio, Deus non posset cognoscere futura, nisi reflexè, quia cognoscendo decretum reflecteret supra suum actum; sed cognitio reflexa oritur ex imperfectione intellectus; quia noster intellectus pro hoc statu nequit cognoscere particularia, nisi reflexè, propter suam potentialitatem; ergo futura non cognoscuntur solùm in decreto.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad prob. infertam dicitur, quòd decretum dicit amorem, qui per se ipsum est intelligibilis, & ideo per se ipsum potest esse ratio cognoscendi futura. Imò ex hoc arguitur *nostra concl*; nam cùm voluntas contineat esse futurum creaturarum, quia ad esse futurum necessariò sequitur nedum amabilitas, & volibilitas, sed etiam intelligibilitas, quæ sunt passiones entis ordinati ad existentiam; ideo sicut illud esse, quatenus amabile terminat actum voluntatis; ita quatenus intelligibile terminat actum Diuini intellectus. Ad 2. resp. nos non asserere futura cognosci solùm, sed etiam in decreto; ideo nihil contra nos. Insuper si cognoscerentur solùm in decreto, adhuc non cognoscerentur reflexè; quia cognitio reflexa non est illa, quæ reflectit supra quencunque actum, vnde quando meus intellectus cognoscit meam ambulationem, non dicitur reflectere; sed est illa, qua intellectus reflectit supra suum proprium actum, vt cùm cognoscit se cognoscere; ergo quando cognoscit suum decretum, non reflectit, quia decretum non est actus intellectus, sed voluntatis.

11 Instant *Alij in M.S.* Quando *B. Doct.* agit de cognitione futurorum contingentium, recurrit ad præsētiam in æternitate in esse obiectiuo,non ad decretum;vt patet *ex dist.*38.*princ.* 3.*p.* 1; ergo decretum non est ratio cognoscendi futura.

Resp.recurrere ad æternitatem, non vt ad rationem formalem cognoscendi, sed vt ad rationem formalem inuariabilitatis cognitionis; quærit enim *in illa quæst;an Deus cognoscat*, non quidem simpliciter *sed infallibiliter futura*. Vnde licèt decretum non esset æternum,attamen, prout causa,esset ratio cognoscendi, licèt variabiliter;quia posset nō esse,& sic variaretur cognitio. Recurrit ergo ad æternitatem, quatenus futura habent esse determinatè,& infallibiliter futurum in illa; sed non habent esse determinatè, & infallibiliter futurum in æternitate, nisi per decretum,à quo est omnis futuritio absoluta; ergo recurrit ad decretum, prout stat sub æternitate;& sic recurrit ad vtrunq; sub diuersa ratione,vt dictum est.

12 Obijc.3.Cognitio, qua res videtur in se ipsa, est perfectior, quàm illa, qua videtur per causam; sed Deo tribuenda est cognitio perfectior; ergo Deus non cognoscit creaturas per decretū,quod est causa illarum. Mi.patet. Prob. ma. Si cognitio,qua res cognoscitur in se ipsa, non esset perfectior,sequeretur, quòd cognitio, qua cognoscitur Diuina essentia, esset minùs perfecta, quia Diuina essentia causā non habet.

Resp. neg. ma. Ad prob. neg. seq; in tantùm enim cognitio, qua cognoscitur creatura per Diuinum decretum,est perfectior,quàm cognitio, qua cognoscitur per se ipsam; in quantū medium cognoscendi,quod est Diuinum decretum,est perfectius, quàm creatura; at verò motiuum, quo cognoscitur Diuina essentia, est ipsa Diuina essentia,qua nihil perfectius esse pōtest; ideo talis cognitio est perfectissima.

13 Obijc.4. Voluntas Diuina non est causa adæquata futuri liberi; quia ad illud etiam concurrit voluntas creata; ergo nequit esse ratio adæquata cognoscendi futurum liberum.

Resp. neg. ant; ex eo enim,quòd voluntas creata concurrat ad futurum liberum, arguitur solùm, quòd sit causa subordinata, & voluntas Diuina causa subordinans; non tamen arguitur, quòd sint duæ causæ inadæquatæ, & partiales; aliter daretur aliquod in effectu,quod non esset productum à voluntate Diuina, & sic voluntas Diuina non produceret futurum secundùm omnes rationes vniuersales, & particulares, cuius oppositum constat ex dictis *q.*2.*art.*3.

14 Obijc.5.*Vasq;*qui licèt substineat decretum Diuinum esse causam remotam futuri absoluti, tamen negat esse causā proximā cognoscendi futura,sic. Tunc causa esset ratio cognoscendi effectum, quando realiter refertur ad illud, relatiua enim sunt simul cognitione; sed Diuinum decretum non refertur ad res futuras; ergo non est ratio illas cognoscendi. 2. Causa quæ est ratio cognoscendi effectum, essentialiter dependet ab effectu; Diuinum autem decretum nequit dependere à creaturis. 3.Decretum Dei constituitur per respectum rationis; ergo nequit esse medium cognoscendi creaturas; aliter cognosceret illum respectū rationis; & sic illud efformaret.

Resp.ad 1. neg. ma; nam licèt relatiua sint simul cognitione, non tamen omnia illa, quæ sunt simul cognitione, sunt relatiua; vt in casu. Ad 2. neg. ma; nulla enim causa dependet ab effectu, quia nulla causa accipit esse ab effectu, sed è contra; dependentia autem sumitur secundùm esse. Ad 3. neg. ant; vt *infra de Volunt.* Tum quia licèt decretum constitueretur formaliter per respectum rationis,non tamen adęquatè consisteret in ipso respectu; sed in entitate actus Diuini, prout affecta tali respectu; quæ entitas contineret in se ipsa omne esse futurum, & ideo in illa entitate videretur,non autem in respectu.

15 Obijc.6. Diuina essentia ante decretum non repræsentat futura; ergo neque post decretum, quia decretum non addit, nisi aliquod rationis, quod nequit repræsentare futurum,quod est aliquod reale; si enim adderet aliquod reale, Diuina essentia mutaretur. 2. Futura contingentia non habent determinatam veritatem in causa libera; sed Diuina voluntas est causa libera; ergo in ipsa nequeunt repræsentari.

Resp. ad 1. neg. con. Ad prob.neg. assumptum, vt dictum est supra. Ad 2.dist. ma. Non habent determinatam veritatem posito decreto, neg; præciso decreto,conc.

16 Obijc.7.Prophetia comminatiua indicat futurum,tam in causa creata, quàm in increata, & tamen tale futurum est fallibile. 2. Causa remota, & vniuersalis nequit repręsentare infallibiliter effectum; quia potest impediri à causa particulari, vt patet de Sole,in quo nequit certò cognosci generatio floris; ergo futurum nequit infallibiliter cognosci in decreto Diuino, quod est causa remota, & vniuersalis illius.3. Si scientia visionis fundaretur in decreto, distingueretur virtualiter à scientia simplicis intelligentię, & sic essent duo attributa, quod nullus dixit; nam illa distinguuntur virtualiter, quę habent medium cognoscendi virtualiter distinctum, decretum autem, quod esset medium cognoscendi futura, distinguitur ab omnipotentia,quæ est medium cognoscendi possibilia.

Resp. ad 1. dist. 2. part. ant. Est fallibile respectu voluntatis creatæ, conc; Diuinæ, neg. Ad 2. omisso ant. neg. con; Deus enim ita est causa vniuersalis, vt etiam sit propria cuiusque creaturæ,vt dictum est.*q.*2.*art.*3.Ad 3.neg.seq; distinctio enim potentiarū sumitur ex distinctione obiectorum formalium, non ex distinctione mediorum.

Obijc.

17 Obijc. 8. Vel hoc decretum prædeterminat noſtram voluntatem antecedenter ad actum; vel concomitatur actum voluntatis; vel ſupponit ſcientiam mediam explorantem conſenſum voluntatis in ſtatu conditionato; vel ſubſequitur ad actum noſtræ voluntatis? Si primum, & ſecundum, ergo tollitur libertas; nam *D. Anſel. lib. 1. Cur Deus homo c.18.* ait; quòd *omnis ſuppoſitio antecedens, quæ non deſcendit ex libertate, & electione noſtræ voluntatis, tollit libertatem.* Et ſic decretum concomitans, quia traheret ineluctabiliter voluntatem, tolleret libertatem. Si ſecundum, ergo lęditur efficacia gratiæ. Si tertium; ergo futurum priùs eſt futurum, quàm ſit decretum; & ideo in ipſo nequit videri.

Reſp. hanc obiectionem ſoluendam eſſe *in ſeq. quæſt.* Dicimus autem pro nunc tale decretum non eſſe prædeterminans, aut antecedens, neque concomitans tanquam aliquid extrinſecum; neque ſupponens ſcientiam mediam, neque ſubſequẽs; ſed eſſe ipſam inſpirationem, ſeu infuſionem actus liberi noſtræ voluntatis; cùm autem actus liber non tollat libertatem, vt *infra* oſtendetur *ex Apoſt; & eius Alumno Aug;* ideo non ſequitur, quod intendit obiectio.

ART. VII.

An Deus cognoſcat peccata futura abſoluta in decreto permiſſiuo abſoluto?

1 NEque *hic* cum aliquo bellum intendimus, quia pacem conſeruare, quandiù poſſumus, volumus; nam diſſidium eſt ſolùm circa modum explicandi decretum, vt diximus *in ſup. art;* & explicare modum, quo à nobis admittitur decretum permiſſiuum, non poſſumus, niſi priùs veram, ac germanam *Beatiſs. P.* ſententiam circa hoc aperiamus; quod *ſeq. quæſt.* reſeruamus; vt ex ijs, in quibus conuenimus, fortiùs arguamus ea, in quibus differimus; hic enim eſt verus, & proprius modus arguendi.

Duo ergo, quæ pacem dirimunt *inter Auctores,* pro nunc præſcindimus. Primum eſt; an hoc decretum anteeedat, vt volunt *Thomiſtæ,* omnem præſcientiam futurorum in ſtatu conditionato, quam *mediam* appellant; vel ſupponat ſcientiam mediam futurorum in ſtatu conditionato; in quo Deus vidit, quòd ſi voluntas creata ponatur cum talibus auxilijs ſufficientibus, liberè diſſentiet; & poſteà Deus decernit permittere eam diſſentire, negando ei alia auxilia maiora, cum quibus prænidit eam conſenſuram ad bonum? Secundum eſt; an Deus poſitiuè decernat, & cauſet materiale peccati, ſeu entitatem phyſicam, quæ ſubſternitur, & ſubijcitur deformitati morali, ſeu malitiæ ipſius peccati? Horum primum reſoluemus *in ſeq. quæſt;* ſecundum autem *in Tract. de Volunt.*

Loquendo igitur in hac præciſione teneri etiam *à PP. Soc.* affirmatiuè concl. *infra* poncndam patet nedum *ex Martinez contr.3. diſp.1. ſect.2. concl.4;* vbi ait: *Nihilominus omnia futura, ideo ſunt futura futuritione in cauſa, quia in cauſa prima ab æterno fuit, vt fierent, nempe bona prædefiniendo, & mala permittendo;* verum etiam conſtat *ex Faſol.* expreſsè loquente ex communi ſententia *Societatis 1. p. q. 14. art.13. dubit. 11. n. 145;* profitetur enim *iſte Auctor* ſe ingenti labore euoluiſſe *omnes ſuos DD; & alienos,* vt ex illorum dictis ſententia *Societatis* afferret.

2 Supponimus autem decretum permiſſiuũ *eſſe actum voluntatis Diuinæ, quo Deus vult aliquibus negare tale auxilium, cum quo conſentirēt.* Nec iſta denegatio eſt impia, aut indigna Deo; nam vel iſta denegatio poteſt conſiderari in ſtatu Innocentiæ, & ſic ſatis fuit Deum conceſſiſſe tale auxilium, per quod potuiſſet conſentire, ſi voluiſſet, quod vocatur auxilium *ſine quo non;* quanuis denegauerit auxilium, *quo* actu conſentiret. Vel in ſtatu culpæ originalis; & ſic talis denegatio eſt pæna illius; & auxilium, *quo* voluntas conſentit, cui datur, ex mera gratia, & miſericordia datur; cui autem negatur, meritò negatur, *occulto quidem Dei iudicio, ſed iuſtiſſimo;* vt ait *Beatiſs. P. Aug. Ep.105. ad Sixtum, & de dono Perſeu. c.8. Quem certè in vno veſtrum benignum largitorem, in te verò exactorem iuſtiſſimum, in nullo tamen cernis iniuſtum;* & colligit hoc *ex Apoſt. Rom.9;* vbi poſtquam exemplo vaſis *à Figulo* efformati in contumeliam præ alio efformato in honorem; ait: *Nunquid eſt iniquitas* (idêſt iniuſtitia) *apud Deum? Abſit.*

3 Quòd verò detur hoc duplex decretum poſitiuum, & permiſſiuum, manifeſtè traditur *à Beatiſſ. P. Auguſt. in Enchir c.39;* vbi ait: *Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo* (idêſt permittẽdo) *vt fiat, vel ipſe faciendo.* Idem habet *Fundat. Doct. loc. cit. in ſup. art; & in 2. diſt.35. q.1. art.2. §. Nos autem; & in Ep. ad Rom. c.9. lect.1. dub.5; 6; & 8;* vbi reddit rationem, quare Deus debuit mala permitere; *ſed de hoc ſuo loco in Tract. de Volunt. Dei.* Suppoſitis igitur hiſce decretis.

4 Vnica concl. Deus videt peccata abſolutè futura in decreto permiſſiuo; & ſuppoſito pro nunc, quòd poſitiuè decernat entitatem materialem phyſicam peccati, ea, nõ videt ex vi talis decreti poſitiui.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. Aug. 15. de Trin. c.13;* vbi reijciens opinionem aſſerentiũ Deum ſcire peccata ſolùm ex relatione Diaboli, ait. *Nunquid Deus Pater ea ipſa, quæ non per corpus, quod eſt ei nullum, ſed per ſe ipſum ſcit, aliunde ab aliquo ſcit, aut nuncijs, vel teſtibus, vt ea ſciret, indiguit? Non vtique; ad omnia quippe ſcienda, quæ ſcit, ſufficit ſibi illa perfectio. Habet quidem nuncios, idêſt Angelos, non tamen, qui ei, quæ neſcit, annuncient. Et 5. de Ciu. c. 10;* poſtquam dixit, quòd Deus cognoſcit ea bona, *quæ ſe precanti-* bus

bus concessurum esse præsciuit;subdit.*Neque enim, ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit; imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat,quia ille, cuius præscientia falli non potest,non fatum, non fortuna, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit; quòd si nolit omnino,non peccat,sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit*;& *de Præd.SS.c.10.Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia;prædestinatione quippe Deus ea cognoscit, quæ fuerat ipse facturus;vnde dictum est*.Fecit,quæ futura sunt;*Præscire autem potens est etiam,quæ ipse non fecit,sicut quæcunq;peccata*.Ex quibus clarè patet Deum per se ipsum cognoscere omnia opera nostra siue bona,siue mala;bona quidem causando, mala verò non causando, sed permittendo, & in sua permissione tantùm præsciēdo.

5 Formatur sic hæc ratio pro 1.parte concl. Omnis defectus rei cognoscitur per id,per quod cognoscitur res,negatiuè explicatum, non positiuè;sed peccatum est defectus bonitatis operis; ergo cognoscitur per id, per quod cognoscitur bonitas operis, explicatum non quidem positiuè,sed negatiuè; atqui id, per quod cognoscitur bonitas operis, est actus voluntatis Diuinæ positiuè explicatus, quatenus illam ponit, & causat; quia Deus omnes suos effectus futuros cognoscit in suo decreto,vt diximus *in sup.art*;ergo id, per quod cognoscit peccatum, est actus, seu decretū suæ volūtatis negatiuè explicatum, & ideo est nolitio, seu negatio actus boni, qua non causat,sed tantùm permittit;permissio enim nihil aliud est, quàm negatio gratiæ, seu non causatio operis boni, aut rectitudinis debitæ. Ma. patet;quia *Rectum est index sui, & obliqui*, vt sæpè arguit *Fundatiss.Doct. in 2.sent*; & ideo per esse hominis cognoscitur negatio equi, quā habet adiunctam esse hominis; per lucem negatiuè sumptam cognoscitur obscuritas, quæ est defectus lucis;& sic de reliquis. Mi.etiam constat;nam peccatum est essentialiter defectus bonitatis,seu rectitudinis, & conformitatis ad primam regulam,& legem æternam.

Conf. Per decretum positiuum, quod ponit,& causat in nostra voluntate actum bonum, cognoscitur actus; ergo per decretum permissiuum;quod non ponit,nec causat in nostra voluntate actum bonum, cognoscitur carentia,seu non positio actus boni; sicuti enim causa ponēs effectū est optimū mediū ad cognoscendū effectū; ita nō causa alicuius est optimū medium ad cognoscendā non positionē,seu carentiā operis; sed peccatum est nō positio, seu carentia operis boni cū debito habendi illud;& decretū permissiuum est actus non causans opus bonū;ergo per decretum permissiuum cognoscitur peccatum.

Ampliùs explicatur. Cum decreto permissiuo stat simul carentia operis boni in esse futuro,sicut cum decreto positiuo stat simul positio in esse futuro operis boni; sed carentia operis boni cum debito ponendi illud est peccatum; ergo cum decreto permissiuo stat simul peccatum in esse futuro; sed Deus videns decretum positiuum videt simul actum bonum futurum, qui stat simul cum decreto positiuo; ergo videns decretum permissiuum videt peccatum, quod stat simul cum illo. Ma. patebit *in seq. q*; nam per decretum positiuum, vt videbimus, non ponitur in nostra voluntate aliquid antecedens ipsum actum liberum,sed ponitur ipsa entitas actus, quæ est gratia ipsius Dei; ergo per decretum permissiuum, quod est negatio talis actus boni,ponitur in voluntate carentia operis boni, per quam constituitur peccatum in esse futuri.

Rationes autem *Recentiorum*, quibus probāt ex eo, quòd ad permissionē peccati sequitur infallibiliter ipsum peccatum, tanquam aliquid consequens ad illam,omittuntur, vt potè difformes ad nostram sententiam *infra* ponendam.

6 Prob.2.pars concl. Entitas physica,& materialis, quæ substernitur ipsi deformitati, seu malitiæ morali, secūdùm se est indifferēs ad esse, & non esse peccatum; vt docet *Fundatiss.Doct. in 2.dist.4.q.1.art.4; & q.3.art.2.§.Cùm ergo*; nam illa entitas potest referri ad bonum, vel malum finem; & potest esse de obiecto bono secundùm auersionem,vel conuersionem ad illud; *cùm rectum sit index sui, & obliqui*, vt supra dicebamus;sed indifferens ad esse futurum,vel nō esse futurum nequit esse ratio cognoscendi aliquod,vt determinatè futurum; quia indifferens non minùs est ratio cognoscendi vnum, quàm oppositum; ergo Deus supposito decreto positiuo respectu entitatis physicæ substractæ deformitati peccati nequit ex vi cognitionis illius decreti cognoscere determinatè futuritionem peccati;& ideo illam solùm cognoscit ex vi decreti permissiui annexi, quia sicut entitas physica est indifferens, & præscindit à malitia peccati, ita decretum positiuum,quod est causa illius entitatis, est indifferens, & præscindit à malitia peccati.Sed hoc *infra* magis explicabitur.

7 Obijc. 1. Ideo Deus est prima causa rerum,quia eius decretum positiuum est ratio formalis cōstitutiua futuritionis ipsarum; sed Deus non est causa prima peccatorum; aliter esset Auctor peccati;quia Auctor nihil aliud est, quā prima causa; ergo eius decretum permissiuum non est ratio formalis constitutiua futuritionis peccatorum.

Resp.dist.ma. Ideo Deus est prima causa rerum, quia eius decretum positiuum per influxum actiuum est ratio formalis constitutiua futuritionis ipsarum,conc;præciso influxu actiuo, neg. Ad rationem enim causæ requiritur essentialiter influxus;cùm causa sit illa, quæ influit in effectum.Vnde cùm decretum permissiuum non influat actiuè in futuritionem peccati;etenim se

habet

habet tantùm negatiuè non ponendo actum bonum; quia cùm peccatum ſit defectus entis, ſeu non ens, ideo ad ſuam futuritionem non requirit cauſam efficientem,ſed deficientem, ſeu non efficientem; & per conſequens quamuis decretum permiſſiuum,quatenus ab eo poteſt deficere cauſa creata, ſit ratio formalis conſtitutiua futuritionis peccatorum, attamen Deus non eſt cauſa peccati,nec futuritionis peccatorum.

8 Obijc.2.Permiſſio peccati non habet cõnexionem neceſſariam cum exiſtentia peccati; aliter Deus eſſet prima origo peccati; ergo in decreto permiſſiuo nequit Deus cognoſcere peccata futura.

Reſp. neg. ant. Ad prob. inſertam neg.aſſũptũ; ad hoc enim,vt Deus dicatur origo peccati, requiritur,quòd per verũ influxum decernat peccatum;quando autem permittit, non influit volendo, ſed nolendo ſubtrahit influxum; & ideo ſicuti ab influxu dicitur cauſa; ita à non influxu dicitur non cauſa. Neque ex eo, quod permittat peccatum, dicitur determinare ad peccandum; nam determinatio fit per actum *ex Phil*; ſed per decretum permiſſiuum denegat actum; ergo eſt non determinans potiùs, quàm determinans; quia ſicuti per actum dicitur determinans; ita per non actum dicitur non determinans. Ex eo tamen,quòd voluntas careat tali auxilio actuali,licèt per talem carentiam nõ determinetur ad peccandum; attamen determinat ſe ipſam per ſe ipſam;*quoniam*(vt ait *Beatiſſ. P.Aug.de Cor.& Grat.c.*11.)*liberum arbitrium ad malum ſufficit, ab bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*. Voluntas ergo eſt primum determinans, & prima cauſa formalis peccati, quòd non requirit cauſam efficientem, cùm non ſit effectus, ſed defectus; & ideo ſolùm habet cauſam formalẽ deuiantem à Deo; actus autẽ bonus,cùm ſit verus effectus,requirit nedum cauſam formalẽ, idèſt voluntatem creatam, quæ in genere cauſæ formalis eſt primum determinans, ſed etiam requirit cauſam efficiẽtem,idèſt Deum, qui in genere cauſæ efficientis eſt primum determinans extrinſecum vniuerſaliſſimum,vt *in ſeq.q.*

9 Inſt. Poſito decreto permiſſiuo non ponitur neceſſariò peccatum; quia adhuc poſita tali permiſſione voluntas manet indifferens ad peccandum, & non peccandum, & quandiu voluntas eſt indifferens ad peccandum, & non peccandum, peccatum eſt tantùm poſſibile, non autem futurum; ergo ex vi talis decreti nequit Deus infallibiliter videre peccata futura.

Conſ. Poſita permiſſione peccati adhuc vrgente præcepto de ponendo actu bono, vel inſtante tentatione poteſt voluntas ſuſpendere omnem ſuum actum, nec conſentire tranſgreſſioni, aut tentationi; ergo ex ipſa permiſſione peccati non ſequitur infallibiliter ipſũ peccatũ, & ideo per ipsã nequit infallibiliter cognoſci.

Reſp; quòd licèt ex vi decreti non ponatur neceſſariò peccatum, ponitur tamen liberè, quia voluntas liberè conſentit tentationi, & liberè ſe determinat; cùm autem non poſſit ſe determinare ad actum bonum; quia ad illum nequit ſe determinare, *niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*, quod eſt adiutorium Dei, ideo liberè ſe determinat ad malum; & per conſequẽs non eſt indifferẽs; & peccatum non eſt ampliùs poſſibile,ſed futurum.

Ad conſ. dicitur, quòd talis ſuſpenſio vrgente præcepto ſit ommiſſio actus,quæ ſuppoſita cognitione præcepti eſt peccaminoſa, quia per ipſam cenſetur voluntas imputatiuè determinata ad talem omiſſionem. Vrgente autem tentatione voluntas fortiter trahitur ab obiecto peccaminoſo iuxta illud: *Trahit ſua quemque voluptas*, cui tractioni ſine adiutorio Dei non habet vires ad reſiſtendum,ideo liberè, ſed tamen certò ſe determinabit;& ideo ex vi talis permiſſionis cognoſcitur infallibiliter peccatũ futurum; quia cognoſcitur infallibiliter ex vi negationis adiutorij voluntatem ſe liberè determinaturam ad peccatum.

10 Replic. 1. Ex hac doctrina ſequitur, quòd voluntas ex ſe ipſa ſit ſolùm efficax ad malum,& non ad bonum, quia ſibi relicta infallibiliter peccabit;ſed hoc eſt falſum,quia voluntas eſt potentia ab bonum, & ad malum; ergo reſponſio ruit.

Reſp. voluntatem eſſe potentiam ad bonum,& malum diuerſimodè; nam ad malum ſibi ſufficit; cùm enim eſſentialiter ſit extracta à nihilo,relicta in ſui natura in nihilum tendit;dicitur autem potentia ab bonum, quatenus adiuta per gratiam Dei,poteſt in illud tendere; vt credit Eccleſia *cont. Pelagium* docentem voluntatem per ſua naturalia poſſe implere omnia præcepta,& elicere actus ſupernaturaliter bonos, ac meritorios vitæ æternæ. Cum tali autem denegatione adiutorij efficacis componitur libertas; quia voluntas habet motiones ſupernaturales internas ſufficientes adhoc,vt excitetur ad orãdum Deum, & ad impetrandum ab illo adiutorium maius, quo poſſit vincere tentationes, & facere bonum; quas motiones, quia deſpicit, ideo liberè cõſẽtit peccato.Sed de hoc *in ſeq.q.*

11 Replic. 2. Si voluntas cum negatione auxilij efficacis rueret infallibiliter in peccatum; ſequeretur 1. voluntatem cum ſolo concurſu generali,& cum ſolis auxilijs ſufficientibus eſſe ex ſe ipſa determinatam ad malum; vt dicebant *Manichæi,& Caluiniſtæ.* 2.Sequeretur voluntatem cum ſolis auxilijs ſufficientibus non poſſe operari aliquod bonum morale; quod eſt falſum; aliter auxilia ſufficientia non eſſent ſufficientia; dicuntur enim ſufficientia, quia ſufficiũt adhoc,vt voluntas per ipſa operetur bonum.

Reſp. voluntatem ſine adiutorio efficaci ruere infallibiliter,ſed liberè in peccatum,vt dictum

ctum est. Ad 1.seq. dist. Voluntas cum concursu generali,& auxilijs sufficientibus esset ex se ipsa liberè determinata determinatione prouenientе ex ipsa natura voluntatis deficientis à bono, conc; proueniente ex ipso concursu, & auxilijs,neg. *Manichæi*, autem, & *Caluinistæ* dicebant voluntatem nostram determinari ad malum à Deo,& necessitati, quod detestantur *Catholici*. Ad 2. dicitur auxilia sufficientia dici sufficientia,non quidem ad operandum aliquod opus bonum virtutis,sed ad standum in illo actu amoris Dei; vt explicabitur *infeq. q*; ex mala enim intelligentia auxilij sufficientis, & efficacis ortæ sunt tot controuersiæ implacabiles *inter DD*;vt *ibid*.ostendemus. Dicuntur ergo auxilia sufficientia, quia sunt actus voluntatis inspirati à Deo,qui sunt sufficientes,vt voluntas stet in illis; quamuis nō sint efficaces actuum virtutum existentium in nobis; & per ipsa potest voluntas tendere in Deum amando,& rogando, vt Deus concedat fortius auxilium ad vincendas tentationes, & ad exercendas operationes virtutum, ac studia pietatis.

12 Obijc.3. Si ad denegationem auxilij efficacis sequeretur infallibiliter peccatum, Deus esset causa peccati; nam quia ad remotionem columnæ substentantis domum, sequitur ruina domus, ideosubtrahens columnam causat ruinam domus; ergo ad denegationem auxilij efficacis non sequitur infallibiliter peccatum.

Sed ad hoc iam fuit responsum,quòd peccatum sequitur infallibiliter,sed liberè,quia voluntas liberè ad illud se determinat; & ideo nō currit paritas de ruina domus; quia ruina domus sequitur necessariò, non liberè ad subtractionem columnæ. Neque sequitur,quòd voluntas ex eo,quòd liberè se determinat, infallibiliter à Deo,cuius scientia falli nō potest,nō cognoscatur; nam videns aliquem liberè ambulantem certò, & infallibiliter videt; nec tamen hæc infallibilitas lædit liberam ambulationem illius, vt docet *Fūdatiss.Doct*; & *Beatiss.P.Aug.de Ciu. vbis*. ait; quòd ita præsciuit infallibiliter voluntatem peccatorum, vt *si peccare noluissent, etiam hoc ille præsciuisset*.

13 Obijc. 4. Sicut affirmatio est causa affirmationis,ita negatio negationis; sed decretum affirmatiuum est causa conseruationis à peccato; ergo decretum negatiuum est causa lapsus in peccatum.

Resp.hoc arg. variare appellationem; in ma. enim appellat puram negationem; in mi. autem appellat priuationem, vel positionem, quia appellat peccatum,quod consistit in priuatiuo,vel positiuo, vt suo loco ostendetur. Denegatio ergo auxiliorum est causa, quòd voluntas non habeat auxilia; non tamen est causa, quòd eliciat actum peccaminosum;nam elicere actum peccaminosum est actio vitalis, quæ nequit esse à pura negatione; sed est à principio vitali libero ex se defectiuo,vt est voluntas.

14 Obijc. 5. Potest homo sine omni gratia operari aliquod bonum morale naturale; ergo ad denegationem gratiæ non sequitur infallibiliter peccatum. 2. Potest homo per sua naturalia vincere aliquas tentationes leues contra præcepta naturalia etiam sine gratia interna.

Resp. ad 1. *Thomistæ* illud opus bonum morale naturale esse opus concursus generalis. Sed hæc responsio non satisfacit; nomine enim concursus generalis intelligitur concursus physicus,quo concurrit ad omnem actionem physicam, siue sit bona moraliter, siue mala. Dicitur ergo tale opus bonum esse tantùm bonum ex obiecto,nō ex fine;quia sine gratia nequit referri, & ordinari in Deum, vt finem supernaturalē; fieri tamen ex concursu Dei,quo specialiter cōcurrit cum honestate obiecti ad exercēdos actus naturales moraliter bonos, vt relatos in finem naturalem. Ad 2.resp. *noster Gibbon* tentationes leues vinci per gratiam protectionis externæ, qua Deus arcet omnes tentationes externas; & hoc conatur colligere *ex Beatiss.P. lib. 50. hom. 23.Vt adulterium non committeres,Suasor defuit; vt Suasor deesset,ego feci; locus, & tempus defuit; vt hæc deessent, ego feci. Adfuit Suasor,non defuit locus,non defuit tempus;vt non consentires, ego feci. Agnosce ergo gratiam eius,cui debes ea,quæ non admisisti*: Sed ex hoc videtur colligi tantùm gratiam externam dari solùm ad arcendas tentationes,ne vrgeant;non tamen ad illas vincendas cū vrgent. Dici potest, quòd tentationes leues vinci possunt ex concursu Dei,quo concurrit cum honestate obiecti, vt dictum est; non tamen vincuntur meritoriè; quia sine gratia meritum supernaturale esse non potest. *Sed de hoc suo loco*.

15 Obijc.vlt.cont.2.part.concl. Ad entitatē physicam sequitur infallibiliter deformitas peccati,quia posito fundamento necessariò sequitur res fundata;ergo supposito,quòd Deus decernat entitatem physicam peccati, ex vi talis decreti cognoscit peccatum.

Resp.dist.ant.Si *ly infallibiliter* dicat necessariam, & determinatam connexionem entitatis cum peccato,neg; si dicat certam determinationem liberam prouenientē à voluntate liberè se determinante,conc. Ad prob. infertam dist. Posito fundamento necessario sequitur res fundata,conc; sic enim posita essentia rei, quæ est fundamentum necessarium proprietatis, sequitur proprietas. Posito fundamento indifferenti, & contingenti, neg. Entitas ergo physica peccati secundùm se est indifferens ad bonitatem,& malitiam; quia per eandem entitatem actus possumus tendere in obiectum bonum per modum prosecutionis, in qua prosecutione consistit bonitas moralis,& per modum fugæ, in qua consistit malitia.Sed hoc *infra*.

ART.

ART. VIII.

An Deus poſſit ſcire, quæ neſcit, & è contra?

1 NOn loquimur *hic* de ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quia cùm hæc ſit neceſſaria, vt ſupra dictum eſt, ideo non poteſt non ſcire poſſibilia, quæ neceſſariò cognoſcuntur. Neque loquimur de ſcientia futurorum abſolutè, & ſimpliciter ita, vt ſenſus ſit; an ſicuti Deus liberè ab æterno ſciuit futura, quæ creare decreuit; ita liberè potuiſſet illa non ſcire decernendo illa non eſſe futura? Etenim in hoc ſenſu nulla eſt difficultas; quia ſicuti Deus ita liberè voluit, vt potuerit illa non velle; ita liberè ſciuit, vt potuerit illa non ſcire; non quia eſſent ſcibilia, & futura; ſed quia non eſſent futura, & ideo neque ſcibilia. Quærimus ergo, an ſuppoſito, quòd aliqua ſint futura, ita Deus illa ſciat, vt poſſit illa non ſcire, & è contra?

2 Ratio autem dubitandi eſt; quia cùm entitas futurorum contingentium ſit ſubiecta mutationi, ideo veritas conſequens ad eorum entitatem ſuſcipere variationem neceſſe eſt; vt v.g. antequam Deus crearet Adam, ſciebat illum eſſe futurum, non actu exiſtentem; poſtquam autem illum creauit, ſciuit illum actu exiſtētem, & non ampliùs futurum; aliter falsò ſciuiſſet. Ex alia autem parte videtur, quòd tranſitus de ſcientia in neſcientiam, & è contra aliquam mutationem refundat in Dei ſcientiam. Hæc difficultas connectitur cum ea, quam agitabimus *in Tract. de Volunt;* an ſcilicet poſſit voluntas velle, quod non vult, & è contra; ideo hanc breuiter reſoluemus iuxta ea, quæ *ibid.* dicturi ſumus.

3 Vnica concl. Suppoſito, quòd Deus aliquod futurum ſemel ſciat, nequit ex parte actus illud neſcire, & è contra; quanuis ex parte obiecti poſſit dici aliquod neſciri, quod priùs ſciebatur, & è conuerſo. *Ita B. Doct. in 1. diſt. 39.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. Aug. lib. 5. de Trinit. c. 16.* docente: *Cùm decedant, & ſuccedant tempora, non decedit aliquid, vel ſuccedit ſcientiæ Dei. Non enim hæc, quia creata ſunt, ideo ſciuntur à Deo, quia facta ſunt.*

Formatur autem ſic eius ratio *à Fundatiſs. Doct.* Tunc ex parte actus poteſt aliquid neſciri, quod priùs ſciebatur, quando deperditur ille actus, quo ſciebatur; ſicuti tunc poſſumus aliquod nolle, quod priùs volebamus, quando deperditur actus volitionis; ab actu enim volendi, & ſciendi denominatur aliquis ſe velle, & ſcire; ſed Deus nequit deperdere actum ſcientiæ ſemel habitum; aliter eius ſcientia decederet, & ſuccederet; ſicuti decedunt, & ſuccedunt tempora; quia deceſſio, & ſucceſſio ſcientiæ nihil aliud eſt, quàm deperditio, & aquiſitio actuum ſcientiæ; vt per ſe notum eſt; ergo Deus nequit neſcire, quod ſemel ſciuit, & è contra.

4 Prob. 2. *ex eodem*. In tantùm aliquis poteſt neſcire, quòd priùs ſciebat, in quātùm actus ſciendi poteſt tranſire in præteritum, & è contra; quandiu enim durat in intellectu, denominat illum ſcientem; ſed actus ſcientiæ Dei nequit tranſire in præteritum; quia non eſt temporaneus, ſed æternus; ergo Deus nequit neſcire quod priùs ſciebat, & è contra.

5 Prob. 3. Si aliquis haberet aliquē actum, quo ſimul videret in ſe ipſo ſemper, & immutabiliter futuritionem rei pro tali differentia temporis, & eius exiſtentiam actualem pro alia differentia, nec non præteritionem pro differentia ſequenti, neſcire vnquam diceretur id, quod priùs ſciebat, & è contra; quia ſemper, & immutabiliter ſciret rem eodem modo; ſed Deus ſimul videt ab ęterno in ſe ipſo immutabiliter futuritionem, exiſtentiam, & præteritionem rei pro diuerſis differentijs temporis ſibi ſuccedentibus; ergo nunquam dicitur neſcire, quod ſciebat, & è contra.

Conf. Ideo noſter intellectus poteſt neſcire, quod ſciebat; quia poteſt vertere ſe de vna cognitione ad aliam; ideo enim fit neſciens ex ſciente; quia ammittit cognitionem, qua illud ſciebat, & aquirit aliam cognitionem, qua illud neſciebat; ſed intellectus Dei nō eſt vertibilis de cognitione in cognitionem; quia in tantùm noſter intellectus vertitur de vna cognitione in aliam; in quantùm prima cognitio non eſt omnis cognitio; nam ſi eſſet omnis cognitio non poſſet verti ad aliam cognitionem; cùm extra omne nihil ſit; cognitio autem Dei eſt omnis cognitio; ſicut eſſe Dei eſt omne eſſe, cùm ſit infinitum; quemadmodum enim *ab eſſe dicta eſt eſſentia, ita à ſcire dicta eſt ſcientia;* vt docet *Beatiſſ. P. 12. de Ciu. c. 2; & 5. de Trin. c. 2;* ergo Deus nequit neſcire, quod priùs ſciebat, & è contra.

6 Prob. 2. pars concl. Res extra Deum ſubiecta eſt variationi ipſius temporis; ergo fundat diuerſas veritates; & ideo poteſt ſciri de illa, quod priùs neſciebatur; vt dictum eſt in ratione dubitandi; ſed non obſtante hac varietate rei in ſe ipſa, & non obſtante; quòd in ordine ad diuerſas differentias temporis poſſit ſciri, & neſciri, adhuc Deus nequit illam neſcire, poſtquam ſciuit; tum quia Deus non cognoſcit illam immediatè, prout eſt in ſe ipſa, ſed prout eſt in ipſo; & ideo eius cognitio non diuerſificatur, aut variatur ad diuerſitatem, & varietatem temporis; ſicuti variatur, & diuerſificatur ipſa res, quæ extra Deum menſuratur tempore; tum quia res extra Deum ſunt obiectum ſecundarium ſcientiæ Dei; & ſcientia ab obiecto ſecundario nullam recipit mutationem, aut diuerſitatem; ergo non obſtante, quòd res extra Deum, quæ priùs neſciebatur, poſſit neſciri, adhuc intellectus Dei nequit illam neſcire, poſtquam ſciuit, & è contra. *Vid. infra de Volunt.*

7 Ad

7 Ad rationem dubitandi dicitur,quòd res est subiecta variationi, prout est in se ipsa, & ideo prout est in se ipsa est nescibilis, postquam fuit scibilis; non subijcitur autem variationi, prout est in scientia Dei, quia sic est in Diuina essentia, quæ est expers omnis mutationis; & ideo à Deo nequit nesciri, postquam semel scita est.

8 Dices. Deus, antequam actu existerem, sciebat me esse futurum, & modò scit me esse existentem, non futurum;aliter falsò sciret,quia cognosceret me aliter, ac sum; ergo res est nescibilis à Deo, postquam fuit scibilis.

Resp. hanc esse falsam animi imaginationem; etenim illud *antequam*,& illud *modò*, quæ significant diuersas differentias temporis, quibus mensuratur nostra existentia, refert ad mensurandum scire Dei, quod est æternum, & ideo semper stans, nunquam transiens. Dist. ergo 2. pars ant. Modò scit me esse existentem,& non futurum sub hac eadem differentia temporis, conc; sub alia, neg. Cùm enim scientia Dei sit æterna, & infinita, ideo cognoscit rem sub omni differentia temporis, & videt illam esse futuram sub vna differentia, existentem sub alia, & præteritam sub posteriori; & hoc immutabiliter, & semper. Sic soluuntur aliæ obiectiones, quæ procedunt de actu scientiæ inadæquatè sumpto, prout respicit hoc scibile sub hac differentia temporis, non autem adæquatè, prout respicit illud sub omni differentia temporis; vel procedunt de mensura tẽporis, qua mensuratur creatura, ad mensuram æternitatis,qua mensurantur omnia,quæ sunt in Deo;& ideo malè concludũt.

QVÆST. IV.

De Scientia futurorum conditionatorum.

NVlla maior in toto Theologiæ decursu difficultas inualuit, quàm, quæ circa futurorum notitiam vertitur; hæc enim grauiorum de Voluntate Dei, Prædestinatione,ac Diuina Gratia est cardo quæstionum. Tres principaliores in classes diuisa lis ardenter efferbuit; Doctissimi enim *PP. Thomistæ* in decreto prædeterminante nostram voluntatem ad actum nullam supponentem scientiam constituunt futurorum notitiam. Sapientissimi *PP. Societatis* per scientiam mediam independenter à decreto exercito docent cognosci; & tandem *Alij* celeberrimi Doctores, qui specialiori nomine *Augustiniaui* vocari exambiescunt,in statu Innocentiæ ante decretum, & in statu culpæ in decreto volunt videri. *Primi* pugnant pro gratia; *Alij* pro libertate; & *Reliqui* pro naturæ sanæ, & infirmæ differentia diuersè opinantur. Nostrum non est iudicium de alienis ferre sententijs; maximos enim inter *DD.* præsidere, vt Iudicem, humilitas vetat; nec omnium placita, dicendique modos in examen vocare, ac in tot libris dispersa colligere; magnitudo namque quæstionis, cui vix plura sufficerent volumina, paucis paginis describendæ insufficientiam Collectoris argueret. Sed quoniam *celeberrimi isti Doctores*,& si inter se se proprijs discrepantes sententijs;attamen vnâ omnes (paucis exceptis, qui nec recenseri merentur) vni *Sanctiss. P. Augustino maximo Ecclesiæ Patri*, *ac Magistro* subscribunt concorditer, vt super eius inconcussam doctrinam, tanquam supra fundamentum stabile, suam firment sententiam; quid prohibet *Augustini* Alumnum,& Filiũ, cui si non datur repetere: *Nemo nouit Patrem,nisi Filius*; saltem,vt Discipulo denegari non debet, quid in eo profecerit, ostendere, & quartam addere sententiam, si fortè aptiùs in illius quadret doctrinam. Nec sententiam nouam quis putet, sed antiquã è vetustis primæuæ Theologiæ cineribus, suis ornatam luminibus nunc rediuiuam,rationi, *Diuinis Scripturis, Patrumque, ac Doctorum* testimonijs illustriùs conformem agnoscat. *Quæ, si cuipiam displiceat, quærat doctiores, sed caueat, ne inueniat præsumptiores. S. P. August. de Spir. & lit. c. 34.*

ART. I.

An Deus cognoscat futura conditionata in decreto exercito ex parte actus, seu an decretum sit radix futuritionis?

1 PAcem *inter Auctores* vsque nunc substinuimus,vt vitaremus,quousque poteramus, dissidia. Modò bellum respuere non possumus;quia ad extremas huius Tractatus angustias coacti pugnantium vim euitare non possumus. Aut ergo cedendum huic, vel illi *DD.* agmini; aut contra omnes pugnandum, ne in alterutram captiuemur sententiam.

Duo simul proponunturin titulo; scilicet, an futura cognoscantur in decreto; & an decretum sit radix futuritionis? Hæc tamen in idem incidunt; quia, cùm radix essendi sit radix cognoscendi; cognoscibilitas enim sequitur ad esse; ideo semel ostenso,quòd Deus cognoscat futura quæcunque in decreto, sequitur decretum esse radicem omnis futuritionis; nam cùm Deus intelligat solùm à priori, quia hic modus cognoscendi est perfectior, vt diximus *q. 1. art. 2. n. 1*; ideo semel probato, quòd decretum sit in Deo ratio cognoscendi futura, rectè infertur, quòd sit causa futuritionis.

2 Supponimus autem ea,quæ diximus *q. 3. art. 2. à n. 9.* de futuritione absoluta; cùm enim *Aliqui* censeant omne futurum absolutum priùs videri in statu conditionato, quod posteà posita conditione sit absolutum; *Alij* verò omne futurum absolutum videri solùm in decreto absoluto, vt diximus *q. 3. art. 6*; ideo *hic* necesse est per-

pertractandum de vtraque futuritione promiscuè, vt omni pro viribus satisfaciamus sententiæ. Quia tamē hæc difficultas prolixa est, idcircò illam in plures §. maioris claritatis gratia diuidemus.

§. I.

Referuntur sententiæ.

3 PRima sententia vult omne futurum priùs cognosci in statu conditionato independenter à decreto exercito. *Ita communiter PP. Societatis Mol; Vasq; Sua; Arrub; Heric; & nouissimè Iunius, Martinez, & Thyrsus, ac omnes alij apud Fasol;* qui pro hac sententia citat plurimos antiquos, licèt aliquos immeritò. Referuntur tamen *Okam, Gabr;* quibus adduntur multi ex nostris *Mendoza q.7.n.12; Albiz, Brunus, & alij relati q.3.art.1.n.3.*

Sed hæc sententia diuisa est; nam *alij* volunt cognosci omnino independenter à decreto siue exercito, siue obiectiuè futuro; *vt Okam, Gabr; Heric; noster Putean; Curiel, & alij,* quos referunt *noster Villan. disp.1.dub.10.c.2, & disp. 3.dub.3.c.1. n.72; & Viues disp.1;* substinentes, futura cōditionata videri ex vi cōtradictoriarū, quarum vna necessariò est vera, altera falsa. His adhærent *plures Thomistæ* volentes futura conditionata videri per scientiam simplicis intelligentiæ; dicunt enim, quòd illa quantùm ad illationem sunt necessaria, quia posita tali conditione necessariò sequitur illatio; nec aduertunt talem necessitatem esse suppositionis, quæ competit etiam futuris.

Alij volunt videri antecedenter ad decretum cum ordine tamen ad illud, vt obiectiuè futurum. Ita *noster Mendoza vbi s; Albiz, Sua. de Scient. condit. lib.2.c.8.à n.6; Fonsec.6.Met.c.2.q. 4.sect.7.art.1; & sect.10; Fasol.1.p.q.14.art.13. dub.18; apud quem plurimi alij; Bricenn. contr.11. dist.3.n.17.art.3; Alarc; Ribadeneyra, Aldrete.*

Impugnant ramen hoc decretum obiectiuè futurum *ex PP. Societ. Albertin. q.3. Theol. assert.4; Vasq.1.p.disp.74.c.4. n.24;* vbi ait *futuritionem futuri Deo tribuere stultum est. Arrub. disp. 47.c.4.à n.12; Bec. c.4; Granad. Tract.4.de Scient. Dei disp.1.sect.2.n.15; Heric. disp.7.c.9.n.54; Arriag. disp.20; Alarc. hic Tract.2. disp.3. c.1. n.8; Aldrete disp.33 sect.3. n.6; & alij apud nostrum Villan. disp.3.dub.3. c.1. n.75;* quibus adduntur *communiter omnes Thomistæ, & alij.*

Alij volunt cognosci in eorum veritate obiectiua, qua per futuritionem formalem in se ipsis constituuntur futura. Hæc communior est *inter PP. Societ;* inter quos nouiter *Martinez, & Thyrsus.*

Alij in supercomprehensione voluntatis creatæ. *Mol; & Bec.*

Alij volunt cognosci in voluntate creata explorando, quid factura esset, si sola absq; concursu Dei posset operari. *Ita Raynaudus.*

M. Frideric. Nic. Gauardi T. q.2.

Alij volunt cognosci in Idæis ante decretum. *Ita Henric. apud Cordub.q.55.dub.8; D.Bon. in 1.dist.39.art.2.q.3; Mol; Sua; Granad; & alij apud Fasol.* Pro hac sententia citatur *Fundatiss. Doct. à Gonet, & alijs,* sed falsò, *vt infra.*

Secunda sententia vult futura conditionata cognosci in decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti prædeterminante voluntatem ad actum, seu ponente in voluntate aliquod præuium realiter distinctum ab actu antecedens antecedētia causalitatis ipsum actum. *Ita ferè omnes recentiores Thomistæ.*

Tertia sententia vult futura in statu Innocentiæ cognosci ante decretum, & in statu culpæ in decreto, seu in prædeterminatione morali prædeterminante moraliter, non physicè voluntatem. Ita *ex nostris Aragon.2. 2.q.24.art.3. apud nostrum Ioseph à Villanoua,* qui refert etiā *Aloys. Legion; Antolinez, Basil; Mendoz; Coquæum, & alios;* inter quos *Lupus, Noris, & Gibbon.* His adhærent *Sua; & Alarc. de Prædest. Tract.4.disp.4.c.6;* apud quem *alij.*

Noster autem Lafosse, licèt doceat *hic q. 6. c. 5.* in vtroque statu dari decretum efficaciter prædeterminans ad actum bonum; attamen *c.6.* ait tale decretum in statu Innocentiæ fuisse merè extrinsecum, & nihil intrinsecè posuisse in voluntate Angelorum bonorum.

Quarta sententia vult cognosci in decreto concomitante. Ita *Mastrius in 1.dist.3.q.3. art. 8;* vbi refert *Vulpem; Viger; Bassol; & Smisingh,* contendens hanc esse sententiam *Scoti.*

Vltima randem sententia docet in vtroq; statu futura siue conditionata, siue absoluta cognosci non quidem in decreto prædeterminante, seu producente in voluntate creata aliquod præuium per modum principij productiui ipsius volitionis, sed in decreto inspirante bonam volitionem; & in decreto permittente malam voluntatem. Hanc sententiam tenemus esse conformiorem *Diuinis Scripturis, Ecclesiæ, SS. PP; DD; Philosophis, & rationi naturali.*

4 Hanc esse mentem *Beatiss. P. Aug.* quoad decretum inspirans bonam voluntatem innumera loca Librorum eius restātur adeo clarè, vt satis mirandum non sit *Viros* in eius Doctrina ad consumptionem exercitos illam non aduertisse; vix enim legitur aliquis Liber, in quo agit *de Diuina Gratia,* vbi hāc sententiā *cum Apostolo* manifestè non doceat. Eandē apertè docent alij *tres Maximi Ecclesiæ Doctores,* & ferè *omnes alij SS. Ecclesiæ DD. minores, vt in seq. §.* patebit.

Ex Scholasticis verò illam expresè docet *Fundatiss. Doct. lib. de Caus. prop.1;* vbi ostendit, quòd creatura non agit, nisi per actionem Dei à Deo causatā in creatura in genere causæ efficientis, in quo genere Deus est primum agens vniuersalissimum. Et *in 1.dist.46.prin.1.q.1;* vbi ait: *Non vult omnes saluos fieri, quia non in omnibus operatur velle: & perficere pro bona volunta-*

N *te.* Et

te. Et in 2.dist.1.p. 1.q. 2. art. 5; vbi ostendit, quòd, cùm creatura sit organum, & instrumentum Dei, qui est primum, & principale Agens, agit per actionem receptam à Deo;quia instrumentum agit per actionem principalis Agentis. Et *ibid. art. 6.* reprobans opinionem *Saracenorum* dicentium creaturas non agere, & aliorum arbitrantium Deum solùm mediatè, non immediatè agere,concludit Deum,& creaturam producere per eandē actionem sub diuersa ratione. Et *ibid.dist.28.q.1.art.1.§. Cùm ergo*, ait. *Vt supra dicebamus per Augustinum, extincta esset operatio nostra, si Deus subtraheret suam latentem operationem; operatur enim Deus in omnibus operibus naturæ, non solùm naturam conseruando in esse, sed etiam ipsa opera naturæ operando; non quòd res sint destitutæ proprijs operationibus; etenim vna,& eadem operatio est à Deo, & à natura;sed à Deo principaliter,à natura instrumentaliter;sicut vnum, & idem opus Artis erit ab Artifice,& à Dolabra*(Videat *noster Lafosse*,an possit substineri in doctrina *Beatiss.P. Aug; & Fundatiss.Doct.*Deum ad actus naturales solùm mediatè concurrere;vt ipse docet *bic q.6.c.6.§.9. ad 1.*)Et præsētim *de actibus liberis in 2.dist.25. q.1.art.3;& dist.26.q.2.art. 3; & dist.37. q.2. art.1.§.Sed dices;& art.3;*Et *Quodlib.3.q.15;* & *Quodlib. 5.q. 14;* & specialiter *de actu supernaturali Quodlib.6.q.2; Et de esse, & essentia q.5; Et in Epist.ad Rom.c.7.*sup.illud:*Quicunque Spiritu Dei aguntur,hi sunt Filij Dei.* Et innumeris alijs in locis ita,vt nullus *Doctor* reperiatur,qui hanc doctrinam *à Beatiss.P.* acceptam frequentiùs repetat.

Idem docet *noster Greg.* in terminis *in 2. dist.26.q.1.art.1*;vbi ait: *Hic babes, quòd amor, quo Deus amatur,qui vtique tantùm ille est, quo Deus diligitur propter se, non potest esse in nobis, nisi ab illo;*& *art.3;* vbi soluit argumenta,ad 12. ait: *Dico, quòd licèt Deus frequenter iuuet hominem ad bene agendum per aliquod babituale donum,quod causat in anima, non tamen tantùm sic iuuat, sed etiam iuuat ipsum bonum immediatè causando,& ad ipsum immediatè mouendo potentiam.*Et paulò post.*Sic igitur ad arg.dico, quòd Deus iuuat nos immediatè ipsum actum efficiendo.*

Idem docet *noster Argent.in 1.dist.37.q.1. art.3;& dist.45.art.1;et 2;& in 2.dist.6.q.1.art. 2;& dist.25.q.1.art.1.concl.2.*

Idem innuit *noster Ger. in 1. q. 5.prol. art. 6*; vbi docet,quòd si actus dilectionis Dei non esset in nobis causatus à Deo, non esset donum Dei.

Idem habet *noster Lusit. de Fine in com. q. 12.art.2.§.5.n. 6; Paulus Venet.de Anima c. 10; M.Aegid. Conson.in M.S;Ioseph.à Villanoua de Prouid. disp. 1. dub; 13; & omnes alij B. Doct. Discipuli* tenentur hanc sententiam tueri, qui cum ipso fatentur voluntatem actuari ab obiecto.

Et quanuis hæc sufficerent ad ostendendum hanc sententiam duplici iure *Augustinianā* esse; & quia manifestissimè traditur *à Beatiss. P*; vt videb.*in seq.*§; & quia *à grauioribus, ac Sapientioribus nostræ Scholæ Doctoribus* veluti hæreditariè tenetur; attamen, vt appareat *ab antiquis Theologis* fuisse vnanimiter traditam; & nos non inuehere nouam sententiam, sed antiquam *Recentiorum* inuentis antiquatam exantiquare,vt in omni Theologico hoc opere præstandum suscepimus, etiam *Auctores extraneos* placet referre.

Eandem docet *Mag.in 2.dist.26*;vbi quærens, quid sit gratia præueniens, ait; quòd est *Fides cum dilectione*;idèst illustratio mentis,quę fit per Fidem; & motio voluntatis, quæ fit per actum amoris supernaturalis;*Alen.p.2.q.91.art. 3.§.Respondeo*;& ad 1; vbi ait· *Praeterea illo verbo nihil aliud dicitur,nisi dilectionem, qua diligitur Deus à creatura rationali, esse à Deo siue donum Dei.Gotifred. apud nostrum Argent.vbi sup; D.Bon.in 2.dist.36.q.2*;vbi docet, quòd gratia præueniens est quoddam pondus; pōdus autem in Spiritibus est amor iuxta illud *Beat. P. Amor meus pondus meum.*

Idem docet *D.Thomas 1.2.q.106.art.2;3; 4;& 6.apud nostrum Greg.vbi sup; & q.9.art.6. ad 3;& in 2.dist.25.q.1. art.1.ad 3; & q.6.de Malo art.1;& q.3.de Pot.art.7.* Ipsum sequitur *Caiet. 1.p.q.14.art.13; Prado,apud quem plures alij Thomistæ;Vega,Curiel*; quibus recenter accessit *Piny in Phys.de Præmot;& in Met. lib. 2.q. 5. corol. vlt.*

Refertur etiam *Scot.in 1.dist.39,Felix de Grat.c.1.diff.1. n.9*; nec aliud intendere possunt *Scotistæ* admittentes decretum concomitans.

Ex PP.Societ. apud nostrum Lusit. refertur *Sua*;qui *in Met.disp.22.sect.3.* docet creaturam agere per actionem,per quam agit Deus;ex qua doctrina, supposita subordinatione creaturæ ad Deum in agendo,quę à nullo potest negari,manifestè sequitur creaturam agere per actionem in ipsa productam à Deo. Refertur etiam *Vasq; Tolet.2.de Anima; Ripald; Raynaud*; quibus accessit *Briçen;& alij.*

5 Ratio autem dubitandi, quæ *Recentiores* in oppositas diuisit sententias,est; nam si dicatur voluntatem creatam prædeterminari à Deo,videtur tolli libertas creaturæ. Si autem dicatur voluntatem creatam prim` se determinare ad actionem, videtur tolli à Deo ratio primæ causæ, & primi determinantis. Si tandem dicatur esse concomitanter à Deo, & creaturis, videtur tolli subordinatio creaturæ ad Deum; subordinatio enim importat essentialiter prius, & posterius. Hæc inconuenientia facillimè vitat nostra sententia; pro cuius explicatione.

§. II.

§. II.

Explicatur adiutorium quo, & sine quo non; vbi de statu Innocentiæ, & culpæ.

6 QVanuis primæ quatuor sententiæ inter se non tam rationibus, quàm iurgijs implacabiliter pugnent, attamen conueniunt in hoc, quòd gratia, siue sufficiens, quam distinguunt in proximam, & remotam, & volunt dare tantùm posse, seu constituere voluntatem proximè, vel remotè potentem operari; siue efficax, quam volunt dare actu operari; sit qualitas supernaturalis præuia ad ipsam volitionem supernaturalem concurrẽs ad illam per modum principij effectiui realiter distincti. Vnde aiunt adiutorium *sine quo non*, quod habuerũt Adam, & Angeli in statu Innocẽtię, fuisse gratiam sufficientem, qua poterat velle; adiutorium autem *quo*, quod datur in statu culpæ, esse gratiam efficacem, qua fit, vt velimus. Hoc colligunt *ex Beatiss. P. Aug.* præcipuè *de Cor; & Grat.c.11.* vbi ait: *Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit, vt habeat homo iustitiam, si velit, secũda ergo plus potest, qua etiam fit, vt velit*; & infra. *Acceperat posse, si vellet; sed non habuit velle, quod posset; nam si habuisset, perseuerasset*. Ex quo deducunt, gratiam sufficientem esse principium *quo* constituens voluntatem vel proximè, vt *Aliqui*, vel remotè, vt *Alij*, potentem elicere actum volitionis; gratiam verò efficacem esse principium *quo* elicitiuum ipsius volitionis.

7 Huic communi *Recentiorum* sensui ire obuiam, vt antiquam restitueremus sententiam, diu animus hæsit; & licèt nec rationes, nec auctoritates è proposito deterrerent, cùm illę potiùs præsidio essent ad euertenda quæ inqu impugnationum molimina; nihilominus distrahebat admodum eorum vnio, & multitudo. Nec priùs manum operi admouimus, quàm grauissimos, & sapientissimos nostri Ordinis *Viros* tum in doctrina *Beatiss. Patris*, tum in rebus scholasticis præstantissimos consuluimus, vt in huius grauissimæ controuersiæ decisione nostra hæc sententia propriæ mentis imbecillitati non fidens *Sapientum* firmaretur iudicio. Igitur aliqua priùs supponenda sunt tanquam certa.

Non loquimur *hic* de gratia externa, vt est vocatio exteriùs facta, lex, præcepta, consilia &c; sed de gratia interna, quæ intrinsecè afficit, adiuuat, & mouet voluntatem ad opera bona supernaturalia; certum enim est *Beatiss. Patrem* nomine adiutorij *sine quo non*, & *quo* solam gratiam internam intellexisse, quia illam vrgebat contra *Pelagium*, quã *Pelagius* negabat concedens solam gratiam externam.

8 Certum est 1. in doctrina *Beatiss. P.* gratiam genericè sumptã se tenere nedum ex parte voluntatis, sed etiam ex parte intellectus; nam nomine gratiæ intelligitur omne illud, quod in ordine supernaturali gratis donatur absque vllis præcedentibus meritis; vt explicat idem *Sanctiss. Doct. de Grat; & lib. arb. c.8. Cùm gratia non operibus reddatur, sed gratis detur; & lib. 1. Retract. c.23. Non est gratia, si eam vlla merita præcedant*; patet autem, quòd Fides, licèt præsupponat piam affectionem voluntatis, attamen se tenet ex parte intellectus, cùm sit habitus, vel actus ipsius, & datur sine vllis præcedentibus meritis, & ideo est gratia Dei; idcirco *lib. 1. Retract. vbi sup*; quem locum refert *de Prædest. SS. c.3*; vbi retractans opinionem, quã semel docuerat *in Epist. ad Rom*; scilicet *Fidem esse ex nobis*, ait: *Ipsam Fidem inter Dei munera reperiri*; quod probat *in toto illo lib*; & *de Dono Perseu.* ostendens contra *Semipelagianos* etiam Fidem esse donum Dei, non autem esse ex nobis; *& in Epist. ad S. Paulinum* loquens *de Filio Prodigo* ait: *Quam cogitationem bonam quando haberet, nisi & ipsam illi in occulto Pater misericordiosissimus inspirasset*; Et *lib. de Grat. Christi c.45; & c.24*; vbi ait: *Interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras reuelationes* idèst Fidem, *sed etiam bonas voluntates*, idèst charitatem. Hinc *Conc. Trid. sess.6. c. 6.* explicans gratiam, illam vocat *illuminationem, & inspirationem Spiritus Sancti, qua tangitur cor hominis*; illuminatio autem pertinet ad intellectũ, vt patet. *Hic* loquimur de gratia per ordinem solùm ad voluntatem; quod tamen dicemus de ipsa sic considerata, poterit applicari etiam per ordinem ad intellectum.

9 Certum est 2. in eius doctrina gratiam actualem pertinentem ad voluntatem, & charitatem esse idem omnino; quidquid sit de charitate, & gratia habituali, de quo suo loco. Hoc patet *ex lib. de Grat; & lib. arb. c.17*; ex quo loco *Theologi* communiter desumunt diuisionem gratiæ præuenientis, & cooperantis; vbi cum *Apost.* gratiam vocat charitatem his verbis: *Istam charitatem, idèst Diuino amore ardentissimam voluntatem commendans Apost. dicit: Quis nos separabit à charitate Christi &c*; Ista enim charitas gratis donatur, & ideo est gratia; vnde superiùs dixerat: *Et quis istam, etsi paruam, dare ceperat charitatem, nisi ille, qui preparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit*? Et c.18. seq. *Vnde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*. Et hoc probat *ex 1.Io.4. Quia dilectio ex Deo est.* Charitas ergo actualis est gratia actualis se tenens ex parte voluntatis.

10 Certum est 3. in eius doctrina charitatem esse radicem omnium operum bonorum cuiuscunque virtutis. Hoc probat *vbi sup. ex 1. Cor.12; & 13. Si linguis hominum loquar, & Angelo-*

gelorum; charitatem autem non habeam, factus ſum velut æramentum ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophætiam, & ſciero omnia Sacramenta, & ſi habuero omnem Fidem ita, vt montes transferam; charitatem autem non habeã, nihil ſum. Et ſi diſtribuero omnia mea pauperibus, & ſi tradidero corpus meum, vt ardeam; charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. Ex quo probat omnia bona opera prouenire à charitate, vt ſuperiùs dixerat ex eodẽ *Apoſt.* docente: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum.* Quapropter *de Spir; & lit. c.14.* ait: *Non enim actus eſt bonus, qui de charitatis radice non fit. Et de Grat. Chriſti c. 18; & 19.* ſup. illud *Matt. 7. Non poteſt arbor bona malos fructus facere; nec arbor mala bonos fructus facere,* ait: *Admonet vtique intelligi radicem bonorum omnium charitatem. Vnde ſi duæ arbores, bona, & mala, ſunt duo homines, bonus, & malus, quid eſt bonus homo, niſi voluntatis bonæ, hoc eſt arbor radicis bonæ? Et quid eſt homo malus, niſi voluntatis malæ, hoc eſt arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum, atque arborum facta ſunt, dicta ſunt, cogitata ſunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala. Et c.19.* proſequitur: *Nec tantùm, vt arbor ſit bona, ſed etiam, vt faciat fructus bonos, eadem gratia neceſſarium eſt, & adiuuetur, ſine qua nihil boni facere poteſt.* Rationem autem huius tradit c. 18; nam *ſicut per Apoſt. 1.Tim.6. Radix omnium malorũ eſt cupiditas, quæ eſt amor mundi; ita radix omnium bonorum eſt charitas, quæ eſt amor Dei. Et in Enchir. c.117.* habet. *Qui rectè amat, procul dubio rectè credit, & ſperat; qui verò non amat, inaniter credit, etianſi ſunt vera, quæ credit; inaniter ſperat, etiãſi ad verã felicitatẽ doceantur pertinere, quæ ſperat.* Hinc Theologi charitatẽ vocant formam omnium virtutum; ſicut enim forma eſt principium, & radix omnis operationis; nam forma principaliùs habet rationem naturæ, quæ eſt principium operandi, vt dicitur *in 2. Phyſ.* ita principium, & radix omnium operum bonorum cuiuſcunque virtutis eſt charitas.

11 Hæc autem charitas, ſeu gratia actualis, quæ eſt radix omnium bonorum, alia eſt parua, & inualida; alia magna, & valida; alia maxima, validiſſima, & robuſtiſſima.

12 Gratia parua, & inualida eſt illa, qua volumus bonum, ſed illud non valemus operari proximè, & expeditè; quia per hanc gratiam, licèt voluntas velit implere præcepta, non tamen ita roboratur, atque inflammatur, vt poſſit promptè exercere quæcunque excellentiora opera virtutum, quibus vincantur omnes paſſionum motus repugnãtes, ne lex ſeruetur; poſſumus tamen per illam rogare Deum, vt nobis conferat robuſtiorem, qua poſſimus expeditè implere mandata; *& ſic volentibus, & conantibus iuſtis omnia præcepta ſunt poſſibilia;* vt definitum eſt *cont. Ianſenium.* De hac loquitur *Beatiſſ. P. de Grat; & lib. arb. c.17;* vbi ait: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam, & inualidam, poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam.* Et deinde: *Ipſam charitatem* (intellige *Magnam*) *Apoſt. Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negauit; timor enim non eſt in charitate, ſicut ait Ioannes Euang. in Epiſtola ſua, ſed perfecta charitas foras mittit timorem; & tamen quanuis parua, & imbecilla non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pro te ponam; putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam, etſi paruam, dare ceperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit?* Quòd autem iſta gratia parua, & imbecilla, quatenus coniungitur cum Fide, ſufficiat ad petendam, & impetrandam à Deo gratiam robuſtiorem, vt poſſimus implere mandata; & ideo *conantibus, & volentibus iuſtis nulla præcepta eſſe impoſſibilia,* habet in toto præcedenti c. 16. vbi ait: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, cùm dicunt: Non iuberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo iubet aliqua, quæ non poſſumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Ipſa eſt enim Fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Et inferiùs. *Certum eſt enim nos mandata facere, ſi volumus; ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, vt tantùm velimus, quantùm ſufficit, vt volendo faciamus. Certum eſt nos velle, cùm volumus, ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum eſt, quod paulò ante poſui: Præparatur voluntas à Domino; de quo dictum eſt: A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet; de quo dictum eſt: Deus eſt, qui operatur in vobis, & velle. Certum eſt nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dicit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis.* Idem habet *lib. 1. ad Simplic. q. 2.* propè finem, & innumeris alijs in locis. Ex quo manifeſtè reijcitur damnata propoſitio *Ianſenij.*

13 Gratia magna, & valida eſt illa, qua voluntas poteſt velle bonum, & poteſt proximè exercere opera virtutum; ſeu eſt illa, quæ dat poſſe perſeuerare in bono, quod habet; ipſum tamen actuale exercitium, ſiue ipſam actualem perſeuerantiam relinquit in arbitrio voluntatis. Hæc fuit gratia, quam habuit *Adam* in ſtatu Innocentiæ; vt docet *Beatiſs. P. de Cor; & Grat. c.11. Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem.* Et deinde: *Dederat & adiutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet; vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere, ſi vellet, quia non deerat adiutorium, per quod poſſet; & ſine quo non poſſet perſeueranter bonum tene-*

tinere, quod vellet. Denique. *Acceperat poſſe, ſi vellet; ſed non habuit velle, quod poſſet.* Et per iſtam gratiam Adam perſeuerauit innocens vſque ad inſtans tentationis, & exercuit actus Fidei, Spei, & Charitatis; ſine quibus bonus eſſe non potuiſſet. Quod dicendum eſt etiam de Angelis Sanctis.

14 Gratia maxima, validiſſima, & robuſtiſſima eſt illa, quę non ſolùm dat poſſe velle exercere opera virtutum, & poſſe perſeuerare in bono vincendo tentationes ſiue internas, ſiue externas, ſi adſint; ſed etiam dat ipſum actualem exercitium virtutum, ipſam actualem perſeuerãtiam, & actualem victoriam paſſionum, & quaruncunque tentationum. *Ita Beatiſſ.P.de Cor; & Grat.c.11;* vbi ait: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam. Sed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt homo habeat iuſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit; & tantùm, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritus vincat.* Et inferiùs. *Tantò ampliùs datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare placuit; vt non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etianſi velimus; verumetiam tantum, ac tale ſit, vt velimus. Et c. 12. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantia datur, ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur.* Et infra: *Eis* (idêſt ſanctis) *non ſolùm dat adiutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeuerare, ſi velint; ſed in eis etiam operatur, & velle; vt quoniam non perſeuerabunt, niſi poſſint, & velint, perſeuerandi eis poſſibilitas, & voluntas largitate Diuinæ gratiæ donetur. Tantùm quippe Spiritu Sancto accẽditur voluntas eorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, vt velint; nam ſi in tanta infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, vt in adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, vt vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet.* De hac gratia loquitur *de Grat; & lib. Arb. c. 17. vbi ſup. Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum. Quid eſt omnia, niſi & ipſas terribiles, ſæuaſque paſſiones? Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis eſt, leuis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit eſſe ſuam ſarcinam leuem, qualis Petrus fuit, quando paſſus eſt pro Chriſto, non qualis fuit, quando negauit Chriſtum. Iſtam charitatem, idêſt Diuino amore ardentiſſimam charitatem commendans Apoſtolus dicit: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an perſecutio &c.*

15 Not.tamen, quòd hæc gratia potentior, ſeu robuſtiſſima habet gradus; certum enim eſt, quòd gratia, qua fit opus martyrij, maior eſt illa, qua fit opus pænitentiæ &c.

16 Ex his apparet manifeſtè, quid ſit adiutorium *ſine quo non* proprium ſtatus innocentię, & adiutorium *quo*, ſeu gratia efficax, quę datur in ſtatu culpæ; & quid ſit gratia ſufficiens, quæ pariter datur in ſtatu culpæ; nam adiutorium *ſine quo non* eſt illud, per quod voluntas ſana poterat ſtare in ea bonitate, in qua cõdita erat, & poterat exercere virtutes, ſicut exercuit, quãdiu ſtetit; non tamen *quo* actu ſtaret, & actu exerceret; quia actu ſtare, & actu exercere virtutes relictum erat in poteſtate liberi arbitrij fortiſſimi, & robuſtiſſimi. Adiutorium *quo* eſt illud, quod non ſolùm dat poſſe, ſed etiam actu, & exercitè tendere in Deum amando, & exercere opera virtutum; quia per illud non ſolùm fit, vt voluntas poſſit, ſed etiam, vt actu velit. Gratia ſufficiens, quæ datur in ſtatu culpæ, eſt illa gratia parua, & imbecilla, quæ non mouet, nec accendit voluntatem efficaciter ad tendendum in Deum, & ad exercendas virtutes, contra quas inuehuntur tentationes; vt fuit illa gratia parua, quam habuit *Apoſtolus Petrus*, quando tentatus in Fide negauit Dominum; non quia gratia ſecundùm ſe non potuit, ſed quia arbitriũ ſaucium, & imbecillum eſt.

17 Item colligitur *cont. Ianſen.* gratiam ſufficientem admiſſam fuiſſe in ſtatu culpæ *à Beatiſſ.P.Aug.His not.*

18 Vnica concl. Adiutorium *ſine quo non* datum Adæ, & Angelis in ſtatu innocentiæ; & adiutorium *quo* datum Sanctis in ſtatu culpæ, conueniunt in hoc, quòd vtrunque eſt inſpiratio actualis dilectionis Dei ſuper omnia.

Prob. 1. pars concl. *Beatiſſ. P. de Cor; & Grat.c.11.* comparans gratiam Adæ cum gratia Chriſti Domini ait: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit; & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Ex quo ſic arguitur. Adiutorium *ſine quo non, & quo* in hoc ſolùm diſtinguuntur, quòd per illud conſtituebatur Adam potens habere iuſtitiam, ſi vellet, idêſt perſeuerare in ea rectitudine, in qua creatus fuerat; (verbum enim *habeat* non ſumitur, prout ſignificat *aquirere*; certũ enim eſt Adam fuiſſe creatum in iuſtitia originali; & ideo non habuit ſolùm potentiam ad illam aquirendam, ſed actu illam habuit, & ideo ſignificat *manutenere*, quod idem eſt, ac perſeuerare) Et per iſtud fit, vt actu perſeueretur; ergo conueniunt in hoc, quòd vtrunque eſt actus dilectionis Dei inſpiratus à Deo; radix enim actus perſeuerantiæ in bono eſt charitas, quæ eſt radix omnium actuum bonorũ, *vt ſup.* dictum eſt.

19 Deinde ſubdit *ibid.* loquens de adiutorio *ſine quo non. Tunc enim dederat Deus bonam volun-*

voluntatem;in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum. Tunc sic. Adiutorium *sine quo non* inspiratū *Adæ* est bona voluntas, per quam ipsum fecerat rectum; sed bona voluntas, per quam homo fit rectus, est actualis dilectio Dei super omnia; voluntas enim, quę est potentia, est indifferens ad bonitatem, vel malitiam; & ideo sola volūtas, quæ est actus bonus, idest bona volitio, facit formaliter hominem bonum; ergo adiutorium *sine quo non* datum Adæ est actualis dilectio Dei super omnia.

20 Præterea subdit: *Dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet*. Ex quo sic. Id, sine quo voluntas nequit permanere in sua bonitate, est ipsa dilectio Dei, quæ facit hominem formaliter bonum; ablata enim dilectione Dei per peccatum, statim voluntas deperdit suam bonitatem formalem; ergo adiutorium *sine quo non* est ipsa actualis dilectio.

21 Insuper *c.12.seq.* ait: *Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare*; sed actus dilectionis Dei dabat Adæ posse non peccare, quia constituebat eius voluntatem in actu bono, quē retinendo non peccabat; nōn enim poterat coniungere peccatum, quod est auersio à Deo cum dilectione, quæ est conuersio in Deum; & quem deserendo peccauit; ergo prima libertas, quæ erat adiutorium *sine quo non*, erat actualis dilectio Dei super omnia.

22 Item *ibid. Maior quippe libertas est necessaria aduersùs tot, & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita, atque firmata, vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus*. Tunc sic. Ad vincendas tentationes internas, & externas in statu culpę sufficit actus dilectionis Dei inflāmans, & accēdens voluntatē nō solùm ad posse, sed etiam ad actu tendendū in Deū, & ad exercēdas operationes virtutum, quibus vincuntur tentationes; ergo ad standum in bono originalis iustitiæ, in quo statu nō erant tentationes internæ, fuit sufficiēs actualis dilectio, qua constituebatur voluntas potens tendere in Deū amando, & perseuerare in ea bonitate accepta à Conditore. Tum quia hæc duo adiutoria non differunt, nisi tanquam maius, & minus, vt *ibid.* docet *Beatiss.P*; sed magis, & minus non variant speciem; ergo hæc duo adiutoria sunt eiusdem speciei; atqui adiutorium *quo* est actualis dilectio Dei super omnia; ergo & adiutorium *sine quo non*.

23 Tandem *c.10.* ait: *Sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium*. Tunc sic. Voluit Deus ostendere, an liberum arbitrium Adæ, & Angelorum possent permanere in dilectione Dei, seu in bona volūtate, quam acceperant à Deo; non autem, an possent effectiuè facere se ipsos bonos producē do effectiuè entitatem actus dilectionis per aliquod auxilium acceptum præuium; primum enim constanter repetit *Sanctiss. Doctor ibid*; secundum autem nunquam asserit; ergo adiutorium *sine quo non est* ipsa actualis dilectio Dei.

24 Prob. 2. pars concl. 1. ex definitione gratiæ actualis efficacis tradita *à Beatiss.P. Aug. lib.de Grat.Christi c.6.* illis verbis: *Sic vult homo, vt tamen eius voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret; & sic operatur homo, vt tamen Deus cooperetur*. Et hanc definitionem colligit *ex Apost. Phil.2*; cuius textum exposuerat *c.4.* docens. *Deus enim est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere, vel sicut in alijs, & maximè Græcis Codicibus legitur, & velle, & operari*.

25 Et *c.24.* referens illud *Esth.15*; vbi dicitur de *Assuero*: *Conuertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem*; super quod loquens de mutatione cordis huius Regis de odio in amorē, & de feritate in lenitatem; cui mutationi nihil cooperatus fuerat Rex; neque enim ex voluntate Dei suam voluntatem tunc suspēderat, nec cor suum in manu Dei posuerat; sed potiùs cōtra voluntatem Dei ad destructionē Populi sui se conuerterat, ait: *Quis autem non videat multò maius esse indignationē à cōtrario in lenitatē conuertere, atq; transferre, quā cor neutra affectione præoccupatū, sed inter vtranq; medium, in aliquid declinare? Legant ergo, & intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina insonante forinsecus; sed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates*. Et hoc prosequitur *c.25.* Idem docet *lib.de Corr; & Grat.c.14*; vbi loquens de salutatione *Dauid* in Regem sup.ill'd *Par. 12. Spiritus induit Amasai principem inter triginta, & dixit: Tui sumus Dauid*, ait: *Sua voluntate vtique isti constituerunt Regem Dauid. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerūt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur*. Ex quo sic. Id, per quod *Israelitæ* cōstituerunt *Dauid* Regem, fuit actus voluntatis ipsorum; sed istum operatus est Deus; ergo actus bonæ voluntatis inspiratur à Deo.

26 Et *de Grat.Christi. c.26.* sup. illud *Io.4. Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos*; asserit: *Non enim haberemus, vnde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cùm prior nos diligeret, haberemus*. Ex quo sic. Id, quo diligimus Deum, est amor, & dilectio; sed hoc habemus à Deo; ergo actus dilectionis inspiratur à Deo.

27 Hanc doctrinam, quam priùs tradiderat *lib.de Nat; & Grat.contr.Pelagium*, statuit, tanquam firmum fundamentum ad euertendam penitus illius sententiam. Si enim Deus operatur in nostra voluntate actum bonum, salutarem, & fructuosum, qui nequit esse, nisi dilectio, optimè

optimè sequitur, quòd talis actus sit gratia Dei; & quòd ad illum eliciẽdum non requiratur aliquod præuium. Hinc *de Grat. & lib. arb. c. 17.* ait: *Vt ergo velimus, sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur; tamen sine illo vel operante, vt velimus; vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis studia nihil omnino valemus.* Ex quo sic. Illud, quod Deus operatur in nobis sine nobis, est gratia Dei; sed Deus operatur in nobis sine nobis velle, seu dilectionem ipsius; ergo dilectio est gratia ipsius.

28 *Et in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 141.* ait. *Fumos tuos tolle; attẽde Scripturarum lumina; gratia enim præuenit hominis voluntatem, vt Deum diligat, qua dilectione operatur bona.* Et clariùs *lib. 2. c. 157. Ammoneo, vt intelligatis, cui gratiæ sitis inimici negando operari Deum voluntatem in mẽtibus hominum; non vt nolentes credant, sed ut uolentes ex nolentibus fiant. Non sicut facit Doctor homo docendo, & hortando; minando, & promittẽdo in sermone Dei; quod frustra fit, nisi Deus imus operetur, & uelle per inuestigabiles uias suas. Cũ enim uerbis Doctor plantat, & rigat; possumus dicere: Fortè credit Auditor. Cùm uerò dat incremẽtum Deus, sine dubio credit, & proficit.* Ex quo sic arguitur. Gratia, cui erant inimici, & quam negabant *Pelagiani*, est ipse actus bonus voluntatis; dicebant enim hunc non esse à Deo, nec donum Dei, sed ex nobis; ergo gratia, quam probat *inuictissimus Gratiæ Defensor Aug. contra Pelagianos*, est ipse actus bonus supernaturalis voluntatis, quo creatura inflammatur ad diligẽdum Deum, & ad exercenda opera virtutum. Tum quia probans *Beatiss. P.* gratiam efficacem *contra Pelagianos* ferè semper eam vocat *cum Apost. bonam voluntatem, velle, dilectionem, charitatem, aut amorem*; sed ista non significant ipsam potentiam volitiuam, seu liberum arbitriũ, quia hoc non negabat *Pelagius* à Deo produci in nobis; imò postquam *in Conc. Palest.* coactus fuit subscribere gratiæ; vt in sua impietate persisteret, dixit nomine gratiæ se intellexisse liberum arbitrium, quod gratis accipimus à Deo; quod reprobat *Beatiss. P. de Grat. & Lib. arb. c. 13. & de Præd. SS. c. 5. & Epist. 105. ad Sixtum*; vbi ait: *Nam omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus; sed qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus; etenim Christus non pro nullis, ut homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, ut iustificarentur.* Neque significant aliquod principium produ-ctiuum volitionis; malè enim sumitur actus pro principio, quãuis rectè sumatur principium pro actu, vt infra patebit; tum quia, vt inferiùs diccmus, eodem modo loquitur de bona voluntate, ac de vsu, nutu, & consensu, ac opere illius; vsus autem, & consensus nequit sumi pro principio elicitiuo, vt patet; sic enim sumeretur nimis confusè, & ambiguè; ergo significãt ipsam actualem dilectionem Dei supernaturalem inflammãtem, & efficaciter mouentem nostram voluntatem ad tendendum in Deum, & ad exercenda opera pietatis.

29 *Et lib. 1. ad Simplic. q. 2.* ait: *Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate; vbi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri*; vbi non ait *cooperante*, sed *operante* Deo; per quod patet Deum præcisè producere volitionem in nobis. Et paulò post. *Nam si quæramus, vtrum Dei donum sit voluntas bona, mirum, si negare quis audeat?* Et propè finem. *Vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur; propterea petere iubemur, vt accipiamus &c.*

30 Et hanc sententiam testatur sibi fuisse reuelatam à Domino, vt ait *de Prædest. SS. c. 4. Quam mihi Deus in hac quæstione soluenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, reuelauit.* Quæ reuelatio, licèt facta fuerit priuatim, attamen facta fuit Doctori vniuersali, vt illam toti publicaret Ecclesiæ.

31 *Et de Grat. & lib. arb. c. 6. & 7.* docet opera nostra esse dona Dei; & Deum coronare opera nostra, non tanquam opera nostra, sed tãquam dona sua, his verbis: *Si ergo Dei dona sunt bona opera tua, non coronat Deus merita tua, tanquã merita tua, sed tanquã dona sua.* Sed merita sunt nostri actus boni; & dona tribuuntur à sola voluntate Donatoris; si enim sunt à nobis, iam non sunt dona; ergo gratia actualis efficax est actus dilectionis inspiratus à Deo.

32 Non solùm autem *Beatiss. P.* sed etiam alij *tres DD. Maximi Ecclesiæ* hanc sententiam manifestè docent.

D. Ambr. lib. 10. Epistolarum Epist. 84. ad Demetriad. ait: *Siquidem nihil rectè faciet, nisi quod volens egerit, sed vt, ad id, quod æquum, & vtile est, animi tendat intentio, de illius æternæ, & incommutabilis voluntatis inspiratione concipitur. Et sicut Arte Medici fit in oculis caligantibus, vt possit videre, quod non vident, nec tamen non ipsorum est visio, quam medicina contulerit; ita in cordibus tardis, & hebetibus per Spiritum Sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine tenebrosa iam, & deficientes lucernæ lumen accipiunt, nec tamen nisi ipsarum erit, quidquid fulgoris acceperint.* Et paulò post concludit. *In omnibus enim mandatis Dei vna, eademque ratio est, & Diuina gratia, & humana obedientiæ.* Ex quo sic. Tendentia ad obiectum bonum concipitur à voluntate ex inspiratione voluntatis Dei; sed hæc tendentia est actus voluntatis, nec potest explicari pro potentia; & est gratia, quia gratis inspiratur, & donatur; ergo gratia actualis efficax est actus dilectionis Dei supernaturalis inspiratus à Deo. Præterea eadem est gratia, & obedientia, seu consensus nostræ voluntatis obsequentis motioni Dei; ergo gratia est

est actualis operatio nostræ voluntatis à Deo inspirata mouens ad exercitium virtutis.

33 *S. Hier. ad Ctesiph. cont. Pelag.* idem docet his verbis: *Agamus semper gratias Largitori, sciamusque nos nihil esse, nisi quod donauit, in nobis ipse seruauerit dicente Apostolo: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Velle, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum; dicit enim idem Apost. Deus est, qui operatur in vobis, & velle & perficere; & Saluator in Euangelio: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor; semper largitor, semperque donator est. Non mihi sufficit, quod semel donauit, nisi semper donauerit. Peto, vt accipiam; & cùm accepero, rursus peto.* Quibus verbis probat Deum donare, & operari in nobis nostrum velle, & currere; & illud suo auxilio seruare; aliter si nobis illud non donaret, sed eliceretur à nobis mediante sua gratia, non deberemus orare Deum, vt illud nobis daret, sed solùm orare, vt largiretur nobis principium effectiuum illius, vt superiùs innuerat.

34 *S. Greg. Magnus* 22. *Mor. sup.* illud *Iob.* 31. *Si osculatus sum manum meam ore meo &c;* de viris iustis ait: *Quidquid verò boni in se inspiciũt, immortalis gratiæ fatentur donum; eique de accepto munere debitores fiunt; qui & præueniendo dedit eis bonum velle, quod voluerunt, & subsequendo concessit bonum posse, quod volunt.* Idem sup. *Ezech. hom.* 9. ait: *Sed sciendum est; quia mala nostra solummodò nostra sunt; bona autem nostra, & omnipotentis Dei sunt, & nostra; quia ipse aspirando præuenit, vt velimus, quod adiuuando subsequitur, ne inaniter velimus.* Ex quibus patet omnes quatuor *DD. Maximos Ecclesiæ* docere vnanimiter actum bonum inspirari à Deo in nobis, & consequenter esse gratiam, & donum Dei formaliter, non solùm causatiuè.

Sed hanc sentẽtiam docent etiam *alij SS. DD. Ecclesiæ.*

35 *Noster S. Prosper cont.* 13. *Collat. Cassiani* c. 10. sup. illud *Apost. Velle enim adiacet mihi &c.* ait: *Quasi Apostolus ex affectu naturali, & non ex gratiæ dono bonam habeat voluntatem, quam profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam etiam coagendi.*

36 *Noster S. Fulg. de Incarn. c.* 12; *& alibi* idem docet expressissimis verbis;

37 *S. Martyr Cypr. de Orat. Domin;* quem refert *Beatiss. P. de dono Perseu. c.* 6. sup. illa verba: *Fiat voluntas tua;* ait. *Admonemur infirmitatis, & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus, ne quis sibi superbè, arroganterque aliquid assumat.* Et infra. *Vt dum præcedit humilis, & submissa confessio, & datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.* Sed petimus fieri in nobis bonum actum voluntatis, quia rogamus, vt fiat in nobis actus, quo obseruemus voluntatem Dei; ergo iste actus fit in nobis à Deo.

38 *S. Isid. lib. differr. c.* 30. ait: *Dei est bonum, quod agimus propter gratiam præuenientem, & subsequentem; nostrum verò est propter subsequentem liberi arbitrij libertatem; nam si Dei non est, cur illi gratias agimus?* Ex quo sic. Actus bonus, quem agimus, est Dei per gratiam subsequentem, quatenus Deus illum cooperatur nobiscum, & est Dei per gratiam præuenientem, quatenus Deus illum operatur in nobis sine nobis, quia gratiæ præuenienti nos non cooperamur; sed talem actum nequit Deus operari in nobis sine nobis, nisi illum producendo, & inspirando in nobis; ergo talis actus à Deo inspiratur, & producitur in nobis sine nobis; sed id, quod inspiratur, & producitur à Deo in nobis sine nobis, est gratia Dei; ergo gratia Dei est actus bonus inspiratus à Deo.

40 *S. Anselm. de Concord. Grat; & lib. arb. c.* 19. ait: *Nemo certè seruat rectitudinem hane acceptam, nisi volendo, velle autem illam aliquis nequit, nisi habendo; habere verò illam nullatenus valet, nisi per gratiam. Sicut ergo illam nullus accepit, nisi gratia præueniente, ita nullus seruat, nisi eadem gratia subsequente.* Ex quo sic. Id, quod accipit creatura à Deo, producitur à Deo in creatura, nihil enim potest accipere, quod non producatur; sed accipit à Deo rectitudinẽ, quæ consistit in actu bono, quo tẽdimus in Deũ; ergo actus bonus producitur à Deo in creatura.

41 Accedit *Conc. Mileuit. c.* 5; vbi ait: *Vtrũque est donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus;* quapropter *Beatiss. P. in suppl. cont. Iul. lib.* 1. *c.* 95. redarguit *Pelagianos* asserẽtes cognitionem Dei, quæ habetur per legem, ex Deo esse; actum autem charitatis, quo diligimus Deũ, esse ex nobis his verbis: *Quomodò scientia, quæ est minor, ex Deo est; & charitas, quæ est maior, ex nobis est? Quia absq; eo, quòd Deus donet nobis sciẽtiã, nõ possumus nosse Deũ; absq; eo tamen, quòd nobis donet charitatẽ, possumus Deũ diligere? Sic non sapiunt, nisi noui hæretici, & gratiæ Dei inimici.* Nec potest dici, quòd Deus donet nobis actum dilectionis tantùm simultaneè illum operando; quia expressè loquitur *Sanctiss. Doctor* de gratia præueniente, qua solus Deus operatur; arguit enim ex illo *Phil.* 2. *Voluntas præparatur à Domino;* & ex illo: *Deus operatur in nobis velle,* excludens hanc responsionem *Pelagianorum* his verbis: *Si gratia tantùm cooperatur iam existenti voluntati, non autem præuenit, vt operetur eam &c.*

42 Tandem *Ecclesia* continuò orat sibi infundi à Deo actum dilectionis Dei, vt patet *in orat. Dom.* 5. *post Pent;* vbi ait: *Deus, qui diligentibus te bona inuisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris effectum, vt te in omnibus, & super omnia diligentes &c.* Et in Festo *S. Bernardini Sen.* orat. *Spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde; & sæpè alibi;* inutiliter autem oraret; peteret enim infundi id, quod non in-

infunditur, sed à nobis mediante eius auxilio elicitur.

43 Hæc testimonia fundata in ratione causalitatis, qua Deus operatur in nobis velle, desumpta *ex Apost.* & ex alijs *Diuinis Scripturis*, tam frequentia sunt, vt meritò hæc ratio appellanda sit potissima,& principalissima.

44 Dices 1. *SS.PP.* sumere actum pro principio eliciriuo illius; vt cùm gloria, quæ est effectus gratiæ,cùm sit eius consumatio, quapropter dicitur *gratia consummata*, sumitur pro ipsa gratia; vnde nomine *volitionis,& dilectionis* intelligunt principium eliciriuum illius. 2. *Beatiss. P.* impugnat *Pelagium* docentem actum bonum fieri per virtutem naturalem; ergo admittit principium eliciriuum actus boni; aliter non rectè illum impugnasset. 3. Non est credibile, quòd tota lis grauissima, quæ fuit inter *Beatiss.P.* & *Pelagianos*,reducenda fit ad hanc quæstionem philosophicam; scilicet, *an actus producatur ab obiecto?* Quod plures negant; imò *Aliqui*, vt *in seq.*§. grauiter notant.

Resp. ad 1. esse omninò nouum *in Scholis*, quòd actus sumatur pro potentia; quanuis enim potentia sumatur pro actu; vt cùm actum, quo intelligimus principia,vocamus intellectû; & actum, quo tendimus in finem, vocamus voluntatem; quapropter *Beatiss.P.* voeat actum dilectionis Dei bonam voluntatem; nunquam tamen legitur actum sumi pro potentia:aliter cùm *Beatiss. P.* ait velle produci à Deo, si sumeret velle pro potentia volitiua, non id negassent *Pelagiani* asserentes voluntatē esse donum Dei. Tum quia *Apost.* explicitè loquitur de velle, & operari; & *Beatiss. P. lib. 1. ad Simplic. q. 2.* ait nutum, consensum volnntatis, & opera omnia bona produci à Deo; quod nequit intelligi de potentia, aut de auxilio; aliter si promiscuè hæc sumerentur, non modica esset confusio, & distorsio *in Scripturis*. Tum quia *Beatiss.P.* loquitur de velle, quod est meritum nostrum, quod coronat Deus; vt citò dicemus; sed principium eliciriuum actus non est meritum, nec coronatur à Deo, quia corona redditur solis actibus nostris; ergo non sumit actum pro principio. Ad id de gloria dicitur nedum esse effectum gratiæ, sed esse gratiam formalissimè, vt docet *Beatis.P.de lib.arb.c.*8;licèt enim sit merces,quatenus redditur meritis; attamen simul est gratia, quia gratis donatur in intentione; & quia ipsa merita gratis donantur. *Et in Enchir.c.*107. *Intelligendum est igitur etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cum vita æterna redditur,quòd nisi gratia pro gratia redditur*. Ad 2. dicitur, quòd *Pelagius* volebat actum bonum esse ex nobis, non ex gratia Dei donari nobis; directè autem improbatur dicendo esse à Deo nobis donatum; non autem directè impugnaretur dicendo esse ex nobis, & ab aliquo principio eliciriuo illius; tunc enim donaretur nobis

solùm illud principium, non autem actus; quia ille actus eliceretur à nobis sub gratia; quod autem elicitur à nobis sub gratia, non est merum donum Dei; quia donum simpliciter pendet ex voluntate Donatoris, & nihil ad illud cooperatur ille, cui donatur; aliter si præcederet aliqua cooperatio, quæ certè esset meritoria,quia esset sub gratia,quæ est principium meriti, iam illud donum non esset donum; & sic opera nostra non essent dona Dei; vt probat *Beatiss.P.de Grat.& lib.arb.c.*6; & 7. vbi docet *opera nostra esse dona sua*; iuxta illud *Iac.*1. *Omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum*. Habetur hoc expresse *de Grat. & lib. arb. c.*18. vbi describens dissidium, quod erat inter ipsum, & *Pelagianos*,ait: *Vnde est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos*; sed *Pelagiani* nomine charitatis Dei, & proximi intelligebant actum amoris, quem contendebant esse ex nobis; ergo *Beatiss. P.* nomine charitatis intelligit actum amoris, quem dicit esse ex Deo; aliter directè non euertisset sententiam *Pelagianorum*; ex quo patet non fuisse litem *cum Pelagianis* de principio eliciriuo actus, sed de ipso actu, & hinc fortiùs roboratur nostra sententia. Ad 3. dicitur *Beatiss. P.* reducere quæstionem ad illud principium per se notum: *Omnis causa secunda essentialiter agit, vt mota à causa prima*; quod neque *ab Ethnicis* negatur;altera autem ratio,qua *Fundatiss.Doct.* ait voluntatem actuari ab obiecto, reducitur ad hanc vniuersalissimam, vt patebit *in seq.*§.

46 Ex dictis colliguntur differentiæ inter adiutorium status Innocentiæ, & culpæ; qui videri possunt *de Cor; & Grat. c.*11; & *in Enchir. c.*105. Prima est; quòd adiutorium Innocentiæ non supponebat culpam;adiutorium autem status culpæ culpam supponit; quapropter Sancti clamant ad Deum: *libera nos à malo*. 2. est; quòd illud non erat ex meritis Christi; istud verò sic. 3. est; quòd illud non sedabat leges repugnantes membrorum, quia nulla rixa erat; istud verò illas sedat, & componit. 4. est; quòd illud non sanabat, quia nulla erat infirmitas; istud verò sanat, quia per peccatum infirmus est homo. 5. est;quòd illud dabat solùm posse tendere in Deum amando,& posse operari actus virtutum, quibus posset perseuerare in ea bonitate, in qua conditus erat, non autem habet ipsam actualem perseuerantiam in exercitio operum bonorum, quibus vincerentur tentationes externæ. Istud verò dat actu amare Deum, & perseuerare. Aliæ differentiæ adductæ *ab Auctoribus*, vel reducuntur ad istas, vel reijciuntur tanquam alienæ ab eius mente.

45 Obijc. 1. *Salm.de Grat.Tract.*14.*q.*111. *disp.*5. *dub.*3. §.3; & *seq.* constituentes adiutorium *quo*,seu gratiam efficacem in quadam qua-

litate fluida, quia datur per modum fluxus, eliciua volitionis, sic. Omnis operatio supernaturalis supponit principium supernaturale intrinsecum, à quo eliciatur; actio enim vitalis petit oriri à principio vitali; ergo primum auxilium supernaturale nequit consistere in operatione supernaturali. 2. Actus secundus supernaturalis supponit actum primum supernaturalem, quia actus secũdus correspondet primo; sed operatio est actus secundus; ergo supponit auxilium, quod est actus primus. 3. Adiutorium *quo est, quo fit, propter quod datur*; & ipso *fit, vt velimus*; in hoc enim distinguitur ab adiutorio *sine quo non*, quod dat posse velle; vt docet *Beatiss.P. vbi sup.c.*12; ergo datur per modum principij elicitiui voluntatis. Tum quia sæpè docet gratiam præparare, præmouere, & prædefinire voluntatem; quod nequit intelligi, nisi sit aliquod præuium ad ipsum actum volitionis. 4. Intellectus indiget principio supernaturali intrinseco elicitiuo cognitionis, quod est Fides; ergo & voluntas. 5. Sequeretur, quòd *Concilia* definientia necessarium esse auxilium ad operationem supernaturalem definirent operationem esse necessariam ad operationem, quod est indignum grauitate *Conciliorum*; patet enim nullum posse operari sine actuali operatione; nec contrarium dicunt *Hæretici*. 6. Illustrationes mentis, & affectiones voluntatis, prout à Deo in nobis productæ, sunt actus nostri indeliberati; sed etiam actus indeliberati, vtpotè vitales, petunt produci à principio intrinseco proportionato; ergo supponunt in intellectu, & voluntate aliquod auxilium supernaturale.

Resp. hanc sententiam nimis infirmare gratiam Dei; facit enim eam, veluti ceream, quæ modico passionum igne fluit, & liquescit; hoc autem est cõtra *Beat.P. de Cor. & Grat.c.*11; vbi docet per eam exstingui quoscunque passionum ignes, sedari incendia, componi tumultus &c. Ad 1. igitur dist. ma. Omnis operatio elicita, conc; inspirata, neg; & sic ille actus inspiratus, vt qualitas, supernaturalizar potentiam ad hoc, vt possit eundem eliecre, vt actio est. Ad 2. dist. ma. Actus secundus inmanens supponit primum, vt quid distinctum in Agente, neg; vt quid indistinctum, conc; cùm enim actus primus, & secundus sint eiusdem speciei, vt diximus *To.*1. *de Inuisib. q.*1. *art.*7. *n.*2; & duo accidentia eiusdem speciei numericè differentia nequeant esse in eodem subiecto, vt etiam fatentur *Aduersarij*; ideo, licèt actus secundus transiens realiter distinguatur à primo, non tamen distinguitur actus secundus immanens, vt est volitio. Ad 3. dicitur, quòd adiutorium *quo* datur per modum actus primi ad exercitium actus secundi, vt quid indistinctum. Ad aliud dicitur voluntatem præparari, præmoueri, & prædefiniri à gratia quæ, vt qualitas, est actus primus, ad ipsum exercitium, quod est actus secundus, & ad opera virtutum, non autem per ordinẽ ad ipsam entitatẽ volitionis; vt supra explicatum est. Ad 4. dicant *Aduersarij*; quare ad intellectionem naturalem requiritur species, & lumen; ad volitionem verò sufficit volũtas proposito obiecto? Er eorum responsione soluemus eorum objectionem. Resp. ergo ad intellectionem requiri lumen, quia visio nequit fieri sine lumine; cùm *sit actus perspicui*; ad volitionem verò sufficit voluntatem supernaturalizari ab eo actu, vt qualitas est. Ad 5. dicitur *Concilia* definire ad operationes supernaturales, vt actiones sunt, requiri auxilium, non tamen definiri hoc esse distinctum ab ipsa entitate volitionis. Ad 6. neg. ma; nam ad tales actus, prout in nobis producuntur à Deo, voluntas se habet merè passiuè illos recipiendo; prout autem eliciuntur à nobis, actiuè concurrit.

Sed hæc omnia magis patebunt *in seq.* §; *hic* enim sufficit ostendisse nostram sententiam esse iuxta mentem *Beatis.P. Aug. & aliorum DD. Ecclesiæ* communiter; imò *ipsius Ecclesiæ*.

47 Quæres, an gratia sufficiens status culpæ sit idem, ac adiutorium *sine quo non* status Innocentiæ?

Resp. hoc esse videndum alibi. Pro nunc posset dici assimilari, quia neutra fit, vt actu velimus, sed solùm, vt possimus velle; & ideo idem dicendum de gratia sufficienti; quòd scilicet sit actus supernaturaliter à Deo inspiratus.

48 Collig. diuisionem gratiæ actualis in operantem, seu præuiam, & cooperantem, seu simultaneam tradi *à Beatiss. P.* præsertim *de Grat. & lib.arb.c.*17. ex illo *Apost. Deus qui operatur in nobis &c.* Gratia præuia, siue operãs est dilectio Dei, prout à Deo producitur in nobis per modum actus primi, vt qualitas est; & prout mouet nostram voluntatem ad volendum, & ad exercendos actus virtutum. Gratia cooperans est eadem dilectio inspirata, prout per modum actus secundi simul cum nostra voluntate tendit in bonum. *Ita Fundatiss. Doct. in* 2. *dist.*26. *q.*2. *art.*3. §. *Dicemus*. Sed de hoc *in Tract. de Grat*; sufficit enim nobis *hic* ostendisse gratiam actualem esse ipsum actum bonum inspiratum; alia verò incidenter tacta alibi meliùs, & fusiùs explicabuntur. *Vid. in Tract. de Vol. q.*4. *art.*2; *et* 3.

§. III.

Afferuntur rationes Fundatissimi Doctoris.

48 NVlla sententia est magis propria, nec aliquam frequentiùs repetit *noster Fundatis. Doct*; quàm istam, quam statuit, tanquã fundamentum plurium conclusionum pertinentium ad actus supernaturales, asserendo *voluntatem creatam agere per actionem à Deo receptã*; & hoc conformiter ad doctrinam *Sanctiss. P.* traditam *in sup.* §. Ex huius sententiæ declaratione patebit *Fundatis. Doct*; nedum non discordare

dare in materia *de Gratia* à mente *Beatiss. P;* sed *nullum alium Doctorem* magis cum ea concordare, quidquid dicant *Aliqui* ex nostris, qui nō solùm profundiora *Fundatiss. Doct.* arcana intimè non penetrarunt,sed nec eius doctrinam salutarunt à limine.Igitur.

49 Vnica concl. Gratia actualis nihil aliud est, quàm actus dilectionis Dei super omnia inspiratus à Deo, & productus in nobis.

50 Hanc concl.probat *Fundatiss.Doct.*pluribus rationibus;quæ tamen claritatis gratia ad triplicem classem reducuntur. 1. ratio sumitur ex conceptu essentiali, quem dicit vniuersaliter causa secunda. 2.ratio sumitur ex proprio conceptu formali,quem dicit essentialiter potentia agens inmanenter, prout contradistinguitur à potentia transeunter agente. 3.tandem sumitur ex ratione speciali supernaturalitatis ipsius actus. Primæ duæ rationes sunt merè philosophicæ, & vniuersalissimè concludunt de quacūque actione cuiuscunque causæ creatæ. 3. Theologica est, & concludit solùm de actione supernaturali;& ideo ex illarum explicatione patebit hanc sententiam conformiorem esse nedum *Diuinis Scripturis,& SS.PP;*sed etiam rationi,& Philosophiæ naturali.

51 Prima ratio sumitur *ex lib. de Causis ubiß;*& sic efformatur. Omnis causa secunda ex suo cōceptu essentiali importat agere per actionem in semetipsa causatam a causa prima; sed voluntas creata est causa secunda; ergo importat formaliter agere per actionem causatam in semetipsa à causa prima;atqui id, quod in ordine supernaturali causatur à Deo præuiè ad actionem volūtatis,est gratia actualis; ergo gratia actualis nihil aliud est,quàm actus dilectionis Dei causatus à Deo in volūtate creata. Mi.subsumpta patet;quia gratia actualis etiam *per Aduersarios* nihil aliud est,nisi qualitas producta à Deo in voluntate creata preuiè ad actionem voluntatis; vnde si ipsa actio voluntatis inspiratur à Deo,& producitur immediatè,vt qualitas, in nostra volūtate, optimè sequitur ipsam actionē esse gratiā actualem.Mi. etiā primi argumēti patet; quia omnis causa creata est causa secūda; cùm essentialiter causetur,& depēdeat à prima.

52 Ma;in qua tota est difficultas, prob.*à B. Doct.ex Auctore de Caus. vbis; & Quodl.6.q.2.* dicente:*Omnem operationem,quam efficit causa secunda,efficit & causa prima; veruntamen causa prima efficit eam per modum altiorem, & subliniorem.* Hoc autem ostendit *B.Doct.* tripliciter. 1.Substantia,virtus, & operatio in creatura per ordinem se habent;sed substantia, & virtus immediatè producuntur à Deo in ipsa creatura; ergo & operatio. Ma. patet; quia sicuti ad substantiā essentialiter sequitur virtus,quę est accidēs illius; ita operatio essentialiter sequitur ad virtutē,cuius est actus. Mi.etiā cōstat apud omnes. Prob.conc. Licèt substātia creata operetur mediāte virtute;attamē illa virtus est immediatè producta à causa prima in ipsa substantia creata; ergo licèt virtus creaturę operetur mediante actione;attamen illa actio est immediatè producta in ipsa creatura. 2. Causa essentialiter subordinata nequit agere,nisi per actionē causę subordinantis producentis illam actionem pro aliquo priori naturæ in ipsa causa subordinata; in hoc enim consistit formaliter subordinatio in agendo; quia sicut subordinatio in essendo consistit in hoc, quòd recipiat entitatem ab illo,cui subordinatur;quapropter omnis creatura subordinatur Deo,quia ab illo recipit suam entitatem; vnde si daretur aliqua creatura, quæ non reciperet entitatem à Deo, vt fingebant *Manichæi,* non esset illi subordinata in essendo; & ita *in moralibus Minister* dicitur subordinatus *Principi,*quia *à Principe* recipit ministerium; alteri autem *Principi*, à quo non recipit ministerium, quod est quoddam esse morale,non dicitur subordinari; ita subordinatio in agendo dicit agere per actionem receptam ab Agente superiori; sed voluntas creata subordinatur Deo in agendo,quia essentialiter est causa secunda;& secundum essentialiter subordinatur primo;nam subordinari idem est,ac poni,sub alio; secundum autem est essentialiter sub primo; ergo voluntas creata agit per actionem immediatè productam in se ipsa à causa prima.Ma.ampliùs explicatur. In tantùm omnes homines subordinantur immediatè primo homini nempe *Adæ*,in quantùm ab illo recipiunt esse mediatè; etenim si daretur aliquis homo productus à solo Deo ex nihilo, nullum ordinem diceret ad *Adam*,non ob aliam rationē;nisi quia ab illo non reciperet esse;ergo subordinatio in essendo importat,quòd res subordinata recipiat esse à subordinante; sed sicut res se habet ad esse, ita se habet ad agere;quia *agere sequitur ad esse*, & proportionatur cum illo; ergo causa essentialiter subordinata essentialiter agit per actionem in ipsa productam à causa subordinante. Mi.vlteriùs ostenditur; nam creatura non minùs dependet à Deo in essendo, quàm in agendo ita, vt non minùs ei repugnet esse primum ens, quàm esse primum agens; sed ex eo, quòd non sit primum ens, essentialiter sequitur, quòd sit subordinata primo enti in essendo;ergo ex eo, quòd non sit primum agens, essentialiter sequitur, quòd sit subordinata primo agenti in agēdo; sed voluntas creata essentialiter est creatura; ergo subordinatur Deo in agēdo. 3. Omne instrumētum agit per actionem receptam à principali agente; sed quælibet causa creata,siue necessaria,siue libera est instrumētum Dei; vt habetur nedum *ex Philosopho* apud *Com.12.Met.c.18;sed etiam ex SS.PP;*ergo quęcunque causa creata agit per actionem receptam à Deo;sed voluntas creata est causa creata; ergo agit per actionem productam à Deo.

53 Hæc tamen actio, prout à Deo produ-

cta in creatura, est actus primus, qui est qualitas actuans potentiam creatam; & prout elicita à creatura, est actus secundus, & habet modum actionis; vnde creatura actum primum habet à Deo; & actum secundum habet à se ipsa simul concurrente Deo, vt diximus *To.1.de Inuisib. q.1.art.6.*

Conf.1. Omnis causa mouens, vt mota, essentialiter mouet per motum in ipsa productũ à primo Mouente; vt patet de primo Orbe, qui per motum in ipso productum ab Intelligentia motrice mouet alios Orbes inferiores; sed voluntas creata essentialiter mouet, vt mota; aliter esset primum Mouẽs immobile, quod repugnat creaturæ; ergo mouet per motum in ipsa productum à primo Mouẽte; atqui motus causæ est actio illius; nomine enim actionis nihil aliud intelligitur, nisi motus, & fluxus, quo res transit de non esse ad esse; ergo voluntas creata agit per actionem in se ipsa productam a Deo. Hanc rationem tradit *Beatiss.P.de Grat. & lib.arb.c.21;* vbi ait: *Agit omnipotens in cordibus nostris etiam motum voluntatis eorum, & lib.1. ad Simplic.q. 2.*propè finem.*Nec velle, nec currere, nisi illo mouente, & excitante poterimus.*

54 Conf.2. Si Deus non produceret in causa creata actionem illius, sed tantùm simul cum creatura illam produceret, sequeretur, quòd respectu illius actionis non posset habere rationem primæ causæ; ex eo enim, quòd duæ causæ partiales producunt simul eũdem effectum, nequit sumi ratio, cur vna potiùs sit causa prior, quàm alia; ergo tolleretur subordinatio, quam essentialiter creatura dicit ad Deum, vt ad primam causam respectu cuiuscunque actionis.

55 Dicit *Thyrsus To.1.disp.11.sect.2.n.33.* Deum respectu determinationis nostræ voluntatis operari, vt quasi subditũ nostræ voluntati; quatenus sinit se determinari ab illa.

Sed contra est, nam iste Auctor nõ *vidit definitionem Ecclesiæ sub Innoc.XI.* gloriosè regnãte *die 23.Nouembris 1679;* in qua prohibitæ, & damnatę sũt istæ propositiones ad minùs tanquã temerariç: *Deus donat nobis omnipotentiã suam, vt ea vtamur;* alterã verò: *Deus subijcit nobis suam omnipotentiam*. Idem autem in terminis sonat hæc doctrina, quam sæpe repetit *Thyrsus*. Nec vidit *Beatiss.P.Aug;* cuius doctrinam continuò sequitur, ac seruat Ecclesia præcipuè in hac materia; vt statuit *Hormisdas ad Possessorem; & Io. 11.Ep.ad Abienũ: S.Augustinus, cuius doctrinam secundùm statuta Prædecessorum meorum Romana sequitur, & probat Ecclesia;* quibus ostendit doctrinam S. P. semper fuisse regulam Ecclesiæ in his quæstionibus definiendis. Igitur *de Præd. SS. c.2.* elationem huius propositionis reijciens S.P. ait: *Quasi componit homo cum Deo, vt partem Fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; & quod elatius est; primam tollit ipse, sequentem dat illi, & in eo, quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum*. Quod autem dicit de actu Fidei, de quocunque actu debet intelligi; quia Deus est essentialiter primum ens, & prima causa, cui repugnat esse posterior creatura non minùs, ac illi repugnat esse creaturam, vel inferiorẽ creatura; imò magis ei repugnat esse subiectum creaturæ; quàm esse creaturam; quia subiectio ad creaturam dicit inferioritatem ad creaturam, quæ importat maiorem vilitatem, quàm sit vilitas creaturæ.

56 Inst. *Beatiss.P. Aug;* quando agebat contra *Pelagianos*, tanto spiritu accendebatur, vt videretur omnino negare liberum arbitrium, & ideo excessit modum; ideo sano modo est intelligendus.

Sed vltra ea, quæ diximus ad hoc *To.1.de Inuisib. Dei q.1.art.1.n.7;* addimus, quòd hæc propositio proscripta fuit *à Cælestino in Epist.ad quosdam Galliarum Episcopos c.3;* vbi postquam *c.2.* declarauerat *Augustinum Magistrum optimum Ecclesiæ*, ait: *Quia nonnulli, qui Catholicorum nomine gloriantur in damnatis autem Hæreticorum sensibus, seu prauitate, siue imperitia demorantes, piissimis Disputatoribus obuiare præsumunt; & cùm Pelagium, atque Calestium anathematizare nõ dubitent, magistris tamen nostris, tanquam necessarium modum excesserint, obloquuntur;* ergo hæc responsio non est cõformis *Eccl.*

57 Secunda ratio sumitur *ex eodem Quodl. 5.vbi sup,* & eam expẽdimus *To.1.q.1.proem.art. 6.n.4;* & sic breuiter proponitur. Omnis potentia immanenter agens necessariò actuatur, & determinatur ab obiecto per actionem in ipsa productã ab obiecto in genere causæ efficientis extrinsecæ; sed voluntas creata est potentia immanenter agens; ergo necessariò actuatur, & determinatur ab obiecto per actionem ab illo productam in ipsa in genere causæ efficientis extrinsecæ. Mi. à nullo negatur. Ma. prob. Omnis potentia immanẽter agens est essentialiter de genere passiuorum, quia recipit suam actionem; sed passiuo, vt passiuo, repugnat formaliter agere; sicut actiuo, vt actiuo, repugnat formaliter pati; vt patet ex ipsis terminis; quia *agens in tantùm agit, in quantùm actu est;* & in tantùm patitur, in quantùm actu non est; implicat autem, quòd aliquid sit agens, & patiens, quia implicat, quòd aliquid sit in actu secundùm illam formam, secundùm quam agit, & in potentia secundùm eandem formam; quia esse in actu secundùm aliquam formam est habere esse illius formæ, & esse in potentia ad illam est non habere esse illius formæ; repugnat autem cuicunque subiecto habere actu aliquam formam, & ipsã actu non habere; quia repugnat hominem habere animam rationalem, & illam non habere; sicut repugnat parieti habere, & nõ habere actu simul albedinem; aliter non repugnaret poni simul duo contradictoria in eodem subiecto, quod est *contra omnem Philosophiam*. Quòd autem agens, in quantùm,

tùm agens, debeat habere actu formam, ſeu entitatem, quam producit, patet ex eo principio: *Nemo dat, quod nō habet*; ſi igitur agens non haberet actu illam formam, quam producit, non poſſet illam producere, vt patet diſcurrenti per ſingula agentia, & per ſingulas actiones; & hæc eſt vna ex rationibus, per quam probatur in Deo eſſe omnes creaturas, quia illas poteſt producere. Tum quia *agens in tantùm agit, in quantùm tangit ex Phil*; idem autem nequit tangere ſe ipſum ſecundùm idem formaliter; & ideo paſſiuo, vt paſſiuo, repugnat formaliter agere. Tandem quia agens, vt agens, eſt præſtantius patiente, vt docet *Beatiſſ. P. de Lib. Arb*; idem autem nequit eſſe præſtantius ſe ipſo formaliter ſecundùm idem; ideo paſſiuo, vt paſſiuo formaliter repugnat agere; ergo omnis potentia immanenter agens, ad hoc, vt agat, neceſſariò debet actuari ab obiecto.

58 Conf. 1. Ita ſe habet voluntas reſpectu volitionis; ſicut intellectus reſpectu intellectionis; ſed intellectus nequit producere intellectionem, niſi actuetur ab obiecto; ergo neque voluntas. Ma. patet; quia vtraque eſt potentia formaliter immanens. Prob. mi. In hoc ſcientia noſtra diſtinguitur à ſcientia Dei; quòd ſcientia Dei cauſat res; noſtra verò cauſatur à rebus; ſed habitus *ſcientiæ cauſatur per repetitionem actuū*; ergo obiectum cauſat ſcientiam in noſtro intellectu repetēdo cauſalitatem actuum in noſtro intellectu; atqui nequit repetere cauſationem actuum, niſi illos ſimpliciter cauſando in noſtro intellectu; quomodò enim poteſt aliquod cauſare repetitionem actuum, niſi pluries producēdo actus? Et quomodò poteſt pluries repetere productionem actuum, niſi ſimpliciter cauſando entitatem illorum? Ergo intellectus nequit producere intellectionem, niſi actuetur ab obiecto.

59 Conf. 2. Ab indifferenti, vt indifferens eſt, nequit prodire actio determinata, niſi ab aliquo extrinſeco determinetur; ſed potentia immanenter agens eſt eſſentialiter indifferens; ergo ab ipſa nequit prodire actio determinata, niſi ab aliquo determinetur; atqui determinatio eſſentialiter fit per actum receptum; quia *actus eſt, qui determinat ſecundùm Phil*; ergo debet actuari ab aliquo extrinſeco, quod nequit eſſe, niſi obiectum, vt oſtendimus *To. 1. loc. cit; & de Inuiſib. Dei q. 1. art. 6. n. 3*. Prob. ma. Indifferens, vt indifferens, eſſentialiter eſt paſſiuum; quia illud dicitur indifferens ad aliquam formam, ſeu entitatem, quod illam non habet, poteſt tamen illam habere, & non habere; ſecus ſi indifferens ad aliquam formam haberet illam, iam eſſet determinatum ad illam; quia omnis forma determinat ſubiectum, vt conſtat; ſed paſſiuū, vt paſſiuum, nequit habere aliquam actionem, niſi determinetur ab aliquo agente producente in ipſo entitatem actus; à quo ſolùm poteſt haberi determinatio paſſiui; hinc materia nullius eſt actiuitatis, quia ſecundùm ſe merè paſſiuè ſe habet; poteſt autem agere, quando eſt actuata, & determinata per aliquam formam; ergo ab indifferenti, vt indifferens eſt, nequit prodire aliqua actio, niſi actuetur, & determinetur ab aliquo extrinſeco. Prob. mi. Si potentia immanenter agens eſſet determinata ad aliquod obiectum, iam non poſſet tendere, niſi in illud obiectum; vt ſi potentia viſiua eſſet determinata ad ſpeciem coloris viridis, non poſſet videre, niſi colorem viridem; ergo potentia immanenter agens eſſentialiter eſt indifferens ad hoc, vel illud obiectum determinatè.

60 Prob. vlteriùs. Actio intellectus, & voluntatis, vt *communiter* ponitur *ab Aduerſarijs*, eſt grammaticalis eò, quia eſt qualitas producta ab intellectu per modum actionis tendentis in obiectum; ſed qualitas neceſſariò debet produci ab aliqua cauſa verè efficiente, quia talis qualitas eſt vera entitas accidentalis, quæ priùs non erat in potentia, & poſteà eſt; & ad veram entitatem, quæ tranſit de non eſſe ad eſſe, requiritur neceſſariò vera cauſalitas cauſæ verè efficientis; ergo neceſſariò debet produci ab aliqua cauſa in genere cauſę efficientis extrinſecę, quæ nequit eſſe, niſi obiectum, vt diximus *To. 1. vbi ſup*.

61 Tertia ratio, quæ Theologica eſt, ſumitur *ex eodem Quodl. 6. q. 2; & in 2. diſt. 26. vbi ſup*; quæ ad hanc formam reducitur. Actio ſupernaturalis ex ſuo conceptu eſſentiali petit eſſe à primo agente ſupra totam naturam; ſed dilectio Dei eſt actio ſupernaturalis; ergo eſſentialiter petit eſſe à Deo, vt eſt primum agens ſupra totam naturam; ſed prout eſt à Deo, tāquam à primo agente ſupra totam naturam, non eſt à Deo, vt ſimul nobiſcum cooperatur; ſimultas enim tollit rationem primi, & ſecundi; quia tollit rationem prioritatis, & poſterioritatis, quam importat eſſentialiter primum, & ſecundum; nam ſimultati opponitur prius, & poſterius, vt dicitur *in de Poſtprædicamentis c. de oppoſitis*; ergo eſt à Deo, prout illam Deus operatur in nobis præuenienter ad noſtram cooperationem ad hoc, vt ſaluetur prioritas agentis, & per conſequens dilectio Dei ſuper omnia eſt gratia actualis; quia nobis datur ſine vlla noſtra cooperatione meritoria. Mi. patet; nam *hic* loquimur tantùm de actu voluntatis ſupernaturali. Prob. ma. Primò ex *Scripturis*; nam *Rom. 8.* habetur: *Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei*; illud autem dicitur agi, quod recipit ab agente actionem, per quam agitur; *& Iſaiæ 12. Omnia enim opera noſtra operatus es nobis; & Phil. 2; Deus enim eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere; & Io. 6. Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Reſpondit Ieſus, & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*; ſed actiones ſupernaturales ſunt opera noſtra; ſicut velle, & credere ſunt actiones noſtræ

stræ supernaturales; quas Deus operatur in nobis; ergo actio supernaturalis ex suo conceptu essentialiter petit fieri in nobis ab agente supra totam naturam. Tum quia opera nostra bona, & iusta, quæ in nobis non producuntur à Deo, sunt immunda iuxta illud *Isaiæ 46. Quasi pannus menstruatæ sunt omnes iustitiæ nostræ*, & *Luc. 17. Sic & vos, cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus*; ergo actio supernaturalis meritoria essentialiter petit fieri in nobis à Deo, vt est primum agens supernaturale.

62 Prob. 2. eadem ma. Nostra voluntas etiam cum aliquo auxilio habituali, vel actuali est minùs proportionata ad eliciĕdam actionem supernaturalem, quàm sit proportionatum aliquod subiectum per formam naturalem. ad eliciendam operationem naturalem, maior enim est proportio, quando subiectum, forma, & operatio sunt eiusdem ordinis supernaturalis; quàm cùm subiectum est ordinis naturalis, & sola forma, à qua eleuatur, est supernaturalis; sed potentia minùs proportionata minùs est potens elicere operationem à se ipsa, sicut potentia simpliciter improportionata nullo modo potest elicere operationem; ergo voluntas, etiam cum aliquo auxilio habituali, scilicet cum gratia, & charitate habituali; vel cū aliquo auxilio actuali adhuc indiget, defectu proportionis totalis, vt producatur in ipsa actio supernaturalis ab agente supernaturali; & ideo licèt actio naturalis non produceretur in nobis à Deo; attamen actio supernaturalis ex suo speciali cŏceptu petit in nobis produci.

63 Prob. 3. Actio naturalis creaturæ ex suo speciali conceptu essentialiter petit fieri in nobis à Deo, vt est Auctor naturæ, vt superiùs ostēsum est; ergo actio supernaturalis essentialiter petit fieri in nobis à Deo, vt est Auctor gratiæ. Prob. vlteriùs ant. Si actio naturalis non exigeret fieri in nobis à Deo, vt est Auctor naturæ, sed sufficeret Deum dedisse nobis virtutes, & principia productiua illius, sequeretur Deum non producere immediatè illam actionem, prout exit à nobis, sed solùm mediatè, & per accidēs, quatenus scilicet dedit nobis virtutem productiuam illius; ex eo enim, quòd simul producat illam actionem cum nobis, non sequitur, quòd illam producat immediatè, prout exit à nobis; quia ex eo, quòd vna causa simultaneè concurrat ad productionem alicuius effectus, non sequitur, quòd producat actionem exeuntē ab alia causa, quia non agit in illam influendo motum, per quem illa agit; sic enim non simultaneè, sed priùs ageret, quàm illa; ergo Deus tantùm mediatè concurreret ad illam actionē, & sic est incidere in opinionem *Dur*; qui tamen impugnatur communiter etiam ab *Aduersarijs*, & à *Fundatiss. Doct. Quodl. 6. vbi sup*; & *q. 4. de esse, & essentia*, & *in 1. dist. 30. princ. 1. q. 1*; quia producere mediatè non est producere per se, sed per aliud, imò propriè non est producere, quod est incidere in errorem *Algazelij* ponentis Deum omnia produxisse per primum Angelum.

Prob. vlteriùs concl. Gratia actualis dicitur per oppositionem ad gratiam habitualem ea oppositione, qua actus opponitur potentiæ, vt patet de scientia actuali, & habituali; & de charitate habituali, & actuali; & de habitu Fidei, & actu Fidei; sed gratia habitualis est principium elicitiuum dilectionis; ergo gratia actualis erit ipse actus dilectionis; quia oppositum potentiæ est ipse actus; vt dictum est.

Conf. Omnibus illis auctoritatibus *Sacræ Scripturæ*, & *Beatiss. P. Aug*; & *aliorum SS*; *ac DD*; quos attulimus in *sup*. §.

64 Si veram philosophiam nouissent, infallibilesque *Scripturarum*, *ac SS. DD.* auctoritates à nobis allatas vel leui oculo inspexissent *Medina. 2. q. 9. art. 1*; & *Caraf. ibid. disp. 1*; hanc sententiam in illis stabiliter solidatam adeò leuiter non incusassent; sed modestiores, ac sapientiores effecti illam non reiecissent. Quia tamen calumniæ non infirmant soliditatem doctrinæ, quam confirmat solidissima veritas; sed irridendam exhibent potiùs Censoris inscitiam, quam excusat modestissima charitas, ideo eis relictis.

Obiectiones soluendæ sunt; quarum principales ducuntur ex vitalitate, & libertate ipsius actus voluntatis.

65 Obijc. 1. *ex nostro Argent. dist. 25. vbi sup. concl. 1*; vbi soluit 2. rationem; quanuis posteà *concl. 2.* illam fateatur. Licèt idem nequeat simul esse in actu, & in potentia vniformiter, idèst sumendo actum, & potentiam formaliter, vel vtrūque virtualiter; attamen idem potest esse virtualiter in actu, & formaliter in potentia; vt patet de aqua calefacta, quæ est actu virtualiter frigida, & simul potentia formaliter calida; ergo voluntas potest esse simul virtualiter actu, & in potentia ad esse formaliter actu, & ideo sicuti aqua calefacta potest se ipsam reducere ad esse formaliter frigidam eo, quia est virtualiter frigida; ita voluntas, quia est virtualiter talis, potest se ipsam reducere ad esse formaliter talem. 2. In tantùm *per Phil. 2. Phys. Causa materialis, & efficiens coincidere non possunt*; quia materia nullum habet actum, & ideo nequit esse efficiēs; sed voluntas est in actu virtuali, cùm sit potentia vitalis; ergo potest esse simul efficiens, & recipiens. 3. Agens creatum, supposita virtute integra, & sufficienti in suo ordine, ceterisque requisitis ad agendum cum solo concursu causę primæ potest ponere semetipsum in actu secundo, & producere effectum in se ipso formaliter, qui priùs in illo erat tantùm virtualiter; ergo à pari de agente vitali.

Resp. neg. supp. conf; supponit enim, quòd voluntas, antequam determinetur formaliter

per

per actum, sit virtualiter actu talis; hoc autem falsum est. 1. quia voluntas non esset de genere passiuorum, sed actiuorum; quod enim est actu virtualiter tale, verè habet illud esse tale, quanuis non formaliter, sed virtualiter; sed causa, quæ habet esse virtualiter tale, non est indifferens ad illud producendum, vel non producendum; quia determinatur ad productionem illius per illud esse virtuale, quod habet, vt in exemplo allato de aqua; ergo voluntas non cōtinet virtualiter actum. 2. Esse virtuale est verus, & realis actus; sed *actus est, qui determinat*, ergo si voluntas haberet virtualiter actum, esset determinata ad actum, & sic iam non esset indifferens. 3. Actus supernaturalis nequit virtualiter contineri in potentia naturali, sed voluntas est indifferens ad eliciendum actum supernaturalem, & naturalem; ergo neutrum virtualiter continet. 4. In tantùm omnipotentia Dei continet virtualiter omnem creaturam possibilem, in quantùm est purissimus actus; sed voluntas creata non est purus actus; ergo non continet virtualiter omnem suum actum. 5. Voluntas potest elicere infinitos actus; ergo illos virtualiter non continet, aliter esset actu infinita, sicut est infinita omnipotentia Dei, quia continet virtualiter infinitos effectus; continentia enim virtualis est continentia actualis, non potentialis, quia continet actu esse effectus. Ad 2. neg. mi; quanuis enim voluntas in esse physico sit actus, quia est forma accidentalis informans animam, attamen in specie volitiui secundùm se est potentia purè passiua; quia nullum actum volitionis formaliter, aut virtualiter includit; sicut dicimus de intellectu, qui in genere intelligibilium est pura potentia passiua, quæ nullam intellectionem formaliter, aut virtualiter includit. Ad 3. neg. ant; agens enim creatum vltra virtutem, concursum simultaneum, & cetera requisita, nequit moueri, nisi per motum factum in ipso ab agente primo simpliciter immobili. Vel omisso ant. neg. conſ; quia efficiēs creatum est determinatum ad producendum talem effectum, & ideo illum determinatè potest producere; at voluntas est indeterminata, & ideo ab illa nequit exire actio determinata.

66 Obijc. 2. Si intellectio produceretur ab obiecto, non esset ratio, cur sensatio consistat in pura receptione speciei merè passiua; vt docet *Fundatiss. Doct. q. 1. de Cog. Ang; & 2. de An*; quia tam sensatio, quàm intellectio produceretur ab obiecto; intellectio autem consistit in actione, ergo intellectus non actuatur ab obiecto.

Resp. neg. ant; ratio enim est, quia sensatio non est actus reflexiuus, aliter sentiret se sentire; & ideo non consistit in actione; at verò intellectio, & volitio sunt actiones reflexiuæ; & ideo intellectus potest illas reflectere in obiecta, quibus ortæ sunt, actiuè in ea tendendo.

67 Obijc. 3. Compositio, diuisio, & discursus non producuntur ab obiectis; obiecta enim non componunt, nec diuidunt, nec discurrunt. 2. Distinctiones obiectorum indistinctorum nequeunt oriri ab obiectis, quia distinctio nequit oriri ab indistincto. 3. Actus reflexi nequeunt produci ab obiectis; ergo intellectio nequit produci ab obiecto.

Resp. ad 1. neg. ant; cū enim in obiecto sint plures rationes componibiles affirmatiuè, & sint plures negationes diuidentes illud ab eo, quod non est, & sint plures rationes, quarum vna oritur ex alia; ideo obiectum potest producere in intellectu actum compositiuum, diuisiuum, & discursiuum; non tamen ex hoc sequitur, quòd obiectum componat, diuidat, & discurrat; sicuti ex eo, quòd producat actum intellectionis, non sequitur, quòd intelligat; has enim denominationes sortitur ille actus, non quatenus in genere causæ efficientis producitur ab obiecto, sed quatenus ab intellectu grammaticaliter refertur in obiectum. Ad 2. neg. ant; quia obiectum est indistinctum realiter, distinctum tamen virtualiter, & ideo potest causare distinctionē actuū in intellectu; quia *non requiritur tanta distinctio in principijs, quanta in principiatis*. Ad 3. dicitur, quòd actus reflexi producuntur ab actibus directis, qui sunt obiecta intellectus reflectentis.

68 Obijc. 4. Si intellectus non produceret intellectionem, non operaretur vitaliter; quia operatio vitalis postulat oriri à principio intrinseco; ergo non producitur ab obiecto. Idem dicendum de voluntate.

Resp. dist. ant. Si nullo modo produceret, conc; si nō produceret in genere causæ efficientis extrinsecæ, neg; nam operatio vitalis est in genere causæ agentis immanenter intrinsecè; quia vita est motus à principio intrinseco, & ideo sufficit ad rationem vitalitatis, quòd illa actio eliciatur à principio intrinseco, idēst intra quod manet; quanuis in genere causæ efficientis extrinsecæ efficiatur ab aliquo agente extrinseco. Et habemus duplicem instantiam; nam idē actus vitalis est ab intellectu, tanquam a principio intrinseco, & est à Deo, vt à causa efficiente extrinseca, & tamen hoc nō tollit, quin sit actus vitalis; ergo non repugnat eidem actui vitali, quòd sit à duplici causa, quarum vna sit efficiens extrinseca, & altera agens immanenter intrinsecè. 2. Certum est obiectum trahere voluntatem iuxta illud: *Trahit sua quenque voluptas*; & *Beatiss. P. Aug. Ostendis nucem Puero, & trahis illum*. Item certum est illam tractionem esse motum in voluntate; & patet de trahente nauim, & illum motum esse vitalem, quia voluntas maximè voluntariè mouetur ad tendendum in sua obiecta voluptuosa; sed hæc sunt extrinseca; ergo, quanuis actus in genere causæ efficientis extrinsecæ causetur ab obiecto, attamen non tollitur, quin sit vitalis; quia in genere causæ immanentis intrinsecæ causatur à principio intrin-

trinſeco, cui ineſt. Tolleretur autem vitalitas, ſi nullo modo cauſaretur. Præterea ait *Fundatiſſ. Doct.* Quāuis ſcriptor mouens manū Pueri cauſet extrinſecè motum in illa, nullus tamen diceret, quòd ille motus, vt eſt à manu Pueri, non ſit vitalis, quia Puer voluntariè ſcribit, & mouet manum; ergo à pari. Tandem hæc obiectio tollit ſubordinationem mouentium, & motorum primo Mouenti immobili, quod ſine dubio eſt extrinſecum; & ideo nullo modo poſſet efficere actionem vitalem; ſi actioni vitali omnino repugnaret eſſe ab agente extrinſeco.

69 Igitur ſicut communiter diſtinguitur actio in tranſeuntem, & immanentem; ita diſtinguenda eſt potentia, ſeu cauſa in tranſeunter, & immanenter agentem, actio enim proportionatur potentiæ, eique correſpondet. Et quia non implicat eundem effectum eſſe à pluribus cauſis diuerſorum generum, & reſpectu illarum ſortiri diuerſas denominationes; ita non Implicat eundem actum produci ab obiecto, & pótentia; & reſpectu potentiæ denominari vitalem, quia manet intra ipſam; reſpectu autem obiecti dici non vitalem, quia extrinſecè ſe habet.

70 Inſt. Vel tendentia, qua intellectus fertur in obiectum, eſt aliquod diſtinctum ab entitate actus, vel non? Si primum; ergo actus producitur ab intellectu; quia producitur hæc tendentia, in qua conſiſtit formaliter actus intellectus. Si ſecundum; ergo recepta hac entitate in intellectu ſtatim intelligeret; nec requireretur aliquis concurſus actiuus; quia intellectio conſiſteret in pura receptione.

Reſp. eſſe eandem entitatem realiter cum diuerſo reſpectu; nam illa entitas, prout eſt ab obiecto, dicitur qualitas recepta in intellectu; & prout refertur ab intellectu in obiectum, dicitur actio vitalis, quæ communiter vocatur gramaticalis; quia eſt qualitas habēs modum actionis, vt fatentur etiam ipſi *Aduerſarij*.

71 Obijc. 5. Licèt obiectum poſſit producere ſpecies; non tamen poteſt producere amorem, vel odium; ergo voluntas nequit actuari ab obiecto. 2. Voluntarium eſt, quod procedit à principio intrinſeco cum cognitione; ſed volitio eſt voluntaria, imò appellatur etiam voluntas; ergo nequit precedere ab obiecto, quod eſt extrinſecum; ſed à potentia appetitiua, quæ eſt intrinſeca.

Reſp. ad 1. diſt. 2. part. ant. Nequit producere amorem, vel odium, vt eſt qualitas informans, & actuans voluntatem, neg; vt actio gramaticalis eſt, conc; iſtæ enim ſunt duæ formalitates in ipſa actione, ſecundùm quas producitut à cauſis diuerſi generis, vt dictum eſt. Ad 2. diſt. mi. eodem modo. Volitio eſt voluntaria, prout qualitas eſt recepta ab obiecto, neg; prout actio gramaticalis eſt relata ad obiectum, conc.

72 Obijc. 6. Habitus volitiui non generantur ab obiectis, ſed à voluntate per frequentationem ſuorum actuum; atqui habitus generantur per actus; ergo actus generantur à voluntate, non ab obiecto. 2. Affectiones voluntatis, vt ſpes, timor, odium, amor, gaudium, triſtitia, deſiderium, non producuntur ab obiecto; cùm obiectum non ſit affectiuum; ergo producuntur à voluntate. 3. Implicat, quòd eadem entitas ſit amor, & odium; ergo ab eodem obiecto nequit ſumi actus amoris, & odij.

Reſp. ad 1. neg. mi; vt ſupra dictum eſt; nam ex eo, quòd obiectum pluries producat eandem entitatem actus in voluntate, generat in ipſa facilitatē ad illam recipiēdā, & ad tendēdum per illam in obiectum; in qua facilitate conſiſtit ratio habitus. Sicut ex eo, quod ignis pluries calcefaciat lignum, generat in illo facilitatem ad combuſtionem; & ſi in ligno eſſet potentia actiua combuſtionis generaret in ipſo habitum, per quem actiuè combureret. Ad 2. dicitur eodem modo, quòd tales affectiones, quatenus qualitates ſunt informantes voluntatem, vel potentias ſenſitiuas, producuntur ab obiectis; obiectum enim triſtabile cauſat triſtitiam; amabile amorem &c; non tamen ab illis recipiunt tales denominationes; quia illas recipiunt à voluntate, vel potentijs, vt ſupra dictum eſt. Ad 3. dicitur, quòd nulla veritas eſt magis patens, quàm iſta; ſicut enim eadem via, qua itur *Romam*, recedi poteſt *Roma*; ita per eandem entitatem poſſumus tendere in obiectum per amorem, & recedere per odium; odium enim eſt fuga, ſicut amor eſt tendentia.

73 Obijc. 7. Actus voluntatis eſt liber; ergo nequit produci ab obiecto. Ant. patet. Prob. conſ. Ad hoc, vt actus voluntatis ſit liber, requiritur, quòd voluntas ſe determinet nedum ad ſpeciem actus, ſed etiam ad exercitiū talis actus; atqui ſi volitio eſſet producta ab obiecto, iam voluntas eſſet determinata ab obiecto nedum ad ſpeciem, ſed etiam ad exercitium actus, ergo talis actus non eſſet liber. 2. Determinatio voluntatis nequit haberi per ipſam tendentiam, quia determinatio potentiæ actiuæ habetur per ipſum actum, cùm actus ſit exercitium ipſius. Tum quia ſi determinatio haberetur per ipſam tendentiam, ipſa tendentia eſſet quid diſtinctum ab actu; & producto actu in voluntate, poſſet voluntas per illum tendere, & non tendere; ergo daretur duo actus in voluntate, alter productus ab obiecto, & alter à voluntate; & ſic voluntas produceret in ſe ipſa ſuum actum, qui eſt tendētia. 3. *Beatiſſ. P. Aug. lib. cont. Secundin. c.* 12; 13; *&* 14. probat conſenſionem malam eſſe in poteſtate voluntatis, & fieri ab ipſa, non ab alia natura; ergo non ſit ab obiecto.

Reſp. hoc eſſe diſſoluendum *in ſeq.* §. Interim ad 1. neg. con. Ad prob. diſt. mi. Voluntas eſſet determinata ab obiecto in genere cauſæ efficientis extrinſecæ, conc; in genere cauſæ vitalis immanenter agentis, neg. Ad 2. diſt. eodem modo.

modo. Determinatio nequit haberi per tendẽtiam in genere causæ efficientis, conc; in genere causæ vitalis, neg. Ad id, quod subditur, dicitur, quòd si determinatio potentiæ habetur per actũ ipsius, cùm illa entitas producta in potentia nõ sit actus ipsius potentiæ, nisi quatenùs per ipsam tendit in obiectum, ideo non habetur determinatio, nisi per ipsam entitatem, quatenus substernitur tendentiæ. Ad aliud neg; quòd tendẽtia sit quid distinctum ab actu; sicut determinatio ceræ non est aliqua entitas distincta à cera; & sicut tendentia ad aliquem locum non est quid distinctum ab actione motiua, qua ad illũ tendimus, sed supra actionem dicit solùm respectum. Conceditur tamen, quòd posita tali entitate possit voluntas tendere, & non tendere, dummodò efficaciter eam non moueat; vt *in seq.* §; vbi explicabitur, quomodò cum efficacia talis motionis componatur libertas? Ad 3. dicitur *Beatiss. P.* probare *contra Manichæos* malum non esse aliquam naturam, sed defectum in ipsa natura; quæ in eo, quòd natura est, bona est; vt docet *lib. de Nat. Boni.* Illa ergo consensio, quatenus mala, est à sola volũtate deflectẽte à bono, & prout deflectit à bono, non producit aliquam entitatem, aliter non deficeret, sed efficeret; & sic produceret aliquod bonum, quia omnis entitas bona est. Quatenus autem producitur ab obiecto, entitas est, non consensio; & ideo bona est, non mala.

Dices ex hac doctrina sequi non dari habitum charitatis; ad nihil enim inseruiret.

Resp. neg. seq; inseruiret enim ad tendendum in Deum cum maiori facilitate, & ad magis conseruandum actum. *Sed de hoc suo loco.*

§. IV.

Ostenditur concordia Gratiæ actualis cũ libertate.

74 Vidimus *duobus in sup.* §. gratiã actualem esse actum supernaturalem volũtatis inspiratũ à Deo; modò vidẽdũ superest; an iste actus possit simul esse inspiratus à Deo, & nobis liber ita, vt productio ab extrinseco non officiat eius libertati, sed componatur, & cohæreat cum illa. Quia tamen hæc difficultas nobis tractanda est etiam *in Tract. de Præd. SS*; ideo breuiter *hic* expedietur.

Ratio autem dubitandi esse potest; nam vel ille actus consideratur, vt recipitur in volũtate; & in hoc sensu non est liber, sed necessarius; quia passum præsente actiuo necessariò patitur; tum quia libertas formaliter est potentia actiua, ideo nequit consistere in passione. Vel consideratur in ordine ad obiectum, ad quod refertur à voluntate; & cùm referatur infallibiliter; quia per actum potentia infallibiliter tendit in obiectum; cùm actus sit ipsa tendentia; & sic videtur, non esse liber, sed necessarius. Vel consideratur in ordine ad actus virtutum, ad quos præmouet voluntatem efficaciter infallibiliter; & ita pariter videtur non esse liber; quia voluntas efficaciter infallibiliter præmota nequit non tendere; ergo ex nullo capite videtur esse liber. Tum quia *Ecclesia* damnauit propositionem illam *Ianseniј*, in qua asserit; *Interiori gratiæ Dei nunquam resistitur*, & hoc iuxta *Conc. Trid. sess. 6. c. 4*; quod ad saluandam nostram libertatem ait nos semper posse resistere gratiæ Dei; sed efficaciæ infallibili nunquam potest resisti; ergo videtur, quòd infallibilitas stare nequeat cum libertate. Igitur.

75 Not; quòd alio modo denominatur libera voluntas, & alio modo denominatur liber actus voluntatis; nam voluntas dicitur libera per potestatem, quam habet ad vtrunque, scilicet ad actum, & ad oppositum actus; cùm enim secundùm se sit indifferens, ita potest ponere actum, vt etiam possit ponere oppositum vel contradictoriè suspendendo omnem actum, vel contrariè ponendo actum contrarium. Hoc modo nequit dici liber actus; quia actus secundùm se non est indifferens ad ponendum, vel non ponendum se ipsum; nam ex eo, quòd est actus, necessariò est quid determinatum; quia *si actus est, qui determinat potentiam ex Phil*; debet esse secundùm se quid determinatum; aliter non posset aliud determinare. Actus ergo denominatur liber à libertate potentiæ eo, quia est in potestate potentiæ; quæ potest illum elicere, vel abijcere, retinere, vel non retinere; attamen posito, quòd talis actus sit in potentia, pro eo tunc, pro quo est, necessariò est; quia *dum res est, necesse est esse*; aliter duo contradictoria simul possent verificari; quia pro eodem momento nequit dici, quòd res est, & non est. Hinc fatentur omnes communiter nullo excepto, quòd necessitas, quæ prouenit ab actu, cùm sit necessitas consequens, non lædit libertatem, sed perficit; quia ponit eam sub suo actu, qui essentialiter est perfectio potentiæ.

76 Voluntatem autem resistere gratiæ Dei dupliciter intelligi potest. 1. Ita, vt possit resistere infusioni ipsius gratiç actualis. 2. Ita, vt possit resistere infusioni ipsius gratiæ iam infusæ eã abijciendo, & expellendo ponendo actum peccaminosum. Primo modo resistere non potest; quia cùm Deus in ratione obiecti necessariò agat in voluntatem (quamuis in ratione primi efficientis omninò liberè agat) vt etiam fatentur *Aduersariј*, & voluntas recipiendo actionem Dei, merè patiatur, nec vllo modo ei actioni actiuè cooperetur, quia talis actio, seu gratia præuenit omnem nostram operationem, vt superiùs dictum est; ideo voluntas illi infusioni nequit resistere; cùm resistentia sit actio libera voluntatis.

Secundo modo autẽ potest resistere; quia potest abijcere gratiam, quod sic explicatur. Deus in conferendo suæ Dona gratiæ sic se habet. Primò illuminat intellectum supernaturali illu-

illustratione, vt cognoscat Deum tanquam summum bonum supernaturale; tunc intellectus præsentat voluntati Deum, vt obiectum summè bonum; tandem Deus, vt obiectum summè bonum, causat in voluntate actum amoris supernaturalis; per quem voluntas liberè tendit in Deum summè amando; & per ipsum actum amoris, si efficaciter moueat voluntatem, voluntas liberè se mouet, quia ita tendit in Deum, vt possit semper consentire alijs obiectis peccaminosis, quæ illi continuò offert intellectus; imò potest præcipere intellectui, vt sibi proponat obiecta sensibilia delectabilia, & in illa tendere per actum causatum in se ipsa ab illis; cum quo actu, quia peccatum est, non compatitur actus bonus, cùm voluntas nequeat simul, & semel informari duplici actu contrario; & ideo voluntas, cùm possit semper peccare, semper potest abijcere gratiam actualem, & consequenter ei resistere. Non tamen pro eo tunc, quo habet gratiam, seu actualem operationem, potest ponere peccatum, neque illi resistere, quia nequit ponere duos actus oppositos in se ipsa; & in hoc consistit verus sensus compositus, vt dicemus *in Tract. de Prædest. SS.* Neque ex eo læditur libertas; nam quamuis voluntas actu scribens nequeat pro eo tunc ponere non scriptionē componendo scriptionem cum non scriptione, non tamen læditur libertas; aliter nullus esset actus liber, quia cum nullo actu potest componi eius oppositum; ne verificentur duo contradictoria, quod esse impossibile est per se notum ita, vt non sit aliud principium per se notius isto. Sic pariter cùm voluntas actu vult bonum, potest expellere talem volitionem; quia potest distrahi, & tendere in obiecta peccaminosa, quæ sibi continuò proponit intellectus; imò potest præcipere, vt dictum est, talem propositionem; & sic recipere actum oppositum, cum quo, quia nequit componi actus volitionis bonus, ideo illum potest abijcere; sicque ei resistere; quanuis pro eo tunc, pro quo est voluntas sub actuali volitione efficaci, nequeat simul componere hos duos actus oppositos propter essentialem repugnantiam, quam habent ad componi; nec per hoc læditur libertas, vt dictum est.

77 Igitur voluntas nequit resistere infusioni actualis gratiæ; neque pro eo tunc, quo habet talem actum; & in hoc sensu intelliguntur *illæ Scripturæ*; in quibus habetur voluntati Dei nullum posse resistere; *vt Gen. 50. Num Dei possumus resistere voluntati? Et Iudith. 16. Et non est, qui resistat voci tuæ; & Esth. 13. Non est, qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel; & Rom. 9. Voluntati enim eius quis resistit? Et alibi; & Beatiss. P. Aug. de Corr, & Grat. c. 14.* hoc latè probat dicens: *Volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate; vt Diuinam voluntatem non impediat; nec superet potestatem.* Et paulò post. *Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit; & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult; quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Et hoc probat ex illo 1. Reg. 10. *Et abierunt Potentes, quorum Deus tetigit corda, cum Saul;* quanuis enim esset in potestate *Israelitarum* subdere, vel non subdere se *Sauli*, & etiam resistere voluntati Dei attamen volens Deus Regnum *Sauli* dare, *hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam voluntatem*. Deinde *sup. illud 1. Par. 12. Et spiritus induit Amasai Principem super triginta, & dixit: Tui sumus Dauid, & tecum futuri Filij Iesse;* ait: *Nunquid ille posset aduersari voluntati Dei, & non potiùs eius facere voluntatem, qui in eius corde operatus est per spiritum suum, quo indutus est, vt hoc vellet, diceret, & faceret?* Et infra. *Sua vtique voluntate isti constituerunt Regem Dauid. Quis non videat? Quis hoc neget? Non enim hoc non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur*. Et tandem concludit: *Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Propterquod *in eodem lib. c. 12.* dixerat: *Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.* Neque ex hoc, quod non possit resistere læditur libertas, vt supra dictum est, & infra magis explicatur. In tertio autem sensu potest voluntas resistere, quia potest distrahi &c. Et ò vtinam nunquam possemus resistere! quia semel habita gratia efficaci nunquam possemus peccare: atqui semper possumus peccare; ergo non sine magno animæ detrimento possumus semper resistere.

Quare ita seuerè non est intelligendum *Concilium*, & *definitio Ecclesiæ*, vt nullo modo possimus resistere; tunc enim *Concilium*, & *Ecclesia* dānarent id, quod manifestè habetur *in Sacris Scripturis*; quod manifestè est contra idē *Concilii sess. 4. in decreto de Canonicis Scriptis, & Flor. in vnione Armen.* definiens omnia, quę continentur *in Sacris literis*, esse de Fide credenda; sed vtrunque debemus fateri ita, vt admittamus non resistentiam, quæ non tollit libertatem; & simul credamus resistentiam, quæ non exinanit efficaciā Diuinæ potestatis; & sic mediū iter accipiētes inter *eos*, qui docēt gratię efficaci nullo modo posse resisti; & inter *eos*, qui docēt solùm posse resisti, ex integro fatemur *Scripturas*; non enim minùs infallibilis est auctoritas *Sacræ Scripturæ*, quàm auctoritas *Concilij*, & *Ecclesiæ*; ita feliciter declinamus *à Iansenistis* negantibus resi-

resistentiam *contra Concilium, & Ecclesiam*; & à *Pelagianis, ac Semipelagianis* negantibus omnipotentem gratiæ Dei efficaciam. Confitendo ergo resistentiam,& non resistentiam secundùm diuersas rationes concordamus *Scripturas*,concordamus discrepantiam sententiarum,concordamus infallibilem gratiæ efficaciam cum fallibili libertatis potentia.

Ex his eliquatur ratio dubitandi; quanuis enim actus inspiratus à Deo referatur à voluntate ad obiectum infallibiliter, attamen refertur liberè; quia infallibilitas actus non tollit libertatem potentiæ; & quanuis præmoueat voluntatem efficaciter ad exercendos actus virtutum, attamen quia potest resistere, ideo liberè mouetur. Ad aliud dicitur, quòd *Ecclesia, & Conc.* non damnarunt omnem irresistentiam, aliter manifestè damnassent aliquod explicitè contentum *in Sacris Scripturis*; sed damnarunt sententiam afferentem simpliciter gratiæ Dei nullo modo posse resisti; hoc enim tolleret libertatem; non autem sententiam tenentem non posse resisti eo modo, quo non tollitur libertas, vt dictum est. *His supp.*

78 Vnica concl. Gratia actualis componitur cum libertate actus, imò est ipsa libertas actus.

Prob. 1.Ex illis *Scripturæ locis*,in quibus dicitur Deus causare, seu operari actus nostræ volũtatis,vt supra diximus de *Saule,etDauid,et* §.2. *de Assuero*; & *Ezechielis* 46. *Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis*; & *Phil.*2. *Deus, qui operatur in vobis velle;& Ezechiel.*36. *Dabo vobis cor nouum; & alijs huiusmodi*; sed tales operationes, prout sunt à Deo nobis donatæ sine nobis, sunt gratia Dei; & prout sunt à nobis, sunt nobis voluntariæ, & ideo liberæ; ergo gratia efficax ita concordat cum libertate actus, vt sit idem cum illa.

79 Prob.2.*ex Beatiss.P.Aug.Ep.*46; in qua loquens de libro à se edito *de Grat; & lib. Arb.* ait: *Librum meum secundùm hanc fidem intelligite, vt neque negetis Dei gratiam, neque liberum arbitrium sic defẽdatis, vt à gratia Dei separetis.* Ex quo sic. Gratia Dei nõ est separabilis à libertate;ergo cõponitur cũ libertate,quia nõ separabilitas idẽ est ac compositio per distinctionẽ,vel per identitatem. Et *Ep.*105.*ad Sixt. Quod enim putant auferri sibi liberum arbitrium,si nec ipsam bonam voluntatem sine adiutorio Dei habere consenserint, non intelligunt se non firmare arbitrium humanum,sed impellere, vt per inania feratur, non in Domino, tanquam in petra stabili, collocetur.* Idem tradit *de Grat; & lib.arb. c.*1. Ex quo arguitur. Gratia efficax non aufert,sed firmat liberum arbitrium; ergo concordat cum libertate; illud enim concordat cum alio, quod stat simul cum illo. Et *de Grat; & lib. arb. c.*15. concordans duos textus *Ezechiel*; qui c.18. ait. *Facite vobis cor nouum*; & c.36. *Dabo vobis cor nouum*; ait: *Quomodò ergo, quod dicit: Facite vobis; hoc dicit: Dabo vobis? Quare iubet, si ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? Nisi quia dat,quod iubet; cùm adiuuat, vt faciat, quod iubet.* Ex quibus euidenter apparet, quòd idem actus nobis donatur à Deo, & fit à nobis; quòd si fit à nobis, non nisi voluntate fit, cùm fit actus voluntatis;& ideo liberè fit, quia libertas residet in voluntate. Idem *ibid.c.*6; & 7.vocat *merita nostra dona Dei*; sed meritum est formaliter liberum;vt omnes concedunt,& donum Dei est gratia ipsius; ergo gratia componitur cum libertate. Tandem *in suppl. cont. Iul. lib.* 2. *c.*166. ait: *Operari Deum voluntates in mentibus hominum, non, vt nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Ex quo arguitur. Gratia Dei actualis est actus voluntatis plãtatus à Deo in nostra voluntate; sed actus voluntatis reddit eandem voluntatem volẽtem; sicut nolitio reddit nolẽtem; ergo idem actus,quatenus inspiratus à Deo,est gratia actualis; & quatenus elicitur à nostra voluntate, est liberè volitus, quia est voluntariè volitus.

80 Idem habetur *ex D. Ambr. vbi sup.* §. 1; vbi ait: *Vna, eademque ratio est, & Diuinæ gratiæ, & humanæ obediẽtiæ*; idest liberi consẽsus.

80 Prob.3.*ex Fundatiss. Doct. in Cant.c.* 1. *Lect.*2; *vbi sup.* illud *Sponsæ: Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum*; ait: *Sponsa confitetur auxilium Christi esse suaue, & validum. Continuetur autem sic: Si tu me traxeris, non solùm mouebor qualitercunque, sed etiam curram, idest velociter mouebor. Notandum autem, quòd cùm sponsa dicit se cursuram ad tractum Christi, confitetur eius tractum non esse violentum, sed suaue; nam currere est voluntate moueri.* Et *ibid. c.*5. *Lect.*10. *sup.* illud: *Veniat dilectus meus in hortum suum,& comedat fructum pomorum suorum*; ait: *Cum gratiarum actione confiteor, quòd fructum, quem ego facio; poma, quæ produco, bonarum cogitationum, affectionum, orationum, & operum à me ipsa non facio, sed eius auxilio; ideo non sunt mea, sed sua*; sed istæ operationes sunt simul gratia Dei, & meritum nostrum;ergo gratia Dei componitur cum libertate; imò idem est cum libertate actus.

81 Formatur autem sic ratio *Beatiss.Patris.* Opera nostra meritoria sunt Dona Dei; sed opera meritoria sunt formaliter libera;ergo opera meritoria sunt simul gratia Dei, & nobis libera; & ideo gratia componitur cum libertate actus. Ma. patet tum *ex Sacris Scripturis* superiùs allatis; nam opera nostra meritoria sunt formaliter bona; & *omne bonum de sursum est descendens à Patre luminum*; & quod ex Deo est, gratia est, quia gratis nobis datur; tum ex communi sensu Ecclesiæ orantis, vt Deus nobis concedat actus amoris ipsius, vt bonas cogitationes inspiret; vt *fiat voluntas sua in nobis; aut sanctificetur eius nomen in nobis*, quę omnes sunt ope-

operationes nostræ meritoriæ; vt ostendit *Beatiss.P.de Dono Perseu. c.2; 3; & 4; & Fundatiss. Doct. in Opusc.sup.Orat.Domin.* Mi.etiam cōstat; quia ad rationem meriti necessaria est libertas; vt suo loco ostendemus.

Præterea. In tantùm voluntas creata liberè causat suum actum; in quantùm illum continet in sui potestate, & dominio, quod habet ad illum causandum, & non causandum, atqui Deus nedum habet in sui potestate, & dominio actus voluntatis creatę, sed etiam ipsam voluntatem creatam magis habet in sui dominio, & potestate, quàm habeat illam in sua potestate ipsa creatura; ergo nedum potest causare liberè actum voluntatis creatæ, sed etiam facere, quòd voluntas creata causet liberè eundem actum causatum à se ipso in ipsa voluntate creata. Ma. patet. Mi. ostenditur, & probatur pluribus *Sacræ Scripturæ locis à Beatiss. P. Aug. lib. de Grat;& lib.Arb.c.21; & de Corr;& Grat. c. 14;* in cuius fine ait: *Magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

Conf. Si aliqua voluntas creata esset omnis voluntas, illa produceret liberè quemlibet actum cuiusque voluntatis particularis; & per hoc non lęderet libertatem actus, prout eliciti à voluntate particulari; sed Diuina voluntas est omnis voluntas; sicut Diuina potentia est omnis potentia; ergo producit omnes actus liberos cuiuscunque voluntatis creatæ absque eo, quòd lędat libertatem illarum; sicut Diuina potentia producit omnes actus cuiuscunq; potentiæ creatæ absque eo, quòd lædat, vel impediat efficaciam potentiæ creatæ. Ma. prob. In tantùm voluntas particularis liberè producit suum actum; in quantùm ille actus continetur in ipsa, tanquam in propria potentia ad illum eliciendum, vel non eliciendum; sed si daretur voluntas, quæ esset omnis voluntas, contineret in sua potestate omnes actus cuiuscunq; voluntatis particularis, tanquam in propria potentia potente illos elicere, & non elicere; quia sicuti hæc voluntas determinata ad hos actus particulares specificatur ab illis actibus in particulari, & illos continet cum indifferentia ad eos ponēdos, vel non ponendos; ita omnis voluntas specificatur ab omni actu, & illos continet cum indifferentia ad eos ponendos, vel non ponendos; ergo si daretur vna voluntas, quæ esset omnis voluntas, produceret omnes actus cuiuscunque voluntatis particularis absque læsione libertatis illarum.

82 Præterea. Si non posset stare simul gratia actualis efficax cum libertate actus, maximè quia gratia importat infallibilitatem operationis, quæ pugnat cum libertate, quæ formaliter importat fallibilitatem; sed infallibilitas, quam importat gratia actualis, est infallibilitas actus, quam vocant *consequentem*; & quæ non repugnat actui exercitè posito; sicut ei non repugnat necessitas consequentis; nam *quælibet res eo ipso, quòd est, necesse est esse*; ergo gratia actualis efficax non pugnat cum libertate.

Prob. Tandem omnibus rationibus, & auctoritatibus allatis *sup.§.2;& 3.*

83 Obijc. Si Gratia efficax componeretur cum libertate actus, sequeretur, quòd voluntas creata non esset libera respectu illius actus, qui esset tantùm liber respectu voluntatis Diuinæ producentis illum liberè in voluntate creata; ergo tolleretur libertas ab actu respectiuè ad voluntatem creatam, & per consequens efficacia gratiæ nequit componi cum libertate creata. Prob.ant.1; nam sequeretur, quòd voluntas non se determinaret ad illum actum; esset enim iam determinata per illum actum productum in se ipsa à Deo; quia eo ipso, quòd Deus poneret in voluntate illum actum, illā determinaret; *cùm actus sit, qui determinat ex Phil*; sed illud, quod non se determinat, non est liberum, quia libertas consistit in se determinare ab intrinseco ad hoc cum potestate ad oppositum; ergo volūtas non esset libera. 2. Si voluntas Petri determinaret voluntatem Pauli, voluntas Pauli non esset libera respectu illius determinationis, quia illa determinatio esset ab extrinseco, & determinatio libera debet esse ab intrinseco; ergo &c.

Resp. hoc solutum fuisse superiùs, & *in sup.§.n.73.* Neg.igitur seq; Ad 1.prob.neg.seq; ex eo enim, quòd determinetur à Deo, tanquam à primo agente vniuersalissimo in genere causæ efficientis extrinsecè, non sequitur, quòd non determinet se ipsam, & quòd non sit primum determinans in genere causæ vitalis intrinsecæ immanenter agentis, in qua determinatione consistit formaliter libertas actus, quæ nullam in hoc genere causæ vitalis supponit determinationem, & ideo voluntas in hoc genere causę est primum determinans. Sicuti licèt calor in igne producatur à Deo, tanquam à primo agente vniuersalissimo, attamen producitur etiam ab igne tanquam à primo calido formaliter; Deus enim non est calidus formaliter; ita à pari. Ad 2, dist.ant. Si voluntas Petri determinaret voluntatem Pauli, & voluntas Pauli merè passiuè se haberet, cōc. Si etiam ipsa se determinaret, neg; vt patet de manu Pueri scribentis, quæ licèt determinetur *à Scriptore*, quia tamen etiam condeterminatur à voluntate Pueri volentis scribere, ideo libera est respectu vtriusque. Vel neg. paritas; nam voluntas Pauli non est sub dominio voluntatis Petri, nec illi essentialiter subordinatur quoad motum liberum; & ideo merè extrinsecè se habet; at verò voluntas creata est sub dominio voluntatis Dei, eique subordinatur ita, vt voluntas Dei intimiùs, & essentialiùs operetur actus nostros, quàm ipsa nostra voluntas, *cū Deus sit intimior nobis intimo nostro*; quod intelligendum est de quacunque entitate creata; & ideo Deus non est causa extrinseca, nec

lædit

lædit libertatem actus voluntatis.

Cæteræ obiectiones ſoluuntur ex dictis *in ſup. §; & infra in Tract. de Præd. SS.*

§. V.

Reſoluitur Articulus.

84 ADeò ambiguè loquuntur in hac materia *omnes Recentiores*, vt nimis lõgum, ac difficile eſſet omnes eorum ambages, diſſonoſque dicendi modos referre, qui pacem, quæ in hac re erat inter *Antiquos DD*; non parum turbarunt. Vt tamen elidamus tot anphractus verborum, quibus mirum in modum implicant potiùs, quàm explicẽt veritatem, aliqua ſtatuemus, quæ videntur à nullo poſſe negari, vel quæ ſaltem apud nos ita certa ſunt, vt nulla poſſint ratione conuinci, imò nec leuiter infirmari; ſic enim in tanta rerum caligine diſſipatis tot inanium ſpeculationum nebulis lucẽ aliquã veritati inueniendæ admouebimus.

Explicant autem decretum cõditionatum diuerſimodè; nam *Auctores 2. ſent.* volunt ipſum eſſe conditionatum ex parte actus; *vt ſi præuidero Petri conſenſum, decernam illi dare gratiam efficacem talis conſenſus*; tunc enim conditio ſuſpendit actum voluntatis Diuinæ de danda gratia. *Alij* verò docent ipſum eſſe conditionatum ex parte obiecti; vt *decerno dare gratiam Petro, ſi Petrus videbit miracula*; tunc enim conditio cadit ſolùm ſuper obiectum, & illud ſuſpendit; nõ autem ſu pra actum voluntatis Diuinæ, qui abſolutus eſt. Igitur vt explicemus, quid à nobis amplectendum ſit.

Certum conſtanter tenemus 1; quòd ſicuti res abſoluta conſideratur in triplici ſtatu, ſcilicet poſſibilitatis, futuritionis, & actualis exiſtentiæ; & quòd ſicuti priùs eſt in ſtatu poſſibilitatis, & poſtea in ſtatu futuritionis, ac deinde in ſtatu exiſtentiæ; ita res conditionata in hoc triplici ſtatu eſſe debet ita, vt priùs fuerit poſſibilis, poſtea futura, ac demum exiſtens. Ratio huius eſt. Quòd res ſit in hoc triplici ſtatu, habet formaliter ex eo, quòd eſt creatura, cui, cùm competat eſſe contingenter, ideo poteſt eſſe poſſibilis; poſſibilitas enim conſiſtit in poſſe habere, & non habere eſſe, in quo creatura diſtinguitur à Deo, qui, cùm ſit ſimpliciter immutabilis, nequit non eſſe; propterea poteſt eſſe futura, quia poteſt habere eſſe in tali differentia temporis; & poteſt eſſe actu exiſtẽs, quia poteſt recipere eſſe actualiter; ſed tam res abſoluta, quàm conditionata eſt creatura; loquimur enim de futuro conditionato, quod, quia futurum eſt, eſſentialiter eſt creatura; futuritio nanque nequit competere enti neceſſario, vt eſt Deus; ergo tam futurum abſolutum, quàm conditionatum poteſt eſſe in triplici ſtatu. Et poteſt confirmari; nam ſi eſſe in triplici ſtatu competeret rei ex eo, quòd eſt abſoluta, quatenus abſolutum præſcindit à ratione creaturæ, ſequeretur, quòd poſſibilitas, futuritio, & exiſtentia contingens cõpeterent omni enti abſoluto, prout præſcindit à creato, & increato; & ſic nedum creaturæ, ſed etiam competeret Diuinæ eſſentiæ, quæ ſecũdùm ſe eſt aliquid abſolutum, quod eſt falſiſſimum.

85 Propter hoc falſa eſt 1. illa propoſitio, quam repetunt communiter *Recentiores*; ſcilicet: *Futura conditionata purificata cõditione, ſeu cùm tranſeunt ad actualẽ exiſtentiam, fiunt abſoluta.* Falſa inquam eſt; nam purificata conditione remanent verè futura conditionata, ſicut poſita actuali exiſtentia remanent conditionatè exiſtẽtia; quia non minùs dependent à conditione in ſtatu poſſibilitatis, quàm in ſtatu futuritionis, & in ſtatu actualis exiſtentiæ; ſi enim ideo dicuntur conditionatè poſſibilia, quia ita dependent ab illa conditione in eſſe poſſibili, vt ſi non eſſet illa conditio, non eſſent poſſibilia; ita dicuntur conditionatè futura, quia ita dependent ab illa conditione in eſſe futuri, vt ſi non eſſet talis cõditio, nõ eſſent futura; & ſic dicũtur conditionatè exiſtentia, vt ſi non eſſet talis cõditio, non exiſterent; ſed plura ſunt, quæ ita exiſtunt depẽdenter ab aliqua cauſa, vt, ſi non eſſet talis cauſa, non exiſterent; vt v.g. Omne accidens exiſtit dependenter à ſubiecto; omnis relatio à fundamento; ergo dantur plura conditionata actu exiſtentia dependenter à conditione, quæ ſi tolleretur, tolleretur pariter eorum exiſtentia. Idem dicendum de futuritione.

86 Falſa eſt 2. illa alia propoſitio; quòd *futura conditionata reduplicatiuè, vt futura conditionata videantur in ſtatu poſſibilitatis per ſcientiam cognoſcentem poſſibilia*; quamuis enim ipſa futuritio in ſtatu poſſibilitatis, videatur, vt poſſibilis, quia etiam futuritio, antequam actu ſit, eſt poſſibilis; attamen nunquam eſt verum, quòd in ſtatu poſſibilitatis videatur futurum, vt futurũ; aliter iſti ſtatus confunderẽtur inter ſe, & confunderẽt ſcientias, quibus cognoſcũtur; & ſic nõ eſſet ratio; quare creatura, vt exiſtens, non poſſet videri in ſtatu futuritionis, quod repugnat veritati cognitionis. Igitur falsò aſſerunt *plures Thomiſtæ* futura conditionata cognoſci per ſcĩentiam ſimplicis intelligentiæ.

Certum eſſe debet 2; quòd ſicut omnia poſſibilia conditionata non tranſierunt ad futuritionem conditionatam; ita nec omnia futura conditionata tranſibunt ad eſſe exiſtens conditionatum. Ratio primi eſt; nam ſicut non omnia poſſibilia abſoluta tranſierunt ad eſſe futurum abſolutum poſitiuè, quia Diuina voluntas non decreuit creare in tempore omnia poſſibilia abſoluta; ita non omnia poſſibilia conditionata tranſierunt ad eſſe futurum conditionatum; quia Diuina voluntas non decreuit creare in tempore omnia poſſibilia conditionata. Ratio ſecundi eſt; quia ſicut non omne exiſtens tranſit ad eſſe præteritum, vt patet de ſubſtantijs ſpiritualibus, quæ ſunt immortales; ſolùm enim exiſtentia corrup-

corruptibilia transeunt ad esse præteritum; ita non omne futurum conditionatum transit ad actualem existentiam; quia sicut Diuina voluntas voluit solùm aliqua entia existentia transire ad non esse, & alia remanere in esse; ita voluit aliqua futura conditionata non trāsire ad esse existens; alia verò transire. Nec est paritas de futuris absolutis, quę nō possunt nō fieri existētia, supposito, quòd Deus semel decreuerit illa esse futura; quia futurū absolutū importat existētiam simplicē vnius, & eiusdem rei omnino indepēdētis ab existētia alterius rei; & ideo repugnat, quòd Deus decreuerit illam rē existere, & illā non existere; aliter deberet dari duplex decretum oppositum circa vnam, & candem rem; quorum vno Deus decreuerit illam rem existere, & altero illam rem non existere; nam non minùs existentia, quàm non existentia rei habetur per decretum Dei. At verò futurum cōditionatum importat duplicem rem, quarum vna debet habere existentiam dependenter ab existentia alterius; non implicat autem, quòd circa duplicem rem sit duplex decretum; vnum positiuum, negatiuum alterium *vt volo salutem Iusti, si perseuerauerit vsque in finem*. Hìc sunt duæ res, scilicet salus, & perseuerantia; & existētia salutis dependet ab existentia perseuerantię. Potest ergo Deus positiuè velle existentiā salutis dependēter ab existētia perseuerantię; & negatiuè se habere circa existentiam perseuerantiæ; à qua, quia dependet existentia salutis, ideo non posita perseuerantia non ponetur salus; ergo licèt futura absoluta non possint non fieri, attamen aliqua futura conditionata, quorum conditio non est positiuè volita à Deo, possunt non fieri. Quapropter conditionata, quæ non erunt, non sunt simpliciter futura positiuè, vt ait *Beatiss.P.Aug.* statim afferendus.

87 Igitur futura conditionata sic distinguēda sunt; quòd alia sunt positiuè futura, & volita à Deo nedum quoad rem illatam dependentem à conditione, tanquam à causa suæ existentiæ, sed etiam sunt positiuè futura, & volita à Deo quoad ipsam conditionem; & ista non possunt non fieri à Deo; & ista dicuntur positiuè futura simpliciter, quia sunt volita secundùm omnem rationem. Et de his loquitur *Beatiss. P. Aug. lib.26. cont. Faust. c.4.* dicens: *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita, quia non est in Dei voluntate, vt eo sit aliquid falsum, quo est verum. Quapropter quæ verè futura sunt, sine dubio fient; si autem facta non fuerint, futura non erant. Si audiam, quod aliquid futurum erat, sed Deus fecit, ne fieret. Respondebo; illud potiùs futurum erat, quod Deus fecit; non illud, quod si futurum esset, fuisset.* Alia autem sūt futura conditionata solùm quoad rem dependentem à conditione; non autem quoad ipsam conditionem; imò quoad ipsam conditionem sunt negatiuè futura; quia ipsa conditio est positiuè nolita à Deo; & ista non sunt simpliciter futura, sed solùm secundùm quid; quia non sunt secundùm omnem rationem futura, & positiuè volita à Deo; & ista nunquam erunt, quia nunquam erit conditio, à qua essentialiter dependent.

88 Ex hoc patet malè arguere *Aliquos* ex negatione futuritionis aliquorum cōditionatorum, quæ sunt merè possibilia, vel etiam impossibilia, vt v.g. *Si Chimæra erit, conseruabo illam decem annos*; malè inquam arguere ex hoc negationem omnis futuri conditionati, sicuti malè argueretur ex negatione futuritionis absolutę aliquorum possibilium negatio omnis futuri absoluti; & ex negatione existentię aliquorum non existentium negatio existentiæ omnium existentium.

89 Certum nobis est 3. dari decreta conditionata, quibus fiunt futuræ res conditionatæ; neque hæc decreta esse nouiter inuenta *à Recentioribus*, sed in ipsis *Theologiæ* nascentis incunabulis orta. Ratio primi est; nam sicuti res absoluta non fit absolutè futura, & existens, nisi per decretum absolutum; ita res conditionata non fit conditionatè futura, & existens, nisi per decretum conditionatum; aliter sicut res posset esse conditionatè futura præter voluntatē Dei; ita posset fieri conditionatè existens præter voluntatem Dei; & ideo non omnia essent posita in voluntate Dei, cuius oppositum docent *Scripturæ*, vt ostendimus *q.3. art.2. §.2; & art.6.* Tum quia omnino imperceptibile est res habere hāc futuritionem conditionatam à se ipsis, vt ostendemus *in seq. Articulis*; sicuti imperceptibile est, quòd habeant existentiam conditionatam à se ipsis. Ratio secundi est; nam *Fundatiss. Doct*, qui fuit vnus ex primæuis *Theologiæ Scholasticæ Principibus*, manifestissimè docet dari decreta conditionata ex parte obiecti, non ex parte subiecti; vt videri potest *in 1. dist. 46. princ. 1. q. 1. ad 3*: vbi habet: *Ad 3. dicendum, quòd hoc intelligendum est de voluntate conditionata, prout voluntas antecedens conditionata dicitur; vnde huiusmodi conditio non est intelligenda reciprocè supra se ipsam, vt Deus vult, si velit; quia talis distinctio non attenditur respectu voluntatis Diuinæ, sed ex parte volitorum; nam Deus vult omnes homines saluos fieri, non simpliciter, sed considerando impositionem ordinis, naturam, & auxilia communia. Sed si his adduntur opera nostra, quæ respiciunt executionem ordinis, & personam, & auxilia specialia, ista conditione posita, Deus vult omnes homines saluos fieri; & ideo dicitur illa propositio cōditionata, quæ vult salutem omnium, si bene fecerint. Et ad 4. Huiusmodi conditio, & distinctio voluntatis antecedentis, & consequentis attendenda est ex parte volitorum, non ex parte voluntatis; & ideo nulla imperfectio in voluntate Diuina arguitur*; Et sæpe alibi, vt videbimus in *Tract. de Volunt. Dei q.1. art.3; & q.4. art.1.* Ex

quo

quo colligi potest, quòd omnes *DD. antiqui*, qui admittunt voluntatem Dei antecedentem, admittunt decreta conditionata; quia voluntas antecedens est actus voluntatis, qui vult aliquod obiectum, quod necessariò dependet ab aliqua conditione.

Hæc doctrina manifestè colligitur *ex Beatiss. P. Aug. in suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 64*; vbi sup. illud *Apost. 2. Cor. 5. Vnus pro omnibus mortuus est*; ait. *Mortuus est porrò Christus, vt euacuaret eum, qui potestatem habet mortis, idèst Diabolû*. Quod repetit *lib. 2. c. 3*; *& 38*; *& 135*; *& c. 145*. explicat, quomodò intelligendum sit multos non sumi per oppositionē ad omnes, sed ad paucos; cū ait *Apost. Per vnum hominem peccatores constituti sunt multi*; tunc enim dicuntur multi illi, qui sunt omnes, comparatiuè ad illos omnes, qui sūt omnes, & tamen non sunt multi; vt tres Pueri in fornace *Babylonis* erant omnes tres, nec tamen erant multi. Idē sæpissimè habet *in his libris*. Sed volūtas saluandi omnes nō est efficax absoluta; aliter omnes salui essent, nec vllus damnaretur; ergo *per Beatiss. P. Aug.* datur in Deo voluntas, seu decretum conditionatum.

Hoc idem colligitur *ex Scriptura*; nam *4. Reg. 13. Elisæus* dixit ad *Ioam* Regem Israel: *Si percussisses terram quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consūmationem*; patet autem, quòd percussio *Syriæ* non est effectus per se procedens ex percussione terræ, cùm hoc sit futurum conditionatum omnino disparatum; ergo percussio *Syriæ* secutura erat solùm ex percussione terræ ex vi decreti Diuini; quo Deus decreuerat talem percussionem dependēter à percussione terræ.

Quòd autem hæc voluntas, seu decretum sit solùm conditionatum ex parte obiecti, docet apertissimè *Beatiss. P. de Dono Perseuer. c. 14*; *& c. 17. in fine*, vbi vniuersaliter statuit nullum præsciri penitus futurum, nisi sit determinatum, aut decretum à Deo his verbis: *Si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo; præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus*. Vbi loquitur etiam de futuris conditionatis; concludit enim ea, quæ dixerat in superioribus capitibus *de Tyrijs, & Sydonijs*; & de eo, *qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*; quæ procul dubio sunt futura conditionata. Ita etiam *Fundatiss. Doct*; *omnes Thomistæ*; *& ex PP. Soc. Fasol. 1. p. q. 19. art. 5. dub. 1. n. 4*, vbi docet voluntatem antecedentem esse conditionatam solùm ex parte obiecti, voluntas autem conditionata, & decretum conditionatum idem est; quia decretum est actus voluntatis, & voluntas *ibid.* sumitur pro actu; vnde idem est voluntas conditionata, & decretum cōditionatum. Quamuis iste *Auctor q. 14. dub. 14.* aliter loquatur. Idem etiam docet *Vasq. dub. 83. c. 4. n. 39*, *& c. 5. per totum*.

90 Et hæc decreta, quòd non sint frustranea, otiosa, & inutilia, docet *Beatiss. P. Aug. in Enchir. c. 104*; *& 105*. dicens: *Sic enim oportebat priùs hominem fieri, vt & bene velle posset, & malè; nec gratis, si bene, nec impunè, si malè; posteà verò sic erit, vt malè velle non possit*. Igitur per hæc decreta conditionata Deus ordinat naturā rationalem ad gloriam præscindendo ab indiuiduis (vt explicat *Fundatiss. Doct. vbi s.*) tribuit auxilia sufficientia; & permittit posse peccare, ad ostensionem iustitiæ punitiuæ, vel misericordiæ liberatiuæ; quæ omnia sortiuntur suos effectus, vt *in Tract. de Volunt. Dei* ostendemus; nam decretum, quo voluit esse futuram conuersionem *Tyriorum* dependenter à miraculis *Christi Domini*, tribuit illis auxilia sufficientia, sine quibus non potuissent conuerti; & ordinauit per illud eorum naturam ad gloriam generaliter volendo *omnes saluos fieri*; & voluit voluntates creatas operari cum solis auxilijs sufficientibus. Ad hoc autem, vt actualiter conuerterentur, requirebatur aliud decretum, quo eis tribuerentur, vt crederent; vt docet *Beatiss. P. de Dono Perseu. c. 14.* vbi ait: *Sed quoniam, vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent, est negatum*. Quapropter subiungit conuersionem *Tyriorum* non fuisse simpliciter futuram, idèst non secundùm omnes rationes, sed solùm secundùm quid, idèst secundùm rem euenturam, non autem secundùm conditionem, ex qua euenire debebat; nam talis conditio fuit nolita, quia eis fuit negata. Vnde semper aduertendum decretum esse circa aliquem actum creaturæ, quæ erit absolutè futura, non circa rem merè possibilem, sic enim esset merè otiosum, & ideo ponit in ipsa re auxilia sufficientia; in quo maximè æquiuocant *Recentiores*, vt infra magis patebit ad 3. His bene intellectis, sicut oportet.

91 Vnica concl. Futura quæcunque siue absoluta, siue conditionata, formaliter, vt actu, & exercitè futura, certò cognoscuntur à Deo in vtroque statu in decreto, non quidem prædeterminante, seu ponente in voluntate aliquid præuium ad actum voluntatis, sed inspirante ipsum actum bonum voluntatis; & permittente actum malum.

Prima pars concl; quòd scilicet futura conditionata (de absolutis enim diximus *q. 3. art. 3.*) cognoscantur à Deo certò, & infallibiliter, est *cont. Curiel*; *Cornejo*, *Thyphanium*, *& alios paruos*; qui volunt cognosci tantùm coniecturaliter. Quibus aliquo modo adhæret *Godoy hic disp. 33. §. 3. n. 31*; vbi docet conditionata coniecturaliter connexa cognosci à Deo infallibiliter quidem ex parte subiecti, idèst ex parte decreti; coniecturaliter tamen ex parte obiecti; quia tale futurum non infertur, nisi probabiliter ex tali conditione, cum qua solùm probabiliter connectitur. Prob. tamen 1. *ex Reg. 11. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissimè enim auertent corda vestra, vt sequa-*

sequamini Deos earum. 2. ratione. Quicquid cognoscit Deus, cognoscit in se ipso, vt probatum est *q.2. art. 1; & q.3. art.3*; ergo cognoscit infallibiliter; nam ipse Deus est actus purissimus, in quo nulla potest esse vicissitudinis obumbratio; & per consequens nulla fallibilitas, aut error; quæ duo non contingunt in rebus, nisi propter potentialitatem, & mutabilitatem; ergo licèt futura conditionata sint extra Deum connexa solùm moraliter, aut coniecturaliter, aut & sint disparata; quia tamen in Diuina voluntate sunt infallibiliter metaphysicè connexa, ideo Deus ea infallibiliter cognoscit. Vid; quæ diximus *locis cit.*

92 Prob. 2. pars concl. 1. Actus boni conditionati non sunt futuri in vtroque statu, nisi per decretum Dei; ergo non cognoscuntur, nisi in decreto. Prob. ant. 1. *ex Beatiss. P. Aug. Tract. 68. in Io*; vbi explicans illud *Isaiæ 45. Ventura interrogate me*; legit secundùm aliam versionem: *Qui fecit, quæ ventura sunt.* Et subdit *Non enim ait, qui facturus est, quæ futura sunt; sed qui fecit, quæ futura sunt. Ergo & fecit ea, & facturus est ea; neque facta sunt, si ipse non fecit, neque futura sunt; si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando; facturus est operando.* Ex quibus patet; quòd sicut res nequit esse existens, nisi per potentiam Dei actualiter operantem; ita nequit esse futura, nisi per voluntatem Dei decernentem; sed implicat, quòd aliquis actus bonus sit existens siue absolutè, siue conditionatè præter potentiam Dei operantem in quocunque statu, aliter ille actus non esset à Deo creatus; ergo implicat, quòd aliquis actus bonus sit futurus, siue absolutè, siuè conditionatè sine decreto Dei, vel absoluto, vel conditionato. Idem habet *Sanctiss. P. lib. de orig. Anim. c. 12; & de Prædest. SS. c. 12.*

Conf. Actus boni futuri conditionatè in vtroque statu nequeunt habere veritatem obiectiuam existentiæ actualis ex se ipsis, aliter possent habere existentiam actualem ex se ipsis, cùm veritas existentiæ actualis sequatur ad existentiam actualem, & in illa fundetur, ergo nequeunt habere veritatem obiectiuam futuritionis conditionatæ ex se ipsis. Sicut enim ideo creatura nequit habere existentiam actualem conditionatam ex se ipsa, quia secundùm se ipsam est indifferens ad esse, & non esse; ita ex se ipsa nequit habere futuritionẽ conditionatam; quia secundùm se ipsam est indifferens ad futuritionem, & non futuritionem.

93 Prob. 2; siue magis vrgetur prima ratio. Futurum bonum contingens conditionatum procul dubio est actus nostræ voluntatis; de hoe enim solùm loquimur in præsenti; nam de futuro, quod est solùm effectus voluntatis Dei, vt est productio Mundi, nulla est difficultas; ergo cognoscitur in decreto volũtatis Diuinæ. Prob. cons. Actus bonus voluntatis creatæ siue absolutus, siue conditionatus essentialiter est effectus productus à voluntate Dei libera in voluntate creata, vt probatum est in tribus §. superioribus, sed omnis effectus voluntatis Dei liberæ cognoscitur à Deo in ipsa Dei voluntate; aliter ipsam non comprehenderet; sicut omnis creatura possibilis cognoscitur à Deo in sua omnipotentia, quia est effectus illius in ipsa contentus; secus si non videretur in ipsa, non comprehenderetur omnipotentia; ergo actus bonus siue absolutus, siue cõditionatus cognoscitur à Deo in decreto suæ voluntatis.

Conf. 1. Futurum siue absolutum, siue conditionatum, quod est supernaturaliter bonum, est gratia ipsius Dei; nam opera nostra meritoria sunt dona sua; vt ostendimus §. 2; sed gratia Dei cognoscitur in decreto suæ voluntatis, quod est causa illius; ergo futurum bonum siue absolutum, siue conditionatum cognoscitur in decreto.

Conf. 2. Per illud idem res habet cognosci, per quod habet esse; quia cognoscibilitas sequitur ad esse, cuius est passio; sed creatura habet esse futurum à decreto voluntatis Dei; ergo per illud habet cognosci. Ma. constat; quia causa, per quam res habet esse, est optimum medium ad cognoscendum effectum; aliter nulla daretur demonstratio, nec scientia à priori. Prob. mi. Si creatura haberet aliquod esse futurum obiectiuum fundans veritatem obiectiuam in se ipsa independenter à voluntatè Diuina, illud competeret creaturæ à se; non enim est imaginabile, à quo esset illud esse obiectiuũ, quia hoc non esset à decretò obiectiuo futuro; nam hoc decretum reijcitur *à plurimis PP. Societatis*; cùm futuritio repugnet cuicunque prædicato Diuino, sicut ei repugnat præteritio, & possibilitas; aliter esset quid temporaneum, non æternum, vt *infra* videbimus, sed ratio *entis à se* ex suo conceptu essentiali repugnat creaturę, quæ in eo, quòd creatura essentialiter importat esse ab alio; ergo creatura habet esse futurum solùm à decreto Diuinæ voluntatis.

94 Vrgetur ampliùs. Ita se habet omne futurum bonum liberum respectu volũtatis Diuinæ, siue sit absolutum, siue conditionatum; sicut omne possibile respectu omnipotentiæ, siue sit possibile absolutum, siue conditionatum; sed omne possibile siue absolutum, siue conditionatum cognoscitur à Deo in sua omnipotentia; ergo omne futurum bonum absolutum, & conditionatum cognoscitur in sua voluntate.

95 Præterea. Hoc futurum bonum conditionatum vel cognoscitur, vt independens à Deo, vel vt dependens? Si primum; ergo non cognoscitur, vt quid creatum; creatio enim dependentiam essentialiter importat. Si secundum; vel cognoscitur, vt dependens immediatè; & sic cognoscitur, vt causatum immediatè à vo-

à voluntate Dei; & per conſequens in ipſa cognoſcitur, tanquam in cauſa, vel vt dependens ſolùm mediatè; & ſic incidunt in ſententiam *Dur*; quam reprobant, tanquam erroneam.

96 Prætereà.Voluntas Dei nequit manere ſuſpēſa à ſuo actu;quia eſt ipſe puriſſimus actus, & idem nequit ſuſpendi à ſe ipſo, quia poſſet eſſe ſine ſe ipſo; ergo non datur decretum conditionatum ex parte actus; & ideo erit ſolùm conditionatum ex parte obiecti, quatenus vult aliquod ex parte obiecti, v.g.ſalutem creaturæ, dummodò ponantur merita.

Tum quia decreta conditionata ex parte obiecti dantur in nobis; vt cùm homo baptizat aliquem, ſi non eſt baptizatus; & cùm aliquis vouet Religionem, ſi ſanabitur; ergo & in Deo dari debent.

Noſtra ergo ſententia duplici fundamento immobiliter nititur, ſcilicet, quòd Deus nihil cognoſcit extra ſe immediatè; quod ſatis probauimus ſuperiùs tū *ex Scripturis*, & *SS.PP*; tum etiam ex ratione; & quòd omnis effectus creatus, quicunque ille ſit, eſt effectus Dei, & ab hac cauſalitate nequit abſolui, ac propterea cognoſcitur in Deo,vt in ſua cauſa, in qua continetur veriori modo, quàm ſit in ſe ipſo. *Vid. alias rationes locis cit.*

Prob. tandem. Deus non videt futura bona conditionata in decreto phyſicè, aut moraliter prædeterminante; nec in eorum veritate obiectiua, nec in decreto obiectiuè futuro; nec in ſupercomprehenſione noſtræ voluntatis; ergo ſupereſt,quòd videat in decreto ſuæ voluntatis. Ant. probabitur *in ſeq. Articulis.*

Tertia pars concl; quòd ſcilicet actus mali cognoſcantur in decreto Dei permittente, probata eſt *q.3.art.7.*

97 Obijc.1. cont. 1. partem concl.1.*Matt.* 11. dicitur: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent vſque ad hanc diem; & Gen. 3. Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat de ligno vitæ*; particula autem *fortè* deſignat conditionem coniecturalē.2.*Beatiſſ. P. de Præd. SS. c.*14.loquens de eo, qui *raptus eſt, ne malitia &c*; ait: *Dictum eſt ſecundùm pericula huius vitæ, non ſecundùm præſcientiam Dei; qui hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat*; ſed ſecundùm pericula huius vitæ nequit ſumi, niſi cognitio cōiecturalis; pericula enim non inducūt in peccatum neceſſariò, & infallibiliter, ſed tantùm probabiliter, & coniecturaliter; ergo Deus non cognoſcit futura conditionata, niſi coniecturaliter. 3. Vel cognoſcit conditionata per ſimplicem intelligentiam, vel per viſionem; nulla enim alia cognitio infallibilis eſt in Deo circa creaturas? Non primum; quia ſimplex intelligentia verſatur circa poſſibilia, non circa futura. Nec ſecundum; quia ſcientia viſionis, cùm ſit intuitiua,verſatur ſolùm circa ea, quæ habebunt exiſtentiam; futura autem conditionata nunquam erunt.

Reſp.ad 1;quòd illa particula *fortè*,licèt,cùm dicitur ab homine, importet dubitationem; attamen cùm dicitur à Deo, quem *nihil vtique latet*,importat increpationē. *Ita Beatiſſ.P.Tract. 37. in Io.* ſup. illud: *Si me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*;ait: *Illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Diuinitas*. Ad 2. dicitur,quòd ex verbis *Beatiſſ.P.* potiùs colligitur oppoſitum;ait enim;quòd Deus *ſecundùm ſuam præſcientiam præſciuit, quod futurum erat*; non autem præſciuit ſecundùm pericula huius vitæ, aliter præſciſſet, quod futurum non erat; quod eſt apertè contra eius verba allata. Dicitur ergo, quòd nihil aliud vult, quàm malitiam non eſſe ſimpliciter futuram,idēſt ſecundùm omnem rationem; quia non erat futura conditio, ſcilicet vita, à qua dependebat; negat ergo illam cognoſci, vt futuram ſecundùm omnem rationem, & ait eſſe futuram ſecundùm pericula huius vitæ; quæ licèt ſecundùm ſe ipſa non poſſint generare cognitionem certam, attamen quatenus coniungūtur cū decreto permiſſiuo ſubtrahēte gratiā actualē, ratione talis decreti terminarēt cognitionē infallibilem.Ad 3. dicitur cognoſci per ſcientiam viſionis. Ad improb. dicitur falſum eſſe, quòd nullum futurum conditionatum erit; vt *ſupra* diximus. De ijs autem,quæ non erunt, dicitur,quòd cognoſcuntur per ſcientiam ſuperintuitiuam, non intuitiuam, vt diximus *q.2.art.2; & q.3. art.5*; & ideo non requiritur exiſtentia in ſe, ſed in cauſa.

98 Inſt. Godoy.Exod.4.dixit Deus *ad Moyſem de Aegyptijs.Si non crediderint,inquit,tibi, neque audierint ſermonem ſigni prioris,credent verbo ſigni ſequentis. Quòd ſi nec duobus quidem his ſignis crediderint &c*; ergo Deus non præuidit certò hoc futurum,aliter non prouidiſſet de tot ſignis, ſed ſolùm de illo ſigno, cui erant credituri. 2. Ea, quæ ſunt probabiliter futura, videntur à Deo probabiliter,ſecus viderentur aliter, ac ſunt. 3. Effectum connexum cum conditione probabili eſſe probabiliter futurum eſt veritas infallibilis, & neceſſaria non minùs, ac effectum neceſſariò connexum cum conditione neceſſaria eſſe neceſſariò futurum,quia non minùs eſt certum ſyllogiſmum probabilem inferre probabiliter, quàm neceſſarium neceſſariò; ergo effectus connexus cum conditione probabili neceſſariò cognoſcitur à Deo probabiliter.

Reſp. ad 1; quòd illis ſignis voluit Deus oſtendere ſuam pietatem; quia noluit primò inducere *Aegyptios* ad credēdum ſignis plagiferis, & terrificis; non autem hoc fecit, quòd neſciret, quo ſigno dimiſſuri erant populum; nam vel ille actus credendi erat prædermінatus à Deo, vt aſſerunt *Thomiſtæ*,vel non? Si primum; ergo cognoſcebatur;infulſum enim eſt dicere,

quòd Deus non cognoſcat ſua decreta, & id, quod per illa decernit. Si ſecundum; ergo eſt contra ipſum *Godoy*, quia *Thomiſta* eſt. Neg. igitur con. Ad 3. neg. ant. Ea etenim, quæ ſunt probabiliter futura in ſe ipſis, ſunt infallibiliter futura in decreto Diuino, & cùm non videantur in ſe ipſis, ſed in decreto, ideo videntur infallibiliter, non fallibiliter. Et ſic patet ad 3; nam licèt effectus connexus cum conditione probabili ſit probabiliter futurus, attamen, prout eſt in Diuino decreto, eſt infallibiliter futurus.

99 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Futurum conditionatum conſiſtit in hoc; quòd res eſſet, ſi talis conditio poneretur; ſed hoc poteſt intelligi ſine decreto; ergo futurum conditionatum cognoſcitur extra decretum.

Reſp. neg. ma; nam futurum explicatur per verbum *erit*, non per verbum *eſſet*, per quod explicatur poſſibile; dicere enim, quòd res *eſſet*, ſi poneretur conditio, eſt idem, ac dicere, quòd res poſſet eſſe, per quod explicatur poſſibilitas. Prætereà dicimus, quòd ipſa res, quæ eſſet, eſt effectus ipſius decreti, vt ſupra dictum eſt; ſi tamen illa res concipiatur, vt futura, ſecus ſi concipiatur, vt poſſibilis. Et in hoc conſiſtit æquiuocatio *Recentiorum* circa rationem formalem futuritionis conditionatæ, quam volunt conſiſtere in omni combinatione poſſibilium; quod tamen falſum eſt, quia ſicut datur combinatio actualis rei exiſtentis; ita datur combinatio rei futuræ, & combinatio rei poſſibilis; vt ſupra oſtenſũ eſt; vnde non ſolùm hæc notio futuri cõditionati, quã tradũt *Recẽtiores*, nõ eſt per ſe nota, ſed eſt euidenter falſa. Igitur, vt tollatur omnis æquiuocatio, maximè obſeruãdum eſt, quòd quando dicitur futurum conditionatum, conditio non cadit ſupra futuritionem ita, vt faciat ſenſum, quod illud erit futurum conditionatum, ſi ponatur conditio; hoc enim arguit illud non eſſe actu futurum conditionatum, ſed poſſe eſſe futurum, & per conſequens importat ſolùm aliquod poſſibile, quia ante actualem futuritionẽ non datur, niſi poſſibile; ſed conditio cadit ſupra exiſtentiam rei ita, vt faciat ſenſum, quòd talis res erit actu exiſtens, ſi talis conditio ponatur; in hoc enim conſiſtit formaliter actualis futuritio conditionata.

100 Obijc. 3. Si futurum conditionatum eſſet effectus decreti ponentis in voluntate ipſum futurum, ſequeretur 1; quòd Deus non potuiſſet exprobare *Iudæis* duritiem per comparationem ad *Tyrios*, & *Sydones*; nam potuiſſent reſpondere ſe non habere actum conuerſionis; quia Deus illum non produxit in voluntatibus ſuis, ſicut illum produxiſſet in voluntate *Tyriorum*, & *Sydonum*. 2. Decretum conditionatum, quod decernit rem, non conditionem eſſe, nihil ponit in ipſa re; quia res non ponitur, niſi poſita conditione; ergo non eſt efficax, ſed vanum, & otioſum. 3. Vel Deus habet decreta conditionata circa alios mundos poſſibiles, vel non? Non primum; alias haberet circa mundos poſſibiles eandem prouidentiam, quam habet circa mundum actu exiſtentem, quod eſt Deo indignum, vtpotè omnino inutile, & otioſum. Neque ſecundum; aliter Deus rogatus, quid feciſſet circa talem creaturam poſſibilem, ſi illam creare voluiſſet, non poſſet determinatè reſpondere, ſed fateretur ſibi ignotum eſſe, an talis creatura eſſet bona, vel mala; prædeſtinata, vel non prædeſtinata?

Reſp. ad 1. neg. ſeq; nam ſi feciſſet eadem miracula *apud Tyrios*, & *Sydones*, quæ fecit apud *Iudæos*, produxiſſet in mentibus eorum eundẽ actum cognitionis, & illuminationis ad cognoſcendum verum Deum, quem produxit in mentibus *Iudæorum*; illi tamen qui non erant adeò obdurati, & excæcati, non reſpuiſſent illam gratiam illuminationis, & cognitionis veri Dei, quam reſpuerunt *Iudæi* obdurati, & excæcati, & ideo abijcerunt actum amoris Dei ſequẽtem ad talem cognitionem, per quem poterant conuerti; quod tamen non feciſſent *Tyrij*, & *Sydones*, & ideo meritò illi, non iſti increpantur. Præterea *Tyrij*, & *Sydones* habuiſſent gratiam congruam, quam non habuerunt *Iudæi*, vt docet *Aduerſarij*; vt ſaluẽt illud *Apoſt. Quis enim te diſcernit?* Propter quod vnus cũ æquali gratia nequit ſe conuertere, aliter per ſe ipsũ ſe diſcerneret ab alio; & ideo nõ à Deo diſcernetur; ergo hoc argumentũ ſolui debet *ab ipſis Oppoſitoribus*; nam ob eandem rationem non potuiſſet Deus exprobare *Iudæos*, quia potuiſſent reſpondere, ſe non accepiſſe illam gratiam congruam, quam tamen acceperunt *Tyrij*, & *Sydones*. Soluitur ergo, vt ſupra dictum eſt. Ad 2; quod procedit ex eadem æquiuocatione, ſcilicet, quòd decreta conditionata ſint circa res merè poſſibiles, neg. ant; nam decretum conditionatum eſt ſolùm circa actus futuros liberos creaturarum abſolutè futurarum, quæ aliquando erũt in aliqua temporis differentia; circa enim creaturas poſſibiles, quas Deus decreuit non creare, non datur decretum conditionatum; quia ſic eſſet merè otioſum, & inutile; ſicut enim Deus decreuit eas non creare, idẽſt voluit eas eſſe non futuras, ita decreuit non creare earum actus liberos; & ideo poſitiuè non decreuit aliquod futurum in ipſis, ſed omnino negatiuè decreuit, idẽſt noluit eſſe in illis aliquem actum futurum conditionatum. Igitur Deus circa creaturas abſolutè futuras aliqua conditionatè decreuit, quia decreuit aliquos actus virtutum eſſe futuros ſub conditione; & quia iſti actus non poſſunt eſſe futuri, niſi illis concedantur auxilia ſufficientia, ſine quibus illi actus eſſe non poſſunt; ideo decreta conditionata aliquid ponunt in re; & per conſequens non ſunt fruſtranea. Per hoc patet ad 3; nam circa mundos poſſibiles, ſicut Deus nega-

negatiuè se habuit decernendo illos non producere; ita circa actus liberos creaturarum possibilium merè negatiuè se habuit decernendo illos non producere. Imò interrogare Deũ, quid fecisset, si voluisset alios mundos producere, est omnino inutile, & otiosum; est enim de subiecto non supponente, quod non erit. Responderet ergo; quòd fecisset id, quod decreuisset facere, si alios mundos produxisset; quod tamen non decreuit, quia decreuit non producere alios mundos.

Itaque sicuti voluntas antecedens, qua Deus vult omnes homines saluos fieri, quatenus illis concedit sola auxilia sufficientia, non efficacia, non dicitur otiosa, neque inutilis Prouidentiæ Diuinæ, ad quam spectat simul permittere peccata, & ideo negare auxilia efficacia; ita se habent decreta conditionata, quæ vel spectant ad voluntatem antecedẽtem, vel sunt formaliter ipsa voluntas antecedens; vt per habita potest patere.

101 Obijc. 4. Si darentur decreta conditionata ex parte obiecti, Deus simul vellet, & nollet idem obiectum, vt v.g. vellet conuersionem *Tyriorum*, si vidissent miracula Christi; & nollet, quia nollet eos videre miracula; ergo simul haberet duos actus oppositos, qui pugnant inter se, & ideo ostendunt repugnantiam decreti conditionati.

Resp. hoc esse soluendum ab omnibus; quia quando Deus concedit sola auxilia sufficientia, simul permittit posse peccare, sed concedendo auxilia sufficientia vult actum bonum; & negando auxilia efficacia, seu permittendo peccatum non vult efficaciter actum bonum; ergo simul habet duos actus oppositos, qui ostendunt repugnantiam huius doctrinæ, quæ traditur ab omnibus. Dist. igitur ant. Deus simul vellet, & nollet idem obiectum secundùm diuersas voluntates, & secundùm diuersas rationes; idest vellet generaliter per auxilia generalia, & non vellet per auxilia specialia, & efficacia, conc; secundùm eandem voluntatem, & rationem, neg. Non repugnat autem Deum velle aliquid voluntate antecedente, quod non vult voluntate consequente; aliter sicuti vult voluntate antecedente omnes homines saluos fieri; ita vellet omnes voluntate consequente saluos esse, & sic nullus damnaretur.

102 Obijc. 5. *ex Vasq.* Omne decretum Dei ponit aliquid in creatura, quia resultat in Deo noua relatio rationis, quæ non potest Deo aduenire, nisi ex mutatione facta in creatura; sed per decretum conditionatum nihil resultat in creatura, quia conditio nunquam purificabitur, & ideo non ponetur tale futurum in creatura; ergo non datur hoc decretum conditionatum. 2. Actus Diuinæ voluntatis debet habere suum obiectum præsens, & existens; sed decretum conditionatum non habet obiectum præsens; quia futurum conditionatum non est, neque erit existens actu; ergo decretum conditionatum non datur in voluntate Diuina. Sicuti enim, quod non est actu coloratum, non potest terminare potentiam visiuam; nequit autem esse coloratum, nisi posita quantitate; & ideo nisi ponatur actu quantitas, nequit terminare potentiam visiuam; ita à pari.

Resp. ad 1. neg. mi; nàm decretum conditionatum ponit in creatura auxilia sufficientia, vt dictum est. Præterea decretum, quo Deus non vult creaturas possibiles existere nihil ponit in creatura eo, quia est decretum negatiuũ; decretum autem conditionatum, quatenus importat negationem auxiliorum specialium, est negatiuum; & ideo secundùm hanc rationem nihil debet ponere in creatura. Ad 2. dicitur eodem modo; quòd si consideretur, quatenus decernit auxilia sufficientia, illa habet præsentia; si verò quatenus importat negationem auxiliorũ specialium, nihil habet præsens positiuè, sed solùm negatiuè, quia sic est negatiuum. Ad illud de potentia visiua dicitur, quòd potentia sensitiua, quia tendit in obiectum sub conditionibus indiuiduantibus, quæ sunt *hic*, & *nunc*, ideo nequit tendere, nisi in obiectum actu existens; at verò voluntas, cùm sit potentia spiritualis abstrahens à conditionibus indiuiduantibus, sicut abstrahit intellectus, ad quem sequitur, ideo potest tendere etiam in obiectum non existens; vt patet de voluntate infirmi, quæ vult sanitatem in suo corpore non existentem.

103 Obijc. 6. Deus non cognoscit peccata conditionata in decreto conditionato; ergo neque actus liberos bonos conditionatos; eadem enim est ratio de vtroque. Prob. ant. Ideo Deus cognoscit actus liberos bonos conditionatos, quia illos causat in voluntate, vt dictum est; sed Deus non causat peccata in voluntate neq; quoad deformitatem moralem, aliter Deus esset *Auctor* peccati; neque quoad entitatem physicam; quia cùm deformitas moralis sequatur infallibiliter ad entitatem physicam, Deus esset causa peccati; nam *quod est causa causæ, est causa causati*; ergo non cognoscit peccata in decreto conditionato.

Resp. dist. ant. Non cognoscit in decreto positiuè inspirãte, cõc; permittẽte, neg. Ad prob. neg. paritas; nam peccatum, cùm non sit ens morale, sed defectus entis, ideo nõ requirit causam efficientem illud in voluntate creata, sed sufficit causa permittens, & ideo in illa potest cognosci, quia in illa cognoscitur negatio operis boni, seu gratiæ actualis. Ad aliud dicitur, quòd etiamsi non causaret entitatem physicam, attamen illud cognosceret in decreto permissiuo; *sed de hoc loco cit.* Ad vltimum dicitur falsum esse, quòd deformitas moralis sequatur infallibiliter ad illam entitatem; quia illa eadem entitas est indifferẽs ad ordinari ad bonum, vel malum finem; & ad ordi-

ordinari ad obiectum per modum fugæ,vel prosecutionis. Ideo quando causatur in voluntate actus erga Deum, vel potest referri in Deum, ipsum amando, vt est *Auctor* naturæ; vel ipsum odio habendo, & blasphemando, prout repræsentatur,vt nociuus, & aduersus. Sicut enim idem numero obiectum potest amari, & odio haberi;& eadem voluntas potest odio habere, & amare; quare idem actus, seu eadem entitas physica nequit esse amor, & odium; cùm potentia,actus, & obiectum ad inuicem commensurentur,& proportionentur?Ergo illa entitas physica secundùm se est indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem; & per consequens Deus causans in voluntate illam entitatem non causat peccatum; cùm ad illam non sequatur peccatum necessariò,& infallibiliter;sequitur enim solùm ex peruersa ordinatione nostræ voluntatis.*Vid.q.3.art.7.*

104 Obijc. 7. Adiutorium status Innocentiæ erat indifferens, & vertibile ad bonum, vel malum cousensum;ergo saltem in statu Innocētiæ ille actus,vt determinatè futurus, non poterat cognosci ex vi illius decreti decernentis adiutorium indifferens; sicuti enim in voluntate indifferenti nequit cognosci actus determinatus;ita à pari.

Resp.neg.1.part.ant;nam illud adiutorium erat ipse actus bonus donatus à Deo, vt dictum est; & ideo non erat indifferens, quanuis esset vertibile,quia poterat transire ad non esse; sicut de facto transijt;vt dicemus *art.5.n.4.*Quapropter ait *Beatiss. P. lib.12. de Ciu. c.9.* loquens de gratia data Adæ: *Et istam quis fecerat nisi ille, qui eos eum bona voluntate, idest eum amore casto,quo illi adhærent,creauit, simul in eis condens naturam,& largiens gratiam.Vnde sine bona voluntate, hoc est Dei amore nunquam Sanctos Angelos fuisse eredendum est.*

Inst.Vel ex vi illius decreti inspirantis cognouit perseuerantiam in bono,vel non cognouit? Non primum; quia ille actus inspiratus erat indifferens ad perseuerandum, vel non perseuerandum.Si secundum; ergo perseuerantiam in Sanctis Angelis cognouit in ipsa voluntate per scientiam mediam; & ideo saltem in statu Innocentię admittenda est scientia media.

Resp; quòd ex vi illius decreti inspirantis cognouit solùm actum inspiratum;quia tamen cum illo decreto annexum erat decretum permittens peccatum,ideo in illo decreto permittente cognouit peccatum in Adamo, & malis Angelis. Item quia habuit decretum de adiuuandis, & seruādis aliquibus Angelis,ne omnes perirēt;ideo in illo decreto adiuuāte, & seruāte cognouit perseuerantiam Angelorum bonorū. Hinc *Beatiss.P. in Enchir.c.106.* ait: *Sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem;vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle,nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret*; vbi notandum est illud verbum *teneretur*;idem enim est,ac *seruaretur*;& illa verba: *Parum erat velle,nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret*; apertè enim vltra voluntatem bonam inspiratam, ad perseuerandum eguit adiutorio seruante;in cuius negatione cognouit lapsum Adæ,& Angelorum, & in cuius concessione cognouit perseuerantiam bonorum. Idem habet *de Ciu.Dei lib.12.c.9.Vid.de Vol.q.4.ar.3.*

104 Quæres;an sicut entitas actus naturalis,ita entitas actus supernaturalis possit esse indifferens ad malitiam, & bonitatem?

Resp.negatiuè; nam,vt docet *Beat.P.Aug. de Grat;& lib.Arb.c.15*; actus supernaturalis sēper bonus est, quia gratia est; *Gratia verò Dei semper est bona; & per hanc fit, vt homo sit bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ*. Etenim ex natura sua est medium ordinatum ad consecutionem finis supernaturalis,ad quem nō est ordinatus actus naturalis, sed præcindit.

ART. II.

Reijcitur prædeterminatio physica.

1 Vniores *Thomistæ à Bannes* vsq; ad hęc tempora,adeò acriter physicam prædeterminationem defendunt, vt nullū *Thomistam* putent, qui ab hac sententia recedit. Plurimis *Beatiss. P. Aug.* auctoritatibus eam statuere adlaborant,eamque esse eius mentem maximè cōtendunt.Ceterùm quanuis ex dictis in *sup.art;*& præcipuè §.2.patere possit, quàm longè distent ab eius sententia; attamen *hic* breuiter est examinandum.

Nomine prædeterminationis physicæ intelligunt decretum Diuinæ voluntatis causans, & ponens in voluntate creata aliquod auxilium supernaturale antecedens nostrum velle, tanquā efficax, seu effectiuum principium illius; nec non actualiter applicatiuum nostræ voluntatis ad suam actionem liberam. Addunt *Aliqui* hoc auxilium efficax antecedere actum secundum solùm prioritate naturæ; ideoque se tenere ex parte actus secundi, non ex parte actus primi. *Hoc supp.*

2 Vnica concl. Prædeterminatio physica non est ad mentem *Beatiss.P.Aug*;& per eam nō explicatur adeo clarè concordia gratiæ cum nostra libertate.

Prob.1.pars concl. euidenter ex textibus adductis ab ipsis, vt de *Grat. Christi c.10. Deus operatur in nobis, quod bonum, & sanctum est, quatenus nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat; quatenus stupentem suscitat voluntatem; & lib.2.eont. duas Epist.Pelag.c.2.*loquēs de *Assuero*: *Deus cor Regis occultissima, efficacissima potestate conuertit,& transtulit ab indignatione ad lenitatem*. Et *Epist.107. ad Vital. Bonam voluntatem cuiusque non inuenit in corde, sed facit*. Et *ibid.Intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines, quòd fieri non potest, nolentes*

lentes credant,sed vt volentes ex nolentibus fiant. Et de Grat; & lib.Arb. c.19. Deus facit,vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati . Et ibid. c. 21. Agit Omnipotens in cordibus nostris, etiam motum voluntatis eorum; & alijs huiusmodi, in quibus habetur nostras voluntates esse in potestate voluntatis Diuinæ potentis illam inclinare,quocunque voluerit;sed ex his textibus habetur manifestè solùm, quòd Deus producat velle in nostra volūtate,vt primus Auctor supernaturalis;nō tamen,quòd ponat in volūtate nostra aliquod auxilium supernaturale efficax antecedens ipsum velle liberum;ergo hæc sententia longè est à mente *Beatiss.P.Aug*;nec concordat cum ipso, qui docet solùm id, quod est posterius ad tale auxilium; illi autem docent aliquod prius,& antecedens.

Conf. 1. Quando *Beatiss.P.* docet gratiam actualem, illam explicat verbis *Apostoli*; quapropter vocatur *Inuictissimus gratiæ Defensor, Apostoli Alumnus,siue secundus Paulus,ac nouum Vas electionis gratiæ Dei* ; & frequentissimè vtitur illo testimonio *Phil.2. Deus operatur in vobis velle* ; sed ex hoc non deducitur Deum operari in nobis aliquod antecedens ad ipsum velle, cùm expresse *Apostolus* loquatur de ipso velle ; ergo hæc sententia aliena est à mente *Beatiss. P.*

Conf. 2. *Beatiss.P.* docet opera nostra esse gratiam Dei,quam commendat *Apost*; ergo illa gratia antecedens actum est præter mentem ipsius; sed Prædeterminatio physica docet gratiam antecedere ipsum actum; ergo est præter mentem illius.

3 Prob. 2. In Congreg. habita *sub Clem. VIII; & Paulo V*; quæ durauit quatuor annorum, & quinque mensium spatio ; incepit enim *anno* 1602.*die* 25.*Martij*, & terminata est *anno* 1606. *die* 28.*Augusti*; qua die recurrit Conuersio,& mors *Beatiss.P.Aug*; vt videri potest *apud nostrum Riuium* ; *PP. Thomistæ* contendentes scientiam mediam non esse ad mentem *Sanct.P. Aug*; prædeterminationem verò physicam esse veram illius sententiam non potuerunt obtinere,vt definiretur;ergo nō est tam aperta,& manifesta sententia *Beatiss. P*; vt ipsi dicunt; nam si talis esset,iam fuisset definita, siue fuisset repetita definitio, qua alias *ab Ecclesia*, & *à Summis Pontificibus* doctrina *Beatiss.P.Aug. in materia de gratia* fuit determinata,vt ostendimus *To.1. q.5.proem.art.7.*

Conf. *D. Tho.locis cit. in sup.art.* §.1. *n.*8; manifestè docet sententiam *Beatiss.P.Aug.* esse, quòd Deus operetur in cordibus nostris ipsum velle;ergo sententia arbitrans Deum operari in cordibus nostris aliquod antecedens ad ipsum velle non est sententia *Beatiss.P.*; *nec D.Tho.*

4 Tandem prob. ex doctrina ipsorum *Prædeterminantium*. Ipsi docent prædeterminationē physicam se tenere ex parte actus secundi; ergo non ponit in nostra volūtate aliquod auxilium, quod sit principium elicitiuum actus secundi; nam quodlibet principium elicitiuum actus secundi se tenet ex parte potentiæ; quia per ipsū constituitur potentia proximè potens producere talem actum; hinc *ipsimet* docent lumen gloriæ se tenere ex parte potentiæ intellectiuæ; quia constituit intellectum proximè potentem videre Deum; & simul cum intellectu actiuè elicit visionem; sic calor se tenet ex parte potentiæ ignis,quia constituit ignem proximè potentem calefacere;ergo si prædeterminatio physica poneret in voluntate aliquod auxilium, quod esset principium elicitiuū actus secundi, cùm principium se teneat ex parte potentiæ,vt patet etiā ex ipso nomine *principij*, quod sonat virtutem potentiæ,illud se teneret ex parte potentiæ,non ex parte actus.

Explicatur magis . Quòd aliquod principium proximè concurrat ad actum secundum, & applicet ipsam potentiam ad actum secundū, non tollitur,quòd tale principium non se teneat ex parte potentiæ;nam nihil magis potest se tenere ex parte potentiæ,quàm id,quod informat talem potentiam, & proximè constituit potentē, & simul cum ipsa producit actum; in tantùm enim species dicitur se tenere ex parte obiecti, in quantùm repræsentat obiectum; at in quantùm simul cum intellectu producit actum intellectionis, dicitur se tenere ex parte potentiæ intellectiuæ ; nam se tenere ex parte potentiæ nihil aliud est, quàm illam informare, & simul cum illa antecedere, ac producere actum ; ergo si tale auxilium informat voluntatem, simul cum illa antecedit, & producit actum, se tenet ex parte potentiæ, non ex parte actus secundi. Et per consequens docentes tale auxilium se tenere ex parte actus secundi, videntur docere, quòd tale auxilium constituat formaliter actum secundum, & sic trahuntur ad nostram sententiam.

5 Prob. 1. altera pars concl. Illa sententia, quæ nihil ponit in voluntate antecedēs actum, sed ponit actum in pura indifferentia voluntaris, magis explicat libertatem, quàm illa, quæ ponit in voluntate aliquod antecedens actum, & prædeterminans voluntatem ad actum; sed nostra sententia nihil ponit in voluntate antecedens actum, & ponit ipsum actum in pura indifferentia voluntatis ; *Prædeterminantes* verò ponunt in ipsa voluntate aliquod antecedens actum prædeterminans voluntatem ad actum; ergo minùs explicāt libertatem.Mi.patet.Prob. ma.Illa sententia magis explicat libertatem,quę illam ita clarè, & euidenter statuit, vt à nullo possit negari; sed nullus potest negare, quòd actus positus in pura indifferentia voluntatis seruet libertatem voluntatis; tota enim controuersia, quæ vertitur inter *PP. Societatis*, & *Recentiores Thomistas*, est, quòd illud antecedens actum

actum læderet libertatem ; ergo per nostram sententiam magis explicatur libertas, quàm per prædeterminationem physicam.

6 Prob.2. Maior vnitas est maior cōcordia; quia concordia dicit formaliter conuenientiam; & vnitas, seu identitas est summa conuenientia; quæ consistit in eo, quòd in nullo differant, aut disconueniant; sed nostra sententia ponit identitatem, seu vnitatem gratiæ cum nostro actu libero; ergo magis explicat cōcordiam gratiæ cū libertate. Omnia patent *ex dictis in sup.art.§.4.*

7 Prob.3. De essentia actus liberi est, quòd egrediatur à potentia purè indifferenti, & indeterminata ad vnum ; in hoc enim distinguitur actus liber ab actu necessario, qui essentialiter exit à potentia ad vnum determinata ; sed prædeterminatio physica vult actum liberum exire à potentia antecedenter determinata ad vnum; ergo non saluat libertatem.

8 Si dicatur 1; quòd licèt actus liber exeat à potentia determinata ad vnum ; quia tamen talis potentia essentialiter secundùm suam entitatem est potentia etiam ad oppositum, ideo talis actus est liber ; & optimè contradistinguitur à necessario ; qui exit à potentia entitatiuè determinata ad vnum.

Contra est; nam actus indeliberatus, quamuis exeat à potentia entitatiuè ad vtrunliber, quia tamen ex defectu indifferentiæ iudicij censetur determinata ad vnum, ideo talis actus est necessarius, non liber; hinc dicimus, quòd si voluntati proponatur obiectum sub ratione mali simul, & boni, voluntas liberè tendit; at si proponatur determinatè solùm sub ratione boni, vt proponitur Deus Beatis, voluntas necessariò tendit; ergo si determinatio, quæ prouenit à iudicio intellectus, quod est extrinsecum voluntati, sufficit, vt voluntas eliciat actum necessariū; quia illam determinat ad vnum tantùm, non obstante, quòd voluntas secundùm suam essentiam sit potentia etiam ad oppositum ; multò magis determinatio, quæ prouenit ab auxilio intrinsecè informante ipsam voluntatem, & determinante ipsam ad vnum tantùm, sufficit, vt voluntas necessariò agat, non obstante illius indifferentia entitatiua. Hæc ratio videtur conuincens.

9 Si dicatur 2; quòd cùm Deus contineat nedum actum voluntatis, sed etiam modum ipsius, qui est, quòd liberè fiat; ideo potest nedum illum producere, sed etiam facere, vt liberè fiat.

Sed contra est; quia hoc incidit in nostram sententiam; nam ex hoc non sequitur, quòd producat aliquod in voluntate creata antecedens actum, sed solùm, quòd producat ipsum actum liberum; producere autem actum liberum, non est producere aliquod antecedens, & prædeterminans voluntatem ad actum ; quia modus, seu natura actus liberi est, quòd nihil supponat in potentia indifferenti antecedens ipsum actum; habet enim actus liber ex natura sua determinare potentiam indifferētem; ergo si Deus producit actum liberum, & modum eius, ita habet illum producere, vt nihil supponat prædeterminatiuum in potentia indifferenti. Sicuti quia modus actus necessarij est, quòd exeat à potentia determinata ad vnum; ideo Deus producens modum actus necessarij, ita illum producit, vt supponat potentiam determinatam; ita à pari.

10 Tandem prob. *Concil; SS.PP; & antiqui DD.* saluant concordiam gratiæ cum libertate; quia gratia inferr solùm necessitatē consequentem, non antecedentem ; seu consequentiæ, non consequentis ; seu suppositionis, & secundùm quid, non absolutam, & simpliciter; vt patet *ex Conc. Colon. in Enchir. Christianæ Institut. de Sacram. Panit; & ex Canone Nabuc. aliàs vasis iræ §. quanuis 23.q.4; & ex Glos. ibid; & ex D. Ansel. lib. de Concordia Prædest; & Grat; & D. Damasc; & ex Boat. lib.5. de Consol. prosa vlt;* sed necessitas consequentis, aut consequentiæ, vel suppositionis, seu secundùm quid est illa, quæ importatur ab actu, qui consequitur, & qui supposito, quòd sit, necesse est esse *iuxta Phil. Res ex eo, quod est, necesse est esse*; ergo sententia admittens aliquod determinatiuum antecedens actum, quæcunque antecedentia illa sit, non saluat concordiam libertatis cum gratia iuxta doctrinam *Conciliorū, SS.PP, & antiquorum DD.*

11 Obijc. 1. *Beatiss. P. Aug. de Grat; & lib. Arb. c.16.* ait: *Deus facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntat;* & *in Suppl. cont. Iul. lib.1. c. vlt.* ait; *quòd nostra voluntas præparatur à Domino*, quod repetit *de Præd. SS. c.20; & sæpe alibi* docet, *quòd Deus præmouet, & prædefinit nostram voluntatem; & de Cor; & Grat. c.11.* ait; quòd adiutorium *quo* est illud, *quo fit, vt velimus*; sed hæc non possunt intelligi, nisi ponendo aliquod auxilium supernaturale in voluntate antecedens actum liberum; ergo prædeterminatio physica est ad mentem illius.

Resp. hoc arg. solutum fuisse *art.1. §.2. à n.27.* vsque *ad 32; & n.50; & 51.* Dicitur ergo Deus præbere vires efficacissimas voluntati ad ad tendendum in Deum, & ad exercenda opera virtutum, & studia pietatis, quatenus tribuit ipsum velle, quo accenditur, & inflammatur voluntas tanto spiritu amoris, vt ex ipso prouenniant fructus bonarum operationum, quibus implentur mandata Dei, vt *in iustificationibus eius ambulemus*. Sic dicitur præparari, & prædefiniri voluntas per ipsum actum amoris inspiratum, vt est actus primus, & vt efficacitet mouet ad tendendum in Deum, & ad exercenda opera virtutum; vnde sicuti forma, vt est actus primus, dicitur præparare, & disponere, seu complere, quod idem est, ac prædefinire subiectum in ordine ad operandum; ita amor Dei supernaturalis, qui est forma informans voluntatem, dicitur illam præparare, disponere, & prædefi-

definire, seu complere in ordine ad suas operationes. Præterea rectè dicitur causam superiorem præmouere, præparare, & prædefinire causam inferiorem ad agendum per ipsum motum, seu actionem productam in illa, quatenus causa superior pro aliquo priori naturæ producit in inferiori ipsum motum, seu actionem, qua causa inferior agitur, & mouetur à superiori; & in hoc sensu intelligendus est *Beatiss. P.* vt explicatum est *in sup. art.* §. 3; in quo sensu non negamus præmotionem physicam, quæ sic accepta non ponit in voluntate aliquid antecedens actum prædeterminans voluntatem ad actum proprium ipsius voluntatis; vti illam admittunt *Thomistæ Recentiores*, contra quos agimus.

12 Inst. Ille actus, prout inspiratus à Deo, antecedit in voluntate se ipsum; prout elicitur ab ipsa voluntate; ergo ille actus, prout elicitur à voluntate, supponit ipsam voluntatem determinatam à se ipso, prout est inspiratus à Deo; & per consequẽs prædeterminatio voluntatis non lædit libertatem actus.

Resp; quòd cùm ille actus, prout inspiratus, & prout elicitus non sit, nisi vna, & eadem entitas secundùm duplicem respectum, quorum vnus est prior alio; ideo quamuis secundùm vnā rationem supponat se ipsum determinantem voluntatem, non tamen læditur libertas sui ipsius secundùm aliam rationem; quia semper verum est, nihil distinctum realiter ab entitate illius actus supponi in voluntate illam determinans; vnde illa entitas immediatè recipitur in potentia indifferenti, per quod saluatur libertas actus. Sicuti volitio, qua quis vult exercere opus alicuius virtutis, v.g. Eleemosinæ, vel Pœnitentiæ, supponit in ipsa voluntate amorem Dei, quo determinatur voluntas, & qui est radix, à qua dimanat tale opus; & tamen non læditur libertas talis operis, quia est eadem entitas actus, qua amamus Deum, & qua exercemus opus illius virtutis propter amorem Dei; ita à pari. Igitur in forma dist. 2. con. Prædeterminatio voluntatis ponens in ipsa solam entitatem actus liberi non lædit libertatem; conc; ponens in volantate aliquam entitatem distinctam ab entitate actus, neg.

13 Obijc. 2. Habitus charitatis determinat voluntatem antecedenter ad actum, & tamen non lædit libertatem ipsius actus; ergo licèt prędeterminatio physica ponat in voluntate aliquod antecedens actum, & determinans voluntatem, attamen non lædit libertatem actus.

Resp. neg. 1. part. ant. habitus enim charitatis datur voluntati per modum potentiæ, seu virtutis distinctæ realiter ab actu, & ideo non determinat voluntatem, cùm determinatio fiat solùm per actum. Verum tamen est, quòd habitus charitatis facit ipsam voluntatem inclinare, propendere, & pronam esse ad eliciendum actū cum magna dulcedine, & suauitate; ab hac tamen inclinatione, propensione, & pronitate, ac facilitate ad agẽdum non determinatur voluntas; sicuti voluntas habens aliquem habitum naturalem, vel virtuosum, quamuis continuò inclinetur ad actum, non tamen dicitur actu determinata, nisi quando habet illum actum; aliter voluntas vitiosa semper inclinans ad actum peccaminosum, dum habet talem habitum vitiosum, nunquam posset suspendere exercitium talis actus, & nunquam posset manere indifferens, quod est communiter falsum; nam voluntas, dum est in pugna erga duos actus oppositos, quamuis secundùm se ipsam magis inclinet ad vnum, quia tamen ab illo retrahitur ab aliquo motiuo, vel timoris, vel spei, censetur semper indifferens. Præterea intellectus habens habitum Fidei non est determinatus ad actu cognoscẽdas veritates Fidei, nisi cùm actu illas cognoscit; aliter, cùm in dormiẽte sit habitus, dormiẽs actu cognosceret, quod est falsum; quia in dormiẽte sopiūtur omnes operationes; ergo habẽs habitum charitatis nõ est actu determinatus ad actum amoris; sed solùm habet potentiā proximam elicitiuam actus amoris, quæ relinquit indifferentiam in voluntate; & ponit in ipsa solùm virtutem elicitiuam actus, à quo potest determinari. Sed quid dicendum sit de habitibus supernaturalibus, suo loco erit sermo.

14 Obijc. 3. Hæc doctrina repugnat ijs, quę tradita sunt à nobis *To. 1. q. 3. Proem. art. 9. n. 4*; vbi dictum est, quòd *actus supernaturalis essentialiter supponit habitum supernaturalem, à quo essentialiter dependet in fieri*; ergo *hic* sequitur manifesta contradictio.

Resp; quòd ibid. agebamus contra *Recentiores* admittentes habitus supernaturales posse produci à creatura, & non infundi à solo Deo; & simul admittentes ad actum supernaturalem necessariò prærequiri habitum; vnde ad hominem hac secunda proportione, quæ est illorum doctrina, & ab illis assumpta, licèt non nostra, optimè arguebamus ad destructionem primæ propositionis; *hic* enim est proprius modus arguendi ad hominem; quo sæpissimè vtitur *Beatiss. P. cont. Aduersarios* assumens propositiones ab illis concessas, quas tamen ipse alibi negat, & ex illis deducens intentum, quod *ibidem* proponit. Nec erat ille locus explicandi hanc sententiam, quæ tam multa requirebat, vt exposuimus *in sup. art*; & leuiter illam insinuare non erat satisfacere; imò erat assumere aliquod, quod ab omnibus ferè *Recentioribus* reputatur falsum; ac propterea debuimus *ibid.* ab hac sententia omnino abstinere.

15 Ratio autem; quare per actum naturalem possit produci habitus naturalis, per actum verò supernaturalem nequit produci habitus supernaturalis, assignata fuit *To. 1. de Inuisib. q. 2. art. 1*; nam habitus naturalis nihil aliud est, quā facilitas quædam resultans in potentia ex frequen-

quentatione actuum, per quam facilitatem potentia, quæ secundùm se proximè potens est elicere talem actum, fit prona, & propensa; vnde habitus non est aliqua potentia, sed aliquod superadditum potentiæ ab ipso actu; at verò habitus supernaturalis est simpliciter potentia, vt *ibid.* probauimus; potentia autem nequit produci ab actu; quia licèt homo mediante intellectu possit producere intellectionem; & mediante intellectioni s repetitione facilitatem ad intelligendum, quæ est aliquid superadditum potentiæ intellectiuæ; attamen mediante intellectione nequit producere potentiam intellectiuam; ergo habitus charitatis, quia est potentia, nequit produci per actum charitatis; & in hoc sensu verum est; quòd omnis actus supernaturalis, qui est per habitum, essentialiter supponit habitum supernaturalem, à quo dependet in fieri; non tamen valet, quòd omnis actus supernaturalis generaliter loquẽdo supponat habitum; nam motiones, quæ fiunt ante conuersionem peccatoris, sunt supernaturales, & tamen in illo non est habitus charitatis. *Sed de hoc suo loco.*

Ceteræ obiectiones *vid. in sup. art.* §. 2.

ART. III.

Reijcitur prædeterminatio moralis, seu physicomoralis.

1 AVctores 3. *sent.* relati *art.* 1. §. 1. volunt Deum solùm moraliter prædeterminare nostram voluntatẽ; & fundant suam sententiam in doctrina *Beatiss. P. Aug;* qui pluribus in locis videtur constituere gratiam efficacem in quadam delectatione moraliter trahente, alliciente, suadentẽ, & suauiter mouente ad actum. Hoc probant præcipuè *ex Tract.* 26. *in Io;* vbi habet: *Ramum viridem ostendis oui, & trahis illam; nuces puero demonstrantur, & trahitur; & quia, quò currit trahitur, amando trahitur; cordis curriculo trahitur;* Et *lib. de Spir; & lit. c.* 29. *Inspirata gratiæ suauitate per Spiritum Sanctum facit Deus delectare plus, quod præcipit, quàm delectet, quod impedit;* Et *lib.* 2. *de peccator. merit; & remiss. c.* 17. *Vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adiuuat voluntatem;* Et *c.* 19. *Intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicuius operis iustitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, vt cognoscant, non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebræ eorum, & suauitatem, qua det fructum suum terra eorum.* Idem repetit *de Cor; & Grat. c.* 2; Et *lib.* 2. *ad Bonif. c.* 9. *Benedictio dulcedinis est gratia Dei, qua fit in nobis, vt nos delectet, & cupiamus, hoc est amemus, quod præcipit nobis;* Et *serm.* 17. *de verbis Apost. Non amamus, nisi quod delectat;* quod habet *sæpe alibi.*

Sed *isti Auctores* inter se diuisi sunt; *aliqui* enim dicunt hanc prædeterminationem moralem consistere in sola allicientia actiua obiecti nihil ponente in voluntate prædeterminatiuum ad actum. *Alij* verò volunt ponere in voluntate qualitatem supernaturalem, qua ita delectatur, & mouetur adeò suauiter volũtas, vt indeclinabiliter, & infallibiliter prorumpat in actum liberum. *Ita communiter nostri Auctores.* vt videre est *apud nostrum Lafosse hic q.* 6. *c.* 7. Vt autẽ appareat mens *Beatiss. P.;* & nostra sententia amplius roboretur.

2 Not; quòd obiectum in tantùm allicit nostram voluntatem ad tendendum in se ipsum, in quantùm in illa producit quoddam pondus, per quod voluntas inclinatur in illud; nam vsquedum voluntas non est inclinata ad tendendum in ipsum obiectum, non dicitur allecta, attracta, & mota; sicut autem motus in corporibus est à grauitate, quæ format pondus in illis; ita motus in voluntate est à grauitate, seu pondere, quod immittit obiectum in illam; istud autem pondus nihil aliud est, quàm amor ipsius voluntatis *iuxta Beatiss. P. Amor meus pondus meum,* ergo si obiectum producit pondus in voluntate, per quod illum inclinat in se ipsum, producit in illa amorem.

3 Delectatio autem vel est passio amoris, quocunque modo distinguatur ab illo; vel est idem cum illo; de eo enim propriè delectamur, quod amamus; sicut de eo tristamur, quod odio habemus; ergo obiectum alliciens voluntatem ad delectabiliter operandum, producit in ipsa delectationem, & per consequens amorem, ad quem sequitur delectatio, vel cum quo identificatur. Quantò autem maior est amor, tantò maior est delectatio, quæ ad illum sequitur, & commensuratur cum illo.

3 Igitur docet *Beatiss. P. locis laud;* quòd Deus infundẽdo in nostram voluntatem actum amoris Dei illam intensè inflammantis, facit, vt voluntas operetur actus virtutum cum magna delectatione, suauitate, & dulcedine; superando omnes arduitates, quas habet voluntas in exercendis operibus virtutum, & implendis præceptis; nam *ardua nescit amor;* vincendo omnes tentationes Diaboli; amores, terrores, & errores huius mundi, vt colligitur ex *eod. de Grat; & lib. Arb. c.* 17. vbi ait: *Sarcina quippe illa, quæ infirmitati grauis est, leuis efficitur charitati.* Et infra. *Istam charitatem, idest Diuino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus Rom.* 8. dicit: *Quis nos separabit à charitate Christi; tribulatio, an angustia, an persecutio &c.* Quibus verbis expressè docet charitatem, *idest Diuinum amorem inflammantem voluntatem* reddere omnia facilia, delectabilia, & suauia. Idem docet *de Corr; & Grat. c.* 12. *Tantùm quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint;* quo nihil clarius haberi potest;

iest, nam ratio, cur possint vincere tentationes, est volitio, qua acceditur voluntas; hoc enim sonant illa verba; *ideo possint, quia sic volunt*; & hæc volitio est à Deo producta in voluntate; & hoc habent ea verba: *Ideo sic velint, quia Deus operatur, vt velint*. Idem docuerat *ibid.* superiùs dicens: *Maior quippe libertas est necessaria aduersùs tot, & tantas tentationes &c; vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus*. Vbi nomine libertatis intelligit actum liberum, quo firmatur libertas in bono, qui actus est bonum velle inspiratum à Deo; vt docet *in toto illo capite, & alibi*. Tandem facit nostram voluntatem delectabiliter, suauiter, & dulciter agere; quia facit eam ex nolente volentem; facere autem volentem est facere voluntariè agere; & facere voluntariè agere est facere delectabiliter agere; quia voluntas eò magis delectatur, quò magis volontariè agit. Itaque explicata mente, & doctrina *Beatiss. P.*

4 Vnica concl. Gratia efficax non consistit in sola prædeterminatione morali, aut physicomorali.

5 Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. in Suppl. cont. Iul. lib. 2. c. 157. Ammoneo, vt intelligatis, cui gratia sitis inimici negando operari Deum voluntates in mentibus hominum, non, vt nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant. Non sicut facit Doctor homo, docendo, & hortando, & minando, & promittendo in sermone Dei, quod frustra fit, nisi Deus intus operetur, & velle*. Quibus verbis apertè impugnat sententiam oppositam; potest autem sic efformari ratio. Gratia Dei, cui *Pelagiani* erant inimici, (postquam enim *in Conc. Palest.* coacti sunt admittere gratiam, concedebant solùm gratiam externam, vt videre est *apud Beatiss. P. lib. de Grat. Christi*,) & quam commendat *Apostolus, & post Apostolum eius Alumnus Augustinus*, consistit in operatione interna, scilicet in actuali dilectione Dei super omnia intus in nobis producta; ergo non consistit in allicientia morali merè extrinseca obiecti nihil ponente intrinsecè in nostris voluntatibus; vel in aliqua qualitate interna moraliter prædeterminante nostras voluntates ad ipsam dilectionem Dei. Præterea illud, quod reddit suaues etiam sæuissimas persecutiones, est charitas Christi, seu amor Dei ardentissimus, vt docent *Apostolus, & Augustinus vbi sup. de Grat. & lib. Arb. c. 17*; sed charitas Christi, seu amor Dei non est aliquod extrinsecum se tenēs ex parte obiecti; neque est aliquod præuium ad ipsum amorem Dei; aliter idē praeiret se ipsum; ergo gratia actualis non consistit in allicientia merè extrinseca, vel in aliqua qualitate antecedente ipsum velle; sed consistit in ipsa actuali dilectione Dei, qua voluntas dulciter, & suauiter exercet opera quæcunque aspera, & difficilia.

6 Prob. 2. Gratia, quam docet *Beatiss. P. Mag. Frideric. Nic. Gauardi To. 2.* *facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*; vt habet *de Grat. & lib. Arb. c. 16*; & sæpè *alibi*; sed obiectum ex eo, quòd alliciat, & inuitet voluntatem, non præbet ei vires efficaces ad agendum; sicut obiectum magis lucidum magis allicit potentiam visiuam, non tamen tribuit ei, vel auget virtutem ad videndum; ergo gratia actualis mouens nostras voluntates non consistit in pura allicientia externa.

7 Præterea Deus per gratiam actualem dicitur verè, & propriè operari opera nostra, nam ait *Apostol. Deus operatur in nobis velle, & operari*; sed alliciens, & mouens tantùm moraliter non dicitur verè, & propriè operari illud opus, ad quod mouet; vt cùm Petrus mouet Paulum ad occidendum Franciscum, non occidit verè, & propriè Franciscum; sed tantùm apud hominum existimationem censetur, ac si occideret Franciscum; in hoc enim consistit causalitas moralis; ergo gratia actualis efficax non consistit tantùm in allicientia morali.

Præterea. Non potest voluntas moueri ad bona opera, nisi per motum intrinsecè receptum; motus enim, vt docent *Philosophi*, recipitur in mobili; sed *motus est actus entis in potentia, prout in potentia*; ergo voluntas mouetur per actum receptum intrinsecè in sua potentialitate passiua; sed actus receptus in potentia passiua voluntatis est ipsum velle intrinsecum; ergo gratia actualiter mouens voluntatem nequit consistere in aliqua allicientia merè extrinseca; sed consistit in ipsa actuali dilectione Dei, à qua solùm mouetur formaliter, & intrinsecè voluntas; sicut materia formaliter intrinsecè mouetur per formam; & sicuti materia tantùm efficaciter mouetur ab Agente extrinseco, & si non reciperet intrinsecè formam, quæ est suus actus, nunquam intrinsecè moueretur, seu mutaretur; ita voluntas solùm efficiēter mouetur ab obiecto extrinseco, nunquam tamen moueretur intrinsecè, nisi reciperet in se ipsa suum actum, qui est velle.

8 Tandem prob. concl. omnibus illis rationibus, quibus superiùs ostendimus gratiam actualem consistere in actuali dilectione Dei super omnia; ex hoc enim manifestè probatur non consistere in aliquo præuio siue physicè, siue moraliter prædeterminante.

9 Obijc. 1. *Beatiss. P. Aug. sup.* illud *Io. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*; explicat gratię efficaciam exemplo rami viridis respectu ouis; & nucis respectu Pueri; ergo efficaciam gratiæ constituit in ostensione, & allicientia obiecti.

Resp. malè intelligi ab *Aduersarijs* illa exempla; putant enim ramum viridē nihil producere intrinsecè in appetitu ouis; & nucem in voluntate Pueri, quod tamen falsissimum est. Sicut ergo ramus viridis producit in appetitu ouis actum sensitiuum, per quem trahit ouem ad se; & sicuti nux producit in voluntate Pueri

actum de siderij, per quem mouetur, & trahitur suauiter; ita Deus, vt summum cognitum ab intellectu,& propositum voluntati producit in voluntate amorem supernaturalem ipsius Dei,à quo volũtas trahitur ad Deum suauiter, & dulciter mota;& sic efficaciam gratiæ constituit in actu supernaturalis dilectionis Dei, quo efficaciter, & suauiter mouetur voluntas ad tendendum in ipsum per exercitia virtutum. Igitur illa allicientia, & ostensio obiecti se habet merè effectiuè extrinsecè; non autem in ipsa consistit formaliter intrinsecè gratia actualis. Ad arg. dist. cons. Efficaciam gratiæ constituit in ostensione, & allicientia obiecti causaliter efficienter extrinsecè, conc; formaliter intrinsecè, neg. Sic explicantur omnes aliæ auctoritates.

10 Fatemur igitur cum *Sanctiss.P.* nostras voluntates trahi suauiter, & efficaciter à Deo, tanquam ab obiecto summè bono, sed negamus talem tractionem, vel consistere in aliquo extrinseco, vt dictum est, vel consistere in aliquo intrinseco antecedente ipsum actum amoris; sed dicimus consistere formaliter in ipso actu amoris suauizante omnes arduitates voluntati. Insuper fatemur obiectum delectare voluntatem merè actiuè efficienter, quatenus causat in voluntate actum amoris, quo formaliter delectatur voluntas; vnde delectatio formalis, cùm sit actus voluntatis, vel sequens ad actum amoris, vel identificatus cum illo, vt dicitur communiter; & actus recipiatur intrinsecè in voluntate; apertè sequitur, quòd illa *delectatio victrix*, quam docet *Beatiss.P.* non consistit in aliquo extrinseco voluntati existente formaliter in obiecto; sed consistit in aliquo intrinseco recepto in voluntate; neque consistit in aliquo præuio ad actum amoris, sed vel in ipso actu amoris, vel in aliquo sequente ad actum amoris, quod est passio, & proprietas illius. Et ex hoc etiam reijcitur prædeterminatio moralis merè extrinseca, & physicomoralis ponens aliquod intrinsecum ad actum amoris.

Ceteræ obiectiones, quæ fieri possunt ex læsione libertatis, soluuntur ex dictis *art.*1. §.3. *n.*73. & §.4;& *inf.de Volunt.q.*4.

ART. IV.

Reijcitur decretum concomitans.

1 Adeò se implicat *Mastrius hic disp.* 3. *q.*4.*art.*8 in explicando, & statuendo decreto concomitante, vt vix quidquam determinatè reperiatur, quod possit distinctè impugnari.

Dicit 1. *n.* 166; quòd decretum Dei absolutum potest dici antecedens dupliciter. 1. Ita, vt nullo modo inuoluat decretũ volũtatis creatæ eò, quia Deus ab æterno decernat voluntatem creatam volituram in tempore hanc partẽ cõtradictionis, nihil tamen pro eo tunc intelligatur decernere voluntas creata; quæ solummodò in tempore mouetur ad idem volendum, & exequendum id, quod Deus voluit ab æterno.Et in hoc sensu decretum Dei antecedit actũ voluntatis creatæ antecedentia nedum causalitatis, sed etiam æternitatis. Hanc imaginatur esse sententiam *Thomistarum*. 2. Ita, vt inuoluat saltem virtualiter actum voluntatis creatæ; quatenus enim illam continet eminenter, potest simul cum illa decernere aliquid ita tamen, vt decretum voluntatis creatæ dependeat ordine causalitatis *à qua* à decreto Diuinæ voluntatis eò, quia Deus vult à se ipso facere, voluntatem verò creatam vult facere à Deo; hic tamen ordo prioritatis, & posterioritatis *à qua* non tollit simultatem *in qua*; propter quod, licèt decretum Dei sit prius prioritate *à qua* decreto voluntatis creatæ,attamen dicitur concomitans, non antecedens, quia est simul simultate *in qua*; & in hoc sensu admittit decreta concomitantia, in quibus vult Deum videre futura.

Sed non solùm *Thomistæ* non explicant sic decretum antecedens, sed *ipse* incidit in sententiam *Thomistarum* concedens decretum antecedens, quod negat,& negans decretum concomitans, quod concedit; & sic ostenditur.

2 Volunt *Thomistæ*, quòd decretum antecedẽs prædeterminans se teneat ex parte actus secundi; est enim actualis applicatio voluntatis ad actum secundum, eam præmouens, & determinans ad illum; vnde sicuti illud decretum prædeterminans voluntatem ad actum secundũ non prædeterminat voluntatem actu existentẽ, sed futuram;quia illud decretum est æternum, voluntas autem creata non est actu ab æterno, sed solùm ab æterno est futura; ita voluntas creata futura, vt prædeterminatur à decreto Dei,se determinat ad suum actum futurum,non quidem per determinationem actualem existẽtem; hæc enim nequit haberi nisi à voluntate actualiter existente, sed per determinationem futuram,quę potest haberi à voluntate futura; sicut determinatio actualiter existens habetur à voluntate actualiter existente; & determinatio possibilis haberi posset à voluntate possibili. Igitur quemadmodum decretum Dei est æternũ; est enim actus volũtatis Diuinæ idẽtificatus cum illa;ita voluntas futura,& eius actus determinatè futurus sunt æterni in esse futuri; & ideo falsum est, quòd *Thomistæ* doceant decretum prædeterminans antecedere æternitate actum determinatè futurum voluntatis creatæ; & per consequens remanet,quòd doceant solùm antecedere prioritate causalitatis; sed hanc antecedentiam docet *Mastrius*; ergo admittit decretum antecedens *Thomistarum*, quod impugnat.

Conf. Aiunt *Thomistæ*, quòd decretum prædeterminans voluntatem creatam causat actum illius in esse futuri; facit enim illum esse futu-

futurum; & facit voluntatem futuram liberè se determinare ad suum actum; quia causat actum, & modum actus, modus autem actus est, quòd sit à voluntate creata liberè se determinante; ergo decretum, voluntas futura, actus futurus, & determinatio futura voluntatis creatæ sunt æterna; quia constituuntur in esse futuri per ipsum decretum, quod est æternum, & ideo ab æterno cognoscuntur in decreto, vt futura. Imò addunt physicè coexistere æternitati, & ab illa mensurari tanquam à mensura aliena; & per consequens non explicant decretum antecedẽs per antecedentiam æternitatis ad determinationem liberam voluntatis creatæ; sed concedunt hoc decretum, & actum futurum liberum esse simul in æternitate; & dari solùm prioritatem causalitatis; ergo malè explicatur decretum cõcomitãs, prout contradistinguitur à decreto antecedente *Thomistarum* ex eo, quòd decretum, & determinatio voluntatis futuræ sint simul in æternitate; hoc enim idem dicunt *Thomistæ*, qui tamen nõ obstante simultate æternitatis admittunt decretum antecedens; & per consequens *Mastrius*, qui sic explicat hoc decretũ, incidit in sententiã *Thomistarum*, quã putat reijcere; & fatetur decretũ antecedẽs, quod negare præsumit.

3 Dicit 2; quòd Deus per decretum cõcomitans dicitur agere in voluntatẽ creatã volẽdo ipsam velle, & mouendo eã ad agendũ supposita lege generali, quia Deus finit causas secundas suos motus agere, vt docet *Beat.P.Aug.7.de Ciu. Dei c.30*; & per hoc, quòd detur prioritas *à qua*, sufficit ad saluãdam subordinationem causarum secundarum ad causam primam; sed *Thomistæ* nomine decreti antecedentis nihil aliud intelligunt, quàm actum voluntatis Diuinæ, quo Deus agit in voluntatem creatam volendo, seu faciẽdo, vt velit, & mouendo ad agẽdum ita, vt etiam voluntas creata agat; vt docet idem *Beatiss.P. de Corr. & Grat.c.2. Aguntur, vt agant*; & per hanc causalitatem sibi subordinando volũtatem creatam; ergo nolens vult, quod volunt *Thomistæ*.

4 Dicit 3.*art.9.n.186*.in fine; quòd loquẽdo de actibus supernaturalibus dari debent decreta antecedentia; ait enim: *Aliæ verò auctoritates non sunt ad rem, quia loquuntur de operibus pietatis, & salutis, in quibus Deus priùs operatur, quàm creata voluntas, nedum prioritate à quo, sicut in ceteris ordinis naturalis, sed etiam in quo per præmotiones gratiæ excitantis, & mouentis*; ex quibus patet ipsum negare solùm prædeterminationem quoad actus naturales, non verò quoad supernaturales; sed *hic* principaliter agitur de actibus supernaturalibus, & incidenter de naturalibus, de quibus agitur *in Phys.* ergo quoad principale intentum concordat *cum Thomistis*, & discordat solùm quoad illud, quod per accidens tangitur.

Relicta igitur hac explicatione decreti concomitantis, quæ in re illud confundit cum decreto antecedente, vt visum est.

5 Vnica concl. Decretum merè concomitans non datur.

Prob. 1. Decretum merè concomitans est illud, quod est solùm de concursu simultaneo ad actionem creaturæ, & non de influxu præuio ad ipsam actionem; sed Deus vltra concursum simultaneum, habet etiam influxum præuium ad ipsam actionem creaturæ; ergo non habet decretum merè concomitans. Ma. satis explicata est; nam decretum concomitans est illud, quo Deus decernit simultaneè concurrere ad actionem creaturæ; illud enim decretum, quo Deus decernit mouere, seu influere in potentiam, non est concomitans determinationem voluntatis creatæ, sed illam antecedens, quia habet pro termino ipsam potentiam volitiuam, quæ antecedit suam actionem, quia est causa illius, & omnis causa est prior effectu, & sicuti actio est posterior potentia, ita decretum simultaneè influẽs in actionem est posterius decreto influente in potentiam; & ideo illud decretum, quod influit in potentiã, vel quod supponit decretum de influxu in potẽtiam, nequit esse merè concomitãs; nam concomitans dicitur præcisè ex eo, quòd simul comitetur, & concurrat cum voluntate creata ad actionem illius; simul autem opponitur priori, & posteriori, vt dicitur *in Log. c. de Oppositis*. Prob. mi. Si Deus non haberet concursum præuium ad actionem creaturæ, creatura non ageret, vt mota à Deo, neque vt organum Dei, neque vt causa secunda, neque Deus vellet creaturam velle, neque haberet dominium, & potestatem in creaturam; sed consequens est contra *SS.PP.*; & contra rationem; vt ostẽdimus. *art. 1.§.2; & 3*; ergo vltra concursum simultaneũ habet etiam concursum præuium.

6 Conf. 1. Omnis causa essentialiter subordinata in agendo agit per motum in ipsa productum à causa subordinante; sicut res alteri subordinata in essendo, existit per esse productum in ipsa à re, cui subordinatur; ita enim res se habet ad agere sicut se habet esse; quia *agere sequitur ad esse*, sed voluntas creata essentialiter subordinatur Deo in agẽdo; est enim secundum agens, quod essentialiter subordinatur primo agenti; ergo agit per motum in ipsa productum à Deo; sed actio, qua producitur motus in causa, essentialiter præcedit actionem ipsius causæ, quia actio, qua producitur motus in causa, habet pro termino ipsam causam, & ideo antecedit causã; ac multò magis effectum causæ, qui est posterior causa; sicut enim, quia secundum antecedit tertium, ideo primum, quod antecedit secundũ, multò magis antecedit tertium; ita quia actio Dei antecedit voluntatem creatam in agendo, quæ est causa secunda, & voluntas creata antecedit suã actionẽ, cùm sit causa illius, ideo actio Dei multò magis antecedit actionem voluntatis creatæ; ergo Deus vltra decretum de concursu

simultaneo habet decretum de influxu præuio; & per consequens non datur decretum merè concomitans.

7 Conf. 2. Sicut se habet causa prima ad causam secũdam, ita actio causæ primæ ad actionem causæ secũdæ; causa enim specificatur à sua actione, & actio ab obiecto; quapropter dicitur, quòd causa, actio, & obiectum habent ordinem inter se; sed causa prima essentialiter præcedit secundam; ergo actio causæ primæ essentialiter præcedit actionem causæ secundæ; hinc duæ causæ partiales producentes eundem effectum, quia non habent ordinem prioris, & posterioris in agendo, ideo non habent rationem causæ primæ, & secundæ.

Vid. rationes, quas attulimus *art. 1. §. 2. & 3.*

8 Obijc. 1. *Mastrius*. Est perfectio in homine, quòd vnus simul coincidat in determinationem alterius; ergo, quod in nobis est à casu, in Deo est sine imperfectionibus casualitatis; cùm enim eminenter contineat voluntatem creatam, potest decernere simultaneè id, quod ipsa decernit absque læsione libertatis illius; & per consequens datur in Deo decretum merè concomitans.

Resp; quòd actio creaturæ, quia coincidit cum actione alterius, dicit imperfectionem nedum causalitatis, sed etiam inferioritatis, & subiectionis ad actionem causæ primæ, & ideo nequit poni in Deo, nisi absoluatur etiam ab hac imperfectione. Quòd si ponitur in Deo, vt absoluta ab imperfectione inferioritatis, & subiectionis, iam ponitur, vt actio causæ primæ, & per cõsequens, vt præuia ad actionem causæ secundæ. Dist. ergo ant. Est perfectio secundùm quid propria creaturæ, conc; simpliciter cõmunis Deo, & creaturæ formaliter, neg; actio enim Dei essentialiter habet præcedere actionẽ creaturæ. Cùm ergo id, quod ponitur in Deo eminenter, ponatur altiori, & superiori modo, ideo illa coincidẽtia in actionem non ponitur solùm simultaneè, & concomitanter, sed per prius in Deo, & per posterius in creatura. Et sic dist. conf. Quod est in nobis, ponitur in Deo sine imperfectionibus casualitatis, & inferioritatis, conc; secus, neg. Neque ex eo, quòd Deus contineat voluntatem creatam, arguitur, quòd concomitanter solùm decernat; quia continet illam, vt primum agens, & ideo quatenus agit coincidẽter cum illa, agit præuiè, non concomitanter; hoc enim est de ratione primi agentis, vt visum est.

9 Obijc. 2. Ex eo, quòd Deus est primũ ens, continet eminenter omnia alia entia, & non minùs sine illis, quàm cum illis esse potest; & ex eo, quòd sit primum efficiens, continet eminenter omnes virtutes operatiuas, quæ sunt in causis secundis, & non minùs cum causis secundis, quàm sine illis potest producere effectus illarũ, & cum earum perfectione; ergo ex eo, quòd sit primum liberum, continet eminenter omnia libera, & omnem modum agendi possibilem; & eius voluntas ex eo, quòd est infinita in genere potentiæ volitiuæ, non minùs cum voluntatibus creatis, quàm sine illis potest producere actus liberos illarum coincidẽdo in eosdẽ actus, quos liberè producerent voluntates create; & per cõsequens simultaneè cum illis producit eorum actus liberos absque læsione voluntatis createæ.

Resp. eodem modo dist. ant. Continet omne esse sine imperfectione inferioritatis, & subiectionis, & sic potest producere omnes effectus causarum secundarum sine hac imperfectione, quam habent causæ secundæ in agendo, conc; & in hoc sensu cõc. conf. Cũ imperfectione inferioritatis, & subiectionis, neg. Imò sicut ex eo, quòd omnia entia sint in Deo, arguitur quòd omnia entia, prout sunt in Deo, non sint producta ab alio, sed antecedenter ad omne illud, quod est ab alio; quia in primo ente omnia sunt improducta; ita ex eo, quòd omnes voluntates sint in Deo, arguitur, quòd prout sunt in illo, antecedant se ipsas, prout sunt ab illo, & per consequens, quòd agat præuiè, & antecedenter ad se ipsas, prout sunt ab illo; propter quod nequeunt agere purè concomitanter.

10 Obijc. 3. *Beatiss. P. Aug. de Corr. & Grat. c. 14.* docet, quòd ex eo, quòd Diuina volũtas sit infinita, continet magis in sua potestate voluntates creatas, quàm ipsæ creaturæ contineant illas in sua potestate; ergo potest velle id, quod nos volumus absque læsione nostræ voluntatis. Et *lib. 1. ad Simplic. q. 2.* ait: *Deus, vt velimus, & suum esse voluit, & nostrum*; ergo concomitanter vult cum nostra voluntate; aliter non dixisset velle nostrum partim esse suum, & partim esse nostrum.

Resp. ad 1. dist. con. Potest velle id, quod nos volumus, præuiè inspirando nostrum velle, conc; merè concomitanter, neg; docet enim semper in illis libris Deum *agere in voluntatibus nostris motum earum; facere, vt faciamus, velle, vt velimus*; quæ nequeunt intelligi, nisi præuiè ad nostras actiones. Ad 2. dicitur, quòd *Sanctiss. P.* satis apertè declarat, quòd Deus vult, vt velimus nos vocando, & nos volumus sequendo illius vocationem; patet autem, quòd vocare, & sequi nõ se habent concomitanter, sed per modum antecedentis, & consequentis. Præterea, falsum est, quòd in eius sententia nostrum velle partim sit suum, & partim nostrum; implicat enim Deum habere rationem causæ partialis; quapropter *ibid.* docet Deum efficere consensum, & nutum nostræ voluntatis; & ideo partialiter non agit; quia causa partialis non producit motum alterius causæ, neque totum producit effectum. Hinc *de Præd. SS. c. 3.* ait: *Vtrunque Dei est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrun que nostrũ, quia nõ fit, nisi volentibus nobis; & de dono Perseu. c. 6. Tutiores igitur viuimus, si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex*

parte

parte committimus, & refert D.Cypr. dicentem. *Datur totum Deo, quidquid suppliciter cum timore Dei petitur*, *ipsius pietate præstetur*; quibus verbis docemur omnem actum liberum bonum totum esse opus Dei datum ab ipso, & totũ esse nostrum elicitum à nobis;& ideo nec Deus,nec creatura ad illum partialiter concurrunt.

Præterea omnes istæ obiectiones supponunt antecedentiam causalitatis *à qua*, vt concedit *iste Auctor*,ideo nihil concludunt,vt superiùs habitum est.

ART. V.

Reijciuntur Decreta indifferentia.

1 AVctores 2; & 3. sententiæ admittunt quædam decreta,quę vocant indifferentia eò, quia determinantur à voluntate ad actum,quem voluerit; cum hoc tamen discrimine;quòd *Auctores*. 2. sententiæ illa admittunt, etiam in statu culpę. *Auctores* verò 3. sententiæ solùm ea concedunt pro statu innocẽtiæ, in quo concedunt cum *Beatiss. P.* adiutorium *sine quo non* proprium illius status fuisse vertibile, pendens à libertate,& expectãs motum voluntatis. His addnntur *aliqui Thomistæ, vt Vita, & alij*.

Quanuis autem vtraque hæc sententia ex dictis faciliter possit conuelli; attamen explicandum est breuiter, quid sentiamus de his decretis indifferentibus.

2 Decretum simpliciter potest esse indifferens. 1. positiuè contrariè ita, vt ponat aliquod in voluntate effectiuum actus boni, & actus mali;sicut decretum, quo Deus decreuit creare ipsam voluntatem creatam liberam, ponit in homine libertatem, quæ est principium actiuè eliciens actum bonum, & malum; & sicut referunt *Naturales Philosophi*, quòd ros,si cadat in Cõcham maris,generat Vnionem pretiosam; si verò cadat super trũcum marcidũ,generat fungos. Et in hoc sensu non credimus admitti *ab vllo Auctore* decreta indifferentia; quia gratia quam ponit in nostra voluntate decretum, nullo modo concurrit actiuè ad peccatum; nam, vt diximus *art.1.n.104. ex Beatiss.P. Aug.* Gratia semper *est bona, & per hanc fit, vt homo fit bona voluntatis*; aliter sicut Deus per gratiã est causa operis boni; ita per gratiam esset causa peccati; quod nullus admittit. Vnde,qui in hoc sensu impugnant decreta indifferentia incassum laborant.2.Decretum potest esse indifferens merè passiuè ita, vt non concurrat actiuè neque ad actum bonum, neque ad actum malum; & in hoc sensu etiam non loquuntur *isti Auctores*,qui docent gratiam simul cum voluntate elicere actum bonum.3. Ita,vt contradictoriè se habeat ad actum bonum, & non actum; quatenus voluntas determinando se ipsam vtitur gratia, cum qua efficit actum; non determinando autem se ipsam non vtitur gratia; quæ propterea defectu consensus, & determinationis voluntatis non agit.In hoc sensu ergo putamus *hos Auctores* vocare decreta indifferentia per indifferentiam scilicet extrinsecam voluntatis; quanuis enim gratia, quam ponit decretum indifferens, secundùm se sit determinata ad faciendum opus bonum; attamẽ quatenus est in potestate,& dominio voluntatis, eius vsus dicitur indifferens ad poni, vel non poni. Sicuti quanuis potentia visiua secundùm se sit determinata ad videndum, attamen eius vsus; quia subditur dominio voluntatis,dicitur indifferens ad poni, vel non poni; & in hoc sensu faciliter solui possunt omnes obiectiones *Thomistarum*, quas colligit *Gonet de Vol.Dei.disp.5.art.3.*

Vnica concl. Non dantur decreta indifferentia respectu actus amoris,seu volitionis propriè solius voluntatis. Hæc concl. colligitur *ex dictis art.1.§.2*;vbi potest videri esse iuxta mentem *Beatiss.P.*

Prob. concl. Tam adiutorium *quo*, seu gratia efficax,quàm adiutorium *sine quo non*, & gratia sufficiens, quæ ponuntur à Diuinis decretis in nostra voluntate, sunt ipsum velle, seu actus dilectionis supernaturalis à Deo inspiratus; ergo nequeunt esse aliquod indifferens ad talem actum, aliter idem esset indifferens ad se ipsum; & per consequens decreta, per quæ causantur tales actus, nequeunt esse indifferentia, cùm formaliter sint de ipso actu, non autem de aliquo indifferenti ad actum.*Vid.art.1.§.2.*

4 Obijc. Illud est indifferens,quod est vertibile ad hoc, & ad oppositum huius, sed adiutorium *sine quo non* erat vertibile ad tendendum, vel non tendendum in Deum; ergo erat indifferens.

Resp. dist. ma. Illud est indifferens, quod est vertibile excludendo vtrunq; conc; sic enim voluntas est indifferens,quia excludit entitatem actus, & oppositum illius. Quod est vertibile includendo entitatem vnius, & excludendo solùm oppositum, neg; actus enim liber est vertibilis de esse ad non esse, quia potest desinere esse, & tamen non est indifferens ad esse,& non esse. Adiutorium autem *sine quo non* erat vertibile solùm hoc secundo modo, quia voluntas poterat illud abijcere,non autẽ primo modo; & ideo non erat indifferens, alias obiectiones *vid. de Volunt. q.4.art.3.*

5 Hinc sequitur actus liberos nostræ voluntatis non posse à Deo cognosci in decreto indifferenti; tum quia decretum indifferens non datur; vt explicatum est; tum quia repugnat indifferens, vt indifferens est, esse medium determinatum cognoscendi aliquid determinatè; sicut enim res se habet ad esse; ita ad cognosci; sed per decretum indifferens ad ponendum,vel non ponendum aliquod futurum, non ponetur illud futurum determinatè in esse futuri; ergo decretum indifferens nequit esse medium cognoscendi determinatè aliquid futurum, sed præ-

præſcindit ab eo, quòd ſit ratio cognoſcendi, vel non cognoſcendi; ſicut præſcindit ab eo, quòd dat eſſe, vel non dat eſſe.

ART. VI.

Reijcitur futuritio obiectiua Decreti.

1 SEntentiam admittentem futuritionem obiectiuam decreti Diuini ſequuntur *Mendoza, Sua; & alij*. Vult igitur hæc ſententia, quòd decretum poteſt conſiderari dupliciter. 1. Exercitè, ſeu vt actu exiſtens. 2. Signatè, ſiue vt non exiſtens actu, ſed vt futurum exiſtere; quatenus obijcitur intellectui Diuino eius exiſtentia, non quidem vt actualis, ſed vt futura; in illo enim priori rationis, antequam actu decernat, cognoſcit Deus ſe decreturum in ſequenti ſigno rationis, cùm enim comprehendat ſuam voluntatem, conſequenter cognoſcit omnes actus, quos habitura eſt in ſigno ſequenti. Vnde ſicuti pro aliquo ſigno rationis antecedenti admittimus creaturas poſſibiles, non futuras; ita pro eodem ſigno admitti debet non eſſe decretum; quia decretum eſt in illo ſigno, in quo ſunt creaturæ futuræ; & ideo ſi non eſt actu exiſtens decretum pro illo ſigno priori, erit tamen in ſequēti ſigno, & hoc cognoſcitur à Deo, videtur, quòd pro illo ſigno decretũ ſit obiectiuè futurum, quatenus obijcitur intellectui Diuino, vt ponendum in ſequenti ſigno rationis.

2 Vnica concl. Repugnat Deum cognoſcere ſuum decretum, vt obiectiuè futurum.

Prob. 1. Repugnat decretum eſſe formaliter futurum; ergo repugnat cognoſci à Deo, vel obijci intellectui Dei, vt futurum; aliter cognoſceretur, & obijceretur ſecus, ac eſt. Prob. ant. futurum formaliter definitur: *Eſt illud, quod non eſt, & erit in aliqua differentia temporis*; & ideo importat negationẽ exiſtētiæ de præſēti cũ ordine ad exiſtentiam habendam in aliqua differentia temporis, vt diximus *q. 3. art. 2. à n. 9*: ſed decreto Diuino repugnat formaliter non eſſe cum ordine ad habendam exiſtentiam, quia hoc idem eſt formaliter, ac eſſe in potentia paſſiua ad exiſtere, vt diximus *ex Fundat. Doct. To. 1. de Subſt. Dei q. 2. art. 4.* §. 1; potentialitas autem paſſiua ex integro repugnat Deo, cui totaliter conuenit ratio actus puriſſimi; & ideo congruit ſolùm creaturæ, quæ in hoc contradiſtinguitur à Deo, quia non eſt ſuum eſſe, ſed eſt in potentia ad eſſe; ergo repugnat decretum Diuinum eſſe formaliter futurum.

3 Prob. 2. Illud, quod eſt formaliter futurum, priùs fuit poſſibile; illud enim, quod non ſupponitur poſſibile, nequit eſſe futurum; cùm valeat à priori. *Hoc non eſt poſſibile; ergo non eſt futurum*; ſed decreto Diuino repugnat poſſibilitas, quæ eſſentialiter conuenit ſoli creaturæ; ergo illi repugnat futuritio.

Conf. Repugnat decretũ Dei eſſe præteritũ, quia in Deo nihil præterit; aliter in ipſo daretur ſucceſſio, mutatio, ac viciſſitudinis obumbratio; aliquod enim in illo tranſiret de eſſe ad non eſſe, quia præteritum formaliter dicit non eſſe poſt eſſe; ergo repugnat aliquod in Deo eſſe futurum; nam futurum formaliter importat non eſſe, & poſt non eſſe importat eſſe; non minùs autẽ repugnat Deũ habere aliquod eſſe poſt nõ eſſe, quàm habere non eſſe poſt eſſe; quia ſicuti vltimũ importat mutationẽ, ſucceſſionẽ, & viciſſitudinem; ita primum importat mutationem, & reliqua, cùm mutatio alia ſit corruptiua, ſeu deſtructiua, quæ dicit tranſitum de eſſe ad non eſſe, & alia generatiua, quæ importat tranſitum de non eſſe ad eſſe; ergo ſicut repugnat Deo præteritio, quia diceret in Deo mutationem corruptiuam, vel deſtructiuam alicuius eſſe, quod eſt in Deo; ita ei repugnat futuritio, quia importaret mutationem productiuam alicuius eſſe, quod non eſt in Deo.

4 Prob. 3. Quando illud decretum obijceretur intellectui Diuino, vt ſignatè futurum, vel conciperetur ipſa voluntas Dei, vt actu determinata ad illud ponendum in ſequenti ſigno rationis; vel conciperetur, vt indifferens? Si primum; ergo daretur decretum de decreto, quia decretũ nihil aliud eſt, quã determinatio actualis ipſius voluntatis, vt patet ex ipſis terminis; & per conſequens decretum ponendum in ſequēti ſigno rationis non eſſet tantùm ſignatè, & obiectiuè futurum, ſed exercitè, & formaliter; in tantùm enim creatura dicitur formaliter, & exercitè futura, in quantùm voluntas Dei eſt determinata actualiter ad illam ponendam in eſſe pro ſequenti duratione; ita à pari, ſi pro illo priori rationis voluntas Dei conciperetur, vt actualiter determinata ad ponendum decretum pro ſequenti ſigno rationis, iam decretum ponendum non eſſet ſignatè tantùm futurum, ſed formaliter exercitè; & ſic præcluditur doctrina, & euaſio *Aduerſariorum*. Si ſecundum; ergo illud decretum nequit cognoſci, vt ſignatè, & obiectiuè futurum, cùm pro eo tunc non magis ſit futurum, quàm non futurum; in tantùm enim erit futurum, in quantùm voluntas Dei ſe determinabit ad illud ponendum, & in tantùm erit non futurum, in quantùm voluntas Dei ſe determinabit pro ſequenti ſigno ad illud non ponendum; ſed pro illo priori rationis voluntas concipitur, vt merè indifferens, & ſine vlla determinatione; ergo pro illo priori rationis decretum nequit concipi, vt ſignatè, & obiectiuè, futurum, vel non futurum.

5 Probant tandem *noſtri DD.* ſimul cum *Thomiſtis* ſic. Decretum Dei eſſentialiter eſt æternum; ergo ei nequit competere futuritio, quæ eſſentialiter eſt differentia temporis, & per conſequens conuenit ſoli rei temporaneæ.

6 Sed contra iſtam rationem inſtari poteſt. Si mundus fuiſſet ab æterno, quod non negat eſſe poſſibile *noſter Doct*; adhuc fuiſſet futurus, vt

vt docet *in 2.dist.1.p.1.q.2.art.4.§.Quòd autem tertiò*; vbi ait. *Si mundus fuisset ab æterno, Dominus fuisset ab æterno, & ante. Ipse ergo mundus fuisset futurus, tanquam in causa*; ergo futuritio non pugnat cum æternitate decreti.

Resp; quòd ad saluandam hanc rationem necesse est distinguere æternitatem à se, seu imparticipatam; & æternitatem ab alio, seu participatam. Ad arg.neg.cons; & disparitas est; quia æternitas participata dicit esse in causa, à qua participatur: & quia pro illo signo naturæ, pro quo res est in causa, dicitur non esse in se ipsa, cùm causa saltem prioritate naturæ antecedat effectum; ideo pro illo instanti naturæ mundus æternus esset futurus; at verò æternitas imparticipata dicit esse à se per exclusionem causæ, & ideo nequit concipi aliquod signum rationis, in quo sit futura, & non existens. Igitur ratio bene probat de æternitate imparticipata, quę conuenit decreto. Tum quia non repugnat creaturam æternam concipi pro aliquo signo rationis in potentia passiua ad esse; quia creatura essentialiter dicit posse esse, & non esse, & si fuisset, ab æterno, ita habuisset esse, vt semper potuisset non esse; at verò æternum per essentiam, & imparticipatè nunquam potest concipi non esse, & in potentia ad esse; & ideo creatura æterna potuisset concipi, vt futura, quia futuritio dicit potentiam passiuam ad esse; quod nequit dici de decreto.

7 Obijc. 1. In illo signo rationis, in quo amor necessarius intelligitur præcedere actum liberum, non est ille actus liber, & erit in sequẽti signo; ergo pro illo primo signo est futurus, quia illud est futurum, quod in primo signo non est, erit tamen in sequenti signo.

Conf. 1. In illo signo rationis, in quo Deus cognoscit creaturas possibiles, non futuras, comprehendit suam voluntatem; ergo videt, quid sit volitura in sequenti signo; & per consequens cognoscit decretum, vt obiectiuè futurum. 2. In illo primo signo hæc propositio est vera: *Deus decernet in sequenti signo futuritionem mundi*; ergo cognoscitur à Deo, & ideo decretum cognoscitur, vt obiectiuè futurum.

Resp. ad arg. has, & similes obiectiones procedere ex mala intelligẽtia prioritatis rationis, quæ à nobis admittitur in Deo. Igitur prioritas rationis alia est *à qua*, per quam vna ratio dicitur logicè inferri ex alia; & alia est *in qua*, per quam vna ratio intelligitur esse in aliquo signo rationis, in quo non est alia. In Deo solam prioritatẽ *à qua* admittimus, non *in qua*, vt latè probabimus *in Tract. de Trin*; & hoc modo essentialia in Deo dicuntur esse priora notionalibus; necessaria liberis; & possibilia futuris. Neg. ergo ant; si sermo sit de signo *in quo*; futurum autem debet concipi in aliquo signo *in quo* prius esse actuali, quia pro aliquo signo priori debet concipi non esse, & ideo debet dari signum *in quo* actu non est.

Ad 1. conf. neg. pariter ant; si sermo sit de signo *in quo*. Ad 2. neg. supp; quia supponit dari aliquod signum *in quo* non sit decretum. Præterea admisso etiam signo *in quo* non sit decretum, dicitur quòd illa propositio non est determinatè vera, nec falsa; quia sicuti voluntas pro eo signo concipitur, vt indifferens ad decernendum, vel non decernendum; ita decretum quod est actus voluntatis, est merè indifferens ad esse, & non esse; aliter si decretum esset determinatum ad esse, etiam voluntas esset determinata, cùm determinatio voluntatis habeatur à suo actu.

8 Inst. 1. Propositio opposita pro illo signo est determinatè falsa; quia subsequens signum declarat illius falsitatem; ergo prima propositio est determinatè vera.

Resp. eodem modo primò neg. suppositionem de signo *in quo*. 2. Illa admissa neg. ant; neutra autem ex his propositionibus est determinatè vera, vel falsa, quia sunt de subiecto omnino indifferenti ad esse, & ideo indifferenti ad veritatem, vel falsitatem, quæ essentialiter sequitur, & fundatur in esse tanquam proprietas illius.

9 Inst. 2. Si actus liberi essent in eodem signo rationis, *in quo* sunt necessarij; sequeretur, quòd Verbum procederet ex cognitione possibilium, & futurorum; in tantùm enim Verbum procedit ex cognitione possibilium, non futurorum, quia pro illo signo rationis, *in quo* concipitur generatio Verbi, concipiuntur possibilia, non autem futura; patet autem, quòd futura sunt in eodem signo, *in quo* sunt decreta, à quibus habent esse futurum; sicut possibilia sunt in eodem signo, in quo est omnipotentia, à qua habent esse possibile; sed Verbum non procedit ex cognitione futurorum; aliter esset contingẽs; ergo in illo signo rationis, *in quo* sunt actus necessarij, non sunt actus liberi.

Resp; quòd nostra sententia circa cognitionem, per quam procedit Verbum, est; quòd si procedit ex cognitione possibiliũ, procedit etiã ex cognitione liberorum, quia procedit ex cognitione comprehensiua Patris, vt æqualiter repræsentans omne id, quod cognoscit Pater; & sicut ex eo, quòd procedat ex cognitione creaturarum possibilium, non sequitur, quòd procedat, vt creatura, & vt quid possibile; ita ex eo, quòd procedat ex cognitione futurorum contingentium liberorum, non sequitur, quòd procedat, vt quid contingens, futurum, & liberum. Igitur neg. mi. *Vid. de Trin.*

10 Obijc. 2. Decretum potest concipi, vt possibile; nam decretum in illo priori non est impossibile, aliter nunquam esset actu; quia repugnat impossibile esse actu; ergo potest concipi etiam, vt futurum; quia possibile magis distat à præsenti, quàm futurum.

Resp.

Resp. possibile dupliciter dici. 1. per oppositionem ad repugnans; & sic nō excludit actualem existentiam, quia id, quod actu est, non repugnat esse; & ideo possibile est esse. 2. per oppositionem ad actualiter existens per exclusionem actualis existentiæ cum indifferentia ad illam habendam, vel non habendam. Decretum dicitur possibile primo modo, non secundo.

11 Obijc. 3. Decreta Dei non obstante æternitate possunt comparari per modum intentionis, & electionis; sed electio habet rationem futuri respectu intentionis; ergo futuritio non repugnat decreto.

Resp. 1. dist. ma. Penes diuersum signum *in quo*, neg; penes diuersum signum *à quo*, conc; sed neg. mi. quia futurum essentialiter petit signum, *in quo* non sit actu; quando est futurum, aliter nullum daretur signum, *in quo* esset futurum; nam tunc solùm est futurum, quando non est actu. 2. Dist. ma. Per modum intentionis, & electionis cū successione ipsius esse post nō esse, neg; & in hoc sensu conc. mi. Sine successione esse, conc. ma; & in hoc sensu neg. mi; & sic soluuntur omnes aliæ obiectiones huiusmodi.

12 Obijc. 4. In illo primo signo est vera hęc conditionalis: *Si voluntas Dei determinabit se creare Mundū, erit decretū de creatione Mundi*; sed tunc habetur decretum, vt obiectiuè futurum; ergo decretum potest cognosci, vt obiectiuè futurum.

Resp. illam conditionalem esse merè nugatoriam; facit enim hunc sensum: *Si voluntas decernet, decernet*; quia determinatio voluntatis idem est formalissimè, ac decretum.

13 Colligitur ex dictis Deū nō cognoscere futura cōditionata in decreto obiectiuè futuro, quia tale decretum non datur.

ART. VII.

Reijcitur veritas obiectiua rerum in se ipsis.

1 Etiam *Aliqui ex nostris*, vt diximus *art.* 1. §. 1. volunt futura cōditionata videri à Deo in eorum veritate obiectiua, quam habent in se ipsis; & quam deriuant vel ex natura contradictoriarum, quarum vna necessariò est falsa, & altera vera; vel ex suppositione euentus futuri; supposito enim, quòd v. g. *hæc res sit futura*; verum est pro omni signo antecedente; *hæc res erit futura*; propter quod ante decretum de eius futuritione trahit veritatem futuritionis formalis in se ipsa ex suppositione, quòd debeat esse futura. Quamuis autem *q.* 3. *art.* 2. *à n.* 10. hęc sententia satis improbata fuerit; attamen illam *hic* breuiter discutiēdam proponimus.

2 Vnica concl. Ante decretum res non habēt futuritionem formalem, seu veritatem obiectiuam in se ipsis.

Prob. 1. illis auctoritatibus *Beatiss. P.* allatis *vbi s.* quibus additur *lib.* 26. *cont. Faust. c.* 4; vbi ait: *Ideo nescio* (supple, an aliquid sit futurum) *quia quid habeat de hac re voluntas Dei, me latet; illud me tamen non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet*. Quibus verbis apertè docet rem habere futuritionem solùm ab actu voluntatis Dei, seu à decreto; nam si aliunde posset habere futuritionem, non recurreret ad solam voluntatem Dei, tanquam ad causam, in qua potest cognosci futuritio rei; sed per disiunctiuam diceret posse cognosci futurum vel in voluntate Dei, vel in se ipso; aliter non assignaret adæquatè medium cognoscendi futurum, quod *ibid.* inquirit.

3 Prob. 2. *ex Fundatiss. Doct. lib.* 1. *Periherm. c.* 8; *& de cog. Ang. q.* 10. *ad* 5; *& Quodl.* 6. *q.* 1. Res ante decretum non habet esse futurum, ergo neque veritatem obiectiuam futuritionis. Prob. ant. Res habet esse futurum per ipsum decretum; quia esse futurum liberè conuenit creaturæ; & quod liberè conuenit creaturæ, nequit ei conuenire, nisi ex voluntate Dei, per quam solùm Deus agit liberè ad extra; cùm libertas formaliter resideat in voluntate; vt omnipotentia, quia respicit possibilia præciso actu voluntatis, ideo necessariò, non liberè, illa respicit. Tum quia actus liber creaturæ, de quo loquimur in præsenti, est essentialiter effectus decreti, vt probatum est *art.* 1. §. 1; *&* 2; sed effectus essentialiter habet esse à sua causa; ergo res habet esse futurum solùm per ipsum decretum; & per consequens ante decretum non habet esse futurum. Prob. con. Veritas obiectiua est passio transcendentalis essentialiter sequens ad ipsam entitatem, in qua essentialiter fundatur; & ideo veritas conuertitur cum ente; ergo res, quæ non habet entitatem futuram, neque habet veritatē obiectiuam futuritionis.

Conf. 1. Si res ex futuritione, quam de facto non habet, illam tamen habebit, posset cognosci, vt obiectiuè futura; sequeretur, quòd etiam res existens in hoc nunc ex negatione existentiæ, quam de facto non habet, habebit tamen anno sequenti, posset cognosci, vt obiectiuè præterita in hoc nunc; sed hoc est falsum, aliter cognosceretur res esse, & non esse pro eodem tempore; ergo falsum pariter est primum.

Præterea. Futuritio, quæ non est, sed erit, nequit causare futuritionē sui ipsius, antequam sit actu futura; ergo neque potest causare veritatem obiectiuam futuritionis, quæ necessariò sequitur ad ipsum esse futuritionis.

Conf. 2. Implicat, quòd cōcipiatur aliquod possibile etiam obiectiuè ante omnipotentiam; quia conciperetur effectus ante suam causam, qua essentialiter est posterior; ergo implicat, quòd concipiatur futurum etiam obiectiuè ante voluntatem liberam Dei, quia esse futurum est effectus voluntatis Dei, qua essentialiter est posterius; sed voluntas libera Dei est voluntas sub decreto actuali, id enim, quod respicit voluntas ante decretum, non respicit, vt libertas, sed vt

natu-

natura; ergo implicat, quòd aliquod sit futurũ etiam obiectiuè ante decretum.

Conf. 3. Vel illa suppositio, qua supponitur rem esse futuram, supponit rem esse futuram à se; vel ab alio? Primum implicat in terminis; quod enim est à se, necessariò est; & quod futurum est contingens est; quia contingenter habet esse, cùm nõ semper existat; nã pro eo tempore, quo res est futura, non existit. Si secundum; ergo illa suppositio ita debet supponere esse futurum, vt etiam supponat causam, à qua erit; sed causa, à qua erit futurũ, est decretũ, ergo illa suppositio nedum supponit esse futurum, quod erit, sed etiam supponit decretum, à quo erit futurum; quia sicut futurum absolutè supponit decretum absolutè; ita futurum ex suppositione supponit decretum ex suppositione; aliter illæ res vel supponeretur futura ante causam suæ futuritionis, vel supponeretur futura à se; quæ repugnant.

Vrgetur ampliùs. Ille actus nequit supponi, vt futurus, antecedenter ad ipsam voluntatem creatã, quæ est causa illius; ergo neque antecedenter ad decretum Diuinum; nam decretum est causa principalior, & à qua magis dependet ille actus, quàm voluntas creata; quæ cùm agat, vt mota à voluntate Dei, minùs agit, quàm voluntas Dei, quæ simpliciter mouet.

4 Prob. 3. Vel ante decretum illa veritas obijcitur intellectui, vt determinatè futura; vel vt indifferens ad futuritionem, & non futuritionẽ? Si primum; ergo supponit aliquod decretũ; quia determinatio, & decretum idem est formalissimè. Si secundum; ergo non magis cognoscitur, vt futura, quàm vt non futura; quia indifferens, vt indifferens est, dicit entitatem essentialiter ad vtrunque disiunctiuè; siue entitatem neutram præscindentem ab vtraque parte contradictionis.

Vnde illa suppositio implicat in terminis; nam supponit aliquod, quod determinatè erit; & non supponit decretum, à quo habetur talis determinatio; nam si non haberetur à decreto, haberetur ex natura ipsius rei futuræ; quod autem habetur ex natura rei, habetur necessariò, quia natura competit rei essentialiter; & determinatio futuritionis competit rei liberè, & contingenter; ita enim est futura, vt poterit non esse futura; ergo illa suppositio repugnat in terminis.

5 Prob. 3. Deus nihil cognoscit extra se ipsũ, sed omnia cognoscit in se ipso tãquã in causa; vt probatum est *q. 2. art.* 1; sed solùm decretum liberum est causa futuritionis; ergo nullũ futurũ potest cognosci à Deo extra ipsum decretum. Vid. alias rationes allatas *vbi s.*

6 Obijc. 1. Ex suppositione euentus futuri in signo subsequenti; idest supposito, quòd aliquando verũ erit dicere: *Paulus conuertetur*; verum est dicere in signo antecedenti; *Paulus conuertetur*; quia enunciat rem sicuti est; ergo ante decretum datur veritas obiectiua futuritionis.

Conf. Ex eo, quòd *Adam* aliquando habuit esse, verificatur semper, quòd fuit, quæ veritas est per ordinem ad existentiam, quæ fuit; ergo ex eo, quòd res aliquando erit futura, in signo antecedenti verificatur, quòd erit per ordinem ad existentiam, quæ erit.

Resp; quòd sicuti euentus futurus erit essentialiter futurus per decretum, ita nequit supponi euentus futurus, nisi essentialiter supponatur decretum, à quo habet esse futurum, & sicuti præcisò decreto euentus non erit futurus; ita præcisò decreto talis euentus nequit supponi, vt futurus. Sicut si quis argueret. Ex suppositione, quòd intellectio aliquando erit, verum est dicere; in signo antecedenti intellectio erit; ergo etiã ante potentiam intellectiuam intellectio erit. Igitur sicuti non valet hoc; quia actio, quæ erit, ita erit dependenter à potentia intellectiua, tanquam à causa, à qua essentialiter dependet, vt non possit supponi intellectio, nisi supponatur potentia intellectiua, ad quam essentialiter sequitur; aliter effectus supponeretur ante causam, quod est contra omnem Philosophiam docentem, quòd causa essentialiter est prior effectu. Ita nõ valet; ex suppositione, quòd euentus sit futurus, valet in quocunque signo, quòd sit futurus; & ideo etiam in signo ante decretum; non valet, inquam; quia decretum essentialiter est causa futuritionis, quæ erit absolutè; & ideo ante decretum nequit supponi effectus futurus, quia supponeretur ante causã, ad quam essentialiter sequitur. Et sic soluuntur omnes instantiæ huius generis.

Ad conf. responsum fuit *q. 3. art. 2. n. 19. in 2. resp*; quòd sicuti præteritio *Adæ* dicitur per ordinem ad decretum Dei, quod manet, nõ per ordinem ad existentiam illius, quæ non est, & ideo nequit fundare negationem; ita à pari de futuritione.

7 Obijc. 2. Si creaturæ existerent independenter à decreto, cognoscerẽtur immediatè in se ipsis independenter à decreto; ergo non implicat cognosci in se ipsis. Prob. ant. De ratione intellectus infiniti est, quòd cognoscat omnem veritatem cognoscibilem; sed in tali casu creaturæ haberent in se ipsis veritatem cognoscibilem; ergo cognoscerentur in se ipsis. Prob. conf. Omne, quod est possibile in Deo, debet concedi de facto, quia in Deo nulla est potentialitas, cùm sit actus purissimus; ergo si in Deo est possibilis cognitio creaturarum in se ipsis, Deus de facto cognoscit creaturas in se ipsis.

Resp. neg. ant; Deus enim nequit ferri extra se ad aliquid cognoscendum, vt docent SS. PP. Ad prob. dist. ma. Omnem veritatem cognoscibilem in se ipso, conc; extra se ipsum, neg. In tali autem casu, quòd Deus non produceret creaturas, vel illas non contineret, quia conti-

nentia est ratio producendi,vt diximus *To.1.de Omnipot. Dei art.* 1; & sic eas non cognosceret, quia purissima Dei cognitio nequit ferri immediatè, nisi in obiectum purissimũ,quod est Deus. Vel eas contineret;& sic cognosceret in se ipso.

8 Obijc.3. Ex duabus contradictorijs vna est determinatè vera,altera falsa;sed in omni signo ante decretum sunt contradictoriæ istæ duę propositiones; *Antichristus erit; Antichristus non erit*; ergo ante decretum datur veritas obiectiua futuritionis.

Conf.1. Hæc disiunctiua: *Antichristus erit, vel non erit*; est vera ante decretum;quia ad veritatem disiunctiuam requiritur, quòd altera pars sit vera; in quo distinguitur à veritate coniunctiua,ad quam requiritur,quòd vtraque pars sit vera; ergo ratione talis disiunctionis potest cognosci futuritio ante decretum.

Conf.2. Propositionem esse determinatè veram, vel falsam est esse conformem, vel difformem rei significatæ; sed ante decretum hæc; *Antichristus erit*; est conformis rei significatæ; quia erit, sicut enunciatur; ergo est determinatè vera. Prob. mi. Si non esset conformis ante decretum, maximè, quia causæ non sunt determinatę ad eius productionem; sed hoc non officit,quia propositio de futuro contingenti regulatur ex conformitate,vel difformitate propositionis de inesse ita, vt illa propositio de futuro sit vera, quæ aliquando habebit veram suam de inesse, seu de præsenti; ergo ante decretum propositio est conformis rei significatæ.

Conf.3. Verum, & falsum *ex Phil. 6.Met.* sunt contraria; sed contraria in nullo signo habent medium;ergo in omni signo vna est determinatè vera, altera falsa. Tum quia veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis; sed proprietas in omni signo competit essentiæ; aliter non conuerteretur cum illa; ergo in omni signo vna est vera, altera falsa.

Resp. hoc arg.negare prorsus indifferens, cùm pro quocunque signo rationis constituat determinatè vnum, vel aliud; patet autem, quòd indifferens neque est vnum determinatè, nec aliud, quia indifferens idem est, ac indeterminatum ad esse vnum, aut aliud; & sicuti isti *Auctores* non negant indifferens ad bonitatem, & malitiam; ita neque negare debent indifferẽs ad veritatem,vel falsitatem. Igitur neg. mi;nam ante decretum *Antichristus* est merè indifferens ad esse futurum, & non esse futurum; & ideo tales propositiones non sunt contradictorię; quia non sunt de aliquo subiecto determinato ad veritatem,vel falsitatem; patet enim; quòd propositiones contradictoriæ debent esse talis naturæ, vt vna sit determinatè vera, & altera falsa; ergo de subiecto merè indifferenti ad veritatem, & falsitatem nequeunt dari contradictoriæ. Sicut si quis diceret de pariete, prout indifferens est ad albedinem, & nigredinem: *Vel est albus, vel niger*,& de nostra voluntate, prout indifferens est; *vel vult, vel non vult contradictoriè*; respõderetur enim neutrũ verum esse; quia subiectum omnino indifferens est; & ideo tales contradictoriæ sunt de subiecto non supponẽte, quia supponunt subiectum determinatum ad veritatem, quod tamen est indifferẽs.

Ad 1. conf. dicitur eodem modo, quòd illa disiunctiua de futuro nequit verificari de re merè indifferenti ad futuritionem, & non futuritionem.

Ad 2.neg.mi.Ad prob.neg.pariter mi;& ad eius prob.insertam dicitur,quòd sicut propositio de inesse non verificatur, nisi ex vi decreti determinantis illam esse; ita propositio de futuro contingenti non sit determinatè vera, & conformis suæ de inesse,nisi ex vi decreti.

Ad 3. dicitur;quòd veritas, & falsitas sunt contraria respectu propositionis determinatæ ad veritatem, vel falsitatem; non autem respectu propositionis indifferẽtis, quæ cùm præscindat à veritate, & falsitate, ideo nequit esse subiectum illarum; & per consequẽs nullam contrarietatem possunt exercere respectu illius subiecti, in quo non sunt; v.g. quia Cœlum non est susceptiuum caloris, & frigoris, ideo calor, & frigus respectu Cœli nullam possunt exercere contrarietatem. Et sic dicitur ad vltimum, quòd veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis determinatæ, non autem indifferentis; propositiones autem, quæ possunt enunciari de re ante decretum, sunt omnino indeterminatæ ad veritatem,vel falsitatem futuritionis, & solùm determinatæ ad possibilitatem.

9 Obijc. 4. Si ante decretum nihil esset futurum, Deus iudicaret nihil esse futurum, & tunc propositio affirmans aliquod esse futurum esset falsa; ergo saltem propositio negatiua de futuro contingenti ante decretum est determinatè vera.

Resp. aliquod non esse futurum sumi dupliciter. 1. indifferenter ita,vt nec sit futurum, nec non futurum, & hoc est esse merè possibile. 2. determinatè; quatenus negat solam affirmationem futuritionis, & importat determinatè negationem futuritionis. Igitur dist. ant. Deus iudicaret nihil esse futurum indifferenter,conc; determinatè,neg.

10 Obijc.5. Deus producit futura per intellectum;ergo supponitur cognoscens, antequam illa producat; nam si Pictor antequam faciat picturam, illam non cognosceret, non posset illam efformare.

Resp. neg. cons; ad cuius prob. dicitur, quòd sicut Pictor merè speculatiuè cognoscit picturam producibilem à se ipso; ita Deus merè speculatiuè cognoscit futura, quatenus producibilia à se ipso; & ideo quatenus possibilia; & sicut Pictor non cognoscit illam picturam, quam habet in mente, futuram esse,vt efformetur à se ipso, nisi accedat voluntas ipsius Pictoris determinans efformationem illius picturæ,

quæ

quæ nunquam efformabitur, nisi Pictor velit illam efformare; ita à pari.

11 Colligitur Deum non cognoscere futura conditionata in se ipsis; quia hæc veritas obiectiua, vel non est; vel si est, est dependenter à decreto.

A R T. VIII.

Reijcitur supercomprehensio voluntatis.

1 SEntentia, quam *hic* impugnabimus, ait Deum non cognoscere in comprehēsione voluntatis creatæ eius actus liberos futuros ante decretum, bene tamen in supercomprehensione. Vnde quia Deus non supercomprehendit suam voluntatem, sed solùm comprehendit, ideo nequit cognoscere suos actus futuros ante decretum; sic dicendum de Angelo respectu voluntaris humanæ. Sermo autem est de voluntate creata non quidem sumpta sine circunstantijs, cogitationibus, occasionibus, motiuis, alijsque requisitis ad agendum; sed prout his omnibus affecta.

2 Vnica concl. Deus non videt in supercomprehensione voluntatis creatæ actus liberos futuros conditionatos.

Prob. 1. Actus liberi voluntatis creatæ essentialiter producuntur in ipsa à Diuino decreto; ergo nequeunt intelligi ante ipsum decretum. Ant. probatum est *art.* 1. Prob. conf. Quia omnis creatura essentialiter producitur à Deo, ideo nequit intelligi ante ipsum Deum; tunc enim intelligeretur, vt quid indepēdens à Deo, & ideo non intelligeretur, vt creatura; quæ essentialiter dependet à Deo. Item quia actus voluntatis creatæ essētialiter producitur à voluntate creata, ideo nequit intelligi ante voluntatem creatam; tunc enim intelligeretur, & non intelligeretur, vt actus voluntatis creatæ; sed actus voluntatis creatæ essētialiter producitur, & depēdet à Diuino decreto; imò magis depēdet ab illo, quàm à voluntate creata; quia illud principaliùs causat, cùm causet per virtutem irreceptam ab alio, & per essentiam; voluntas autem per virtutem receptam, & per participationem, & ideo veluti instrumentaliter; ergo nequit intelligi ante Diuinum decretum.

Conf. Quotiescunque aliquis actus essentialiter dependet in fieri à duplici causa, quarum vna principaliter agit, altera verò, vt mota à causa principali; tunc ille actus nequit intelligi, vt productus in facto esse, nisi post actionem causæ principalis mouētis causam inferiorem ad agendum; sed actus voluntatis creatæ essentialiter depēdet in fieri à Diuino decreto, quod est causa principalis mouens voluntatem creatam ad agendum; & à voluntate creata, quæ non agit, nisi vt mota à voluntate Diuina; imò non agit, nisi per actionem in se ipsa productam à voluntate Diuina; ergo nequit intelligi, vt productus ante Diuinum decretum.

Explicatur ma. Quia primum mobile non mouet Orbes inferiores naturaliter, nisi per motū factum in ipso ab Angelo mouente; ideo nequit intelligi motus productus in facto esse in Orbibus inferioribus, nisi post actionem Angeli mouentis; ergo à pari. Tum quia nequit intelligi effectus productus in facto esse, nisi post actionem causæ minùs principaliter agentis; effectus enim in facto esse essētialiter supponit actionē, per quam fit, aliter non esset effectus; sed actio causæ minùs principaliter agentis supponit se ipsam, vt est actio causæ principaliter agentis; ergo actus productus in facto esse essentialiter supponit actionem causæ principaliter agentis. Mi. patet; quia quicunque effectus creatus essentialiter dependet à Deo, tanquam à causa prima, & principali.

3 Prob. 2. Implicat, quòd indifferens, vt indifferens, sit ratio cognoscendi determinatè illud, ad quod est indifferens; sed voluntas posita in illis occasionibus, circunstantijs, & motiuis physicis, & moralibus est essentialiter indifferens ad actum, & ad oppositum; ergo implicat, quòd sit ratio cognoscendi actum determinatè; sed illud, cui essentialiter repugnat esse rationem cognoscendi aliud, quantuncunque supercomprehendatur, nequit esse ratio cognoscendi illud, aliter non repugnaret ei essentialiter esse rationem cognoscēdi, ergo supercomprehensio voluntatis creatæ nequit esse Diuino intellectui medium cognoscendi actus liberos. Prob. ma. Indifferens, vt indifferens, est indeterminatum ad illud, ad quod est indifferens; idem enim sonat, indifferens, ac indeterminatum; sed indeterminatum repugnat esse determinatum; ergo indifferens nequit esse ratio cognoscendi determinatè illud, ad quod est indifferens; ratio enim cognoscendi requirit rationem essendi. Prob. mi. Voluntas posita in illis occasionibus, & circunstantijs adhuc est sine actu, ergo est indifferens; cùm determinatio fiat solùm per actum.

4 Prob. 3. Vel ista supercomprehensio causaret, vel supponeret cognoscibilitatem actus in voluntate creata? Non primum; quia talis sciētia in hac sententia est merè speculatiua, & ideo supponit, non causat suum obiectum. Neque secūdum; aliter talis actus cognosceretur etiam per cognitionem comprehensiuam; quia cognitio comprehensiua est illa, qua *ita cognoscit ur res, vt nihil rei lateat videntem*; idèst, vt nihil sit cognoscibile in ipsa re, quod non cognoscatur à comprehendēte, aliter non comprehēderetur res; quia non exhaurirctur adæquatè eius cognoscibilitas. Ex quo patet, quòd supercomprehensio nihil addit supra comprehensionem; & ideo luditur vocabulis.

5 Præterea. Vel hæc supercomprehensio est perfectior cognitione comprehensiua, vel imperfectior, vel æquè perfecta? Non primum;

aliter cognitio, qua comprehendit ſe ipſum, eſſet imperfectior cognitione, qua ſupercomprehendit creaturam. Non ſecundum; quia per cognitionem imperfectiorem minùs cognoſcitur; & ſic ſi per comprehenſionem non cognoſcitur actus futurus, multò minùs cognoſceretur per ſupercomprehenſionem. Neque tertium; quia per cognitionem æquè perfectam æqualiter cognoſcitur res; & ſic ſi per comprehenſionem non cognoſcitur actus futurus, neque per ſupercomprehenſionem.

6 Obijc. 1. *Beatiſſ.P. Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2.* explicans vocationē efficacē ait, ideo eſſe efficacem, quia datur modo congruo, idèſt quia Deus videt eam eſſe accommodatam tali effectui, & diſpoſitioni voluntatis, vt in ea ſit habitura ſuum effectuum; ergo Deus in voluntate ſic diſpoſita cognoſcit infallibiliter effectum, quem productura erit voluntas.

Reſp. *Beatiſſ. Patrē ibid.* docere vocationem efficacem eſſe ipſum actum voluntatis à Deo productum in noſtra voluntate; ait enim *cum Apoſt: Deus enim eſt, qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate. Vbi ſatis oſtendit etiam ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri.* Igitur etiam *hic* manifeſtè docet noſtram ſententiam, ſcilicet actum voluntatis creatæ fieri, & produci in nobis à Diuina voluntate; quid autem intelligat nomine aptitudinis, idoneitatis, congruentiæ, accommodationis, & attemperationis, infra dicemus, cùm de ſcientia media.

7 Obijc. 2. Voluntas creata poteſt ab illis circunſtantijs, & occaſionibus moueri, excitari, & determinari; ergo Deus cognoſcit actum, quem poteſt voluntas producere, vt eſt ſub illis circunſtantijs, occaſionibus &c.

Conf. 1. Deus comprehendit voluntates creatas, earum inclinationes, & ordinem omnium creaturarum ſecundarum, quæ poſſunt eā determinare, & impedire; ergo cognoſcit actū, ad quem ſe determinabit.

Conf. 2. Cognoſcens indolem Pueri cognoſcit, in quam partem liberè inclinabitur; ſicut enim cognoſcens cauſam neceſſariam à nullo impediēdam eſſe cognoſcit infallibiliter eius effectum; ita cognoſcens cauſam liberam ſub illis circunſtantijs motam, & inclinatam, ac à nullo impeditam cognoſcit infallibiliter, in quam partem liberè inclinabitur; ſed Deus cognoſcit indoles, & inclinationes omnium, ac impedimenta, quæ poſſunt contingere circa eorum actiones; ergo in voluntate creata cognoſcit actus futuros. Tum quia Angelus cognoſcit cōiecturaliter effectum futurum in voluntate hominis poſiti in illis circunſtantijs; ergo Deus cognoſcit infallibiliter, quia cognoſcit perfectiori modo, quàm Angelus.

Reſp. ad arg. diſt. ant. Voluntas poſita in illis circunſtantijs poteſt excitari, moueri, & determinari per actum productum ab obiecto efficiēter in ſe ipſa, conc; per actum non productum ab obiecto efficienter, neg. Igitur ſi ille eſt bonus ſupernaturaliter, debet eſſe productus ab ipſo Deo, & ideo nequit cognoſci ante decretum voluntatis Diuinæ.

Ad 1. conf. diſt. conſ. Cognoſcit actum à ſe efficienter productum, conc; non productum à ſe ipſo, neg.

Ad 2. dicitur, quòd cognoſcens indolem Pueri cognoſcit, an tendet in obiectum per actum productum ab obiecto in ipſa voluntate; an verò reſpuet illum actum, & non tendet? Ad id, quòd dicitur de cauſa neceſſaria, neg. paritas; quia cauſa neceſſaria eſt ad vnum determinata; & ideo non impedita producit ſuum effectum; at verò voluntas eſt cauſa indifferens; & ideo etiam non impedita poteſt liberè non ponere ſuum effectum. Præterea ſicut cognoſcens cauſam neceſſariam creatam cognoſcit ipſam agere per motum factum in illa à prima cauſa, cui ſubordinatur eſſentialiter in agendo; ita cognoſcens cauſam liberam creatam cognoſcit illam determinatè agere per motum factum in illa à prima cauſa, cui eſſentialiter ſubordinatur in agendo; non enim minùs ſubordinatur Deo cauſa libera creata, quàm neceſſaria, quia vtraque eſt cauſa ſecunda eſſentialiter ſupponens motum cauſæ primæ; in hoc autem differunt, quòd cauſa neceſſaria nequit non agere, & non poteſt reſpuere illum motum; cauſa verò libera poteſt non agere, & reſpuere illum motum, qui motus nihil aliud eſt, quàm actio, vt ſupra dictum eſt. Et ſic ad vlt; Angelus enim cognoſcit coniecturaliter, quòd voluntas hominis poſita in illis circunſtantijs non reſpuet motum factum in illa à Deo; Deus verò cognoſcit infallibiliter.

Itaque voluntas creata poſita in illis circunſtantijs, & occaſionibus, & à nullo impedita, antequam Deus producat motum in illa, eſt merè indifferens, quia non determinatur, niſi per illum motum; & ideo nequit eſſe medium cognoſcendi determinatè, & per conſequens ante decretum, quo Deus decernat producere talem motum, nequit cognoſcere illum motum determinatè, qui motus non eſt, niſi actus; ſuppoſito autem tali motu, neceſſariò ſupponitur decretum de tali motu, quia ſuppoſito effectu, neceſſariò ſupponitur cauſa, à qua ille eſſentialiter dependet; ergo actus voluntatis creatæ cognoſcitur à Deo poſt decretum.

8 Obijc. 3. Voluntas, vt præmota à Deo, adhuc eſt indifferens ad ponendum, vel non ponendum effectum; aliter tolleretur libertas, & tamen Deus in illa cognoſcit infallibiliter effectum futurum; ergo cauſa indifferens poteſt eſſe medium cognoſcendi determinatè.

Reſp. neg. ant; nam vt dictum eſt *art. 1. §. 4.* determinatio, quæ prouenit ab actu, non lædit libertatem.

Obijc.

9 Obijc.4. Voluntas posita sub tentationibus vehementibus vix potest resilire,& nunquã resistit per se ipsam; ergo etiam præcisa motione facta à Deo cẽsetur moraliter determinata.

Resp.ommissa responsione *Thomistarum* asserentium determinationem moralem non sufficere ad infallibilitatem scientię Dei,quæ est infallibilis, nedum moraliter,sed etiam metaphysicè; nam infallibilitas moralis compatitur secum fallibilitatem methaphysicam, quia voluntas moraliter determinata, licèt nunquam resiliet, attamen non implicat eam resilire; & ideo non implicat falli scientiam. Ommissa inquam hac responsione dicitur, quòd voluntas posita sub tentationibus vehementibus physicè actuatur ab obiectis peccaminosis,quæ illi præsentantur ab intellectu; & ideo physicè est determinata per actum, vt qualitas est, cui per se ipsam non potest resistere, nisi adiuuetur à gratia Dei inspirantis actum dilectionis Dei, per quem expellitur illa qualitas actus peccaminosi. Hinc docet *Beatiss. P.* quòd voluntas per se ipsam potest consentire ad malum; ad bonum autem,nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.

10 Obijc.5. Dæmones per vires naturæ possunt efficere opera bona, cùm naturalia in illis remanserint integra; nunquam tamen illa efficient, quia vrgentur, & determinãtur grauissima tentatione, & inflexibili inclinatione ad malum; ergo voluntas, vt subiacet tentationi, est medium cognoscendi determinatè effectus futuros.

Resp. eodem modo,quòd voluntas Dęmonum dicitur inflexibilis, quia semper adhæret actui malo,quem semel concepit.

11 Obijc.6. Deus non cognoscit coniecturaliter actus liberos voluntatis creatæ; ergo cognoscit infallibiliter;aliter si nullo modo cognosceret, esset inferioris conditionis,ac Angelus, qui illos cognoscit coniecturaliter.

Resp.dist.conſ.Cognoscit infallibiliter post decretum,conc; ante decretum, neg. Sic Angelus non cognoscit actum voluntatis creatæ, nisi post decretum.

12 Inst.Angelus non cognoscit decretum; & tamen cognoscit futura coniecturaliter; ergo illa non cognoscit ex vi decreti.

Resp.dist. ant. Non cognoscit decretum coniecturaliter,neg; eadem enim ratione debet cognoscere decretum,ac ipsum futurum;cognoscit enim euidẽter tale futurum non posse esse in voluntate creata, nisi per motum factum à Deo in illa,& ideo sicuti cognoscit existentiam illius futuri coniecturaliter,ita cognoscit existẽtiam decreti coniecturaliter; & sic illud futurum cognoscit ex vi decreti. Non cognoscit infallibiliter,conc.

13 Quantùm autem ad sententiam *Raynaudi* asserentis Deum explorare, quid esset factura voluntas creata in illis circunstantijs, si se sola absque concursu Dei agere posset;dicimus quòd hæc sententia est omniuo improbabilis, quia fundatur in falso supposito, nempe quòd voluntas se sola agere posset; videtur enim proscripta *à Conc. Araux. II. à Fel. IV. approbato Can.* 4; vbi dicitur. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, anathema sit*. Tum quia si se sola relinqueretur, ad malum sibi sufficeret, non autẽ ad bonum; tum quia si se sola posset agere, non esset ampliùs causa secunda, neque creata, quia non subderetur Deo in agẽdo. Tandem improbatur alijs rationibus, quibus improbatæ sunt superiores sententiæ.

ART. IX.

Reijcitur cognitio futurorum in Idæis ante decretum.

1 Diximus *art*. 1.§.1.*n*.3. ab aliquibus referri *Fundatiss.Doct. Aegid.* pro sententia asserente futura cognosci in Idæis ante decretum,vt autem falsitas huius appareat.

Vnica concl. Deus non cognoscit futura, vt futura,in suis Idæis ante decretum,sed solùm post decretum. *Ita B.Doct.in* 1.*dist*.36.*princ*.2. *q*.3;vbi ait: *Si consideretur Idæa,prout per eam res Deus producit,vel producere disposuit,sic pertinet ad scientiam practicam actu; si verò accipitur Idæa, non vt per eam res Deus producit, vel producere disposuit, sed producere potest,sic pertinet ad practicam cognitionem,non actu,sed virtute.* Vbi notanda sunt illa verba *Producit,vel producere disposuit*; nam per illud verbum *producit* significatur res existens; & per illa verba *producere disposuit* significatur res futura; quia disponere significat propositum liberum voluntatis, quod idem est, ac decretum; nomine enim decreti intelligimus actum liberum volũtatis Diuinæ. Et notanda sunt illa verba: *Pertinet ad scientiam practicam actu*; *& virtute*; cognitio enim practica *ex eodem* supponit decretũ,quia intellectus solùm extensione ad actũ voluntatis fit practicus;vt docet *in* 1.*dist*.38.*princ*.1.*q*.1.*in fine corp*.Hinc *dist*.39.*princ*.1.*q*.2.*ad*.2.ait: *Idæa in Deo non solùm pertinent ad scientiam speculatiuam,sed etiam ad practicam,& secundum quod pertinent ad scientiam practicam, sunt quodammodò subiectæ libertati voluntatis*. Ex his euidẽter colligitur eius mentem esse, quòd futura cognoscuntur in Idæis per cognitionem supponentem decretum voluntatis Diuinæ; possibilia verò, quæ non sunt actu futura, possunt tamen fieri futura, cognoscuntur per cognitionem actu speculatiuam, virtute tamen practicam, quia talis cognitio accedente decreto voluntatis potest fieri actu practica. Hinc coucludit; quòd Idæa, cùm sit ratio factiua rerum Idæatarum, magis propriè pertinet ad scientiam practicam actu, quę sola est causatiua rerum, quod nequit esse, nisi ex coniunctione ad decre-

eretum voluntatis; & minùs propriè pertinet ad scientiam speculatiuam, quia illa nõ est causatiua actu,sed tantùm virtute. Idem docet *in Defens.1. p. art. 3; & in Opusc. de Laud. Diuinæ Sap.c.16;* & sępe alibi.

2 Prob.1.ratione. Præciso decreto actus liber non est futurus; ergo non cognoscitur in Idæis ante decretum. Ant.patet ex dictis hucusque;nam actus liber non habet esse futurum in voluntate creata,nisi in illa producatur à Diuino decreto. Conf.patet;quia cognosci sequitur ad esse;aliter cognosceretur id,quod non est.

3 Prob. 2. Si Idææ repræsentarent futura ante decretum liberum Diuinæ voluntatis, repręsentarent naturaliter,& necessariò,nõ liberè, & contingenter;quia omne illud, quod antecedit liberum decretum Dei, est naturale, & necessarium; non enim habet, à quo desumat libertatem,& contingentiam;quia hæc desumitur solùm ab actu libero existente in voluntate; quæ est forma denominans omne liberum; sed futura nõ sunt entia necessaria; ergo nõ possunt repræsentari ab Idæis ante decretum; aliter repræsentarentur secus, ac sunt, & falsò cognoscerentur.

Vid.aliæ rationes adductę *in sup. Articulis.*

4 Obijc.1.Idæa pertinet nedum ad scientiã practicam, sed etiam ad speculatiuam, vt habet *B.Doct;* sed per scientiam practicam in Idæa cognoscũtur futura;ergo & per speculatiuam,quę antecedit decretum.

Conf.Idææ ante decretum sunt infinitę in repræsentando; ergo ante decretum repræsentant nedum possibilia, sed etiam futura; nam si non repręsentarent futura, posset illis addi perfectio repræsentandi futura; & sic non esset infinita.

Resp.dist.ma.Pertinet ad scientiam practicam,& speculatiuam sumpta eodem modo,neg; diuerso modo, conc; nam pertinet ad scientiam practicam,prout supponit decretum; & ad speculatiuam,prout antecedit decretum.

Ad conf.neg.conf; ad cuius prob. insertam dicitur, quòd ex eo, quòd per decretum addatur repræsentatio futurorum, non additur noua perfectio,quia additur tantùm modus repræsẽtandi res, quem non habebat ante decretum; modus autem non est perfectio, quia perfectio sumitur ab esse,seu entitate,non à modo. Sicuti ex eo, quòd voluntas Diuina decreuerit creare Mundum, non addita est illi perfectio; nam si decreuisset illum non creare, caruisset hac perfectione;quod est falsum *apud omnes*, vt infra *in Tract. de Vol. Dei q.* 2; vbi de actu libero agemus. Nec ex eo,quòd Idæa non repræsentet futura ante decretum,sequitur, quòd non sit infinita in repræsentando;repræsentat enim omne repræsentabile;futurum autem,cùm non sit,non est repræsentabile.

5 Obijc.2.Idæa est attributum Dei,vt *infra* videbimus; sed omne attributum est necessariũ, non liberum,ergo Idæa repræsentat necessariò, non liberè.

Resp. hoc nimis probare; nam etiam voluntas est attributum Dei, & tamen non sequitur, quòd omnia ea, quæ vult, necessariò velit; ergo neque sequitur ex eo, quòd Idæa sit attributum necessariò competens Deo, necessariò repræsentare; ita enim se habet Idæa in ordine ad repræsentandum, sicut voluntas in ordine ad volendum. Igitur dist.mi. Omne attributum est necessariũ quoad inexistentiam in subiecto, cõc; quoad obiectum, quod respicit extrinsecè, neg.

6 Obijc. 3. Repræsentare pertinet ad perfectionem intellectus Diuini;sed intellectus non est formaliter liber; ergo Idæa repræsentat naturaliter,non liberè.

Resp. dist. ma. Pertinet ad perfectionem intellectus speculatiui,vel practici,conc; speculatiui tantùm,neg;& sic dist.mi. Intellectus speculatiuus,cõc; intellectus practicus,subdist;non est liber ratione sui,cõc;ratione actus liberi voluntatis,cui coniungitur,neg.

7 Obijc. 4. Idæę repræsentant creaturas, quatenus diuersimodè imitantur Diuinam essentiam; sed ante decretum Diuina essentia est imitabilis à creaturis possibilibus, & futuris; quia creaturæ possibiles illam imitantur potentialiter, & quantùm ad essentiam ipsarum creaturarum; futuræ verò illam imitantur, quantùm ad existentiam,quam aliquando habebunt;ergo ante decretum Idæę repræsentant etiam futura.

Resp.neg.2. part.mi; quia ante decretum futura non sunt futura,& ideo nequeunt imitari Diuinam essentiam; sicut si creaturæ non essent possibiles,non possent illam imitari;aliter etiam nihilũ posset imitari ens,quod nullus diceret;& per hoc patet ad prob. insertam; nam si futura non sunt futura, nequeunt imitari essentiam Diuinam.

ART. X.

An Præscientia ante decretum sit ad mentem Beatiss.P. Augustini?

1 REm cum *Domesticis* principaliter aggredimur;nam quòd *Alieni* studeant suam firmare sententiam auctoritate *Beatiss. P;* laus doctrinæ est;quæ ob suam Maiestatis excellentiam plures continet sensus, quibus plures, ęque diuersæ probari possunt opiniones. Quoniam igitur *plures ex nostris DD. Sapientissimi*, quos retulimus *art.1.§.1.n.3,*contendunt scientiam ante decretum esse iuxta mentem *Beatiss. P;alij* quidem in vtroque statu, scilicet innocẽtiæ,& culpæ; quibus recenter adhæsit *Thyrsus To.1. disp.16. sect.2;* alij verò solùm in statu innocentiæ; ideo contra ipsos veram intelligentiam Doctrinæ *Sanctissimi P.* aperire satagimus.

2 Dicunt ergo 1; quòd scientia actus futuri ante decretum potest esse dupliciter. 1.Ita,vt ille actus

le actus præuideatur futurus fine gratia Dei per solas vires arbitrij; & hic sensus est falsus, ideo est abusus huius præscientiæ, quia malè vtitur hac scientia, quæ non respicit actum futurum independenter à gratia Dei, sed illum respicit sub gratia indifferenti, seu sufficienti, cui potest cōsentire, & dissentire volūtas. In hoc sēsu admittebatur (inquiunt) præscientia *à Pelagianis* & in hoc sensu reijcitur *à Beat.P.Aug*; qui propterea reijcit solùm malū vsum huius scientię, nō autē reijcit illam quoad suam substantiam. 2. Ita, vt ille actus præuideatur, vt futurus sub gratia Dei indifferenti, & determinabili ab ipsa voluntate quoad vsum; & hic sensus est verus, & Catholicus; admittit enim gratiam Dei præcedere quemcunque actum bonum; quod negabant *Pelagiani*, & *Semipelagiani*; propter quod damnati sunt. Hunc autē sensū verū nō improbauit *B.P.*

3 Dicunt 2. *Beatiss. P.* impugnare solùm illam præscientiam, qua Deus videt merita, vt sunt causa, quare Deus dat gratiam; quapropter continuò inculcat gratiam gratis dari; quia si datur ex meritis, non est gratia, sed iustitia, & merces. His tamen non obstantibus.

4 Vnica concl. Hæc scientia futurorum ante decretum formaliter, & secundùm suam substantiam opponitur doctrinæ *Beatiss. P.*

Prob. 1. *Beatiss. P.* docet vniuersaliter omnē actum bonum liberum voluntatis creatæ esse ipsam gratiam actualem infusam à Deo in cordibus hominū; sed gratia infusa à Deo nō habetur, nisi per decretū; est enim effectus decreti; ergo sentētia admittens præscientiā actus boni liberi ante decretū opponitur formaliter, & secūdùm substātiā doctrinę *Beat.P.* Ma. probata est fusè *ar. 1. §. 2; & seq.* Mi. patet; nā effectus, vt effectus est, essētialiter est posterior sua causa; quia essentialiter est ab illa; & quod est ab alio, essentialiter supponit illud; aliter esset à nihilo, si nihil supponeret prius se ipso. Con. optimè infertur; quia sententia secundùm suam substantiam, & rationem formalem docens actum nostræ voluntatis præcedere decretum exercitum Diuinæ voluntatis directè opponitur, & secūdùm substantiam sententiæ docenti actum nostræ voluntatis subsequi ad decretum exercitum Diuinæ voluntatis; sed sententia *Beatiss. P.* docet actum nostræ voluntatis subsequi ad decretum exercitum Diuinæ voluntatis; quia docet esse effectum illius; ergo directè opponitur secundùm substantiam sententiæ afferenti actum nostræ voluntatis antecedere decretum Diuinæ voluntatis.

5 Prob. 2. Sentētia admittens nostrū cōsensū, quē præstamus gratię Dei, prærequiri ad decretū, quo Deus decernat dare opera bona, directè impugnatur *à Beat.P*; sed sciētia futurorū ante decretū est huiusmodi; ergo directè impugnatur *à Beatiss. P.* Mi. patet. Prob. ma; nam *lib. 1. ad Simplic. q. 2*; vbi hac de re exprofessò docet suam sententiam, quam sibi reuelatam fuisse à Domino testatur *de Præd. SS. c. 4.* his verbis: *Cùm hac de re aliter saperem, quam mihi Deus in hac quæstione soluenda, cùm ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, reuelauit.* Igitur scribēs *ad Simplic*; postquam dixit: *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & operari pro bona voluntate. Vbi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri*; vbi nomine *bonæ voluntatis* nihil aliud intelligit, nisi consensum nostræ voluntatis, seu nostrum velle, quod idem est; subiungit hæc verba: *Nam si propterea solùm dictum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; quia voluntas hominis sola non sufficit, vt iustè, rectèque viuamus, nisi adiuuemur misericordia Dei; potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestū frustra nos velle, nisi Deus misereatur. Illud autē nescio, quomodò dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus; ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus. Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate. Nā si quæramus; vtrum Dei donum sit voluntas bona? Mirum, si negare quisquam audeat.* Quibus sic arguit. 1. Si sola gratia, seu misericordia Dei non sufficeret ad rectè viuēdum, sed requireretur etiam consensus nostræ voluntatis coniunctus cum gratia Dei, sequeretur posse etiam dici: *Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis*; in tātū enim dicitur: *Nō volentis est hominis, sed miserentis est Dei*; in quantùm, voluntas hominis sola non sufficit, nisi adiuuetur gratia Dei; & sic non sufficeret gratia Dei, nisi adderetur consensus hominis; & ideo posset etiam dici; *Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis*; sed hoc est contra *Apost.* docentem nostrum cōsensum esse ex gratia Dei; *Deus enim operatur in nobis, se velle, & operari*; ergo sententia admittens prærequiri nostrum consensum gratiæ Dei ante decretum directè impugnatur *à Beatiss. P.* 2. Ille consensus, quo voluntas est consensura gratiæ Dei, est effectus misericordiæ Dei nobis donatus à Deo; ille enim consensus est actus bonus nostræ voluntatis, quem *teste Apost. Deus operatur in nobis*; ergo essentialiter supponit actum voluntatis Dei; per quem solùm potest Deus illud in nobis operari; & ideo supponit decretum. 3. sic arguit. Si prærequireretur noster consensus gratiæ Dei, effectus misericordię Dei esset in potestate hominis, & frustra Deus misereretur, si homo nollet; neq; posset Deus saluare hominem, supposito, quòd homo non consentiret; sed hoc est falsum, quia ille actus, qui est effectus misericordiæ Dei, est in potestate Dei; nam est donum Dei, & donum est in potestate Donatoris, non autem in potestate illius, cui donatur; quapropter statim subiungit: *Quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in homi-*

hominis potestate, vt frustra ille misereatur, si homo nolit; ergo nō prærequiritur noster cōsensus gratiæ Dei ad hoc, vt Deus decernat dare gratiam, per quam homo operatur. Hoc arg. confirmat *in Suppl. cont. Iul. lib.2. c.154; 155; 156; & 157; & Præd.SS.c.* 10. Nam si prærequireretur consensus, promissio facta *Abraha* non esset in potestate Dei, vt impleretur; quia supposito, quòd Gētes noluissent credere, Deus non potuisset implere id, quod promiserat. Sed hæc omnia directè impugnant sententiam admittentem præuideri nostrum consensum gratiæ Dei, antequam Deus decernat dare gratiam; ergo hæc sententia directè impugnatur *à Beatiss. P.*

6 Ex hoc patet falsū esse; quòd *Beat.P.* impugnet solùm sentētiā *Pelagianorum* asserentiū Deum præuidere nostrum consensum futurum ex solis viribus naturæ, impugnat enim sententiam asserentem Deum præuidere nostrum consensum fururum sub gratia Dei; quòd manifestè apparet ex illis verbis. *Misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur*; constat autem nostrum consensum additum Misericordiæ Dei non esse sine gratia, sed simul cum gratia.

7 Concludit ergo versus finem illius quæstionis. *Cùm ergo nos delectant, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, vt probetur gratia Dei; non nutu nostro, & industria, aut operum meritis comparatur; quia, vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studij, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur; propterea petere iubemur, vt accipiamus; & quærere, vt inueniamus; & pulsare, vt aperiatur nobis.* Quibus verbis ostendit nedum ipsam gratiam, sed etiam consensum, quo voluntas annuit gratiæ, & omnia opera formata charitate, quæ sola bona sunt, & meritoria, inspirari, tribui, largiri, & donari à Deo ita tamen, vt totum Dei sit, & totum nostrum sit; quia per illa liberè volumus, & operamur; vt docet *de Præd.SS.c.3. Vtrunque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem nostram; & vtrunque nostrum; quia non fit nisi volentibus nobis*; vbi refert se ipsum *in libris Retract.* in quibus reijcit sententiam, quam semel docuerat ante Episcopatum, scilicet *Fidem esse ex nobis, opera autem ex Deo.* Sed sententia admittēs Deum præuidere consensum nostræ voluntatis independenter à decreto Dei docet illum consensum non esse donum Dei; quia quod donatur, non nisi ex voluntate Donatoris donatur, & ideo essentialiter supponit actum voluntatis ipsius donantis, quo vult, & decernit illud donare; ergo hæc sententia directè impugnatur *à Beatiss. P.*

Conf. *D. Prosper Epist. ad Beatiss. P.* ait; *Propositum, & prædestinationem Dei secundùm præscientiam acceperunt*; & explicans hanc præscientiam subdit: *Quia finem vniuscuiusque præuiderit; & sub ipso gratiæ adiutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præuiderit.* Et quærit; *an per præscientiam possit stare propositū; an verò vniformiter præscientia sit subnixa proposito?* Quærit ergo *D. Prosper à Beatiss. P*; an præscientia operum, non quidem sine gratia, sed *sub ipso gratiæ adiutorio*; vti illam admittebant *quidam in Gallia*, possit antecedere Diuinum decretum, seu propositum Diuinæ voluntatis; an verò talis præscientia fundetur, & supponat decretum? Cui petitioni respondet duobus *libris de Præd. SS; & de Dono Perseu; & c. 2. de Præd. SS.* ait de ista opinione: *Peruenerunt etiam, vt præueniri voluntatem hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quenquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista, in qua peruenerunt, plurimùm eos à Pelagianorum errore discernunt.* Quibus verbis apertè declarat hanc sententiam non esse *Pelagianam*, sed plurimùm *à Pelagianorum errore* eos discernere; sed deinde probat *illis in libris* illam voluntatē bonam præuisam, vt futuram, esse effectum ipsius propositi, seu decreti; & *de Præd.c.4.* refert suam sententiam, quam scripsit *ad Simplic*; vt supra diximus; vbi manifestè ostendit illum consensum, sine nutum voluntatis Dei esse donum Dei; ergo respondens conformiter ad petitionē *DD.Prosperi, & Hylarij*, qui pariter hac de re ipsum consuluerat, docet ipsum consensum etiam sub gratia Dei subsequi ad decretum; & propositum Dei; aliter non respondisset ad rem.

8 Prob.3. *In Epist.105. ad Sixtum* loquens de *Iacob, & Esau*, de quibus ait *Apost. Rom.9. Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; sic loquitur *Ideo (inquiunt) nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera præuidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippè ille non vidit; quando sibi velut aduersantis obiecta quæstione, non id potiùs tam breue, tam apertum, tam (sicut ipsi putant) verum, absolutumque respondit.* Et paulò post concludit. *Non autem hoc Apostolus dicit; sed potiùs ne quisquam de suorum operum auderet meritis gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere, quod dixit; scilicet; Nunquid est iniquitas apud Deum*: ex quo sic arguitur. Sententia admittens præuisionem consensus futuri gratiæ Dei ante decretum dandi gratiam efficacem poterat soluere quæstionem, quam sibi proposuit *Apostolus*; poterat enim respondere dilexisse *Iacob*, quia præuidebat ipsum ponendum sub gratia sufficienti consensurum gratiæ; *Esau* autem non consensurum; sed *Beatiss.P.cum Apost.* non docet hanc sententiam, sed illam reijcit, & recurrit solùm ad iustitiam Dei donantis, cui vult, gratiam suam; ergo hæc sententia nedum non est ad mentem *Beatiss. P*; sed apertè ab illo reijcitur.

Vid. rationes, quas attulimus *art. 1. §. 2; 4; 5;*

4; & 5; & *art.* 2; 3; 4; & *ſeq*; illæ enim manifeſtè probant hanc ſententiam nullo modo poſſe concordari cum doctrina *Beatiſſ.P.*

9 Si diligenter hæc attendantur, & ſine animo inflexibiliter, & pertinaciter firmo ea impugnandi, ſed ſolo ſtudio inueniendæ veritatis, non tam facilè erit ea à quopiam negari.

10 Ad 1. dictum in oppoſitum patet *Beatiſſ. Patrem* impugnare conſenſum nedum ex ſolis viribus naturæ, ſed etiam ſub adiutorio gratiæ Dei.

11 Ad 2. eodem modo; ſi enim impugnat conſenſum ſub gratia Dei, iam non impugnat conſenſum, cui debetur gratia, ſed conſenſum, qui eſt coniunctus cum gratia, & illam ſupponit. Tum quia impugnat vniuerſaliter conſenſum, qui non donatur, non infunditur, non inſpiratur à Deo;ergo impugnat vniuerſaliter omnem conſenſum, qui non ſupponit decretum.

Reſpondent iterum *Beatiſſ. P.* his in locis loqui de ſcientia futurorum abſolutorum,non verò conditionatorum.

Reſp. hoc falſum eſſe; nam ſæpe loquitur *de Tyrijs, & Sydonijs*, vt *de Dono Perſeu.c.*14; & *c.*9. de eo, qui *raptus eſt*, *ne malitia mutaret intellectum eius*; & de operibus *Paganorum* decedentium ſine baptiſmo; quæ omnia in ſententia *Aduerſantium* ſunt conditionata, cùm nunquam ponantur in eſſe; quanuis omnia futura, quæ dependent ab aliqua cauſa, etianſi ponantur in actu, ſint verè conditionata actualia; vt diximus *art.* 1. §.5. *à n.* 83. Tum quia vniuerſaliter loquitur de omni conſenſu; ergo non eſt mutilanda eius doctrina ad ſola futura abſoluta. Tandem quia ſicut conſenſus abſolutus ſupponit decretum abſolutum, quia eſt donum abſolutum Dei; ita conſenſus conditionatus ſupponit decretum conditionatum Dei; quia eſt donum Dei conditionatè ab ipſo accipiendum; ergo nunquam verificari poteſt; quòd præſciẽtia futuri independentis à decreto concordetur cum doctrina *Sanctiſſ.P.*

13 Obijc. 1. *Beatiſſ.P.lib.*1. *ad Simplic.q.*2. explicat gratiam efficacem per vocationẽ congruam, idèſt collatam in his circunſtantijs, in quibus præuiſa eſt habitura ſuum effectum; ait enim: *Illi electi, qui congruenter vocati; illi autem, qui non congruebant, nec attẽperabantur tali vocationi, non electi, quia non ſecuti, quanuis vocati.* Quaſi diceret; illi electi, qui vocati ex præſcientia futuri conſenſus;illi autem non electi, quia vocati cum præſcientia futuri diſſenſus prouenientis ex malitia voluntatis nolentis ſe attemperare vocationi; ergo præſcientia futuri ante decretum eſt iuxta illius doctrinam.

Conf. 1. Ait *ibidem Sanctiſſ. Doct*; quòd multi eodem modo, & eadem vocatione vocati ſunt, & tamen aliqui ſequuntur; & alij non ſequuntur vocationem; ait enim: *Quanuis multi vno modo vocati, tamen,quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſolùm ſequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei*; ergo ille conſenſus nequit eſſe à gratia Dei, quæ eſt æqualis in illis multis,& ideo erit à ſola voluntate.

Conf. 2. *De Dono Perſeu. c.*14. loquens *de Tyrijs, & Sydonijs* comparatiuè *ad Iudæos* ait: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio Diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad Fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*; ergo conſenſus prouenit ex ipſa natura voluntatis ſuppoſita congrua vocatione.

Reſp. has auctoritates intelligendas eſſe, non quidem ſecundùm ſenſum legentium, ſed ſecundùm ſenſum, quem *ibid.* ſubdit *Sanctiſſ. Doct.* Igitur pro illarum intelligentia recolenda eſt doctrina eiuſdem, quam tradidimus *art.*1.§.2.*n.*31; ſcilicet gratiam aliam eſſe paruam, & inualidam, aliam magnam, ac validam, & aliam maximam, ac validiſſimam. Eadem autem gratia magna, & valida, ſeu efficax collata duplici peccatori poteſt eſſe efficax in vno, non in alio; quia vnus poteſt eſſe non excæcatus, & induratus in malo; & ideo illa gratia poteſt efficaciter mouere illius mentem ad credendum, & cor ad amandum; poteſt enim vincere difficultatem mentis, & cordis, quæ parua eſt; & per conſequens ille dicitur congruenter vocatus, quia talis gratia congruit eius conuerſioni; at verò alter poteſt eſſe excæcatus, & induratus in malo, quæ excæcatio, & induratio ex propria culpa eſt; vt docet *idem Beatiſſ. P. ibid. ad Simplic*; & ideo illa gratia non eſt potens vincere cæcitatem mentis, & frangere duritiem voluntatis; & per conſequẽs talis gratia non congruit eius conuerſioni. Manifeſtum namque eſt gratiam, quæ poteſt mouere ad pœnitentiam Peccatorẽ,qui ſemel cecidit,efficaciter nõ poſſe mouere Peccatorem obſtinatum in peccatis; & gratiam, quæ ſufficit ad ſubeũdas aſperitates pœnitẽtiæ, non ſufficere ad ſubeundam paſſionem martyrij ſubeũdas ad quod requiritur gratia maxima iuxta illud Chriſti Domini: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat &c.* Igitur.

Ad arg.neg;quòd ille textus debeat ſic intelligi; ſubdit enim: *Igitur non volentis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei,qui hoc modo vocauit, quomodò aptum erat eis,qui ſecuti ſunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit,ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent,nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi. Et non iam ſimiliter verum eſt: Igitur non miſerentis Dei,ſed volentis, atque currentis eſt hominis; quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit; quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quomodò illis aptum eſſet,vt & mouerentur,& intelligerent, & ſequerentur.* Et paulò poſt: *Quia nullius Deus fruſtra miſeretur; cuius autem miſeretur, ſic*

sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat. Ait ergo, quòd videt Deus suam gratiam moturam mentem, & voluntatem electi ad credendum, & operandum; quia ille est idoneus, & aptus ad moueri per illam gratiam; at verò eadem gratia non mouet efficaciter alium, quia iste ob suos defectus non est aptus ad moueri, sicut ille. Improbat autem explicationem allatam in argumento; nam si electio supponeret præuisionem consensus pendētis à voluntate hominis, iam ille consensus, qui est effectus misericordiæ Dei, esset in potestate hominis; *& sic non miserentis est Dei, sed volentis, atque currentis est hominis*; & vlteriùs; *frustra Deus miseretur, si homo nolit*, quod est contra illud. *Miserebor, cuius miserebor &c.*

Ad 1. Conf. patet ex dictis; neg. enim conf. & cùm subditur, quòd gratia Dei est æqualis, dist. Est æqualis cum iisdem difficultatibus vincendis, neg; cum inæqualibus difficultatibus, conc; & ideo, quòd in vno vincantur difficultates, est gratia Dei; in alio autem, quòd non vincantur, est excessus difficultatum, quæ non possunt vinci ab illa gratia, sed requiritur gratia maior.

Ad 2. dicitur, quòd *ibid.* clarissimè explicat nostram explicationem traditam ad arg; ex quo apparebit nos in hac materia nec quidem vnguem distare ab eius doctrina. Subdit enim, post allatam auctoritatem *de Iudæis*: sic loquēs. *Cur enim non poterant credere, non tacuit Euangelium dicens: Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum, vt sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est? Et ideo non poterant credere, quia iterum dixit Esaias; excæcauit oculos eorum, & indurauit cor illorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos. Non erant ergo sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sydoniorum; quoniam credidissent, si qualia viderūt isti, signa vidissent.* Igitur eadem gratia *Tyrijs* fuisset efficax; quia eorum intelligentia naturalis non erat adeo excæcata, nec cor induratum, *in Iudæis* autem inefficax ob eorum cæcitatem, & duritiem.

Replic. Si fuisset æqualis gratia; ergo *Tyrij* se ipsos discreuissent ab *Iudæis*; quod est *contra Apostolum.*

Resp. neg. seq; nam discretio fuisset facta per gratiam *in Tyrijs* vincentem difficultatem ad credendum; *in Iudæis* verò non vincentem eorum duritiem.

14 Inst. *Thyrsus* 1. *Beatiss. P. Aug. lib. 3. de lib. Arb. c. 18.* ait: *Quæcunque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei resistitur*; sed decreto resistere non possumus; ergo admittit sciētiam actus conditionati indepēdentem à decreto. 2. *serm. 7. de Verbis Domini* Christus noluit admittere in sua schola illū *Scribam*, qui *Matth. 8.* dixit. *Magister sequar te*, quia *præuiderat hunc hominem, si sequeretur Christum, sua quæsiturum esse, non quæ Iesu Christi*; sed implicat Deum decreuisse, vt ille quæreret, quæ sua sunt sub conditione, quod admitteretur à Christo; ergo docet præscientiam independentem à decreto. 3. Voluntas proximè indifferens ad eliciendum actum bonum non indiget nouo auxilio pendente à solius Dei nutu, vt rectè operetur, alioquin prudēter posset illud à Deo postulare, & orare, vt illa potentia proxima reduceretur ad actum secundum; quod est contra *Aug. de Nat. & Grat. c. 18.* vbi ait: *Quid enim stultius est, quàm orare, vt facias, quod in potestate habeas*; quibus pater *Aug.* inter vocationem constituentē potētiam proximam, & ipsum consēsum nunquā interponere mediū, vt cōstat *ex q. 2. ad Simplic. Vt velimus suū esse voluit, & nostrum, suum vocando, & nostrum sequendo.*

Resp. *hunc Auctorem*, sicut non aduertit ad decreta *summorum Pontificum*; vt vidimus *art. 1. §. 3. n. 56*; & patere potest etiam *ex ipsius To. 1. disp. 17. sect. 13*; vbi *Sanctissimos* vocat, quos Ecclesia nondum beatificauit contra decretum *Vrbani VIII.* prohibentis *Viros* cuiuscunque integritatis *Sanctos* appellari ante canonizationem Ecclesiæ, multò minùs versari in doctrina *SS. PP.* vanidis speculationibus omniuo absorptum. Ad 1. neg. mi; vt dictum est *art. 1. §. 4.* Ad 2. dist. mi. Implicat Deum decreuisse permissiuè, neg; positiuè, conc; nam quærere, quę sua sunt, non est actus charitatis, quæ iuxta *Apostolum non quærit, quæ sua sunt*, & ideo non est actus bonus; propter quod non causatur à Deo, sed tantùm permittitur, & per consequens illa præsciētia supponit decretum permissiuum, sicut præscientia actus boni supponit decretum causatiuum. Ad 3. dicitur, quòd immediatè ante illa verba habet: *Vt fiat, voluntas sola non sufficit, ideo pro hac re, nec superflua, nec impudens Domino immolatur oratio*; & manifestè docet ipsum velle, & consēsum nostrum orandum esse à Deo, nedum *q. 2. ad Simplic. vbi sup. n. 7*; sed etiam *de Dono Perseu. c. 2*; ait. *In his ergo meritis Sanctorum, quæ nulla, nisi dona Dei sunt &c. Sicut ergo Sanctus cùm Deum rogat, vt Sanctus sit, vtique rogat, vt Sanctus esse permaneat, ita vtiq; & castus, cùm rogat, vt castus sit, cōtinens vt continēs sit; iustus, vt iustus sit; pius, vt pius sit; & cetera, quæ contra Pelagianos dona Dei esse defendimus, hoc sine dubio petunt &c*; sed esse Sanctum, castum, iustum &c. est actus secundus; potentia enim proxima est indifferens ad esse, & non esse Sanctum, iustum &c; ergo docet manifestè debere nos Deū rogare actū secundum. Idem prosequitur *ibid. c. 3; 4; & 5; & seq; & Ep. ad Vital.* Arguit ergo in illo loco ab opposito sic. *Quid stultius, quàm orare, vt facias, quod in potestate habeas? Sed oratio Dominica commonet orandum esse, vt fiat voluntas Dei, idest vt faciamus voluntatem Dei, vt peccata præterita ex-*

pien-

pientur, & vt futura vitentur; ergo facere voluntatem Dei, expiari à peccatis commissis, & vitare futura non est in potestate nostra, sed in potestate Dei. Præterea tolerabilis non videtur hæc propositio Thyrsi sentientis non esse postulandum à Deo actum nostrum, qui est in nostra potestate; Ecclesia enim hoc continuò orat, & orare nos docet; vt supra vidimus art. 1. §. 2. n. 42; quod docent etiam omnes SS. PP; vt videbimus ubi sup. est apertè cont. D. Ambr. de Fuga Seculi, quem refert Beatiss. P. Aug. de Dono Perseu. c. 9; & 19. Non est potestate nostra cor nostrum, & cogitationes nostræ iuxta illud Apostol. Non sumus sufficientes ex nobis aliquid cogitare &c; vnde hæc sētētia hac ratione potiùs cōfūditur, & improbatur; vt vidimus ex Beatiss. P. Ad id, quod subditur, dicitur, quòd inter vocationem, & consensum non ponitur medium ita tamen, vt vocatio, & consensus sint dona Dei, vt apertissimè docet ibid. Neque ex eo, quòd iste Auctor probet prædeterminationem physicam non esse ad mentem Beatiss. P; sequitur, quòd præscientia ante decretum sit iuxta doctrinam illius; neutra enim ex his sententijs est ad mentem illius, vt sup. ostensum est.

Dices Beatiss. Patrem aliquando distinguere præsciētiam à proposito, vt de Præd. SS. c. 10; & illam ponere ante propositum, vt patet in definitione Præd. Est præscientia, & præparatio &c; vbi nomine præparationis intelligit decretum. 2. q. 2. contra Porphir. ait: Tunc Deum voluisse hominibus apparere, quando, & vbi sciebat, qui in eum fuerant credituri. Idem habet D. Chris. hom. 31; & 65. in Matt. de D. Paulo; quod frequenter afferunt plures alij SS. PP.

Resp. ad 1. præscientiam ibid. distingui à proposito positiuo; agit enim de præscientia peccatorum, quæ non causantur, sed permittuntur à Deo. Ad aliud resp. idem Beatiss. P. de dono Perseu. c. 18. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? Ex quibus patet nomine præscientiæ intelligi scientiam fundatam in decreto. Ad 2. resp. idem Sanct. P. de Præd. SS. c. 9; quòd ita respondit in illa quest. cont. Porphir; quia tunc nolebat explicare hanc operosissimam difficultatem; addidit tamen: Excepta altitudine sapiētiæ, et sciētiæ Dei, et sine præiudicio aliarum causarum; de quibus non tunc, sed alias opportuniùs disputandum putaui. Si ergo intelligitur sine præiudicio causarum, profectò intelligitur sine præiudicio decreti, quod est causa futuritionis, & sic intelligendi sunt alij SS. PP.

16 Censuræ autem, quæ hic inferuntur ab Auctoribus de Pelagianismo, Semipelagianismo, Caluinismo, & Iansenismo; quia merę calumniæ sunt, ideo indignæ, vt à nobis referantur. Neque enim (inquit D. Hier. Epist. 65. ad Pamachium, & Oceanum) causæ prodest maledicentibus remaledicere, & Aduersarios talione mordere. Quòd autem merę calumniæ sint nihil veritatis habētes, sic breuiter ostenditur.

Pelagius docebat gratiam ex meritis dari, merita esse ex viribus arbitrij; sed nullus ex his Auctoribus Catholicis tenet gratiam ex meritis dari, & merita esse ex viribus naturæ; ergo nullus eorum est Pelagianus.

Præterea. Semipelagiani docebant initium Fidei esse ex nobis; sed nullus horum Auctorum hoc docet; ergo nullus est Semipelagianus.

Tandem. Caluinus, & Iansenius docēt gratiæ efficaciam extinguere libertatem; sed nullus ex his hoc sentit; fatentur enim gratiæ efficaciā componi cum libertate; ergo nullus est Caluinista, aut Iansenista.

Mi-horum trium argumentorum patet ex libris eorum; & ex prompta eorum responsione, si interrogentur; aliter si illam negarent, non esset Catholici.

Igitur in his immorari sine illorum pudore, qui hæc impingunt, non possumus; quanuis enim Aliqui ad dexteram, alij ad sinistram propendant in modo explicandi suam sententiam; attamen donec ab infallibili Petri sede, cui nos, & hęc omnia humiliter submittimus, determinētur, iudicium de illis proferre nefas putamus, silentio prudentiùs concludimus.



DE DIVINIS IDAEIS.

VAga Sapiētiæ ſuppellex,quæ Diuinam mentē infinitos recondentē theſauros elegāter exornat,pulcherrima ſpecioſitate decoras continet rerum omniū Idęas.Sine vmbris ſplēdentes, ſine mendis venuſtę, ſine deformitate difformes, & varietate mirabiles cōtinuò Diuini intellectus beant intuitum.Scientię tribuunt certitudinis regulam,Prouidentię methodum,ac ſupremi Opificis Arti infallibile prēſtāt Magiſterlum.Erroris neſcię Diuinam dirigunt in agēdo potentiam;amphibię expertes ſuis quęcunque producunt rationibus,& ſi quandoque monſtra formauerint, nō error,ſed ludus eſt ad Mūdi eleganitā.De his ergo rerū Idęis,quę Sapientię Dei regulant praxim, poſt ſcientię practicę diſputationes recto ordine agemus. Plurimę ſunt, quia innumerę, ſed pauca circa illas reuelata ſunt *in Scripturis*; ideoque pauca dicere valemus , cetera in futuræ Vitę claritatem reſeruata ſperamus.

QVÆST. VNICA.

De Diuinis Idæis.

QVæſtio hęc ita nectitur cū *præced.Tract*;vt,quaſi faciat ad integritatem,& cōplemētum illius. *Multi*,inter quos nouiter *Sapientiſſimus noſter Laſoſſe*, ei illam inſerant. Ceterùm non eſſe confundendam ratio dictat; quia Idæa conſtituit attributum à ſcientia diuerſum formaliter;ideo diuerſam ſibi poſtulat ſedem; nam etſi ad ſcientiam pertineat etiam voluntas, & omnes habitus intellectus ad extra operatiui, attamen de illis agitur diſtinctim;ita à pari.

ART. I.

De nomine,definitione,& exiſtentia Idæarum.

1 HOc nomen *Idæa* primitus inuentum fuiſſe *à Platone* docet *Beatiſſ. P. lib. 83.qq.q.46*.ſubdens,quòd,quanuis hoc nomen antea non eſſet, non tamen ſequitur, quòd non eſſent Idęę, nec quòd à nullo eſſent intellectæ, licèt ſub alterius appellationis vocabulo.*Idæas Plato primus appellaſſe perhibetur;nō tamē ſi hoc nomen,antequam ipſe inſtitueret,nō erat; ideo vel res ipſæ non erant,quas Idæas vocauit, vel à nullo erant intellectæ; ſed alio fortaſſe, atque alio nomine ab alijs,atque alijs nuncupatæ ſunt.*

2 *Platonis* mentem circam Idęarum ſignificationem non attigit *Ariſtoteles*; vel ſi attigit, improba explicatione occultare contēdit illius ſapientię inuidiam non ferens ingratus Diſcipulus; cuius liuorem ſatis apertè declarant ea verba *lib.1.Mor.c.6*;vbi reijciens *Magiſtri* ſententiam ait: *Præſertim cùm etiam nos Philoſophi ſimus*.Voluit ergo *Ariſtoteles Platonem* nomine Idęarum intellexiſſe naturas quaſdam vniuerſales ſeparātas à ſingularibus extra Deum in concauo Lunę exiſtentes, quarum participatione ſingularia quęlibet producerentur.

3 Sed hanc impoſturam falsò irrogatam vindicat *Seneca Epiſt.58*;vbi declarans mentem *Platonis* ait: *Idæas vocat, ex quibus omnia,quæcunque videmus,fiunt:& ad quas cuncta formantur,in cuius mente exiſtunt,vt immortales,immutabiles,& inuiolabiles*.Ex quibus manifeſtè patet ipſum admiſiſſe Idęas ſolùm in mente Dei, nō extra Deum. De Idęis exiſtentibus in mente Dei locutum fuiſſe exponit *Beatiſſ.P.Aug. vbiſ*; qui explicat Idęas eo modo , quo fuerunt deſcriptę *à Platone, & ab alijs Sapientibus*, à quibus hanc ſententiam accepiſſe *Platonem* ait credibile eſſe;*& lib.12.de Ciu. Dei c.26.* ait : *Etſi Deus, quod aſſiduè commemorat Plato, ſicut vniuerſi Mundi , ita cunctorum animalium ſpecies æterna intelligentia continebat*.Quòd ſi *Plato* voluit Deum cōtinere ſpecies, ſeu Idęas,profectò noluit eas eſſe extra Deum, ſed in Deo, quia contentum non eſt extra continēs,ſed intra. Videtur annuere hāc eſſe impoſturam etiam *Fundatiſſ.Doct.in 1.diſt.36.princ.2.q.1. ad 1;& q.2. §.Reſpondeo*; & apertè hoc declarat noſter *Leonardus Coquæus ſup lib.7.de Ciu.Dei c.28*;vbi teſtatur *Senecam,Beatiſſ.Patrem, & alios* aſſeruiſſe *Platonem* nomine Idęarum intellexiſſe rationes in mente Dei exiſtentes rerū omniū creandarū.

Nec obſcurè colligitur hoc ex eius doctrina; nam *in Timæo*, vt refert *Com.lib.de Ciu.Dei lib.12.c.26.* ait : *Penes Deum eſſe æternarum, & mortalium omnium rerum exemplaria , quæ inſpexit Artifex Mundi,æterna, cùm res nunquam interituras,temporalia, cùm res ſine caſuras, eſſet editurus;& lib.7. vbiſ. Sunt omnium rerum apud Deum Idæ; quas ſpectans ille Fabricator Mundi ſingula in lucem, mundumque edidit*.Idem habet *Apuleius in dogmat. Platonis*.Vbi notari debent illę particulę *penes*, *& apud*; frequenter enim vſurpantur in Scripturis pro particula *In*, vt cùm dicitur: *Apud te eſt ſapientia*, ſignificat: *In te eſt ſapientia*. Et cum dicitur: *Penes te eſt maledicere*, ſignificat: *In te eſt maledicere*; ergo *Plato* docet illis verbis Idęas eſſe in Deo, non extra Deum.Hęc in gratiam *Ariſt.*

4 Idęa ergo quantùm ad nominis interpretationem latinè ſignificat formam, vel ſpeciem; quantùm autem ad rem ſignificatā poteſt etiam appellari ratio; nam licèt ratio Gręcè vertatur *Logos*;attamen ſi quis Idęam vocat rationem,diſcedit vtiq; à nominis interpretatione, nō verò aberrat à re interpretata; vt aduertit *Beatiſſ.P. lib.83.qq.q.46; & ex eo Fūdatiſſ.Doct. in 1.diſt. 36.princ.2.q.1.§.Reſpondeo*. Dicitur *forma*, quia ſicuti in naturalibus forma eſt principium aſſimilans paſſum agenti ; ita Idęa eſt id, ad cuius ſimi-

similitudinem formatur idæatum. Vbi nota addum, quòd forma alia est *à qua* fit effectus, & alia est, *ad quam* respiciēdo agens producit effectum. Idæa ergo dicitur forma *ad quam*. Dicitur species ad denotandum, quòd hæc forma est intellectualis; tum quia sicut species est similitudo obiecti, ita Idæa est similitudo idæati, non tamen Idæa est imago idæati, vt dicit *noster Lafosse*, quia, vt docet *Beat. P. lib. 83. qq. q. 38. Omnis imago est similis; sed non omne simile est imago*; & rationem huius reddit *Fundatiss. Doct. in 1. dist. 28. q. 4*; nam ad rationem imaginis requiritur, quòd procedat ab illo, cuius est imago; quapropter Filius dicitur imago Patris, non è contra; Idæa autem non procedit ab idæatis, nec illa imitatur, sed è contra. Ait ergo *B. Doct. Rursum respectu creaturarum Diuina essentia imago dici non potest; quia de ratione imaginis est imitatio, Diuina autem essentia non imitatur creaturas, sed è conuersò*; & subdit, non nisi impropriè imaginem dici. Dicitur tandem ratio, non quia ratio, & Idea *apud Græcos* sunt idem secundùm nomen; neque id docet *Beatiss. P.* vt vult idem *Lafosse*; ait enim *lib. 83. qq. q. 46. cit. rationes enim Gracè Logoi appellantur, non Ideæ*; sed dicitur ratio, ptout habet esse intellectuale, quia forma, vt obseruat *Beatus Doctor hic q. 1*; non dicitur ratio secundùm esse naturale, & sensibile, quod habet extra intellectum; sed tantùm secundùm esse intellectuale, quod habet in intellectu, qui solus ratio appellatur.

5 Quoad 2. Idæę sic definiũtur *à Beat. P. Aug. vbi sup. Idææ sunt principales quadam formæ, uel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se se habentes, quæ in Diuina intelligentia continentur; & cùm ipsæ non oriantur, ue que intereant; secundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interiri potest, & omne, quòd oritur, & interit*. Dicuntur *formæ, uel rationes*, vt supra explicatum est. Dicuntur *stabiles, atque incommutabiles, principales, & æternæ*, ad differentiam Idæarum Artificis creati, quæ sunt temporaneæ, mutabiles, secundariæ, quia oriuntur ab Idæis Diuinis, & sunt merè instrumentales. Dicitut. quòd *continentur in Diuina intelligentia* ad excludenda exemplaria externa. Dicitur, quòd *non oriantur, neque intereant*, quia non desumuntur à rebus idæatis, vt desumuntur Idææ creatæ. Dicitur tandem *secundùm eas formari omne id, quòd oritur, & interire potest*, quia Idęa est causa factiua exemplaris rerum idæatarum.

6 Quoad 3. propositum in titulo, scilicet, an verè Idææ existant in mente Dei, sine tamen imperfectionibus distinctionis, accidentis, informationis, inhæsionis, & compositionis, vt diximus de quibuscunque attributis Dei.

7 Vnica concl. Idæas verè dari in Deo est de Fide. *Ita communiter omnes Theologi*; & probari solet ex illo *Io. 1. Quod factum est, in ipso vita erat; & ad Hebr. 11. Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei; ut ex inuisibilibus inuisibilia fierēt*. Ex quibus cõstat dari in Deo rationes factiuas retũ, quas nos appellamus Idæas. Refertur etiã *à D. Tho. q. 3. de Verit. art. 1. Beatiss. P. Aug.* dicens. *Qui negat Idæas esse, infidelis est*; qui etiã *vbi sup. q. 46.* ait: *Quis autem religiosus, & vera Religione imbutus, quanuis nondum possit hæc intueri, negare tamen audeat*; Quibus ostendit, quòd salua Fide, quæ est vera Religio, Idææ negari non possunt. Idem docet *D. Dion. de Diuin. Nomin. c. 5*; vbi ait: *Exemplaria autem esse dicimus in Deo existentium rationes substantificas, & singulariter præexistentes*.

8 Prob. 1. ratione *Fundatiss. Doct. in Opusc. de Laud. Diuinæ sap. c. 16*; quæ ratio desumpta est ex *Beatiss. P. Aug. Tract. 1. in Io*; vbi ait. *Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia*. Formatur autem sic. Omnis res artefacta, nedum est à manu ipsius Artificis, sed etiam ab Idæa existente in mente Artificis; sed omnis creatura est artefacta à Deo tanquam à summo Artifice; ergo nedum est ab Omnipotentia, quę est veluti manus exequens; sed etiam ab Idæa existente in mente Dei, & ideo in mente Dei datur Idæa; aliter esset ab eo, quod verè non est, & sic reciperet esse à non esse. Ma. prob. 1. *ex Phil. 7. Met. t. 23. A domo, quæ est in anima, est domus, quæ est in materia*; sed domus, quæ est in anima, est Idæa domi existentis in mente Artificis; & domus, quæ est à parte rei, est artefacta ab ipso Artifice; ergo res artefacta, nedum habet esse à manu Artificis, sed etiam ab Idæa existente in mente Artificis. 2. Forma sigilli, quæ est in cera, nedum est à manu applicante sigillum, sed etiam est ab illa forma, quæ est in sigillo; nam in ipsa manu nõ est exemplar figuræ imprimendæ in cera; aliter si tolleretur exẽplar à sigillo, adhuc cera sigillaretur tali exemplari, quod experientia patet esse falsum; ergo à pari. Prob. mi. Deus est agens per modum Artificis, quia est agens per intellectum, & voluntatem; *hic* enim modus agēdi est perfectissimus, & ideo Deo tribui debet, qui est agēs perfectissimum; ergo omnis creatura est artefacta à Deo tanquam à summo Artifice.

Conf. Modus perfectissimus agēdi est modus agendi per rationem, seu per præcognitionem rei, quæ producitur; sed modus agendi per rationem est modus agēdi per Idæas rerum existẽtes in ipso agẽte; ergo Deus agit per Idæas, & per consequens in ipso dantur Idææ. Ma. patet; nam modus agendi sine ratione est omnino irrationalis, necessarius, & cæcus, vt patet de igne comburente lignum. Prob. mi. Modus agēdi per cognitionem vel est per cognitionem rei in se ipsa immediatè, & hic nequit Deo cõpetere, vt ostendimus *de Scient. Dei q. 2. art. 1.*

Vel

Vel est rei in ipso agente, vt diximus conuenire Deo; sed res in ipso agente, vt cognita, est Idæa sui; ergo modus agendi per rationem est modus agendi per cognitionem rerum in Idæis existentibus in ipso agente.

9 Prob. 2. Ratione allata *à B. Doct. hic art. 1.* Idæa est forma factiua, non facta, incommutabilis, intellectualis, principalis, & prima; vt patet ex eius definitione superiùs allata; sed huiusmodi forma nequit esse nisi in intellectu Diuino; quia quod est extra intellectum Diuinum, est factum, quamuis etiam sit factiuum, est mutabile secundarium, & instrumentale; vt est creatura; ergo Idæa solùm existit in mente Diuina, in qua habet esse, non facta, sed factiua, incommutabilis, intellectualis, principalis, & prima. Hæc ratio probat ex suppositione, quòd dentur Idæa, illas esse in mente Dei; dari autem Idæas est sententia communiter recepta.

10 Prob. 3. Essentia Diuina se habet, vt speculum repræsentatiuum omnium creaturarum; sed speculum non repræsentat, nisi habeat species rerum repræsentandarum; ergo Diuina Essentia habet in se ipsa Idæas omnium creaturarum.

11 Prob. 4. Essētia Diuina est imitabilis per creaturas; sed omne imitabile habet rationem Ideæ; quia Idæa est id, ad cuius imitationem fit idæatum; ergo Diuina Essentia habet rationem Idææ creaturarum.

12 Obijc. 1. *Phil. 7. Met. t. c. 27.* ait, quòd Ideæ ponuntur propter generationem, & scientiam; sed non sunt necessariæ propter generationem, nec propter scientiam; vt idem probat *ibid*; ergo Idææ non dantur. 2. *lib. 1. Post.* ait Ideas esse monstra. 3. Inter Idæas, & ideata debet esse proportio; sed inter Deum, & creaturam nequit esse proportio; ergo in Deo nequit esse Idæa creaturę. 4. Perfectius est agens, quod agit per se ipsum, quàm illud, quod agit mediante alio; sed Deus est agens perfectissimum; ergo agit immediatè per se ipsum, non per Idæas, & ideo Idææ non dantur in Deo.

Resp. *B. Doct.* ad 1; & 2; quòd *Phil.* loquebatur in eo sensu, quem inuidè imposuit *Platoni*, non verò secundùm sensum, in quo admissæ fuerunt *à Platone*, & admittuntur à nobis; in hoc enim sensu illas non negauit, sed concessit. Ad 3. dist. mi. Nequit esse proportio ordinis, neg; quantitatis, conc; adhoc enim, vt aliquid habeat rationē idæati, sufficit, vt habeat rationē imitantis; ad rationē autē imitantis sufficit proportio ordinis, quē dicit causatū ad causam. Ad 4. dist. ma. Mediante alio realiter distincto, conc; realiter identificato, neg; sic enim perfectior esset Deus, si vellet sine voluntate, produceret sine potentia; quæ sunt ridicula. Idææ igitur, quibus mediantibus agit Deus, nō sunt aliud realiter à Deo, sed sunt ipse Deus.

13 Obijc. 2. *D. Dion. de Diuin. Nomin. c. 7.* ait: *Deus non cognoscit res secundùm Ideam; & D. Ansel. in Monol. c. 29. Satis manifestum est in Verbo, per quod facta sunt omnia, similitudines rerum non esse*; ergo in Deo non dantur Idæę.

Resp. has, & alias auctoritates SS. PP. intelligi, quòd Deus non cognoscit per Idæas, & species distinctas ab ipso, nec per species acceptas à rebus, vt cognoscimus nos; & sic se explicant *DD. Dion; & Ansel*; qui manifestè admittunt Idæas in Deo; nam *de D. Dion.* visū est supra; & *D. Ansel.* id habet in *Monol. c. 8. Nullo namque pacto fieri potest aliud rationabiliter ab aliquo; nisi in facientis ratione præcedat aliquod rei faciendæ exemplum; siue ut aptiùs dicitur, forma, similitudo, aut regula. Patet itaque, quoniam priusquam fierent vniuersa, erant in ratione summæ naturæ.*

14 Obijc. 3. Ideo Artifex creatus indiget Idæa, vt operetur; quia potest falli in suis operationibus; sed Deus nequit falli, quia omnia infallibiliter cognoscit in sua essentia; ergo non eget Ideis, vt reguletur in suis operationibus.

Resp; quòd indigentia propriè est de illa re, quæ distinguitur ab ipso indigente; vnde aliquis dicitur indigere nummis, equo &c; non tamen dicitur indigere se ipso. Igitur propriè loquendo conc. totum arg; quia Idææ non sunt aliquid distinctum à Deo, & ideo Deus illis non indiget; non sequitur tamen eas non esse in Deo; sicuti ex eo, quòd essentia non distinguatur ab ipso, non sequitur, quòd non sit in ipso. Præterea dist. mi. Nequit falli in agendo præcisis Idæis, neg; suppositis Idæis, conc; & sic. Omnia cognoscit in essentia, tanquam in Idæa imitabili à creatura, conc; aliter, neg.

15 Obijc. 4. Deus non cognoscit se ipsum in Idæas; ergo nec creaturas; nam ideo non cognoscit se ipsum per Idæam, quia ipse per se ipsum præsens est sibi; sed etiam creaturæ per se ipsas sunt Deo præsentes; ergo nec creaturas cognoscit per Idæas.

Resp. neg. conf; ideo enim non cognoscitur Deus per Ideam, quia non est factibilis; & propter hoc Deus nō habet Idæam; quam tamen habet creatura. Ad prob. insertam dist. mi. Sunt præsentes per modum termini cogniti, conc; per modum rationis cognoscendi, neg.

16 Obijc. 5. Deus cognoscit creaturas in se ipso tanquam in causa, vt diximus *de Scient. Dei q. 2. art. 1*; sed causa creaturarum est voluntas, scientia practica, & Omnipotentia; ergo creaturas cognoscit in illis, non in Idæis.

Resp. dist. mi. Causa effectiua, conc; exemplaris, neg. Sicut enim in Artifice creato scientia, voluntas, potentia executiua, & Idæa concurrunt ad opus artefactum in diuerso genere causæ; ita in Diuinis;

17 Obijc. 6. Idæa dicit imitabilitatem, & imitabilitas dicit similitudinem; sed nulla creatura potest esse similis Deo *iuxta psal. 70. Deus* quis

quis similis tibi? ergo in Deo nequit esse Idea creaturæ.

Resp. dist. ma. Idæa dicit imitabilitatem, & similitudinem vel vniuocam, vel analogicam, conc; vniuocam solùm, neg. Sicut enim causa alia est vniuoca; alia analogica; ita Idæa, quæ est causa exemplaris, alia est vniuoca, & alia analogica; & sic dist.mi. Nulla creatura potest esse similis Deo vniuocè, vt vult *psalm. cit*; conc; analogicè, vt dicitur *Gen.* 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, neg.

18 Inst. Si inter Idæam, & idæatum daretur solùm imitatio, & similitudo analogica, sequeretur 1. in Deo dari solùm rationē imperfectam Idææ; quia perfectior est Idæa vniuocè, quàm analogicè similis; sed hoc dici nequit; quia nulla imperfectio datur in Deo; ergo neque primum. 2. sequeretur dari in Deo Idæam solùm respectu eorum prædicatorum creaturæ, quæ analogicè dicuntur de Deo, & creaturis, non verò respectu eorum, quæ dicuntur æquiuocè, secundùm quæ creaturæ distinguuntur à Deo; sed hoc est falsum; quia creaturæ causantur à Deo etiam secundùm gradus indiuiduales, & differentiales, secundùm quos distinguuntur à Deo, & æquiuocè dicuntur; & ideo in Deo est Idæa etiam respectu eorum, quæ æquiuocè dicuntur; cùm sit Idæa respectu omnium, quæ causantur: ergo nulla solutio.

Resp. neg. 1. seq; licèt enim Idæa, quæ solùm virtualiter analogicè dicitur similis, sit Idæa imperfectior, quàm Idæa vniuocè similis, quia continet solùm gradus vniuersales, non particulares rei idæatæ; attamen Idæa, quę eminenter analogicè est similis, est perfectior, quàm Idæa vniuocè similis; quia continet eminentiori, & perfectiori modo omnes gradus vniuersales, & particulares; vnde dist. Idæa vniuocè similis est perfectior, quàm Idæa analogicè virtualiter similis, conc; quàm Idæa analogicè eminenter similis, neg. Ad 2. neg. ma; omne enim prędicatum, quod est in creatura, analogicè dicitur de illis prędicatis, quę sunt in Deo, & participantur à creatura; & solùm æquiuocè dicitur de illis, quæ nullo modo participantur à creaturis, vt esse independens, increatum &c.

Ceteræ obiectiones soluentur *in seq. art.*

ART. II.

Quanam sit ratio constitutiua Ideæ.

1 Voluit *Arist*; vt vidimus *in sup. art*; *Platonem* constituisse Idæas in quibusdam naturis vniuersalibus separatis extra Deū existentibus in concauo Lunæ; ipsum tamen hoc non docuisse, satis ostensum est *ibid.* Igitur.

Prima sentētia vult Idęam formaliter consistere in ipsa creatura possibili secundùm esse, quod habet extra Deum cognitum ab intellectu Diuino. *Ita Dur. in* 1. *dist.* 36. *q.* 3; *Scot. in* 1. *dist.* 35; qui, quanuis *à pluribus etiam Scotistis* censeatur non tenuisse sententiam *Dur*; sed docuisse Idæam consistere in quodam esse diminuto obiectiuo producto à mēte Diuina medio inter esse reale, & rationis, vt vult *Pontius*, & *alÿ*, ad sententiā tamen *Dur.* trahitur *à Mastrio in* 1. *disp.* 3. *q.* 2. *n.* 44; vbi citāt pro hac sententia *Alliacen. in* 1. *q.* 7. *art.* 3; *Baccon. in* 1. *dist.* 6. *art.* 1; *& ex Scotistis Tatar; Lichet; Viger; Barg; Fabr; Sghem; Vulp*, & ex alijs iterum *Auuers*; *& Arriag. & art.* 1. *n.* 49. protestatur se in hoc *ab Aug*; *& Platone nec latum vnguem* recedere, quanuis *nec vnguem* illis accedere *infra* constabit.

Secunda sententia vult Idæam esse ipsam Dei cognitionem; & in hoc recedit à prima sētentia, quòd constituit Idæam in aliquo intra Deum, non extra. *Ita Sua. in Met. disp.* 25. *sect.* 1; *Vasq. hic disp.* 72. *c.* 2; *Amicus disp.* 23. *concl.* 3; *Herrer. in* 1. *disp.* 16. *q.* 1; *& alÿ*.

Tertia sententia vult Idæam consistere in essentia Diuina, prout habet rationem Verbi imitabilis à creaturis. *Ita plures ex Thomistis Recentioribus*, quibus accedit *noster Lafosse de Scient. Dei q.* 2. *c.* 4. §. 2. putans hanc sententiam conformiorem esse *Scripturæ, Beatiss. P. Aug, & B. Doct. Aegid*; de quo tamen *infra* patebit. *Godoy* aut 1. *p. Tract.* 5. *disp.* 43. §. 8. *n.* 134. ait essentiam Diuinam sub ratione essentiæ esse Idæam obiectiuam, sub ratione autem Verbi esse Ideam formalem, non quidem absolutè, sed cognitam, vt imitabilem diuersimodè à creaturis; sicut enim in creaturis alia est Idæa interna, quæ dicitur formalis, & alia externa, quæ dicitur obiectiua; ita essentia æquiualet Idææ externæ, ratio autem Verbi Idææ internæ.

Quarta tandē sentētia docet Idæā formaliter consistere in essentia Diuina, quatenus imitabili à creaturis; hocēst, non quatenus habet rationem Verbi, sed quatenus continet esse creaturarum per summam identitatem ita, vt esse creaturarum contētum in Diuina essentia, quatenus participabile ad extra, sit ratio formalis Idęę. *Ita docet Beatiss. P. Tract.* 1. *in Io*; *& alibi*; *& Fundatiss. Doct. hic dist.* 36. *princ.* 2. *q.* 2. *ad* 1; *&* 2; *& q.* 3. *in princ. corp*; *Argent, Ger*; *& omnes alÿ illius Discipuli*. Hanc putamus esse mentem *D. Thomæ, & omnium Thomistarum antiquiorum*, à quibus videntur recedere *aliqui Recentes*. Imò secundùm rem conuenire *Dur*; *& Scot. eum alÿs vbi sup*; si benè explicent esse, quod importat creatura possibilis in statu possibilitatis; quod vt diximus *To.* 1. *de Omnip. art.* 4; importat ipsum esse creaturæ eminenter contentum in Deo cum summa identitate, & nihil omnino entitatis importat extra Deum; quia effectus, antequam producatur, nullum aliud habet esse, quàm esse causæ. Hoc igitur esse, quod, prout est in Diuina essentia, nihil aliud est, quàm ipsa Diuina essentia iuxta illud *Beatiss. P. Aug.* proloquium communiter receptum:

Crea-

Creatura in Deo nihil aliud est, quàm ipsa creatrix essentia, est illud, in quo formaliter consistit Idæa.

2 Omnes conueniunt in hoc, quòd Idęa sit forma quædam pertinens ad intellectum, propterea importat aliquo modo esse obiectiuum, quatenus obijcitur intellectui ad hoc, vt Artifex agens per intellectum ab illa reguletur in producendo suũ effectum artefactũ. Et hoc deducimus ex eo, quòd videmus in Artifice creato, qui pręfigit sibi aliquam Idęã internã, vel externã, vt ad illius imitationẽ producat effectũ, quem facere disposuit. Igitur eodem, nec alio modo possumus discurrere de Ideis Diuinis, quia in hac vita solùm ex ijs, quę videmus in creaturis, possumus philosophari de ijs, quæ non videmus in Deo, illa scilicet transferendo ex creaturis ad Deum, absque tamen ijs perfectionibus, quę sunt in creaturis. *Hoc supp.*

3 Not quòd primæ tres sententię magnas, easque ægrè solubiles deuorare debent difficultates; nam prima cogitur fateri in intellectu Dei existere aliquod realiter distinctum ab illo, à quo reguletur in productione creaturarum, quod, quàm sit absurdum, *infra* patebit. Secunda tenetur dicere, quòd cognitio Diuina non sit id, quo intellectus Dei respicit Idæas, seu non sit ipsa respicientia, sed sit id, ad quod intellectus respicit, quia Idęa est id, *ad quod respiciens Artifex operatur*; patet autem, quòd intellectus non potest respicere, nisi per cognitionem, sicut oculus nequit videre, nisi per visionem, cùm ipse aspectus sit formaliter visio; & ideo hæc sententia admittit cognitionem cognitionis, & per cõsequẽs cũ Idęa sit id, ad quod intellectus aspicit, cognitio esset id, ad quod aspicitur, non autem id, quo intellectus aspicit. Tertia verò nequit vnquam soluere sufficienter; quomodò *domus, quæ est in anima, sit Idæa domus, quæ est in materia*, vt vult *Phil.7.Met.t.23*; & quomodò *terra, quæ est in Deo, sit Idæa terræ, quæ est extra Deum*; & quomodò *arca, quæ est in mẽte Artificis, sit Idæa arcæ, quæ ad extra producitur*; vt docet *Beat.P.Tract.1.in Io*; cõstat enim, quòd Verbum, aut Diuina essentia præcisè non est creatura contenta, sed est continens creaturam virtualiter distinctam ab illa. Nostra tandẽ sententia omnes has difficultates feliciter euadit. Igitur.

4 Vnica concl. Idęa formaliter non importat esse extrinsecum creaturæ cognitum à Deo realiter distinctum ab ipso; neque Diuinam cognitionem, seu speciem impressam, vel Diuinam essentiam, prout gerit vicem formæ intellectualis actuantis intellectum, neque Diuinam essentiam, prout gerit vicem Verbi, seu speciei expressæ; sed importat Diuinam essentiam, prout continet eminenter esse creaturarum realiter identificatum cum illa, quia solùm secundũ illud esse est participabilis, & imitabilis à creaturis.

Prima pars, quæ est *contra Dur. & Scot.* quorum sententiam dicit *Mastrius* non distare *latum vnguem à Beatiss. P. Aug. & Plat.* vt appareat, nec vnguem accedere ad mentem illorum, sic ostenditur.

5 Dicit 1. *Beatiss.P.Tract.1.in Io. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia viuit anima Artificis, vbi sunt ista omnia, antequam proferantur*; sed per esse extrinsecum, quod habet arca extra Deum, arca non dicitur viuere, quia illud esse est omnino inanime; aliter cùm ponitur sub esse actuali extra Deum, arca viueret: ergo arca, prout est Idæa existens in mente Artificis, non importat, nisi esse Artificis, per quod solùm dicitur viuere, quia per illud esse, quod habet, vel habere potest arca extra Artificem, non viuit, nec viuere potest; sed creatura, prout est Idæa existens in mente Dei, se habet sicut arca in mente Artificis; ergo *ex Beatiss.P.* Idæa non importat esse extrinsecum Deo; sed esse, quod habet creatura in Deo, non realiter, sed virtualiter tantùm distinctum à Deo.

6 Dicit 2.*q.46.cit. vbisup*, quòd Idæ sunt *quid principale, & primum simpliciter*; sed esse extrinsecum, quod potest habere creatura, est essentialiter quid secundarium sequens ad esse Dei; ergo *ex Beatiss.P.* Idæa non consistit in esse extrinseco creaturarum realiter distincto, sed in esse, quòd habet creatura in Deo, quod, prout identificatur cum Deo, habet rationem principalis, & primi simpliciter.

7 Dicit 3; quòd Idæ sunt rationes rerum *stabiles, atque incommutabiles, & æternæ*; sed esse possibile, quod in horum *DD.* sententia est aliquod extrinsecum Deo, non est stabile, & immutabile, quia transit, & mutatur ad esse futurum, & actuale; neque æternum, quia nullũ esse penitus ab æterno datur extra Deum; ergo *ex Beatiss.P.* Idæa non importat esse extrinsecum creaturarum.

8 Dicit 4; quòd *Idææ formatæ non sunt, ac semper eodem modo se se habentes*; sed esse extrinsecum creaturarum dicitur formari, cùm ponitur sub esse actuali, quod est veluti forma, cùm sit actus ipsius essentiæ possibilis; nec semper eodẽ modo se habet, quia transit de possibilitate ad actualem existentiam; ergo *ex Beatiss.P.* Idęa non importat esse extrinsecum creaturarum.

9 Dicit 5, quòd Idææ *in Diuina intelligentia continentur*; sed nihil realiter distinctum à Deo potest contineri in ipso; nam vel illud esset substantia; & sic daretur distinctio, & compositio substantialis in Deo, quod est contra Fidem; vel esset accidens, & hoc pariter est absurdum in Fide. Tum quia intellectus Dei reciperet extrinsecè à rebus species, per quas intelligeret, quod est communiter falsum; ergo *ex Beatiss.P.* Idæa non importat esse extrinsecum creaturarum.

Præterea *lib.6.de Trin.c.10.* ait: *Ars quædam omnipotentis, atque sapientis Dei plena omnium*

nium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea, ficut ipſa vnum de vno, cum quo vnum; ſed iſtæ rationes ſunt Ideæ, & ſunt vnum cum arte Dei; ergo nequeunt eſſe quid diſtinctum à Deo.

10 Dicitur 6; quòd Ideæ *non oriantur*, *neque intereant*; ſed eſſe poſſibile extrinſecum creaturarum dicitur oriri, cùm tranſit ad eſſe actuale,& interire,cùm deperdit eſſe actuale;roſa enim v.g. poſſibilis dicitur naſci, cùm incipit fieri ſub eſſe actuali; & dicitur interire,cùm ammittit eſſe actuale;ergo *ex Beatiſſ.P.* Idæa non importat eſſe extrinſecum creaturarum.

11 Tandem dicit.*Secundùm eas formari dicitur omne,quod oritur, & interire poteſt; & omne, quod oritur, & interit*; quibus verbis diſtinguit eſſe poſſibile creaturarum, & eſſe actuale; nam per illud,quod *poteſt oriri,& interire*,ſignificatur eſſe poſſibile; & per illud,quod *oritur,& interit*,ſignificatur eſſe actuale; ergo ſi per Idæas formatur omne poſſibile; & omne actuale (ex hoc deducitur in Deo eſſe Idæas, nedum creaturarum exiſtentium, ſed etiam poſſibilium, vt ſapientiſſimè oſtendit *Fundatiſſ.Doct.*)iam Idæa nequit conſiſtere in eſſe poſſibili creaturarum.

Ex his omnibus manifeſtiſſimè patet *Maſtrium* nec in vno minimo vngue accedere ad doctrinam *Beatiſſ. P*; *aut Plat*; in cuius ſententia loquitur.

12 Prob.2. eadem pars. Idæa importat entitatem imitabilem, & participabilem ab ideato realiter diſtinctam ab illo manentem apud Artificem, ſiue in ſapientia Artificis; ſed eſſe extrinſecum creaturarum non diſtinguitur ab ipſa creatura ideata, quia illud eſſe poſſibile extrinſecum, vt fatentur *Aduerſarij*,nihil aliud eſt, quàm eſſentia ipſius creaturæ;eſſentia autem rei non diſtinguitur ab ipſa re; ergo Idæa non importat eſſe extrinſecum creaturarum.

13 Præterea Idæa eſt regula actionis ipſius Artificis; ſed nihil extrinſecum Deo poteſt eſſe regula ipſius Dei, aliter Deus diſceret à creaturis; ergo Idæa non importat eſſe extrinſecum creaturarum.

14 Præterea.Idea eſt cauſa exemplaris creaturarum, & cauſa exemplaris reducitur ad cauſam efficiẽter extrinſecam, vt dicitur *in 2.Phyſ.* ſed cauſa efficiens requirit actualem exiſtẽtiam; nam *Agens in tantùm agit, in quantùm actu eſt ex Phil*; ergo Idæa nequit importare eſſe poſſibile creaturarum,quod præſcindit ab exiſtentia.

15 Præterea.Vel illud eſſe diminutum productum à Deo eſſet productum per aliquam Idæam,vel non? Si primum;ergo in illo eſſe diminuto nequit conſiſtere ratio Ideæ, ſed in aliquo antecedente ad illud; & ſic arguendum, vſquedum deueniatur ad illud eſſe improductum,quod habet creatura in Deo.Si ſecũdum; ergo Deus produxiſſet illud eſſe diminutum cęco modo;in tantùm enim ponuntur Ideæ,in quantùm debet ſaluari, quòd Deus non cęco modo,ſed videnter omnia producit.Vel ſi Deus produxit illud eſſe diminutum ſine Idæis,& hoc nõ cæco modo, tollitur neceſſitas ponẽdi Idęas; nam poſſet producere etiam creaturas actuales ſine Ideis,non tamen cæco modo.

16 Tandem. Eſſe poſſibile creaturarum nõ importat aliquod eſſe extra Deum, ſed importat ipſum eſſe,quod habet creatura in Deo cum modo relatiuo ad poni extra Deum; vt diximus *To.1.vbiſ.*,quia effectus, antequam producatur in eſſe actuali, non habet eſſe extra cauſam, ſed in cauſa,quod non eſt,niſi eſſe ipſius cauſæ; ergo Idæa nõ importat aliquod eſſe extrinſecũ Deo.

17 Prob.2.pars concl. Idæa eſt id,quod reſpicit Artifex in agendo; ſed cognitio, ſpecies impreſſa,aut forma intellectualis nõ eſt id,quod reſpicit agens in agendo;ergo Idæa non importat formaliter cognitionẽ, ſpeciem impreſſam, aut formam intellectualem.Ma.patet;quia *Idæa eſt id, ad quod aſpiciens Artifex operatur.* Prob. mi. In viſione corporali lumen,quod eſt forma illius, ſpecies recepta in oculo, & ipſa viſio non ſunt id, quod reſpicit oculus; quia oculus non videt lumen exiſtens intrinſecè in ſe ipſo, eique inhærens; nec videt ſpeciem, aut viſionem, quæ ſunt immateriales, ſed videt ſolùm obiectũ mediante lumine,ſpecie, & viſione; ergo à pari cognitio intellectus,ſpecies impreſſa, aut forma intellectualis non ſunt id, quod reſpicit intellectus;ſed ſunt id,quo reſpicit aliud.

18 Prob.2.ad hominem.In tantùm *per Auctores oppoſitos* eſſentia Diuina non eſt Idæa creaturarum; in quantùm non eſt ſimilis vniuocè creaturis;ſed nec etiam Diuina cognitio,ſpecies impreſſa, ſeu forma intellectualis, quæ eſt idem, ac Diuina eſſentia, eſt ſimilis vniuocè creaturis; ergo neque Diuina cognitio, ſpecies impreſſa,aut forma intellectualis eſt Idæa creaturarum. Ma.eſt ratio ipſorum. Mi.patet ex dictis *de Ineffab. Dei art.* 4; nihil enim eſt vniuocum Deo,& creaturis; quia nihil eſt eiuſdẽ ſpeciei,& naturæ cum Deo.

19 Prob.3.Diuina cognitio, ſpecies impreſſa,& forma intellectualis non multiplicantur ad multiplicationem cognitorum; ſed Ideæ multiplicantur ad multiplicationem ideatorum; vt communiter conceditur,& *infra* videbimus; ergo Idæa non conſiſtit formaliter in cognitione Diuina,ſpecie impreſſa,aut forma intellectuali.

20 Prob. 4. Multa cognoſcuntur à Deo, quæ non habent Idæam,vt peccata, & defectus; ergo Idæa nequit conſiſtere in cognitione &c.

21 Prob.3.pars concl. Verbum in Diuinis nõ dicitur eſſentialiter,ſed notionaliter;ſed Idæa dicitur eſſentialiter,quia omnia illa, quæ reſpiciunt creaturas,sũt cõmunia toti Trinitati; ergo Idæa non importat formaliter rationem Verbi, vt participabilis à creatura.Prob.ma.*ex Beatiſſ. P*;qui *in lib.de Trin.*nihil habet frequentiùs,quã quòd

quòd Verbum nullo modo dicitur essentialiter, sed tantùm personaliter;nam *lib.15.c.17.*ait: *Nō dicitur Verbum,nisi Dei Filius;et lib.5.c.11.Trinitas autem Filius nullo modo dici potest*: Verbum autem formalissimè in Diuinis idem est, ac Filius; vnde si Filius nequit dici essentialiter vllo modo,ita nec Verbum.*Et lib.7.c.1.* loquens de Patre ait: *Non est enim ipse Verbum, sicut nec Filius, nec imago*; quibus verbis affert hanc rationem;quòd sicuti Filius, & imago in Diuinis nequeūt vllo modo sumi essentialiter,ita nec Verbum; *ea enim ratione est Verbum, qua Filius; & imago,qua Verbum*; *vt* docet *lib.7.c.11*; & alibi, vt videre est *apud Fundatiss.Doct. in 1.dist.27. princ.1.q.2*; vbi sequens *Beatiss.P.* expresse negat Verbum in Diuinis posse dici essentialiter; in quo *noster Lasosse* patenter recedit ab eius sententia.

22 Prob.2. *ex Tract.1. in Io. vbis*; vbi describens Idæam existentem in mente Dei ait: *Est autem in ipsa Sapientia spiritaliter ratio quadam, qua terra facta est, hac vita est. Ergo,quod factum est,in illo vita est. Quomodò possum,dicam charitati vestræ. Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam;si enim in arte arcam non haberet, nō esset, vnde fabricando illam proferret.* Vbi patet ipsum loqui de Idæa, quam vocat *rationem factiuam*, vt *q.46.cit.* Ex quo sic. Ita se habet *ex Beatiss. P.* Idæa in mente Dei, sicut Idæa in mēte Artificis; sed Idæa arcæ in mente Artificis est ipsa arca existens in mente Artificis,non autem est essentia ipsius Artificis, à qua realiter distinguitur; ergo Idæa creaturæ in mente Dei est ipsa creatura existens in essentia Diuina, à qua virtualiter distinguitur.

23 Prob.3.*ex Fundatiss. Doct. dist.27 vbis. q.4.* Si Verbum,vt participabile à creaturis,esset Idæa creaturarum, sequeretur, quòd esset Verbum creaturarum;sed hoc falsum;ergo & id, vnde sequitur.Ma.patet;nam quia Filius,quatenus est Verbum, est imago, ideo nedum est imago, sed etiam Verbum Patris; ergo si Verbum,quatenus participabile,esset Idæa creaturarū, nedū esset Idæa,sed etiā Verbū illarū.Prob.mi.Verbū idē est formaliter,ac dictū; sed Verbum Diuinū nequit esse dictum à creaturis;ergo nequit esse Verbum creaturarum.2.Verbum,& Idæa dicuntur per oppositionem, quia Idæa est principium productiuum; Verbum verò in eo,quòd Verbū, est terminus productionis:ergo Idęa nequit cōsistere formaliter in ratione Verbi. 3. Verbum est similitudo, imago, figura, & caracter illius, cuius est Verbum, vt habet *D.Ansel. Monol.33*; sed nequit esse similitudo, imago, figura, & caracter creaturarum, cùm sit simplex veritas illarum, vt habet *Monol. 31; & 32*; ergo nequit esse Idæa creaturarum. 4. Verbum formaliter dicit respectum realem ad loquentem; sed Idæa non dicit respectum realem ad creaturas; nec creaturæ loquuntur Verbum Diuinum; ergo Verbum Diuinum in eo,quòd Verbum,non habet rationem Idææ.*Vid.B.Doct.vbisup.*

24 Prob.4.Verbum,quatenus participabile à creaturis; non multiplicatur ad multiplicationem creaturarum participantium, quia omnes creaturas respicit sub vna ratione factibilis; aliter darentur plura Verba inadæquata in Diuinis,sicut dantur in nobis, quod est contra cōmunem vsum loquendi *SS. PP; & DD*; nam sicuti per vnicam cognitionem; ita per vnicum Verbum Deus Pater dicit omnes creaturas;sed Idæa multiplicatur ad multiplicationem idæatorum; ergo nequit formaliter consistere in ratione Verbi,quatenus participabilis à creaturis.

25 Tandem prob.Idęa est attributum Dei, vt *inf.*videbimus; sed ratio formalis Verbi,quatenus participabilis à creaturis, non est attributum,quia est ipsa essentia;ergo Idæa non cōsistit formaliter in ratione Verbi participabilis.

26 Prob. 5.pars concl; & simul reijciuntur aliæ sententiæ. Idæa rei artefactę nihil aliud est, nisi ipsa res artefacta existens in mente Artificis, si loquamur de Idæa interna; si autem sermo sit de Idæa externa,nihil aliud est, quàm res artefacta in esse obiectiuo; Idæa enim v. g. Leonis nihil aliud est, quàm imago Leonis obiecta intellectui Artificis, vt fiat, vt diximus *ex Beatiss. P; & Phil*;ergo Idęa creaturarum nihil aliud est, quàm esse creaturarum contentum in Diuina essentia, & cum illa identificatum, ac obiectum intellectui Diuino.

Conf. Idæa creaturarum est Diuina essentia,quatenus participabilis, & imitabilis à creaturis;de ratione enim Idææ est,quòd illius similitudo participetur, & imitetur ab idæato; sed Diuina essentia nequit participari, & imitari à creaturis,nisi secundùm esse creaturarum,quod continetur virtualiter eminenter in illa;nam secundùm esse indepēdens,increatum, infinitum, immensum, & secūdùm alias rationes proprias ipsius Dei,quæ repugnant creaturis,nequit participari, & imitari à creaturis,ergo Diuina essētia non est Idæa creaturarum, nisi secundùm esse illarum virtualiter eminenter contentum in Diuina essentia, & ab illa virtualiter distinctum.

27 Prob. 2. Quodlibet attributum constituitur formaliter per aliquod distinctum à Diuina essētia,vt diximus *To.1.de Attr.in com.q.1. art.4*;sed Diuina essentia,quatenus participabilis à creaturis, non distinguitur virtualiter à se ipsa, nisi consideretur secundùm esse creaturarum,quod continet virtualiter eminenter; ergo Idæa formaliter consistit in esse creaturarum cōtento in Diuina essentia.

Conf.Idæa formaliter consistit in eo,quòd potest participari, & cui potest assimilari idæatum;sed creatura extra Deum nequit participare,& assimilari, nisi illi esse, quòd habet in Deo, quia homo v.g.nequit participare, nisi esse hominis, quod est in Deo, eique assimilari, non enim

enim potest participare, & assimilari esse Leonis, vel canis &c; ergo Idæa formaliter consistit in esse, quod habet creatura in Diuina essentia, quod solum potest participare, eique assimilari.

28 Tandem prob. Idęa formaliter importat diuersitatem; sed Diuina essentia non est diuersimodè participabilis, nisi quatenus importat diuersa esse creaturarum, quæ inter se essentialiter diuersificantur; nam secundùm se ipsam est vna, & eadem simplicissimè vniformis; ergo Idæa formaliter consistit in illo esse, quod habet creatura in Diuina essentia. Ma. patet, quia Idęa in hoc distinguitur à vestigio, quòd vestigium importat aliquod commune toti speciei; Idæa verò aliquod particulare, & indiuiduale, vt *inf. in Tract. de Trin.*

29 Ex his apparet, quòd Idæ creaturarum nihil aliud sunt, quàm esse illarum virtualiter contentum in Diuina essentia eo modo, quo diximus *To. 1. de Emin. art.* 3; virtualiter distinctum à Diuina essentia, vnde diuersa esse creaturarum, quę sunt in Diuina essentia veluti in diuersis casulis, sicut diuersæ imagines sunt in eodem speculo, vel in eadem pictura, habent constituere diuersas, & distinctas Idæas pulcritudine perfectas, & multiplici varietate sine distinctione mirabiles.

30 Obijc. 1. Idææ priùs sunt in Diuina essentia, quàm Diuina essentia cognoscatur, vt imitabilis à creaturis; ergo nequeunt consistere in Diuina Essentia, vt est imitabilis à creaturis. Prob. ant. 1. Imitabilitas dicit respectum rationis; sed respectus supponit rem supra quam fundatur; ergo Idææ priùs sunt in Diuina essentia, quàm imitabilitas. 2. Ideo Diuina essentia est imitabilis à creaturis, quia creaturæ sunt possibiles; nam ab impossibilibus imitari non potest; ergo creaturę priùs sunt possibiles, quàm essentia sit imitabilis.

Resp. neg. ant. ad 1. prob. neg. ma; imitabilitas enim dicit esse cum modo relatiuo, vt habet *Fundatiss. Doct.* de quo *inf.* Ad 2. neg. ant; aliter creatura esset quid prius, quàm omnipotentia illam continens, quod reijcit vera *Philosophia*.

31 Obijc. 2. Inter esse creaturarum, quod est in Deo, & esse creaturarum, quod est extra Deum nequit dari similitudo, quæ requiritur ad rationem Idęæ, quæ exigit similitudinem nedum inter prædicata specifica, sed etiam inter indiuidualia; sed creaturæ secundùm prædicata indiuidualia dicunt potiùs dissimilitudinẽ, quàm similitudinem ad Deum; ergo illud esse nequit habere rationem Idææ.

Resp. hoc esse solutum *in sup. art. n.* 17; & 18. Dist. igitur ma; debet dari similitudo, vel vniuoca, vel analogica, conc; vniuoca tantùm, neg; imago enim verè dicitur similis rei, quam repræsentat, etiamsi imago, & res dicantur tantùm anologicè. Et dist. mi. Creatura per prædicata indiuidualia dicit dissimilitudinem ad prædicata propria Dei, conc; ad prædicata creaturæ, quæ sunt in Deo, neg.

32 Obijc. 3. Creatura actualis creatur à Deo, vt similis creaturæ possibili; non enim creatur, vt dissimilis; ergo creatura possibilis est Idæa creaturæ actualis. Tum quia *ex Phil. 7. Met.* causa proxima effectus est vniuoca effectui, vt sanitas in materia fit à sanitate in anima. Tum quia Idæa in mente Artificis creati est ipsa res, quæ obijcitur facienda; ergo Idæa creaturarum est creatura possibilis obiecta, vt factibilis.

Resp. neg. ant; non enim creatur, vt similis, aut dissimilis, quia est eadem creatura sub diuerso statu; similitudo autem importat distinctionem in entitate. Præterea creatura existens creatur similis etiam creaturæ futuræ; & tamen creatura futura non est Idæa creaturæ actualis; ita à pari. Ad 2. dicitur *Arist.* loqui de causa proxima particulari creata, non verò de increata, quæ nequit vniuocè dici de creaturis; tum quia non ait vniuoca, sed *quasi vniuoca*. Ad 3. dicitur, quòd sicut Idæa in mente Artificis est ipsa res facienda intrinsecè existens in mente Artificis; ita Idæa creaturæ est res existens in Deo; at cum hoc discrimine; quòd res in Artifice distinguitur realiter ab Artifice, quia est accidens extrinsecè susceptum ab obiectis; at verò in mente Dei identificatur; quia Deus nequit aliquid suscipere ab obiectis extrinsecis.

33 Obijc. 4. Deus cognoscit in Verbo omnes creaturas faciendas; iuxta illud *Io. 1. Omnia per Verbum facta sunt*; sed illud, quod cognoscitur, vt principium factiuum creaturarum, est Idæa; ergo Verbum, vt factiuum creaturarum, est Idæa illarum.

Conf. *Beatiss. P. in ps.* 61. ait: *Verbum est, per quod facta sunt omnia, & in quo simul sunt omnia*, sed de Idæis idem ait; docet enim *q. 46. vbi sup. Secundùm eas formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest*; ergo Verbum est Idæa creaturarum.

Resp. has auctoritates nihil concludere; nam Deus cognoscit creaturas etiã in sua omnipotentia, & voluntate, tanquam in causa factiua illarum; & tamen nullus dixit, quòd omnipotentia, & voluntas sit Idæa formaliter. Dist. igitur mi. Illud, quod cognoscitur, vt principiũ factiuum, ad cuius similitudinem producuntur creaturæ, est Idæa, conc; Verbum autem non est sic factiuum creaturarum, sed est factiuum, *vt quod*, vel *vt quo*. Quod cognoscitur, vt principium factiuum, *vt quo*, vel *vt quod*, neg; sic enim scientia Dei, quæ est factiua creaturarum, & omnipotentia, quæ cognoscitur, vt factiua, esset illarum Idæa. Vel resp; sicut ad conf. *inf.*

Ad Conf. dicitur, quòd Verbum, & Idæa sunt diuersimodè factiua creaturarum; nam Verbum facit omnes creaturas vniformiter

Idæa verò facit, vt diſtinctas, & diuerſas inter ſe; ideo Verbo nequit conuenire ratio Idææ.

34 Obijc.4. Idæa debet continere formaliter omnes perfectiones ideati; vt patet de luce Solis, quæ quia continet tantùm virtualiter calorem, ideo nequit eſſe Idęa illius; ſed creaturę non continentur formalitèr in Deo; ergo nequeunt habere rationem Idęę.

Reſp. neg. ma; & ad prob. inſertam dicitur, quòd ad rationem Idęę requiritur, quòd pertineat ad eſſe intellectiuum; eſt enim forma intellectus, & requiritur, quòd ſit factiua idæati. Igitur lux in Sole non eſt Idæa caloris; quia Sol non eſt cognoſcitiuus; quòd ſi Sol eſſet intelligens, etiam lux poſſet eſſe illi Idæa ad producendum calorem. Præthereà Idæa eſt *id, ad quod reſpiciens Artifex operatur*; lux autem Solis non eſt id, ad quod reſpiciens Sol operatur calorem, ſed eſt id, per quod, tanquam per virtutem formalem, operatur calorem; & ideo non eſt Idæa. Sicuti licèt potentia generatiua ſit factiua ſui ſimilis, attamen quia non eſt factiua, vt obiectum cognitum, ad quod reſpiciat generans in operando, ideo non eſt Idæa geniti; ita à pari.

Ceteræ obiectiones vel ſolutæ ſunt *in ſup. art*; vel faciliter ſolui poterunt ex dictis.

ART. III.

An in Deo ſint plures Ideæ.

1 Hanc difficultatē latè examinauimus *To.1. de Attr. in com. q.2. art.16*; & ideo *hic* parum eſt immorandum, ne eadem ex ſuperfluo repetamus.

Supponimus autem Idæas non eſſe plures realiter, quia in Diuinis non datur pluralitas realis niſi inter perſonas; neque plures virtualiter; quia pluralitas virtualis importat pluralitatem Attributorum; vt diximus *vbi ſ. art.8; & 9*; ſed loquimur de diſtinctione ſimplicis æquiualentiæ, quæ poteſt competere perfectionibus eiuſdem attributi; vt viſum eſt *ibid. art.10.*

Solus *Aureolus* refertur *inter Theologos ſenſiſſe* in Deo eſſe vnam omnium rerum Idæam. Ceterùm *omnes alij* docent *cùm SS. PP.* plures in Diuina eſſentia eſſe Idæas.

2 Not; quòd licèt Idæa importet quid abſolutum; eſt enim quid commune tribus Perſonis Diuinis; attamen importat aliquod relatiuū ſecūdùm dici; quia importat modum relatiuum ad Idæatum; qui modus eſt realis, non rationis; ſicut ſcientia, quanuis ſit quid abſolutum, eſt enim de genere qualitatis, attamen eſt aliquod relatiuum ſecundùm dici; quia importat modum relatiuum ad ſuum obiectum. Ita à pari de Idæa reſpectu idæati; eo enim modo, quo ſcientia reſpicit ſuum obiectum, Idæa reſpicit idæatum. Et iſte modus relatiuus eſt relatio ſecundùm dici, quia dicitur relatio, ſed non eſt relatio; & eſt quid reale, licèt non ſit entitas noua realiter diſtincta; vt ſigillatio in cera eſt quid reale, quanuis non ſit entitas realis realiter diſtincta à cera. Sicut ergo relatio realis conſtituitur, & diſtinguitur per ordinem ad ſuum terminum correlatiuum, quem reſpicit, vt realiter diſtinctum; ita modus relatiuus conſtituitur, & diſtinguitur per ordinem ad ſuum obiectum, ſeu terminum, quem reſpicit, vt realiter reduplicatiuè diſtinctum; hinc dicimus omnes potentias, ſeu habitus conſtitui, & diſtingui per ordinem ad ſua obiecta formalia diſtincta; qui tamen ordo non eſt relatio ſecundùm eſſe, ſed ſecundùm dici; & hic ordo ſecundùm dici fundat poſteà relationem realem ſecundùm eſſe; ita hic modus relatiuus realis, quem dicit Idęa ad idęatum, fundat reſpectum rationis, quia intellectus cognoſcendo Idæam ad modum relatiui neceſſitatur ad cognoſcendam illam cum reſpectu ad ſuum idæatum; quapropter talis reſpectus rationis dicitur ens rationis neceſſitās conſequēs etiam ad cognitionem Diuinam, vt diximus *de Attr. in com. vbi ſup*; & in hoc ſenſu ait *B. Doct. reſpectum rationis ſe habere quaſi completiuè ad Idæam*; non quòd ſit conſtitutiuum illius; eſt enim Idęa aliquod reale formaliter in Deo exiſtens, quia eſt verum attributum illius, vt *infra* oſtēdemus, & ideo nequit conſtitui per aliquid rationis; ſed dicitur completiuè ſe habere, quatenus conſequitur neceſſariò ad cognitionem illius. *Vid. vbi ſup.*

3 Vnica concl. In Deo datur pluralitas æquiualenter ſimpliciter Idęarum fundans pluralitatem rationis. *Ita B. Doct. in 1. diſt. 36. prim. 2. q.3*; & alij quos retulimus *To.1. de Attr. in com. vbi ſup.*

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. Aug*; qui *lib.83. qq. q. 46.* ait: *Ideæ ſunt quædam principales formæ, & rationes*; quem modum loquendi ſeruat etiam *D. Dion. 5. de Diuin. Nomin. Exemplaria eſſe diximus in Deo rationes ſubſtantificas*; & alij SS. PP. communiter pluraliter ſemper appellantes Idæas. Imò etiam *Scriptura* ſic loquitur; vt diximus *ex Apoſt. Hebr.11. Vt ex inuiſibilibus inuiſibilia fierent*; vbi nomine *inuiſibilium* intelliguntur Ideæ.

Ratio autem affertur *à Beatiſs. P. vbi ſup. Si dici rectè, & credi non poteſt, quòd Deus irrationabiliter agat, reſtat, vt omnia ratione ſint condita; nec eadem ratione hominem, qua equum; hoc enim abſurdum eſt æſtimari. Singula igitur proprijs ſunt creata rationibus.* Et ſic efformatur. Artifex rationabiliter agēs nequit producere naturas artefactas inter ſe oppoſitas, & omnino diuerſas ſecūdū eādē Idęā; ſed Deus eſt Artifex agens rationabiliſſimè; ergo nequit producere plures naturas artefactas inter ſe oppoſitas, & omnino diuerſas per eādē Idæā Ma. prob. 1. *ex Fundat. Doct. hic.* Rationalitas agendi in Artifice ſumitur ex duobus. 1. quòd eius effectus ſortiatur propriam naturam, & non naturam alterius.

rius. 2. quòd in eo debitus ordo, & ſimetria partium attendatur: ſtatua enim hominis irrationabiliter fieret. 1. ſi ſortire tur figuram equi, non hominis. 2. ſi in ea poneretur pes loco manus, manus loco capitis, &c; ſed ſi res produceretur ſecundùm eandem Idæam, non ſortiretur propriam naturam; ſortiretur enim naturam communem omnibus, quia idæatum debet omnino proportionari, & adæquari cum Idæa; nec ſortiretur debitum ordinem, ac ſimetriam; quia ſortiendo plures naturas ſortiretur etiam plures, & diuerſos ordines, ac ſimetrias partium; nam diuerſæ naturæ habent diuerſum ordinē, & proportionem partium, vt patet; ergo Artifex rationabiliter agens nequit producere naturas artefactas inter ſe oppoſitas, & omnino diuerſas ſecundùm eandem Idæam. Mi. de ſe nota eſt.

Conf. Idæatum tunc fit rationabiliter ab Artifice, quādo omnimodè imitatur ſuam Ideā, ad cuius ſimilitudinem fit; ſed ſi fieret per Ideā communem omnibus idæatis, non imitaretur Idæam omnimodè, quia ſortiretur rationes, quæ ſunt in omnibus idæatis; ergo rationabiliter non fieret.

4 Prob. 2. Idęa reſpicit vnū idæatū formaliter, quatenus diſtinguitur ab omni alio idæato; in hoc enim diſtinguitur à ſcientia, quæ reſpicit obiecta ſcibilia ſub ratione vniuerſaliſſima ſcibilis, *vt ſic*; ergo Idęa multiplicatur ad multiplicationem idæatorum; nam relatiuum, quod formaliter reſpicit plura correlatiua formaliter, vt plura, multiplicatur ad multiplicationem illorum. *Vid. de Attr. in com*, vbi latè expendimus hanc rationem; vbi pariter videantur aliæ rationes probantes hanc concl.

Conf. Idæa reſpicit idæata, quatenus diuerſimodè imitatur ab illis; quanuis enim idęata imitentur Idæam nedum ſecundùm rationes vniuerſales, ſecundùm quas conueniunt, ſed etiā ſecundùm rationes particulares, ſecundùm quas idæata diuerſificantur inter ſe; attamen primariò reſpicit illa, prout diuerſificantur inter ſe; in hoc enim Idæa diſtinguitur à veſtigio, vt diximus ſuperiùs; ſed idæata ſecūdùm rationes particulares diſtinguuntur, & plurificantur inter ſe; ergo & Idææ ſecundùm rationes diuerſimodæ imitabilitatis diuerſificantur aliquo modo, & plurificantur inter ſe, & ideo in Deo ſunt plures Idææ; non plurificantur autem realiter, ſicut idęata; quia *nō requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*; vt habet commune proloquium; ſed tantùm æquiualenter ſimpliciter, & ratione cum fundamento neceſſitante, vt explicatum eſt *vbiſ.*

5 Prob. 5. Idæa importat formaliter eſſe creaturarum contētum in Diuina eſſentia eminenter virtualiter ſecundùm rationes vniuerſales, & proprias cuiuſque creaturæ; vt diximus in *ſup. art*; ſed rationes particulares, & propriæ cuiuſque creaturæ habent formaliter plurificare; ſicut rationes vniuerſales, & communes habent formaliter vnificare; ergo Idęę formaliter plurificantur, & ideo in Deo ſunt plures Idææ. Quia tamen illæ rationes propriæ, & particulares ſunt in Deo ſine diſtinctione reali, ſunt enim in illo ſine imperfectione, quam importat diſtinctio realis in eſſe; ideo Idææ non plurificantur realiter; ergo ſupereſt, quòd plurificentur ſolùm æquiualenter ſimpliciter, & ratione; quoniam rationes particulares, & propriæ ex ſuo conceptu formali important aliquam diſtinctionem, & pluralitatē; in hoc enim formaliter diſtinguūtur à rationibus vniuerſalibus, quæ ex ſuo conceptu important vnitatem; aliter ſi nullam prorſus importarent diſtinctionem, & pluralitatem, non haberent, per quid diſtinguerentur à rationibus vniuerſalibus.

6 Obijc. 1. Idæa eſt Diuina eſſentia, prout eſt imitabiliſ à creaturis; ſed Diuina eſſentia eſt vna; ergo Idææ non ſunt plures.

Reſp. retorq. Idæa eſt eſſentia Diuina, vt imitabilis à creaturis; ſed non eſt imitabilis, niſi ſecūdùm plura, & diuerſa eſſe creaturarum, quę continet in ſe ipſa; ergo in Deo ſunt plures, & diuerſæ Idææ, quæ formaliter deſumuntur ſecundùm plura, & diuerſa eſſe creaturarum, vt *ſup.* diximus. Diſt. igitur mi. Diuina eſſentia eſt vna ſecundùm ſua prædicata ſpecifica, conc; ſecundùm eſſe creaturarum, quæ continet, ſubdiſt. Eſt vna realiter, conc; eſt vna æquiualenter ſimpliciter, neg.

Obijc. 2. Scientia Dei continet in ſe ipſa creaturas nedū ſecundùm rationes vniuerſales, ſed etiam ſecundùm rationes particulares, quia illas cognoſcit ſecundùm omnes has rationes, vt diximus *de Scient. Dei q. 2. art. 3*; & ſic etiam omnipotentia continet omnes creaturas ſecundùm omnes rationes vniuerſales, & particulares; & tamen hoc non obſtante nō plurificatur ſcientia, aut omnipotentia; ergo à pari. Idem dicendum de Arte, & de omni alio habitu intellectus; imò etiam de ipſo intellectu, qui diſtinctè cognoſcit omnes gradus vniuerſales, & particulares.

Reſp. hoc ſolutū fuiſſe *de Attr. in com. q. 2. ar. 16. n. 3*. Neg. igitur con; & diſparitas eſt, quia omnipotentia, ſcientia, & cetera huiuſmodi reſpiciunt creaturas ſub ratione vniuerſali, ratione cuius attingūtur etiam gradus particulares, in quibus imbibitur illa ratio vniuerſalis; Idæę verò reſpiciunt creaturas formaliter ſub ratione particulari, ratione cuius repræſentantur etiā gradus vniuerſales, qui imbibuntur in ratione particulari; & quia vnitas, & diſtinctio habetur ab obiecto formali, quod primariò reſpicit, ideo diſtinguuntur Idææ; non autem ſcientia, omnipotentia, &c.

7 Obijc. 3. In rebus materialibus deuenitur ad vnam primam materiam, & in cauſis finalibus deuenitur ad vnum primum, & vltimum finem.

nem,& in cauſis efficientibus ad vnum primum efficiens; ergo & in Idæis debet deueniri ad vnam ptimam Idęam, quę ſit Idęa omnium Idęarum, & per conſequens in Deo non dantur plures Idæę.

Reſp.diſt.cõſ. Debet deueniri ad primã Idęã vnã realiter,& multiplicẽ ęquiualẽter, ac ratione,conc; vnã realiter, ęquiualenter, ac ratione, neg. Ratio autem, quare in cauſis materialibus deueniatur ad vnam primam materiam, vnam re, & ratione, eſt, quia materia ſecundùm ſuam entitatem vniſormiter reſpicit omnẽ formam, & ideo ſub ratione vniuerſali; non enim diuerſimodè reſpicit formas, niſi prout affecta diuerſis qualitatibus. Sic cauſa finalis vniuerſaliter reſpicit bonum,à quo mouetur; & cauſa efficiẽs vniuerſaliter reſpicit ens, vt ens producibile; Idæę verò reſpiciũt idęata ſub diuerſis rationibus; & ideo illa poſſunt reduci ad vnum primum re,& ratione;iſtæ verò nequaquam.

8 Inſt. Illud eſt magis vnũ, quod eſt vnum re, & ratione, quam quod eſt vnum re tantùm; ſed in Idęis debet concedi maior vnitas; ergo Idæę ſunt vnum re,& ratione.

Reſp. diſt.ma.Illud eſt magis vnum vnitate imperfectionis, conc; perfectionis,neg; & ſic diſt.mi.In Idæis debet concedi maior vnitas dicens perfectionem, conc; dicens imperfectionem, neg; vnitas autem Idæarum re, & ratione diceret imperfectionem, quia vnicum tantùm repræſentaret idæatum; vnitas verò re,& ratione, quæ conuenit ſcientiæ, & omnipotentiæ, nullam dicit imperfectionem, quia per vnicam rationem vniuerſaliſſimam ſciẽtia reſpicit omne ſcibile, & omnipotentia omne producibile;quod nequit conuenire Idææ,quæ per vnicam rationem particularem reſpicit tantùm vnum idæatum.

9 Obijc.4.In tantùm *ex B. Doct. Aegid.* plurificantur Idææ,in qnantùm important diuerſos reſpectus rationis, quibus quaſi complentur; ſed etiam ratio dominij importat reſpectum rationis ad creaturas, vt docet *Beatiſſ.P. de Trin. lib.5. c.15*; & tamen non plurificantur dominia; ergo neque Idæę.

Conf. Reſpectus rationis eſt quid extrinſecum; ergo nequit plurificare Idæas, quæ ſunt intra Deum. Tum quia Idææ ſunt quid reale; ergo nequeunt plurificari per aliquod rationis.

Reſp. diſt. mi. Ratio dominij importat reſpectum rationis vniuerſaliter ad omnem ſeruientem creaturam, conc; diuerſimodè, & particulariter, neg.

Ad conf. diſt. conſ. Nequit plurificare Idæas initiatiuè conc; cõpletiuè,neg. Idęæ ergo plurificantur initiatiuè ab æquiualẽtia ſimplici, quæ eſt fundamentũ neceſſitans intellectum ad efformãdos plures reſpectus rationis.Ad 2.diſt. ant. Sunt quid reale quoad entitatem,& æquiualentiam ſimplicem, conc; quoad diſtinctionem formalem actualem,neg.

10 Obijc.5.Multiplicatis obiectis ſecundarijs,& non multiplicato primario nõ multiplicatur potentia,quia multiplicatio potentiæ ſumitur ab obiecto primario, non ſecundario; ſed idæata ſunt obiecta ſecundaria, & Diuina eſſentia eſt obiectum primarium Idæarum; ergo quanuis multiplicentur idęata, quia tamen eſſentia eſt vna, ideo eſt vnica ratio Idææ.

Reſp.diſt. 2. partem mi. Obiectum primarium eſt eſſentia, prout importat formaliter diuerſa eſſe creaturarum, quæ continet in ſe ipſa, etiam ſecũdùm rationes particulares,ſecundùm quas diuerſificantur in ſe ipſis extra illam,conc; ſecundùm rationem vniuerſalem,neg.

11 Obijc.6. Si Idææ plurificarentur eſſent plura attributa; ſed conſequens eſt falſum,quia cùm in Deo ſint Idææ infinitę ſecundùm numerum, ſequeretur in Deo eſſe infinita attributa ſecundùm numerum; cuius oppoſitum docuimus *To.1. de Attr. in com.q.1. art.6*; ergo Idææ non ſunt plures.

Reſp. diſt. ma. Si plurificarentur virtualiter, conc; ſi tantùm æquiualenter ſimpliciter, neg; aliter etiam ſcientia ſimplicis intelligentię, & viſionis eſſent duo attributa, quod tamen eſt falſum, vt diximus *vbi ſup.art.10*.

ART. IV.

Afferuntur quædam corollaria.

EX dictis in tribus *art.* inferuntur quędam corollaria ad maiorem explicationem Idæarum.

1 Collig. 1. Idæas formaliter importare aliquod relatiuum ſecundùm dici, idèſt abſolutum cum modo relatiuo; ex conſequenti verò importare reſpectum rationis. Ratio primi eſt. Idęa non dicit relationem realem ad idæatum; nequit tamen intelligi ſine ordine *ad idęatum*; quia Idęa alicuius idæati eſt Idæa; ergo non importat relationem ſecundùm eſſe, ſed ſolùm ſecundùm dici, ſeu abſolutum cum modo relatiuo. Ratio ſecundi eſt. Reſpectus rationis reſultat ex eo, quòd intellectus actu referat Idæam ad idæatum; ergo merè conſecutiuè ſe habet;& ideo quaſi *completiuè*, quatenus complet diſtinctionem formalem actualem,quam initiat ęquiualentia ſimplex, quę eſt fundamentum illius.

2 Collig. 2. Diuinam eſſentiam non eſſe Idęam creaturarum ſub ratione Deitatis;ſed ſub ratione continentis eſſe ipſarum creaturarum. Ratio eſt;quia eſſentia ſub ratione Deitatis nõ eſt participabilis, & imitabilis à creaturis; eſt enim imitabilis, & participabilis ſolùm ſecundùm eſſe creaturarum, quod continet in ſe ipſa, vt *ſup.* diximus.

3 Collig.3.rationem Idęæ formaliter competere Diuinę eſſentię; per appropriationem autem poſſe dici de Verbo. Ratio 1. eſt. Idęa eſt quid abſolutum, & eſt attributum, *vt inferius*

go formaliter competit Diuinę essentię. Ratio 2. est. Verbum non solùm habet esse Idęam ratione essentiæ, sed etiam habet procedere, vt imago Patris perfectè repræsentans omnia illa, quæ cognoscuntur à Patre; sed etiam creaturæ cognoscuntur à Patre; ergo illi potest appropriari repræsentatio creaturarum, & per consequens ratio Idææ; non tamen propriè procedit, vt Idæa creaturarum; quia procedit, vt vnum, & vt repræsētans sub ratione vniuersali omnes creaturas; cùm intelligere, per quod procedit, sit vniuersalissimum; vt pluries diximus.

4 Collig. 4. pluralitatem Idęarum non repugnate Diuinæ essentiæ, sed esse perfectionem illius. Ratio est; quia simplicitas Diuinæ essentiæ est perfectissima, & est plena omnibus perfectionibus; non enim est, sicut simplicitas puncti, quæ est vacua, egena, & miserabilis; ergo pluralitas Idæarum non repugnat, sed maximè conuenit perfectioni essentiæ Diuinæ.

5 Collig. 5. Idæas formaliter sumptas non prædicari ad inuicem in abstracto. Ratio est. In tantùm attributa prædicantur substantiuè in abstracto; in quantùm important vnam, & eandem simplicissimam formalitatem implicitè, & explicitè solùm diuersam; vt diximus *To. 1. vbi sup. q. 3. art. 2*; sed Idææ formaliter sumptæ important diuersitatem formalis repræsentationis; ergo non prædicantur formaliter ad inuicē. Hinc non valet: *Idæa hominis est Idæa equi &c.* Tum quia Idææ important distinctionem rationis necessitantem omnem intellectum; ergo necessariò petunt intelligi, vt diuersæ. Vid. quę diximus *vbi sup. q. 2. art. 16*.

5 Collig. 6. Idęas esse numero infinitas. Ratio est; quia Deus habet Idæas omnium creaturarum futurarum, & possibilium, quæ sunt infinitæ, *vt inf.* tum quia habet Idæas omnium numerorum; tum quia habet Idæas omnium cognitionum, & volitionum, quas habebunt homines, & Angeli per totam æternitatem, quæ non possunt esse, nisi infinitæ.

7 Collig. 7. Idæas, si comparentur inter se, nullum habere ordinem perfectionis, aut dignitatis; quem tamen habent in ordine ad idæata. Ratio est; quia Idææ in Deo sunt ipse Deus, & in Deo nulla potest esse inæqualitas perfectionis, vt ostendimus *vbi sup. q. 3. art. 3*; idæata verò inter se sunt magis, & minùs perfecta; ergo Idææ comparatæ inter se, prout sunt in Deo, nullum ordinem perfectionis maioris, vel minoris possunt habere; secus tamen in ordine ad idæata; qui tamen ordo est extra Deum in creaturis, non autem in Deo.

8 Collig. 8. Creaturas habere verius, & perfectius esse in Idæis Diuinis, quàm in se ipsis; quia in illis sunt veræ per primam veritatem increatam; in se ipsis autem per veritatem creatam, quæ est fallibilis, quia mutabilis; sequitur enim ad entitatem mutabilem; & in Idæis sunt perfectæ sine vlla imperfectione; in se ipsis autem sunt perfectę cum admixtione imperfectionum, quæ consequuntur ad esse creaturarum.

ART. V.

An Idæa spectent ad scientiam practicam, & speculatiuam?

1 IDem est, quod proponitur à *Fundatiss. Doct.* ac quęrere, an in Idæis videātur nō solùm creaturæ possibiles, sed etiam futuræ, & existentes? Igitur.

Prima sentētia vult in Idęis Diuinis videri solùm creaturas possibiles, non verò futuras etiā post decretum. Tribuitur *Scot. in 1. 39. q. 1; Lychet; Tataret; & alijs Scotistis*; quibus fauent *Aureol; Okam; Sua, Vasq; Albertin; Fasol; & alij.*

Secunda sententia docet creaturas possibiles videri in Idæis Diuinis ante decretum; post decretum verò in ijs videri futura, & existentia. *Ita B. Doct. in 1. dist. 36. q. 3; & in Defens. D. Tho. 1. p. art. 3.* Ipsum sequuntur *omnes illius Discipuli*; & ex alienis communiter sequuntur exceptis paucis allatis pro prima sententia.

2 Not. autem pro resolutione difficultatis; quòd Idæam esse necessariam Artifici ad regulandam eius scientiam in opere faciendo, dupliciter intelligi potest. 1. Ita, vt Idæa sit principium actiuum impressum tāquam forma intrinsecè inhærens intellectui Artificis coelicitiuum intellectionis, vt dicitur de specie, & lumine. 2. Ita, vt se habeat, vt terminus, ad quem respiciendo operatur; vt est verbum, in quo intellectus, tanquam in termino suæ intellectionis, intelligit omnia reprę̄sentata per illud. Igitur esse principium *quo* operationis ipsius Artificis stat dupliciter. 1. ex parte principij cognoscentis. 2. ex parte obiecti cogniti. Idæa dicitur necessaria scientię Artificis solùm secundo modo; scilicet ex parte obiecti; quia est terminus, ad quem respiciens Artifex operatur.

Sicut autem scientia Artificis potest merè speculatiuè versari circa opus factibile, quatenus considerat aliquod opus, quòd potest facere, absque tamen determinatione voluntatis illud faciendi; & absque eo, quòd actu se applicet ad illud faciendum; & potest practicè versari circa illud, quatenus decernit illud facere, & actu se applicat ad illud faciendum; ita Idæa, quæ sequitur scientiam Artificis, potest inseruire illi scientię ad merè speculandum illud opus; & ad practicè illud faciendum. Quatenus Idæa inseruit scientię Artificis ad merè speculādum, dicitur factiua *virtute*, quia constituit eius sciētiam optimè instructam ad faciendum ita, vt si accedat decretum de opere faciendo, illa scientia potest sapienter operari. Quatenus verò inseruit scientiæ practicè operanti, Idęa dicitur *actu* practica; quia actu dirigit nedum eius scientiam practicè operantem, sed etiam ipsam

ſam actualem operationem. *Vid. B. Doct. ubi ſup. His not.*

3 Vnica concl. Idæa ſpectat ad ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam, quamuis ex vſu vocabuli magis propriè ſpectare dicatur ad ſcientiam practicam.

Prob.1. *ex Beatiſſ.P. Aug. lib.83.qq. q.46. cit*; vbi habet loquens de Idæis: *Secundùm eas formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt; & omne id, quod oritur, & interit*; vbi diſtinguit illud, quod poteſt oriri, & interire, ab illo, quod oritur, & interit; ſed illud quod poteſt oriri, & interire, eſt poſſibile; & illud, quod oritur, & interit, eſt actuale; ergo datur Idæa reſpectu poſſibilium, & exiſtentium.

4 Prob.2.ratione. In Artifice creato Idæa, ſeu exemplar externum nedum regulat ſcientiam Artificis contemplantis in ipſa opus factibile, antequam illud faciat; ſed etiam, cùm actualiter operatur producendo opus, regulat actionem practicam illius; quapropter cùm actu operatur, ſemper aſpicit ad ipſam Idæam, tanquam ad regulantem actualem illius operationem, qua practicè operatur; ergo & in Deo Idæa ſpectat nedum ad ſcientiam ſpeculatiuam, ſed etiam ad ſcientiam practicam; ita enim philoſophari debemus de Deo, ſicut videmus in creaturis.

Conf. Idæa ſequitur ſcientiam Artificis; eſt enim regula illius; ſed ſcientia Artificis alia eſt practica, alia ſpeculatiua; ergo Idæa pertinet ſimul ad ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam.

5 Prob.2. pars concl. Idææ quo ad vſum nominis ethimologicè ſūpti ſignificat formã, vt *ex Beatiſſ. P. Aug. notat B. Doct. Aegid*; ſed forma importat principium operandi; & principium operandi pertinet ad ſcientiam practicam; ergo Idæa ex vſu vocabuli, & iuxta ethimologiam nominis pertinet potiùs ad ſciẽtiam practicam, quàm ad ſpeculatiuam.

6 Obijc.1. *ex Beatiſſ.P. Aug. vbi ſup. q.46*; habetur. *Tanta vis conſtituitur in Ideis, vt niſi his intellectis ſapiens nemo eſſe poſſit*; ſed ſapientia importat ſolùm quid ſpeculatiuum, vt ait *Ariſt.1. Met*; ergo Idæa ſolùm ſpectat ad ſcientiam ſpeculatiuam.

Reſp; quòd *ibid.* habetur etiam: *Secundùm eas formari dicitur omne id, quod oritur, & interit*; & ideo *ex Beatiſſ. P.* habetur nedum pertinere ad ſcientiam ſpeculatiuam, ſed etiam ad ſcientiam practicam; vnde illa propoſitio non debet intelligi taxatiuè, prout dicit *tantùm* ſed ampliatiuè, prout dicit *etiam*. Igitur diſt. ma. Vt niſi his intellectis ſapiẽs nemo eſt, & ſapienter operans eſſe poſſit, conc; ſapiens tantùm, non ſapienter operans, neg.

6 Obijc.2. Deus per Idęas cognoſcit res, & earum paſſiones; ſed hæc cognitio eſt tantùm ſpeculatiua; ergo Idæa pertinet ſolùm ad ſcientiam ſpeculatiuam.

Reſp. diſt. ma. Cognoſcit res, & earum paſſiones, illaſque operatur, conc; & illas non operatur, neg.

8 Obijc. 3. Idæa importat eſſe principium formatiuum idæati; ſed principium formatiuum eſt tantùm practicum; ergo Idæa pertinet tantùm ad ſcientiam practicam.

Reſp. diſt. ma. Importat principium formatiuum, vel virtute, vel actu, conc; actu tantùm, neg.

ART. VI.

An Idæa ſit Attributum Dei?

1 Non loquimur de hac, vel illa Idęa in particulari; ſed loquimur de ipſa, ſecundùm quòd complectitur Idæas omnium rerum; ſicuti quando quærimus, an omnipotentia ſit attributum Dei, non ſumimus omnipotentiam veluti indiuidualiter, quatenus eſt productiua aliquarum creaturarum in particulari, non omnium; ſed veluti ſpecificè, prout reſpicit omnes creaturas in vniuerſali. Ita à pari.

2 Vnica concl. Idæa eſt attributum Dei. Colligitur apertè *ex Fundatiſſ. Doct. q.3*; vbi docet Idęam ſpectare ad attributum ſcientiæ, tanquam proprium illius; & *ex Beatiſſ. P.* docente Idæam ſpectare ad artem, vt dictum eſt.

Prob.1. Idææ *ex Beatiſſ. P. q.46. vbi ſup.* ſunt formæ exemplares cauſatiuę rerum primæ, & principales, immutabiles, & æternę; ergo ſunt vnum ex attributis Dei. Ant. patet ex definitione Idææ tradita ex eodem *art.1.* Prob. conſ. Forma cauſatiua creaturarum prima ſimpliciter, & immutabilis conuenit ſoli Deo, quia omne; quod eſt in creatura, non eſt cauſatiuum omniũ creaturarum; aliter eſſet etiam cauſatiuum ſui ipſius; & eſt quid ſecundarium, & ſimpliciter mutabile; item conuenit Deo ſupponendo eſſentiam Diuinam plenè, & perfectè *conſtitutam* in ordine ad ſe, quia priùs eſt res eſſe in ordine ad ſe, quàm in ordine ad aliud; nam operari, quod eſt in ordine ad aliud, ſequitur ad eſſe, quod eſt in ordine ad ſe; ergo Idæa eſt vnum ex attributis Dei.

3 Prob.2. Idęa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex adueniẽs Diuinę eſſentiæ iam conſtitutę in ſua linea ſubſtantiali plenè, & perfectè; ergo eſt attributum Dei. Prob. ant. Idæa eſt forma intellectualis; ſed forma intellectualis eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia eſſe intellectuale ſecundùm totum ſuum genus nullam inuoluit imperfectionem in proprio conceptu formali; & & hęc forma intellectualis conſequitur ad ſciẽtiam, cuius eſt attributum; ſcientia verò ſequitur ad eſſentiam Diuinam completè conſtitutam in ſua linea ſubſtantiali; ergo Idęa eſt perfectio ſimpliciter ſimplex adueniens Diuinæ eſſentiæ iam conſtitutæ in ſua linea. Conſ. patet, quia perfectio ſimpliciter ſimplex abſoluta formaliter in Deo exiſtens eſt attributum illius.

Conſ.

Conf. Idæa in creaturis interna est proprietas scientiæ creatæ; ergo Idæa in Deo est attributum scientiæ Dei.

4 Prob. 3. Potentia efficiens productiua creaturarum est attributum Dei, vt diximus *To.1 de Omnipot. Dei art.6*; ergo & causa exemplaris productiua creaturarum est attributum Dei, cùm causa exemplaris requiratur ad potentiam efficientem productiuam; sed Idæa est causa exemplaris; ergo est attributum Dei.

Vid. alias rationes *loc. cit. de Vita Dei ar.1.n.6.*

5 Obijc. 1. Idæa est essentia Dei, quatenus imitabilis à creaturis; sed essentia Dei sub nulla ratione potest esse attributum, quia essentia rei sub nulla ratione potest fluere à se ipsa; de ratione enim attributi est fluere ab essentia; ergo Idæa non est attributum.

Resp. dist. ma. Idæa est essentia Dei secundùm continentiam esse creaturarum, quatenus est exemplabile, & imitabile ad extra, conc; est essentia Dei secundùm prædicata essentialia constitutiua, neg; vnde Idæa dicitur essentia Dei identicè, & realiter, non autem virtualiter.

6 Inst. Creaturæ non continentur in Deo formaliter; sed solùm virtualiter eminenter; sed Idæa est esse creaturæ contentum in Deo; ergo non est attributum, quia de ratione attributi est contineri formaliter in Deo.

Resp. dist. mi. Idæa est esse creaturæ contentum in Deo, prout imitabile ad extra, conc; secus, neg. Quamuis ergo creaturæ contineantur tantùm eminenter in Diuina essentia, quia in suo conceptu formali important aliquam imperfectionem; attamen imitabilitas illius esse, quæ constituit formaliter rationē Idææ, est formaliter in Deo, quia cùm talis imitabilitas spectet formaliter ad esse intellectuale, quod in suo conceptu formali nullam inuoluit imperfectionem, est formaliter in Deo; & ideo Idæa, quæ per illam cōstituitur, est formaliter in Deo. Exēplum est de omnipotētia, quæ cōtinet creaturas in esse producibili, & tamē est formaliter in Deo.

7 Obijc. 2. Idææ sunt principium cognoscendi, & operandi; sed attributa non tribuuntur essentiæ, vt principium cognoscēdi, & operandi; quia voluntas, quæ est attributum, non est principium cognoscendi; ergo Idææ non constituūt vnum attributum.

Resp. dist. mi. Vniuersaliter, conc; specialiter, neg; quamuis enim non omnia attributa sint principia cognoscendi, & operandi; attamen aliqua sunt huiusmodi, vt patet de scientia.

8 Obijc. 3. Vnum attributum formaliter prædicatur de altero; sed vna Idæa non prædicatur de alia; quia non valet *Idæa equi est Idæa hominis*; ergo Idæa non est attributum.

Resp. hoc argumentum nihil concludere ex vi formæ; quia non dicimus Idęam equi, prout contradistinguitur ab Idæa hominis, esse attributū; sed dicimus Idæam, prout complectitur omnes Ideas, esse attributum. Disparitas autem assignata est *art.4.n.5.*

ART. VII.

Quorum Deus habeat Idæam?

1 **B**Eatiss. P. Aug. q.46. vbiss. & Tract.1. in Io; & 6. de Trin. c.10. docet vniuersaliter illa habere Idæam in Deo, quæ fiunt, vel fieri possunt à Deo; quia Idæa est quędam forma, seu ratio factiua idæati; ex quo sequitur, quòd illa, quæ non fiunt, nec fieri possunt à Deo, veluti sunt quicunq; defectus, qui non habent causam efficientem, sed deficientem, seu non efficiētem, non habere Idæam in Deo. Ait enim *q.46*; vt *sup.* vidimus. *Secundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire potest, & omne, quod oritur, & interit; & in Io. Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia.*

2 *B. Doct. Aegid. hic q.4.* hanc doctrinam vniuersaliter traditam de rebus, quæ fiunt, vel fieri possunt à Deo, specialiter de vnaquaque re singillatim explicat sic.

Cùm Idæa nedum sit principium factiuum idæati, sed etiam sit principium cognoscitiuum illius; & illa, quę fiūt à Deo, alia sint distincta factione, quia producūtur per distinctas actiones; alia verò non distinguantur factione, quia producuntur per eandem actionem, vt sunt partes in eodem composito. Rursus illa, quę producuntur eadem actione, alia sint distincta realiter, quia habent entitates realiter distinctas; alia autem non distinguantur realiter, sed tantùm virtualiter; vt rationes vniuersales, & particulares eiusdem rei. Item illa, quę sunt distincta realiter, alia sint actus distincti; vt forma substantialis, & accidentalis; & alia se habeant per modum actus, & potentiæ; vt materia, & forma. Tandem illa, quæ sunt actus distincti, alia sint, quę existunt per diuersam existentiam; vt Petrus, & Paulus; & alia, quę existunt per eandem existentiam, vt accidens, & subiectum; idcirco idæata alia sūt, quę habent Idæam distinctam factione, actu, existentia, & cognitione; alia habent Idęam distinctam solùm actu, & cognitione, non factione, & existentia; & tandem alia habent Idęam distinctam tantùm cognitione, non actu, existentia, & factione. Igitur.

3 Diuina essentia non est Idæa Diuinarum Personarū. Ratio est. Idæa est causa realis exemplaris idæati; Diuina autē essentia non est causa realis Diuinarū Personarum; quia essentia non generat, nec spirat.

4 Mala culpæ, priuationes, negationes, chimæræ, & quicunque defectus habent Idęam in Deo, à qua discordant, non quam imitantur. Ratio est. Mala culpę, priuationes, & cetera verè nō fiunt, cùm non sint effectus, sed defectus; ergo discordant ab efficientia, & ideo habent Idæam, à qua discordant; sicut enim quæ fiunt, concor-

dant cum ſua Idæa; ita, quæ non fiunt, ſed deficiunt ab efficiētia, diſcordant ab Idæa, per quam fiunt, & quam imitantur entia, quæ illis opponuntur. Tum quia omnes defectus cognoſcuntur per Idęam effectuum, quibus opponuntur; *Rectum enim eſt index ſui, & obliqui*; ſed non cognoſcuntur per concordantiam; ergo per diſcordantiam, & oppoſitionem ad illos.

5 Diuina eſſentia eſt Idęa omnium poſſibilium. Ratio eſt Diuina eſſentia eſt Idęa omnium, quæ poſſunt fieri; ſed poſſibilia poſſunt fieri; ergo Diuina eſſentia eſt Idęa omnium poſſibiliū.

6 Materia prima non habet Idæam factione, actu, aut exiſtentia diſtinctam ab Idęa formæ, ſed habet Idæam diſtinctam ſolùm cognitione. Ratio primi eſt. Materia nequit fieri, aut exiſtere ſine forma, neque eſt actus diſtinctus à forma, quia eſt pura potentia; vt ſupponimus *ex Phyſi* ergo non habet Idęam diſtinctam factione, exiſtentia, aut actu ab Idęa formæ. Ratio ſecūdi eſt. Materia cognoſcitur à Deo, vt diſtincta à forma.

7 Dices. Materia non eſt cognoſcibilis, niſi per analogiam ad formam; ſed quod cognoſcitur per analogiam ad aliud, non habet Idęam propriam, ergo materia non habet Idęā in Deo. 2. Materia eſt pura potentia, & Deus eſt purus actus; pura autē potētia nequit imitari actū purū.

Reſp. *B. Doct.* diſt. ma. Non eſt cognoſcibilis, niſi per analogiam ad formam ab intellectu noſtro, côc; ab intellectu Diuino, neg. Cùm enim intellectus noſter actuetur à rebus, & pura potentia nō poſſit actuare, quia ſolus actus actuat; ideo noſter intellectus nequit intelligere materiam, niſi per formam, quę eſt actus illius; at verò intellectus Dei, cùm non actuetur à rebus, nō enim accipit ſpecies ab illis, ſed actuet, & conſtituat illas in ſpecie; ideo poteſt intelligere materiam per Idęam illius ſine analogia ad formam. Ad 2. diſt. mi. Pura potentia nequit imitari purum actum participando illum, neg; nequit imitari per actualitatē, quam habet in ſe, conc.

8 Vniuerſalia, ſcilicet genera, & ſpecies nō habent Idęam diſtinctam ab Idęa particularium factione, actu, & exiſtentia; ſed tantùm cognitione. Ratio eſt. Vniuerſalia fiunt per eādem actionem, per quam fiunt particularia; item non ſunt actus, ſed ſe habent, vt potentia paſſiua; genus enim comparatur materię, & differentia formę. Item exiſtunt per eandem exiſtentiam; tandem cognoſcuntur à Deo, vt virtualiter diuerſa; quatenus ſcilicet poſſunt fundare diſtinctionem rationis reſpectu noſtri intellectus; ergo non habent Idæam diſtinctam factione, actu, & exiſtentia, ſed tantùm cognitione.

9 Accidentia propria, & inſeparabilia non habent Idæam ab Idęa ſubſtantię diſtinctam factione, aut exiſtentia, ſed tantùm actu, & cognitione. Ratio eſt. Accidentia propria producuntur, & exiſtunt per productionem, & exiſtentiam ſubſtantię; ſunt tamen actus realiter diſtincti à ſubſtantia, quia ſunt formę accidentales; ergo non habent Idæam diſtinctam factione, & exiſtentia; ſed tātùm actu, & cognitione. Hoc intelligi debet ſecundùm ordinem naturę; nam miraculosè forſitan accidentia propria poſſunt exiſtere per exiſtentiam diſtinctam, vt quantitas *in Sacramento Altaris*.

10 Accidentia communia non habent Idęā diſtinctam exiſtentia ab Idęa ſubſtantię, ſed tantùm factione, actu, & cognitione. Ratio eſt. Accidentia communia exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantię; ſunt tamen actus realiter diſtincti, neque per eandem producuntur actionem, per quam producitur ſubſtantia; non enim ſtatim, ac homo eſt, muſicus eſt; & cognoſcuntur à Deo, vt diſtincta à ſubſtantia; ergo habent Idęam diſtinctam factione, actu, & cognitione; non autem exiſtentia.

11 Indiuidua inter ſe comparata habent Idęam diſtinctam factione, actu, exiſtentia, & cognitione; nam non fiunt per eādem actionem; neque ſunt idem actus, neque exiſtunt per eandem exiſtentiam, neque cognoſcuntur, vt indiſtincta.

12 Formę materiales habent Idęam diſtinctam ab Idęa compoſiti actu, & cognitione; non tamen factione, & exiſtentia. Ratio eſt. Formę materiales ſunt diuerſi actus realiter diſtincti à materia, & cognoſcuntur à Deo, vt diſtincti; fiunt tamen, & exiſtunt ſimul cum materia, quod intelligendum eſt de materia ſecunda, quę in qualibet productione fit ſimul cum forma; non autē de materia prima, quę in principio creationis à Deo facta eſt cum primis formis; nam formę, quę modò fiunt per generationem, fiunt per actionem diuerſam ab actione, qua facta fuit materia in principio creationis.

13 Anima rationalis habet Idęam ab Idæa corporis diſtinctam factione, actu, exiſtentia, & cognitione; nam anima rationalis *fit* per creationem, quotieſcunque generatur *homo*; corpus verò pręſupponitur efformatum in ventre matris; item eſt actus realiter diſtinctus, qui poteſt exiſtere ſeparatim à corpore; & cognoſcitur à Deo, vt diſtinctus.

14 Collig. ex dictis Deum habere Idæam omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium, & perfectionum ſimpliciūm, quia quidquid eſt in creatura, eſt productum à Deo artificioſo modo, & ideo per Idæam.

15 Aduertendum tamen *ex B. Doct. hic*; quòd quando dicimus Deum habere Idęam diſtinctam cognitione, non eſt ſenſus, quòd cognitio, qua cognoſcitur vnum, ſit diſtincta à cognitione, qua cognoſcitur aliud; Deus enim vnica cognitione omnia cognoſcit; ſed eſt ſenſus, quòd per eandem cognitionem vnum cognoſcitur, vt diſtinctum ab alio ita, vt illa diſtinctio ſe teneat ſolùm ex parte rei cognitæ; non autem ex parte cognitionis.

DE

DE VOLVNTATE DEI.

INtellectus,& voluntas,sicut radius, & ardor,insolubili nexu iunguntur;vt docent vnanimi consensione sapientes . Quemadmodum enim radius sine ardore nulli vsquam proficuus expiraret exanimis;& ardor sine radio caecutiret omnino,quonam deferretur ambiguus;sic sine voluntate intellectus nunquam ad bonum proficeret, viralique priuatus ardore cōtinuò expirarer ad meritum;& voluntas sine intellectu penitus caeca semper vacillaret in praeceps . Si voluntatem intellectus deperderet,rationis euerteretur imperium,actuumque in animae Regno viuentium tolleretur dominium;& si intellectu priuaretur voluntas,huius imperij subuerteretur Tribunal, quo paenae decernuntur,& praemia,Iudicijque corrueret Forum,quo animae Regnum aequè administratur, ac regitur.Ille lux,ista ardor.Ille viam parat ad finem,quò tendimus;ista motum vrget ad metam, qua nostra continetur felicitas. Absque ea protinus extingueretur hic ardor,sine hoc ardore non non foueret ea lux animę vitam. Quòd si hae duae potentiae inuiolabili vnionis foedere adeò colligantur in nobis , vt voluntas intellectum sequatur , ne sine ratione procedat;quis in Deo,in quo summa vnitas est,perfectissimae identitatis nexu eas coniungi inficiabitur? Habito igitur sermone de ijs,quae intellectui Dei propriè conueniunt,ad inquirenda ea,quae in eius voluntate latent, mysteria mens vertitur,inhiat animus. Quoniam tamen in duobus superioribus Tractatibus plura huc spectantia explicata sunt ; ob connexionem enim amborum vnum ab altero seiungi omnino non potest;idcirco minores tolerandae erunt angustię.

Q V AE S T. I.

De Voluntate Dei,vt est potentia.

NOtum est omnibus conceptū potentiae priorē esse conceptu actus,quia potentia est principiū actus;& conceptum actus esse priorem conceptu obiecti; quoniam obiectum est terminus. Priùs ergo de Voluntate Dei, posteà de actu , & randem de eius obiecto recto ordine esset agendum ; quia tamen obiectum nedum haber rationem termini , sed etiam motiui, quod essentialiter est principium actus;ideo priùs de potentia,deinde de obiecto, & tandem de actu tractabimus.

ART. I.

An Voluntas sit formaliter in Deo ?

1 VOluntas iuxta propriā nominis notionem significat potētiam spiritualem tendentem in bonum apprehensum, eique repraesentatum ab intellectu . Dicitur autem tendere per modum inclinationis , propensionis, impetus , & ponderis ; quia *voluntas trahitur à rebus , intellectus verò trahit res ad se* ; vt docet *Arist.* Igitur ita se habet volūtas in spiritibus;sicut grauitas , & leuitas in corporibus ; sicut appetitus ad formam generandam in vegetabilibus,& sicut appetitus sensitiuus in sentientibus. Hinc voluntas solet etiam appellari *appetitus rationalis* in homine,& *intellectualis* in substantijs separatis;non quòd sit propriè,& formaliter appetitus,vt *inf.*videbimus; sed quia sicut inclinatio naturalis sequitur formam inanimem , & appetitus sensitiuus formam sensitiuam; ita voluntas sequitur formam intellectualem ; vnde per quandam similitudinem,& propter propinquitatem appetitus dicta est. Praeterea sicut appetitus , cùm non sit reflexiuus supra se ipsum, quia est materialis , ideo semper inclinat ad bonum , quod actu non possidet , & illud dicitur appetere;in quo differt à delectatione sensuali , quae est de bono sensibili possesso ; ita voluntas creata, licèt sit conuersiua, quia tamen ipsa non continet in se ipsa omne bonum,ideo potest inclinari ad bonum,quod actu non habet;& actus respiciens hoc bonum non possessum dicitur desiderium , qui similitudinariè dicitur appetitus;ac distinguitur à delectatione spirituali , & gaudio; haec enim respiciunt bonum possessum. sed de hoc *inf.Tract.de Amore*; vbi agemus de alijs affectionibus voluntatis Dei.

2 Idem autem,quod diximus *de Scient.Dei q.1.art.1.§.2. n. 23*; dicendum est etiam de Voluntate,quę importat aliquod formaliter secundùm proprium conceptum essentialem,per quē constituitur ; & multa dicit materialiter ratione subiecti , in quo reperitur. Igitur voluntas formaliter importat esse potentiam inclinatiuam ad bonum,vt bonum; quòd autem sit accidens;quòd sit potentia passiua realiter distincta à suo actu, finita, limitata ; quòd possit tristari, odio habere,peccare,mutari, tendere in bonum absens,non possessum, & cetera huiusmodi,conueniūt voluntati solùm ratione subiecti, in quo est; cùm enim creatura non sit omne esse , ideo potest realiter acquirere aliquod esse , quod priùs nō habebat; & quia illud esse aduenit realiter post esse substantiale , ideo est accidens illius, & sic est in potentia passiua ad illud ; ita omnis potentia creaturae, cùm commensuretur, & proportionetur cum illius essentia , debet esse in potentia passiua ad suum actum ; & sicuti essentia creaturae est finita , & limitata , ita omnes proprietates illius,quae ei debēt proportionari,sunt finitae,& limitatae; cùmque obiectum voluntatis creatę non sit omne bonum nullam inuoluens rationem malitię, sed bonum admixtum malitiae,sicuti essentia creaturae non est omne es-

ne esse excludens omnem defectum, sed est aliquod esse determinatum includens defectum, seu negationem cuiuscunque alterius esse; ideo sicut de suo obiecto, quatenus est bonum, potest gaudere, delectari, illud amare, & in illud tendere prosequendo quocunque alio actu positiuo; sic de suo obiecto, quatenus est malum, potest tristari, mærere, timere, dolere, pœnitere, & in illud tendendo peccare. Et quia voluntas non est omnis actus, sed est in potentia passiua ad actum; ideo potest esse, & non esse sub actu, & per consequens mutari. Tandem quia voluntas creata est distincta à bonitate obiecti, ideo potest tendere in bonum absens. At verò volūtas, quatenus est in Deo, cuius essentia est omne esse, & omne bonum, non habet rationem accidentis; quia omni esse nihil potest accidere, cùm vltra omne nihil sit; & ideo nequit esse in potētia passiua ad esse; cùm nihil sit in potentia passiua ad id, quod est; neque potest esse finita, & limitata, quia essentia Dei est infinita, & illimitata; neque potest tristari, odio habere &c; quia tendit in omne bonum; neque mutari, quia eius actus est omnis actus infinitus, & æternus; neq; tandem potest tendere in bonum absens, quia in se ipsa continet omne bonum. Loquimur ergo in præsenti de voluntate formaliter sumpta, secundùm suum proprium conceptum, seu rationem formalem; non verò materialiter secūdùm imperfectiones, quas importat in creaturis.

3 *Omnes Theologi* concorditer docent in Deo esse voluntatem formaliter; *& Fundatiss. Doct. id probat in* 1. *dist*. 45. *princ*. 1. *q*. 1. Solus *Vasq.* ait; rationem *D. Tho*; quàm etiam affert *B. Doct. in contrarium*, quæ deducitur ex eo, quòd voluntas sequitur intellectum; & cùm in Deo sit intellectus, in illo etiam debet esse voluntas; ait, inquam, hanc rationem non esse demonstratiuam, sed explicatiuam. Ceterùm omnes communiter illam admittunt, & impugnationum illius insufficientiam *inf.* ostendemus.

4 Vnica concl. in Deo est formaliter voluntas. Est de Fide; & habetur *Gen*. 27. *Voluntas Dei fuit; & 45. Dei voluntate huc missus sum; & Matth. 6. Fiat voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra*; quod habetur etiam *Luc*. 11; *& in Oratione Dominica*; *& Luc*. 21. *Non mea voluntas, sed tua fiat*; vbi Christus Dominus contradistinguit voluntatem creaturæ à voluntate Dei; ex quo manifestè deducitur voluntatem esse in Deo nedum eminenter, quia voluntas eminenter contenta est voluntas creaturæ; sed etiam formaliter, quia sic est voluntas Dei, prout contradistincta à voluntate creaturæ. Idem habetur *pluribus alijs in locis.*

Prob. 1. *ex Beat. P. Aug. lib*. 11. *Confess. c*. 10; *&* 11. docēte. *Voluntas Dei creatura non est, quia nō crearetur aliquid, nisi voluntas Dei precederet; ad ipsam ergo Dei substantiam pertinet volūtas eius.* Formatur autem hæc ratio sic *à Fundatiss. Doct. vbi sup.* Vbi datur formaliter libertas, & delectatio, quæ competit entibus spiritualibus, ibi datur formaliter voluntas; sed in Deo est formaliter summa libertas, & delectatio; ergo in ipso est formaliter voluntas. Prob. ma; nam libertas idem est, ac voluntas habens dominium suorum actuum; sola enim voluntas est domina suorum actuum, & ideo sola ipsa est libertas; delectatio autē non quæcunque, quia aliqua delectatio imperfecta, & sine dominio suorum actuum competit etiam Brutis, & Pueris ratione carentibus, sed illa delectatio, quæ competit entibus spiritualibus, & est perfecta delectatio, contradistinguitur à vera tristitia, quæ competit spiritibus; tristitia autem est illa, quæ est de eo, quod est contra voluntatem; & ideo delectatio in spiritibus est illa, quæ est de eo, quod est iuxta voluntatem; sicut enim delectatio in materialibus est illa, quæ est iuxta inclinationem naturalem; ita delectatio in spiritibus est illa, quæ est iuxta inclinationem spiritualem, quæ non est nisi voluntas, vt supra diximus; ergo vbi est summa libertas, & delectatio formaliter, ibi est formaliter voluntas. Prob. mi. Libertas sequitur cognitionem; & eò perfectior est, quò perfectior est cognitio; cognitio autem eò perfectior est, quò est abstractior, & vniuersalior, non abstractione, & vniuersalitate logica, quæ dicit potentialitatem cognitionis, sed abstractione, & vniuersalitate obiectiua, quæ extenditur ad plura obiecta; vt diximus *To*. 1. *q*. 1. *Proem. art*. 6. *n*. 32; *& q*. 3. *art*. 10. *n*. 1; sed in Deo est cognitio abstractissima, & vniuersalissima, quia vnico intuitu omnia videt; ergo in ipso est perfectissima libertas. Præterea *iuxta Arist*. 7. *Eth. c*. 14. *Secundùm immobilitatem, & quietem magis est delectatio, quàm in motu*; sed Deus est agēs immobile; ergo in ipso est sūma delectatio. Tandem libertas, & delectatio magis conueniunt ei, in quo sunt per essentiam, quàm ei, in quo sunt per participationem; ideo ignis est magis calidus, quàm ea, quæ participant calorem ab illo; sed libertas, & delectatio sunt in Deo per essentiam, & in creaturis per participationem; ergo in Deo est maior, & summa libertas, ac delectatio.

5 Conf. 1. Creatura essentialiter petit produci à causa libera; ergo si in Deo non esset voluntas; creatura nō posset à Deo produci. Prob. ant. Ens, quod essentialiter potest esse, & non esse, essentialiter petit produci à causa potente producere, & non producere; sicuti ens, quod non potest non esse, essētialiter petit produci à causa, quæ non potest non agere; specificatio enim extrinseca effectus habetur à causa, quæ illum ponit sub tali modo essendi; sed creatura est ens, quod essentialiter potest esse, & non esse; ergo essentialiter petit produci à causa libera. Prob. conf. Si in Deo non esset formaliter voluntas, in illo non esset formaliter li-

libertas; quia libertas *in omnium sententia* residet in voluntate; sed si in Deo non esset formaliter libertas, creatura non posset produci à Deo; ergo si in Deo non esset formaliter voluntas, creatura non posset à Deo produci.

6 Conf. 2. Si in Deo non esset formaliter voluntas, in illo non esset formaliter dominium suorum effectuum, quia dominium solùm residet in voluntate, quæ sola est domina suorum actuum; ergo si in Deo non esset formaliter voluntas, in creatura non esset formaliter seruitus, & subiectio ad Deum; seruitus enim dicit relationem ad dominium; & destructo relatiuo destruitur quoque correlatiuum; cùm relatiua sint simul; sed subiectio seruilis creaturæ ad Deum est de essentia creaturæ; creatura enim in esse physico est essentialiter serua, nec fit libera nisi per gratiam in esse supernaturali, vt *inf.* patebit; ergo destrueretur essentia creaturæ; & sic creatura non posset à Deo produci, aliter produceretur sine sua essentia, & ideo sine se ipsa.

7 Prob. 2. Si in Deo non esset formaliter voluntas, creatura esset Deo coæua; sed consequens est contra Fidem; ergo & antecedens. Prob. ma. Si in Deo non esset formaliter voluntas, Deus produxisset necessariò creaturas, agēs enim sine voluntate est agens sine libertate, & ideo necessarium; sed causa necessaria, cùm potens est producere suum effectum, statim illum producit; vt patet de Sole, qui producit illuminationem sibi coæuam; & Deus ab æterno erat potens producere creaturas; non enim aquisiuit potentiam in tempore; ergo ab æterno produxisset creaturas sibi coæuas.

8 Prob. 3. Spiritus Sanctus procedit formaliter per voluntatem; vt docet Fides; ergo in Deo est formaliter voluntas; aliter procederet per aliquod principium, quod formaliter non esset in illo.

9 Dices. Calor procedit à pipere, & tamen calor non est formaliter in pipere, quia piper non est formaliter calidum; ergo hęc ratio non probat.

Resp; quòd licèt calor non sit formaliter in pipere, attamen in pipere est formaliter virtus æquiualens calori; & ideo per illam potest produci calor; sed nulla virtus potest æquiualere voluntati, sicuti nec intellectui; aliter posset intelligi sine intellectu, & amari sine voluntate formali; sicut potest calefieri sine calore formali; ergo ex eo, quòd Spiritus Sanctus procedat formaliter per voluntatem, optimè arguitur voluntatem esse formaliter in Deo. Præterea calefactio non dicitur prouenire à calore existente in pipere, quia calor in illo non est, sed à virtute æquiualente calori; ergo si in Deo non esset formaliter voluntas, Spiritus Sanctus non diceretur procedere formaliter per voluntatē, sed per virtutem æquiualentem voluntati.

10 Prob. 4. Omnis perfectio simpliciter simplex est formaliter in Deo; vt habitum est *To. 1. de Emin. art. 2. §. 2*; sed voluntas est perfectio simpliciter simplex; dicit enim in suo conceptu formali purum tendere in bonum; & purum tendere in bonum est pura perfectio, quia *bonum, & perfectum idem sunt*; ergo est formaliter in Deo.

11 Prob. 5. Voluntas essentialiter sequitur ad intellectum; sicut bonum, quod est eius obiectum, essentialiter connectitur cum veritate, quæ est obiectum intellectus; ita enim se habent potētiæ, sicut obiecta, cum quibus proportionantur, & commensurantur; sed in Deo est formaliter intellectus; vt ostensum est *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 5*; ergo & voluntas.

12 Obijc. 1. Voluntas est potentiā essentialiter variabilis; quia est ad hoc, & ad oppositum huius; & essentialiter mouet, vt mota *ex Arist. 3. de an*, sed Deus est simpliciter, idest secundùm omnem rationem existentem in ipso, inuariabilis; ergo in ipso non est voluntas. 2. Voluntas sequitur rationem; sed ratio non est formaliter in Deo; quia ratio importat discursum; ergo nec voluntas. 3. In Deo non est appetitus, tristitia, fuga &c; ergo nec voluntas, quæ est appetitus rationalis potens tristari, dolere, fugere &c.

Resp. ad 1. dist. ma. Voluntas impura per admixtionem potētialitatis passiuæ, vt supra explicatum est, conc; voluntas purissima excludēs omnem potētialitatem passiuam, neg; hæc enim, cùm sit suus actus formalissimè, non potest transire de non actu ad actum; sicut transit potentia passiua realiter distincta à suo actu, & quæ ideirco variatur. Ad aliud resp. *B. Doct. ad 3.* talem motionem esse metaphoricam, prout dicit puram tendentiam in obiectum; nō verò physicam, prout dicit veram mutationem. Ad 2. dist. ma. Sequitur rationem, prout ratio idem est, ac intellectus formaliter, conc; sed in hoc sensu neg. mi; intellectus enim, *vt sic*, non discurrit, sed solus intellectus hominis. Prout ratio idem est, ac principiū discurrendi, subdist. Voluntas, prout est in homine, conc; voluntas, *vt sic*, vel prout est in Deo, & in Angelo, neg. Ad 3. respondent *Aliqui*, inter quos *Albertin, & noster Gibbon* concedendo appetitum in Deo; sed hæc responsio non arridet *B. Doct. hic*, neque *Beatiss. P. in ps. t 17.* docēti; *appetitum propriè esse circa bonum non habitum*, quia appetitus rationalis importat formaliter desiderium, quod essentialiter est de bono non habito; in hoc enim distinguitur ab amore simplici, gaudio, & delectatione. Neg. ergo cons; ad cuius prob. insertam dicitur, quòd voluntas est appetitus rationalis per analogiam, non per proprietatem, vt supra dictum est.

13 Obijc. 2. *Vasq.* cont. vlt. rationem. Hæc ratio non est demonstratiua, sed explicatiua; ergo non probat, sed tantùm explicat. Prob. ant. 1. Hæc ratio nititur in eo, quòd res naturalis

quæ-

quærit formam naturalem non habitam; & in illa quieſcit; ſed forma naturalis conſtituit rem naturalem, non ſupponit; ergo ex intellectu non probatur voluntas, quæ ſupponit intellectum, non conſtituit. 2. Ex appetitu rei naturalis non ſequitur inclinatio ad bonum apprehẽſum, ſed ad ſpeciem intelligibilem; ergo non probatur voluntas, quæ eſt inclinatio ad bonum apprehenſum. 3. Ex inclinatione colligitur tantùm appetitus innatus, non elicitus; ergo non colligitur voluntas, quæ eſt appetitus elicitus.

Reſp; quòd ſi *Vaſq.* contendat ex intellectu Dei non demonſtrari voluntatem demonſtratione rigoroſa, quæ eſſentialiter eſt per paſſiones eſſentiæ, vt probauimus *Tom. 1. de Subſt. Dei q. 1. art. 4. §. 1*; à nobis conceditur; quamuis enim intellectus in creaturis ſit paſſio fluens ab eſsẽtia, & ideo optimum medium ad efformandam demonſtrationẽ; attamen in Deo eſt prædicatum formale conſtitutiuum illius, vt diximus *vbi ſup. q. 2. art. 5.* Si tamen contendat non eſſe veram, & infallibilem probationẽ, neg; nam per prædicatũ eſsẽtiale, quod eſt neceſsarium, neceſſariò infertur proprietas illi neceſſariò cõnexa. Ad 1. prob. diſt. mi; Forma naturalis, quæ accidentaliter aduenit rei, conſtituit ipſam rem, neg; forma naturalis ſubſtantialis, conc. Omnis ergo res naturalis eſſentialiter appetit nedum ſuam formam ſubſtantialẽ à ſe realiter diſtinctã, vt materia appetit formã; ſed etiã appetit formã accidẽtalem, vt graue appetit eſse deorsũ, quod ei accidentaliter competit; ſicut leue appetit eſse ſurſum. Cùm autem dicitur, quòd forma non ſupponit rem, diſt; forma ſubſtantialis non ſupponit rem in genere cauſę materialis, neg; forma enim phyſica ſic ſupponit materiam; in genere cauſæ formalis, conc. Forma autẽ accidentalis ſupponit rem in vtroque genere. Bonitas ergo obiecti, in quam tẽdit voluntas, cùm ſit quid attributale, & veluti accidentarium, ſupponit ipſum intellectum materialiter, & formaliter conſtiturum in eſse intelligibili; & ideo voluntas, quæ tendit in bonitatem, eſt proprietas ſequens intellectum vltimatè conſtitutum. Igitur à priori per intellectum probatur voluntas. Ad 2. diſt. ant. Ex appetitu vniuerſaliter ſumpto præſcindente ab appetitu innato, & elicito non probatur inclinatio ad bonum apprehẽſum, tanquam aliquid ſpeciale ex vniuerſali; neg; ex principijs enim vniuerſalibus rectè probantur concluſiones particulares, vt notum eſt omnibus; tanquam aliquod conuertibile, conc; ſed nihil ad rem. Ad 3. diſt. ant. Ex inclinatione ſequẽte ad cognitionem, neg; ſequente ad formam non cognoſcitiuam, conc.

14 Obijc. 3. Non omne intellectiuum eſt volitiuum; ergo ex intellectu non probatur infallibiliter voluntas. Prob. ant. 1. Intellectus eſt prior voluntate; ſed quod eſt prius, ſaltem diuinitus poteſt conſeruari ſine poſteriori; ergo non omne intellectiuum eſt volitiuum. 2. Intellectiuum non volitiuum non implicat contradictionem, quia cõtradictio eſt negatio, & affirmario eiuſdem rei; intellectus autem, & voluntas ſunt duæ res realiter diſtinctæ, & ideo licèt affirmetur intellectus, & negetur voluntas; attamen nulla eſt contradictio. 3. Poteſt dari intellectio ſine volitione; ergo intellectiuum ſine volitiuo.

Reſp. hanc obiectionem, quam adeò graue exiſtimant *Recentiores*, vt inſtituant dubium, in quo quærunt, *an poſſit dari natura intellectualis, non volitiua*: quod pertinet *ad 3. lib. de Anim*; facillimè ſolui diſt. ant. Non omne intellectiuũ eſt volitiuum de facto ſecundùm ordinem, quẽ videmus, neg; de poſſibili ſecundùm alium ordinem, tranſeat. Nec ex hoc ſequitur ex intellectu rectè non probari voluntatem; nam quanuis proprietates alicuius eſſentiæ poſſint diuinitus ſeparari ab eſſentia, vt patet in Sacramento Altaris de quantitate, quæ eſt proprietas corporis ab ipſo ſeparata; attamen nullus diceret, quòd ex proprietatibus rectè non demonſtretur eſſentia, & ex vna proprietate non demonſtretur altera; aliter tolleretur omnis demonſtratio, quæ eſſentialiter eſt per proprietates, vt diximus *vbi ſup.* Tum quia licèt creaturæ potuerint non eſſe actu exiſtẽtes ſecundùm alium ordinem, quo Deus decreuiſſet nullam creaturam producere; attamen nullus diceret, quòd de facto ex exiſtẽtia actuali creaturarum rectè non probetur exiſtẽtia Dei. Ad 1; & 2. prob. patet ex dictis; nam licèt concedatur intellectum poſse conſeruari à Deo ſine voluntate abſque vlla contradictione ſecundùm alium ordinem; attamen non infertur intentum. Ad 3. neg. conſ; ideo enim poteſt dari intellectio ſine volitione, quia iſtę actiones nõ ſũt accidẽtia propria quarto modo, quæ conueniunt ſẽper; ſicut ſunt accidẽtia quarto modo intellectus, & voluntas, cùm ſint proprietates neceſſariò conuenientes naturæ intellectuali; vnde iſtæ ſemper conueniunt permanenter; illæ verò accidentaliter tranſeunter.

15 Rationes autem probantes implicare naturam intellectiuam non volitiuam poſſunt eſſe. 1. Implicat natura intellectualis non ordinata ad ſuum finem; illa enim natura eſſet producta ab agẽte non referẽte illam in finẽ; ex eo nanque, quòd aliquod agẽs referat ſuos effectus in aliquẽ finem, illi effectus naturaliter tẽdunt in finem, in quẽ referuntur ab agente; aliter non eſsẽt ab illo relati; implicat autem, quòd Deus producat creaturam intellectualẽ non referẽdo illam in ſuum finem, quia implicat Deum non agere propter finem, cùm ſit perfectiſſimum, & prouidiſſimum agẽs, cui repugnat agere ſine prouidẽtia, quæ eſt ratio ordinandorum in finẽ; ſed finis naturæ intellectualis eſt bonum, quod eſt obiectum voluntatis, & in quod nequit for-

ma-

maliter tēdere,niſi per voluntatem, ſicuti in verum, niſi per intellectũ,& in colorē,niſi per potentiam viſiuam, & in ſonum, niſi per potētiam auditiuam; ergo implicat natura intellectualis non volitiua. 2. Quæ eſſentialiter colligantur; nec etiam diuinitus poſſunt ſeparari, quia eſſētiæ rerum ſunt inuariabiles; ſed intellectus, & volūtas ſunt duæ potētiæ eſsētialiter colligatę, quia eius obiecta eſsentialiter connectuntur; bonum enim, & verum connectuntur per identitatem realem ita, vt implicet aliquod ens eſſe verum, non bonum, & è contra; à colligatione autem obiectorum habetur colligatio eſsentialis potentiarum, quæ trahunt ſpecificationem, & ordinem ab obiectis; licèt non requiratur tanta diſtinctio in obiectis,quāta in potētijs; *quia non requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*; obiecta autem ſunt principia ſpecificantia potētias; ergo intellectus, & voluntas nec etiam diuinitus poſſunt ſeparari; & ideo nequit dari natura intellectiua,non volitiua.

16 Dices.Peccatum eſt verum, non tamen bonum. 2.Lac eſt dulce,& coloratum,& tamen in homine poteſt eſſe potentia guſtatiua ſaporis & non viſiua coloris;ergo ex connexione obiecti non arguitur connexio potentiarum. 3. Color eſt intelligibilis,& tamen ex eo,quòd in cane ſit potentia viſiua coloris,non arguitur,quòd ſit potentia intellectiua.

Reſp. ad 1. peccatum eſſe verum per veritatem formalem exiſtentem in intellectu, non per veritatem tranſcendentalem exiſtentem in ipſo peccato, quia ipſum peccatum habet difformitatem,& diſcordantiam à prima veritate; bonitas autem non ſumitur à veritate formali, ſed à veritate tranſcendentali, quia bonitas eſt in rebus. Ad 2.neg;quòd in homine cęco non ſit potentia viſiua, quanuis in illo defectu organi non ſit vſus talis potentiæ,iſtæ enim potentię ſenſitiuæ ſunt eſſentialiter colligatæ,quia eſſentialiter connectuntur cum eſſentia animalis;quę autem connectuntur cum vno tertio, connectūtur interſe.Ad 3.Dicitur,quòd licèt color,& intelligibilitas ſint idem phyſicè,& realiter;non ſunt tamē idem methaphyſicè, quia non ſunt in eodem genere;color enim eſt in genere corporeo,& intelligibilitas in genere ſpirituali;& ideo non reſpiciunt potentias conſequentes ad eandem naturam, ſed ad naturas diuerſas; & per conſeques ex colligatione ipſorum non arguitur colligatio potentiarum, quia non eſt eadem natura capax illarum;at verò bonum, & verum colligantur phyſicè,& metaphyſicè, quia reſpiciunt potentias conſequentes ad eandem naturam ſpiritualem; & ideo ex identitate obiectorum ſuppoſita vnitate naturæ optimè colligitur connexio eſſentialis potentiarum.

17 Ad 3. autem obiectionem iuxta hanc doctrinam neg. ant.Ad 1.prob.diſt.mi.Quod eſt prius, poſt conſeruari ſine poſteriori,ſi ſint eſſentialiter connexa,neg;ſi ſint accidentaliter cōnexa,conc. Ad 2.neg.ant;& ad prob. infertam dicitur,quòd cōtradictio nō conſiſtit in affirmatione intellectus,& negatione volūtatis, ſed in affirmatione,& negatione connexionis intellectus,& volūtatis;affirmaretur enim cōnexio,quia ſunt eſſentialiter connexa; & negaretur,quia eſſent ſeparata. Ad 3.iam dictum eſt.

18 Quæres,an in Deo admittatur voluntas per modum potētiæ radicalis virtualiter diſtinctæ ab actuali volitione?

Reſp. negatiuè propter rationes allatas *de Scient.Dei q.2.art.2.à n.24,& loc.ibid.cit.*

ART. II.

An Voluntas ſit attributum Dei? vbi an detur cauſa voluntatis Diuinæ?

1 Deciſio huius difficultatis ſatis patere poteſt ex dictis *To.1. de Subſt.Dei q. 2.art.5*; ideo breuiter eam tractabimus.

Igitur non loquimur de attributo,ſeu proprietate realiter diſtincta, quæ fluit ab eſſentia tanquam à cauſa realiter diſtincta;quæ proprietas eſt verum accidens phyſicum; conſtat enim in Deo nullum accidens eſſe,vt docet *Beatiſſ.P. 5.de Trinc.c.4*;vbi ait:*Quamobrem nihil in eo ſecundùm accidens dicitur,quia nihil ei accidit.* Tū quia ſi voluntas Dei produceretur ab eſſentia, vel ab aliqua alia cauſa per veram efficientiam realem,illa eſſet quid creatum, quia omne cauſatum realiter eſt dependens à ſua cauſa,& omne dependens eſt creatura.Patet ergo,quòd voluntas Dei non habet cauſam realem, neq; eſt attributum realiter diſtinctum.Sed loquimur de attributo, ſeu proprietate virtualiter diſtincta ab eſſentia Diuina, à qua tanquam à cauſa virtuali,emanat eo modo, quo diximus *To. 1. de Attr.in com.q.1.art.4.*

2 Prima ſententia vult voluntatem Dei nō eſſe attributum, ſed conſtitutiuum Diuinæ naturæ. Ita *ex noſtris Zuniga de Trin.diſp.2.dub.2. Membr.8;& dub.4.memb.2; & Albiz. Ex exteris verò Sua. in Met.diſp.30. ſect.6; & 16.n.14; Perez.Arrub.autem diſp.40.c.1;&* 3.vult voluntatem Dei, prout importat principium proximum elicitiuum, ſeu actum primum contradiſtinctum ab actuali volitione, quæ eſt actus ſecundus, eſſe conſtitutiuum naturæ Diuinæ; ipſam tamen actualem operationem,ſeu actum ſecundum pertinere ad lineam attributalem.

Secunda ſententia docet voluntatem eſſe attributum naturæ Diuinæ. Ita *Fundatiſſ.Doct. in 1.diſt.6.princ.1.p.1*;vbi ait:*Si natura eſſet voluntas, diceretur Deus velle per naturam, quia vult per voluntatem.*Et *princ.2.q.2.*ait: *Pater nō genuit Filium voluntate, ſed natura*; quod repetit *diſt.11.princ.1.q.1.§. Notandum* his verbis: *Nec voluntas reſpectu illius habet rationem principij,*

cipij;& dist.13.princ.2.q.1. probat Spiritum Sãctum non posse dici genitum, quia procedit per voluntatem, non per naturam; Filium autem dici genitum, quia procedit per intelligere, quod est constitutiuum naturæ Diuinæ. Hanc sententiam sequuntur *omnes illius Discipuli, & communiter alij extra nostram Scholam.*

3 Vnica concl. Voluntas in Deo est attributum virtualiter à natura distinctum.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. 15. de Trin. c. 27;* vbi ait: *Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere, nemo enim vult, qui omnino quid, vel quale sit, nescit, non tamen esse cogitationis imaginem; & ideo quandam in hac re intelligibili natiuitatis, & processionis insinuari distantiã; & l. 5. c. 14. de S. S.* ait: *Exit enim, non quomodò natus, sed quomodò datus;* quod stare nõ posset, si volũtas, per quã procedit Spiritus Sãctus, esset formaliter natura, à qua procedens vocatur natus. Formatur autem sic hæc ratio. Si voluntas esset prędicatum formaliter constitutiuum naturæ Diuinæ, conceptus formalis specificus voluntatis esset conceptus formalis specificus naturæ; sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Ma. patet; quia constitutiuum formale cuiuscunque rei est conceptus formalis ipsius; se habet enim veluti forma metaphysica ipsam constituens in specie; vnde conceptus formalis specificus naturæ humanæ est *rationalitas*, quia *rationalitas* est constitutiuum formale ipsius ipsam constituẽs in specie hominis. Prob. mi. Cõceptus formalis specificus naturæ est, quòd sit *principium generandi*, vt habet *Arist. in Met;* quia generatio est *origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ;* conceptus autem formalis est ille, qui per definitionem exprimitur; & hac ratione probat *Beatiss. P. vbis; & alij SS. PP; ac communiter Theologi* Verbum esse genitum, quia formaliter procedit per naturam, tanquam per principium formale suæ processionis; sed voluntas non est formaliter principium generandi; aliter Filius procederet formaliter per voluntatem; vt dicebat *Eunomius*, quem impugnat *Beatiss. P. 15. de Trin c. 19; & 20;* & Spiritus Sanctus procederet formaliter, vt genitus, quod est contra Fidem; ergo conceptus formalis voluntatis non est conceptus formalis naturæ. Sed illud, quod reperitur in aliqua natura, & non pertinet ad constitutionem formalem illius, est eius attributum virtualiter saltem distinctum ab illa; ergo voluntas in Deo est attributum.

4 Conf. Voluntas Diuina est prædicatum inferius intellectu; ergo si esset prædicatum cõstitutiuum naturæ, specialiùs pertineret ad illam, quàm intellectus; ideo enim *rationalitas* est prædicatum specialissimum naturæ humanæ, quia est vltimum, & infimum in ordine prædicatorum substantialium; sed illud, quod procedit per prædicatum specialius, & inferius, magis dicitur procedere per naturam, & genitum; quàm illud, quod procedit per prædicatum superius, & genericum; vnde si aliquod procederet ab homine formaliter, vt *animal*, non *vt rationale* est, minùs diceretur procedere per naturam, & vt genitum, quàm illud, quod procedit ab ipso, vt *rationalis* est; ergo Spiritus Sanctus, qui procedit per voluntatem, quæ est quid inferius ad intellectum, magis diceretur procedere per naturam, & vt genitus, quàm Filius procedens per intellectum, qui est antecedens ad voluntatem.

5 Prob. 2. alia ratione *eiusdem Sanctiss. P. vbis.* insinuata. Voluntas ex suo conceptu formali habet sequi ad intellectum; ergo in Deo est attributum naturæ Diuinæ. Prob. ant. 1. Voluntas in nobis sequitur ad intellectum, quia *nihil volitum, quin præcognitum*; ergo & in Deo; de quo debemus philosophari ex ijs, quæ videmus in nobis. 2. Voluntas secundùm se est potentia cæca, quæ non potest tendere in bonum, nisi illud manifestetur ab intellectu; ergo essentialiter sequitur ad intellectum. 3. Bonum, quod est obiectum voluntatis, supponit verum, quod est obiectum intellectus, vt dicitur *in Met;* sed potentiæ seruant eundem ordinem, quæ seruant eorum obiecta; ergo voluntas sequitur ad intellectum. Prob. conf. Illud, quod supponit in natura Diuina intellectum, supponit in ipsa actum primarium ipsius; quia ipse intellectus, cùm sit actus purissimus, est formalissimè sua operatio; vt ostendimus *de Scient. Dei q. 1. art. 2. n. 24; & seq;* sed quod supponit in aliqua natura actum primarium, illi aduenit, vt actus secundarius; & quod aduenit, vt actus secundarius, aduenit ei, vt attributum, quod est veluti accidens; ergo voluntas in Deo est attributum.

6 Prob. 3. alia ratione *Fundatiss. Doct.* Si voluntas in Deo esset constitutiuum formale naturæ Diuinæ, sequeretur, quòd principium volendi esset natura, & quòd Deus vellet per naturam; sed natura est ad vnum determinata, & omnino necessariò se habet ad suas actiones; ergo voluntas in Deo esset quid necessarium, & determinatum ad vnum, non autem liberum; & ideo necessariò vellet creaturas, non liberè.

7 Prob. 4. Omnis inclinatio naturę in suum finem supponit naturam plenè constitutam, & illi aduenit tanquam proprietas illius; sic inclinatio lapidis ad centrum supponit naturam lapidis plenè constitutam; sed voluntas formaliter est inclinatio spiritualis in bonum; ergo ex suo conceptu essentiali est attributum, & proprietas naturæ; sed *quod est essentialiter tale, vbicunque ponatur, semper est tale*; ergo voluntas posita in natura Diuina est atttributum illius.

8 Obijc. 1. Voluntas Diuina præsupponit naturam Dininam solùm inadæquatè constitutam per intelligere Diuinum; ergo illam inadęquatè constituit. Prob. ant. Natura Diuina nedũ constituitur in esse intellectiuo, sed etiam in esse volitiuo; cùm sit in perfectissimo gradu Vitę; Vitę spi-

ta autem perfecta conſiſtit in actuali operatione ſpirituali, quæ eſt intellectio,& volitio; ergo voluntas Diuina præſupponit naturam Diuinam ſolùm inadæquatè conſtitutam per intelligere actuale. Prob.conſ.Quia exiſtentia, ſubſiſtentia,& cetera prædicata conſtitutiua Dei, de quibus diximus *To.1.de Subſt. Dei q.2*; non cõſtituunt naturam adæquatè, ideo non tollitur, quin intelligere illã cõſtituat;ergo à pari.

Reſp.neg.ant. Ad prob.neg. ſupp.2. part. ant;eſſe enim volitiuum non eſt eſſe ſubſtantiale pertinens ad lineam ſubſtantiæ, ſed eſt eſſe attributale ſpectans ad lineam veluti accidentalem; quia inclinatio conſtituit peculiarem modũ eſſendi;vt docet *Ariſt*; ſed eſt proprietas ſequens ad formam, quæ rem adæquatè conſtituit.Sic Vita cõſiſtit in actuali operatione intellectionis, & volitionis ita tamen, vt intellectio ſit operatio primaria, & volitio ſecundaria; conſtat autem, quòd ſolum primarium eſt conſtitutiuum,ſecundarium autem adueniens, quia cõſtitutiuũ eſt illud, quod primariò eſt,& intelligitur in re.Et per hoc patet ad prob.conſ;nam exiſtentia, ſubſiſtentia &c. non præſupponunt actum primarium,per quem vltimò conſtituitur natura in eſſe naturæ, cùm natura formaliter ſit principium operationis; & principium conſtituitur per actum, quem reſpicit primariò, non per illum, quem reſpicit ſecundariò; voluntas autem præſupponit actum primarium, qui eſt intellectio; & ideo illa eſt conſtitutiua; hæc verò proprietas. *Vid.ibid.art.5*. Præterea hoc arg. probat omne attributum eſſe conſtitutiuum ſubſtantiale naturę Diuinæ,quia illam conſtituit in aliquo eſſe;iuſtitia enim v.g.dat naturæ Diuinæ eſſe iuſtum, ſcientia eſſe ſciens &c; & ideo nihil probat, quia nimis probat; probat enim nullum attributũ eſſe in Deo; quod eſt falſum.

9 Obijc.2. Velle Dei eſt intelligere ipſius; ſed intelligere eſt conſtitutiuum naturæ Dei; ergo & velle.

Reſp. diſt. ma. Velle Dei eſt intelligere realiter identicè, conc; & ſic realiter identicè nedum velle, ſed etiam omne aliud attributum conſtituit Deum; quia illud conſtituit realiter identicè,ſeu phyſicè,quod realiter identificatur cum illo,& ideo nihil probatur. Velle Dei eſt intelligere formaliter virtualiter, idèſt conceptus formalis illius eſt conceptus formalis alterius,neg;& ſic negamus velle,& omne aliud attributum conſtituere naturam Dei;quia formaliter virtualiter, ſeu metaphyſicè diſtinguitur à natura Dei, & eſt extra illam; & ideo virtualiter illi aduenit iam conſtitutæ in conceptu plenario naturæ;tanquam attributum illius.

10 Obijc. 3. Intellectio actualis ſupponit principium intellectiuum iam conſtitutum, aliter ab ipſo non poſſet produci; quia implicat actionem produci à principio in eſſe non conſtituto;produceretur enim ab eo, quod non eſt; ergo licèt volitio præſupponat intellectionem, attamẽ non tollitur,quin Dei naturã conſtituat.

Reſp.diſt.ant. Intellectio actualis præſupponit principium per identitatem puriſſimam, etiam virtualem, conc; per diſtinctionem virtualem,neg. Ad prob.inſertam dicitur, quòd ſicut principium potentiale, quod eſt imperfectum, quia caret perfectione ſui actus,conſtituitur per ordinem ad ſuum actum;ita principium actuale, quod eſt perfectiſſimum,conſtituitur formaliſſimè per ſuum actum; ideo illud præſupponitur ad ſuam actionem iam cõſtitutum per ordinem ad illam;hoc autem cõſtituitur per illam. Neg. autem conſ; quia volitio non eſt actus intellectionis, ſed eſt quid virtualiter ab illa diſtinctũ; ideo illam præſupponit virtualiter conſtitutam; & virtualiter non conſtituit,ſed aduenit.

11 Obijc. 4. Natura Diuina non intelligitur ſummè perfecta niſi cum volitione actuali; quia ſummè perfectum eſt illud, quod habet in ſe omnem perfectionem ſimpliciter; tum quia natura actualiter volens eſt perfectior, quàm natura carens volitione; nam ipſa volitio eſt perfectio;ergo volitio eſt conſtitutiuum naturę Dei; nam ſine ipſa nequit intelligi natura conſtituta in omni gradu perfectionis,qui illi eſſentialiter competit.

Reſp. hoc etiam probare de conſtitutiuo phyſico adæquato, non autem de metaphyſico inadæquatè conſtituente ſolam lineam eſſentialem;& ideo probare nullum eſſe attributum in Deo. Diſt.ergo 1. ant. Non intelligitur ſummè perfecta in linea ſubſtantiali, neg; in linea attributali, conc; & ſic ſummè perfectum in linea ſubſtantiali habet in ſe omnes perfectiones pertinẽtes ad illam lineam,conc;pertinentes ad illeam attributalem, neg; illas enim non habet, niſi quatenus conſtituitur in linea attributali; vt v.g. eſſentia hominis eſt perfecta in linea ſubſtantiali, quatenus habet omnia prædicata ſpectantia ad illam lineam; nõ perficitur autem in linea accidentali, niſi quatenus per accidentia conſtituitur in tali linea. Ad aliud dicitur, quòd natura actualiter volens eſt perfectior perfectione accidentali, non ſubſtantiali; ſicut paries actualiter albus eſt perfectior accidentaliter, non ſubſtantialiter pariete carẽte albedine.2.Diſt.idem ant. Natura Diuina non intelligitur ſummè perfecta identificè cum omnibus ſuis perfectionibus, quas ſibi idẽtificat realiter, conc;formaliter virtualiter ſumpta ſolùm ſecũdùm perfectiones ſubſtantiales, neg.Et ita ſummè perfectum habet in ſe identicè omnes perfectiones ſimpliciter,conc;virtualiter,neg.

12 Inſt. Si natura Diuina non includeret formaliter virtualiter actualem volitionem, eſſet in potẽtia paſſiua radicali ad illam; ſed potẽtia paſſiua radicalis importat imperfectionem formaliter; ergo natura Diuina includit actualem volitionem formaliter virtualiter. 2. Mo-

dus continendi aliquam perfectionem formaliter est perfectior, quàm modus continēdi illam virtualiter; sed naturæ Diuinæ debet attribui modus perfectior continēdi suam actualem volitionem; ergo illam continet formaliter, non virtualiter. 3. Volitio actualis est perfectio simpliciter simplex; sed hæc continetur formaliter in natura Diuina,in qua solæ creaturæ continētur virtualiter;ergo natura Dei continet formaliter actualem volitionem.

Resp.ad 1.neg.seq; quia cùm potētia passiua dicat nō esse, vt docet *Fundat.Doct.Theor. 5. de esse, & essentia*, ideo ad hoc, vt natura concipiatur in potentia passiua radicali,deberet cognosci per præcisionem negatiuam, qua negaretur natura de volitione actuali;præcisio autem, qua virtualiter distinguimus essentiam ab attributis, non est negatiua, sed merè abstractiua idēst, qua vnum cognoscimus cum sua perfectione essentiali, quam explicat illius propriùs, & formalis conceptus,abstrahendo à cognitione alterius, cum quo identificatur; vt diximus *To. 1. de Attr. in com. art.15. n. 2.* Prætereà dist. Potentia radicalis passiua carens suo actu, quem respicit immediatè, dicit imperfectionem, conc. dicit enim carentiam sui actus, qui est perfectio illius. Potentia radicalis passiua per ordinem ad actum sibi veluti extrinsecè aduenientem, & non pertinentem ad intrinsecam, & formalem constitutionem illius, dicit imperfectionem in sua linea, neg; sic enim concipitur in sua linea, vt adæquatè perfecta, quia concipitur, vt habens omnem perfectionem pertinentem ad formalem sui constitutionem. *Vid.de Subst.Dei q.2. art.6. §.2. n.9. in resp. ad inst.* Ad 2.dicitur, quòd aliud est continentia,& aliud identitas; corpus enim continet realiter animam, & tamen non identificat sibi realiter illam. Igitur concedimus, quòd natura Diuina contineat volitionem actualem formaliter, sicut formaliter continet omne aliud attributum; sed negamus identificari virtualiter,quia omnia attributa pertinent ad diuersas lineas, & ei adueniunt ad modum proprietatum virtualiter supponentium ipsam adæquatè constitutam in sua linea substantiali eo modo, quo proprietates in nobis adueniunt realiter essentiæ, eamque supponunt adæquatè constitutam in sua linea; ex his enim, quæ videmus in nobis, philosophari debemus de ijs, quæ sunt in Deo, nec datur alius modus philosophandi in hac vita, quàm iste,qui nobis præscriptus est *ab Apostolo.*

13 Objic. 5. Esse volitiuum radicale in creatis constituit naturam creatam,quia esse radicale v. g. in homine volitionis est rationalitas, quæ constituit hominem; ergo esse formale volitiuum in Deo constituit Deum, quia quod in creaturis est per modum potentiæ radicalis passiuæ, in Deo est per modum actus formalis.

Resp. dist. ant. Esse radicale remotum, conc; rationalitas enim est esse radicale remotum volitionis. Esse radicale proximum, quod est potentia volitiua, neg; & sic esse volitiuum radicale formale remotum, quod est esse intellectiuum formale, à quo fluit esse volitiuum formale, constituit naturam Dei; non autem ipsum esse volitiuum formale proximum, quod est proprietas sequens.

14 Objic.6. Filio ex vi suę processionis cōmunicatur voluntas,quia ei communicātur omnia, quæ sunt in Patre,excepta paternitate,quæ nequit communicari ob oppositionem; aliter si Filio non communicaretur voluntas, Filius non spiraret Spiritum Sanctum, qui procedit per voluntatem; sed quod Filio communicatur ex vi suæ processionis, est natura, quia processio Filij est vera generatio, & per veram generationem communicatur natura; ergo voluntas formaliter est natura.

Resp. dist. ma. Ex vi suæ processionis formaliter per se primò,neg; illud enim communicatur formaliter per se primò,quod est principium formale talis communicationis; patet autem, quòd principium formale processionis Filij est intellectus, non voluntas; aliter procederet formaliter per voluntatem,& sic non distingueretur à Spiritu Sancto. Ex vi suæ processionis identicè realiter, & per se secundò; quatenus scilicet identificatur cum Diuina essentia; quæ formaliter per se primò communicatur, conc. Natura ergo formaliter per se primò cōmunicatur; quia ipsa est ratio, cur communicentur omnia, quæ sunt in ipsa; illa verò, quæ sunt in natura, communicantur per se secundò; quia non communicantur ratione sui,sed ratione naturæ. Et sic dist. mi. Quod communicatur formaliter per se primò,conc;formaliter per se secundò, neg.

ART. III.

Asseruntur diuisiones Voluntatis Dei.

1 Quemadmodum Scientia Dei, licèt sit purissimus, & simplicissimus actus, quia eius obiectum primarium, quod est Deus, est purissimum, & simplicissimum; attamen ratione obiecti secundarij,quod est creatura, sortitur aliquas diuisiones, vt superiùs diximus; ita voluntas Dei, licèt sit purissimus, & simplicissimus actus, quia eius obiectum, quod est Diuina Bonitas,est purissimum, & summè simplex; attamen respectu obiecti secundarij, quod est Bonitas Dei, prout creaturis communicata, *à Theologis* diuidi solet.

2 Duæ autem diuisiones Voluntatis Diuinæ circunferuntur communiter.

Prima diuisio est, qua diuiditur Voluntas Dei *in Voluntatem beneplaciti,& in Voluntatem signi.* Hanc diuisionem tradit *Fundatiss.Doct. in 1. dist.46.princ.1.q.1;*& colligitur *ex Beatiss. P.* Aug.

Aug. lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 11; vbi ait: *Item fiat voluntas tua, rectè intelligitur; obediatur præceptis tuis sicut in Cælo, & in terra*; *idest sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri volūtatem Dei, cùm obtemperatur præceptis eius, ipse Dominus dicit, cùm ait: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit.*

Hæc diuisio manifestè colligitur *à Mag. Sent. ex Scriptura*; nam *Rom. 12.* habetur: *Vt probetis, quæ sit Voluntas Dei bona beneplacens*; *Et 1. ad Tessal.* dicitur: *Hæc est Voluntas Dei iustificatio vestra*; constat enim, quòd nostra iustificatio, quæ est in nobis, non est formaliter Voluntas Dei, quæ est in Deo, sed est signum, vel effectus externus voluntatis Dei, qua decreuit nos iustificare.

3 Prob. autem sufficientia huius diuisionis. Bene diuiditur actus voluntatis in elicitum, & imperatum; vt docent communiter omnes; sed Voluntas beneplaciti est actus elicitus, & voluntas signi est actus imperatus; vt *inf.* patebit; ergo bene diuiditur Voluntas Dei in voluntatē beneplaciti, & signi.

4 Voluntas *beneplaciti* definitur *actus voluntatis Dei formaliter in Deo existens, quo positiuè vult aliquid liberè ad extra illud approbando, & complacendo*, beneplacitum enim idem est formaliter, ac liberum. Hinc *Apost. Ephes. 1*; vt explicaret *diuitias gratiæ* Dei liberè nobis à Deo donari, ait: *Vt notum faceret nobis Sacramentum* (idest secretum) *voluntatis suæ, secundùm beneplacitum eius, quod proposuit in eo.* Quibus verbis edocemur beneplacitum, & propositum, seu actum voluntatis Dei in eo existentem idem esse. Iste tamen actus beneplaciti est solùm de bono; & ideo dicitur liber positiuè, quia causat, & ponit id, de quo sibi complacet; hinc *Eccli. 35.* habetur: *Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate*. Actus autem, quo voluntas Dei permittit mala, non dicitur actus beneplaciti, sed displicentiæ, quia de malo, vt malum est, nequit esse complacentia, aut delectatio, sed displicentia, & odium.

5 Voluntas *signi est operatio, seu effectus Dei externus, quo illius voluntas interna, seu actus internus nobis significatur, & manifestatur*; vt cùm præcipit seruare castitatem, nobis indicatur, quòd hoc velit. Signum autem, quod est effectus voluntatis, vocatur voluntas; sicut testamentum vocatur voluntas Testatoris; & vltimus codicillus dicitur *vltima voluntas*.

Signa Voluntatis Diuinę quinque enumerantur *à Fundatiss. Doct. vbi sup; & in Opusc. sup. Orat. Dominic. fol. 5*; quæ continentur in hoc carmine.

Præcipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.

Scilicet hæc signa sunt *præceptum, prohibitio, consilium, permissio, & operatio*. Et sufficientia horum signorum ostenditur ab ipso tripliciter.

6 Prob. 1. Signa vel sumuntur respectu boni prosequendi; vel respectu mali vitandi; Voluntas enim Diuina, vtpotè immutabiliter perfecta, & recta, semper sequitur bonum, & auertitur à malo? Si primum; vel hoc bonum prosequendum est necessarium ad salutem; vt *vnum colė Deum*; & sic est *præceptum*; vel est opus supererogationis ordinatum ad maiorem perfectionem; & sic est *consilium*; vel respectu boni efficaciter à Deo causati; & sic est operatio. Si secundum; sic est *prohibitio, & permissio*; sed nulla alia signa possunt assignari; ergo est sufficiens diuisio assignata.

7 Not. tamen, quòd *præceptum, consilium, & prohibitio* pertinent ad voluntatem antecedentem; nam cùm Voluntas antecedens non sēper impleatur à creatura quantùm ad actualem operationem, quæ est effectus voluntatis consequentis, & ideo dicitur effectus alienus; quantū enim ad propriū effectū sēper impletur; quia eius effectus est tribuere creaturæ auxilia sufficientia, vt *inf.* dicemus; apertè sequitur hæc tria signa pertinere ad voluntatem antecedentem; non enim quidquid Deus prohibet, omnes homines vitant; nec quidquid præcipit, & consulit, faciunt. *Permissio* autem, & *operatio* pertinent ad voluntatem consequentem; quia voluntas consequens vel respicit mala, & sic est permissio; vel respicit bona, & sic vt operatio; quia *omnia opera nostra operatus est Dominus*.

8 Prob. 2. Signa Voluntatis Diuinæ respiciunt ordinem suæ Prouidentiæ; sed secundùm Prouidentiam non sumuntur, nisi hæc quinque signa; ergo est sufficiens eorum diuisio. Ma. pat; quia Voluntas Dei, vtpotè perfectissima, regulatur à Prouidentia infallibili. Prob. mi. Secūdùm Prouidentiam vel accipitur ordo, vel executio ordinis. Si primum; vel remouendo mala; & sic habetur *prohibitio*; vel conferendo bona; & sic habetur *præceptum, & consilium*. Si secundum; vel causando bonum; & sic habetur *operatio*; vel permittendo malum; & sic habetur *permissio*; sed nullum aliud potest assignari; ergo secundùm Prouidentiam solùm hæc quinque signa sumuntur.

9 Prob. 3. Signa Voluntatis Diuinæ sumuntur vel respectu præsentium; vel respectu futurorum? Si primum; vel respectu bonorum, & sic est *operatio*; vel respectu malorum, & sic est *permissio*. Si secundum; vel respectu malorum, & sic est *prohibitio*; vel respectu bonorum, & hoc dupliciter; vel respectu bonorum, ad quę tenentur omnes, & sic est *præceptum*; vel respectu bonorum, ad quæ non tenentur omnes, & sic est *consilium*; sed nullum aliud signum est assignabile, quod non reducatur ad vnum ex istis; ergo est sufficiens eorum diuisio.

10 Aduertit tamen *B. Doct. hic*; quòd prima ratio diuisionis est magis propria, quàm se-

cunda, & tertia; quia illa sumitur penes voluntatem antecedentem, & consequentem, quæ formaliter sunt in voluntate Dei; istæ autem sumuntur vel per ordinem ad Prouidentiam, quæ, cùm sit actus intellectus, est extra Voluntatem Dei; vel per ordinem ad diuisionem temporum, quæ sunt extra Deum.

11 Item aduertit Voluntatem *signi* non esse propriè Voluntatem, sed impropriè; signum enim tantùm impropriè, & metaphoricè dicitur res significata; vt imago Pontificis dicitur impropriè, & metaphoricè Pontifex; & ideo Voluntas signi formaliter non est in Deo, sed extra Deum, cùm sit externa eius operatio.

12 Quæres, cur Scientia Dei non diuidatur in scientiam *beneplaciti*, & *signi*?

Resp. *B.Doct.* ad 3; quòd cùm Deus sciat necessariò omnia, quæ actu sũt scibilia, nõ requiritur, quòd sciẽtia manifestetur per signa; quia de se satis manifesta est; at verò Voluntas Dei, quia liberè vult ea, quæ vult, ideo nequit nobis innotescere, quæ velit, nisi dentur signa illam nobis manifestantia; & per consequens hæc, & non illa diuidenda est in Voluntatẽ *beneplaciti*, & *signi*.

13 Secunda diuisio est, qua voluntas beneplaciti diuiditur in antecedentem, & consequẽtem. *Ita B.Doct.vbi sup*; & sumitur *ex D.Dam. lib.2.c.penult.* Colligitur manifestè *ex Beatiss.P. Aug.in Enchir. c.*104; & 105; vbi ait: *Sic enim oportebat priùs hominem fieri, vt & bene velle posset, & malè, nec gratis; si bene, nec impunè, si malè; postea verò sic erit, vt malè velle non possit.* Præterea *in Suppl.cont.Iul.* docet *Christũ mortuũ esse pro omnibus hominibus*, vt diximus *de Scient. Dei q.4. art.1.§.5. n.89*; quod non potest esse, nisi dicatur Deum velle omnium salutem generaliter, ad quam ordinauit mortem Christi; voluntas autẽ saluandi omnes est voluntas antecedens; quia antecedit voluntatem efficacem saluandi illos, qui de facto saluantur.

14 *Fundatiss. Doct. hic* tripliciter explicat hanc diuisionem. 1. respectu ordinis, quo Deus dirigit creaturas rationales in finem supernaturalem. 2. respectu ipsarum creaturarum ordinatarum in talem finem. 3. respectu auxiliorum, quæ à Deo tribuuntur creaturis in ordine ad consecutionem talis finis.

Primum explicatur sic. Vel consideratur ipsa impositio ordinis præscindendo ab actuali executione ipsius finis; vel consideratur ipsa executio actualis; sed imponere ordinem est priùs, quàm ordinem impositum exequi; ergo penes impositionem ordinis dicitur voluntas antecedens; & penes executionem dicitur voluntas consequens.

15 Secundum sic. Vel consideratur ipsa natura rationalis ordinata in finem; vel considerantur personæ illius naturæ; sed priùs est naturam ordinari in finem, quàm personas, quia de ratione sapientissimi Prouisoris est, quòd priùs ordinet totum, quàm partes; sicut Dux exercitus priùs ordinat totum exercitum ad capiẽdã aliquã Ciuitatẽ, & posteà disponit milites in locis particularibus; sic Deus in hoc statu militię priùs ordinat naturam rationalem ad capiendam Ciuitatem Cælestem, & posteà ordinat personas; ergo penes ordinationem naturæ sumitur voluntas antecedens; & penes ordinationem personarum voluntas consequens.

16 Tertium tandem sic declaratur. Auxilia, quæ creaturis rationalibus tribuũtur à Deo, vel sunt communia, & sufficientia; vel specialia, & efficacia; sed commune antecedit speciale; ergo penes auxilia communia sumitur voluntas antecedens, & penes specialia voluntas consequens.

17 Notat *B. Doct*, quòd istæ tres rationes à *D.Dam.vbi sup.* reducuntur ad vnam, scilicet, quòd voluntas antecedẽs est acceptio voluntatis solùm ex parte Dei; voluntas autem consequens est acceptio voluntatis etiam ex parte nostra; & ratio est; quia impositio ordinis, ordinatio naturæ, & collatio auxiliorum sufficiẽtium se tenent solùm ex parte voluntatis Diuinæ; creaturæ enim nihil cooperantur, vt talia existant in ipsis; at verò voluntas consequẽs se tenet etiam ex parte nostra; quia executio, operationes, & auxilia specialia includunt aliquo modo opera nostra; quia auxilijs Diuinis, & actibus in nobis productis à Deo succedit nostra cooperatio eo modo, quo diximus *de Scien. Dei q.4.art.1. §.* 1;2;3; & 4.

Thomistæ recentes explicant voluntatem antecedentem per ordinem ad obiectum nudè sumptum; & consequentem per ordinem ad obiectum vestitum suis circunstantijs particularibus, & indiuiduãtibus; sed hęc explicatio reducitur ad secundam superiùs allatam; quia obiectum nudè sumptum est ipsa natura; obiectum verò vestitum suis circunstantijs est ipsa Persona particularis.

18 *Alij*, inter quos refertur *Mol; Vasq; & alij*, aiunt voluntatem antecedentem esse illam, quæ præcedit præuisionẽ nostri consensus; consequentem verò esse illam, quæ supponit præuisionem nostri consensus.

Sed hæc explicatio reiecta fuit *vbi sup. art. 1. præcipuè §.1; & 2*; vbi ostendimus auxilium sufficiens nihil aliud esse, quàm actum nostrę voluntatis non mouentem efficaciter nostram voluntatem ad exercitia virtutum, & studia pietatis; & auxilium efficax nihil aliud esse, quàm ipsum actum voluntatis efficaciter mouentem voluntatem ad exercenda opera virtutum, & pietatis; ergo falsum est, quòd voluntas consequens supponat nostrum consensum causatum à nobis; cùm ipse noster consensus sit donum Dei causatum in nobis à Deo; quod nõ potest esse causatum, nisi per eius voluntatem;

nam

nam omne, quod Deus causat ad extra, quia liberè causat, per voluntatem effectiuè causat. Quòd si ille consensus causatur in nobis à voluntate Dei, & præuidetur, vt causatus ab illa; ergo falsum est, quòd Deus post præuisionem illius voluntate consequenti decernat dare auxilium ad illum causandum, quia causaret iam causatum, quod implicat, & otiosum omnino reputatur. *Vid. quæ diximus loco cit.*

19 Prob. autem sufficiētia huius diuisionis *contra Vasq.1.p.disp.83.c.3.n.20.* admittentem etiam voluntatem concomitantem. Voluntas concomitans respicit executionem, & operationem, & Personam operantem; operatio enim formaliter procedit ab indiuiduo, cui solùm propriè competit operari, *vt quod*; ergo voluntas concomitans reducitur ad voluntatem consequentem; & ideo diuisio est adæquata.

20 Colligitur Voluntatem antecedentem, & consequentem non esse nisi vnicum attributum; ac propterea non distingui virtualiter, sed tantùm æquiualenter simpliciter, vt explicatum est *To.1.de Attr. in com. q.2. art.10.* Ratio est. Distinctio virtualis attributorum sumitur ex distinctione virtuali obiectorum formalium; sed voluntas non distinguitur in antecedentem, & consequentem ratione obiecti formalis, sed tantùm ratione obiecti materialis, vt diximus *n. 1*; ergo voluntas antecedens, & consequens non distinguuntur virtualiter; nec sunt duo attributa. *Vid. de Scient. Dei q.1. art.4. n.1; & loco ibidem citato.*

ART. IV.

An in Voluntate Dei sint plura Attributa virtualiter distincta?

1 Discussio huius difficultatis pendet ex dictis *de Scient. Dei q.1. art.1. §.1*; vbi ostendimus quinque habitus nostri intellectus esse in Diuino intellectu, vt quinque attributa virtualiter distincta; & *ibid. n.17. in Conf.* innuimus resolutionē præsentis articuli. Quare citò nos expediemus collectis tantùm ijs, quæ *ibid.* omisimus, vt aliquid nobis *hic* supcresset dicendum.

2 Prima sententia negat in Voluntate Dei esse plura attributa virtualiter distincta. *Ita Sua. in Met. disp.30. sect.16. n.57; Alarc. Tract. 3. disp. c.3; & pauci Alij.*

Secunda sententia docet in voluntate Diuina esse plura attributa virtualiter distincta. Colligitur *ex B.Doct. in 1. dist.44. princ.2. q.2.* præcipuè *ad 2*; vbi ait: *Licèt sit in Deo idem potentia, & voluntas; tamen propter aliam, & aliam habitudinem importatam per voluntatem, & potentiam dicitur Deus aliqua posse, quæ non vult, & sicut potest facere Deus, quæ non vult, sic potest facere alia iusta, quàm faciat. Et ad 3. licet Voluntas Diuina sit determinata ad iustitiam &c*; quibus verbis manifestè docet, quòd sicut potentia, & voluntas sint idem realiter, attamen distinguuntur virtualiter, tanquam duo attributa propter diuersam habitudinem ad diuersum obiectum formale; ita iustitia, quæ sine dubio residet in voluntate, distinguitur virtualiter à voluntate, quia dicit habitudinem ad diuersum obiectum formale, vt diximus *To.1. de Omnipot. art.6.* Item si voluntas est determinata ad iustitiam, sequitur, quòd Voluntas, & iustitia non sint idem formaliter; quia idem non dicitur determinari ad se ipsum; nam illud, quod determinatur, est indifferens, & commune; illud autem, quòd determinat, est speciale, & differentiale. Hanc sententiam sequuntur ferè omnes *Theologi*, & nouiter *Godoy hic disp. 50*; qui tamen vult non esse in Deo actum volitionis absolutum distinctum à volitionibus particularibus, sicut tenet non esse in Deo intellectionem essentialem distinctam ab intellectionibus attributalibus; quod reiecimus *de Scient. Dei art.1. à n.1. ad 6*; pro cuius decisione.

3 Not. quòd quotiescunque aliqua potentia vniuersalis prima, & principalis habet vniuersaliter tendere in plura obiecta formaliter diuersa sub diuersis rationibus formalibus, tunc necesse est ponere plures virtutes speciales formaliter diuersas subordinatas, & subiectatas in potentia vniuersali; quotiescunque enim aliquod obiectum vniuersale continet sub se plures rationes speciales formaliter diuersas attingibiles per actiones diuersæ speciei, tunc in potentia vniuersaliter tendente in illud obiectum, necessariò admittendæ sunt plures habitus, vel virtutes specie diuersæ, à quibus eliciantur actiones specificè diuersæ; actiones enim commensurantur nedum cū obiectis, sed etiam cum principijs formalibus proximis; aliter si vna species esset potentia, repugnaret ab illa exire actiones diuersæ speciei, quæ necessariò petunt elici à potentijs specie diuersis.

4 Explicatur hoc exēplo entis, *vt sic*, quod est obiectum Metaphysicæ. Quia igitur ens, *vt sic*, continet sub se plura obiecta specialia formaliter diuersa attingibilia per plures actiones intellectus specie diuersas, vt v. g. *corpus mobile, sanabile, & quantum*, quæ attinguntur per actiones specie diuersas, vt patet; nam cognoscere corpus, vt mobile, non est illud cognoscere per rationem inductiuam sanitatis &c; ideo in eodem intellectu, in quo est metaphysica, ponitur habitus Philosophiæ, medicinæ, mathematicæ &c; aliter non esset, nisi vna cognitio specie, qua cognoscitur ens, vt ens.

5 Cùm igitur voluntas sit potentia vniuersalissimè tendens in bonum, *vt sic*, sicut intellectus tendit in verum, *vt sic*; bonitas autem, & veritas sint passiones entis, *vt sic*, & quælibet passio communicetur cum essentia, cuius est passio; ideo sicut ens, *vt sic*, habet continere in se

se ipso plura obiecta formalia specificè diuersa attingibilia per diuersos habitus, seu virtutes existentes in intellectu; ita bonum, *vt sic*, habet continere sub se ipso plura obiecta formalia attingibilia per plures virtutes specie diuersas existentes in voluntate. Et hæc est ratio propter quam multiplicantur attributa, intellectus, & voluntatis; illi enim habitus, seu virtutes adueniunt intellectui, & voluntati iam constitutis in sua essentia; quia intellectus constituitur per ordinem ad verum, *vt sic*; & voluntas per ordinem ad bonum, *vt sic*. Hoc not.

6 Vnica concl. In Voluntate Dei sunt plura attributa virtualiter diuersa.

Prob. *ex Beatiss. P. Aug.* 13. *de Trin. c.* 13; vbi ait: *Potentia quippe adiuncta iustitiæ; vel iustitia accedens potentiæ iudiciariam potestatem facit; pertinet autem iustitia ad voluntatem bonam. Et de Ciu. lib.* 19. *c.* 21. ait: *Iustitia porrò ea virtus est, quæ sua cuique distribuit.* Ex quibus sic. Iustitia est virtus pertinens ad voluntatem habens pro obiecto formali aliquod specificè diuersum ab obiecto misericordiæ; ergo iustitia, & misericordia sunt duo attributa voluntatis Dei virtualiter diuersa; nam in tantùm sapientia, & scientia sunt duo attributa intellectus, in quantùm habent pro obiecto formali aliquid virtualiter diuersum, in quod tendũt per actiones specificè diuersas; & vtrunque obiectum continetur sub obiecto vniuersali intellectus, quod est verum, *vt sic*; sed iustitia, & misericordia sunt huiusmodi; quia obiectum iustitiæ Diuinæ est bonum vnicuique distribuendum ex gratia distributiua; & obiectum misericordiæ, est bonum, quatenus subleuatiuum à miseria præscindens formaliter à distributione; ergo iustitia, & misericordia sunt duo attributa virtualiter diuersa.

7 Conf. 1. Si iustitia, & misericordia virtualiter identificarentur cum voluntate Dei, tenderent in bonum, *vt sic*, præscindendo à distributione, & subleuatione, sicut tẽdit volũtas; ergo conceptus proprius specificus iustitiæ, & misericordiæ non esset in Deo formaliter, sed eminẽter; quod est falsum, quia nullam inuoluit imperfectionem; cùm enim esse volitiuum, sicut intellectiuum secundùm totam suam latitudinem importent puram perfectionem; vt diximus *de Scient. Dei vbi sup*; ideo iustitia, & misericordia nullam formaliter inuoluunt imperfectionẽ. Sed de hoc *inf.*

8 Conf. 2. Si iustitia, & misericordia essent idem virtualiter cum voluntate, essent idem virtualiter inter se; sicut quæ sunt idem realiter cum vno tertio, sunt idem realiter inter se; sed consequens est falsum; quia conceptus formalis iustitiæ non est cõceptus formalis misericordię; ergo virtualiter distinguuntur à voluntate.

Vid. rationes *vbi s. de Scient. Dei*; probant enim etiam hanc conclusionem.

9 Ad *Godoy* autem arbitrantem non dari actum voluntatis absolutum ab actibus specialibus distinctum, dicitur, quòd actus, quo volumus bonum, *vt sic*, seu beatitudinem in communi, non est actus alicuius affectionis specialis voluntatis, quia nulla affectio specialis habet pro obiecto bonum, *vt sic*, generaliter sumptum; habitus enim commensuratur cum suo obiecto; & sic esset affectio generalis, nõ specialis; ergo datur actus voluntatis distinctus ab actibus specialibus affectionum illius. Tum quia sicut datur intellectio cõmunissima, ita dicẽdũ de volitione.

10 Obijc. 1. Illa, quæ pertinent ad eandem lineam, non distinguuntur virtualiter; sed actus affectionum voluntatis pertinent ad eandem lineam voluntatis; sicuti omnes actus intellectus pertinent ad eandem lineam intellectiuam; ergo non distinguuntur virtualiter.

Resp. dist. ma. Quæ pertinent ad eandem lineam radicalem, tanquam proprietates attributales, neg; & in hoc sensu conc. mi; quæ pertinent ad eandem lineam athomam formaliter specificè, conc; & in hoc sensu neg. mi; sicut enim omnia attributa, & naturales proprietates pertinent ad lineam essentiæ, non quidem formaliter intrinsecè, sed veluti accidentaliter extrinsecè, tanquam ad lineam radicalem, in qua fundantur omnia attributa; ita omnes affectiones voluntatis pertinent ad lineam volitiuam, & omnes virtutes intellectus ad lineam intellectiuam tanquam ad radicem, in qua fundantur.

11 Obijc. 2. Misericordia, omnipotẽtia &c. non habent proprietates, seu attributa in illis fundata; ergo neque voluntas, & intellectus.

Resp. neg. cons; & ratio est; quia omnipotentia, misericordia &c. sunt virtutes, vel potentiæ vltimò proximè operatiuę, & ideo ab illis nequeunt fluere proprietates, quibus mediantibus operentur; aliter nec vltimò, nec proximè operarentur; at verò intellectus, & voluntas operantur mediantibus suis virtutibus; ergo habent proprietates ab illis dimanantes.

12 Obijc. 3. Actus intellectus non distinguũtur ab intelligere essentiali vniuersalissimo; ergo neque actus voluntatis. Prob. ant. 1. Intelligere vniuersalissimum est comprehensiuum; ergo attingit omne cognoscibile, & ideo frustra ponuntur actus specie diuersi; in tantùm enim ponitur aliquis habitus, in quantùm ponitur distinctum obiectum. 2. Intelligere vniuersalissimum cognoscit etiam per causam; ergo frustra ponitur habitus scientiæ, qui est cognitio rerum per causam.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. dist. ant. Est comprehensiuum formaliter per causam, neg; secundùm se, conc. Et dist. cons. Attingit omne cognoscibile sub omni ratione formali cognoscendi, neg; sub vna tantùm ratione formali vniuersalissima, conc. Ad id, quod subditur, dicitur in tantùm poni habitum cognoscitiuum, in quan-

tùm

tùm ponitur diuersum obiectum formale, seu diuersa ratio formalis cognoscendi, quanuis sit idem obiectum realiter, vt patet de motu cæli, qui sub diuersa ratione formali pertinet ad philosophum, Astrologum, & Mathematicum.

13 Obijc. 4. Actus voluntatis est infinitus in linea volitiui; ergo sibi identificat virtualiter omnem actum specialem volitiuum. Tum quia omnes actus speciales voluntatis Dei habẽt pro obiecto bonitatem increatam, in qua non sunt diuersę attingibilitates; ergo non distinguuntur virtualiter.

Resp. dist. ant. Est infinitus in linea volitiui primaria, & radicali, cõc. in linea veluti accidẽtaria, subdist. Quo ad esse implicitum; conc; quo ad esse explicitum neg. Nam quoad esse explicitum non est in linea sibi quodammodò accidentali; sicuti dicimus de essentia respectu attributorum. Ad 2. neg. 2. parts ant; nam misericordia habet pro obiecto bonitatem increatam, prout est subleuatiua à miseria; iustitia distributiua, prout est elargitrix suorum donorũ.

14 Inst. Bonitas est ratio subleuatiua, quatenus eminenter continet misericordiam creatam; & iustitia est elargitiua, quatenus continet iustitiam creatam; sed omnipotentia, quatenus continet eminenter hominem, & leonem, non distinguitur virtualiter in duas potentias; ergo à pari.

Resp. neg. ma. Virtus enim subleuatiua in suo conceptu formali nullam includit imperfectionem, & ideo est formaliter, non eminenter in Deo, & quia secundùm proprium cõceptum formalem explicitum distinguitur à iustitia, ideo in Deo distinguitur virtualiter; at verò homo, & leo dicũt formaliter imperfectionem, & ideo eminenter, non formaliter sunt in Deo, & per consequens, cùm in illo non sint secundùm proprium conceptum formalem, ideo non sunt eum distinctione virtuali, quæ sumitur à conceptu formali.

15 Obijc. 5. Prædestinatio non distinguitur virtualiter à reprobatione, aut à prouidentia generali, quia conueniunt sub vnica ratione vniuersali directionis in finem; ergo nec affectiones voluntatis; conueniunt enim in vnica ratione volitionis.

Resp. neg. cons; nam prędestinatio, reprobatio, & prouidentia conueniunt in vnica simplicissima ratione formali, quæ est ordinatio creaturarum in finem; hæc autem ratio non diuiditur in plures fines totales, & adæquatos, qui repugnant, *vt suo loco* videbimus; sed in plures fines veluti inadæquatos, qui ordinantur ad vnũ finem vltimum adæquatum, qui est Deus; vt *infra in Tract. de Præd.* At verò iustitia, & misericordia habent plura obiecta adæquata formaliter diuersa; respiciunt enim omnes creaturas, sub diuersis rationibus formalibus.

Vid. alias obiectiones de Scient. Dei vbis.

QVÆST. II.

De Libertate Dei.

Libertatem considere in voluntate, imò nihil aliud esse formaliter, quàm ipsam voluntatem, quæ non secundùm aliquod attributum sibi superadditum, sed secundùm suam essentiam formaliter libera est, communiter asseritur. Ideo ad plenam voluntatis Dei intelligentiam, de eius libertate est agendum.

ART. I.

An in Deo sit formaliter libertas?

1 Variæ species libertatis, quas docet *Beatiss. P;* & ex illo *Theologi* communiter, explicandæ sunt, vt sciamus, quænam libertas in Deo sit admittenda; & vitemus confusionem, quam circa hoc patiuntur plures *Recentiores.*

§. I.

Asseruntur variæ species libertatis.

2 Prima libertas est *à coactione*, qua aliquis dicitur facere aliquod opus non coactus, aut inuitus, sed voluntariè, & spontaneè; & in hoc sensu libertas idem est, ac spontaneitas, quæ propriè non est formalis libertas, de qua loquimur in præsenti. Hanc speciem libertatis assignat *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 25. q. 1. art. 6. ex Mag. sent;* & hanc libertatem esse in Deo nedum respectu creaturarum; sed etiam respectu Diuinarum Personarum procedẽtium, nulli dubium est; respectu quidem creaturarum hoc docet *Beatiss. P. in psal. 124;* vbi ait: *Non omnia, quæ fecit, coactus est facere, sed omnia, quæcunque voluit, fecit*. Respectu autem Diuinarum Personarum procedentium, de Spiritu Sancto constat, quia procedit per voluntatem, quæ, cùm omnipotens sit, à nullo potest cogi; de Filio autem patet ex illo *Matt. 3. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui;* vbi autem est complacentia, ibi non est coactio; quia complacentia est maximè voluntaria; cùm maximè voluntariè velimus illud, de quo complacemus. In hoc sensu maximè liberè Personæ Diuinæ amant, & vident se ipsas; & Beati amãt, & vidẽt Deum; quia non coacti, & inuiti amant, sed maximè voluntariè, quia cum maxima complacentia. Vnde libertas *à coactione* vocari solet etiam libertas *complacentiæ*.

3 Secunda species libertatis est libertas *à peccato*, seu *à miseria*, quæ cotrahitur per peccatum; & hæc vocatur etiam libertas *à seruitute*, seu *captiuitate*, quæ dicitur per oppositionem ad seruitutem, & captiuitatem. *Ita Fundatiss. Doct. ex Mag. vbis.* Et hanc libertatem esse in Deo

Deo tradit *Beatiss. P. lib. 22. de Ciu. Dei c. 30*; vbi ait: *Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Et de Prad. SS. c. 15.* loquens de Christo Domino, in quo asserit fuisse libertatem à peccato, ait: *An ideo in illo non libera voluntas erat; ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Idem docet *in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 102*; vbi arguit. *Ergo in Deo non est arbitrij libertas, quia peccare non potest. Et Angelis Sanctis, sicut & nobis gloriam nō est largiturus, quia tunc peccare non poterimus. Et c. 103. Ergo Deus necessitate premitur, vt peccare non possit. Si hæc dicenda est necessitas, qua necesse est aliquid esse, vel fieri; beatissima est illa necessitas, qua necesse est feliciter viuere, & non mori, & in deterius mutari. Hac necessitate non premuntur Sancti, sed fruuntur. Nobis autem futura, non præsens.* Hæc est libertas Filiorum Dei; de qua dicitur *Io. 8. Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis; & Rom. 6. Cùm enim essetis serui peccati, liberi facti fuistis iustitiæ*; vt explicat *Beatiss. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 76; & 77; & 82*; & vocatur etiam libertas *Iustitiæ*; quæ competit solis iustis; seu libertas *adoptionis Filiorum Dei.*

4 Tertia est libertas *à iustitia*, quæ dicitur per oppositionem ad iustitiam, & competit solis peccatoribus, qui liberè committunt peccata; & colligitur ex ijsdem locis, ex quibus colligitur libertas à peccato; vt supra diximus; vocatur autem etiam libertas *peccati*. Hanc non competere Deo certum est; quia Deus nequit esse causa peccati; cùm nequeat non esse iustus; hæc tamen non est vera libertas, sed seruitus, qua seruimus peccato, & immunditiæ in captiuitate Diaboli; vt habet *Fundatiss. Doct. ex Beatiss. P. in 2. dist. 25. art. 6. dub. 8. lit.* Indifferentia tamen ad peccandum, & non peccandum est vera libertas, vt statim dicemus; quia per talem indifferentiam præcisè, vt indifferentia est, non constituitur homo seruus peccati, aut captiuus Diaboli.

5 Quarta est libertas *à necessitate*, quæ dicitur etiam indifferentiæ; & dicitur per oppositionem ad illud, quod est necessarium; vnde sicuti necessarium est illud, quod est determinatum ad vnum; ita liberum per oppositionem ad necessarium est illud, quod est indeterminatum, seu indifferens ad hoc, & ad oppositum huius.

6 Quemadmodum autem oppositio triplex est; scilicet contraria, contradictoria, & priuatiua; & oppositio contraria est illa, quæ intercedit inter duas entitates positiuas; contradictoria, quæ reperitur inter entitatem, & negationem illius; & priuatiua, quæ est inter entitatem, & priuationem eius; ita libertas *à necessitate*, seu indifferentiæ triplex est; scilicet *contrarietatis, contradictionis, & priuationis.*

7 Libertas *contrarietatis* est illa, qua possumus elicere actum positiuum, quo volumus hoc bonum; & actum oppositum, quo positiuè nolumus hoc bonum. Vbi nota; quòd cōtrarietas potest esse solùm inter duos actus positiuos circa idem obiectū affirmatiuè, & negatiuè volitū; vt cū dicitur: *Deus potest velle creare creaturas; & potest velle non creare easdem creaturas, quas creauit*; & potest esse inter duos actus disparatos versantes circa duo obiecta disparata; vt cùm dicitur: *Deus potest creare has, vel illa creaturas.*

8 Libertas *contradictionis* est, quæ tendit in positionem actus, & in negationem, seu suspensionem ipsius actus; vt cùm quis potest ponere actum amoris, & suspendere, seu omittere eundem actum amoris; vnde hæc libertas potest etiam vocari *comissionis, & omissionis*; seu ad comittendum, vel omittendum.

9 Libertas priuationis est, qua tenditur in bonum, & in malum, quod priuatiuè opponitur bono; & hæc dicitur etiam libertas *ad peccandū.*

Loquimur in præsenti *articulo* solùm de libertate *contrarietatis*; nam de libertate *contradictionis* sermo erit inferiùs; de libertate autem ad peccandum patet hanc non esse in Deo; vt dictum est.

10 *Rosende de Inst. Orig. tract. 2. disp. 2. per totam* ait 1. Libertatem *à coactione* esse veram libertatem, & in hac consistere totam, & puram perfectionem libertatis. 2. Libertatem indifferētiæ, seu vertibilitatis competere solùm creaturæ ex imperfectione status viatoris, in quo est defectus cognitionis obiecti, limitatio potentiæ, multiplicitas actuum, & mediocritas bonitatis obiectiuæ, vel secundùm esse reale in se ipsa, vel secundùm, quod repræsentatur ab intellectu, quæ imperfectiones, cùm tollantur à Deo, & à Beatis, ideo in illis remanet perfectio libertatis sine vllo defectu, & per consequens in illis remanet libertas *à coactione*; non autem à necessitate, seu libertas indifferentiæ. Hoc recapitulat *Diuis. 6. n. 100.* Præterea ait *ibid. n. 85.* consultationem non esse in Deo, quia consultatio hæsitabundam reddit voluntatem, & detinet pendulam, & æquilibrem potentiam. Hane esse mētem *Beatiss. P; & D. Tho*; probat Rethoricè magis, quàm Scholasticè. 1. *ex lib. 22. de Ciuit. Dei c. vlt*; vbi loquens de Beatis, ait. *Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt* 2. *ibid. Certè Deus ipse nunquid, quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est.* 3. *ibid. Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatum est rectum, potuit non peccare, sed potuit, & peccare; hoc autem nouissimum eò potentius erit, quo peccare non poterit.* 4. *ex Rom. 6. Cùm serui essetis peccati, liberi facti fuistis iustitia.*

11 Prob. autem ratione 1. Deus, & Beati liberè amant Diuinam essentiam, vt patet *ex adductis textibus*; ergo libertas saluatur sine indifferentia cum omnimoda necessitate. Prob. ant. Deus erga se ipsum exercet suam volunta-

tem; ergo suam libertatem. 2. Libertas est perfectio simpliciter simplex; ergo est in Deo formaliter secundùm suum conceptum explicitum; sed in Deo non est cùm vertibilitate, & indifferentia; ergo indifferentia, & vertibilitas non est de essentia libertatis; sed est defectus accidentaliter illi conueniens.

12 Verùm *iste Auctor* non bene distinxit species libertatis; & ideo ex earum confusione non nisi confusè colligit essentiam libertatis. Igitur.

13 *Fundatiss. Doctor in 2. dist. 25. q. 1. art. 4. §. Resp; & sæpe alibi* ait, quòd libertas formaliter est ipsa voluntas; volũtas autem potest considerari dupliciter. 1. vt quædam res est. 2. vt potentia ad vtrunque. Si consideretur primo modo; consideratur, vt quędam natura est, quia omnis res, vt res est, quædam natura est; vt docet *Beatiss. P. lib. de Nat. Boni*; natura autem, vt natura, est ad vnum determinata. Si consideretur secundo modo, tunc essentialiter est ad vtrunque oppositum. Hoc probat *Beat. Doctor in 2. dist. 8. quæst. 2. artic. 5. in resolut. dub. 3. lat. §. Sed quomodò*; vbi ait: *Est enim hoc naturale cuilibet appetitui, vt naturaliter tendat in finem, vt grauia naturaliter appetunt esse deorsum, & leuia sursum; & homo naturaliter appetit suam felicitatem, & esse beatus; ideo dicitur in 3. Eth; quòd finis præstituitur nobis à natura; id enim, quod apprehendimus, vt finem, non possumus non velle; sed quasi naturaliter ferimur in ipsum; ergo voluntas nostra, vt appetitus est, in bonum, quod est finis, fertur quadam inclinatione naturali; sed huiusmodi voluntas considerata non solùm, vt appetitus est, sed vt appetitus intellectiuus, sic fertur in ea, quæ sunt ad finem, non naturali inclinatione, sed magis quadam libera electione; & ex hoc vocata est liberum arbitrium, prout fertur in ea, quæ sunt ad finem, quæ liberè eligit.* Idem habet *dist. 25. q. 1. art. 1; & sæpe alibi*. Vbi ait; quòd liberum arbitrium secundùm propriam significationem vocabulorum dictum est *à liberis Arbitris*; *liber* autem dicitur per oppositionem ad seruum; & seruus dicitur per oppositionem ad Dominum; Dominus verò dicitur ille, qui habet in sua potestate id, cuius habet dominium; & ille dicitur habere in sua potestate aliquid, qui potest illud ponere, vel nõ ponere; facere, vel nõ facere; sicut è cõtrario seruus, quia nõ est in sua potestate, & dominio facere id, cui inseruit; secus nõ esset seruus, sed Dominus; ideo nõ potest illud non facere; hinc dicimus actus primò primos, seu indeliberatos non esse in nostra potestate, quia non possunt non fieri. Insuper *Arbitri* non eliguntur, nisi ad id, quod est disputabile in vtranque partem; quod non potest esse, nisi contingens; nam necessarium, cùm sit determinatè verum, non est disputabile in vtrãque partem; sed finis nec est in nostra potestate, nec est disputabilis in vtranque partem; quia ad finem necessariò dirigimur; cùm nulla res sit à casu; tum quia illud est in nostra potestate, & est disputabile in vtranque partem, quod à nobis potest eligi, & non eligi; finis autem, vt finis est, non est eligibilis; quia electio est tantùm circa media; ergo liberum arbitrium secũdùm propriam significationem est tantùm circa media, quæ sunt ad finem; non verò circa ipsum finem, in quem tendit voluntas, vt natura, non vt libertas.

14 Ex hoc patet libertatem *à coactione, seu violentia* non esse libertatem propriè loquendo secundùm propriam significationem vocabulorum; quia libertas *à coactione* dicit solùm tendentiam in suum finem secundùm propriam inclinationem naturalem; sicut coactio, seu violentia dicit tendentiam in aliquem finem contra inclinationem naturalem; tendentia autem naturalis in finem competit etiam ratione carẽtibus, & ideo carentibus libero arbitrio propriè dicto, quod competit solùm substantiis intellectualibus; nec tendentia naturalis voluntatis differt à tendentia naturali rei inanimatæ, nisi quia illa supponit cognitionem; ista verò non supponit cognitionem. Aliter si libertas propriè loquendo secundùm suum conceptum formalem explicitum, secũdùm quem dicit puram perfectionem simpliciter simplicem, diceret solùm libertatem *à coactione*, sequeretur, quòd Pater Diuinus, & Filius ęquè liberè formaliter spirarent Spiritum Sanctum, ac producerent creaturas; quia in neutra hac actione coguntur, & ideo ęquè liberè libertate *à coactione, seu violentia* agunt. Et sicuti ita liberè producunt creaturas, vt possint illas non producere, ita æquè liberè spirarent Spiritum Sanctum, vt possent illum non spirare. Quòd si non æquè liberè producunt creaturas, ac spirent Spiritum Sanctum; ergo vltra libertatem *à coactione*, qua spirant Spiritum Sanctum, danda est in Deo alia libertas, qua producunt creaturas; & per consequens falsum est, & parum tutum; quòd libertatis essentia secundùm suam totam perfectionẽ saluetur *in incoactione*. Dicitur ergo libertas *à coactione* species libertatis, quatenus libertas, vt quędam natura intellectualis est, habet naturaliter tendere in suum finem cognitum; sicut cognitio principiorum, quatenus naturaliter tendit in euidenter nota, dicitur quidam actus differentialis specificus intellectus; quanuis etiam sensus habeat tendere in obiecta euidenter nota, non tamen spiritualiter, sed sensibiliter cognita. Vnde sicuti ex eo, quòd intellectus tendat in principia, non arguitur totam perfectionem intellectus consistere in cognitione principiorum; aliter in Deo non poneretur scientia, sapientia, prudentia, & ars; cuius oppositum probauimus *de Scient. Dei q. 1. art. 1. §. 2*; ita ex eo, quòd libertas tendat naturaliter in finem,

finem, non arguitur, quòd tota perfectio libertatis consistat in libertate *à coactione*.

15 Vlteriùs constat libertatē *à seruitute* esse aliam speciem distinctam à libertate *à coactione*; nam iusti seruiunt Deo liberè libertate *à coactione*; seruiunt enim volentes, & ideo incoactè; ideo de eorum conuersione in Deum ait *Beatiss. P; non vt nolentes, sed vt volentes ex nolentibus fiant*; & peccatores incoactè, quia volentes seruiunt Diabolo; & ideo non habent libertatem *à seruitute*, quamuis illam habeant *à coactione*; ergo libertas *à seruitute* alia est à libertate *à coactione*; & per consequens falsum est, quòd tota perfectio essentialis libertatis consistat in libertate *à coactione*.

16 Tandem manifestum est vltra libertatem *à coactione*, & *à seruitute* reperiri aliam speciem libertatis, quæ secūdùm suum conceptum explicitum nullam dicit imperfectionem; nam in creatura reperitur libertas ad eligendum prę alio hoc medium bonū, & vtile ad consequendam vitam æternam, v. g. ieiunium prę pœnitentia; pœnitentiam præ martyrio; insuper est libertas ad faciendum, vel non faciendum hoc bonum, circa quod nullum est præceptum, sed tantùm consilium, & ideo etiamsi non fiat, nullum est peccatum; & ideo hęc libertas in suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem, quia nullum dicit defectū peccaminosum. Hanc autem libertatem non consistere *in incoactione*, vel libertate *à seruitute*, quis non videat? Potest enim quis seruiens Deo elicere hoc, vel illud bonum; vel etiam simpliciter non eligere sine peccato; sed hæc est libertas *indifferentiæ*, seu *à necessitate*, non quidem indifferentiæ ad bonum, & malum, sed ad hoc bonum, vel illud; ergo falsum est, quòd libertas *à necessitate*, seu *indifferentiæ* generaliter sumpta sit defectus libertatis; & per consequens, quòd tota perfectio libertatis consistat in *incoactione*.

17 Aduertendum tamen, quòd indifferentia alia est potentiæ, alia actus. Indifferentia potentiæ est illa, quæ excludit vtrunq; actum, ad quem ęst indifferens, & hęc indifferentia vocatur indifferentia contradictionis, seu suspensionis, quæ non datur in Deo, vt *inf.* videbimus, quia cùm dicat carentiam actus, qui est perfectio potentiæ, essentialiter dicit imperfectionem. Indifferentia actus est illa, qua actus secundùm se potest terminari, vel non terminari ad hoc, vel illud obiectum; & hæc non potest negari in Deo respectu creaturarum, quia per eundem actum, quo voluit creaturas, quas de facto produxit, poterat velle alias creaturas, quas non produxit, & sic nolle istas, quas voluit; & velle alias, quas noluit; non quidem volendo postquam noluit, aut è contra; sed volendo pro eo signo, quo noluit, vt dicemus inferiùs. Cùm enim actus voluntatis Dei sit infinitus, & ideo omnis actus siue volitionis, siue nolitionis, quem potest habere voluntas infinita circa omne volibile; ideo per eundem actum potest voluntas terminari volendo, & nolendo ad creaturas; & in hoc consistit libertas indifferentię actus.

18 Ad 1. ergo neg. perfectionem libertatis adæquatè consistere in libertate *à coactione*, quia libertas *à coactione* est vna tantùm species libertatis, vt dictum est; sicut perfectio intellectus non consistit in sola cognitione principiorum, cùm cognitio principiorum sit vna tantùm species cognitionis. Quemadmodum autem esse intellectiuum secundùm totum suum genus dicit perfectionem simpliciter simplicem; & ideo secundùm totum genus ponitur in Deo, vt diximus *de Scient. Dei q.1. art.1.§.1*; ita dicendum est de esse volitiuo; & ideo non ponitur in Deo tantùm libertas *à coactione*, sed etiam libertas à peccato, seu à miseria, & seruitute, & libertas à necessitate, seu indifferentiæ contrarietatis.

19 Dices. Habitus Fidei, & opinionis pertinent ad esse intellectiuum, & tamen non ponuntur in Deo formaliter; aliter poneretur obscuritas, & fallibilitas in eius cognitione; ergo falsum est, quòd intellectiuum secundùm totum suum genus dicat perfectionem simpliciter simplicem, & quòd ponatur formaliter in Deo. Ita dicendum de esse volitiuo.

Resp. dist. ant. Habitus Fidei, & opinionis pertinent ad esse intellectiuum, tanquam quid specificè diuersum à quinque habitibus intellectus, neg; aliter non essent solùm quinque habitus intellectus, vt communiter traditur *in Philosophia*; tanquam quid imperfectum reducibile ad vnum ex illis quinque habitibus, conc; nam Fides reducitur ad habitum principiorum, & opinio ad habitum scientiæ, vel sapientiæ, vt diximus *To. 1. q.2. proem. art.2; & q.3. art.7*. Igitur isti habitus supra perfectionem aliorum habituum non impoitant, nisi imperfectionem illorum, quæ si remoueatur, remouentur pariter isti habitus, & remanet solùm perfectio simpliciter simplex, cui addūt imperfectionem ratione subiecti, quod est creatura, in qua reperiuntur.

20 Ad 2. dist. ant. Libertas indifferentiæ priuatiuè, quæ est ad bonum, & malum, vt dictum est, conuenit solùm creaturæ ratione status viæ, & ideo dicit solùm imperfectionem annexam perfectioni libertatis, conc; nam, vt docet *B. Doct. in 2. dist.28. par.2. art.2. dub.8. lit; Quandiu sumus in via, & voluntas nostra non est confirmata in bono, nec obstinata in malo; possumus peccare, & non peccare*; quando enim voluntas est confirmata in bono, tunc est firmata cum actu bono; & quandiu est firmata cum actu bono, nequit ponere actum malum, quia poneret simul duo contraria, & sic dicendum de obstinatione in actu malo. Hic autem defectus, quo-

quò libertas potest peccare, conuenit libertati solùm per accidens; scilicet ratione subiecti, in quo est, quod est creatura, quæ, cùm sit ex nihilo, potest tendere in nihilum, & ideo deficere ab ente, & bono, quod est peccare, vt docet *Beatiss. P. lib. 11. de Ciuit. Dei c. 2; Et de Cor; & Grat. c. 1. Liberum itaque arbitrium, et ad bonum, & ad malum faciendum confitendum est nos habere.*

Tum quia libertas primò, & per se est ad bonum, secundariò autem, & per accidens ad malum; vt docet *Beatiss. P. lib. 2. de lib. arb. c. 1;* vbi ait: *Non enim, quia per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dedisse credendum est. Satis ergo causæ est, cur dari debuerit, quoniam sine illa homo rectè non potest viuere.* Sicut potentia visiua primò, & per se data est ad videndum tantum; quamuis per accidens possit non videre, quatenus tendit in tenebras. *Vid. q. 1. art. 1. n. 2.* Libertas *indifferentiæ contrarietatis*, neg.

21 Ad 3. dist. assumptum. Consultatio per inquisitionem, conc; consultatio per comprehẽsionem intuitiuam mediorũ, neg; vt *inf. §. seq.*

22 Ad 1. auctoritatem *Beatiss. P.* dicitur nõ rectè colligi in Deo esse solùm libertatẽ *à coactione* ex eo, quòd in eo non sit libertas ad peccandum; quia vltra libertatẽ ad peccandũ reperitur libertas à necessitate, vt dictum est; per quod patet ad 2.

23 Ad 3. dicitur ipsum loqui de libertate *à coactione*; non tamen excludere libertatem *à necessitate*, non quidem respectu visionis beatę, quæ, vtpotè tendens in vltimum finem, nequit esse libera libertate *indifferentiæ*; sed circa bona eligibilia, quę sunt creaturæ, circa quas ampliùs peccare non poterit.

24 Ad *Apost.* dicitur loqui de libertate *à seruitute*, vt patet; non tamen per hoc excludere libertatem *à necessitate*; vt quando docet nos esse regeneratos per Fidem, non excludit charitatem; sicut enim ideo non excluditur charitas, quia non ait *per solam Fidem*; ita non excluditur libertas *à necessitate*, quia non dicit in nobis esse solam libertatem *iustitiæ*.

25 Ad 1. rationem dist. ant. Deus, & Beati liberè amant Diuinam essentiam libertate *à coactione*, seu *complacentiæ*, conc; libertate *indifferentiæ*, neg. Ad prob. dist. ant. Deus exercet suam voluntatem erga se ipsum, vt natura est, conc; vt potentia ad vtrunlibet, neg.

26 Ad 2. dist. mi. subsumpta. In Deo non est libertas cum vertibilitate ad malum, vel ad actum transeundo de vno actu ad alium, conc; cum vertibilitate ad obiectum eo modo, quo explicatum est *n. 17*; neg.

§. II.

Resoluitur Articulus.

27 Loquimur de libertate secundùm ea, quæ illi conueniunt secundùm se formaliter; non autem per accidens, & materialiter ratione subiecti, in quo est; vt diximus *in sup. §; & q. 1. art. 1. n. 2.*

Prima sententia, seu error negat in Deo libertatem. Tribuitur *à Fundatiss. Doct. Quodl. 1. q. 2. Stoicis* asserentibus omnia fatali necessitate euenire; vt diximus *ex Beatiss. P. Aug. de Scient. Dei q. 3. art. 3. n. 2.* Tribuitur etiam *Manichæis*, & quibusdam *Hæreticis apud Bellarm. de Grat. & lib. arb. c. 15; & 16.*

Secunda sententia vult libertatem esse in Deo tantùm metaphoricè, non formaliter. Tribuitur *Aureol. in 1. dist. 40. art. 1.*

Tertia tandem sententia vult libertatem propriè, & formaliter esse in Deo, & hoc esse dogma Fidei: *Ita B. Doct. in 1. dist. 45. princ. 1. q. 1; & in 2. dist. 25. q. 1. art. 1; & Quodl. 1. q. 2; & omnes eius Discipuli; ac cõmuniter omnes alij Theologi;* pro cuius decis.

28 Not. *ex B. Doct. in 2. vbi s.* libertatem sumptam formaliter secundùm suum purum cõceptum essentialem specificum importare præsuppositiuè consilium, & formaliter electionem ita, vt defectu vtriusque deficiat quoq; libertas.

29 Primum colligitur *ex Scriptura*; nam *Eccli. 15.* explicans *Spiritus Sanctus* libertatem hominis ait: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitã facere. Apposuit tibi aquam, & ignem: Ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi.* Et *Apost. Ephes. 1.* explicãs libertatẽ Dei ait: *Qui operatur omnia secundùm consilium volũtatis suæ.* Et ratio est. Libertas cõtrarietatis, de qua solùm loquimur, essẽtialiter est circa bonum propositum ab intellectu iudicante illud potiùs esse prosequẽdum, quàm oppositum; sed consilium est iudicium practicum intellectus dictantis hoc bonum esse potiùs prosequẽdum, quàm oppositum; ergo libertas essentialiter supponit consilium. Ma. patet; nam cùm voluntas sit potentia cæca, si ei non proponeretur ab intellectu hoc bonum prosequendum potiùs, quàm aliud, nunquam posset in illud tendere; quia nequit ferri in incognitum; cùm *nihil volitum, quin præcognitum*. Tum quia si proponeretur aliquod bonum determinatè, & non sub indifferentia rationis, in illud voluntas tenderet necessariò, nõ liberè; quia tẽderet determinatè ad vnum. Et si proponeretur duplex bonum æqualiter, & non suaderetur magis ad vnum, quàm ad aliud, in neutrum tenderet; vt suo loco ostendemus. Mi. etiam constat; nam consilium est suasio vnius boni prosequendi præ alio.

30 Secundum iam probatum est *in sup. §*; nam voluntas in finem tendit necessariò, & in media liberè; sed circa media datur electio; sicuti circa finem intentio; ergo libertas essentia-

liter importat electionem.

31 Consilium autem potest esse perfectum, & imperfectum materialiter,& per accidens,scilicet ratione subiecti,in quo est; quanuis secundùm se,& formaliter importet purã perfectionẽ simpliciter simplicem. Sicuti quanuis scientia, secundùm se formaliter sumpta importet puram perfectionem simpliciter simplicem, vt diximus superiùs; attamen si ponatur in aliquo subiecto defectuoso,trahit ab illo illius defectus eo modo,quo vinum v.g.purum,& perfectum,si ponatur in vase malè olido, trahit ab illo fætorem; vnde sciẽtia in intellectu creato est accidẽs,amissibilis, habitus, &c. Consilium ergo formaliter sumptum importat rectum iudicium intellectus suadẽtis volũtati ex plutibus medijs eligibilibus propositis ad consecutionem finis vnum potiùs esse eligendum, quàm aliud, vtpotè congruentius fini iuxta ordinem rectæ prouidẽtię; hoc autem nullam importat imperfectionem, imò maximam perfectionem intellectus, quia cognoscere bonitatem mediorum magis vtiliũ ad aliquem finem maxima perfectio est.Attamẽ si sumatur materialiter ratione subiecti imperfecti,supponit aliquam imperfectionem;quia supponit inquisitionem mediorum, inquisitio autẽ idem est,ac quæstio,& omnis quæstio disputabilis est in vtranque partem, quod nõ fit, nisi per discursum, qui essentialiter importat imperfectionem.At verò si consilium ponatur in aliquo intellectu euidenter cognoscente omnia fine discursu per simplicissimũ intuitum,tunc nõ supponit inquisitionem, sed cognitionem clarissimam mediorum,ex quibus iudicat vnum magis congruere,quàm aliud.Igitur.

Vnica concl.In Deo est formaliter libertas.

32 Prob.1.*ex Beatiss.P.lib.11.Confes.c.10. & 11*; vbi ait. *Non crearetur aliquid,nisi voluntas Dei praecederet*. Ex quo formatur hæc ratio. Creatura est essentialiter contingens; ergo in Deo datur formaliter libertas. Ant.patet;quia creatura est indifferens ad esse,& non esse;& ita est,vt potuerit nõ esse; sed quod est huiusmodi, est essentialiter contingens;ergo creatura est essentialiter contingens. Prob.conf.Effectus contingens essentialiter petit fieri à causa contingenter agente; sicut effectus necessarius à causa necessaria;sed Deus est causa prima creaturæ,sine qua creatura nullo modo potest esse; ergo Deus est causa contingenter agens creaturam; sed nequit contingenter agere ab extrinseco, quatenus potest impediri ab alia causa, vt succedit in causis secundis necessarijs; quia causa prima à nullo impedibilis est, cùm omnipotens sit; ergo est contingenter agens ab intrinseco, quod est esse formaliter liberum, vt diximus *de Scient. Dei q.3.art.2.n.2.*

33 Conf. Libertas est formaliter in creatura; ergo & in Deo. Ant patet; tum quia in creatura est formaliter consilium, & electio; tũ quia creatura potest mereri, quod nequit esse sine libertate. Prob. conf. Quando creatura se mouet liberè ad aliquam actionem,vel mouetur solùm à se ipsa,vel etiam à Deo?Si primum; ergo datur aliqua actio, quæ non reducitur in Deum, vt in primam causam; & sic Deus non esset causa vniuersalissima,quia causa in tantùm dicitur vniuersalissima, in quantùm extendirur ad omnes actiones. Si secundum; vel mouetur liberè,vel necessariò?Si liberè; ergo in Deo datur formaliter libertas; nullum enim agens potest liberè mouere, nisi in ipso sit formaliter libertas. Si necessariò; ergo creatura semper mouetur à Deo,& per conseques mouetur ab æterno; quia agens necessarium produceit effectum sibi coæuum; etenim eo ipso, quo est, producit suos effectus,si eo ipso, quo est, sit potens illos producere, & à nullo possit impediri; vt patet de Sole producente illuminationem; Deus autẽ fuit potens ab æterno producere creaturas, & illas mouere; non enim aquisiuit potentiam in tempore; & à nullo fuit impeditus, quia nihil potest impedire omnipotentiam Dei.

34 Prob. 2. *ex Fundatiss.Doct.in 2.vbi sup.* Vbi est formaliter consilium,& electio, ibi est formaliter libertas; sed in Deo est formaliter consilium, & electio;ergo in Deo est formaliter libertas.Ma.patet ex dictis.Prob.mi.1.*Isaiæ 46*; ait Deus.*Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet; & Ephes.1. Prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ; & ibid.Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem; & Rom. 11. Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*.2. Consilium est rectum iudicium rationis, & electio est selectio vnius pre alio ex pluribus propositis ab intellectu volunrati; sed in Deo est propositio plurium bonorum facta volunrati Diuinæ,rectum iudicium, & selectio vnius creaturæ præ alia; ergo in Deo est formaliter consilium,& electio.3.Consilium & electio sunt perfectiones simpliciter simplices,vt supra dictum est;ergo sunt formaliter in Deo.

35 Prob. 3. Deus est agens artificioso modo; sed agens artificioso modo est liberum formaliter; est enim agens per intellectum, & voluntatem à proposito,& à consilio; ergo in ipso est formaliter libertas.

36 Obijc.1.*Ex D.Nissen.lib.9.c.5.* habetur, quòd consilium supponit inquisitionem mediorum, & ignorantiam certi medij ad consecutionem finis, & inquisitio importat dubietatem; sed ignorantia, & dubietas repugnant Deo formaliter; ergo & consilium, & per consequens libertas.

Resp.*D.Nissen.* loqui de consilio materialiter sumpto, prout est in nobis, non formaliter secundùm suum conceptum explicitum, vt dictum est.

37 Obijc. 2. Libertas dicit indifferentiam; sed

sed indifferentia repugnat Deo; quia indifferentia dicit carentiam actus, & ideo carentiam perfectionis, cùm perfectio sumatur ab actu: ergo in Deo non datur libertas. Tum quia Deus nequit peccare; ergo in ipso non est libertas; quia libertas consistit in posse facere, & nō facere bonum; non facere autem bonum est peccare.

Resp. ad 1. dist. ma. Libertas dicit indifferentiam, vel ex parte actus, & obiecti, vt in nobis; vel ex parte tātùm obiecti merè extrinsecè, vt in Deo, conc; tantùm ex parte actus, neg. Ad 2. neg. conf. Ad prob. infertam dist. Non facere bonum difformiter ad primam regulam est peccare, conc; conformiter ad primam regulam, vt se habet Deus, quando decernit non producere creaturas, seu non communicare suam bonitatē creaturis, neg.

38 Obijc. 3. cont. 1. rationem. Si Deus ageret ex necessitate, adhuc nostra voluntas liberè posset operari; ergo prima ratio non concludit.

Resp. hanc obiectionem soluendam esse *in seq.* §.

§. III.

An si Deus ex necessitate operaretur, creatura posset liberè operari?

39 Prima sententia est negatiua. *Ita Scot. in 1. dist. 1. q. 1; & dist. 4. q. 4; & dist. 38. ad 1; & in 2. dist. 1. q. 3;* & cum ipso communiter omnes *Scotistæ*.

Secunda sentētia est affirmatiua. *Ita Capr; Ferrar, Caiet; Ban; Zum; Aluar; Nazar, Serra, Arauio, Vasq; & Arrub. apud Godoy hìc disp.* 54.

Tertia sententia vult, quòd si supponatur Deum agere ex necessitate naturæ, & tamen manere libertatem creatam, vera est prima sententia; at verò si supponatur Deum præstare eūdem concursum, quem exhibet modo creaturæ, vera est secunda sententia. Ita *Sua. in Met. disp. 19. sect. 3; Fasol. hic n. 4; & alij.*

Verior tamen sententia est creaturam in tali suppositione non agere liberè; & quòd tales suppositiones sunt ab intrinseco repugnantes in proptis terminis formalibus; & ideo tales hipotheses non sunt admittendæ. Est contra *Godoy vbi sup*; pro cuius declarat.

40 Not; quòd tota ratio *Aduersariorum* est quædam doctrina tradita circa concordiam prędestinationis cum libertate; quam doctrinam tradit *Fundatiss. Doct. in Opusc. de Pradest; & Præsc. c. 2;* vbi ait; quòd quotescunque aliquis effectus est à duplici causa, quarum vna est libera, alia necessaria, tunc ille effectus est simul liber, & necessarius secundùm diuersas rationes, vt fructus est à planta, tanquam à causa necessaria, & à Deo, tanquam à causa libera! ergo si Deus necessariò concurreret ad aliquam actionem, non tolleretur, quin creatura posset liberè ad illam concurrere.

41 Præterea *in 1. dist. 38. princ. 3. q. 1. §. Quòd autem vnum*; ait, quòd substantia sensibilis, prout relata ad intellectum, est vniuersalis; & prout relata ad sensum, est particularis; sed prout vniuersalis, est necessaria; & prout particularis, est contingens; ergo non implicat, quòd idem effectus, prout relatus in Deum, tanquàm in causā vniuersalem, sit ab illo, tanquam à causa necessaria; & prout relatus in creaturam, tanquam in causam particularem, sit ab illa, tanquā à causa libera contingenter agente.

42 Et potest confirmari *ex eodem in Opusc. vbi sup.* Ita se habet necessitas ad libertatem, sicut immobilitas ad mobilitatem; sed non obstāte, quòd Deus agat immobiliter, non tollitur, quin creatura agat mobiliter; ergo non obstante, quòd Deus ageret ex necessitate, adhuc non tolleretur, quin creatura ageret liberè; vt autem hæc dissoluantur.

43 Vnica concl. Si Deus ageret necessariò, creatura non solùm non ageret liberè, sed nec existeret formaliter à parte rei, nec haberet in se libertatem formaliter; nec Deus præstaret eundem cōcursum, quem exhibet modò; & ideo omnes illæ hipotheses sunt ab intrinseco repugnantes.

Prob. 1. pars concl. Prima radix libertatis per *Aduersarios* est libertas Diuina; sed ablato primo aufertur secundum, quod essentialiter depēdet à primo; ergo ablata libertate Dei tollitur libertas creaturæ. Ma. patet; nam sicuti entitas Dei est prima radix omnis entitatis depēdentis à Deo, quia Deus est primum ens, à quo essentialiter dependent alia entia; ita libertas Dei est prima radix omnis libertatis depēdentis ab illa, quia Deus essentialiter est primū liberū, à quo essentialiter dependent omnia libera. Mi. etiam constat; aliter daretur secundum sine primo, quod repugnat.

44 Conf. 1. Sicut se habet potentia libera creaturæ ad potentiam liberam Dei; ita se habet actio libera creaturæ ad actionem liberam ipsius Dei; nam hæc tria, scilicet potentia, actio, & obiectum essentialem ordinem subordinationis seruant inter se; sed si in Deo non esset libertas, non esset in creatura, quia omne id, quod est in in creatura, est à Deo; ergo si non præsuponeretur actio Dei libera in Deo, nō posset dari actio libera in creatura; aliter creatura esset primum liberum, quod non minùs repugnat creaturæ, quàm esse primum ens.

45 Vrgetur ampliùs. Repugnat creaturam esse primum intelligēs formaliter, quia ei competeret prima, & perfectissima vita in actu secundo, quę non competeret Deo; ergo repugnat creaturam esse primum volens liberum formaliter; quia vita perfectissima in actu secundo ęquè consistit in esse intellectiuo, & volitiuo, vt diximus *De Vita Dei*. Prob. ant. Repugnat creaturam esse formaliter primum ens; ergo repugnat esse formaliter primum intelligens, quia

quia gradus intelligendi est perfectior gradu essendi, & ideo si esse primum ens repugnat creaturæ, quia importat perfectionē propriam ipsius Dei, qui est in gradu perfectissimo essendi; à fortiori repugnat creaturam esse primum intelligens.

46 Vlteriùs. Repugnat Deum esse sub dominio, & potestate creaturæ; sed si Deus ageret ex necessitate, & creatura liberè in eadem actione, Deus esset sub dominio creaturæ; quia causa necessaria non habet dominium, sed est sub dominio causæ liberæ, quæ sola propriè dominatur actioni; vt patet de potentijs ministrantibus voluntati, quæ sunt sub dominio illius, quia necessariç sunt; ergo si Deus ageret ex necessitate, creatura non ageret liberè.

47 Resp. *Godoy* §.3.n.32. libertatem tunc fore in Deo eminenter, non formaliter.

Sed contra est; nam libertas secundùm suum conceptum essētialem specificum est perfectio simpliciter simplex; sed quod est in Deo eminenter, secundùm suum conceptum essentialem specificum non est perfectio simpliciter simplex; ergo si libertas esset in Deo eminēter, destrueretur eius conceptus essentialis specificus, & ideo hæc hypothesis repugnat ab intrinseco in terminis essentialibus.

48 Conf. 1. Modus agendi liberè proprius creaturæ causatur à Deo; aliter creatura illum haberet à se; quòd non minùs repugnat creaturæ, quàm habere modum essendi à se; quia *modus operandi sequitur modum essendi*; sed si Deus non ageret liberè, non causaret modum agendi liberè; effectus enim commensuratur cum sua causa ita, vt sicuti à causa liberè agēte nequit esse effectus necessarius; ita à causa necessariò agente nequit esse effectus essentialiter liber; ergo si Deus necessariò ageret, creatura non ageret liberè.

49 Prob. 2. pars. 1. Concursus, quem Deus præstat modo, est essentialiter liber nedum ex parte Dei, sed etiam ex parte creaturæ; quia ille actus est liber ex parte vtriusque; sed tunc non esset liber ex parte Dei; ergo non præstaret eundum concursum, quē præstat modo. 2. Concursus de facto est in tempore extrinsecus Deo; sed tunc esset ab æterno extrinsecus Deo, quia causa necessaria nō impedita producit effectum sibi coæuum; ergo non esset idem concursus. 3. Concursus de facto est ad aliquod indifferens; sed tunc esset determinatè ad vnum; quia causa necessaria concurrit ad effectum determinatè ad vnum; ergo non esset idem concursus. 4. Concursus de facto causat in voluntate creata actum secundùm suam entitatem liberum; sed tunc causaret actum necessarium secūdùm suam entitatem; ergo non esset idem concursus.

50 Prob. 3. pars. Si Deus ageret ex necessitate ad extra, tolleretur à Deo ratio primæ causæ; quia Deus constituitur formaliter agens ad extra per voluntatem formaliter liberam; ergo Deus non ageret; quia implicat in terminis aliquod agere ad extra, & non habere rationem causæ.

51 Præterea. Si Deus ageret ad extra ex necessitate, creatura essentialiter non esset; vt docet *Beatiss. P. loc. cit. vbi sup. q. 1. art. 1. n. 4*; sed impliear in terminis dari libertatem creatam, & non dari creaturam; quia ipsa libertas creata est formaliter creatura; ergo implicat ab intrinseco Deum agere necessariò, & manere libertatem creatam.

52 Tandem. Implicat in tali hypothesi esse eundem concursum; quia implicat in terminis concursum esse, & non esse necessarium; esse, & non esse liberum; sed modo est liber, non necessarius respectu Dei, & in casu esset necessarius, non liber respectu Dei; ergo repugnat in terminis intrinsecis talem concursum esse eundem.

53 Ex his patet; quòd secunda, & tertia sententia nedum sunt falsæ, sed implicatoriæ; & non posse sustineri, nisi in aliqua suppositione repugnante ab intrinseco; & ideo inconcussa manet ratio *Beatiss. P.* allata *in sup.* §.

54 Ad 1. rationem dubitandi neg. cons. & disparitas est; quia causa libera subordinans sibi causam necessariam nō trahit ab illa modum agendi liberè; sed potiùs è contra causa necessaria ex eo, quòd subordinetur causæ liberæ, trahit ab illa modum agendi contingenter ab extrinseco, quatenus non agit, nisi ex imperio, & subordinatione causæ primæ, cui subordinatur. Igitur quia in causa prima est modus agendi necessariò, & est modus agendi liberè; ideo causa creata necessaria, prout subordinata causæ primæ, potest participare modum agendi necessariò ab intrinseco, & modum agendi liberè ab extrinseco. At verò si Deus ageret ad extra ex necessitate, in illo non esset modus agendi liberè; quia non posset agere liberè ad intra, nec ad extra; ergo ab illo non posset causa secunda trahere modum agendi liberè. Illa autem doctrina optimè probat à fortiori concordiam Prædestinationis cum libertate creata; nam sicut contingentia, & necessitas possunt stare simul in eodem effectu; ita à fortiori infallibilitas Prædestinationis, quæ est libera respectu Dei, potest stare simul cum fallibilitate, quæ est libera in creatura; nam magis componitur liberum cum libero, quàm liberum cum necessario; etiamsi illud necessarium sit contingens ab extrinseco.

55 Ad 2. neg. pariter cons. quia intellectus non causatur à sensu; sicut libertas essentialiter causatur à Deo.

56 Ad 3. retorq. arg. Ita se habet necessitas ad libertatem, sicut immobilitas ad mobilitatem; sed immobilitas nequit causare mobilitatem, nisi illam contineat in se ipsa, quia causa es-

essentialiter debet præcontinere effectum; ergo necessitas nequit causare libertatem, nisi illam præcontineat in se ipsa; atqui libertas nequit contineri in Deo solùm eminenter; quia est essentialiter perfectio simpliciter simplex, vt dictum est; sicut eminenter in illo continetur motus, qui est perfectio simplex essentialiter admixta imperfectioni; ergo Deus nequit causare libertatem, nisi quatenus formaliter liber. Igitur dist. ant. Ita se habet necessitas ad libertatem &c; quantùm ad continẽtiam perfectionis, neg; quantùm ad oppositionem, conc.

57 Obijc. 1. In tali casu Deus vellet necessariò, quod modò vult liberè; sed modò vult liberè actum ponendum à creatura; ergo & in tali casu. Prob. ma. In tali casu Deus necessariò exhiberet eundẽ concursum præuium, & simultaneum, quem exhibet modò; ergo necessariò vellet, quod modò vult liberè. Tum quia Deus necessariò produceret eosdẽ effectus, quos modò producit liberè; nam contineret eosdem effectus possibiles, quos continet modò; & ideo illos produceret; quia causa naturaliter operans producit totum, quod potest. Tum quia Deus non euertit naturas rerum; sed natura libertatis creatæ peteret applicari per concursum præuium, & simultaneum; ergo haberet omnia necessaria ad liberè operandum.

Resp. 1. neg. supp; nihil enim Deus necessariò potest velle ad extra, & ideo nihil esset productũ extra Deũ, quod posset liberè operari. 2. Neg. ant. Ad prob. neg. ant; vt sup. dictum est. Ad 2. neg. assumptum; nam in eo casu Deus non contineret libertatẽ; & ideo illam non posset producere. Ad 3. dicitur, quòd licèt Deus non euertat naturas rerum; attamen talis suppositio euertit naturam libertatis, quia illam formaliter destruit. Præterea etiam si daretur concursus præuius, & simultaneus; attamen ex illo non inferretur libertas creaturæ; quia talis concursus exhibetur etiam causæ necessariæ, vt fatetur *Godoy*.

58 Obijc. 2. Implicat voluntatem creatam mediante iudicio indifferenti rationis necessariò operari; sicuti implicat voluntatem regulatam à iudicio necessario liberè operari; sed in casu voluntas operaretur mediante iudicio indifferenti rationis; ergo liberè.

Resp. neg. mi; & supp. illius; tunc enim, sicut volũtas creata esset ad vnum determinata; ita & iudicium rationis ipsam præcedens esset determinatum, non indifferens; ablata enim prima libertate, quæ est radix omnis libertatis; tolleretur omnis libertas; & ideo tolleretur omnis indifferentia rationis, quæ solùm ad libertatem formaliter prærequiritur.

59 Obijc. 3. Etiam si Pater necessariò generet Filium; & Pater, ac Filius necessariò spirent Spiritum Sanctum; attamen Pater communicat Filio libertatem; & Pater, & Filius eam communicant Spiritui Sancto; ergo etsi Deus necessariò produceret creaturas; attamen illis communicaret libertatem.

Resp. hoc arg. nimis probare; probat enim Deum in casu communicare naturam Diuinam creaturis, in qua reperitur formaliter libertas, sicut illa communicatur Filio, & Spiritui Sancto; quod apertè falsum est; nam sicut Pater communicat Filio libertatem, non in ordine ad aliquam actionem ad intra; sed in ordine ad actionem ad extra productiuam creaturarum; ita si necessariò produceret creaturas, non posset illis communicare libertatem in ordine ad aliquod existens intra genus creaturæ, & ideo illa libertas esset ad nihilum, quod est extra genus creaturæ, & extra naturam Dei; quod repugnat, quia libertas essentialiter dicitur in ordine ad aliquod ens, quod potest esse, & non esse.

60 Collig. ex dictis falsissimum esse *Corolarium 2. Godoy*; scilicet radicem libertatis creatæ esse solam efficaciam voluntatis Dei; nam ab efficacia voluntatis Dei pullulat nedum libertas creaturæ, sed etiam causa creata necessariò operans; & ideo nequit esse radix propria libertatis creatæ, cùm sit quid commune libertati, & necessitati; vnde remanet solam libertatem Diuinam esse radicem propriam libertatis creatæ.

ART. II.

In quo consistat formaliter actus liber Dei?

1 *Sphinx* ingeniorũ vocatur cõmuniter hęc difficultas, quæ ęnigmata profert à nullo *Oedipo* solubilia. Etenim actus liber, quia liberè est, videtur essẽtialiter importare aliquod, quod potuit non esse; quod autem potest non esse, est secundùm suam naturam defectibile ab esse; ideo actus liber secundùm suam rationem formalem videtur importare defectibilitatem; defectibilitas autem dicit mutabilitatem, quia in tantùm aliquod esse deficit rei, in quantùm res mutatur de esse ad non esse. Ex alia parte Deus non est capax alicuius mutabilitatis, cùm sit immutabilis simpliciter, & æternus secundùm quamcunque rationem in ipso existentem; & ideo est simpliciter indefectibilis. Aenigma igitur soluendum est; quomodò possit dari aliquod indefectibile simpliciter defectibile? Docet enim Fides in Deo esse libertatem formaliter, vt diximus *in sup. art*; & in ipso esse immutabilitatem simpliciter, vt diximus *To. 1*; idcirco concordantia horum duorum penitus ænigmatica est.

2 *Theologi*, vt hoc ænigma dissoluerent, magis insolubile reddiderunt suarum solutionum multitudine, ac varietate; non parum enim confunditur animus sententiarum copia, quæ difficultatis multiplicant nodos, dum illam enodare contendunt. Vt igitur hac in re confusionem,

nem, quantùm possumus, euitemus, ad tres Classes aliorum opiniones restringemus; & in dissoluendo ænigmate *Oedipus* erit *Beatiss. Doct. Aug*; qui sicuti alia gratiæ Sacramenta tam profundè dilucidat; ita ad istud mysterium percipiendum non opus esse nisi naturali ratione monstrabit.

3 Prima sententia vult actum liberum Dei constitui formaliter per aliquod extra Deum; sed diuisi sunt *Auctores; nam Aureol; & alij apud nostrum Basil. Legion. q. 6.* volunt consistere in ipsa denominatione extrinseca proueniente ex actione transeunte productiua creaturarum; quapropter asserũt libertatem esse in Deo tantùm metaphoricè.

Arrub; Granad; Heric; & alij volunt constitui per ipsam causalitatem extrinsecam productiuam creaturarum.

Vasq. vult constitui per respectum rationis; & ingenuè fatetur se in hac sua sententia non posse euitare circulum. Quamuis *Alarc.* conetur ipsum explicare, quòd intẽdat respectum rationis resultantem ex creaturis productis esse solùm obiectum, & terminum actus liberi; non verò rationem formalem constitutiuã. Hæc tamen explicatio nihil obtinet, quia *Vasq. ibid.* agit de constitutiuo formali; non verò de obiecto, aut termino actus liberi.

Secunda sententia vult constitui per aliquod intrinsecum Deo; & pariter diuisi sunt *Auctores*.

Caiet; vt illi communiter tribuitur, vult consistere in quadam perfectione reali intrinseca extensiua, quæ potuit non esse in Deo ab æterno. *Ita hic art. 2. & 3. p. q. 1. art. 2; Henriq. de vlt. fine c. 3. n. 2.* Quamuis aliqui conentur explicare *Caiet.* dicendo ipsum sentire actum liberum consistere in quadam entitate diminuta Deo intrinseca; quæ, cùm nullam dicat perfectionem, potest Deo deficere.

Fonsec; & Sal. volunt consistere in quadã modalitate reali, seu formalitate virtualiter distincta ab actu necessario, & ab ipso Deo separabili.

4 *Thomistæ* communiter (excepto *Caiet; & Io. à S. Tho.*) volunt consistere in formalitate necessaria, prout intrinsecè terminata ad creaturas; & explicant hoc exemplo Incarnationis; natura enim Diuina per suam entitatem intrinsecam verè dicitur terminare naturam humanam; illa autem terminatio poterat non esse in Deo absque eo, quòd deperderet aliquam perfectionem, quia perfectio sumitur ab entitate, & illa terminatio non est entitas. Hæc sententia communior est, quia traditur à pluribus alijs. Videtur tamen reduci ad sententiam *Fonsec; & Sal*; nam si illa terminatio non est entitas, nec nihil; aliter actus liber constitueretur per ens, aut nihil, remanet, quòd sit modus; quia inter ens, aut nihil solus modus videtur medius; quamuis istæ duæ sententiæ possint differre in explicatione ipsius modi.

5 Tertia sententia vult actum liberum Dei æquè constitui per entitatem intrinsecam, & per ipsam denominationem extrinsecam existentem in creatura. *Ita noster Basil. vbis.*

Alij volunt æquè constitui per entitatem intrinsecam, & per respectum rationis. Ita videtur sentire *Capr; & Ferrar.*

Noster Gibbon vult constitui per indifferẽtiam indiuisibilis entitatis volitionis necessariæ ad varias oppositas denominationes per ordinem ad diuersa connotata extrinseca; ratione cuius indifferentiæ eadem volitio necessaria, qua Deus voluit mundum, potuit ab æterno esse nolitio ipsius mundi, quia volitio Dei, cùm sit infinita, necessariò est omnis actus siue volitionis, siue nolitionis, quem potest habere voluntas Dei. *Citat Bernardin; & alios ex nostris.*

6 Quarta sententia docet actum liberum Dei constitui formaliter per rationem altissimi Dominij, & supremæ, ac vniuersalissimæ potestatis, quam habet in omnes creaturas eo modo, quo infra explicabitur. *Ita Fundatiss. Doct. infra*; & cum eo *omnes nostri Doctores*, paucis exceptis. Id apertè docet *Scot*; & additur *Io. à S. Tho. hic concl. 2; & omnes* communiter illam debent fateri; *vt infra*. Antequam tamen nostram sententiam explicemus, & probemus, reijciendæ sunt aliorum opiniones.

§. I.

Reijciuntur Aliorum sententiæ.

7 Supponimus specificatiuum potentiæ, vel actus aliud esse extrinsecum, quod est obiectum, in quod tẽdit; & aliud intrinsecum, per quod intrinsecè constituitur; & quod idem est, ac constitutiuum illius. Hic loquimur solùm de specificatiuo, quod idem est, ac cõstitutiuum intrinsecum actus liberi Dei; nam certum est obiectum primarium illius, quod est veluti specificatiuum extrinsecum, esse bonitatem Diuinam, vt liberè communicandam creaturis; obiectum verò secundarium esse ipsas creaturas.

8 Impugnatur modò sẽtẽtia asserẽs constitutiuũ actus liberi Dei consistere in aliquo reali extrinseco. 1. Constitutiuum formale metaphysicum, de quo loquimur, est ipsa differentia rei, per quam res vltimò constituitur, & specificatur; ergo constitutiuum actus liberi Dei nequit consistere in aliquo extrinseco. Ant. patet; nam rationalitas, quæ est constitutiuum formale metaphysicum hominis, est differentia ipsius hominis, per quam vltimò constituitur essentia hominis; & sic superintellectualitas respectu essentiæ Dei; vt diximus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 5; & 7*; & vniuersaliter nomine constitutiui formalis intelligimus id, à quo desumitur conceptus formalis specificus, & differentialis ipsius rei. Prob. cons. Implicat differentiam propriam constitutiuam alicuius rei consistere in ali-

in aliquo extra illam rem; cùm enim *constitutiuum vltimum ſit illud, quod primò eſt, & intelligitur in re*; vt omnes fatentur; implicat, quòd aliquod ſit conſtitutiuum vltimum, & ſit extrinſecum. Tum quia à conſtitutiuo vltimo habetur conceptus ſpecificus eſſentiæ; quapropter dicitur; quòd conſtitutiuum vltimum eſt formaliſſimè ipſa eſſentia rei, vt patet de rationalitate, & in artificialibus de lapidibus conſtituẽtibus parietem, qui non ſunt, niſi paries conſtitutus; implicat autem, quòd eſſentia rei ſit extra rem; quia, cùm eſſentia rei ſit formaliſſimè ipſa res, ſequeretur, quòd res eſſet extra ſe ipſam; quo nihil abſurdius; ergo conſtitutiuum actus liberi Dei nequit conſiſtere in aliquo extrinſeco.

Conf. Ita ſe habet conſtitu tiuum formale metaphyſicum reſpectu conſtituti metaphyſici; ſicut forma phyſica, quæ eſt conſtitutiuum formale phyſicũ, reſpectu cõpoſiti phyſici; ſed implicat compoſitum phyſicum cõſtitui formaliter formam, quæ ſit extra ipſum compoſitum; quia forma eſsẽtialiter eſt cauſa intrinſeca, ex qua intrinſecè conſtituitur compoſitum; ſicut ex lapidibus paries; vnde ſi compoſitum poſſet fieri ſine forma intrinſeca; etiam paries fieri poſſet ſine lapidibus; ergo conſtitutiuum formale metaphyſicum actus liberi nequit conſiſtere in aliquo extrinſeco.

9 Impug. 2. Actus liber eſt vitalis; ergo nequit conſtitui per aliquod extrinſecum; nam de ratione actus vitalis eſt, quòd ſit quid intrinſecum, quia de ratione illius eſt, quòd oriatur à principijs intrinſecis eo modo, quo explicatum eſt *de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 3*; ſed id, quod eſsẽtialiter eſt quid intrinſecum, nequit conſtitui per aliquod extrinſecum, quia conſtitutiuum eſt illud, à quo habetur eſſentia rei; vnde ſicuti à cõſtitutiuo intrinſeco habetur intrinſecè eſſentia rei; ita à conſtitutiuo extrinſeco eſſentia habetur extrinſecè; ergo conſtitutiuum actus liberi Dei nequit eſſe aliquid extrinſecum.

10 Impug. 3. Actus liber eſt formaliter in Deo, quia per ipſum conſtituitur libertas Dei, quæ eſt formaliter in Deo, cùm ſit attributum illius; ergo eſt formaliter quid Diuinum, imò eſt formaliter ipſe Deus; nam, vt definitum eſt *in Conc. Rhem. cont. Gilber*; quidquid eſt formaliter in Deo, eſt ipſe Deus in recto, vt Deus eſt ſua omnipotentia, ſapientia, &c; ſed prædicatum Diuinum, aut ipſe Deus nequit conſtitui formaliter per aliquod extrinſecum Deo, quod eſt quid creatum; & non eſt ipſe Deus, nec quid Diuinũ formaliter; à conſtitutiuo enim formali habetur denominatio, vt *à rationalitate*, per quam conſtituitur homo, denominatur homo *rationalis*; ergo actus liber nequit conſtitui per aliquod extrinſecum; aliter actus liber non eſſet quid Diuinum, aut Deus formaliter; ſed quid creatum, & creatura, & ſic non eſſet actus liber Dei, de quo loquimur; ſed actus liber creaturæ, de quo non loquimur.

11 Præterea. Denominatio extrinſeca prouemiens à cauſalitate productiua creaturarum ſupponit ipſam cauſalitatem, quæ eſt forma denominans; omnis enim denominatio ſupponit formam denominantem, à qua ſumitur denominatio; & omnis actio, ſeu cauſalitas productiua creaturarum ſupponit actum liberum Dei immanentẽ voluntatis Diuinæ, à quo mouetur potentia executiua; ergo actus liber Dei nequit formaliter conſtitui per denominationem extrinſecam, vel per cauſalitatem, ſeu actionem productiuam creaturarum, quia prius nequit conſtitui per poſterius; conſtitutiuum enim eſt id, quod priùs eſt, & intelligitur in re, cùm ſit cauſa formalis ipſius rei; & cauſa eſſentialiter ſit prior effectu.

12 Impug. *Vaſq*; cui videtur adhærere *Mol.* Reſpectus rationis eſt quid conſequens ad actionem productiuam creaturarum; omnis enim ordo potentiæ ſiue realis, ſiue rationis ſupponit actionem, in qua fundatur; ergo per ipſum nequit formaliter conſtitui actus liber, qui eſſentialiter eſt prior actione productiua creaturarũ, vt dictum eſt. Et ſic valent contra *Vaſq*; omnes rationes ſuperiùs allatæ.

13 Pręterea actus liber Dei eſt quid reale; Deus enim præciſo quocunque intellectu eſt formaliter liber; ergo nequit conſtitui per aliquod rationis; à conſtitutiuo enim formali ſumitur eſſentia, & denominatio rei.

14 Reijcitur 1. ſecunda ſententia quoad primos duos modos dicẽdi. Abſurdũ eſt dicere Deum aquirere, vel deperdere aliquam perfectionẽ vel realiter, vel virtualiter diſtinctam; ergo actus liber Dei non conſiſtit in aliqua perfectione realiter ſeparabili à Deo, vt tribuitur *Caiet*; vel in aliqua perfectione virtualiter diſtincta, & realiter ſeparabili, vt tribuitur *Fonſec; & Sal.* Prob. ant. Abſurdũ eſt dicere, quòd Deus Pater poſſit ammittere Filium, qui realiter diſtinguitur, vel omnipotentiam, quæ virtualiter diſtinguitur; ergo abſurdum eſt dicere, quòd Deus poſſit ammittere perfectionem vel realiter, vel virtualiter diſtinctam. Prob. conſ. nam ſi actus liber Dei conſiſteret in aliqua perfectione realiter, vel virtualiter diſtincta, realiter tamen ſeparabili, poſſet Deus illam perfectionem ammittere, quia poſſet illam non habere; quòd implicat.

15 Dices. Licèt Deus non poſſit realiter ammittere volitionem, quam de facto ſemel habuit; attamen potuit illam non habere, quia potuit habere nolitionem eo tunc, quò habuit volitionem; aliter non ſaluaretur eius libertas; nec ex hoc deducitur, quòd Deus foret minùs perfectus; quia habuiſſet nolitionem; quæ eſt perfectio ęquiualẽs volitioni, quę eſt oppoſitũ illius.

Sed contra eſt; nam ſi Deus ab æterno non habuiſſet perfectionem omnipotentiæ eo tunc, quò

quò habuit omnipotentiam;& non habere omnipotētiam eſſet alia perfectio æquiualens perfectioni omnipotentiæ,diceretur perfectio omnipotentię deeſſe Deo de facto;ergo Deus eſſet alius ſaltem accidentaliter ab eo, qui eſt de facto,quia non haberet eandem perfectionem accidentalē,quam habet de facto; ſicuti ſi ignis in ſua prima conditione creatus fuiſſet ſine perfectione caloris, & cum aliqua perfectione æquiualente,fuiſſet alius accidentaliter ab eo, quod eſt de facto.Et ſic ſi non habuiſſet ab æterno Filium, habuiſſet tamen aliam Perſonam æquè perfectam,ac Filius,non habuiſſet eas perfectiones,quas de facto habet;ergo à pari.

16 Neque officit; quòd omnipotentia, & Filius ſint quid neceſſarium ſimpliciter; volitio autem quid liberum; & ideo illa non poſſunt, hæc autem poteſt deeſſe. Non officit,inquam; nam etiam libertas quantùm ad perfectionem entitatiuam,quam importat,eſt ęquè neceſſaria, ac omnipotentia,ac Filius;vnde ſicuti Deus nequit eſſe ſine perfectione omnipotētię, & Filio; ita nequit eſſe ſine perfectione libertatis; quanuis perfectio libertatis non conſiſtat præciſiuè in volitione, vel nolitione, ſed indiſcriminatim in vtraque;quia eadem eſt perfectio ſub volitione,& nolitione;vnde ſiue adſit volitio,ſiue nolitio,ſemper adeſt eadem perfectio; in ſententia autem contraria non eſſet eadem perfectio volitionis, & nolitionis; quia per carentiam volitionis à Deo ſepararetur perfectio illius, & poneretur loco illius perfectio nolitionis, quæ eſt alia perfectio illi æquiualens;aliter ſi eſſet eadē perfectio, actus liber nō conſtitueretur per perfectionem ſeparabilem; quia ſiue adſit volitio, ſiue nolitio,ſemper eſſet eadem perfectio; ergo ſi actus liber conſiſteret in perfectione ſeparabili,Deus potuiſſet eſſe aliter perfectus, ac modò eſt; & ideo ſaltem accidentaliter diuerſus à ſe ipſo; quod repugnat ſummè identitati perfectionum illius.

17 Dices illam perfectionem virtualiter tantùm diſtingui,& ideo remanere realiter idēticè,etianſi ſeparetur realiter.

Sed contra eſt;nam etianſi omnipotentia tantùm virtualiter diſtinguatur, attamen ſi realiter ſeparatetur à Deo, Deus ammitteret aliquam perfectionem realiter, quam habet de facto;ſic dicendū de rationalitate,quę tantùm virtualiter diſtinguitur ab animalitate;ergo à pari.

18 Pręterea dicitur,quòd diſtinctio virtualis nequit ſtare cū ſeparabilitate reali;quia ſicut ſeparabilitas eſt diſtinctio; ita ſeparabilitas realis eſt diſtinctio realis; & ideo, quæ virtualiter, diſtinguuntur, tantùm virtualiter ſeparantur; cùm autem diſtinctio virtualis ſit tantùm penes diuerſos conceptus explicitos;vt diximus *To.1. de Attr.in com.q.2.art.9;* remanet; quòd ſeparabilitas virtualis non ſit,niſi penes conceptus explicitos; per quod magis euertitur iſta ſētentia.

19 Reijcitur 2. Non minùs repugnat ſummæ Dei immutabilitati mutatio, quæ eſt tranſitus de non eſſe perfectionis ad eſſe perfectionis, & è contra;quàm repugnet puriſſimæ illius vnitati,& identati alietas,& diuerſitas perfectionis; quæ dicit carentiam vnius perfectionis,& habitionem alterius;ſed ex eo,quòd Deus ſit ſummè immutabilis,nequit tranſire de non habere perfectionem ad habere perfectionem, vt fatentur *Aduerſarij*; ergo ex eo, quòd ſit ſimpliciſſimè vnus,& puriſſimè idem,nequit habere perfectiones diuerſas ab ijs, quas de facto habet. Sicuti enim diuerſitas ſubſtantialis tollit vnitatem ſubſtantialem; ita diuerſitas accidentalis tollit vnitatem accidentalem;& ideo creatura,quę eſt capax diuerſitatis accidentium,non dicitur vna,& eadem; vnde homo albus non eſt accidentaliter vnus,& idem,ac homo niger; ſed Deo competit eſſentialiter ſumma vnitas, & puriſſima identitas; ergo illi repugnat quæcunque alietas ſiue ſubſtantialis,ſiue accidentalis; ſicut ex eo, quòd ſit ſummè immutabilis,ei repugnat quæcunque mutatio ſiue ſubſtantialis,ſiue accidentalis.

20 Reijcitur ſententia communior *Thomiſtarum*. 1. Illa terminatio intrinſeca eſt quid poſterius actus libero; in tantùm enim actus liber terminat ad creaturas,in quantùm voluntas Diuina decreuit illas terminare, vt v.g. natura Diuina(vtimur exemplo ipſorū allato à *Gonet.*) in tātùm intrinſecè terminat naturā humanā;terminat enim per ſuam entitatem,quę eſt ſibi omnino intrinſeca; in quantùm decreuit illam terminare; decretum autem eſt eſſentialiter actus liber, & ideo terminatio intrinſeca ſequitur ad actum liberum;ergo actus liber Dei nequit conſtitui per terminationem intrinſecam, quia nihil poteſt cōſtitui per id,quod eſt poſterius ſe ipſo.

21 Præterea. Terminatio intrinſeca ſecundùm ſe eſt indifferens, vt ſit libera, vel neceſſaria; non enim minùs potentia libera intrinſecè terminatur ad obiectū liberum,quā potētia neceſſaria ad obiectum neceſſarium;ergo terminatio intrinſeca præcisè,vt talis eſt,nequit eſſe cōſtitutiuū formale actus liberi;quia conſtitutiuum nequit eſſe indifferens ad rem conſtitutam; & ideo animal,quod eſt indifferēs ad rationale, & irrationale, nequit eſſe cōſtitutiuum rationalis.

22 Si dicatur actum liberum conſtitui per terminationem intrinſecam, quæ poteſt non eſſe; & ideo non eſt indifferens ad terminationem neceſſariam,quę non poteſt non eſſe.

Contra eſt;nam quòd terminatio poſſit nō eſſe, non habet ex puro conceptu terminationis,qui ſaluatur etiam in terminatione neceſſaria; ergo habet ex aliquo alio;ſed illud aliud,ex quo habet,eſt formaliter liberum; quia liberum eſt illud,quod ita eſt,vt poſſit non eſſe; ergo illa terminatio ſupponit actum liberum, ad quem ſequitur,& per quem conſtituitur formaliter libera; & ideo ipſa nequit eſſe conſtitutiuum

for-

formale illius;sed potiùs è contra.

23 Reijcitur 2.Voluntas Dei per *Godoy,Gonet,& alios,vt inf.*videbimus,nedum est libera libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis; ergo nequit formaliter constitui per terminationem intrinsecam ad creaturas; nam terminatio ad creaturas formaliter habetur per volitionem,vel nolitionem creaturarum,in quo consistit libertas contrarietatis; sed libertas cōtradictionis est suspēsio voluntatis ab omni volitione, & nolitione; & ideo est suspēsio ab omni terminatione; ergo terminatio non est constitutiuum libertatis Dei; aliter daretur constitutum sine constitutiuo formali,quod repugnat.

Conf. In tantùm voluntas Dei dicitur terminare positiuè ad creaturas,in quantùm habet volitionem positiuam illarum;& in tantùm dicitur terminare negatiuè,in quantū habet nolitionem illarum; in tantùm enim terminat ad obiectum, inquantùm tendit ad illud; terminus nāque potētię est obiectum;& in tantùm terminus dicitur terminare,in quantùm tēditur ad illud;ergo voluntas suspensa ab omni volitione, & nolitione est suspensa ab omni terminatione; cùm terminatio habeatur solùm per volitionem, aut nolitionem, per quam solùm tendit in obiectum; sed voluntas adhuc suspensa ab omni volitione, & nolitione, & terminatione est formaliter libera; ergo terminatio non est constitutiuum formale libertatis Dei.

24 Tandem reijcitur tertia sententia. 1. Actus liber est adæquatè secundùm suam formalitatem quid Diuinum formaliter in Deo existens; ergo nequit constitui per aliquod inadęquatè extrinsecum,& intrinsecum;nam quale est constitutum,tale est constitutiuum.

25 Præterea omne illud,quod est extrinsecum Deo est effectus libertatis Dei; quia omne extrinsecum Deo est creatura, vel sequens ad creaturam;creatura autem est effectus libertatis Dei; cùm sit à Deo, tanquam à causa libera; & ideo omne id,quod consequitur ad creaturam, à fortiori sequitur ad actum libertatis Dei; sed nullus effectus extrinsecus est constitutiuus formaliter intrinsecus suę causæ;est enim posterior sua causa;& ideo supponit causam adæquatè constitutam;ergo actus liber Dei nequit constitui etiam inadæquatè per aliquod extrinsecum; aliter effectus esset prior sua causa; quia constitutiuum est prius constituto, & sic esset causa suæ causæ;quod implicat.

Reijcitur tandem omnibus alijs rationibus, quibus reiectæ sunt aliæ sententiæ. *Vid. inf. n.* 37.

§. II.

Explicatur,& probatur nostra sententia.

26 Ex cognitione libertatis creatæ debemus venari conceptū formalē libertatis Dei;quod quidem pręstabimus,si à voluntate creata demamus omnes imperfectiones,quę illi cōueniūt ratione subiecti,in quo est; sic enim procedimus in cognitione cuiuscunque alterius attributi Diuini nobis naturali ratione innotescentis;vt sæpè diximus.Igitur.

27 Diximus *de Scient. Dei q.1.art.2.n.4;& locis ibid. cit.* qualibet potentiam in Deo esse per modum actus purissimi excludentis omnem potentialitatem passiuam eo,quia Deus est simpliciter actus purissimus; in hoc enim distinguitur à creatura, quæ essentialiter est ens in potētia passiua ad esse.Sic dicendum est de libertate, quam in Deo debemus admittere per modum purissimi actus sine vlla imperfectione potētialitatis passiuæ ad suum actum; in quo distinguitur à libertate creata,quæ est in potentia passiua ad suos actus, & ideo libertas Dei constituitur formalissimè per suum actū; libertas verò creaturæ constituitur per ordinem ad actum; sicut diximus de potentia intellectiua, & volitiua. Actus autem,per quem cōstituitur libertas Dei, in hoc distinguitur ab actu libertatis creatæ; quòd ille est omnis actus, quia est perfectissimus secundùm totam suam speciem; & ideo absorbet totam perfectionem suæ speciei, seu lineæ;vnde est omnis volitio, & nolitio libera, quā potest habere volūtas Dei;sicut eius voluntas est omnis voluntas;quia concipitur aduenire esse Dei,quod est omne esse. At verò actus liber creaturæ non est omnis actus, quem potest habere libertas creata;quia est finitus,& limitatus ad vnam veluti indiuidualitatem actus; sicut essentia creaturæ intellectualis, cuius libertas est proprietas,non est omne esse,quod potest communicari creaturę.

28 Hinc habetur duplex differentia inter libertatē Diuinam,& creatam. 1. est; quòd actus liber creaturæ est accidens proprium tertio modo potentiæ liberæ creatæ,quia conuenit soli,& omni, non tamen semper; actus verò liber Dei est essētia,seu ratio formalis cōstitutiua libertatis Dei; sicuti enim essētia creata se habet ad esse,quod est actus ipsius essentię;ita libertas creata ad actum liberum, qui est actus proprius illius; sed esse aduenit creaturæ accidentaliter, Deo autem substantialiter, vt diximus *To.1.de Subst. Dei q.2. art.3*; ergo à pari de actu libero. 2.est;quòd libertas creata potest volui de vno ad alium actum; quia, cùm vnus actus non sit omnis actus,quē potest habere,& sit distinctus à potētia, ideo libertas creata est in potentia passiua ad habēdum actum,quem non habet;sicut quia forma physica non est omnis forma, ideo materia habēs vnam formā potest volui de illa ad aliam; & hæc est ratio, quare noster intellectus voluatur de cognitione in cognitionem. At verò actus liber Dei est omnis actus, quē potest habere potentia libera Dei,& est realiter,ac virtualiter indistinctus ab illa;ideo libertas Dei nequit volui de vno actu libero ad alium; hæc enim reuo-

lut io actuum non fit,nisi deperdendo vnum, & ali um aquirendo.

29 Itaque libertas creata potest tripliciter considerari. 1. Per ordinem ad suum constitutiuum formale, quod est ille ordo, quem essentialiter dicit ad suum actum. 2. Per ordinem ad suum actũ. 3. Per ordinẽ ad obiectũ talis actus. Si consideretur primo modo,certum est libertatem non se habere contingenter, & accidentaliter liberè;nam constitutiuum formale rei est illi essentiale,& quod est essẽtiale, necessariò competit rei; vnde cùm libertas sit essentialiter libertas; nihil enim magis essentialiter est res, quàm ipsa; ideo essentialiter est suum constitutiuum.Si consideretur secundo, & tertio modo; libertas dicitur contingenter, & accidentaliter liberè se habere; quia actus ei accidentaliter aduenit;& in obiectum merè liberè tendit; nam tendit in obiectum solùm per actum;& ideo sicuti actum liberè ponit, ita in obiectum liberè tendit; quapropter actus, & obiectum dicuntur esse in potestate, & dominio voluntatis; quia voluntas libera potest tendere, & non tendere; ex qua potestate sumitur ratio dominij. Et sic ille actus,cùm sit in potestate,& dominio voluntatis liberę,potest esse,& non esse, & ideo liberè,&contingenter est.

At verò libertas Diuina ad entitatem sui actus se habet omnino essentialiter, & necessariò,quia per illum formaliter cõstituitur, in hoc enim distinguitur à libertate creata, vt dictum est; & ideo ille actus immutabiliter conuenit libertati Dei, quia constitutiuum essentiale rei immutabiliter ei conuenit; cùm essentiæ rerum sint simpliciter inuariabiles, & immutabiles; & sicut libertas creata quoad suum esse specificum essentiale necessariò conuenit naturæ intellectuali creatæ; ita actus liber Dei specificè sumptus,prout est omnis actus liber, necessariò conuenit Deo;ergo ex hoc capite non habetur formaliter conceptus libertatis, quæ est respectu alicuius ponendi,vel non ponendi. Licèt autem bonitas Diuina secundùm se sit quid necessariũ simpliciter, attamen communicatio illius extra Deum habet rationem liberi,& contingentis,in hoc enim distinguitur communicatio ad intra, quæ est simpliciter necessaria, à communicatione ad extra,quæ est simpliciter libera; & in tantùm talis communicatio est libera; in quantùm est in eius potestate, & dominio illam ponere vel non ponere; ideo remanet, quòd actus liber Dei constituatur formaliter in ratione liberi per rationem altissimi dominij,& supremę potestatis, qua potest se communicare, & non communicare creaturis.Hæc doctrina clarè traditur *à B.Doct.in 1.dist.39.princ.1.q.1*;vbi loquens de actibus liberis ait: *Secundùm quod dicunt respectum ad exteriora, debet in Deo concedi potentia ad opposita,ne negemus à Deo liberi arbitrij potestatem,ratione verò ipsorum actuum,prout dicunt aliquod in Deo existens, potentia ad opposita Deo non est tribuenda, ne in ipso mutabilitatem ponere videamur.*

30 Sicut autem actus potentiæ creatæ duplex est, vt communiter dicitur; alius adæquatus,quia adæquat totam vim ipsius potentiæ,& adæquatur illius obiecto secundùm totam latitudinem acceptio;& alius inadæquatus, qui versatur circa aliquod obiectum particulare inadęquarum illi potentiæ; ita actus liber Dei potest cõsiderari adæquatè, prout adæquat totam vim libertatis Dei,& adæquatur illius obiecto secũdam totam suam latitudinem acceptio;& sic cõsideratur,prout est omnis actus siue affirmatiuus, qui est volitio;siue negatiuus,qui est nolitio; vel potest considerari,veluti inadæquatè,prout tendit circa aliquod obiectum inadæquatum libertatis Diuinæ;& sic non consideratur, vt est omnis volitio,& nolitio;sed tantùm, vt est determinare volitio,vel nolitio. Quemadmodum igitur potentia creata specificatur, & constituitur intrinsecè per ordinem ad suum actum adæquatum, non per ordinem ad aliquem actum indiuidualem inadæquatum; aliter si sic specificaretur,non posset tendere extra illum actum, vt v. g. si potentia visiua specificaretur, & constitueretur per ordinem ad actum visionis albedinis, non posset videre, nisi albedinem, quia nulla potentia potest ferri extra suum specificatiuum. Ita libertas Diuina non specificatur, & constituitur essentialiter per actum inadæquatum,qui est tantùm aliquis actus in particulari,& indiuidualis; non autem est omnis actus suæ speciei;& ideo nõ est formaliter in Deo,sed tãtùm eminẽter; nã vt diximus *To.1. de Attr.in com.art.5.n.7;& ar.6.n.3*;actus indiuidualis importat negationẽ alterius actus solo numero distincti;quia indiuiduum *est illud,quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*; actus autẽ solo numero distinctus ab alio actu eiusdem speciei dicit aliquod partiale,in quod partitur illa species, & partialitas quæcunque dicit formaliter imperfectionẽ, & ideo talis actus est solũ in Deo eminenter, idèst secundùm perfectionem actus, qui est actus specificus,& totalis, qui est formaliter in Deo.Specificatur igitur,& constituitur libertas Dei per actum adæquatum, qui est omnis actus; & essentialiter respicit omne obiectum,in quod tendit,tãquam in aliquod,quod est in suo dominio,& summa potestate.

31 Quòd autem potentia determinatè tẽdat in hoc obiectum particulare inadæquatum contentum sub suo obiecto vniuersali adæquato, hoc habet ex determinatione sui esse; cùm enim operatio sequatur ad esse, ideo si talis potentia sit determinata ad tale esse indiuiduale, etiam operatio illius erit indiuidualiter determinata; vnde quia Deus est omne esse, ideo eius operatio est omnis operatio,& eius sciẽtia omnis sciẽtia,& eius potẽtia est omnis potẽtia,

&

& actus volũtatis est omnis volitio, & nolitio; & ideo volũtas nequit manere suspẽsa ab actu volitionis, vel nolitionis aliquarũ creaturarũ; quia sic non esset omnis actus, vt infra patebit &c. At verò creatura cùm sit determinata ad vnum esse indiuiduale; ideo eius operatio est indiuiliter determinata. Tandem quia potentia alia est indifferẽs ad tendendũ in hoc, vel illud obiectũ inadæquatũ affirmatiuè, vel negatiuè, & alia est à natura determinata ad tẽdendum in quodlibet obiectum particulare inadæquatum sibi præsentatum; ideo actus indiuidualis alius est determinatus, qui prouenit à potentia ad vnum naturaliter determinata, & dicitur actus necessarius; & alius est, qui prouenit à potentia ab intrinseco se ad illum determinante, & dicitur actus liber.

Igitur, quòd actus liber Dei consideretur veluti indiuidualiter in ordine ad hoc obiectum inadæquatum, scilicet prout est volitio harum tantùm creaturarum, non prout est nolitio harum, & volitio aliarum, hoc habet ex intrinseca determinatione, qua se determinat ad volẽdum has creaturas, quas habet in sua potestate, & dominio, quo potest illas nolle, & velle.

32 Hæc autem determinatio, vt explicat *B.Doct.in 2.dist.25.q.1.art.3.dub.2.lat;* in creaturis non est aliqua entitas distincta ab entitate voluntatis, & ab entitate actus, quia, cùm voluntas est determinatè sub aliquo actu, ibi non agnoscitur, nisi entitas voluntatis, & entitas actus; sicuti cùm cera est determinatè sub hoc sigillo, ibi non interuenit, nisi entitas ceræ, & entitas sigilli; vnde remanet, quòd determinatio libertatis ad talem actum nihil aliud sit, quàm entitas ipsius libertatis sic se habens. Ita determinatio actus liberi Dei ad hoc obiectum potiùs, quàm ad illud, nihil aliud est, quàm entitas ipsius actus liberi sic se habens; vnde volitio creaturæ non importat, nisi entitatem actus liberi formaliter intrinsecè sic se habẽtis, & potuerit aliter se habere absque mutatione ipsius Dei, quia illa alietas non importat aliam entitatem, sed tantùm modum intrinsecum se habendi, qui nihil aliud est, nisi ipsa entitas sic se habens.

33 Ex his habetur clara solutio huius ęnigmatis, quod à *Recentioribus* vocatur inexplicabile; hæc tamen inexplicabilitas prouenit ex nesciẽtia Philosophię naturalis, qua explicatur essentia libertatis; hac enim semel explicata, statim præcipitat se ista *Sphinx*, quia statim soluitur ænigma.

Quapropter ad rationem dubitandi allatam *n.* 1. dicitur, quòd actus liber creatus potest esse, & non esse quantùm ad entitatem, quia contingenter accidentaliter se habet ad libertatem; actus verò liber Dei quantùm ad entitatem nequit non esse, quia est specificatiuum, & constitutiuum formale libertatis Dei, quod immutabiliter conuenit rei constitutæ, vt supra dictum est. Hoc tamen non obstante optimè saluatur eius libertas ex eo præcisè, quòd creatura, quæ est in eius potestate, & dominio, possit esse, & non esse secundùm suam entitatem, quæ omnino est extra Deum; & ideo solùm extra ipsum datur mutatio. Et sicuti ex eo, quòd voluntas stet cum actu, non variatur eius essentia formaliter, quia *essentiæ rerum sunt inuariabiles*; & solùm variatur accidentaliter; quia ille actus intrinsecè afficit, & informat potentiam; ita ex eo, quòd actus liber Dei stet simul cum creaturis volitis, non variatur essentia ipsius; nec mutatur accidentaliter; quia creaturæ non afficiunt, & informant intrinsecè ipsam voluntatem Dei; sed per ipsam merè extrinsecè existunt; sicuti si actus liber voluntatis creatæ existeret extra illam ex eo, quòd esset simul cũ illa, nulla fieret variatio intrinseca voluntatis, sed solùm extrinsecè contingeret mutatio. *His explic.*

34 Vnica concl. Actus liber Dei constituitur formaliter specificè adæquatè per rationem alti dominij, & supremę potestatis in creaturas; & indiuidualiter inadæquatè per determinationem intrinsecam, qua sibi determinat extrinsecè has creaturas, non alias.

Prob. 1. pars *ex Beatiss.P.Aug. lib.3.de lib. arb.c.3;* vbi loquens de volitione, quam appellat voluntatem actualem, ait: *Porrò quia est in potestate, libera est nobis; non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus.* Et superiùs dixerat: *Non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi, quod, cùm volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas, est. Ea enim prorsus nullo interuallo locorum mox, vt volumus, præstò est. Et ideo rectè possumus dicere: Non voluntate viuimus, sed necessitate; aut non voluntate morimur, sed necessitate; & si quid aliud huiusmodi. Non voluntate autem volumus, quis vel delirus audeat dicere?* Quibus verbis explicat conceptum formalem essentialem libertatis præcisum à suis imperfectionibus, quæ illi accidunt, prout est in creaturis; sicut diximus de conceptu formali scientiæ, sapientiæ, & cuiuscunque alterius perfectionis simpliciter simplicis, quę analogicè reperitur in Deo, & creaturis.

Idem docet *Fundatiss. Doct. in 1. dist.* 45. *princ.* 1. *q.* 1; vbi probat in Deo esse maximam libertatem, quia in ipso est maximum dominiũ, & potestas creaturarum. *Et Quodl.3.q.16.* in fine habet: *Voluntas est hoc modo domina in regno animæ, & dicitur mouere se ipsam, quia se ipsam determinat, & in potestate sua est sic, vel sic se habere.* Idem habent omnes *DD.* communiter.

35 Formatur autem sic ratio. Libertas formaliter constituitur per rationem dominij, & potestatis in suos actus; in hoc enim distinguitur

tur formaliter potentia libera à potentia necessaria; quòd potentia necessaria non est domina suæ actionis, neque habet potestatem ad illam ponendam, vel non ponendam, in qua potestate consistit formaliter ratio dominij; potentia verò libera est domina suæ actionis,& est in eius potestate agere, & non agere;per id autem,per quod distinguitur à potentia necessaria, constituitur in ratione potentiæ liberæ;potentia enim libera nõ distinguitur à potentia necessaria, nisi in eo, quòd est libera; nam in eo, quòd est potẽtia, nõ distinguitur; sed libertas Dei est sũma libertas; in hoc enim distinguitur à libertate creaturæ, quæ non est summa, sed inferior; ergo libertas Dei constituitur per rationem altissimi dominij,& supremæ potestatis; sed hoc altum dominium,& suprema potestas nequit esse in suum actum liberum intrinsecè immanentem; quia dominiũ est in ordine ad aliquod inferius, dependens,& seruiens; nihil autem intra Deum potest habere rationem dependentis, inferioris, & seruientis; hæc enim prædicata conueniunt soli creaturę;ergo remanet,quòd hoc altum dominiũ, & suprema potestas sit solùm erga creaturas, quæ dicunt relationẽ inferioritatis,depẽdentiæ,& seruitutis.

Dices. Libertatẽ per modum actus primi constitui per rationem dominij, non autem per modum actus secundi.

Sed contra est; nam libertas in creatura, quia est per modum actus primi, constituitur per rationem dominij in actu primo;ergo libertas, quæ est in Deo per modum actus secundi purissimi,constituitur per rationem actualis dominij purissimi.

Conf. Quia scientia, *vt sic*,formaliter importat cognitionem rei per causam; ideo in Deo dicit cognitionẽ creaturarum per causam supremam; & per consequens dicitur superscientia, non scientia; ergo quia libertas, *vt sic*, formaliter importat rationem dominij, & potestatis respectu illius,quod est sibi seruiens; ideo libertas Dei, quæ est summa libertas, formaliter constituitur per rationem altissimi dominij, & supremæ potestatis in creaturas.

36 Prob. 2. Actus liber Dei importat formaliter decretum Diuinæ voluntatis; sed decretum constituitur formaliter per rationem dominij,& potestatis ad ponendum oppositum; decernere enim est proprium habentis dominium, & potestatem; vt patet in moralibus; ergo actus liber Dei formaliter constituitur per rationem dominij, & potestatis supremæ; sed hoc dominium, & potestas nequit esse in aliquod Diuinum, cui repugnat formaliter non esse ratione summæ immutabilitatis, & æternitatis; ergo est solùm respectu creaturarum.

37 Prob. 3. Libertas Dei importat perfectionem simpliciter simplicem, immutabilem, æternam, & indefectibilem virtualiter distinctam à quibuscunque alijs attributis, & ab essentia, & existẽtia; per quam ita producit creaturas, vt potuerit non producere, & è contra; sed ratio dominij,& supremæ potestatis est perfectio simpliciter simplex,inauscribilis simpliciter à Deo, & ideo immutabilis, æterna,& indefectibilis, distincta virtualiter ab omnibus alijs attributis, & prædicatis essentialibus,per quam ita ponit creaturas in esse, vt potuerit non ponere; hoc enim essẽtialiter importat dominium, & potestas, vt patet; ergo libertas Dei, quæ est idem formaliter, ac actus liber ipsius, quia in Deo non datur libertas per modum potentiæ passiuæ, sed per modum actus, vt diximus, formaliter constituitur per rationem altissimi dominij,& supremæ potestatis in creaturas.

Conf. hæc ratio reijciendo aliorum opiniones. Terminatio intrinseca non importat perfectionem indefectibilem distinctam virtualiter à perfectione necessaria, quia illa terminatio potest deficere; vt docent *Aduersarij*; ergo illa terminatio nequit esse formale constitutiuũ actus liberi; quia constitutiuum formale dicit formaliter perfectionẽ differẽtialẽ propriã rei constitutę; vt rationalitas dicit perfectionem differentialem hominis; & ablato constitutiuo formali aufertur perfectio,quam formaliter importat; sicut posito illo ponitur ista;ergo si consisteret in illa terminatione intrinseca defectibili, aliqua perfectio posset Deo deesse; & sic incurritur in sententiam *Caiet.* Tum quià quotiescunque duo concurrunt ad constituendum vnum; tunc vnum illorum se habet de formali, & specifico, quod dat speciem rei; & aliud se habet de materiali, quod constituitur in tali specie ita, vt illud, quod est formale, sit veluti differentiale; & illud, quod se habet de materiali, sit veluti genericum; & ita illa entitas necessaria in actu libero,se habet, *vt quid commune*,quia conuenit alijs prędicatis attributalibus; & illa terminatio defectibilis est veluti differentialis actui libero; sed id, quod est differentiale, importat perfectionem formalem superadditam prædicato generico; vt patet de rationalitate respectu animalitatis; ergo illa terminatio intrinseca importaret perfectionem formalem distinctam virtualiter à perfectione necessaria; & sic aliqua perfectio attributalis deficeret Deo. Præterea denominatio extrinseca, actio, vel causalitas productiua creaturarum non sunt formaliter perfectiones existentes in Deo; ergo in ipsis nequit formaliter consistere actus liber Dei,qui est perfectio formaliter existens in Deo; & sic dicendum de alijs; ergo remanet, quòd constituatur formaliter per rationẽ dominij, & sũmæ potestatis in creaturas.

38 Prob.2.pars. Indiuiduatio actus ad hoc obiectum inadæquatum vel prouenit ex ipso obiecto, vel ex natura agentis limitata ad hoc esse particulare indiuiduale, vel ex intrinseca

de-

determinatione ipsius potentiæ habentis potestatem ad hoc, & ad oppositum illius; sed indiuiduatio actus liberi Dei non prouenit ex obiecto; quia actus Diuinæ voluntatis non causatur à rebus, sed causat res; neque prouenit ex limitatione in esse naturæ Dei; quia natura Diuina est illimitata, cùm sit omne esse; ergo prouenit ex intrinseca determinatione ipsius actus liberi habentis potestatem ad oppositum.

39 Obijc. 1. Libertas formaliter dicit vertibilitatem de actu in actum; ergo nequit constitui per aliquod intrinsecum Deo; quia omne intrinsecum Deo est simpliciter immutabile, & inuertibile. Prob. ant. Actus liber est ille, qui potest esse, & non esse; tum quia vertibilitas actus sumitur ex vertibilitate obiecti; sed obiectum actus liberi est quid transiens de non esse ad esse; cùm sit quid contingens; ergo libertas dicit vertibilitatem de actu in actum.

Resp. dist. ant. Libertas potentialis; conc; libertas purissimè actualis, neg. Sicut ergo libertas potentialis non dicit vertibilitatem de suis prædicatis essentialibus in alia prædicata essentialia; quia essentiæ rerum sunt inuertibiles; fundant enim veritates æternas; ita libertas actualis purissima non est vertibilis de actu in actum, quia cùm constituatur essentialiter per actum, volueretur de essentia in essentiam. Ad 1. prob. dist. eodem modo. Actus liber accidentaliter adueniens potentiæ liberæ, conc; constituens potentiam liberam, neg. Ad 2. dist. ma. Actus, qui causatur ab obiecto, conc; qui causat obiectum, neg.

40 Inst. Liberum formaliter contradistinguitur à necessario formaliter; ens enim diuiditur in necessarium, & liberum; sed necessarium formaliter est illud, quod non potest non esse; ergo liberum est illud, quod potest esse, & non esse.

Resp. dist. ma. Liberum formaliter quoad suã entitatẽ formaliter cõtradistinguitur à necessario, neg; nã volũtas creata est formaliter libera; & tamen quoad suam entitatẽ accidentalẽ est passio necessariò competens essentiæ intellectuali creatæ. Liberum formaliter quoad causalitatem, conc. Liberum ergo potest sumi vel causaliter actiuè, prout est causa libera alicuius effectus contingentis; vel causaliter passiuè, prout est effectus contingens causatus à causa libera. Si sumatur primo modo, potest esse liberum in causando, & necessarium in essendo; cùm enim liberum dicatur per rationem dominij, & potestatis, & cùm causa habeat in sua potestate, & dominio suos effectus, non tamen suum esse; quia licèt possit producere suos effectus, non tamen potest producere se ipsam; ideo potest esse libera in causando, & necessaria in essendo. Si verò sumatur secundo modo, tunc nequit esse necessarium secundùm entitatem. Liberum autem dicitur de Deo tantùm primo modo, non secundo modo. Ad prob. insertam dicitur, quòd necessarium, & liberum diuidunt ens, tanquam duo modi essendi, qui secundùm diuersas rationes possunt competere eidem rei, vt dictum est.

41 Obijc. 2. Actus in tantùm dicitur liber, in quantùm est in potestate voluntatis illum elicere, vel eijcere; ergo actus liber Dei importat formaliter aliquod defectibile; sed nihil intra Deum deficere potest; ergo formaliter constituitur per aliquod extra Deum.

Resp. eodem modo dist. ant. Actus dicitur liber passiuè, in quantùm est in potestate voluntatis, conc; causaliter actiuè, neg; sic enim dicitur liber, in quãtùm in sua potestate, & dominio continet effectum extra ponendum.

42 Obijc. 3. A causa immutabili non potest exire effectus mutabilis; quia causis eodem modo se habẽtibus, & omnino immutatis procedit effectus immutabiliter necessarius; sed ab actu libero Dei procedit creatura mutabiliter, & contingenter; ergo actus liber Dei nequit constitui intrinsecè per aliquod immutabile, & necessario simpliciter quoad entitatem.

Resp. dist. ma. A causa immutabili agente per actionem, quæ simul est volitio, & nolitio effectus, neg; quæ est tantùm volitio effectus, conc. Sicut ergo si nostra voluntas haberet aliquam actionem, quæ simul esset volitio, & nolitio eiusdem rei, per eandem actionem omnino immutatam posset velle, & nolle illam rem accedente sola determinatione nostræ voluntatis; ita voluntas Dei omnino immutata, qui est simul volitio, & nolitio, cùm sit infinita, potest velle, & nolle creaturas accedente sola determinatione; sed effectus progrediens à causa volente ita, vt possit non esse à causa nolente, est liber, & contingens; ergo etiamsi actus liber Dei sit omnino immutabilis intrinsecè, attamen ab illo potest esse effectus mutabilis. Tum quia, vt arguit *B. Doct. in Opusc. de Præd. & Præsc. c. 2*; ita se habet immutabile ad mutabile, sicut æternum ad temporaneum; æternum enim est immutabile, & temporaneum mutabile; sed actus liber Dei, quanuis æternus, producit rem temporaneam; ergo quanuis immutabilis, producit effectum mutabilem.

43 Inst. Actus liber Dei specificè sumptus est indifferens ad volendum, & nolendum creaturas; ergo adhoc, vt sit volitio, requiritur determinatio ipsius; sed hæc determinatio potuit non esse in Deo; quia potuit esse nolitio; ergo volitio, quæ est actus liber, constituitur per aliquod, quod potuit non esse in Deo.

Resp. 1. volitionem præcisè sumptam esse actum inadæquatum voluntatis Dei, & ideo per ipsum non constitui libertatem Dei; vt dictum est. 2. Dist. ant. Est indifferens intrinsecè quoad entitatem volitionis, & nolitionis, neg; est enim formaliter ipsa volitio, & nolitio. Est indifferens ex-

extrinsecè quoad extrinsecam productionem rei, conc. Ad hoc autē, vt determinatè se habeat ad actualē productionē, sufficit ipse actus liber sic se habens; ceterùm per illam determinationem non constituitur actus liber; vt diximus. Et licèt illa determinatio quantùm ad extrinsecum possit deesse, non tamen quantùm ad intrinsecum; quia cùm determinatio sit idem, quòd actus; *actus* enim *est, qui determinat*, & cùm actus Dei alius sit intrinsecus, qui est idem, ac ipse Deus, & ideo est indefectibilis; & alius extrinsecus, qui est idem, ac actualis productio creaturarum; ideo determinatio quantùm ad intrinsecum Deo nequit deesse; quantùm verò ad extrinsecum potest deesse; propter quod dicit solam mutationem in creatura, non in Deo.

44 Obiic. 4. Si actus liber importaret aliquod intrinsecè immutabile, & aliud mutabile extrinsecè, sequeretur, quòd Deus posset incipere velle in tempore, quod antea nolebat, & è contra; sed hoc est falsum, vt *inf.* videbimus; ergo, & id, vnde sequitur. Prob. seq; nam si per eūdem actum simpliciter immutatum posset velle, & nolle, sequeretur, quòd si nollet, postquam voluit, nulla fieret mutatio in Deo; & ideo non esset ratio, cur non posset nolle id, quod priùs nolebat.

Resp. hoc soluendum esse *art.* 4. Interim neg. seq. Ad prob. neg. pariter seq; nam licèt non variaretur entitas actus; variaretur tamen illa determinatio intrinseca, quæ est modus ipsius, per quem talis actus veluti indiuiduatur, vt dictum est; & sic fieret mutatio modalis, quia illa entitas transiret de vna modificatione ad aliam, vt diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 2. art. 6. n. 121* sed de hoc *inf.*

Ceteræ obiectiones soluentur *in duobus seq. articulis.*

ART. III.

An in Deo sit libertas contradictionis?

1 Quærere, an in Deo sit libertas contradictionis idem est, ac quærere, an voluntas Dei possit manere suspē̄sa ab omni actu volitionis, & nolitionis creaturarum; quia libertas contradictionis, vt diximus *art. 1. §. 1. n. 8*; est illa, qua potest poni, & non poni actus. Suspensio autem in hoc differt à pura omissione; quòd suspensio dicit puram indifferentiā voluntatis omnino indeterminatæ; omissio autem dicit determinationem saltem interpretatiuam; hinc omissio dicitur actus imputatiuus, siue interpretatiuus; quia volūtas omittens moraliter censetur determinata, ac si haberet actum positiuum. Non quærimus ergo *hic* de omissione, quæ dicit determinationem saltē moralem ipsius voluntatis; sed de omissione, quæ dicit puram suspē̄sionem ab omni determinatione siue physica, siue morali. Nec loquimur de suspensione obiectiuè, quæ per actum positiuum potest intendi à voluntate, vt cùm dicitur: *Volo suspendere voluntatem ab actu amoris, & odij*; tunc enim voluntas non est formaliter suspensa; quia habet actum positiuum, quo determinatur ad volendam suspensionem duorum actuum determinatorum. Sed loquimur de suspensione formali, qua voluntas eum aduertentia, & cognitione obiecti nullum prorsus habet actum, à quo determinetur. Tandem non loquimur de suspensione actus liberi quantùm ad entitatem; quia cùm volūtas Dei, vtpotè purissimus actus, constituatur per ipsam entitatem actus, vt *sup.* dictum est, certum est non posse sic manere suspensam; esset enim suspē̄sa formaliter à se ipsa; & sic careret se ipsa formaliter. Igitur sermo est de illa determinatione intrinseca, qua veluti indiuiduatur ad hunc actum in particulari; v.g. volitionis, vel nolitionis.

2 Excitata fuit hæc difficultas propter creaturas possibiles, quæ remanserunt in statu puræ possibilitatis. Cùm enim creaturæ, quas Deus decreuit creare, sint in certo numero, pondere, & mensura iuxta illud *Sap. 11. Omnia in numero, pondere, & mensura disposuisti*; & illud, quod est in numero, & mē̄sura, sit finitum; quia infinitum innumerabile est, & immensum; & cùm creaturæ possibiles sint infinitæ; necessariò sequitur Deū non decreuisse omnes creare, sed tantùm aliquas; & per consequens aliquas remansisse in statu possibilitatis. Quæritur ergo, an circa istas voluntas Dei manserit suspensa; & an saltem potuisset manere suspensa nedum circa illas, quas non decreuit creare, sed etiam circa illas quas decreuit creare?

3 Ratio dubitandi est. 1. Illa determinatio intrinseca ita est in Deo, vt potuerit non esse; aliter creaturæ essent necessariò volitæ, aut nolitæ; ergo etiansi voluntas careat vtraque determinatione, adhuc in ipsa manet perfectio libertatis; nam etiansi careat hac determinatione volitionis in particulari; & alia determinatione nolitionis in particulari, saluatur perfectio libertatis; ergo à pari etiansi careat vtraque determinatione simul; *à particularibus enim sufficienter enumeratis diuisim sumptis valet ad illa collectiuè sūpta.* 2. Actus liber specificè sumptus non constituitur per illam determinationem in particulari, vt diximus *in sup. art. §. 2*; ergo etiāsi nulla adsit determinatio in particulari, adhuc saluatur formaliter ratio actus liberi; & ideo actus liber potest esse suspē̄sus ab omni determinatione. 3. Suspensio ab omni actu videtur pertinere ad essentiam libertatis, quæ non est minùs libera ad tē̄dendum affirmatiuè, vel negatiuè, quàm ad suspendendum se ipsam ab vtraque tendentia. 4. Illa determinatio libera nullam importat formaliter perfectionem; aliter si defuisset, aliqua perfectio defuisset Deo; ergo etiansi voluntas Dei sit suspensa, attamen nulla ei deest perfectio; sed Deo debet concedi, quidquid non di-

cit

cit imperfectionem; ergo debet ei concedi suspensio libera ab omni actu. Propter hæc.

4 Prima sententia tenet partem affirmatiuam. Ita *Albertin; Curiel apud Io.à S.Tho.inf; Ferrar; Caiet;* quos citat, & sequitur *Gonet hic; Dur;Godoy hic disp.55; & alij.*

Secunda sent. vult voluntatem Dei potuisse manere suspensam ab omni determinatione libera, non tamen ab omni actu libero, quia ad minùs debuisset velle ipsum actum suspensionis. *Ita quidem Auctor apud Salm; & apud Godoy vbisup. §. 1.*

Tertia sententia docet in Deo non esse libertatem contradictionis; & ideo voluntatem Diuinam non potuisse manere suspẽsam ab omni volitione, & nolitione. Colligitur *ex B.Doct. in 1.dist.39.princ.1.q.1*; vbi ait: *Voluntas Diuina propter libertatem arbitrij potest in opposita, quia potest velle, & nolle*; vbi libertatem Diuinam restringit ad velle, & nolle; quæ opponuntur contrariè, non autem ipsam ampliat etiam ad suspẽsionem à velle, & nolle. Item *dist.35.princ.2.q.2.* docet scientiam in Deo esse per modum actus secundi, quia est purissimus actus: quod est intelligendum etiã de voluntate, quæ non minùs est purissimus actus, ac scientia; voluntas autem suspensa ab omni actu non est per modum actus secundi, quia actus secundus est ipsum exercitium actuale volitionis, vel nolitionis; sed est voluntas merè indifferens. Hanc sentẽtiam, quæ communior est, sequitur *nostra Schola*; & extra illam *Naz; Albel; Salm; Io.à S.Tho; Aluar; Ban; Vasq; Sua; Granad; Arrub; Fasol; Alarc; & alij;* pro cuius resol.

5 Not; quòd licèt actus liber Dei non importet pro formali constitutiuo aliquod extra Deum, vt diximus *in sup. art;* attamen dicit ordinem ad aliquod extrinsecum, tanquam ad effectum, qui constituitur in esse, non quidem formaliter, sed efficienter per ipsum actum liberũ; cùm enim actus liber Dei non sit respectu eorum, quæ sunt in Deo, quia illa sunt simpliciter necessaria; ideo remanet, quòd sit tantùm respectu alicuius extra Deum. Et ratio huius est; nam quælibet actio habet fundare respectum, & ordinem ad illud, in quod tendit; sicuti enim Pater ideo dicit relationem ad Filium, quia est alicuius Filij Pater; & vnum simile dicit relationẽ ad aliud simile, quia essentialiter est simile alteri; ita quælibet actio dicit respectum ad suum obiectum, in quod tendit, quia est alicuius acti actio, aliter esset actio nihili; tum quia actio cõparatur ad obiectum, sicut via ad terminum; via autem essentialiter refertur ad terminum; & sicuti licèt Pater dicat ordinem ad Filium, & via ad terminum; attamen nec Pater intrinsecè constituitur in ratione Patris per Filium, quia Filius est effectus extrinsecus Patris, & effectus extrinsecus nequit intrinsecè constituere causam, & ideo Pater constituitur intrinsecè per actualẽ generationem Filij; quidquid sit de specificatiuo extrinseco; & via non constituitur per terminũ, quia terminus subsequitur viæ; sed actus liber Dei est vera actio habẽs pro obiecto creaturas; ergo, licèt non constituatur formaliter per creaturas, vel per aliquod extrinsecum Deo, quod non est nisi creatura, attamen importat consecutiuè ordinem, & respectum ad creaturas; & ideo est imperceptibilis absque isto ordine, quia *relatiua sunt simul cognitione.* Quia tamen repugnat Deũ, vel aliquod prædicatum Dei referri realiter ad creaturas, ideo iste ordo nequit esse realis *secundùm esse*, sed tantùm realis *secundùm dici*; dicitur enim ordo, & tamen non est ordo; & ideo relinquitur, quod sit tantùm modus relatiuus, vt diximus *To.1. de Attr. in com. q.2.art. 16; & de Ideis art.3. n.2.* Et quia modus habet determinare rem, quam modificat; ideo actus liber Dei, prout determinatus erga creaturas, non importat, nisi puram modificationem, quæ modificatio non distinguitur ab ipsa entitate actus, quia non est, nisi ipsa entitas actus sic se habens; vt diximus *vbisup. q.2.art.2.*

6 Ista autem modificatio actus liberi, non se habet de facto eodem modo vniformiter ad omnes creaturas, aliter vel omnes essent volitę, vel omnes essent nolitæ; sed se habet difformiter, & diuersimodè; nam aliæ sunt volitæ, & aliæ nolitæ; quapropter ipsum actum liberum Dei distinguimus veluti indiuidualiter in volitionẽ, quæ constituitur per vnam modificationem positiuam, idẽst ponentem ad extra sub esse actuali creaturas, ad quas refertur, & in nolitionem, quę constituitur per aliam modificationem negatiuam, idẽst non ponentem, sed negantem creaturis, in quas tendit, esse actuale existentiæ. Vnde actus liber specificus, qui constituitur per rationem summi dominij, & potestatis in creaturas, veluti indiuiduatur per diuersas inadæquatas modificationes per ordinem ad diuersa obiecta inadæquata, sicut potest patere ex actu libero voluntatis creatæ, vt dictum est in *sup.art.*

7 Vnica concl. In Deo non datur libertas contradictionis; & ideo voluntas Dei non potuit manere suspensa ab omni actu volitionis, & nolitionis.

Prob.1. *ex Beatiss.P.lib.9.de Ciu.c.17*; vbi ait: *Potest ad opus nouum, non nouum, sed sempiternum adhibere consilium.* Et paulò post. *Vna, eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & vt priùs non essent, egit, quãdiu non fuerunt, & vt posteriùs essent, quando esse ceperunt.* Et *lib.12.Confess.c.15.* habet: *Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, sed semel, & simul, & semper velle omnia.* Et paulò post rationem reddens ait. *Quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est.*

Formatur autem sic eius ratio. Voluntas purè suspensa ab omni actu est in potẽtia purè passiua ad omnẽ actum; sed implicat, quòd volun-

tas Dei sit in potentia purè passiua ad suum actum;ergo implicat,quòd volũtas Dei sit purè suspensa ab omni actu.Prob.ma. Illud est in potẽtia purè passiua ad aliquẽ actum, quod potest habere illum actũ,quo de facto caret; sed voluntas suspensa ab omni actu caret suo actu, & potest illum habere; aliter non esset potentia ad illũ habendum,& sic non esset voluntas,quia voluntas essentialiter est potentia eò, quia potest habere suum actum; ergo voluntas suspensa ab omni actu est in potentia passiua ad habendũ suum actum.Prob.mi. Quod est in potentia passiua ad aliquem actum, quẽ potest habere, est realiter mutabile, quia potest transire de nõ esse actuali ad esse actuale, vt patet de materia respectu formæ, & de intellectu creato respectu actualis cognitionis,qua caret,sed voluntas Dei non est mutabilis; ergo nequit esse in potentia purè passiua ad suum actum.

Conf.Mutabilitas nedum attenditur penes transitum de vno esse actuali ad aliud esse actuale;vt cùm materia mutatur de vna ad aliam formam, sed etiam attenditur penes transitum ex non esse simpliciter ad esse simpliciter; vt cùm creatura transit ex nihilo ad esse; & paries nedũ mutatur accidentaliter, cùm transit de vno colore ad alium, sed etiam quando ex non colorato fit coloratus; sed si voluntas Dei transiret de vna volitione in aliam, mutaretur, vt fatentur *Aduersarij in seq.art*; ergo pariter mutaretur,si transiret ex non esse volitionis simpliciter ad esse volitionis; sed si voluntas Dei mansisset suspensa, posset transire de non esse volitionis ad volitionem;in tantùm enim per *Aduersarios* voluntas Dei nequit velle,quod priùs volebat,vel nolle, quod volebat; quia, quod semel voluit, semper vult,& quod semel noluit,semper nolet; sed si mansisset suspensa, nec voluisset, nec noluisset;ergo semper posset velle,& nolle; suspẽsio enim nõ adimit potentiam ad velle,& nolle, sed illam relinquit, aliter destrueret voluntatẽ.

8 Dices illam suspensionem fore æternam, & ideo voluntatem non posse mutari de non volitione ad volitionem.

Sed contra est; nam æternitas positiua competit soli esse actuali, cùm sit mẽsura ipsius; sed illa suspensio diceret non esse actus;quia diceret carentiam illius; ergo illi non competeret æternitas positiua; sed tantùm negatiua, sicut competit nihilo;ab æterno enim nihil erat extra Deum; sed ex eo, quòd nihilo competat æternitas negatiua, non sequitur, quòd creatura in tẽpore non possit transire ex nihilo ad esse; ergo ex eo, quòd illi suspensioni competeret æternitas negatiua, non sequeretur, quòd voluntas non posset in tempore transire ex illa suspensione ad actum.

9 Inst. æternitatem competere illi suspensioni,non ratione sui,sed ratione volũtatis Diuinæ; sed voluntati Diuinæ competit æternitas positiua;ergo & illi suspensioni.

Resp. etiam nihilo competere æternitatẽ, non ratione sui, quia cùm nihilum non habeat esse, neque habet mensuram sui esse, sed ratione esse Dei; & tamen licèt æternitas positiua competat Deo, attamen nihilo non competit; sed tantùm merè extrinsecè, sic à pari, quia illa suspensio esset mera negatio actus,ideo illi non competeret æternitas, nisi extrinsecè; & sicut quia nihilo competit æternitas extrinsecè negatiuè, idèst ratione esse Dei, cui competit positiuè, ideo non obstante æternitate Dei creatura potest transire de non esse ad esse;ita non obstante ęternitate volũtatis Dei actus voluntatis potest transire de non esse actu ad esse actu cum hoc discrimine;quòd creatura trãsiẽs de nõ esse ad esse non mutat Deum, quia intrinsecè non afficit Deum,tanquam subiectum sui; at verò ille actus transiens de non esse ad esse mutaret voluntatem Dei accidentaliter, quia intrinsecè afficeret illam, tanquam sui subiectum.

10 Conf.2. Nequit voluntas impediri ad ponendum actum, quem non habet, nisi vel quia est sub aliquo actu opposito, cui nequit coniungi ille actus ponendus;vel quia ille actus est impossibilis illi; vel quia cogitur à causa superiori, à qua essentialiter dependet in agendo; sed voluntas Dei suspensa non haberet actum oppositum,quia esset suspensa ab omni actu;nec actus volitionis esset illi impossibilis, aliter non esset potentia ad illum; nec haberet causam superiorem, à qua dependeret in agendo;ergo semper posset ponere illum actum.

11 Prob.2.Suspensio actus secundùm suum conceptum formalem dicit imperfectionem; cùm enim sit negatio actus, ideo est negatio perfectionis, quæ sumitur ab actu; sicut nanque non esse, quod est negatio ipsius esse, dicit imperfectionem, quæ sumitur ab esse, quod est actus; ita negatio actus, qui est esse actuale, dicit imperfectionem; sed in Deo nulla ponitur imperfectio; quia in ipso, qui est omne esse, & omnis actus, nullum potest poni non esse, aut negatio actus; ergo in Deo nequit esse suspensio ab actu. Ex hoc patet libertatem contradictionis importare in suo conceptu formali imperfectionem, & ideo relegandam esse à Deo.

12 Prob. 3. Voluntas suspensa ab actuali operatione non operatur vitaliter, sed est quasi otiosa, & comparatur dormienti; sed implicat voluntatem Dei non operari vitaliter, & esse otiosam, ac veluti dormientem; implicat enim Deum non viuere in actu secundo, cùm sit formalissimè perfectissima vita simpliciter simplex, vt dicitur *Io.1*; nedum quoad operationes omnino immanentes,sed etiam quoad transeuntes; ergo implicat voluntatem Dei esse suspensam ab omni actu.

13 Prob.4. Voluntas ponitur in Deo per modum

modum actus secundi purissimi, vt dictum est *de Scient.Dei q.1. art.2. n.4; & 24; & locis ibid. cit*; sed voluntas suspensa non est per modum actus secundi, quia dicit carētiam actus secundi, qui est actualis operatio; ergo implicat in Deo voluntas suspensa &c.

14 Prob. 5. Implicat dari constitutum sine suo constitutiuo formali, vt homo sine rationalitate; sed voluntas Dei libera suspensa esset sine suo constitutiuo formali; ergo implicat volūtatē Dei liberā esse suspēsam ab omni actu. Ma.patet.Prob.mi. Voluntas Dei vel constituitur per ordinem ad actum realiter distinctum, vt voluntas creata; vel per ordinem, seu respectum rationis ad actum virtualiter distinctum; vel per ipsam entitatem actus; nullus enim alius modus constituēdi voluntatem Dei est assignabilis; quia quælibet potentia, cùm essentialiter sit ad actum, sicut actus ad obiectum, vel debet constitui per ordinem ad illum, vel per ipsum? Primum est contra Fidem docentem *omnia in Deo esse vnum, vbi non obuiat mutua relationis oppositio*. Si secundum; ergo voluntas non esset realiter suspensa, sed realiter includeret actum; *hic* autem non quęrimus de distinctione præcisiua, sed de distinctione reali. Tum quia libertas Dei, quæ est aliquid reale, nequit constitui per aliquid rationis, vt diximus *in sup.art. cont. Vasq*; quem etiam *Aduersarij* impugnant. Si tertium; vel constitueretur per entitatem actus, vt est necessaria; vel est vt libera? Non primum; quia implicat, quòd liberum, quod opponitur necessario, constituatur per suum oppositum; sic enim rationale posset constitui per irrationale; & sic de reliquis oppositis. Si vltimum; contra est. Actus liber formaliter constituitur *iuxta Auuersarios* per terminationem intrinsecam ad creaturas; sed terminatio intrinseca non habetur, nisi per tendentiam ad illas; quia intantùm peruenimus ad aliquem terminum, in quantùm tendimus ad illum; & tendentia est ipsa actualis operatio in actu secūdo; ergo actus liber formaliter importat operationem in actu secundo; sed voluntas formaliter constituitur libera per actum liberum; ergo sicut nequit esse sine actu libero, quia nequit esse sine suo cōstitutiuo formali; ita nequit esse sine operatione in actu secundo, quæ constituit formaliter actum liberum; constitutiuum enim formale actus liberi est formalissimè actus liber.

15 Tandem. Libertas Dei consistit formaliter in perfecto dominio actuali creaturarum; vt probatum est *in sup.art*; sed dominium actuale consistit in actuali decreto cum potestate ad oppositum, quod est actus voluntatis; ergo nequit esse suspensa ab omni actu; aliter esset sine suo formali constitutiuo.

16 Ad 1. rationem dubitandi dist.ant. Determinatio intrinseca specifica ita est in Deo, vt potuerit non esse, neg; ista enim importat formaliter dominium, seu potestatem etiam ad oppositum, per quod constituitur formaliter libertas Dei. Determinatio veluti indiuidualis, subdist. Potuit non esse quoad entitatem actus liberi, neg; actus enim liber Dei essentialiter est omnis actus, & ideo nullus actus potest ei deficere; aliter imperficeretur. Quoad modificationem actualis tendentiæ ad extra, conc. Ad id, quod subditur, dist. Quamuis careat determinatione nolitionis in particulari, & habeat aliam determinationem, seu modificationem oppositam, conc; secus neg. Ad 2. dist. Actus liber non constituitur per determinationem in particulari præcisiuè, conc; collectiuè simul cum omnibus alijs modificationibus particularibus, neg. Ad 3. neg. assumptum; suspensio enim dicit imperfectionem formaliter, & ideo nequit pertinere ad perfectionem libertatis, vt dictum est. Ad 4. dist. ma. Illa determinatio specifica, neg; indiuidualis, subdist. Nullam dicit perfectionem distinctam à determinatione specifica, conc; nullam dicit perfectionem importatam à distinctione specifica, quæ coalescit ex omnibus determinationibus particularibus, neg.

17 Obijc. 1. *Godoy*. Complexum ex futuritione, & negatione futuritionis, & si sit necessarium diuisiuè, attamen non habet bonitatem necessariam; ergo voluntas Dei non necessitatur, sed liberè potest illud relinquere. Prob.ant. Sola vna pars prædicti complex, idèst futuritio, habet bonitatem, quę non est necessaria; ergo tale complexum non habet bonitatem necessariam. Tum quia nihil ad extra potest necessitare efficaciter voluntatem Dei. Tum quia si posset necessitare, maximè propter manifestationē alicuius attributi Diuini; sed hæc manifestatio non amatur necessariò à Deo; ergo nullo modo est necessaria.

Resp. dist. ant. Non est necessarium ex parte obiecti, conc; ex parte actus ponendi cum potestate ad oppositum, neg; sicut enim libertas creata, quæ est potentia ad oppositum, est necessaria quantùm ad entitatem, quia est proprietas naturæ intellectualis necessariò fluēs ab illa; ita libertas Diuina, quæ est libertas actus, cùm sit sine vlla potentialitate passiua, est necessaria quantùm ad entitatē actus, licèt obiectum sit liberum. Ad prob. dicitur eodē modo; quòd procedit de entitate obiecti, non de entitate actus. Ad 2. prob. dicitur, quòd licèt nihil ad extra possit necessitare voluntatem Dei; attamen entitas actus ad intra, quæ est summè necessaria, potest illam necessitare. Ad 3.neg.ma; non enim manifestatio ad extra, sed summa actualitas ad intra necessitat voluntatem Dei ad ponendum omnem actum, quem potest habere.

18 Obijc. 2. Si Deus nihil produxisset ad extra, misericordia mansisset suspensa ab omni

actu miserendi absque vlla imperfectione; ergo & voluntas posset sic manere suspensa. 2. Exercitium actuale libertatis non addit Deo aliquã perfectionem, quia addit solam rationem terminationis, quæ potest Deo deficere, & ideo non est perfectio; ergo licèt voluntas sit absque vlla terminatione, attamen erit sine vlla imperfectione. 3. Ideo Deus poterat ab æterno nolle, quod noluit, quia talis terminatio, quam importat nolitio, nullam dicit perfectionem; sed terminatio vagè sumpta nullam dicit perfectionem, quia si diceret aliquam perfectionem vagè, illam diceret in aliquo indiuiduo, & sic illam diceret, vel in volitione, vel in nolitione; ergo potest esse sine illa vagè sumpta.

Resp. dist. ant. Misericordia mansisset suspensa ab omni actu miserendi extrinseco, conc; intrinseco, neg; ipsa enim misericordia, cùm sit per modum actus secundi purissimi, nequit manere suspensa à sua actualitate, vt dicendum est de quocunque alio attributo, quod non ponitur in Deo, nisi per modum actus secundi purissimi. Igitur misericordia, cùm sit virtus voluntatis, ideo sequitur naturam illius, & cùm voluntas nedum sit in actu secũdo, quando vult, sed etiam quando non vult; ita misericordia nedum est in actu secundo, quando assumitur à voluntate ad positiuè miserendum; sed etiam quando assumitur ad non miserendum. Et hoc maximè valet in doctrina *Godoy*, qui sustinet in voluntate non esse, nisi actus virtutum, quæ in illa subiectantur; vnde actus misericordiæ est actus voluntatis specificè distinctus ab actu iustitiæ; ergo si Deus decreuisset ab æterno nihil creare ad extra, habuisset actum nolitionis, & eius voluntas non mansisset suspensa ab omni actu, necessariò debuisset habere actum negatiuum suarum virtutum; aliter nullum actum habuisset, cùm nullum actum possit habere, vt ipse putat, nisi suarum virtutum. Ad 2. neg. ant; & prob. illius; nam exercitiũ actuale addit Deo perfectissimum dominium actuale cum potestate ad oppositum, in quo consistit formaliter libertas, quæ est perfectio simpliciter simplex distincta virtualiter ab alijs perfectionibus necessarijs. Ad 3. dicitur, quòd licèt determinatio indiuidualis non dicat aliquam perfectionem distinctam à determinatione specifica, quia determinatio specifica includit omnem determinationem indiuidualem, species enim continet omnia sua indiuidua; & sic determinatio vagè sumpta, scilicet hæc, vel illa, quia semper est determinatio indiuidualis, nullam superaddat perfectionem determinationis specificæ; attamẽ omnis determinatio collectiuè sumpta, cùm importet determinationẽ specificam, dicit perfectionem speciei, in qua consistit libertas. Igitur dist. mi. Determinatio vagè sumpta nullam dicit perfectionem, si sumatur indiuidualiter præcisiuè, conc; si sumatur collectiuè, scilicet cum potestate oppositum, neg; in hoc enim stat tota perfectio libertatis actualis, vt est libertas Dei, qua careret voluntas, si esset suspensa ab omni actu. Prætereà misericordia, omnipotentia &c. præciso actu voluntatis, & intellectus dicunt actionem merè extrinsecam transeuntem; voluntas verò immanentem secundùm se, & transeuntem, quatenus coniungitur cum potentia transeunter agente; sed Deus potest esse sine omni actione transeunte, non tamen sine immanente; ergo non est paritas.

19 Obijc. 3. Libertas nedum constituitur per velle, & nolle, sed etiam per suspensionem ab vtroque; quia sicut liberè vult, & non vult; ita liberè suspendit vtrunq; ergo voluntas Dei potest liberè manere suspensa.

Resp. dist. ant. Libertas potentialis, quæ est libertas ad actum liberè ponendum, conc; libertas actualis, quæ est libertas ad obiectũ, neg.

20 Obijc. 4. Quanuis voluntas Dei non determinasset creaturas possibiles non esse futuras, attamen eius scientia cognouisset illas non esse futuras; ergo adhuc eius scientia esset perfectissima; & ideo etiam perfectissima esset eius voluntas. Prob. ant. 1. Ad hoc, vt Deus cognoscat aliquod non esse futurum, sufficit, quòd eius voluntas nihil statuat de eius futuritione à negatione enim actus positiui sufficienter habetur negatio futuritionis creaturarum; sicuti à positione actus volitiui habetur positio futuritionis; ergo adhuc scientia cognosceret creaturas non esse futuras. 2. Sicut se habet concursus Dei in ordine ad productionem, vel non productionem creaturarum; ita voluntas in ordine ad futuritionem, vel non futuritionem; sed ad non productionem creaturarum non requiritur concursus positiuus; sufficit enim non concursus; ergò ad non futuritionem sufficit suspensio actus voluntatis. 3. Absurdum est fingere *in Deo infinita* decreta conditionata circa infinitas combinationes possibilium, quæ remanserunt; ergo voluntas Dei mansit suspensa circa illas.

Resp. arg. procedere contra rationem, quã *Aliqui* probant ex eo, quòd sicut sciẽtia nequit manere suspensa circa futuritionem, vel non futuritionem, quia sic esset confusa; ita dicendum de voluntate; quæ ratio à nobis putatur inefficax; nam licèt simplex intelligentia non cognoscat futuritionem, vel non futuritionem, attamen non est confusa. Neg. igitur ma. Ad 1. prob. neg. ant. Ad id, quod additur, dicitur à negatione actus positiui haberi negationem futuritionis indeterminatè, non determinatè; & quanuis ad non futuritionem indeterminatè nõ requiratur actus positiuus, requiritur tamen ad determinationem non futuritionis, quia determinatio est quid positiuum. Ad 2. neg. cons; nam omnipotentia non est libera formaliter, sed imperatiuè, quatenus imperatur à voluntate; ideo non habet determinare, quia determinare est

actus

actus potentiæ formaliter liberæ. Ad 3. dicitur, quòd vnum decretum, cùm ſit infinitum, ſufficit ad determinandam non futuritionem infinitorum poſſibilium.

21 Obijc. 5. Licèt ſine determinatione nõ eſſet in Deo libertas formalis, quia in eo non eſſet voluntarium formale, attamen eſſet voluntarium virtuale, quod ſufficit ad libertatem; ergo in Deo eſſet libertas. Prob. ant. Sicuti Petrus ſtante præcepto audiendi miſſam, aduertens ſe obligari, & ſuſpendens voluntatem cenſetur moraliter liberè omittere per actum interpretatiuum, non formalem; ita à pari.

Reſp. neg. ant; voluntarium enim interpretatiuum eſt voluntarium imperfectum, quia dicit carentiam actus formalis, & ſupponit præceptum; & ideo eſt ſub dominio alterius, quæ duo nequeunt Deo competere, per quod patet ad prob.

22 Obijc. 6. Poteſt voluntas Dei per actum reflexum velle ſuſpenſionem actus circa creaturas; quia in tali caſu voluntas eſſet actualiter determinata ad talem ſuſpenſionem; ergo in tali caſu voluntas eſſet ſuſpenſa à volitione, & nolitione creaturarum.

Reſp. neg. ant; ad cuius prob. infert. dicitur, quòd ſicuti, quia eſſet determinata ad ſuſpenſionem, eſſet formaliter libera ad ſuſpenſionem; ita quia non eſſet formaliter determinata circa creaturas, non eſſet formaliter libera circa illas; quia libertas Dei, cùm ſit actualis, formaliter cõſtituitur per actualem determinationem, vt dictum eſt; repugnat autem in Deo non eſſe libertatem erga creaturas; quia hæc eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ neceſſariò cõpetit Deo.

A R T. IV.

An Deus poſſit in tempore velle, quod priùs nolebat, & è contra?

1 Fatentur omnes communiter vno excepto *Delphino* apud *Sal*; cui videtur adhærere *Lychet.* apud *Faſol. q. 19. art. 7. n. 1.* Deum non poſſe velle, quod priùs nolebat, aut è contra. Dubitant tamen de ratione, an ſcilicet ſit immutabilitas ita, vt ſi Deus inciperet velle in tempore id, quod noluit ab æterno, mutaretur? Igitur.

Prima ſententia vult, quòd ſi Deus vellet, quod antea nolebat, non mutaretur phyſicè, ſed tantùm moraliter. Ita *Sua. in Met. diſp. 30. ſect. 4. n. 58; Machin; Faſol; & alij* dicentes hanc mutationem fore ſolùm, quia daretur inconſtantia in decretis. *Mol.* verò ait; quòd non daretur mutatio, ſed viciſſitudinis obumbratio.

Secunda ſent. docet, quòd phyſicè mutaretur. Ita *B. Doct. in 1. diſt. 39. princ. 1. q. 1; & 2.* Idem habent omnes *alij* communiter.

2 Not. *ex B. Doct;* quòd phyſica mutatio voluntatis prouenit nedum ex eo, quòd tranſeat de priuatione ad entitatẽ actus, aut ex vna entitate ad aliam, ſed etiam ex eo, quòd diuerſo modo tendat in idem obiectum per eandem entitatem actus diuerſimodè ſe habentem. De primis duobus modis mutationis nõ eſt difficultas; explicatur tertius. Certum eſt voluntatem poſſe tendere in idem obiectum duplici modo oppoſito; ſcilicet per modum proſecutionis, ſeu affirmatiuæ conuerſionis ad illud accedendo per amorẽ; & per modum fugæ, ſeu negatiuæ auerſionis ab illo recedendo per odium. Certum inſuper eſt, quòd dum volũtas tranſit de actu proſecutionis, conuerſionis, & amoris ad actum fugæ, auerſionis, & odij, phyſicè mutatur, quia tranſit de vno actu formaliter ſumpto ad alium actum formaliter ſumptum; actus enim amoris, & odij ſunt duo actus formaliter diuerſi, cùm habeant diuerſas formalitates, vt patet. Quanuis autem iſti duo actus poſſint eſſe entitatiuè diſtincti; attamen nõ repugnat eſſe idem entitatiuè, & ſolùm formaliter diſtingui. Et ratio eſt. 1. Actus amoris eſt tendentia, ſeu via ad obiectum; & actus odij eſt fuga, ſeu receſſio ab obiecto; ſed per eandẽ viã poſſumus tẽdere ad vnũ terminũ, & recedere ab illo; vt eadem via, qua itur Neapoli Romam, poſſumus recedere Roma Neapolim; ergo per eandem entitatem actus poſſumus tendere in obiectum per modum proſecutionis, & per modum auerſionis; quanuis enim poſſimus ire Romam per vnam viam, & redire per aliam, vt fecerunt *Reges Magi* reuertentes *Betlehem* in ſuas regiones; attamen non tollitur, quin poſſimus redire per eandem viam, ſicut potuerunt redire *Magi*; & ſicut via, qua itur, & reditur, non importat niſi oppoſitos reſpectus ad oppoſitos terminos; ita eadem entitas actus, quæ eſt via ad obiectum, poteſt cum diuerſo reſpectu, ſeu modo relatiuo habere rationem acceſſus, & receſſus. 2. Ab eadem entitate, vt arguit *B. Doct*, ſumitur rectitudo, & obliquitas rei; eadem enim entitas lineæ poteſt eſſe recta, & obliqua; quapropter dicitur: *Rectũ eſt index ſui, & obliqui*; ſed à proſecutione boni ſumitur rectitudo entitatis actus voluntatis, & ab auerſione ſumitur obliquitas, quæ nihil aliud eſt, quàm declinatio à rectitudine; ergo idem actus entitatiuè cum diuerſa formalitate poteſt eſſe conuerſio, & auerſio. 3. Per eandem ſpeciem repræſentatur forma poſitiua, & eius priuatio; vt lux, & tenebræ, quæ ſunt obliquum lucis, ſed proſecutio eſt forma poſitiua, & auerſio eſt priuatio illius; ergo eadem entitas actus ſecundùm diuerſos reſpectus poteſt eſſe proſecutio, & auerſio.

3 Iſti autem reſpectus, vel poſſunt eſſe reales *ſecundùm eſſe*, vel poſſunt eſſe reales *ſecundùm dici*, vt habetur in *Logica*. Reſpectus realis *ſecundùm dici* eſt entitas abſoluta habens modum relationis, vt diximus *de Attr. in com. q. 4. art. 2.* Patet autem omnes actus immanentes importare reſpectum ad obiectum; & tamen

non esse relationes *secundùm esse*, quia sunt de genere qualitatis, vt *omnes* fatentur; ergo remanet, quòd importent formaliter solùm modum relatiuum, & per consequens solam modificationem, vt dictum est *in sup. art.* Igitur si mutatio de vno actu formali volũtatis ad alium, non obstante identitate entitatis est physica, quanuis mutetur sola modificatio, seu modus relatiuus, quo indiuiduatur actus, optimè sequitur, quòd si voluntas Dei transiret de vna modificatione entitatis sui actus ad aliam, physicè mutaretur. Ita cera dicitur physicè mutari ex eo, quòd transeat de vna modificatione ad aliam. At verò si res maneat semper sub vna modificatione ita, vt nunquam transeat ad aliã, vel nunquam possit transire, nunquam dicitur mutari, vel posse mutari; quanuis potuerit semper esse sub alia modificatione ita tamen, vt nõ sit assignabile aliquod non esse ante illam modificationem, quia mutatio essentialiter dicit trãsitum de non esse ad esse; ergo si ita sit, vt nunquam verificetur, quòd non fuerit, nunquam dicitur physicè mutari. Igitur cùm volitio Dei sit semper sub modificatione, quæ, vtpotè æterna, non supponit non fuisse; ideo quanuis potuisset non esse ab æterno, attamen quia illud posse non esse non supponitur, vt prius ad esse, sed simul in æternitate cum esse; ideo non dicitur mutari; at verò si transiret de non esse priùs ad esse posteriùs, physicè mutaretur, quia mutatio essentialiter supponit non esse, tanquam principium, à quo incipit mutatio, & impotrat esse post non esse.

4 Ex hoc habetur, quòd licèt volitio libera fuerit ab æterno ita, vt potuerit non fuisse; attamen Deus non dicitur mutatus, quia non esse volitionis non fuit priùs ad ipsam volitionem, nam in æternitate nihil est prius; quod tamen essentialiter requiritur ad mutationem.

5 Dices. Si creatura fuisset ab æterno, attamen fuisset realiter mutata de non esse ad esse, quia ita fuisset, vt potuisset non esse; non enim fuisset mutata, quia supposuisset priùs non esse; aliter non fuisset æterna; ergo à pari.

Resp. neg. causalem; creatura enim fuisset mutata, quia eius esse transiuisset à causa efficiẽte extra causam, per quem transitum optimè saluatur mutatio; nec hoc repugnat creaturæ; quia sicuti ei conuenit esse per participationẽ, ita illi solùm potest competere æternitas participata; at verò cùm volitioni Dei repugnet participatio, ideo etiam illi repugnat iste transitus; & ideo nulla ei conuenit mutatio. Tum quia daretur aliquod priùs natura, quia creatura dependeret ab eo, nec tamen tolleret eius æternitatẽ, quia cum illo priori naturæ staret simul duratio æternitatis; hoc autem sufficit ad mutationem realem, quod cùm non possit competere volitioni Diuinæ, ideo in illa nulla potest esse mutatio realis.

6 Vnica concl. Deus nequit velle in tempore, quod priùs nolebat, aut è contra sine physica mutatione sui.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Aug. lib. 12. Confess. c.15*; vbi docet: *Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud; sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum; neque nunc ista, nunc illa; nec velle posteà, quod nolebat; aut nolle priùs, quod volebat; quia talis voluntas mutabilis est, & omne mutabile æternum non est.* Quibus verbis apertissimè declarat immutabilitatem, quæ est causa formalis æternitatis, esse rationem, ob quam nequit Deus velle, quod priùs nolebat; & è contra. *Et lib. 9. de Ciu. c.17. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutauit voluntatem; sed vna, eademque sempiterna, & immutabili voluntate &c.*

7 Resp. *Fasol. vbi sup. n. 12. Beatiss. P.* loqui quidem de mutatione physica, sed loqui de mutatione diuersorum actuum eo modo, quo creaturæ nunc volunt hoc per vnum actum; deinde volunt illud per alium actum; non autẽ loqui de eodem actu, quo per solam extrinsecam terminationem ita vult, vt potuisset nolle ab æterno.

Sed contra est; quia *Beatiss. P.* expressissimè loquitur de actu, quo Deus vult, & quo non vult creaturas; sed actus, quo vult, & quo non vult creaturas, est vnus, & idem secundùm entitatem; ergo non loquitur de actibus diuersis secundùm entitatem, sed solùm diuersis secundùm modificationem. Quòd si per eundẽ actum Deus posset velle, postquam noluit, sine sui mutatione physica; quomodò potuisset concludere: *Nec velle posteà, quòd nolebat; aut nolle priùs, quod volebat; quia talis voluntas mutabilis est?* Poterat enim ei responderi; posse per eundem actũ velle, quod nolebat, sine aliqua *mutatione*. Præterea etiam creaturæ volẽtes post nolitionẽ per eundem actum physicè mutantur, vt dictum est. Tandem *ibid.* loquitur de voluntate Dei secundùm se, non per comparationem ad voluntatem creatam, sed per ordinem ad æternitatem; & probat illam non posse velle, quod nolebat, quia eius volitio, aut nolitio est æterna; & ideo semper vult; si autem vellet, postquam noluit, nec volitio esset æterna, quia semper non esset; nec nolitio, quia inciperet; ergo loquitur de mutatione in ordine ad diuersas modificationes, quibus indiuiduantur actus volitionis, & nolitionis Dei.

8 Ex hoc prob. 1. concl. *à Fundatiss. Doct. vbi s.* Si Deus posset velle, quod nolebat; vel retineret simul volitionem cum nolitione, vel deperderet nolitionem succedente volititione? Si primum; ergo Deus simul vellet, & nollet, & sic volũtas Dei haberet simul duos actus oppositos, quibus creatura poneretur, & non poneretur in esse; & per consequens creatura simul es-

eſſet, & non eſſet; nam per volitionem eſſet, & per nolitionem non eſſet, quod repugnat. Si ſecundum; ergo nolitio Dei non eſſet æterna; implicat enim aliquod æternum non eſſe; ſed quod non eſt æternum, eſt mutabile; quia quod non eſt æternũ, eſt tẽporale, & quod eſt tẽporale, eſt mutabile; ergo voluntas Dei eſſet mutabilis.

9 Prob.2. Noua denominatio realis intrinſecè adueniens rei in tempore ſupponit mutationem intrinſecam rei; noua enim denominatio intrinſeca ſupponit formam intrinſecam, à qua ſumitur denominatio; & cùm forma intrinſeca ponitur in re, tunc ponitur denominatio; tunc enim paries denominatur albus, quãdo ponitur in eo albedo, quæ eſt forma denominans; ſed ſi Deus vellet in tempore, denominaretur intrinſecè volẽs in tempore; denominatio enim volentis ſumitur à volitione, quæ eſſentialiter eſt actus intrinſecus, quia eſt actus vitalis immanens; ergo poneretur in eo forma realis intrinſeca, à qua ſumitur denominatio realis; ſed forma realis intrinſeca mutat phyſicè rẽ, cui aduenit; ergo Deus mutaretur phyſicè intrinſecè.

10 Conf. Mutatio moralis nihil ponit realiter in re; illud enim dicitur moraliter mutari, quod ita ſe habet, apud hominum exiſtimationem, ac ſi eſſet realiter mutatum; quòd ſi ponatur aliquod realiter in re, quod priùs non erat in illa, non moraliter, ſed phyſicè mutatur; nomine enim mutationis phyſicæ *hic* non intelligimus mutationem materialem; nam certum eſt hanc nõ eſſe in Deo, quia in illo nõ eſt materia; ſed mutationem realem; ſed ſi Deus inciperet velle, poneretur in ipſo volitio realis, fieret enim realiter volens, quod nequit eſſe, niſi per volitionem realem; ergo phyſicè mutaretur.

11 Prob.3. Si Deus realiter non mutaretur maximè, quia non adderet Deo nouam entitatem, aut nouam perfectionem; ſed conſequens eſt falſum; nam licèt ſigillatio non addat ceræ nouam entitatem, aut perfectionem, quæ ſumitur ab entitate; attamen nullus diceret, quòd cera ſigillata non ſit mutata ab eo, quod erat, quãdo non erat ſigillata; ſicut enim noua entitas mutat realiter rem, cui additur; ita nouus modus, ſeu noua formalitas realis mutat modaliter, aut formaliter rem, cui additur; & ſic quanuis volitio non adderet Deo nouam entitatem, aut perfectionem, adderet tamen nouam modificationem, qua fieret formaliter volens ex nolente; ergo Deus phyſicè mutaretur.

12 Ad *Mol.* autem dicitur, quòd viciſſitudo, & mutatio idem ſunt formaliſſimè; vt docent *Profeſſores linguæ Latinæ. Vid. noſter Ambr. Calep*; & ideo ludit per diuerſa vocabula ſynonima idem aſſerens, & negans.

13 Obijc.1. Actus liber Dei in eo, quòd liber, poteſt nõ eſſe in Deo; ſed volitio, qua Deus voluit creaturas, eſt actus liber Dei; ergo poteſt non eſſe in Deo; ſed ex eo, quòd volitio non eſt in Deo, in ipſo ponitur nolitio; quia voluntas Dei nequit manere ſuſpenſa; ergo Deus poteſt nolle, quod priùs volebat.

Reſp. diſt. ma. Actus liber Dei indiuidualiter ſumptus poteſt non eſſe in Deo poſtquam poſitus eſt, neg; quanuis enim ſit liber, attamen eſt ęternus, & immutabilis, & ideo nequit non eſſe. Eo ipſo, quo poſitus eſt, poterat non eſſe abſq; poſitione illius, conc; & ſic dicitur ad mi; quòd volitio Dei eſt actus liber, ſed æternus.

14 Obijc.2. Deficiente antiqua volitione, & poſita noua volitione Dei non deficit entitas actus liberi, nec ponitur noua entitas, aut perfectio; ſed tantùm noua terminatio extrinſeca ad creaturas; ergo non mutatur phyſicè intrinſecè Deus; quia *mutatio eſt tranſitus de nõ eſſe ad eſſe.*

Reſp. diſt. 1. partem ant. Non deficit entitas, aut perfectio actus liberi ſpecificè ſumpti, conc; non deficit formalitas actus liberi indiuidualiter ſumpti, neg. Ad 2. part. neg; quòd ponatur tãtũ noua terminatio extrinſeca, quia Deus denominatur intrinſecè volens, quòd nequit eſſe ſine noua forma, ac formalitate intrinſeca. Et ſic neg. conſ; ad cuius prob. inſert. dicitur, quòd ſicut mutatio entitatiua eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe entitatiuum; ita mutatio formalis, aut modalis eſt trãſitus de vno eſſe formali ad aliud, aut de vna modificatione ad aliam; Deus autem per talem modificationem aquireret eſſe volẽs formaliter intrinſecè, quod priùs non erat.

15 Obijc. 3. Si Deus noluiſſet creaturas ab æterno, non fuiſſet mutatus, neque alius ab eo, qui de facto eſt; & tamen eadem entitas fuiſſet ſub diuerſa modificatione; ergo etianſi eas nollet in tempore.

Reſp. neg. conſ; quia ſi ab æterno noluiſſet, fuiſſet ſemper æternaliter illa nolitio, & nunquã trãſijſſet de non eſſe ad eſſe; at ſi nollet in tempore, illa nolitio non eſſet æterna, ſed temporalis, & ideo mutabilis; tranſiret enim de non eſſe ad eſſe. Et licèt Deus non fuiſſet alius ab eo, qui de facto eſt; actus tamen voluntatis Dei indiuidualiter ſumptus fuiſſet ſub alia modificatione; quod nequit eſſe ſine mutatione.

16 Obijc. 4. Poteſt Deus aquirere in tempore ſine ſui mutatione denominationem creatoris; ſed denominatio creatoris eſt intrinſeca; ſumitur enim à forma intrinſeca, idẽſt à Diuina ſẽetia, quę eſt creatrix; ergo poteſt aquirere ſine mutatione denominationẽ intrinſecam volentis.

Reſp. neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur, quòd denominatio creatoris ſumitur ab actuali productione; nullus enim dicitur Pater ex eo, quod poteſt generare, ſed ex eo, quòd actualiter generat; ſic Deus non dicitur creator ex eo, quòd poteſt creare, ſed ex eo, quòd actualiter creat. Ab eſſentia ergo dicitur omnipotẽs, ſeu potens creare, non tamen creator. Et ſicut nequit eſſe creator in tempore ſine noua actione extrinſeca; ita nec volens ſine noua volitione intrinſeca.

QVAE-

QVÆST. III.

De obiecto Voluntatis Dei.

SEquitur agendum de obiecto volutatis ipsius Dei;cùm enim obiectum habeat rationem motiui,& terminatiui ipsius voluntatis,ideo habet rationẽ principij,& termini actus ipsius voluntatis;quapropter antequam agamus de actu,de obiecto est agendum.Tum quia cùm actus specificetus ab obiecto, distinctiorẽ cognitionem habebimus de actu,si notitia sui specificatiui præcedat.

ART. I.

Quod sit obiectum Voluntatis Dei?

1 SVpposita diuisione obiecti in primarium,& secundarium; vt diximus *de Scient.q.1.art.3*; inquirimus *hic* de vtroque ; & ex dictis *ibid.*facilis erit resolutio quæsiti ; sicut enim se habet scientia Dei ad suum obiectum primarium,& secundarium; ita proportione seruata loquẽdum est de obiecto primario,& secũdario voluntatis.

2 Prima sententia vult obiectum formale adæquatum voluntatis Dei esse bonum , *vt sic* ; ac propterea creaturas esse obiectum formale inadæquatum. *Ita Aureol,Dur; Sua. apud Salm. hic disp.3.dub.2.§.1; & noster Albiz, Sot;Pesant; Heric;Hurt. Arria. apud Godoy hic disp.49.§.3.*

Secunda sententia vult obiectum primariũ motiuum esse bonitatem increatam; primarium verò terminatiuum esse bonitatem, *vt sic*,prout comprehendit creatam,& increatam *Ita Aliqui apud Salm.*

Tertia sententia vult obiectum primarium sub conceptu perfectionis esse solam bonitatem increatam; sub conceptu verò puræ terminationis esse bonitatẽ creatam.*Ita Aliqui apud Godoy.*

Vltima tandem sententia docet obiectum primarium motiuum , & terminatiuum esse solam bonitatem increatam, prout comprehendit omnia prædicata formaliter Diuina ; creaturas verò esse obiectum merè secundarium.*Ita Fundatiss.Doct.Aeg.in 1.d.st.45.prin.1.q.2; & tota nostra Schola;& omnes alij.*

3 Vnica concl.Obiectum primarium specificatiuũ, & terminatiuum est sola bonitas Diuina, prout formaliter imbibitur in omni prædicato formaliter Diuino ; bonitas verò creata est obiectum solummodò secundarium.

Prob.1. omnibus illis rationibus , quibus probata est *concl.art.3.q.1.de Scient.Dei.*

4 Prob.2.*ex Beatiss.P.in Enchir.c.23.*docẽte. *Nequaquam dubitare debemus rerum,quæ ad nos pertinent , bonarum causam non esse, nisi bonitatem Dei.* Ex quo formatur hæc ratio. Obiectũ primarium specificatiuum, & terminatiuum voluntaris Diuinæ est causa formalis dilectionis Diuinæ ; obiectum enim primarium est causa actus, cùm ex illo,& potentia producatur actus; sed causa formalis primaria dilectionis Diuinæ est sola bonitas Diuina ; quia sola bonitas Diuina est illi proportionata, & eiusdem speciei; ergo obiectum primarium specificatiuum , & terminatiuum voluntatis Diuinæ est sola bonitas Diuina ; & ideo creaturæ sunt obiectum secundarium; illud enim, quod pertinet ad aliquam potentiam , & non est obiectum primarium illius,consequenter est obiectum secundarium; cùm obiectum adæquatè diuidatur in primarium,& secundarium. *Vid.vbis.*

5 Conf.Ita se habet bonitas Diuina, & creata respectu voluntatis Diuinæ, sicut entitas Diuina,& creata respectu scientiæ Dei,sicut enim intellectus Dei intelligendo se intelligit alia à se ; ita voluntas ipsius amando se amat omnia alia à se ; sed obiectum primarium scientiæ Dei est sola entitas Diuina ; entitas autem creata est obiectum secundarium ; vt diximus *loc.cit*; ergo obiectum primarium siue motiuum , siue terminatiuum voluntatis Dei est sola bonitas Diuina; bonitas autem creata est obiectum secundariũ.

6 Prob. 2. specialiter *ex Fundatiss. Doct.* Obiectum primarium specificatiuum , & terminatiuum voluntatis est finis , secundarium verò sunt media; nam illud est obiectum primarium voluntatis,quod intenditur ratione sui,& quod est ratio volendi cetera; illud verò est obiectum secundarium , quod intenditur ratione alterius; sicut illud dicitur obiectum primarium scientię, quod attingitur ratione sui ; illud autem est secundarium,quod attingitur ratione alterius;primum enim est causa ceterorum , & secundum causatur à primo,finis autem intenditur ratione sui, & ratione finis intendũtur media; quia *finis est ille,cuius gratia cetera fiunt*; & ideo finis est obiectum primarium voluntatis Diuinæ,media verò secundarium ; sed sola bonitas Diuina est finis volũtatis Dei; & creaturæ sunt media,quia ordinãtur ad ipsã bonitatem Dei, & sunt propter ipsam, iuxta illud *Prou. 16. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus;impium quoque ad diem malum hinc Beatiss.P. sæpè* repetit *fecisti nos Domine ad te* . Tum quia medium est illud , quod participat bonitatem à fine , & ideo creatura,cùm participet bonitatem à Deo, ideo habet rationem medij ; ergo obiectum primariũ voluntatis Dei est sola bonitas Diuina,secundarium verò bonitas creata.

7 Conf. Obiectum primarium essentialiter debet proportionari cum potentia, quam specificat,& denominat;omne enim specificatiuum debet esse eiusdem speciei cum re specificata ; sed voluntas Diuina est primum volens ; ergo obiectum primarium voluntatis Diuinæ est primum bonum;atqui sola bonitas increata est primum

mum bonum; bonitas autem creata est bonum secundarium cum essentialiter sit à bonitate increata; ergo sola bonitas increata est obiectum primarium, & bonitas creata secundarium.

8 Prob. 3. Creaturę nequeunt esse obiectum primarium, aut terminatiuum scientiæ Dei, vt diximus *vbi sup*; ergo nequeunt esse obiectum primarium motiuum, aut terminatiuum voluntatis Dei, eadem enim ratio probat de vtraque; ex quo reiectæ manēt 2; & 3. sent; prima autem reijcitur ex dictis; nā si bonum, *vt sic*, esset obiectum primarium voluntatis Dei, nedum bonitas increata, sed etiam creata essent obiectum primarium illius, quod sufficiēter est impugnatum.

9 Obijc. 1. *Gen.* 1. habetur: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; sed omne bonum est obiectum primarium motiuum voluntatis Dei; ergo creaturæ sunt obiectum primarium voluntatis Dei.

Confirmatur *Beatiss. Doct. lib.* 11. *c.* 21. *de Ciu. sup.* illud: *Vidit lucem, quòd esset bona*; ait. *Si quærimus, quare fecerit? Quia bona est*; sed ly *quia* nequit pertinere ad aliud genus causæ, quàm allicientis; ergo creaturæ saltem possunt habere rationem obiecti terminatiui, in quantùm Deus à bonitate illarum allicitur, & sibi complacet in illis, vt in suis operibus.

Resp. ad arg. dist. mi. Omne bonum per essentiam, & imparticipatum, quod est proportionatum, & adæquatum voluntati Diuinæ, conc; omne bonum secundùm quid, & participatum, quod est ei improportionatum, neg. Vidit ergo Deus cuncta, quæ fecerat esse valde bona bonitate sui ipsius, & ideo motiuum voluntatis Dei fuit sola bonitas Diuina.

Ad conf. dicitur, quòd *Beatiss. P. ibid.* docet: *Ibi ergo vidit bonum esse, quod fecit; vbi bonum esse vidit, vt faceret*; sed solùm in se ipso potuit videre esse bonum, vt faceret; nō enim, antequā faceret, erat aliquod bonū extra illū, quod videret; ergo sola bonitas Dei fuit obiectum motiuū faciēdi creaturas bonas. Dist. igitur mi. Ly *quia* pertinet ad genus causę allicientis, quę causa alliciens est bonitas causæ ipsius creaturæ, quæ causa est Deus, conc; est bonitas ipsius creaturæ, quæ est effectus, neg; & ideo Deus sibi complacet solū de sua bonitate, vt participabili à creaturis; non autem de bonitate creaturarum, vt effecta à sua bonitate. Tum quia si Deus alliceretur à bonitate creaturarū, bonitas creata non solū esset obiectum primariū terminatiuum, sed etiam motiuum; quia allici idem est, ac moueri.

10 Inst. Creaturæ sunt amabiles à Deo non solùm ratione bonitatis Dei, sed etiam ratione propriæ bonitatis, quia habent bonitatem distinctam à bonitate Dei. Tum quia bonitas increata est bonitas finis; sed creaturæ non amantur, vt bonæ finaliter, quia non habent rationem finis amoris Dei; ergo non amantur ratione bonitatis increatæ. Tum quia merita creaturarum mouēt Deum ad largiendum præmium; sicut demerita mouent ad infligenda m pænam; sed merita non possunt mouere propter bonitatem increatam, quæ non potest mereri; nec demerita possunt mouere propter bonitatem, quia non sunt bona, sed mala; ergo motiuū voluntatis Dei non est sola bonitas increata, sed etiam creata.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. infert. dist. Habent bonitatem distinctam participatam à Deo, sicut media participant bonitatem à fine, conc; non participatam, neg. Ad 2. dist. mi. Creaturæ non amantur, vt bonæ finaliter, idèst bonitas finis non est ratio amandi creaturas, neg; idèst bonitas finis non est in creatura, conc. Ad 3. dist. 1. pars mi. Merita creaturarum mouent Deum propter bonitatem participatam à Deo, conc; nam *merita nostra sunt dona sua*; & *omne bonum desursum est descendens à Patre luminum*; propter bonitatem non participatam, neg. Et sic dist. 2. pars. Demerita mouent ad infligendam pænam propter bonitatem Dei, à qua discordant, conc; propter bonitatem creaturæ, neg. Ad mi. dicitur, quòd licèt bonitas Dei non possit mereri, quia non est capax maioris gloriæ, potest tamen facere, quòd creatura mereatur; ita demerita, licèt sint mala, mouent tamen propter bonitatem, cui opponuntur.

11 Obijc. 2. Si Deus amaret creaturas solùm propter bonitatem suam, non amaret illas amore amicitiæ, sed tantùm amore concupiscētiæ; quia amor amicitiæ est essentialiter propter bonum amici; & amor concupiscentiæ propter bonum proprium; sed consequens est falsum; quia Deus nihil potest concupiscere extra se; cùm in se sit omne bonū; & ideo amat creaturas solùm amore amicitiæ iuxta illud Christi Domini. *Vos amici mei estis*; vel beneuolentiæ; ergo illas non amat propter bonitatem increatam.

Resp. neg. seq. Ad prob. infert. dicitur, quòd amor amicitiæ est propter bonum amici vel ipsi communicatum ab amante; & sic Deus amat creaturas; vel ipsi non communicatum; & ita nō amat creaturas. Potest etiam dici, quòd amor concupiscētiæ non solùm est erga bonum, quod amans concupiscit sibi, sed etiam circa bonum, quod concupiscit alteri; hoc secūdo modo Deus amat creaturas amore concupiscentiæ; sed de hoc *infra de Amore Dei art.* 2.

12 Obijc. 3. Creaturæ nequeunt esse media conducentia ad consecutionem bonitatis increatæ; quia finis dependet à medijs; est enim effectus mediorum; & Diuina bonitas nequit dependere à creaturis; ergo non amantur ratione bonitatis increatæ.

Resp. quòd aliud est finis, & aliud est consecutio finis; ideo arg. variat appellationem. Neg. ergo ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd licèt consecutio finis dependeat à medijs, quæ sunt causa consecutionis, non tamen ipse finis de-

dependet à medijs, sed è contra; quia finis est causa mediorum. Sicut Dux exercitus habens pro fine occupationem alicuius Arcis, ipsa consecutio dependet, & causatur à medijs electis à Duce; ipsa tamen Arx non causatur, sed potiùs est causa mouens animum Ducis ad eligenda media conducentia ad illius occupationem. Ita à pari.

13 Obijc.4. Obiectum adæquatè terminatiuum, & specificatiuum alicuius potentiæ debet cōtinere omnia obiecta particularia, ad quæ talis potentia extenditur; item debet prædicari de omnibus illis; sicut corpus mobile, quod est obiectum adæquatum Philosophiæ, prædicatur de omni corpore particulari, quod est obiectum particulare inadæquatū; & ideo substantia, licèt sit obiectū principale, & nobilius *Metaphysicæ*, nō tamen est obiectum adæquatū, quia non prędicatur de omni ente; sed Diuina bonitas non continet sub se omnem bonitatem, quam Deus potest amare; non enim continet bonitatem creatam; nec de illa prædicatur; ergo licèt sit obiectum principale, non tamen est obiectum adæquatum.

Resp. dist. ma. Debet continere, & prædicari de omnibus obiectis particularibus, in quibus imbibitur formaliter ratio specificatiua illius potentię, conc; in quibus non imbibitur formaliter ratio specificatiua, neg. Ideo corpus mobile continet sub se, & prædicatur de omnibus rebus materialibus, quia in illis formaliter imbibitur ratio corporis; & sic ens in substantia, & accidentibus. At verò non continet sub se negationes, & priuationes, nec de illis prædicatur, quia ratio corporis, aut entis in illis formaliter non imbibitur; & ideo negationes, & priuationes sunt obiectum secundarium, non primarium. Ita dist. mi. Diuina bonitas non continet sub se omnem bonitatem specificatiuam voluntatis Dei, neq; non specificatiuam, vt est bonitas creata, subdist. Non continet eminenter, neq; formaliter, conc; & ideo bonitas creata, cùm non imbibat formaliter bonitatem Diuinam, quæ est specificatiua voluntatis Dei, est obiectum secundarium, non primarium.

14 Obijc. 5. Voluntas Dei amat creaturas immediatè, non solùm prout sunt in ipso Deo, sed etiam prout sunt in se ipsis extra Deum; ergo etiam creaturæ, prout sunt extra Deum, sunt obiectum immediatū voluntatis Dei. Prob. ant. 1. Charitas est participatio amoris Dei; sed charitas creata se extendit immediatè non solùm ad Deum, sed etiam ad creaturas, est enim dilectio Dei, & Proximi; ergo volūtas Dei amat creaturas immediatè etiam, prout sunt in se ipsis extra Deum. 2. Sicut se habet Fides respectu Dei, vt est prima Veritas reuelans; ita charitas respectu Dei, vt est prima bonitas amans creaturas; sed Fides immediatè versatur nedum circa Deum, sed etiam circa mysteria creata, vt est resurrectio corporum &c; ergo à pari.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. neg. mi; Charitas enim creata se extendit ad Deum primariò, & ideo immediatè; ad proximum autem secundariò, & ideo solùm mediatè; propterea Deus solus, vt summum bonum, est obiectum specificatiuū charitatis; & ideo est virtus Theologica; aliter esset virtus simul Theologica, & non Theologica; in hoc enim distinguitur virtus Theologica ab alijs virtutibus; quòd illa habet pro obiecto Deum; istæ verò habent pro obiecto immediato creaturas. Ad 2. dicitur eodem modo, scilicet Fidem habere pro obiecto primario Deum; pro secundario autem creaturas.

15 Arguunt *Alij apud B. Doct.* creaturas neque esse obiectum secundarium voluntatis Dei. 1. Voluntas est tantùm respectu finis *ex Phil. 3. Eth*; sed creaturæ non habent rationem finis respectu Dei; ergo neque sunt obiectum secundarium. 2. Licèt intelligendo vilia non vilescamus, attamen amando vilia vilescimus; quia voluntas per amorem conformatur rebus amatis; res autem in intelligendo conformantur intellectui, non è contra; sed creaturæ sunt viles respectu Dei; ergo neque, vt obiectum secundarium, possunt amari à Deo. 3. Voluntas semper mouetur ab obiecto; sed Deus nequit moueri à creatutis; ergo nequit amare creaturas. 4. Si creaturæ essent obiectum secundariū, voluntas Dei depēderet, & perficeretur à creaturis; quia quælibet potentia depēdet ab obiecto; & eò perfectior est, quò se extendit ad plura; sed hoc non est dicendum; ergo neque primum.

Resp. *B. Doct*, quòd *Phil. ibid.* sumit voluntatem pro primo actu voluntatis, qui est intentio, non autem sumit pro potentia. *Vel* quòd voluntas est respectu finis principaliter, & ex consequenti respectu mediorum; propter quod finis est obiectum primarium, & principale; media verò obiectum secundarium. Ad 2. dist. ma. Amando vilia vilescimus, si in illis quiescamus ponendo in illis vltimum finē primarium, conc; si non quiescamus, sed illa referamus in vltimum finem simpliciter, qui est Deus, neg. Ad 3. dist. ma. Voluntas, quæ actuatur à rebus, conc; quæ actuat res, neg. Et per hoc patet ad 4; tunc enim dependeret, & perficeretur à creatutis, quando ab illis actuaretur; quia actuari est recipere actum, & per consequens perfectionem; voluntas autem Dei non actuatur à creaturis, sed illas actuat, quia illis communicat esse, à quo sumitur bonitas; & ideo ab illis non dependet, nec perficitur, sed istæ ab illa dependent, & perficiuntur.

ART.

ART. II.

An Deus velit se ipsum necessitate specificationis, & exercitij?

1 Diuiditur necessitas in necessitatem absolutè, & simpliciter, & in necessitatem secundùm quid, & ex suppositione. Illa est, qua res ita est, vt nullo modo possit, aut potuerit non esse. Ista est, qua res ita est, vt licèt potuerit non esse, attamen supposito, quòd sit, non potest non esse; de qua necessitate loquens *Phil.* dixit: *Res, dum est, necesse est esse.* Loquimur *hic* solùm de necessitate simpliciter, & absolutè.

2 *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 25. q. 1. art. 5. dub. 1. lat. §. Tertia via &c.* ait necessitatem simpliciter, quæ competit potentiæ duplicem esse; aliam specificationis, & aliam exercitij; Prima est, qua potentia ita determinatur ad tendendum in suum obiectum specificatiuum, vt non possit tendere extra illud; vt v.g. potentia visiua ita est determinata ad tendendum in colorem, vt non possit videre id, quod non est coloratum; sicut rationalitas, quæ est specificatiua hominis, ita determinat hominem ad naturam humanam, vt non possit esse in natura equina, canina &c. Necessitas exercitij est illa, qua potentia ita determinatur ad aliquam operationem actualem, vt nullo modo possit desistere ab illa operatione actuali. Quærimus *hic* de vtraq;

3 Not. autem; quòd potentiam necessitari ad tendendum in suum obiectum specificatiuum potest dupliciter accipi. 1. Ita, vt sermo sit de obiecto adæquatè sumpto, prout dicit totam latitudinem, ad quam potest potentia se extendere; & hoc modo quælibet potentia necessitatur simpliciter necessitate specificationis, quia nulla potentia potest ferri extra suum obiectum adæquatum; aliter ei non adæquaretur; vt diximus *To. 1. q. 2. Proem. art. 1. §. 1.* 2. Accipitur ita, vt sermo sit de obiecto inadæquato, & partiali, idest de hoc, vel illo obiecto in particulari; & tunc certum est potentiam non necessitari maximè, si talis potentia sit subdita libertati, vel sit formaliter ipsa libertas. Sic potentia visiua, quatenus subditur imperio libertatis, potest videre hunc, vel illum colorem, quamuis non possit videre aliquod, quod non sit coloratum. Et voluntas creata potest se liberè auertere ab hoc bono particulari conuertendo se ad aliud particulare, quod est obiectum inadæquatum ipsius. *Hoc not.*

4 Vnica concl. Deus vult, seu diligit se ipsum necessitate simpliciter specificationis, & exercitij. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 10. princ. 1. q. 1. ad 1; & dist. 32. q. 1; & 2; & communiter omnes DD.*

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. de Cog. veræ vitæ c. 16;* vbi docet: *Dei essentiam dixi esse vitam; vera autem vita se viuere intelligit, & si se viuam intelligit, se vtique diligit; Dei autem viuere, intelligere, & diligere nihil est aliud, quàm existere. Dilectio ergo Dei est vita, & vita spiritus est.* Ex quo sic arguitur. Ita competit Deo dilectio sui ipsius, sicut competit ei vita; nam vita consistit formaliter in intellectione, & dilectione, quia consistit in operatione vitali, quæ est operatio spiritualis immanens; vt diximus *de Vita Dei*; sed Deo necessariò competit vita nedum specificatiuè in actu primo, sed etiam reduplicatiuè in actu secundo; quia vita in actu primo excludente actum secundum est in potentia passiua ad vitam in actu secundo, & ideo est imperfecta, cùm excludat suam vltimam perfectionem; ergo Deo competit dilectio sui necessariò nedum necessitate specificationis, sed etiam necessitate exercitij.

5 Conf. Ita conuenit Deo vita, sicut ei cōuenit existentia; vtrunque enim est prædicatum essentiale constitutiuum naturæ Diuinæ, vt diximus *To. 1;* & ideo virtualiter indistinctum; sed existentia conuenit Deo necessitate specificationis, & exercitij; quia prædicatum constitutiuum essentiale conuenit rei nedum signatè, sed etiam exercitè; vnde homo nedum est in potentia ad rationalitatem, sed nequit intelligi, nisi actu rationalis; ergo vita competit Deo necessitate specificationis, & exercitij; sed dilectiō sui ipsius est vita ipsius; ergo diligit se ipsum necessitate specificationis, & exercitij.

6 Prob. 2. Tunc voluntas est libera à necessitate specificationis, quando tendit in aliquod obiectum particulare inadæquatum; & tunc est libera à necessitate exercitij, quando eius actus non est omnis actus; nam in tantùm potest se auertere ab aliquo obiecto, in quantùm in ipso non est omnis ratio boni, sed est ratio boni admixta cum ratione mali; & ideo sicut ratio boni est ratio, cur tendat in illud, ita ratio mali est ratio, cur se auertat ab illo; nam circa obiectum primarium adæquatum voluntas omnino necessariò se habet, cùm non possit tendere extra illud; & in tantùm potest transire de vno actu in alium, in quantùm est possibilis alius actus distinctus à primo actu; sed Diuina bonitas est obiectum adæquatum voluntatis Dei, quia Diuina bonitas est omne bonum; sicut enim bonitas in vniuersum est obiectum adæquatum voluntatis creatæ, quia continet sub se omne bonum; ita bonitas Diuina est obiectum adæquatum voluntatis Dei, quia formaliter est omne bonum; & actus voluntatis Dei est omnis actus, quia est infinitus; ergo voluntas Dei necessariò diligit ipsum Deum necessitate specificationis, & exercitij.

7 Prob. 3. *ex B. Doct. in 1. dist. 45. princ. 1. q. 2.* Voluntas tendit in finem, vt natura, non vt libertas; in media verò tendit, vt libertas, non vt natura; sed natura, prout contradistinguitur à libertate, tendit necessariò necessitate spe-

specificationis, & exercitij in id, ad quod tendit; ergo voluntas tendit in finem necessitate specificationis, & exercitij: sed finis voluntatis Dei est ipse Deus; ergo voluntas Dei diligit Deum necessitate specificationis, & exercitij. Ma; quam tradit *Phil. 3.Eth*; prob. In illud voluntas tendit liberè, in quod tendit ex electione; sed solùm in media tendit ex electione, quia finis non est eligibilis, & ideo electio est solùm circa media; ergo voluntas tendit in finem, vt natura, non vt libertas; & in media, vt libertas, non vt natura. Mi.patet; nam natura est ad vnū, determinata; sed quod est determinatū ad vnū, necessariò tendit in illud necessitate specificationis,& exercitij; ignis enim v.g; qui est determinatus ad vnum, non solùm nequit liberè ferri extra combustibile, quod est eius specificatiuum, sed nec etiam potest liberè exercere suam causalitatem; quia libertas nullo modo ei potest competere; ergo natura, prout contradistinguitur à libertate, tendit necessitate specificationis, & exercitij in id, ad quod est determinata.

8 Conf. In tantùm ignis non est semper in actuali exercitio combustionis, ad quam naturaliter inclinat; in quantùm combustibile, quod est eius obiectum, non est semper illi præsens; posita enim præsētia combustibilis ignis necessariò comburit, aliter liberè, non necessariò combureret, cùm causa libera *sit illa, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere*; in quo distinguitur à causa necessaria, quæ positis omnibus requisitis non potest non agere; sed Diuina bonitas, quę est obiectum specificatiuum, in quod tendit Diuina voluntas, vt natura, est semper illi præsens, quia est idem cum illa; ergo voluntas Dei tendit in suam bonitatem necessitate specificationis,& exercitij.

9 Prob. 4. Deus est beatus necessitate specificationis, & exercitij; quia non solùm non potest non tendere in suum obiectum beatificum, sed nunquam potest desistere ab actuali tendentia; nam, vt docet *Beatiss. P*; magna miseria esset, si Deus posset non esse beatus; sed beatitudo Dei consistit in amorē sui ipsius, vel formaliter vel præsuppositiuè; ergo Deus amat se ipsū necessitate specificationis,& exercitij.

10 Tandem Spiritus Sanctus procedit ex amore, quo Pater, & Filius se diligunt, & procedit, vt diligens ipsos; sed Spiritus Sanctus procedit, vt terminus necessarius necessitate specificationis, & exercitij; ergo talis amor est necessarius specificatiuè, & exercitè; terminus enim actionis proportionari debet cum illa; quia vel specificatur ab ea, vel specificat illam.

11 Obijc. 1. Nostra voluntas habet necessariam habitudinē ad suum obiectum; & tamen illud vult liberè saltē quantùm ad exercitium; quia licèt non possit ferri extra suum specificatiuum; attamen potest tendere in hoc, vel in illud, vel in nullum; ergo licèt voluntas Dei sit necessaria necessitate specificationis, attamen non est necessaria necessitate exercitij.

Resp. neg. conš in tantùm enim nostra voluntas non necessitatur necessitate exercitij, in quantùm obiectum, circa quod tendit, est bonum particulare, quod nō est omne bonum, sed habet rationem bonitatis malitiæ permixtam, & in quantùm eius actus circa tale bonum particulare non est omnis actus; at verò voluntas Dei fertur in suam bonitatem, quæ est omnis bonitas, & eius actus est omnis volitio; ergo nequit esse libera circa suam bonitatem libertate specificationis, aut exercitij.

12 Obijc.2.Obiectum voluntatis habet solùm illam specificare, non autem ad vnum habet illam determinare; ergo licèt Deus non sit liber quantùm ad specificationem erga suam bonitatem, est tamen liber quantùm ad exercitium. Prob. ant. 1. Obiectum non habet tollere libertatem; ergo non habet determinare ad vnum. 2, Obiectum habet perficere, non destruere potentiam; sed si necessitaret voluntatem ad vnum, destrueret essentiam voluntatis, quæ essentialiter est libera; ergo non habet determinare voluntatem ad vnum.

Resp. neg. ant. Ad 1. prob. dist.ant. Non habet tollere libertatem in ordine ad illud, circa quod liberè versatur voluntas, conc; non habet tollere libertatem in ordine ad illud, circa quod voluntas versatur, vt natura, non vt libertas, neg. supp; supponitur enim voluntatem esse liberam erga obiectum, circa quod versatur necessariò. Ad 2, dist. vulc. pars mi. Voluntas essentialiter est libera circa obiectum, in quod tendit, vt potentia, conc; in quod tendit, vt natura, neg. Itaque sicuti si obiectum necessitaret voluntatem erga illud, in quod tendit, vt potētia; destrueret essentiam voluntatis; ita si illam non necessitaret erga illud, in quod tendit, vt natura, destrueret essentiam illius, quæ essentialiter habet tendere in finem necessariò, & in media liberè.

13 Obijc.3.Perfectissimo agenti est tribuēdus perfectissimus modus operandi; sed Deus est perfectissimum agens; ergo ei tribuendus est perfectissimus modus operandi; sed modus perfectissimus operandi est operari cum dominio suorum actuum, & per consequens liberè; ergo Deo tribuendus est modus liberè amandi suam bonitatem.

Resp.eodem modo dist.mi subsumpt. Modus perfectissimus operandi est operari cum dominio libero erga finem, qui est omne bonum, neg; hic enim argueret maximam imperfectionem, quia posset importare carentiam sui finis, & per consequens suæ felicitatis, quæ consistit in fruitione finis; erga media ad finē, conc.

14 Obijc. 4. Si appetitui sensitiuo offerretur omne bonum sensibile, non necessitaretur

ad tendendum in illud, sed posset tendere circa hoc,vel illud. Ita licèt omnis color sit obiectum potentię visiuæ;attamen potentia visiua nō semper necessitatur ad tendendum in omnem colorem; sed modò in hunc, modò in alium; ergo à pari.

Resp.neg.1. part.ant. Ad 2. dicitur, quòd ideo omnis color non necessitat simpliciter ad tendendum in omnem colorem, quia nō est actu præsens potentiæ visiuæ,sicuti omnis bonitas est semper actu præsens voluntati Diuinæ, cùm sit idem cum illa, & ideo illam necessitat.

ART. III.

An Deus necessariò amet creaturas futuras,& existentes?

1 Difficultas procedit de necessitate specificationis, & exercitij, vt diximus *in sup.art.* Itē quęstio est de creaturis secundùm illud esse, quod habent extra Deum sub actuali existentia; vel quod possunt habere extra Deum post decretum de illarum futuritione.

2 Prima sententia opinatur Deum velle, seu amare creaturas necessariò necessitate specificationis,& exercitij. *Ita illi antiqui Philosophi,* qui imaginati fuerunt Deum agere ex necessitate naturæ,quos confutat *Fundatiss.Doct.in 1. dist.43.princ.2.q.1; & dist.35.princ.1.q.3*; inter quos *Ferr.*numerat *Arist;Auicen;& Com;*de quo tamen videndus est *B.Doct.* in fine *2.lib.sent;* vbi errores omnium antiquorum recenset.

Secunda sententia vult Deum amare creaturas futuras, & existentes necessitate specificationis simpliciter; creaturas autem futuras, & existētes non amare necessariò necessitate exercitij simpliciter, sed tantùm ex suppositione, & secundùm quid. *Ita Io.à.S.Tho.hic disp.4.art.2. concl.2*; referuntur etiam *à Gonet Salm.*

Tertia sententia docet Deum liberè simpliciter libertate specificationis, & exercitij amare creaturas, & necessariò solùm secundùm quid,seu ex suppositione. *Ita B.Doct.in 1.dist. 10.q.1.ad 1; & dist.39.princ.1.q.1; & 2.§. Rursus.* Hanc sententiam sequuntur *omnes nostri DD;ferè omnes Thomistæ; & alij;* pro cuius dec.

3 Not.quòd 2.sent.videtur sibi non conuenire;dicere enim,quòd creaturæ sint obiectum secundarium voluntatis Diuinæ,& quòd voluntas Diuina illas velit necessariò necessitate specificationis,videtur non posse simul stare; nā dicere,quòd creaturæ sint obiectum secundarium, est dicere, quòd non sint obiectum specificatiuum;quia obiectum specificatiuum est obiectū primarium, non secundarium; obiectum enim specificatiuum est eiusdem speciei cum potentia specificata;hoc namque sonat specificatiuum; & quodlibet specificatiuum, cùm det speciem,seu essentiam rei, essentialiter est quid primarium; in quo distinguitur à non specificatiuo, quod, cùm non det speciem rei, est quid accidentale, & ideo quid secundarium. Et dicere, quòd creaturæ amantur à Deo necessitate specificationis,est dicere,quòd in illis sit ratio specificatiua voluntatis Dei; quia illa attinguntur necessitate specificationis ab aliqua potentia, in quibus necessariò reperitur ratio specificatiua illius; nam si ratio specificatiua illis ita cōueniat, vt potuissent illis non conuenire,ita attinguntur, vt potuissent non attingi,& ideo non necessariò, sed liberè attinguntur. Cùm ergo bonitas Diuina, quæ citra dubium est specificatiuum voluntatis Dei,ita communicetur, & conueniat creaturis futuris, & existentibus, vt potuisset illis non communicari, & ideo non conuenire, non necessariò,sed liberè amantur. *Hoc not.*

4 Vnica concl. Deus non amat simpliciter necessariò creaturas futuras, & existentes, sed tantùm necessariò ex suppositione.

Prob. *ex Beatiss.P.Aug.lib.de Cog.veræ vitæ c.16.* docente:*Deus per dilectionem cunctis esse,vel viuere tribuit.* Ex quo sic arguitur. Amor Dei communicat creaturis esse,vel viuere, idest rebus inanimatis tribuit esse, & viuentibus vitā; sed creaturæ nō recipiūt esse,vel vitā necessariò sed omnino liberè; ergo amor Dei erga creaturas non est simpliciter necessarius,sed liber;nam necessitas causæ arguit necessitatem in effectu; qui denominatur liber, vel necessarius solùm à libertate,vel necessitate causæ;in tantùm enim productio fructus est necessaria, in quantùm planta,quæ est causa illius, est necessaria; & in tantùm homo liberè fructum comedit, in quantùm est causa essentialiter libera.

5 Conf.1.Effectus necessarius in hoc distinguitur ab effectu libero, quòd ille recipit esse à causa ad vnum determinata, hic autem à causa ad vtrunque indifferenti; sed nulla creatura recipit esse à Deo,vt ad vnum determinatè quoad specificationem,aut exercitium;ergo Deus non amat necessariò vllam creaturam necessitate specificationis,& exercitij. Ma.communiter admittitur.Prob.mi. Si creatura necessariò reciperet esse à Deo quoad specificationem, reciperet necessariò à Deo bonitatem Diuinam, quæ est specificatiuum voluntatis Dei; sed bonitas sumitur ab esse; quia bonitas idem est, ac perfectio;& *perfectio sumitur ab esse per Phil;* quia esse est perfectio,seu actus, & complementum essentiæ; sicut forma,quæ est actus,est cōplementum materiæ;ergo creatura necessariò reciperet esse à Deo,quod est absurdum in Fide

6 Conf. 2. Id, quod necessariò comperit creaturis, eis conuenit ante voluntatem Diuinam,in qua residet formaliter libertas; ergo cōuenit creaturis, vt sunt possibiles; sed creaturæ possibiles non amantur necessariò necessitate specificationis,vt fatentur *Auctores 2.sent;* quia nullam eis communicat bonitatem; cùm enim communicatio sit formaliter productio; si Deus eis communicaret aliquo modo suam bonitatem,

tem, illas aliquo modo produceret; ergo nec creaturæ futuræ, & existentes amantur necessitate specificationis. Ex quo magis apparet incongruentia 2. *sent.*

7 Vrgetur magis. Illud attingitur necessariò necessitate specificationis, cui conuenit necessariò tale specificatiuum; sicut illud attingitur liberè, cui conuenit liberè ratio specificatiua; sed creaturis futuris non conuenit necessariò Diuina bonitas; cùm enim Diuina bonitas non cõueniat creaturis per essentiam, sed participatiuè à Deo, & omnis participatio, qua Deus se ipsũ creaturis participat, sit libera, nõ necessaria, ideo nequit eis necessariò conuenire Diuina bonitas; ergo creaturæ futuræ, & existentes non attinguntur necessariò necessitate specificationis à Diuina voluntate.

8 Conf. 3. Obiectum secundarium liberè coniunctum cum primario non attingitur necessariò necessitate specificationis, aut exercitij; sed creaturæ futuræ, & existẽtes sunt obiectum secundarium voluntatis Diuinæ liberè coniunctum cum primario; ergo non attinguntur necessariò necessitate specificationis, aut exercitij à voluntate Diuina. Prob. ma. Obiectum secundarium in tantùm attingitur, in quantùm coniungitur cum primario; ergo illud obiectum secundarium, quod ita coniungitur cum primario, vt potuerit non coniungi, ita attingitur, vt potuerit non attingi; sed obiectum liberè coniunctum ita coniungitur, vt potuerit non coniungi; in hoc enim distinguitur ab obiecto necessariò coniuncto, quod ita coniungitur, vt non potuerit non coniungi; ergo obiectum secundarium liberè coniunctum cum primario ita attingitur, vt potuerit non attingi. Quod autem ita attingitur, vt potuerit non attingi, non attingitur necessariò necessitate specificationis, aut exercitij; quia illud attingitur necessitate specificationis, quod necessariò coniungitur cũ obiecto primario, quod est specificatiuum; & illud attingitur necessitate exercitij, quod non potest nõ attingi; ergo obiectum secũdarium liberè coniunctum cum primario non attingitur necessariò necessitate specificationis, aut exercitij. Prob. mi. Creaturæ ita sunt futuræ, & existentes, vt potuerint non esse futuræ, & existẽtes; sunt enim liberè futuræ, & existentes; ergo creaturæ futuræ reduplicatiuè, vt futuræ, & vt existentes, sunt obiectum secundarium liberè coniunctum cum obiecto primario voluntatis Diuinæ. Et ideo quamuis concederetur, quòd creaturis possibilibus competeret necessariò cõiungi cum bonitate Diuina; de quo *in seq. art;* & ideo necessitate specificationis amari; attamen nunquam potest verificari, quòd creaturæ, vt futuræ, & vt existentes, coniungantur necessariò cum bonitate Diuina; & ideo nec quòd amentur necessariò necessitate specificationis.

9 Prob. 2. In illud, circa quod voluntas tendit necessariò simpliciter, tendit, vt natura, non vt libertas; sed in bonitatem Diuinam, vt communicandam creaturis futuris, & existẽtibus, quæ est specificatiuum voluntatis Dei, non tendit, vt natura, sed vt libertas; ergo voluntas Dei non tendit necessariò simpliciter necessitate specificationis, & exercitij in creaturas futuras, & existentes. Ma. patet; quia natura est ad vnum determinata; & necessariũ simpliciter ita est ad vnum determinatum, vt nequeat esse aliud. Prob. mi. Si voluntas Diuina tenderet necessariò simpliciter in bonitatem Diuinam, vt communicandam creaturis futuris, & existentibus, non posset illam illis non communicare; sed consequens est falsum; ergo & antec.

10 Conf. Quælibet voluntas tendit in finem, vt natura; & in media, vt libertas; sed sola bonitas Diuina habet rationem finis respectu Dei; qui *Apoc.* 1. dixit: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*; creaturæ verò habent rationem medij, circa quod habetur electio; propterea *Ephes.* 1. dicitur *Elegit nos*; ergo Diuina voluntas solùm tendit in Diuinam bonitatem, vt natura, & in creaturas, vt libertas; sed in illud, in quod tendit, vt natura, tendit necessariò simpliciter; & in illud, in quod tendit, vt libertas, tendit liberè simpliciter, idest secundùm omnem rationem; ergo Diuina voluntas tendit in creaturas liberè libertate specificationis, & exercitij; aliter non tenderet liberè secundùm omnem rationem. *Vid. in sup. art. n.* 7.

11 Prob. 2. pars concl; scilicet, quòd Deus velit creaturas futuras, & existentes necessariò ex suppositione, quòd illas semel voluerit. Diuina voluntas est immutabilis, & inuariabilis simpliciter; ergo supposito, quòd semel voluerit creaturas esse futuras, & existentes, illas immutabiliter, & inuariabiliter vult; & ideo necessariò ex suppositione; quia necessarium ex suppositione est illud, quod est immutabile, & inuariabile, supposito, quòd sit.

12 Conf. Voluntas Dei nequit velle, quod priùs nolebat, & è contra; ergo semper vult id, quod semel voluit; & non vult id, quod semel noluit; sed hæc est necessitas ex suppositione, vt supra diximus; ergo semel posito, quòd Deus voluerit creaturas futuras, & existentes, vult illas necessariò ex suppositione. Ant. patet *ex dictis q.* 2. *art.* 4. Prob. conf. In tantùm nostra voluntas vult necessariò ex suppositione, quòd velit v. g. scribere; in quantùm *res eo ipso, quòd est, necesse est esse*; & in tantùm non vult semper necessariò, supposito, quòd semel voluerit, in quantùm potest nolle, quod priùs nolebat; mutabilis enim est de vno actu in alium; quamuis dum vult, non possit simul nolle, quia nequit coniungere simul duo contraria; sed voluntas Dei nedum dum vult, nequit nolle, quia coniungeret duo contraria, verumetiam dum semel voluit, nequit postea nolle, quia mutaretur

tur de volitione in nolitionem; ergo Deus supposito, quòd semel voluerit creaturas futuras, & existẽtes, necessariò, & semper immutabiliter vult; immutabilis enim est.

13 Obijc. 2. Deus necessariò amat suam bonitatem, vt finem creaturarum; ergo necessariò amat creaturas, quæ sunt media ad illum finem. Prob. ant. Bonitas, vt finis creaturarum, est bonitas increata, quæ est ipse Deus; sed Deus necessariò amat suam bonitatem increatam, & se ipsum; ergo necessariò amat suam bonitatem, vt finem creaturarum. Prob. cons. nam media sunt correlatiua ad finem, & ideo amantur propter finem.

Resp. neg. ant. reduplicatiuè sumptum; sicuti enim creaturæ liberè sunt futuræ, & existentes, ita Deus liberè est finis illarum; & ideo solùm liberè amat se ipsum, vt finem creaturarum. Ad prob. dist. ma. Est bonitas increata absolutè, & secundùm se, neg; vt participabilis à creaturis, conc; & quia liberè, non necessariò est participabilis, ideo liberè, non necessariò, quatenus talis, amatur.

14 Obijc. 3. Deus necessariò amat sua decreta, vt libera sunt, quia necessariò amat se ipsum, & decreta sunt ipse Deus; ergo necessariò amat creaturas, quæ à decretis causantur. Tum quia Deus intelligendo se necessariò intelligit creaturas; ergo amando se necessariò amat creaturas.

Resp. neg. ant. Ad prob. infert. dist. Necessariò amat se ipsum, & omnia, quæ sunt in illo absolutè, conc; prout participantur ad extra, neg. Ad 2. dist. ant. Necessariò intelligit creaturas futuras, & existẽtes ex suppositione, quòd sint, conc; absolutè, & simpliciter, neg; nam si Diuina voluntas decreuisset nullam condere creaturam, Deus nullam creaturam cognosceret futuram, aut existentem, aliter falsò cognosceret. Cur autem intelligendo se intelligat creaturas possibiles, & amando se non amet creaturas possibiles, inferiùs habebitur.

Inst. Deus necessariò diligit suam misericordiam, & liberalitatem; sed nequit esse misericors, & liberalis, nisi se communicet creaturis; ergo Deus necessariò diligit aliquas creaturas; sufficit enim ad hoc, vt liberè creaturas producat, quòd non sit determinatus ad producẽdas has determinatè, sed tantùm has, vel illas.

Resp. dist. ma. Deus necessariò diligit suã misericordiam, vt virtute potentem se communicare creaturis, conc; vt actu se communicantem, neg; & eodem modo dist. mi. Ad id, quod additur, dicitur, quòd nedum est liber distributiuè ad has, vel illas, sed etiã collectiuè.

Obijc. 4. *Ex Io. à S. Tho.* Necessitas specificationis oritur ex perfectione libertatis, seu voluntatis, quæ, vtpotè rectissima, nequit rendere, nisi in bonum; & ideo voluntas Dei, & Beatorum, quæ necessitatur ad tendendum solùm in bonum, est perfectior voluntate *Viatorum*, quæ potest tendere in bonum, & malum; ergo necessitas specificationis respectu bonitatis creatæ est ponenda in Deo; in quo ponitur omnis perfectio.

Resp. hoc arg. probare etiam in Deo necessitatem exercitij; quia hæc in Deo, & Beatis dicit maiorem perfectionem, quàm exercitium liberum *Viatorum*. Dist. ergo ant. Necessitas specificationis erga obiectum primarium, conc; erga obiectum secundarium, neg. Vel neg. supp; nam ab obiecto secundario nulla potest sumi specificatio, quæ sumitur solùm ab obiecto primario, vt supra dictum est.

16 Obijc. 5. cont. 2. part. concl. In tantùm Deus amat creaturas, in quantùm illis communicat suam bonitatẽ; sed creaturis futuris Deus nullam communicat bonitatem, quia eis non communicat existentiam, quæ est bonitas formalis; ergo non amat creaturas futuras.

Resp. dist. ma. In quantùm communicat bonitatem ordine intentionis, vel executionis, conc; & in hoc sensu neg. mi; nam futuris communicat existentiam ordine intentionis suo tempore statuto habendam. Ordine solùm executionis, neg.

ART. IV.

An Deus moraliter obligetur ad creandas creaturas perfectiores?

1 Errum est apud omnes Deum non obligari, seu necessitari physicè ad producẽdas creaturas perfectiores; aliter Deus esset agens ex necessitate naturæ, non ex libertate; quod est falsum apud omnes; nam vt docet *B. Doct. in 1. dist. 43. princ. 2. q. 1*; Deus est primum ordinans, primum conseruans, primum producens, & primum conuertens ad se, tanquam ad vltimum finem; ergo non est agens ex necessitate, quia agens ex necessitate mouet, vt motum ab alio; & agẽs, vt motum ab alio, agit, vt determinatum ad illam actionem, ad quam mouetur; sed agenti primo repugnat agere, vt motum ab alio, aliter non esset primum; ergo ei repugnat agere ex necessitate naturæ.

2 Difficultas igitur est de necessitate morali; qua quis tenetur ex motiuis, circunstantijs, causarum propensione, & exigentia operis ita agere, vt prudentum existimatione iudicetur talis effectus futurus, vtpotè decentior gloriæ, & dignitati agentis; ex quibus operatio agentis sumit suam laudabilitatem.

3 Prima sententia vult dari in Deo aliquos actus, qui non sunt laudabiles, & honesti moraliter. Refertur *à nostro Gibbon Arriag; & alij* suppresso nomine; & consequenter hæc sententia substinet Deum non obligari moraliter ad producendas creaturas perfectiores; quia obligatio moralis est tantùm ad actus laudabiles.

Secunda senten:ia vult Deum moraliter te-

teneri ad eligendas creaturas perfectiores, & & ideo elegisse Incarnationem, prædestinationem, creationem Mundi; quæ sunt bona extrema. *Ita Ruiz hic disp.9;& 10; Granad.ibid.disp. 3;* qui ait Deum non fore Deum, si eligeret minus bonum.

Tertia sentẽtia vult Deum moraliter non obligari ad producẽdas creaturas perfectiores. *Ita Sua.3.p.To.1. disp.4.sect.3. in fine;Vasq;& alij apud Alarc. disp.3.c.7.*

Quarta sententia docet Deum obligari ad eligendum perfectius quantùm ad ordinationem rerum in finem, non verò quantùm ad res ordinatas. *Ita Fundatiss.Doct.in 1.dist.44.princ. 1.q.2;Arg.dist.43. art.3;Ger;Gibbon hic disp.32. dub. 1: & 2; & omnes alij ex nostra Schola; pro cuius explic.*

4 Not.*ex B.Doct.ubi sup;*quòd alia est bonitas totius,alia est bonitas partiũ. Bonitas totius sumitur ex ordine, quẽ habẽt partes in toto ad primũ principiũ,à quo sunt, & ad vltimum finẽ, ad quem ordinantur. Bonitas partium sumitur ex ipsa intrinseca perfectione rei. Hinc potest esse aliqua creatura in vniuerso imperfectior, seu inæqualis alteri in perfectione, quæ tamen, si tolleretur, imperficeret vniuersum. Dat exẽplum *B.Doct.* de Instrumento Musico; Mundus enim se habet velut organum Dei. Igitur sicuti chorda,quę reddit sonum acutiorem,perfectior est, quàm illa,quæ reddit sonum obtusum; attamen si tolleretur chorda reddens sonum obtusum,& loco illius poneretur alia perfectior reddens sonum æquè acutum, poneretur vtique chorda magis perfecta, sed tolleretur perfectio Instrumenti, quia tolleretur armonia, quam formant cordæ inæquales, & quam non formarent vnisonę; vnde potest stare cum minori perfectione aliquarum partium inter se considerataram maior perfectio totius, quæ non staret cum maiori perfectione partium.Ita licèt Vniuersum constet ex partibus inęqualiter perfectis, loco quarum potest Deus ponere alias creaturas in infinitum perfectiores; attamen ordo, quem dicunt tales partes in toto,est perfectior, quàm si ponerentur creaturæ perfectiores. *Hoc not.*

5 Vnica concl. Deus non obligatur moraliter ad creandas creaturas perfectiores quantùm ad ipsas res ordinatas, bene tamen quãtùm ad ipsam ordinationem;& ex hoc consurgit laudabilitas,& honestas moralis actionum Dei.

Prob. 1. pars concl.*ex Beatiss. P. lib. de Symb. ad Catheeum.c.4;* vbi probat Deum esse omnipotentem, quia continet omnia his verbis; *An non est omnipotens, qui continet omnia?* Sed omnia, quæ continet, sunt infinita; sunt enim creaturæ possibiles; & infinitum est illud, quod nequit exhauriri per quodcunque perfectius, & perfectius in infinitum; ergo Deus non obligatur moraliter ad producendas creaturas perfectiores quantùm ad ipsas res ordinatas.

Formatur autem sic hæc ratio. Deus in agendo est infinitè perfectus;ergo nequit moraliter obligari ad creandas creaturas perfectiores. Ant. patet; quia agere sequitur ad esse; sed Deus in essendo est infinitè perfectus; ergo & in agendo. Prob. cons. Virtus infinitè perfecta in agendo nequit determinari ad productionem effectuum ita perfectorum, vt vltra illos non possit producere perfectiores in infinitum, aliter esset finita; quia hoc modo determinari, & finiri idem est; sed si Deus moraliter obligaretur ad creandas creaturas perfectiores, determinaretur ad productionem effectuum ita perfectorum, vt vltra illos non posset producere perfectiores in infinitum;ergo nequit moraliter obligari ad creandas creaturas perfectiores. *Vid.To.1.de Infin.Dei art.1.§.2.*

6 Conf. Incarnatio *per Aduersarios* est maximum bonum; sed Deus moraliter obligatus non fuit ad decernendam Incarnationem, aliter Incarnatio nõ fuisset opus misericordię,& gratię suę,sed necessitatis;quod est *cont.1.Pet.1.Qui secũdùm misericordiã suã magnã regenerauit nos in spem viuam.*Tum quia si non fuisset peccatum, Verbum non fuisset incarnatum,vt fatentur *Aduersarij*. Tum quia Incarnatio Spiritus Sancti, quam concedunt possibilem, fuisset melius bonum,quàm eius carẽtia; & tamen de facto Deus noluit Incarnationem Spiritus Sãcti; ergo Deus non obligatur moraliter ad eligendum id,quod est melius quoad res ordinatas.

7 Prob. 2. Deus erga creaturas non habet nisi actum electionis, quæ essentialiter est circa media, sicut intentio solùm est circa finem; hinc dicitur *Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem &c;* sed electio est essentialiter libera ita,vt nec physicè, nec moraliter possit necessitari; quia Deus, sicut elegit has creaturas, quas creauit, ita poterat eligere illas, quas reliquit;ergo non obligatur moraliter ad eligendas creaturas perfectiores.

8 Prob. 3. Si Deus moraliter obligaretur ad creandas creaturas perfectiores,vel hoc esset in eadem specie infima;vel in specie subalterna; vel in genere supremo? Non primum; quia experientia docet aliqua indiuidua esse imperfectiora alijs indiuiduis accidẽtaliter; vnus enim homo habet maius ingenium,& dotes naturales perfectiores,quã alius;& sic si Deus obligaretur ad creanda indiuidua perfectiora, non creasset imperfectiora. Neque secundum;aliter creasset solas species perfectiores, quæ continentur sub genere v.g.animalis, non autem species infimas, quæ sunt imperfectiores, vt muscæ, pulices, &c. Neque tertium; aliter creasset solos Angelos, qui sunt perfectiores in genere substantiæ; imò creasset solos Angelos supremos, non infimos.

9 Dices Deum obligari etiam ad creandas crea-

creaturas perfectiores, non ad ſolas perfectiores creandas; pulcritudo enim vniuerſi exigit, vt in ipſo ſint creaturæ perfectiores admixtæ cum imperfectioribus.

Reſp. pulcritudinem vniuerſi coaleſcere ex ordine, quem habẽt partes ipſius; ſed ordo deſumitur à principio ordinante, & à fine, in quem res ordinantur; ergo Deus moraliter non obligatur ad producendas creaturas perfectiores; ab ipſis enim non ſumitur ordo, qui eſt ab ordinãte, non à rebus ordinatis. Neg. autem, quòd pulcritudo vniuerſi exigat in ipſo eſſe creaturas perfectiores, quibus non poſſint dari aliæ perfectiores; hoc enim deſtruit infinitatem potentiæ Dei. Sufficit ergo, quòd in ipſo ſint creaturæ inæqualiter perfectæ; imò etianſi eſſent æqualiter perfectę, ita potuiſſent inter ſe ordinari, vt ex ipſa ordinatione pulcritudo mirabilis conſurgeret; vt homines, licèt ſint eiuſdem perfectionis naturalis ſubſtantialis ſpecificę, attamen quia eorum aliqui ordinantur ad gloriam per martyrium, alij per pænitentiam, alij per virginitatem, ideo ex ipſis conſurgit pulcritudo mirabilis vniuerſitatis ipſorum. Ita à pari.

10 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. 3. de lib. arb. c. 5.* docente: *In ordine corporearum creaturarum ab ipſis ſyderum Choris vſque ad numerum capillorũ noſtrorũ ita gradatim bonarũ rerũ pulcritudo contexitur. Et lib. 26. cont. Fauſt. c. 3.* dicens: *Deus creator, & cõditor omnium noſtrum nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ipſe fecerit, à quo eſt omnis modus naturæ, & ordo.* Et *lib. de Nat: Boni c. 2, & 3*; vbi docet omnes res eſſe bonas, quia in ipſis eſt modus, ſpecies, & ordo; ſeu numerus, pondus, & menſura; vt diximus *To. 1. de Bonit. Dei art. 1. n. 2*; ait autem: *Deum colimus à quo omnia bona ſunt; à quo omnis modus, ſiue magnus, ſiue paruus; à quo omnis ordo, ſiue magnus, ſiue paruus. Omnia enim quantò magis moderata, ſpecioſa, ordinata ſunt, tantò magis vtique bona ſunt; quantò autem minùs moderata, minùs ſpecioſa, minùs ordinata ſunt, minùs bona ſunt.*

Ex his arguitur ſic. Quodlibet agens in agendo tenetur nedum moraliter, ſed etiam phyſicè ſeruare ſuum modum proprium agẽdi; ſed modus agendi Dei eſt perfectiſſimus; ergo Deus in agendo nedum moraliter, ſed etiam phyſicè tenetur ſeruare modum perfectiſſimum. Ma. patet; quia *Modus operandi ſequitur modum eſſendi*; vnde ſicuti agens determinatur naturaliter ad tale eſſe, ita naturaliter determinatur ad talem modum agendi; & ideo naturaliter tenetur ſeruare talem modum agendi. Mi. etiam conſtat; quia Deus eſt perfectiſſimum agens; ergo ei competit modus perfectiſſimus agendi. Sed ex modo agendi ipſius Dei deriuatur perfectio ordinis in creaturas; ergo Deus nedum moraliter, ſed etiam phyſicè obligatur ad producendas creaturas perfectiſſimas quantùm ad ordinationem ipſarum.

11 Explic. magis *à Fundatiſſ. Doct.* Modus agendi ipſius Dei eſt per intellectum, & voluntatem; ſed modus agendi per intellectum, & voluntatem eſt per ordinationem rerum in finem; ergo modus agendi ipſius Dei eſt per ordinationem creaturarum in finem; ſed Deus non ordinat creaturas in finem niſi ſub ordine perfectiſſimo ſuæ prouidentiæ; quodcunque enim agens per intellectum, & voluntatem agit iuxta dictamen rationis, & regulam ſuæ prouidentiæ; ergo Deus tenetur producere creaturas perfectiores quantùm ad ordinationem earum habitam à ſua rectiſſima prouidentia.

12 Conf. Ordo creaturarum eſt perfectiſſimus tum ex parte principij ordinantis, quod eſt ſumma Dei ſapientia; tum ex parte finis, ad quẽ dirigitur; qui eſt vel ſumma bonitas Dei communicanda creaturis, vel iuſtitia manifeſtanda; ergo Deus quantùm ad ordinem tenetur producere creaturas perfectiores.

13 Ex hoc habetur quòd alius ordo, quicunque, quem Deus dediſſet rebus, fuiſſet ſemper perfectiſſimus; quia fuiſſet iuxta dictamen Sapiẽtiæ perfectiſſimæ, & rectiſſimæ prouidẽtię. Hinc *Beatiſſ. P. 3. de lib. arb. apud noſtrum Gibbon* ait: *Multa Deus decernit, & congruenter facit; quæ vel ſi omitteret, vel non faceret, decentiſſimè, & congruentiſſimè faceret.*

14 Quòd tandem Deus ex hoc ſit ſummè laudabilis, habet *Beatiſſ. P.* tum *lib. 3. de lib. arb. c. 5*; vbi probat eſſe laudabilem, etianſi producat creaturas rationales, quæ deficiunt peccando; illas enim ordinat in pænam, quod eſt bonum iuſtitiæ; tum *in pſ. 144*; vbi ait: *Laudabilis eſt valde, & magnitudinis eius non eſt finis. Ideo dixit valde, quia magnitudinis eius non eſt finis; ne fortè incipias laudare, & putes te laudando poſſe finire, cuius magnitudo finem non poteſt habere.* Et colligitur etiam hæc doctrina *ex pſ. 145; 146; 147; 148; & 150*; qui *pſalmi* inſtituti ſunt in laudem actionum Dei; ſup. quos videatur *Beatiſſ. P.*

15 Et prob. Ille actus eſt laudabilis, & honeſtus, qui eſt conformis dictamini rectæ rationis, & ordinatur in bonum finẽ; ſed omnis actio Dei eſt conformis dictamini æternę rationis, ſeu ſummę ſapientię, & ordinatur ad ſuam ſummam bonitatem; ergo omnis actio Dei eſt ſummè laudabilis, & ſummè honeſta. Tum quia omnis actio Dei eſt in ordine ad aliquod, quod eſt perfectiſſimũ quoad ordinationẽ ſuæ ſummę ſapiẽtiæ, & rectiſſimæ prouidentiæ; ergo eſt ſummè laudabilis, & honeſta moraliter; laudabilitas enim, & honeſtas moralis ſumitur à fine, & obiecto bono ſecundùm ſe, & ex ſuo genere; vt dicitur *in 2. ſent. de Act. Hum.*

16 Obijc. 1. *Beatiſſ. P. lib. 3. de lib. arb. c. 5.* ait: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, ſcias feciſſe Deum, tanquam bonorum omnium* con-

conditorem. Præterea docet *in lib. de Trin*; quòd si Deus Pater potuisset genuisse meliorē Filium, & non genuisset, fuisset inuidus; ergo si potuisset facere creaturas perfectiores, & non fecisset, fuisset inuidus. *Et lib.4.de Gen.ad li.c.16.* ait: *Bona facere si non posset, nulla esset potentia; si autem posset, & non fecisset, magna esset inuidia.*

Resp. ad 1. loqui de bonitate quantùm ad ordinationem totius, non verò quantùm ad res ordinatas, vt supra ostensum est. Ad 2. neg. cons. quia Filio debetur naturaliter omnis bonitas; creaturis autem liberè, & iuxta exigentiam suæ naturæ; quæ non exigit habere nisi perfectionē sibi congruētem. Vel resp. sicut ad 1. Ad 3. dicitur, quòd nihil aliud intendit, quàm Deum nobis visurum fuisse inuidum, si nō communicasset sua bona, non tamen si non fecisset maiora bona; quamuis in re nulla fuisset inuidia; quia inuidia propriè est de bono, quod nō possidetur.

17 Obijc.2. Deus tenetur eligere id, quod est decentius suæ gloriæ, & suæ bonitati; sed eligere creaturas perfectiores est decentius suæ gloriæ, & suæ bonitati; quia sicut bonitas creaturæ arguit gloriam, & bonitatem Dei; ita maior bonitas arguit maiorem gloriam, & bonitatem Dei; ergo tenetur eligere creaturas perfectiores. Prob. ma. Si homo se diligeret summè efficaciter, vellet efficaciter ea, quæ sunt sibi meliora; ergo à pari.

Resp. 1; quòd Deus nō glorificatur à creatura, quia incapax est recipiendi gloriam ab extrinseco; sed ipse glorificat creaturas. 2. Dist. mi. Eligere creaturas perfectiores quoad ordinationem, conc; quoad res ordinatas, neg; aliquando enim mirabile artificium rei vilis magis cōmēdat sapientiā Artificis; Ad prob. neg. cons; nā homo habet suam bonitatē ab extrinseco, quod sibi vult; hoc autem repugnat Deo.

18 Obijc. 3. Maior est effectus Patris cælestis erga suos Filios adoptiuos, quàm Parentum carnalium erga suos Filios naturales iuxta illud *Luc.11. Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare Filijs vestris; quantò magis Pater vester de Cælo dabit Spiritum bonum petentibus se*; sed Parentes moraliter tenentur meliùs prouidere suis Filijs; ergo Pater cælestis moraliter tenetur velle meliora media suis Filijs indigentibus, & petentibus.

Resp. dist. ma. Maior est affectus Patris cælestis supposito decreto electiuo ad filiationem adoptiuam, conc; absolutè, seu præciso decreto, vt *hic* loquimur, neg. Et sic intelliguntur auctoritates SS; quando asserunt Deum non posse negare præmium in alia vita, aliter non esset Deus; si enim negaret præmium iustis, quos per decretum semel elegit ad præmium, iam mutaretur; & sic nō esset Deus; quia Deus immutabilis est. Ad mi. dicitur, quòd sicuti Pater carnalis, antequam habeat Filios, & antequam statuat habere Filios, non tenetur illis prouidere; sed solùm cùm illos actu habet; ita Deus, antequam decernat sibi aliquos in Filios, non tenetur illis velle meliora media; & postquam illos habet, tenetur velle media meliora quantùm ad ordinationem suæ prouidentiæ, quæ voluit aliquos habere maiora, & alios minora merita, vt ex hac varietate consurgeret mirabilis pulcritudo vniuersi; aliter Beata Virgo, & omnes Beati essēt æquales in gloria; quod est contra Fidem.

19 Obijc.4. Bonum est sui diffusiuum, idēst habet naturalem inclinationem ad se communicandum; ergo infinitum, & summum bonum habet summam inclinationem ad se communicandum; quod nequit esse, nisi producēdo creaturas præstantiores. Tum quia quantò magis est perfectus effectus, tantò maior est delectatio causæ in productione illius; sed volūtas Dei nequit carere maiori delectatione; ergo tenetur producere perfectiores creaturas. Tum quia si homo ex duobus bonis inæqualibus eligeret minus, imperfectè ageret in genere moris; ergo à pari.

Resp. ad arg. dist. cons. Summum bonum habet naturalem inclinationem ad se communicandum ad intra Diuinis Personis procedentibus, conc; ad extra creaturis, neg; communicat enim se creaturis non ex inclinatione naturali, sed ex sua libertate; aliter ageret ex necessitate, non liberè. Vnde omnia hæc probant Deum esse agens ex necessitate physica, non solùm moraliquod est contra Fidem. Ad 2. neg. supp; nam voluntas Dei incapax est delectationis extra se; dicitur autem delectari creaturis effectiuè, quatenus facit creaturas delectari sua Diuina bonitate, sicut dicitur sanctificari &c. Ad 3. neg. cons; nam homo recipit suam bonitatem ab actu, & actus illam recipit ab obiecto; ideo eligēs obiectum minùs bonum, minorem recipit bonitatē, & ideo imperfectè operatur. At verò Deus non recipit bonitatem à creaturis, ideo quantumuis eligat meliores, non est melior; nec quantumuis minores producat, est minor.

20 Obijc.5. Deus saltem moraliter tenetur conferre ea, quę exigunt naturæ rerum; ergo saltem supposito, quòd Deus decreuerit creare aliquam creaturam, tenetur illi conferre proprietates, concursum generalem, & omnia, quæ illi naturaliter debētur, aliter non possemus habere euidētiam de rebus naturalibus v.g; quòd ignis calefaciat, cælum moueatur &c. Tum quia debitum connaturalitatis maiorem infert necessitatem, quàm congruitatis; sed debitum congruitatis infert necessitatem moralem; quapropter Deus tenetur moraliter debito congruitatis conseruari ab omni peccato *B.Virginem*; ergo debitum connaturalitatis infert necessitatem physicam.

Resp. Ommissis responsionibus aliquorum concedentium in Deo necessitatem moralem, non physicam, vel aliorum negantium nedum ne-

necessitatem physicam; sed etiam moralem,dist. aut.Deus tenetur conferre ea, quæ exigunt naturæ rerum ex vi decreti, quo Deus voluit illa conferre,conc;absolutè,& præcisò decreto,neg; nam vt docet *Beatiss.P.cont.Faust.vbi sup:Id erit cuique rei naturale,quod ipse fecerit,à quo est omnis modus naturæ,& ordo;*vnde si Deus dedisset rebus alium ordinem,vel alium modum essendi, ille esset eis naturalis ; & ille deberetur, & exigeretur ab earum naturis;vnde debitū ,seu exigentia naturæ est ab ipso decreto Dei ; & ideo talis necessitas non est, nisi ex suppositione decreti ipsius Dei, non absolutè.

21 Obijc.6.Arriag.cont.vlt. part. concl. Si voluntas hominis esset determinata ad bonum ita, vt ab eo cessare non posset,non esset laudabilis iuxta illud *Eccli.31.Qui potuit trāsgredi,& non est transgressus*; sed voluntas Dei est omnino determinata ad bonum ; ergo nullam habet laudabilitatem.

Resp.dist.m.i.Est determinata ex electione, conc;naturaliter,neg;ita enim creat, vt potuerit non creare. Præterea ex alio capite sumitur laudabilitas operis creaturæ; nam ideo creatura est laudabilis nedum, quia eligit opera referendo in Deum,tanquam in vltimum finem; quorum tamen omissio peccatum non est;vt in operibus consilij; sed etiam quia facit opera, quorum omissio peccatum est;quia sunt præcepta.At verò actiones Dei sunt laudabiles solùm primo modo, scilicet quatenus liberè fiunt à Deo referente illas in se ipsum tanquam in vltimum finem;quorum tamen negatio,quia æquè referretur in se ipsum tanquam in vltimum finem, à quo moueretur ad negationem illarum , esset æquè laudabilis.

22 Obijc. 7. Maior laudabilitas actionum Dei sumitur ex maiori præstantia obiectorum ; ergo ex infima creatura , quam potuit Deus creare, nulla sumitur laudabilitas ; & ideo non repugnat in Deo actus expers laudabilitatis . Tum quia potuit Deus nihil creare ; ergo talis actus nullam haberet laudabilitatem , quia nihilum , quod esset obiectum talis actus , nullam habet honestatem . Tum quia amor , quo Deus amat se ipsum , nullam habet honestatem moralem.

Resp.ad arg.neg. ant; sumitur enim laudabilitas actionum Dei ex ordinatione creaturarum ad vltimum finem;ideo etiam in productione infimæ creaturæ, quia fuisset ordinata ad vltimum finem, daretur laudabilitas; quicquid sit, an Deus possit illam creare, vel non creare ; de quo alibi . Ad 2.iam dictum est, quòd actio voluntatis,qua Deus decreuisset nihil creare, fuisset liberè relata in finem , à quo mota voluntas Dei fuisset summè laudabilis . Ad 3. dicitur, quòd etsi concedatur actum amoris , quo Deus amat se ipsum , nullam habere honestatem , & laudabilitatem moralem , negatur tamen actiones Dei erga creaturas non esse moraliter honestas,& laudabiles;nam libertas est veluti constitutiuum, vel fundamentum, vel conditio moralitatis;hinc actiones Brutorum non sunt honestæ, & laudabiles moraliter ; & ideo cùm actiones Dei erga creaturas sint liberæ, & relatæ in finem optimum,sunt etiam honestæ, & laudabiles moraliter.

A R T. V.

An Deus amet creaturas possibiles ?

1 Sermo est de creaturis possibilibus secūdùm esse, quod possunt habere extra Deum; nam secūdùm esse, quod habent in Deo, cùm sint ipsum esse Dei, quod est omne esse,nō possunt non amari.

3 Distinguūt *Auctores* amorem in efficacē, & inefficacē . Efficax est ille,qui est productiuus rei amatæ; & de hoc non loquimur; nam quærimus solùm de creaturis possibilibus, quæ nec producuntur, nec vnquam producentur; in hoc enim consistit pura possibilitas creaturarū,prout distinguitur à futuritone , & actuali existentia. Inefficax est simplex complacentia rei præscindens à productione illius ; & de hoc procedit difficultas.

3 Prima sententia vult Deum amare creaturas possibiles amore quodam inefficaci complacentiæ simplicis, quo illi placet bonitas possibilis . Refertur *Scot. in 3.dist.34.q.1; Vasq.hic disp.79.c.2;Arrub;Heric; Fasol;Gran;Bec; Alarc; Hurtad; Machin; Amic; & ex nostris Basil. q.6. Scholast.c.7; & 12; & Gibbon hic disp.30. dub.1; & alij.*Sed diuisi sunt; nam *Scot.*vult Deum illas amare necessariò.

Secunda sententia docet Deum nullo modo illas amare.Colligitur *ex Fundatiss.Doct.lib. de Caus.prop.21;& Quodl.6.q.6;& in 1.dist.10. q.2.princ.1;& alibi.* Hanc sententiā sequūtur *ex nostris Aegid.Lusit;Albiz,Gamboa,& ferè omnes alij.*Ex exteris verò *Capr;Ferr; Caiet; Ban;Zum; Nauarr;Gonzal; Naz; Godoy, Gonet, Salm; Sua; Mol;Val;* & omnes alij communiter.

4 Ratio dubitandi sumitur ex duobus. Primum est.Ens,& bonum conuertuntur, sed creaturæ possibiles sunt entia ; ergo sunt bonæ ; sed omne bonum amatur à Deo;ergo creaturæ possibiles amantur à Deo. Secundum est. Voluntas Dei positiuè versatur circa creaturas possibiles, quia vult eas non esse per actum positiuum , vt *inf.*videb; sed actus positiuus voluntatis Diuinæ est amor ; ergo Deus inefficaciter amat creaturas possibiles.

5 Hæc controuersia orta est ex duplici æquiuocatione; quarum prima est de esse creaturarū possibilium;imaginantur enim esse aliquid extra Deum;quod tamen falsum est,quia effectus in sua causa nullum aliud esse habet, quàm esse ipsius causæ, à qua non extrahitur nisi per actualem productionem.Esse igitur causæ,si cōsidere-

tur, non absolutè, & in se, sed relatiuè, quatenus participabile ad extra, est esse ipsius effectus, antequam producatur. Ideo esse creaturarũ possibilium nihil aliud est, quàm esse ipsius Dei, non quidem absolutè, & secundùm se, sed prout ad extra producibile; ex quo clarè sequitur Deum in creaturis possibilibus nihil amare extra se, quia nullum esse omnino important extra Deũ, sed purum modum relatiuum, qui dicitur relatio, sed non est relatio, vt diximus *To. 1. de Omnipot. Dei art. 4.* Secunda æquiuocatio est de actu voluntatis; imaginantur enim omnem actum positiuum voluntatis esse actum amoris, vel complacentię, quod tamen falsum est, quia actus positiuus, quo positiuè vult non peccare, non est actus amoris peccati, neque actus complacentię de peccato, vt patet; ergo ex eo, quòd Deus positiuè velit non creare creaturas possibiles, non deducitur, quòd ille actus sit amor, vel complacentia de illis. Et quanuis Deus complaceat de illo actu, qui infinitè bonus est; non tamen sequitur, quòd complaceat de obiecto illius actus, sicut quando pænitens gaudet de actu detestatiuo peccati, non sequitur, quòd gaudeat de peccato.

6 Igitur explicandum est circa primum, quomodò creaturæ possibiles extra Deum dicantur entia, & quomodò illis conueniat bonitas, cùm bonum, & ens conuertantur, ex quo patebit, quomodò possint cognosci, & non amari; & quomodò Verbum Diuinum procedat ex cognitione illarum, nõ verò Spiritus Sanctus ex earum amore? Si enim nullam habent entitatem extra Deũ, videtur, quòd nõ possint cognosci, cognoscibilitas enim sequitur ad ens. Et si aliquam habent entitatem, videtur, quòd habeant bonitatem, quia bonitas est passio entis.

7 *Platonici*, vt refert *Fundatiss. Doct. lib. de Caus. prop. 21*; asserebant bonum latiùs patere, quàm ens; volebant enim bonitatem nedum cõpetere rebus existentibus, sed etiam rebus non existentibus, quæ tamen possunt existere; quia nedum bonum est esse actu sanum, sed etiam bonum est posse sanari; at verò entitatē competere solùm rebus actu existentibus; quia entitas sumitur ab esse, quod idem est, ac existere.

8 Ceterùm dicendum, quòd denominatio, vt communiter dicitur, alia est extrinseca, quæ habetur à forma extrinseca; vt paries dicitur visus à visione, quæ non est in pariete, sed in videnre; cibus sanus à sanitate, quæ est in animali, non in cibo; alia intrinseca, quæ habetur à forma intrinseca; vt paries albus, animal sanum. Creatura ergo producibilis extra Deum denominatum ens extrinsecè, non per aliquam entitatem, quæ sit extra Deum, sed per esse, quod est in Deo; & ideo dicitur ens tantùm nominale, quia habet in se puram denominationem sine forma denominante. Sic dicitur bonum nominale, quia habet denominationem bonitatis sine bonitate formali, quæ est forma denominans. Vnde sicut ens nominaliter, seu denominatiuè sumptum conuertitur cum bono nominali, seu denominatiuè sumpto; ita ens formale, seu actuale conuertitur cum bonitate formali, seu actuali.

9 Quare autem ens nominale, seu denominatiuè sumptum possit actu à Deo cognosci, bonum autem nominale non possit amari, habetur ex diuersitate essendi ipsius veritatis, & bonitatis formalis; nam *per Phil. Bonitas est in rebus, veritas autem in intellectu*; quapropter aurũ dicitur verum per veritatem formalem existētem in intellectu; dicitur antem bonum per entitatē actualem existentem in se ipso. Hinc dicitur, quòd *voluntas trahitur à rebus, & intellectus trahit res ad se*; quia veritas formalis, quæ est causa formalis cognoscendi, existit in intellectu, & per adæquationem veritatis res dicitur vera, & est cognoscibilis, ideo quanuis res in se ipsa non habeat veritatem formalem, attamen potest cognosci, quia veritas formalis, quæ est ratio cognoscendi, existit in intellectu; at verò bonitas formalis, quæ est causa amandi, existit in ipsis rebus; ideo si res in se ipsa non sit formaliter bona, nequit amari; aliter amaretur sine ratione formali amandi, quod implicat; sicut implicat, quòd cognoscatur sine ratione formali cognoscendi. Quanuis igitur creatura possibilis non sit formaliter ens extra Deum, sed solùm denominatiuè extrinsecè per ordinem ad entitatem, quę existit in Deo, attamen quia in intellectu Diuino est ratio formalis cognoscendi, ideo potest cognosci; at verò quia non est formaliter bona, in se ipsa, ideo nequit amari. *His not.*

10 Vnica concl. Deus nullo modo amat creaturas possibiles.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 8*; vbi docet: *Duo quippe sunt, propter quæ amat Deus creaturam suam; vt sit, & vt maneat. Et de Cog. veræ vitæ c. 16*; vt diximus *in sup. art. Deus per dilectionem cunctis esse, vel viuere tribuit.*

Ex quibus sic. 1. Deus non amat creaturas nisi, vt existant, & perseuerent in esse; sed creaturę possibiles, vt possibiles sunt, neque existunt, neque existent, & per consequens non perseuerabunt in existentia; quia perseuerantia in esse, cũ sit duratio ipsius, sequitur ad esse; ergo Deus non amat creaturas possibiles. Ma. expresse traditur *à Beatiss. P.*; & prob. Nulla voluntas potest amare aliquod obiectum sine ratione formali amandi, implicat enim, quòd agens agat sine ratione formali agendi; sed ratio formalis amãdi est sola existentia, seu perseuerantia in existētia; quia ratio formalis amandi est bonitas formalis, sicut ratio formalis intelligendi est veritas formalis; & bonitas formalis sumitur ab actu, nam bonitas, & perfectio idem sunt, & *perfectio sumitur ab actu per Phil*; tum quia sicut *Malum, & error contingunt in rebus propter potentialitatem*; vt docet *idem Phil*; ita Bonum formale, &

& Verum, quæ opponuntur malo, & errori, sumuntur ab actualitate rei, quæ opponitur potẽtialitati; *Oppositorum enim sunt opposita differentiæ*; aliter non essent opposita; actus autem rei est existentia, quæ definitur *actus, per quem res constituitur à parte rei extra suas causas*; ergo nulla voluntas potest amare aliquod obiectum, quod non habebit existentiam; sed creaturæ possibiles nunquam habebunt existentiam; ergo Deus nequit illas amare.

11 Conf. 1. In hoc distinguitur amor effectiuus ab amore simpliciter affectiuo, qui dicitur simplicis complacentiæ, quòd ille est de bono, quod producit, & iste est de bono iam producto, de quo sibi complacet; vt mater complacet sibi de filio iam genito, non autem dicitur complacere de filio, quem non habet; sic auarus complacet sibi de pecunijs, quas possidet; de pecunijs autem, quas non habet, habet desiderium, non complacentiam; quanuis enim possit sibi complacere de illo actu desiderij, quẽ habet, non tamen complacet sibi de pecunijs, quas suspirat; vt dictum est; sed creaturæ possibiles nec habent, nec habebunt esse; ergo Deus illas non amat nec amore effectiuo, nec affectiuo complacentiæ simplicis.

12 Conf. 2. *ex Beatiss. P.* qui *lib. de Doctr. Christ. c. 32.* ait: *In quantùm sumus, boni sumus*; sed creaturæ possibiles nec sunt, nec erunt; ergo non sunt bonæ; sed quod nõ est bonũ, non est amabile, quia amor habet pro obiecto bonum; ergo non amantur à Deo. Hanc rationem sic exponit *Fundatiss. Doct. in 1. dist. 34. q. 1. art. 4. §. Sed dices.*

13 Prob. 2. alia ratione eiusdem *Beatiss. P.* Amor Dei tribuit rebus esse, vel viuere; sed Deus non tribuit creaturis possibilibus esse, vel viuere; ergo nõ amat creaturas possibiles. Prob. ma. Amor vel supponit in obiecto bonitatem, de qua sibi complacet, vel illam causat; aliter tenderet in obiectum, quod non haberet bonitatem, & sic tẽderet extra suum specificatiuum, quod repugnat; sed amor Dei non supponit in rebus esse, vel viuere, à quo sumitur bonitas formalis; aliter creatura non haberet illud à Deo; ergo amor Dei tribuit rebus esse, vel viuere. Prob. mi. Tribuere rebus esse, vel viuere est eas producere sub esse actuali; sed Deus non producit creaturas possibiles sub esse actuale; ergo illis non tribuit esse, vel viuere.

14 Conf. 1. *ex Fundatiss. Doct. lib. de Caus. prop. 23.* Deus non amat creaturas nisi diffundendo in illas suam bonitatem; quia *bonum est diffusiuum sui*; diffundere autem suam bonitatem in aliquod est agere in illud; quia diffundere idem est, ac communicare, & communicare idem est, ac producere; sed in creaturas possibiles non diffundit suam bonitatem, quia nihil illis communicat, cùm nihil in illis producat; primum enim, quod produceret in illis, esset ipsum esse; ergo Deus non amat creaturas possibiles.

15 Conf. 2. *ex eodem ibid.* Amor Dei est fœcundissimus ad intra; spirat enim Spiritum Sanctum; ergo est fœcundissimus etiam ad extra; quia quod est tale in ordine ad se, est etiam tale in ordine ad aliud; sed esse fœcundum est esse operatiuum; ergo amor Dei est essentialiter operatiuus; atqui Deus nihil operatur in creaturis possibilibus; ergo illas non amat.

16 Dices *Beatiss. Patrẽ* loqui de amore efficaci, non de inefficaci, qui est amor complacentiæ simplicis.

Resp. 1. Loqui de amore Dei absolutè, & ideo merè volũtariè restringitur ad solum amorem effectiuum. 2. *Sup. Gen. vbi sup.* loquitur de amore, quo Deus sibi complacuit de creaturis, cùm *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; ergo apertè loquitur etiam de amore complacentiæ simplicis; propterea cùm dicit: *Vt sit*; loquitur de amore effectiuo, qui facit res esse; cùm autem subdit: *Et vt maneat*; loquitur de amore complacentiæ, qui est de obiecto iam producto; qui tamen amor etiã est operatiuus, quia est conseruatiuus. 3. Loquitur de amore, quo voluit omnes Angelos, & homines saluos fieri; quod explicatur per illud: *Spiritus Domini ferebatur super aquam*; idèst *amor Dei ferebatur super nutantem creaturam*, vt conseruaretur in bono; sed ille amor *per Aduersarios* erat inefficax; quia omnis creatura non est conseruata in ea bonitate, in qua condita erat; cecidit enim homo, & plures Angeli; ergo loquebatur etiam de amore inefficaci.

17 Prob. 3. *ex eodem Doct. Fundatiss. in 1. dist. 10. vbi sup. Amare ex Phil. est velle bonum* rei amatę; sed Deus nullum bonum vult creaturis possibilibus; ergo Deus non amat creaturas possibiles. Ma. patet; quia amor essentialiter ẽst actus voluntatis, qui dicitur velle, quod habet pro obiecto bonum; in hoc enim distinguitur ab odio, cui opponitur, quod est de malo. Mi. etiã constat; quia si Deus vellet bonum creaturis possibilibus, illud causaret in illis; voluntas enim Dei, cùm omnipotens sit, à nullo potest frustrari; vt ostendetur *in seq. q. ex Beatiss. P.*

18 Resp. *Gonet* has rationes non esse solidas, & efficaces; prima enim supponit falsum, vel dubium; falsum namq; est, quòd creaturæ possibiles omni careant bonitate; secunda verò, & tertia procedunt de amore effectiuo, quod concedunt *Aduersarij*; non tamen probant de amore simplicis complacentiæ.

Sed *iste Auctor* non percepit doctrinam *Beatiss. P.*; quem tamen sequi se profitetur; & magis ei arrisit doctrina *sui Magistri Godoy*, cuius rationes transcripsit ad verbum. Dicitur ergo, quòd prima ratio procedit de bonitate formali, qua certum est carere creaturas possibiles, sicut carent entitate formali, quanuis habeant bo-

bonitatem nominaliter,seu denominatiuè; quæ, vt dictum est, non est sufficiens motiuum amoris.Secunda autem,& tertia procedunt de amore, qui prout est effectiuus, producit rem in esse; & prout complacet, necessariò vel supponit bonitatem formalem in obiecto, de quo sibi complacet, vel illam conseruat, vt patet de amore Dei; ergo procedunt vniuersaliter de omni amore siue effectiuo, siue simplicis complacentiæ, qui est conseruatiuus, & ideo effectiuus.

19 Probat autem ipse *Gonet* duplici ratione. 1. Deus nequit diligere creaturas necessariò; quia potentia necessariò fertur solùm in suum specificatiuum; vt patet de potentia visiua, quæ licet necessariò tendat in coloratum, non tamen necessariò tẽdit in arborem, vel parietem; sed si diligeret creaturas possibiles, necessariò eas diligeret; ergo non amat creaturas possibiles. 2. Obiectum voluntatis est sola quiditas existens, vel dicens ordinem ad existentiam; nam quò perfectior est aliqua potentia, eò abstractius habet obiectum; sed intellectus est perfectior voluntate, & habet pro obiecto ens præscindens ab existẽtia; ergo voluntas,quę est imperfectior, habet pro obiecto solam quiditatem dicentem ordinem ad existentiam.

20 Sed prima ratio non conuincit; concedunt enim *Aduersarij* Deum diligere necessariò creaturas possibiles, sicuti illas necessariò cognoscit; non enim ratio adducitur *à Gonet*, quare illas possit cognoscere necessariò, & illas non possit amare necessariò amore inefficaci? Ad prob. dicitur falsum esse, quòd arbor,& paries, prout colorati, sint obiectum secundarium potentiæ visiuę;habent enim in se ipsis colorem formaliter, & ideo spectant ad obiectum primarium; quia tamen non habent in se omnem colorem, ideo non sunt obiectum adæquatum totale,sed inadæquatum partiale. Ratio ergo, cur potentia visiua non tendat necessariò in arborẽ, & parietem, est quia non est adæquatè comprehensiua omnis colorati; sicut ratio, cur intellectus creatus non cognoscat necessariò Cælum v.g; non est eo, quòd Cælum non pertineat ad obiectum primarium, sed quia intellectus, cùm non sit comprehensiuus,quem nihil latet videntem, ideo non extenditur necessariò ad omne cognoscibile. Sicut ergo intellectus Dei, quia est comprehensiuus, attamen necessariò extenditur etiam ad creaturas possibiles, quæ sunt obiectum secundarium ita, vt illas non possit non cognoscere; ita voluntas cùm sit adæquatiua omnis bonitatis, necessariò amat etiam bonitatem possibilem, licèt bonitas possibilis sit obiectum secundarium. Falsum igitur est manifestè, quòd potentia feratur necessariò solùm in obiectum specificatiuum; nam creaturæ possibiles citra controuersiã non sunt obiectũ specificatiuum intellectus Diuini, quia sunt obiectum secundarium illius; & tamen intellectus Dei illas necessariò cognoscit, vt omnes fatentur. Hæc ratio ergo, nisi meliùs explicetur,non probat. Secunda ratio supponit falsum, vel dubium; illa enim potentia, vt arguit *Fund. Doct. 3. lib.de anima*; est nobilior, quæ habet formale dominium, quàm illa, quæ habet munus Cõsiliarij, vt videmus de Rege,& eius Consiliario; sed voluntas habet dominium, & intellectus est eius Consiliarius; ergo voluntas est nobilior intellectu. Præterea falsum est intellectum esse abstractiorem voluntate; cùm enim abstractio sumatur per elongationem à materia, vt docet etiam *D.Tho, & ipse Gonet alibi*; ideo si istæ duę potentiæ sunt æquè immateriales, sunt etiam æquè abstractæ. Dimisso igitur *hoc Auctore*, qui debilitatem suæ doctrinæ non videns alienæ soliditatem redarguit.

21 Obijc. 1.*Beatiss.Doct.lib.11.de Ciu.c.21.* supra illud *Gen. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, ait: *Deus ergo vidit, quia bonum est, quod nisi vidisset, antequam fieret, non vtique fieret.* Et paulò post. *Sic ostendere voluit Artifici suo placuisse iam factum,quod placuerat in Arte faciendum*, sed creatura, antequã fieret, & in Arte erat merè possibilis;ergo creaturæ possibiles habent bonitatem, de qua sibi complacet Deus.

Resp. *Beatiss. Patrem* in illo capite, vt patet ex titulo, docere scientiam, & voluntatem Dei non fuisse mutatas ex eo, quòd in tempore viderit, & amauerit creaturas factas; quod probat ex eo; quòd illa viderit, & amauerit ab æterno, cùm decreuit illas facere in tempore; ex quo enim decreuit illas facere in tempore, vidit, & amauit illas,ptout existent in tempore, non enim Deus expectat illam differentiam tẽporis, in qua est creatura, vt illam cognoscat,& amet;sed cognoscit,& amat in se ipso,cũ decernit illi dare existentiam, & per consequens illi communicare suam bonitatem. Non tamen sequitur, quòd illam amet, priusquàm decernat illi communicare bonitatem; sicut non cognoscit,vt habituram existentiam in tempore,priusquàm decernat illam producere. Igitur neg.mi; antequam enim creatura fieret, erat futura in decreto Dei, & erat præsens in esse obiectiuo intellectui,& voluntati Diuinæ,& sic cognoscebatur, & amabatur,vt obiectiuè existens.

32 Inst. Creatura possibilis dicit ordinem ad existentiam actualem, quam potest habere; ergo ab isto ordine habet bonitatem sufficientem ad terminandum amorem Dei; sicuti enim creatura futura, quanuis non habeat existentiam actualem, attamen quia dicit ordinem ad illam, potest amari; ità à pari.

Resp. dist. ant. Dicit ordinem ad existentiam actualem indifferenter, conc; nam creatura possibilis est indifferens ad existentiam, & non existentiam; determinatè, vt dicit ordinem

dinem creatura futura, neq; per quod patet ad prob. conf.

23 Obijc. 2. Spiritus Sanctus procedit ex amore possibilium; ergo Deus amat creaturas possibiles. Prob. ant. Verbum procedit ex cognitione possibilium; ergo & Spiritus Sanctus ex illarum amore; aliter Spiritus Sanctus non diceret habitudinem ad illas, prout sunt in se ipsis extra Deum; sicut Verbum non diceret hanc habitudinem, nisi procederet ex cognitione illarum.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. conf; ad cuius prob. infert; dicitur Spiritum Sanctum non dicere habitudinem actualem ad creaturas possibiles, sed tantùm ad futuras, & existentes; quia istæ sunt amabiles, & ideo procedit ex earum amore; illę verò non habent bonitatẽ amabilem, vt dictum est; potuissent tamen habere, si voluntas Dei decreuisset illam eis communicare, & tunc processisset ex earum amore; sicut Verbum procedit ex cognitione possibilium, futurorum, & existentium, vt *suo loco* dicemus. Quare autem Verbum procedat ex cognitione possibilium, est; quia ad hoc, vt aliquod cognoscatur, non requiritur, quòd ratio formalis cognoscendi sit in re cognita, hæc enim est in potentia cognoscente; vnde etsi creaturæ possibiles non sint formaliter veræ, sicut non sunt formaliter entia; quia tamen in intellectu Dei est veritas formalis, quæ est ratio cognoscendi omnia, ideo cognitio, qua procedit Verbum, extenditur etiã ad creaturas possibiles. At verò ad hoc, vt aliquid ametur, requiritur, quòd bonitas formalis, quæ est ratio formalis amandi, sit in rebus; vnde cùm creaturæ possibiles careant bonitate formali, ideo nequeunt amari.

24 Inst. Intellectus, & voluntas sunt potentiæ æquè abstractæ, quia sunt æquè spirituales; sed intellectus intelligit possibilia; ergo voluntas amat possibilia. Tum quia *D. Dion.* 4. *de Diuin. Nomin.* ait bonum esse latius ente, quia extenditur etiam ad non entia; ergo voluntas est abstractior intellectu; sed oppositum sequeretur, si nõ amaret possibilia; ergo amat possibilia.

Resp. intellectum, & voluntatẽ esse æqualis latitudinis propter hoc, quia cuicunque rei, quam intelligit intellectus, potest voluntas cõmunicare suam bonitatem; & quia in quodcunque, quod intelligit intellectus, potest tendere voluntas vel positiuè volendo, vel negatiuè nolendo; non tamen quia omne, quod intelligit intellectus, amet voluntas; quia intellectus intelligit peccatum, & tamen voluntas illud non amat. Ad aliud dicitur *D. Dion.* velle, quòd Bonum nominaliter sumptum sit latius ente formaliter sumpto; non tamen ente nominaliter sumpto, vt diximus *de Platonicis*; Bonum autem, in quod potest tendere voluntas amando, est solum bonum formale; quamuis in bonum nominale possit tendere negatiuè illud nolendo; sic voluntas Dei tendit in creaturas possibiles nolendo illas; & in creaturas futuras volendo, & amando; & in peccata permitendo; & sic est æqualis latitudinis, ac intellectus; quia Bonum nominale, quod est obiectum voluntatis, est æqualis latitudinis cum Vero nominali, quod est obiectum intellectus; per quod magis conuincitur *Gonet vbi sup.* asserens voluntatem esse minùs abstractam, quàm intellectus; cùm enim sumitur voluntas, prout amans, non sumitur secundùm totam suam latitudinem, sed quasi contractè ad vnum actum specificum voluntatis; sicut quando sumitur intellectus, prout sciens, non sumitur secundùm totam suam latitudinem, per quam extenditur ad omne obiectum vel per amorem, vel per odium; & vno verbo vel per modum prosecutionis, vel fugæ; & sic extenditur etiam ad creaturas possibiles; quatenus vult illis non dare existentiam.

25 Replic. Ideo Deus intelligendo suam omnipotentiam intelligit etiam creaturas possibiles, quia intellectio Dei est comprehensiua; sed etiam amor Dei est comprehensiuus; ergo amando suam omnipotentiam amat etiam creaturas possibiles. Tum quia ideo Deus intelligendo suam omnipotentiam intelligit possibilia, quia possibilia connectuntur cum omnipotentia; & quotiescunque duo connectuntur; nequit vnum comprehendi non cognito alio; ergo amando suam omnipotentiam amat etiam possibilia; quia quoties duo connectuntur, nequit vnum amari non amato alio.

Resp. dist. ma. Quia intellectio Dei est cõprehensiua, & possibilia sunt cognoscibilia, conc; secus, neg. Etenim si possibilia non essent cognoscibilia, sicut non sunt amabilia, non cognoscerentur, sicut non amantur, etiansi essent connexa cum omnipotentia; per quod patet ad aliud.

26 Dices. Possibilia dicunt conuenientiam cum omnipotentia, quia negatio illorum dicit disconuenientiam; ergo important bonitatem, quæ consistit in conuenientia ad aliud. Prob. ant. Illud conuenit rei, quo posito ponitur res, & illud disconuenit, quo ablato illa destruitur; sed positis possibilibus ponitur omnipotentia; & posita negatione possibilium illa destruitur; ergo dicunt conuenientiam ad omnipotentiam. Prob. conf; quia omne, quod conuenit rei, est amabile ab ipsa; sicut omne, quod disconuenit, est odibile.

Resp. dist. 2. part. conf. Bonitas consistit in conuenientia entitatis formalis, conc; entitatis nominalis, neg; & sic ad prob. Omne, quod conuenit rei, est amabile ab ipsa re, si sit entitas formalis, conc; si sit nominalis, neg.

27 Obijc. 3. Creaturæ possibiles sunt bonæ secundùm quid; ergo possunt terminare amorem complacentię. Prob. ant. Bonitas secundùm quid est passio entis, *vt sic*; tum quia crea-

creaturæ poſſibiles important integritatem eſſentiæ, in qua conſiſtit bonitas, *vt ſic*; ergo ſunt bonæ ſecundùm quid.

Reſp. diſt. ant. Si *ly ſecundùm quid* ſumatur formaliter, neg; ſi tranſcendentaliter, ſeu nominaliter, conc. Ad 1. prob. dicitur, quòd bonitas nominalis, quæ conſiſtit in integritate prædicatorum eſſentialium, eſt paſſio entis; non verò bonitas formalis; vt diximus *To.1. de Bonit.art.2*; & ideo illa nequit terminare amorem ob deficientiam rationis formalis amandi.

28 Obijc. 4. Deus amat ſalutem omnium hominum; ſed illa eſt merè poſſibilis, quia nunquam erit; ergo amat poſſibilia. Tum quia poſſibilia de facto terminant actum poſitiuum voluntatis Diuinæ, quo Deus illa vult non creare; ergo poſſunt terminare actum amoris. Tum quia per actum voluntatis nihil operatur Deus circa poſſibilia; ergo falſum eſt, quòd actus amoris ſit eſſentialiter effectiuus.

Reſp. diſt. ma. Amat ſalutem omnium reſpiciendo vniuerſaliter naturam, non indiuidua, & ideo illi tribuendo auxilia generalia, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; natura enim humana de facto ſaluatur, licèt non ſaluentur omnia indiuidua, in quibus reperitur; reſpiciendo perſonas in ſpeciali, neg; & in hoc ſenſu conc. mi. Ad 2. diſt.ant. Terminant actum poſitiuum per modum fugæ, conc; per modum proſecutionis, neg. ant; & conſ. quia actus amoris eſt actus proſecutionis. Et ſic ad 3. diſt. Per actum proſecutionis nihil operatur, neg; per actum fugæ, conc.

29 Obijc. 5. Poſſibilia cognoſcuntur à Deo per veritatem exiſtentem in intellectu Dei; ergo poſsũt amari per bonitatẽ exiſtẽtem in Deo.

Reſp. neg. conſ. quia veritas eſt in intellectu, & bonitas in rebus, vt dictum eſt *ex Phil.* Quòd ſi fiat ſẽſus, quòd poſſibilia ſecundùm eſſe, quod habent in Deo, ſunt amabilia, & amantur, conc; neg. tamen de eſſe, quod habent extra Deum.

30 Obijc. 6. Negatio exiſtẽtiæ poſſibilium terminat de facto volitionem efficacem, quia talis volitio eſt efficaciter, & liberè volita à Deo; ergo negatio non repugnantiæ ad exiſtẽdum poteſt terminare volitionem efficacem Dei; ſed hæc volitio non eſt per modum fugæ, aut odij; quia Deus non vult repugnare creaturas poſſibiles; ergo eſt per modum proſecutionis, quo ſibi complacet de illis.

Reſp. volitionem non dici efficacem ex eo, quòd poſitiuè eliciatur à voluntate, ſed ex eo, quòd actiuè producat obiectum volitum; vnde argumentum æquiuocat de volitione poſitiua, & efficaci. Neg. igitur ant; licèt enim illa volitio poſitiuè eliciatur à voluntate Dei, non tamen dicitur efficere aliquod, decernendo negationem exiſtentiæ poſſibilium. Ad id, quod additur, ſcilicet Deum velle non repugnare creaturas poſſibiles, neg; volitio enim eſt tantùm in ordine ad eſſe, vel non eſſe; non autem in ordine ad eſſentiam rei; quæ cùm ſit ſimpliter neceſſaria, non cadit ſub voluntate libera Dei; & cùm voluntas Dei ſit cauſa rerum, vel affirmatiuè determinans earum productionem, vel negatiuè non productionem, ideo non reſpicit res, niſi quatenus aquirunt eſſe, vel eſſe priuantur.

31 Obijc. 7. Obiectum ſecundarium, licèt non habeat in ſe rationem formalem motiuam, attamen attingitur à potentia ratione obiecti primarij, vt v.g. tenebræ, licèt non habeant in ſe ipſis colorem, qui eſt ratio formalis videndi, attamen attinguntur à potentia viſiua; ergo licèt creaturæ poſſibiles non habeant in ſe ipſis bonitatem formalem, attamen poſſunt amari ratione bonitatis Diuinæ, quæ eſt obiectum primarium.

Reſp. diſt. ant. Obiectum ſecundarium priuatiuum, conc; priuatio enim cognoſcitur per formam, cui opponitur, in hoc nanq; diſtinguitur à poſitiuo; quia illud cognoſcitur per diſcordantiam; hoc verò per concordantiam; non poſſet autem concordare, niſi aliquo modo cõmunicaretur ei ratio formalis. Et ſic valet de tenebris, quæ ſunt priuatio lucis; obiectum ſecundarium poſitiuum, ſubdiſt. Attingitur à potentia ratione obiecti primarij, quatenus obiectum primarium communicat ei imperfecto modo rationem formalem, conc; ſecus, neg. Si enim obiectum primarium nullo modo communicaret obiecto poſitiuo rationem formalem, tunc non eſſet ratio, per quam attingeretur, quia non attingeretur, vt aliquod priuatiuum, eſt enim poſitiuum; nec vt poſitiuum, quia ratio formalis attingendi nullo modo ei conueniret. Diximus autem communicari imperfecto modo, quia ſi communicaretur perfectè, pertineret ad obiectum primarium, non ſecundarium; vt patet mobilitate, quæ quia communicatur cuilibet corpori, ideo quodlibet corpus ſpectat ad obiectum primarium, non ſecundarium.

QVÆST. IV.

De Voluntate Dei antecedente.

POſt diſcuſſionem earum difficultatum, quæ pertinẽt ad obiectum voluntatis Dei, ſequitur agẽdum de ipſa, prout habet munus actionis; quoniam autem volitio Diuina diuiditur in antecedentem, & conſequentem, vt diximus *q.1. art.3*; & quia volitio antecedens generaliter extẽditur ad omnes; volitio autem conſequens ſolùm ad aliquos; cùmque doctrinæ ordo petat, vt ab vniuerſalioribus ad ſpecialia procedamus, vt toties dictum eſt, ideo de illa priùs eſt diſputandum.

ART.

A R T. I.

An in Deo sit voluntas generalis saluandi omnes; vbi an Christus mortuus sit vniuersaliter pro omnibus hominibus?

1 Tota contentio est circa sensum illius textus 1. *ad Tim.2. Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*;nam *Beatiss.P.Aug.in Enchir.c.*103.docet *Apost.* intelligendum esse. 1. secundùm distributionem accommodam ita,vt sensus sit:*Nullum hominem fieri saluum, nisi quem saluum fieri ipse voluerit.* 2. pro generibus singulorum, non pro singulis generum; *vt omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascunque differentias distributum,Reges,priuatos,nobiles,ignobiles, sublimes,humiles,doctos,indoctos,integri corporis, debiles,ingeniosos,tardicordes,fatuos,diuites,pauperes, mediocres,mares,fæminas, infantes,paruos, adolescentes,seniores, in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in professionibus omnibus,in voluntatum,& conscientiarum varietate innumerabili constitutos, & si quid aliud differentiarum est in hominibus.* 3. ita, vt velit omnes saluos fieri causaliter, non formaliter, idest quia facit homines iustos velle propriam salutem; sicut Spiritus Sanctus dicitur postulare nostram salutem, quia facit nos postulantes; vt docet *de Cor.& Grat.c.*15. Has expositiones sequuntur *D.Greg. Magnus in 1.Reg.lib.5*;vbi ait: *Omnes quippe homines vult saluos fieri,quia de omni genere hominum eligit, quos ad gaudium æternæ salutis trahit;& noster S.Prosper in Epist. ad Rufin;et resp.8.ad Capita Gallarum;ac S.Fulg. de Incarn;& Grat.c.*13;*& S.Anselm.sup.hunc locum;Beda ibid.* Et *Epist. Synodica Episcoporum Aphricanorum in Sardinia exulum*; vbi habetur: *Omnes autem prædestinati ipsi sunt,quos vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Qui propterea omnes dicuntur, quia in vtroque sexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate, & conditione saluantur; semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia potestas eius nullatenus vincitur.* Et *Ecclesia Lugdunensis sub S.Rhemigio*; & plures alij *SS.PP;Concilia,ac DD.*

2 E contra verò hunc textum explicant alij *SS.PP.*de voluntate generali,quam habet Deus saluandi omnes etiam reprobos. *D. Greg. Naz. orat.*25.*Omnes citra vllam exceptionem instaurati sumus per cælestem Adamum, qui primi Adæ participes fuimus,& à Serpente decepti,& peccato mortui.D.Chrisost.hom.4.in Epist.ad Hebræos c.2. Vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem,non pro fidelibus tantùm,sed pro vniuerso Mundo,ipse enim pro omnibus mortuus est. Et D.Epiphan.hæresi* 55. *Pro toto quidem mundo se obtulit ipse victima. Et D.Ambr.serm. in ps.* 118. *Mysticus Sol ille iustitiæ omnibus ortus est,omnibus venit,omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Et D.Leo serm.*11. *de Pass. Pro omnibus impijs mortuo Domino etiam Iudas in eo potuisset consequi rem&dium, si non festinasset ad laqueum.* Idem habet *D.Damasc.lib.*1. *de Fide c.*29. *apud Vasq; & lib.* 2.*c.penult.apud Fundatiss.Doct.*

3 Propter horum *SS.PP.*varietatem acriter pugnant *Recentiores*;qui tamen hanc varietatem loquendi inspicere debent esse etiam *in Diuinis Scripturis*;nam *Io.*17.ait Christus se non rogare pro reprobis:*Nō pro Mūdo rogo,sed pro his,quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et Marc.* 24. orauit pro reprobis: *Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Item Paul.Apost. persuadet *Timotheo.* 1.*ad Tim.* 2; vt oret pro omnibus; & *Io. Euāg.in Epist.*1.*c.*5.ait: *Est peccatum ad mortem, non dico,vt pro illo roget quis.* Ideo mirum non est, quòd etiam *SS. DD.* eandem varietatem sequantur.Igitur.

4 *Iansen.lib.9; & 10. de Grat. Saluat. vult* Deum in statu naturæ innocentis habuisse voluntatem antecedētem generaliter saluandi omnes,per quam tribuit primis Parentibus auxilia sufficientia ad salutem subiectam eorum voluntatibus quantùm ad vsum,& exercitium,& ideo expectantia motum liberi arbitrij; non tamen habuisse voluntatem generalem saluandi omnes post peccatū, seu in statu culpæ; & ideo non tribuere reprobis auxilia sufficientia, propter quod docuerat *lib.3. c.* 21. Christum mortuum fuisse solùm pro redemptione electorum, non autem pro omnibus etiam reprobis.Etsiqua fuit voluntas antecedens in Deo post peccatum,illa fuit quędam simplex velleitas omnino inefficax.

5 *Vasq.1.p. disp.83.c.2. n.* 12. ex opposito vult *Beatiss.P.* nunquam concessisse voluntatem generalē saluandi omnes; & nunquam rectè interpretasse illum locum *Apost.* dicens. *Ex dictis licèt colligere frustra Augustinum locis supra cit. noluisse concedere hanc voluntatem Dei circa omnium salutem, sed etiam locum illum Pauli nullo ex illis tribus modis rectè exposuisse*; quia *Apost.* docet Deum velle voluntate beneplaciti singulos homines rectè viuere; & ideo vult singulos saluari; tertia autem ratio impugnatur ex eo, quòd Deus non facit, vt singuli saluentur, sed tantùm aliqui. Quidam alius *Auctor*, cuius nomen supprimimus, quia immodestiùs loquitur, ait:*Illas tres expositiones esse magis ad deludēdum excogitatas,quàm certas, & solidas*; quo dicterio notat nedū *Beatiss.P*; sed etiam alios *SS. Ecclesiæ DD.*supra relatos;qui tamen conformiter ad *Diuinas Scripturas*; vt superiùs diximus, locuti sunt. Igitur.

6 Not; quòd quotiescunque reperimus *in Diuinis Scripturis* modos loquendi oppositos circa eādem rem,debemus illis applicare diuersos sensus, ne cogamur admittere contradictionem; & ideo falsitatem, quæ repugnat Spiritui Sancto, qui nobis loquitur *in Scripturis*; vt diximus *de Scient.Dei q.4.art.1.S.4.n.*77. Cùm igitur Deus concedat aliquibus creaturis auxilia

sufficientia solùm, & alijs auxilia efficacia, ideo diuersę voluntates in Deo sunt admittendæ saltem ex parte obiecti; voluntatem autem, qua tribuit auxilia sufficientia, *vocant Theologi antecedentem*, & voluntatem, qua tribuit auxilia efficacia, vocant *consequentem*; vt diximus *q.1.ar.3.*

7 Itaque quando *Beatiss. P; & alij Sancti DD;* exponunt illum locum illis tribus expositionibus, loquuntur de voluntate consequenti, qua Deus efficaciter eligit ad gloriam; patet enim ex *c.95. in Enchir. Beatiss. P.* loqui de duobus paruulis, quorum vnus *assumitur per Dei misericordiam, & alius per iudicium relinquitur*; quæ locutio nequit esse, nisi de voluntate efficaci, quæ sola respicit electos; patet enim paruulum decedentem cum baptismo esse efficaciter electum ad gloriam. Quòd autem admittat etiam voluntatem antecedentem generalem saluandi omnes, patebit inferiùs.

8 Et quòd prędictæ expositiones non solùm non repugnent *textui*, sed necessariò debeant admitti, colligitur ex modo loquendi oppposito *Diuinarum Scripturarum*, vt supra diximus; tum quia *Apostolus* ibi loquitur solùm vniuersaliter, nec vnquam ait *singulos* saluari; propositio autem vniuersalis in materia contingẽti, sicuti est ista, potest sumi secũdùm distributionẽ accomodã, vt clamãt *Logiculi*; vt cũ dicitur: Medicus curat omnes homines huius ciuitatis; nec ex eo, quòd salus singulorum hominũ, & recta vita placeat Deo, deducitur, quòd Deus velit efficaciter in singulari salutem omnium hominum; aliter omnes saluarentur, ne voluntas Dei frustretur; *quia omnipotens velle inaniter non potest, quodcunque voluerit*; vt docet *Beat. P. vbi sup. c.* 104; vbi solùm intendit docere, quòd voluntas Dei, cùm sit omnipotens, nequit impediri, aut frustrari à voluntate hominis; ex quo *infra* ostendemus voluntatem antecedentem semper impleri.

9 Vnica concl. In Deo etiam post *Adæ* peccatum est voluntas antecedens saluandi omnes generaliter, etiam reprobos. Ita *Fundatiss. Doct. in 1.dist.46.princ.1. q.1; & in 2.dist.36.q.2.art.3.* Vbi docet Christum mortuum esse pro omnibus peccatoribus generaliter nullum excipiẽdo; & in *Epist. ad Rom.c.15.lect.45*; vbi ait: *Christus pro nobis omnibus voluit pati; & nos omnes, quantùm in se erat, consolatus fuit*. Idem docent omnes alij Theologi communiter.

10 Prob. 1. *ex Apost. vbi sup*; vbi præcipit *Timotheo* orare pro omnibus, *quia Deus vult omnes homines saluos fieri*; & *Beatiss. P. serm.4. de Sanctis* ait: *Christus orat pro omnibus suis crucifixoribus; & ad Art. sibi falsò impositos* docet supplicãdũ esse Deo pro omnibus, vt *infra*; quorũ tamen aliqui erant reprobi; sed oratio ordinatur ad omniũ salutẽ; ergo etiam in statu peccati datur in Deo voluntas generalis saluandi omnes; nam homines, de quibus loquebatur *Apostolus Timotheo*, & crucifixores Christi Domini erant in statu peccati, vt compertum est.

11 Prob. 2. Christus mortuus est pro omnibus nedum electis, sed etiam reprobis, & fudit suum sanguinem in redemptionem omnium hominum, etiam reproborum; ergo datur in Deo voluntas generalis saluandi omnes; nam in tantùm Christus voluit mori pro omnibus, in quãtùm voluit salutem omnium, & in tantùm voluit salutem omnium, in quantùm voluntas Dei voluit ipsum velle omnium salutem; non enim voluit Christus, nisi id, quod voluit Pater, in cuius voluntate erat voluntas ipsius; & ideo ex eo, quòd Christus voluerit omnium salutem, deducitur in Deo esse voluntatem saluandi omnes. Prob. ant. 1. *ex illo Rom.5*; vbi dicitur: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ*. Ex quo sic. Peccatum *Adæ* originale transijt in omnes homines generaliter; ergo mors Christi ordinata est ad omnium hominum salutem generaliter. 2. *Ex 2.Cor.5.* habetur: *Si vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus*. Super quod *Beatiss. P. in Suppl. cont. Iul. lib.1. c.64.* ait. *Conclusio hæc Apostoli inuicta est. Mortuus est porrò Christus, vt euacuaret eum, qui potestatem habebat mortis, idest Diabolum*. Ex quo sic. Christus moriendo euacuauit potestatem, quam habebat Diabolus per peccatum; sed Diabolus per peccatum habebat potestatem in omnes homines, & multò magis in reprobos, quia peccatum originale transfusum est ad omnes generaliter; ergo Christus mortuus est pro omnibus. 3. *Ex 1.Io.2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius Mundi*. Ex quo sic. Christus propitiauit Patri nedum electos, sed etiam reprobos; ergo mortuus est pro omnibus; sed hæc omnia facta sunt in statu culpæ, quia mors Christi fuit in statu culpæ; fuit enim ordináta ad delendam culpam, quæ non erat in statu Innocentiæ; ergo Deus in statu culpæ habuit voluntatem generalem saluandi omnes.

12 Conf. Si Deus in statu culpæ non haberet hanc voluntatem generalem, nos non deberemus orare pro omnibus etiam reprobis, quia nos oramus tantùm, vt fiat voluntas Dei; sed Ecclesia orat pro omnibus; ergo Deus habet voluntatem generalem saluandi omnes.

13 Ex dictis conuincitur cont. *Vasq; & Iansen. Beatiss. Patem* admisisse in Deo voluntatem generalem saluandi omnes; quod colligitur etiam *ex locis cit. de Scient. q.4. art.1. §.5. n.89*; & *de Spir; & lit. c.33*; & *ad Articulos falsò sibi impositos*, inter quos octauus erat, *quòd Deus nolit omnes saluari*; cui respondet: *Sincerissimè credendum est, atque profitendum Deum velle, vt homines salui fiant, siquidem Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitè præcepit, vt Deo pro omnibus homi-*

minibus supplicetur. Ex quo patet hanc fuisse falsam impofluram antiquitus irrogatam *Beat. Patri*, quod maximè debebant attendere *Vasq; & Iansj; & lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 18.* agens de Paruulis ait: *Sine ista ergo regeneratione saluos in æternum posse Paruulos fieri, quis audeat affirmare, tanquam non pro eis mortuus sit Christus? Etenim Christus pro impijs mortuus est.* Et *in ps. 68.* loquēs *de Iuda* ait: *Nec agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.*

14 Prob. 3. Christus Dominus pro illis mortuus est, quos habet iudicare, & illos habet iudicare, quorum salutem voluit, pro qua fudit pretium sui sanguinis; sed habet iudicare nedum electos, sed etiam reprobos; *quia constitutus est Iudex viuorum, & mortuorum*; ergo mortuus est nedum pro electis, sed etiam pro reprobis, quorum salutem generaliter voluit, & pro qua fudit pretium sui sanguinis. Ma. patet; quia propria morte redemit ex potestate Diaboli in suam potestatem, per quam constitutus est Iudex eorum, quos pretio sui sanguinis redemit. Mi. etiam constat; quia iudicaturus est nedum electos, sed etiam reprobos; illos quidem ad gloriam ea sententia. *Venite Benedicti Patris mei percipite Regnum*; & istos ad ignem illa sententia. *Ite Maledicti in ignem æternum*. Hinc *Beatiss. P. in ps. 95* ait. *Iudicabit orbem terrarum in æquitate, non partem; quia non partem emit. Totum iudicare habet, quia pro toto pretium dedit, & vbi sup.* loquens *de Iuda*, quem constat esse reprobum, ait: *Nec agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.*

15 Prob. 4. *ex Fundatiss. Doct. vbi s.* Ita se habet regeneratio nouæ creaturæ ad Christum Redemptorem; sicut creatio veteris creaturæ ad Deum creatorem; dicitur enim 1. *Pet.* 1. *Qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuā*; sed creatio vniuersaliter extenditur ad omnes, & singulas creaturas; aliter derogaretur eius virtuti vniuersalissimę; ergo & regeneratio extenditur vniuersaliter ad omnes homines; aliter derogaretur virtuti regeneratiuæ. Atqui ex eo, quòd creatio extendatur ad omnes creaturas, deducitur, quòd Deus velit omnes creaturas; quia non creat, nisi volens; ergo ex eo, quòd regeneratio extendatur ad omnes homines, deducitur, quòd Deus voluerit salutem omnium hominum; quia illos non regenerauit, nisi volens.

16 Prob. 5. Quilibet homo in statu viæ tenetur sperare vitam æternam; & credere se esse redemptum à Christo Domino, in hoc enim distinguitur Viator reprobus à reprobo in termino iam damnato; sed nullus potest sperare suam salutem, nisi per mortem Christi Domini, per quam solùm potest aquiri salus; & nequit credere se esse redemptum, nisi de facto sit redemptus; quia repugnat Fidem Diuinam, de qua loquimur, falli; ergo Christus mortuus est pro redemptione omnium etiam reproborum.

17 Conf. Præcipuum motiuum, quo homines obligantur sperare, & credere in Christum, ac ipsum diligere, est; quia fudit sāguinem in redemptionem ipsorum à potestate Diaboli; ergo si pro omnibus non fudisset pretium sui sanguinis, omnes non tenerentur in ipsum sperare, & credere, ac amare, & sic tolleretur motiuum principale trium virtutum Theologicarum.

18 Tandem prob. Sanguis Christi Domini est infiniti valoris redemptiui; ergo extenditur ad omnes homines redemptibiles; atqui nedum electi, sed etiam reprobi erant redemptibiles; ergo extensus fuit etiam ad reprobos, infinitum enim extendi ad omne id, in ordine ad quod est infinitū, necesse est; vnde sicuti quia potentia creatiua est infinita, ideo nulla est dabilis creatura, quam non respiciat; ita à pari.

Resp. 1. *Iansen.* mortem Christi esse sufficientis valoris, & pretij pro omnibus, non tamē ex voluntate Dei, & Christi esse oblatam pro omnibus. 2. Auctoritates allatas intelligendas esse solùm pro generibus singulorum, non pro singulis generum; sic enim solùm intelliguntur *à Beatiss. Doct.*

Resp. ad 1. esse cont. *Diuinas Scripturas*; dicitur enim: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et quod oblatus fuerit etiam pro reprobis, habetur expressè *Hebr.* 10; vbi postquam dixit de Christo: *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei*; inferiùs subdit: *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptā notitiā veritatis iam non relinquitur hostia pro peccatis.* Et paulò post. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei cōculcauerit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Ex quo sic. Reprobis, qui debēt mori in peccato, non relinquitur hostia; & illis non relinquitur hostia, pro quibus fuit semel oblata, relictio enim hostiæ supponit oblationem illius; ergo pro reprobis Christus se obtulit hostiam. Tum quia pro illo, qui sanctificatus est per Sacramēta Christi Domini, oblata est mors Christi Domini, mors enim oblata est solùm pro illis, quibus applicari possunt Sacramenta à Christo Domino instituta; sed hæc sunt applicabilia, imò applicantur aliquibus reprobis; ergo se obtulit etiam pro reprobis; quòd si oblatus est pro illis, non nisi voluntate Patris, & sua se obtulit; aliter hæc oblatio esset merè fortuita. Hæc tamē est differentia inter electos, & reprobos, quòd pro illis se se obtulit, & orauit efficaciter obtinendo illis auxilia efficacia, quibus gloriam mererentur; pro istis verò inefficaciter impetrando sola auxilia sufficientia.

Ad 2. dicitur, quòd licèt prædicti textus possint intelligi pro generibus singulorum, si

sermo sit de volitione efficaci; attamen, si sermo sit de voluntate antecedenti, intelligi debent pro singulis generum. Falsum autem est, quòd *Beatiss. P.* illos semper intellexerit pro generibus singulorum, *vt sup.*ostensum est.Imò in eodem loco, in quo intelligit illos primo modo, innuit posse etiam intelligi secundo modo; nam *in Enchir. c.* 103. sup. illud *Matt.* 23. dictum *Pharisæis. Decimatis mentam, & rutam, & omne olus*;asserit: *Sicut ergo hìc omne olus omne olerum genus;ita & illic omnes homines omne hominum genus intelligere possumus*. Et statim subdit: *Et quocunque alio modo intelligi potest; dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum fieri voluisse,factumque non esse*. Hæc enim est regula generalis in expositione sanctarum Scripturarum; quòd possunt habere plures sensus; dummodò aliquod non inferatur absurdum.Cùm ergo istæ interpretationes nullum inuehant absurdum, sed magnum commodum intelligendi *Scripturas*, quæ videnter inter se contradicere; vt supra dictum est; ideo sunt admittendæ.

19 Obijc.1. *Beatiss.P. Epist.2. ad Euod.*ait: *Non perit vnus ex his, pro quibus mortuus est Christus*; *Et Serm.*8. de Sanctis: *Christus non perdidit, quos emit sanguine*; & alijs in locis docet illos tantùm esse redemptos à Deo, qui actu saluantur; ergo Christus non est mortuus pro omnibus; & per consequens in illo non fuit voluntas generalis saluandi omnes.

Resp; quòd mors Christi dupliciter fuit applicata; scilicet efficaciter electis, & non efficaciter reprobis; illis efficaciter, quatenus eis obtinuit auxilia efficacia; istis autem inefficaciter, quatenus non obtinuit auxilia efficacia, sed sufficientia. Loquitur ergo *Beatiss. P.* de amore Christi primo modo, nō secundo modo. Et sic ad aliud dicitur, quod Christus non perdidit eos,quos emit sanguine suo efficaciter applicato; sicut intelligi debet illud Christi Domini *Io.*17. *Non perdidi ex eis quenquam, quos tradidisti mihi*.

20 Obijc.2. Christus orauit solùm pro electis, non pro reprobis; nam *Io.*17. ait: *Non pro Mundo rogo*; sup. quod *Beatiss.P.* asserit per illa verba excludi reprobos ab illa oratione; sed orauit pro omnibus, pro quibus mortuus est; ergo non est mortuus pro reprobis.

Resp. eodem modo; quòd sicut in Christo fuit duplex voluntas; scilicet antecedens, & consequens; sic in eo fuit duplex oratio; scilicet efficax, quæ correspondet voluntati consequēti, per quam contulit auxilia efficacia; & inefficax, quę respondet voluntati antecedenti, per quam contulit auxilia inefficacia. Quomodò autem voluntas consequens dicatur inefficax, explicabitur *in seq. art.*Igitur dist. ma. Christus orauit solùm pro electis efficaciter, conc; inefficaciter enim, neg; orauit pro Crucifixoribus, vt supra dictum est.

21 Obijc. 3. *Matth.* 26. habetur: *Hic est sanguis noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*2. *In Conc.Valent. III. c.*4. habetur: *Christus non est mortuus pro his, qui in impietate mortui erant ante eius passionem*; & sæpe alibi habetur Christum non esse mortuum pro impijs; ergo Christus non est mortuus pro omnibus.

Resp.*ibid.* loqui de effusione sanguinis efficaciter applicati; nō verò inefficaciter. 2. cum *Beatiss. P*; vt diximus *de Scient. Dei q.* 4. *art.* 1. §.5. *n.* 89; dicitur, quòd *ly multis* non sumitur per oppositionem ad *omnes*, sed per oppositionem ad *paucos*:sicut dicitur *Gen.*17.*de Abraham*: *Patrem multarum Gentium constitui te*;non quòd Abraham non esset Pater omnium Gentium, sed quia omnes Gentes, quarum Abraham erat Pater, multæ sunt, non paucæ ad differentiam eorum, qui sunt omnes, & pauci; vt tres Pueri in fornace erant omnes, non tamen multi, sed pauci. Ad 2. dicitur *Conc.* nihil aliud velle, quàm quòd in fine Mundi hominibus iam damnatis non est applicanda mors Christi, qua redimātur à pœna,& à culpa;sed in æternum esse puniendos; quapropter Christus dicitur *Inferni Dominator*, non *Liberator*. Non autem voluit, quòd pro hominibus mortuis ante Christi passionem non fuerit oblata mors ipsius;& ideo quòd nō potuerint saluari in Fide Christi vēturi.

Aliæ obiectiones soluentur *in seq.*

ART. II.

An voluntas antecedens sit formaliter in Deo; vbi an sit inefficax,& nunquam impleatur?

1 DVo proponuntur *in Tit*; quorum vnū est motiuum alterius; *Aliqui* enim, quia putant voluntatem antecedētem esse simplicem velleitatem omnino inefficacem, & nunquam impletam, asserunt illam non esse formaliter in Deo, sed tantùm eminenter, vel metaphoricè; & ideo non esse voluntatem beneplaciti,quæ est in Deo formaliter, sed voluntatem signi, quæ est formaliter in creatura;quatenus scilicet Deus facit omnem creaturam velle suam salutem; voluntas enim inefficax, & non impleta est per modū potentiæ passiuæ carētis suo actu secundo; & ideo est solùm inchoata, & imperfecta; & per consequens repugnat Deo. *Ita ex nostris Basil; & ex exteris Aestius; Alen;D.Bon; Scot;Maior;Marsil; Zum;Ban;Nauaret. apud Godoy infra.*

2 *Alij* volunt voluntatem antecedentem esse formaliter in Deo, & esse inefficacem, seu nunquam impleri. *Ita Aluar; Naz; Albel;Salm; Granad; Arrub;Fasol;Heric.apud Godoy hìc disp.* 52. §.2.*n.*2; cui sententiæ subscribit ipse *Godoy*; *& Gonet eius Discipulus.*

3 Nostra tamen sententia docet voluntatem antecedentem esse formaliter in Deo, & esse

esse efficacem, ac semper impleri respectu proprij effectus; dici autem solùm inefficacem, & non impleri respectu effectus alieni; scilicet respectu effectus voluntatis consequentis. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 46. princ. 1. q. 1*; vbi docet aliqua signa pertinere ad voluntatem antecedentem, & alia ad voluntatem consequētem; & ideo voluntas antecedens nequit esse idem cum voluntate signi, nec esse formaliter in creatura; vt ait 1. sent. Preterea docet, quòd effectus voluntatis antecedētis sunt imponere ordinē, ordinare naturam, & tribuere auxilia communia, seu sufficientia; vt diximus *q. 1. art. 3*; & quantùm ad istos effectus semper impletur, vt patet. Hanc sententiam docent omnes veri *Beatiss. P. Aug. & Fundat. Doct. Discipuli*; pro cuius resol.

4 Vnica concl. Voluntas antecedens est formaliter in Deo, & semper impletur.

Prima pars concl; quæ est contra 1. sent; prob. illis textibus *Sacræ Scripturæ, & Beatiss. P. Aug.* allatis *in sup. art.* sic. Voluntas, qua Deus voluit mortē Christi pro salute omnium hominum, est formaliter in Deo; aliter mortuus fuisset pro omnibus præter intentionem Dei, & ideo merè casualiter se haberet respectu Dei; sed voluntas, qua voluit mortem Christi, est antecedens, vt dictum est *in sup. art*; ergo voluntas antecedens est formaliter in Deo.

5 Prob. 2. *ex Fndatiss. Doct. vbi sup.* Voluntas antecedens est actus imponens ordinem, seu ordinans creaturas rationalēs in finem supernaturalem, & tribuens illis auxilia communia, & sufficientia ad illius consecutionem; sed talis voluntas nequit esse formaliter voluntas creata; quia creatura nequit sibi imponere ordinē, & ordinare se ipsam, & tribuere sibi ipsi auxilia sufficientia ad consecutionem finis supernaturalis, qui est gloria; quia hæc omnia conueniunt soli supremo Prouisori, & Domino omnium creaturarum; ergo voluntas antecedens est formaliter in Deo.

6 Conf. 1. Datur in Deo formaliter prouidentia generalis, qua Deus dirigit omnes creaturas rationales in finem supernaturalem; ergo datur in Deo formaliter voluntas antecedens. Prob. ant. Generalis, & supremus Prouisor debet priùs generaliter disponere, & ordinare suos effectus in finem, in ordine ad quem illos producit, priusquam disponat, & ordinet particulariter; sicut Dux in exercitu priùs ordinat in vniuersali exercitum ad expugnandam Ciuitatem, & postea disponit milites in particulari in his, vel illis locis; nam dispositio, & ordinatio totius est prior natura, quā dispositio, & ordinatio partium; quia natura priùs intendit totum, quàm partes; sed Deus est generalis, ac supremus Prouisor omnium creaturarum; ergo in illo est formaliter prouidentia generalis, qua dirigit creaturas rationales in finem supernaturalem. Prob. conf. Deus non prouidet, & ordinat generaliter, aut specialiter, nisi sciens, & volens; sed quatenus prouidet, & ordinat specialiter, est in illo formaliter voluntas consequens; ergo, quatenus prouidet, & ordinat generaliter, est in illo formaliter voluntas antecedens; aliter non prouideret volens, & sciens.

7 Conf. 2. Auxilia sufficientia, quæ conferuntur reprobis in ordine ad salutem æternam, non tribuuntur illis per voluntatem consequētem efficaciter eos ordinantem ad gloriam; aliter voluntas Dei consequens frustraretur; quòd nullus asserit; ergo conferuntur per voluntatem antecedentem; sed actus conferens aliquod donum creaturis est formaliter in Deo; aliter nec voluntas consequens, per quam conferuntur auxilia efficacia, esset formaliter in Deo; cùm sit eadem ratio; quod dicendum esset quoque de actu scientiæ, per quem cognoscitur, & producitur creatura; tum quia ille actus nequit esse in creatura; nulla enim creatura potest conferre sibi, vel alteri, tanquam causa principalis, auxilia sufficientia, quæ, vtpotè conducentia ad finem supernaturalem, sunt supernaturalia; ergo voluntas antecedēs est formaliter in Deo.

8 Prob. 3. Quòd nullam inuoluit imperfectionem in suo conceptu formali, est formaliter in Deo; sed voluntas antecedens nullam inuoluit imperfectionem in suo conceptu formali; ergo est formaliter in Deo. Ma. est motiuum *Aduersariorum*. Prob. mi. Si voluntas antecedēs inuolueret aliquam imperfectionem, maximè quia esset inefficax, & nunquam impleretur quantùm ad illud, quod intendit, vt docet *Beatiss. P. in Enchir. à c. 95. vsque ad* 104; sed consequens est falsum; nam voluntas antecedens intendit impositionē ordinis, ordinationem naturæ rationalis in finem supernaturalem præscindendo ab indiuiduis, & communicationem auxiliorum sufficientium, & quantùm ad hæc semper impletur; quia ordo verè est impositus, & natura est ordinata, & auxilia sufficientia verè conferuntur, seu exhibentur, vt *inf.* explicabimus; ergo nullam dicit imperfectionem.

9 Conf. Voluntas infirmi intendens sumere medicinam non dicitur frustrari, etiansi non consequatur sanitatem, quatenus sanitas non intenditur ab illa voluntate, à qua solùm supponimus intendi medicinam; sanitas enim est effectus alterius voluntatis, & ideo dicitur effectus alienus; ergo etiansi voluntas antecedens non consequatur actualē salutem omnium hominum, attamen non dicitur frustrari, quia actualis consecutio salutis non est effectus voluntatis antecedentis, sed consequentis; & ideo dicitur effectus alienus, non proprius; effectus enim proprius voluntatis antecedentis est impositio ordinis, ordinatio naturæ in vniuersali, & collatio auxiliorum sufficientium; vt dictum est. Ex quo probata manet etiam 2. pars concl.

10 Insuper prob. 2. pars concl. *ex Beat. P. in Enchir.*

Enchir.vbi sup; vbi totus est in ostēdendo, quòd voluntas Dei, cùm sit omnipotens, nequit aliquod velle, quod non fiat; & ideo nequit esse inefficax, aut frustrari, aut nō impleri; quapropter c.103.concludit: *Et quocunque alio modo intelligi potest, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumq; non esse, qui sine vllis ambiguitatibus si in Cælo, & in terra, sicut & veritas cantat: Omnia, quæcunque voluit, fecit; profectò facere noluit, quæcunque non fecit.* Ex quo sic. Ambiguitas in scientia dicit imperfectionem; ergo & in voluntate; sed si voluntas antecedens non impleretur, haberet ambiguitatem; ergo esset imperfecta. Ant. patet; ambiguitas enim dicit dubietatem, & fallibilitatem, quæ conueniunt opinioni, & repugnant certitudini infallibili ipsius scientiæ. Prob. conf. Ideo ambiguitas repugnat scientiæ Dei, quia scientia Dei est immutabilis simpliciter; ambiguum enim est mutabile, quod pugnat cum immutabilitate; sed voluntas Diuina est æquè immutabilis, ac scientia; ergo ambiguitas dicit imperfectionem in voluntate Diuina.

11 Prob.2. *ex eodem Sanct. P. ibid.* Si voluntas antecedēs non impleretur à suo effectu, maximè quia posset impediri à creatura; in tantùm enim aliqua causa determinata ad producendum aliquem effectum non producit, in quantùm impeditur ab alia causa, ne producat; vel quia secundùm se est impotens illum producere, aliter si secundùm se sit potens, & determinatè velit, & à nullo possit impediri, non est assignabilis ratio, quare non producatur effectus; sed voluntas Dei antecedens à nulla causa creata potest impediri, nec secundùm se est impotens, aliter non esset omnipotens, & determinatè vult, quia est actus voluntatis Dei, siue actualis volitio, quæ essentialiter est determinatio potentiæ volitiuæ, per quam Deus denominatur determinatè volens; ergo voluntas antecedens efficax est, & semper impletur.

12 Prob.3. *à Fundatiss. Doct. ratione allata n.8; & 9.* Quamuis enim omnes homines non consequantur salutem æternam; attamen propter hoc voluntas antecedens propriè non dicitur inefficax, & inexpleta respectu proprij effectus; nam proprius effectus non est actualis cōsecutio vitæ æternæ; hæc enim est effectus voluntatis consequentis; sed est impositio ordinis, ordinatio naturæ in vniuersali præscindendo ab indiuiduis, & collatio, seu exhibitio auxiliorum sufficientium; vnde licèt sit inefficax respectu effectus alieni; attamen est efficax propriè, quia proprium consequitur effectum.

13 Obijc.1. cont. 1. part. concl. Deus non habet voluntatem antecedētem damnandi omnes homines; ergo neque voluntatem antecedentem saluandi omnes homines. Prob. ant. 1. *Ezech.* 34. ait Dominus; *Nolo mortem peccatoris &c*; si autem haberet voluntatem antecedētem dānandi omnes, deberet asserere: *Volo mortem peccatoris*; & ideo simul vellet, & nollet per eūdē actum, quod repugnat. 2. Velle damnare supponit culpam; voluntas autem antecedens supponitur ad omne meritum, & demeritum; quia in statu innocentiæ Deus habebat voluntatem saluandi omnes homines. Prob. conf. Damnare, & saluare sunt opposita; *sed eadem est ratio oppositorum*; ergo si non habet voluntatem antecedentem damnandi omnes homines, neque habet voluntatem saluandi; & per consequens voluntas antecedens est solùm in creatura formaliter, quatenus facit omnem hominem velle suam salutem.

Resp. neg. conf; & disparitas est; nam damnare respicit naturam creaturę, vt affectam peccato, propter quod solùm Deus damnat; natura autem sub peccato est natura, vt indiuidualis, quia est natura sub operatione; *operationes enim sunt suppositorum*; & natura, vt supposita, & vt actualiter operans, est vestita suis circūstantijs indiuidualibus, quę respicitur à voluntate consequente, non antecedente. Tum quia damnare est abdicare creaturam à consecutione vltimi finis; & ideo opponitur solùm voluntati ordinanti creaturam ad consecutionē finis, quæ voluntas est consequens, non antecedens; & per hoc patet ad prob.

14 Obijc. 2. Voluntas antecedens est inefficax, & imperfecta, quia non consequitur suum finem; nam salus omnium hominum, quæ est finis voluntatis antecedentis, nunquam ponitur in executione; sed voluntas imperfecta non ponitur in Deo formaliter; ergo voluntas antecedens non est formaliter in Deo. Prob. ma. Voluntas antecedens est sicut voluntas, quam habet *Mercator* non proijciendi merces in mare ingruente naufragio; sed voluntas *Mercatoris* frustratur suo fine ab alia voluntate, per quam efficaciter vult saluare vitam; ergo voluntas antecedens est inefficax, & imperfecta.

Resp. neg. ma. Ad prob. infert. dist. Salus omnium hominum in communi, prout dicit naturam ordinatam per media sufficientia ad vitam æternam, est finis voluntatis antecedentis, conc; prout dicit naturam in indiuiduo ordinatam per media efficacia, neg. Quamuis ergo non ponatur executio vitæ æternæ; attamen quia ponitur ordinatio naturæ, & collatio, seu exhibitio auxiliorum sufficientium, ideo ponitur finis, & effectus voluntatis antecedentis, licèt non ponatur effectus voluntatis consequentis. Ad aliam prob. neg. ma; nam voluntas *Mercatoris* habet pro fine non proiectionē mercium, quàm voluntatem impedit alia voluntas opposita, quæ habet pro fine proiectionem mercium. At verò voluntas antecedēs habet pro fine collationem auxiliorum sufficientium; voluntas verò consequens collationem auxiliorum efficacium efficaciter conducentium ad vitam ęternam;

nam; & ideo non sunt duæ voluntates oppositæ, nec vna frustratur, aut impedit aliam, sicut *in Mercatore*.

15 Obijc. 3. Omnis voluntas, quæ est in Deo, est efficax iuxta illud *Isaiæ 46. Omnis voluntas mea fiet*; ergo voluntas antecedens, quæ est inefficax, quia nullum ad extra producit effectum, non est formaliter in Deo.

Conf. *D.Chrisost. hom. 1. in Epist. ad Ephes.* ait: *Deus valde cupit, valde desiderat nostram salutem*; sed cupiditas, & desiderium non sunt formaliter in Deo; ergo neq; volũtas antecedẽs.

Resp. ad arg. neg. conſ. quia voluntas inefficax producit ad extra auxilia sufficientia, quibus ordinat creaturas ad vitam æternam.

Ad conf. dicitur amorem Dei vocari cupiditatem, & desiderium ad explicandum feruorem, quo Deus vult nostram salutem; sicut autem ex eo, quòd in Deo non sit cupiditas, & & desiderium, non infertur, quòd in illo non sit formaliter amor creaturarum; ita nec infertur, quòd in illo non sit voluntas antecedens.

16 Obijc. 4. *ex nostro Basil.* Vel voluntas antecedens terminatur ad salutem v.g. *Iudæ*, vt possibilem, vel vt futuram? Non primum quia circa possibilia, quæ sunt necessaria, non versatur voluntas Dei libera. Nec secundum, quia futurum aliquando erit in sua differentia temporis; salus autem *Iudæ* nunquam erit; ergo Deus formaliter non vult omnium salutem, sed sed solùm causaliter.

Resp. Voluntatem antecedentem terminari ad salutem omnium hominum in communi, non in particulari, vt dictum est; salus autem *Iudæ* est salus hominis in particulari, non in communi; & ideo ad illam reduplicatiuè, vt talis est, non terminatur, neque vt est possibilis, neqne vt futura. Cùm enim voluntas antecedens ordinet naturam per auxilia omnibus hominibus communia, non potest terminari ad salutem hominis in particulari; quia ad salutem in particulari non ordinat, nisi per auxilia particularia. Hac responsione eluduntur omnes instantiæ, quæ fiunt *cont.* aliquos *Recentiores* dicentes voluntatem antecedentem terminari ad salutem *Iudæ*, vt inchoatè, & incompletè futuram, vt videre est apud *Godoy*, qui vtitur hac responsione.

17 Obijc. 5. Deus ante præuisa demerita voluit efficaciter denegare gloriam aliquibus; ergo respectu illorum non habuit voluntatem dandi gloriam; aliter de eodem obiecto darentur duæ voluntates contrariæ inter se incompatibiles.

Resp. *Godoy* conc. ant; at neg. conſ; quia illę duæ voluntates sunt ex diuerso motiuo, scilicet ostendendi suauitatem prouidentiæ, & supremũ Dominium, & ideo non pugnant inter se. Sed diuersitas motiui non videtur sufficiens ad tollendam oppositionem actuum voluntatis; quantuis enim *Mercator* habeat voluntatẽ non proijciendi ex motiuo amoris diuitiarum; & habeat voluntatem proijciendi ex motiuo amoris suæ vitę; attamen non sequitur, quòd voluntates non proijciendi, & proijciendi non sint oppositę inter se, & quòd vna nõ frustretur, & alia impediat.

Resp. ergo neg. ant; nam vt *vid. in Tract. de Præd. ex Beatiss. P.* reprobatio negatiua fuit post præuisionem peccati originalis. Ommisso autem ant. dicitur, quòd ante præuisionem meritorum, & demeritorum, si daretur reprobatio negatiua, deberent assignari duo signa rationis, in quorum priori Deus ordinaret ad gloriam creaturas in vniuersali; & in alio aliquas excluderet in particulari; & sic illæ duæ voluntates non essent oppositæ, quia essent respectu diuersorum obiectorum, & non essent simul.

18 Obijc. 6. contra 2. part. concl. *ex Godoy.* Deus vult salutem omnium hominum, qui illam non consequuntur; ergo voluntas antecedens non impletur. Prob. ant. 1. Illa verba *D. Pauli* debent intelligi distributiuè pro singulis, vt vult *Dam; Chris; Hier; Clemens Romanus, & Prosper*; ex illa enim intulit *Apost.* esse orandum pro singulis. 2. Singuli sunt ordinati ad finem supernaturalem. 3. Christus mortuus est pro singulis; ergo Deus vult salutem omnium hominum; qui illam non consequuntur.

Resp. hæc fuisse soluta *n.* 14. Dist. ergo ant. Vult salutem omnium hominum in communi per auxilia communia; & homines illam non cõsequuntur in communi, idest natura humana nõ consequitur salutem, neg. Vult salutem in speciali per auxilia specialia; & illam homines non consequuntur in speciali, conc. Ad 1. prob. dist. eodem modo. Debent intelligi distributiuè pro singulis in speciali, neg; in communi, prout singuli vniuntur in natura humana, conc. Et sic ad 2; & 3; nam singuli ordinati sunt cõmuniter per auxilia communia ad finem superuaturalem; & Christus Dominus mortuus est pro omnibus, & singulis, non in speciali ordinando singulos per per auxilia specialia, quæ sunt efficacia, ad vitam æternam; aliter mors Christi frustraretur.

19 Obijc. 7. *idem.* Voluntas, quæ non impletur, non ex impotentia, sed ex eius libertate, & ex meritis obiecti, nullam dicit imperfectionem, ergo formaliter est in Deo admittenda. Prob. ant. In Deo dantur actus liberi subiectiuè absoluti, & obiectiuè conditionati, qui nunquam implẽtur; ergo voluntas, quæ non impletur, nullam dicit imperfectionem.

Resp. neg. ant; nam voluntas, quæ non impletur quocunque modo, est impedibilis, vel impotens, vel suspensa à suo effectu; quæ omnia maximam dicũt imperfectionem; vt sup. dictum est. Nec ex eo, quòd Deus sit liber, argui potest, quòd possit subijcere voluntati creaturæ suam voluntatem frustrandam, sicut nequit subijcere suam omnipotentiam impedi̇ẽdam, aliter posset

illam

illam reddere minùs potentem, quàm sit potētia creaturę. *Vid.de Scient.q.4.art.1.§.3.n.55.* Ad prob.dicitur, quòd decretum conditionatum,& voluntas antecedens idem sunt,vt diximus *de Scient.Dei q.4.art.1.§.5;& alibi*, Neg.ergo ant; nam actus liberi conditionati intendunt, & causant semper aliquid in creatura, quod nequit frustrari; & in casu causant auxilia sufficientia. Ex quo patet malè vsurpari *à Recentioribus* decreta conditionata;vt diximus *vbi*.

20 Igitur concludimus *cum Beatiss.P. vbi*; quòd ea, quæ Deus voluit, facta sunt; dicitur enim: *Ipse dixit,& facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*;& ea,quæ facta nō sunt,ideo facta nō sunt,quia Deus noluit.

ART. III.

An,& quomodò voluntas antecedens sit conditionata?

1 Occasionem huius dificultatis sumpserunt Theologi *ex SS. PP*; qui docēt Deum velle omnes homines saluos fieri, si bene egerint;vt *D.Ambr.* super hunc locum *Apost.* ait: *Deus vult omnes saluos fieri, si accedant ad ipsum; non enim sic vult saluare, quòd nolentes saluentur, sed vult saluare, si ipsi velint. Et Beatiss.P.Aug.* sæpè repetit: *Qui fecit te,non saluabit te sine te.* Vnde *Fundatiss.Doct. dist.46. princ.1. q.1. ad 3.* ait: *Ideo illa propositio dicitur conditionata, quia vult salutē omnium, si bene fecerint.* Propter hoc.

2 *Aliqui Recentiores* inquiūt voluntatē antecedētem dici conditionalē eo,quòd depēdeat à consensu liberi arbitrij, tanquam à conditione, quam expectat, & ex cuius defectu redditur inefficax,& frustratur suo effectu. Pro hac sententia *Gonet* refert *Mol;& Petau*;& eam tribuit cōmuniter *PP.Soc*;immeritò tamen,quia *Vasq.1.p.disp.83.c.4.n.39;& c.5; Fasol.q.19.art.5.dub.1.n.4;& alij* asserunt voluntatem antecedentem esse conditionatam solùm ex parte obiecti;& esse absolutam secundùm se; dicitur enim antecedens iuxta illorum sententiam eò, quia antecedit opera nostra; cùm, vt ait *D. Dam*; voluntas antecedens sumatur solùm ex parte Dei,non ex parte nostra; quod verum non esset, si ad illam requireretur noster consensus. Igitur hæc sententia, licèt teneatur ab aliquibus *PP.Soc*; non tamen communis est inter eos.

3 Vera tamen sententia docet voluntatem antecedentem dici conditionatam solùm obiectiuè,non subiectiuè,quia secundū se est absoluta,& impletur quoad effectus proprios,vt diximus *in sup.art*; & eius obiectum est conditionatum,quia salus hominis,quam intendit,non ponitur in executione, nisi dependenter à meritis, quæ sunt ex gratia Dei diuinitus inspirata, loquendo de adultis; nam Paruuli, cùm sint incapaces meritorum ob defectum rationis, saluantur per gratiam baptismalem, quæ confertur ex meritis Christi Domini, & efficaciter eos ordinat in vitā æternā; quę ordinatio est efficax,quia causat executionem salutis,& est effectus voluntatis consequentis,non antecedentis. *Ita Fundatiss.Doct.vbi*;& omnes alij communiter.

4 Not; quòd illud obiectum dicitur conditionatum, quod dependet in esse actualis existentiæ ab aliqua causa; nam conditionatum est illud, quod habet esse ratione alicuius causæ, à qua dependet, & quod non ponitur, nisi posita illius causa; vt v.g. sanitas habenda per medicinam dicitur obiectum conditionatum; quia non ponitur, nisi posita medicina. Attamen circa hoc obiectum potest versari volitio absoluta, quatenus absolutè vult illud absque eo, quòd aliquid decernat de conditione,à qua dependet eius executio actualis; vt cùm infirmus vult sanitatem nihil decernens de medicina,à qua dependet sanitas. In hoc sensu dicitur se habere voluntas Dei antecedens; versatur enim circa hominum salutem, cuius executio non habetur, nisi dependenter ab auxilijs specialibus efficacter ordinantibus ipsos homines, & ideo dicitur obiectiuè conditionata. Non tamen hæc voluntas est formaliter, seu subiectiuè conditionata; vult enim absolutè salutem omnium nihil decernendo de auxilijs specialibus, ex quibus pendet executio illius, aliter si esset conditionata formaliter, talis voluntas non esset in Deo; sed esset tantùm, si poneretur conditio illam suspendens, nempe consensus hominis; sicut salus omnium non est in executione, quia non ponitur conditio illam suspendens. *Hoc not.*

5 Vnica concl. Volutas antecedens non dicitur cōditionata formaliter subiectiuè eo,quòd expectet consensū voluntatis creatæ,sed tantùm obiectiuè modo explicato.

Prob.1.*ex Beatiss. P.Epist.107. ad Vital.in prop.12. Regula* docēte: *Quomodò Deus expectat voluntates hominum, vt præueniant eum, quibus det gratiam, cùm gratias ei non immeritò agamus de ijs, quibus non ei credentibus, & eius doctrinam voluntate impia persequentibus misericordiam prærogauit; nosque ad se ipsum omnipotentissima facilitate conuertit, ac volentes ex nolentibus fecit? Vt quid ei inde gratias agimus, si hoc ipse non fecit?* Ex quibus sic. Ille bonus consensus est effectus voluntatis Diuinæ inspiratus à Deo, & diffusus in cordibus nostris; ergo voluntas antecedens illum non expectat à voluntate creata, sed è contra voluntas creata illum expectat à voluntate Diuina, à qua producitur, & donatur. Ant.probatum est *de Scient.Dei q.4.art. 1. §. 2*; nam si non esset effectus voluntatis Dei, neq; deberemus orare Deum,vt illum nobis donaret, & infunderet, antequam illum habeamus; neque gratias agere, postquam illum accepimus. Tum quia cùm Deus ex nolentibus volentes facit, nullus ibi præuidetur consensus bonus, sed malus; vt patet *de Apost. Paulo* in sui conuersione; ergo voluntas Dei non dicitur ante-

tecedens eò, quia expectat noſtrum conſenſum à nobis, cùm ille ſit in nobis ex gratia Dei.

6 Prob.2. *ex eodem in Enchir. à c.95. vſque ad* 104; vbi totus eſt in probando voluntatem Dei non poſſe fruſtrari à creatura; *& lib.1. ad Simpl. q.2;* vbi ait, quòd creatura nequit fallere prædeſtinationem, ex quo ſic. Si voluntas Dei expectaret noſtrum conſenſum, Deus non poſſet ſaluare, quem vellet; ſed conſequens eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. ma. Suppoſito, quòd aliqua voluntas diſſentiret, vel præuideretur, vt ſemper diſſentiens, Deus non poſſet illum ſic diſſentientem ſaluare, quia nequit ſaluare ſine meritis, quæ ſunt media adultis neceſſaria ad ſalutem; ergo illum non poſſet ſaluare. Prob. mi; nam ſi non poſſet ſaluare, quem vellet, non eſſet *miſerentis Dei*, ſed hominis volentis; miſericordia enim Dei non poſſet ſine conſenſu hominis; quod eſt contra *Apoſt*.

7 Prob.3. *ex eod. de Præd. SS. c.12.* docente: *Sed omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, verè eſſe gratiam, idèſt non ſecundùm merita noſtra dari, quamuis euidentiſſimè Diuinorum eloquiorum teſtimonijs aſſeratur; tamen apud eos, qui niſi aliquid ſibi aſſignent, quod priores dent, vt retribuatur eis, ab omni ſtudio pietatis reprimi ſe putant, laboratur aliquãdo in ætate maiorum iam vtentium voluntatis arbitrio; ſed vbi venitur ad Paruulos, & ad ipſum Mediatorem Dei, & hominum hominem Chriſtum Ieſum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum aſſertio meritorum, quia nec illi vllis bonis præcedentibus meritis diſcernuntur à creaturis, nec ille vllis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, liberator factus eſt hominum.* Ex quo arguitur 1. Si voluntas antecedens expectaret conſenſum voluntatis creatæ, vt poſtea per voluntatem conſequentem daret gratiam efficacem ad operandum, iam noſtra voluntas priùs daret Deo conſenſum, cui Deus retribueret gratiam efficacem; ſed hoc eſt contra *Apoſt*. docentem: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Sic enim gratia efficax non eſſet gratia, quia illam præcederent merita; & ideo gratis non daretur; ergo voluntas non dicitur antecedens eò, quia expectet conſenſum noſtræ voluntatis. 2. Voluntas antecedẽs voluit omnes homines etiam Paruulos ſaluos fieri; quia Paruulorum Redẽptor fuit Chriſtus Dominus, & pro illis mortuus eſt; ſed in Paruulis decedentibus poſt Baptiſmum nullus eſt conſenſus, quia in eis non eſt vſus rationis; ergo voluntas non dicitur antecedens eò, quia expectet conſenſum.

8 Si dicatur Deum præuidiſſe conſenſum futurorum Paruulorum, ſi ſuperuixiſſent.

Ad hoc, quod erat aufugiũ *Pelagianorũ reſp. Beat. P. de Præd. SS. c.12.* referẽs illa verba *Apoſt: Omnes ſtabimus ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea, quæ geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum;* ſup. quod ait: *Geſſit, inquit, non adiunxit, vel geſturus fuit. Sed vnde hoc talibus viris in mentem venit, neſcio, vt futura, quæ non ſunt futura, puniantur, aut honorentur merita Paruulorum? Et Epiſt.* 105. *ad Sixt: Quid denique præſtatur ei, qui rapitur; ne malitia mutet intellectum eius, & ne fictio decipiat animam eius; ſi iuſtè etiam illa puniuntur, quæ licèt nõ fecerit, fuerat tamẽ viuẽdo facturus?*

8 Ex hoc ſic reijcitur inſt; & magis prob. noſtra sẽt. Si volũtas antecedẽs expectaret in Paruulis conſenſum; vt Deus illos efficaciter ordinaret ad gloriam per voluntatem conſequentẽ, nõ poſſet expectare, niſi conſenſũ bonũ conditionatè futurum, ſi ſuperuixiſſent; ſed hoc eſt falſum; aliter non potuiſſet voluntas Dei efficaciter ſaluare illum, quem rapuit præuidens, quòd malitia per conſenſum malum mutatura eſſet intellectum eius, ſi ſuperuixiſſet; nam ſicut conſenſus bonus requiritur ad hoc, vt quis ordinetur efficaciter ad vitam æternam, ita deficiente tali conſenſu, imò poſito conſenſu malo conditionatè futuro, non haberetur talis ordinatio efficax; ergo voluntas antecedens non expectat in Paruulis conſenſum eorum; ſed voluntas antecedens eodem modo ſe habet vniuerſaliter ad omnes homines, quia per illam Deus vult omnes homines ſaluos fieri ſine vlla diſtinctione, & exceptione; diſtinctio enim, & exceptio fit ſolùm per voluntatem conſequentem ordinantem efficaciter aliquos, non omnes; & iſtos, non illos; ergo ſi in Paruulis non expectat conſenſum, neque expectat in adultis.

10 Tandem prob. illis rationibus, quibus oſtendimus *de Scient. Dei vbi ſup. ar.1. per totum* noſtrum conſenſum eſſe donum ipſius Dei nobis inſpiratum à Deo.

11 Ad anctoritates *SS.PP.* allatas *n.1*; quæ dederunt occaſionem dubitandi in hac re, dicitur, quòd ita intelliguntur, vt volitio noſtra ſit effectus gratiæ Dei; & ideo non expectatur, vt aliquid antecedens collationem auxilij efficacis; ſed vt aliquid conſequens, tanquam effectus illius. Ideo *D. Ambr*; vt vidimus *de Scient. Dei q.4. art.1. §.2. n.32*; ait: *Quòd ſicut viſio reſtituta cæco non tollitur, quin ſit propria illius, & quòd per illam verè videat, et ſi illam medicinam contulerit*; ita non tollitur, quin conſenſus bonus ſit noſter, & per illum nos verè velimus, & ſi illum gratia Dei donauerit. Quapropter *Beatiſſ. P. Aug. vbi ſup*; & pluribus in locis, qui videri poſſunt *de Scient. Dei vbi ſup. §.2*; docet, quòd gratia Dei ex nolentibus facit volentes, qui facit liberè velle id, quod priùs liberè nolebamus. Ad *Fundatiſſ. Doct.* dicitur, quòd explicat ſemetipſum *ibid.* dicens; *Cùm benefacere noſtrum dependeat ex miſericordia, & voluntate Diuina.* Et deinde. *Rurſum etiam collatio gratia requirit motum liberi arbitrij; quia nunquam datur nobis gratia, niſi eam velimus ſuſcipere*,

licèt huiusmodi velle mediante libero arbitrio nostro Deus operetur in nobis.

12 Obiectiones,quæ procedunt ex læsione libertatis solutę sunt *de Scient.vbi sup; & inf. q. 4. art.2.* magis excutientur.

A R T. IV.

An per voluntatem antecedentem Deus præparet omnibus auxilia sufficientia?

1 Diximus superiùs Deum per voluntatem antecedentem velle omnibus auxilia sufficientia ad salutem; modò procedimus ad declarandum, quomodò hoc debeat intelligi?

Supp. autem. 1. auxilia sufficientia alia esse extrinseca;nam vt docet *B.Doct.dist.46.princip.1. q. 1.* præcepta, prohibitiones, consilia, prædicatio legis, vocatio externa, siue fiat vocibus,& exēplis,sunt auxilia,quæ omnibus sunt communia,& connumerantur inter auxilia sufficientia, vt omnes conuertantur ad agnitionem veri Dei, quæ tamen sunt extrinseca; alia esse intrinseca, quæ intrinsecè afficiunt intellectum, vt cognoscat verum Deum, & voluntatem, vt tēdat in illum per amorem; & ista sunt illustrationes mentis, & motiones internæ, seu motus, & impetus quidam facti in voluntate, quæ leuiter pulsant, & mouent voluntatem; & nihil aliud sunt, quàm ipsi actus intellectus, & voluntatis inefficaciter mouentes, vt diximus *de Scient. Dei q.4. art.1. §.2; & 3.*

2 Supp.2.Deum præparare omnibus auxilia sufficientia posse dupliciter intelligi.1. Ita; vt sermo sit de institutione, & exhibitione omnibus facta præscindendo ab applicatione facta cuilibet in singulari eo modo, quo Pharmacopola instituit, & præparat remedia in salutem corporis vniuersaliter pro omnibus nihil cogitans de applicatione in particulari huic, vel illi corpori; quanuis enim hic, vel ille infirmus illa despiciat, vel negligat,aut renuat illa suscipere, aut defectu ministrorum non applicentur; attamen non tollitur, quin à Pharmacopola instituta, & præparata sint pro omnibus infirmis vniuersaliter. 2. Ita, vt sermo sit de applicatione actuali, seu de receptione actuali auxiliorum sufficientium. Agitur quæstio in præsenti de præparatione solùm in primo sensu; de secundo autem discurremus *in Tract.de Prædest.*

3 Prima sententia negat,sed diuisa est; *Aliqui* enim volunt solùm in statu Innocentiæ, non autem in statū culpæ Deum instituisse, & præparasse omnibus remedia sufficiētia ad salutem, quia in statu culpæ priuantur huiusmodi auxilijs in pœnam peccati originalis.*Ita Iansen.de Grat. Salut. lib.9;& 10;* vbi vniuersaliter negat omnibus in statu culpæ siue Fidelibus,siue Infidelibus gratiam sufficientem. *Alij* volunt Fideles induratos, & obstinatos in peccatis carere auxilijs sufficientibus,quia omni gratia destituuntur. *Ita Abulen; Roffen.art.26. cont.Luth;Driedo de Captiuit;& Redempt;Med;Ruard. Taper, & alij apud Vasq.1.p.disp.97.c.2.* Sed isti loquuntur potiùs de actuali applicatione,seu receptione auxiliorum sufficientium;in quo sensu manifestè loquitur *noster Greg. in 1. dist.46. q.1;* qui docet Paruulis in vtero matrum morientibus non applicari hæc auxilia; ideo nihil *hic* contra istos. *Alij* putant solis Infidelibus non exhibita fuisse, nec pro illis mortuum esse Christum. Refertur *Eccl.Lugd.lib.de 3.Episcopis à c.15.ad 21; & Vanin. Alij* non exhibita fuisse Paruulis decedentibus in vtero matrum. *Ita Vasq;Riccard; Gabr; Sot; & alij apud Macedo in Scrinio S. P. Aug. c. 10;* sed isti quoque loquuntur de actuali applicatione, & receptione; sicut potest probabilius intelligi *de Eccl. Lugd; & de S. Rhemigio;* & cùm asserunt Christum non esse mortuum pro illis,hoc potest explicari; quòd non applicuerit efficaciter suam mortem pro illis.

Secunda sententia docet Deum per voluntatem antecedentem instituisse, & præparasse auxilia sufficientia pro omnibus etiam in statu culpæ. *Ita Fundatiss.Doct.vbi sup; & omnes alij communiter,* quos retulimus *art. 1; pro cuius decis.*

4 Vnica concl. Deus per voluntatem antecedētem instituit, pręparauit,& exhibuit omnibus hominibus vniuersaliter auxilia sufficientia communia ad salutem.

Prob.1. *Beatiss.P. lib.2.de peccat. merit; & remiss. c.17;* vbi ait: *Gratia Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates, qua, vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Ex quo sic. Causa,cur non adiuuatur voluntas hominis, non est in Deo, sed est in homine; ergo Deus, quantùm est ex se; vult adiuuare hominum voluntates; sed nequit velle adiuuare, nisi illis exhibendo auxilia sufficientia; auxilia enim sunt idem, ac adiuuamina; ergo Deus per voluntatem antecedentem præparat, & exhibet omnibus auxilia sufficientia ad salutem.

5 Resp. *Macedo D. P. Aug.* loqui de solis Fidelibus, qui damnantur per superbiam, quę non cadit in barbaros rusticos,& viles.

Sed contra est;nam licèt superbia,quę oritur ex bonis corporis, non cadat in barbaros rusticos, attamen superbia, quæ oritur ex proprijs passionibus, cadit in omnes habentes sensum, quo, cùm non careant barbari rustici, possūt superbire;sicut superbia,quę oritur ex cognitione sui,sufficiēs est,vt possint superbire spiritus Loquitur igitur de superbia,prout est causa omniū vitiorū,ait enim *ibid.Vitiorum nanque omniū humanorum causa est superbia; Ad hanc conuincendam,atque auferendam talis medicina cælitus venit; ad elatum hominem per superbiam Deus humilis descendit per misericordiam, gratiam claram, manifestamque commendans in ipso homine.* Ex quibus verbis reijcitur sic hæc responsio.

sio, & magis prob.concl. Ad tollendam superbiam, quæ est radix omnium peccatorum humanæ naturæ Deus humilis descendit commẽdans gratiam suam in homine; sed superbia est in omnibus hominibus peccatoribus, quia in in ipsis sunt peccata, quæ oriuntur à superbia, tanquam à radice; ergo venit ad tollenda peccata omnium hominum per suam gratiam; sed hæc gratia non est efficax in omnibus; ergo relinquitur, quòd sit sufficiens. Loquitur ergo *Sanctiss.P.* de superbia, prout est communis omnibus peccatis, & vt reperitur in omnibus peccatis; non prout est peccatũ specificè distinctum ab alijs; ideo nulla est solutio.

6 Prob.2. omnibus illis auctoritatibus, quę adductę sunt *art.1. à n.10. ad 14*; quibus prob. Christum mortuum fuisse pro omnibus, esse Redemptorem omnium, attulisse omnium salutem, & omnes pertinere ad Christum tanquam ad medicum; ex quibus sic arguitur. Deus voluit mortem Christi esse in remedium totius naturę humanæ infirmæ propter peccatum, quia voluit Christum esse omnium Redẽptorem; sed mors Christi non fuit applicata omnibus efficaciter, aliter omnes salui facti essent; ergo voluit per voluntatem antecedentem remedium sufficiens pro omnibus; & per voluntatem consequentem remedium efficax solùm pro aliquibus, & ideo instituit, & pręparauit omnibus auxilia sufficientia, quæ sunt remedia ad salutem.

7 Conf. Si Deus non instituisset pro omnibus auxilia sufficientia ad salutem, non omnes pertinerent ad Christum Redemptorem, neque omnes haberet iudicare; illi enim pertinẽt ad redemptionem, & iudicium Christi Domini, pro quibus institutum est remedium salutis; ergo per voluntatem antecedentem Deus instituit, & præparauit omnibus auxilia sufficientia. *Vid. alias rationes vbi sup.* Hinc *noster D. Prosper de Voc. Gent. c. 25.* eius Discipulus ait: *Rationabiliter, & piè creditur omnes homines saluos fieri Deum velle, semperque voluisse, & hoc non aliunde monstratur, quã de his beneficijs, atque prouidentia Dei, quam vniuersis generationibus communiter, atque indifferenter impẽdit*; sed beneficia communia sunt auxilia sufficientia; ergo Deus per voluntatem antecedentem instituit, & præparauit omnibus auxilia sufficientia.

8 Prob.4. *ex Fundatiss. Doct. vbi sup.* Voluntas vniuersaliter prouidens, optima, & recta debet omnes naturas ordinare in suos fines proportionatos per media sufficientia ad illorũ consecutionem, quamuis aliqua indiuidua illarũ naturarum ex proprio defectu deflectant ab illis finibus; sed natura rationalis est capax salutis æternæ; ergo Voluntas Dei antecedens, quæ constituit generalem Prouidẽtiam, debet illam ordinare per media sufficientia in salutem ęternam. Prob. ma. Natura vniuersaliter ordinat omnes homines ad habendum duos pedes, ad conseruationem corporis, licèt aliqui ex indispositione menstrui cum vno tantùm, vel sine pedibus nascantur. Sic Pater familias generaliter ordinat Filios ad virtutes illis prouidendo media sufficientia ad earum consecutionem, quamuis aliqui illorum ex propria malitia declinent ad vitia; & Dux exercitus ordinat omnes milites ad pugnam illis prouidendo de medijs sufficientibus ad pugnandum; etsi aliqui illorũ ex propria vilitate conuertantur ad fugam; sed Deus est natura naturans, vt dicitur *in 2. Phys.* & Paterfamilias omnium hominum, & Dux huius militiæ super terram; ergo debet vniuersaliter ordinare omnes homines per media sufficientia ad conseruationem animæ, ad gloriam, quæ per virtutes aquiritur, & ad pugnam cum vitijs, quæ salutem, & gloriam impedire passionum conatibus moliuntur; quanuis aliqui ex propria malitia declinent ad mortem. Mi. patet ex dictis *To.1. de Inuisib. Dei q.1. art.1*; vbi ostẽdimus visionem Dei supernaturalem esse possibilem creaturæ rationali per gratiam; sed visio supernaturalis Dei est vita æterna, quæ est perfectissima salus iuxta illud *Io. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum Patrem*; & est vltimus finis creaturæ rationalis; ergo creatura rationalis est capax salutis æternæ.

9 Prob.4. Intendẽs rationabiliter aliquem finem debet velle media sufficientia ad illius consecutionem, aliter inordinatè finem intenderet; quia intendere ordinatè est intendere illa omnia, quæ ordinantur ad finem; sed Deus per voluntatem antecedẽtem intendit omnium salutem, quę est finis naturæ rationalis; ergo per voluntatem antecedentem vult media sufficientia ad illius consecutionem; sed huiusmodi sunt auxilia sufficientia; ergo per voluntatem antecedentem vult, & præparat naturæ rationali auxilia sufficientia.

10 Conf. Deus per voluntatem consequẽtem intendens efficaciter salutem aliquorum indiuiduorum naturæ rationalis vult, & præparat illis auxilia efficacia, quæ sunt media proportionata ad consecutionem illius; ergo per voluntatem antecedentẽ intendens sufficienter salutẽ naturę rationalis in communi vult, & pręparat naturæ auxilia sufficientia, quæ sunt media in communi oblata toti naturæ; ita enim salus efficienter intenta dependet à medijs sufficientibus; sicut salus efficaciter intenta à medijs efficacibus.

11 Prob.5. alia ratione *eiusdem B. Doct.* Deus exhibuit legem Euangelicam, prædicationem Apostolicam, præcepta, prohibitiones, & cousilia, iuxta illud Christi Domini: *Docete omnes gentes*; vbi nullam personarum exceptionem indixit; sed ista connumerantur inter auxilia sufficientia; ergo per voluntatem antecedentem præparauit, & exhibuit omnibus auxilia suf-

sufficientia ad salutem.

12 Prob. 6. Omnis homo, dum est in hac vita, potest saluari, & ideo tenetur sperare suam beatitudinem; sed sine auxilijs sufficientibus nequit saluari; ergo Deus in hoc statu exhibet omnibus auxilia sufficientia ad salutem. Ma. patet; quia omnis homo etiam in statu culpæ in hoc distinguitur ab iam damnato, qui est in termino, quòd ille potest saluari, & iste nequit saluari. Prob.mi. Si posset saluari sine auxilijs sufficientibus, posset saluari per solum liberum arbitrium, vt docebat *Pelagius*; sed consequens est contra Fidem, quæ in hoc damnauit *Pelagium*; & contra rationem; quia liberum arbitrium sauciatum per peccatum est omnino inhabile ad bonum; & etiansi esset sanum, attamen est improportionatum, cùm sit ordinis naturalis, fini supernaturali; & ideo solùm ad malum sibi sufficit; ergo sine auxilijs nequit saluari.

13 Tandem prob. Omnis homo obligatur sub mortali ad obseruantiam præceptorum Dei; sed si Deus illi non exhiberet auxilia sufficientia, non posset obligari; ergo Deus exhibet omnibus auxilia sufficientia. Prob. ma. Sola ignorantia inuincibilis excusat à peccato; vt habetur *Io.* 15; vbi Christus Dominus loquens de toto Mundo, postquam præmisit illa verba: *Si odit vos Mundus*; ait: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*; sed ignorãtia inuincibilis præceptorum Dei nequit dari; nam vt ostendimus *To.*1. *de Subst. Dei q.*1. *art.* 5; lex Euangelica fuit sufficienter promulgata toti Mundo; & Fides adeo dilatata est, vt faciliter omnes gentes possint venire in cognitionem illius; ergo omnis homo obligatur sub mortali ad obseruantiam præceptorum Dei. Prob. mi. Sine gratia non possunt impleri mandata Dei, & vitari peccata, vt docet *Beatiss.P.*; *& ex illo Fundatiss.Doct.in* 2.*dist.*28.*q.*1.*art.*4.*cont. Pelag*; sed nullus potest obligari ad impossibile; quia Deus impossibilia non præcipit; vt docet *Beatiss.P. de Nat; & Grat.c.*69; *& Trid. Sess.* 6. *c.* 11; ergo si Deus nõ exhiberet omnibus hominibus auxilia sufficientia, nullus posset obligari ad obseruantiam præceptorum Dei.

14 Resp.*Iansen.*1.Deum præparasse omnibus auxilia sufficientia in statu Innocentiæ; sed eos priuasse talibus auxilijs in statu culpæ in pænam peccati originalis; qnapropter *Beatiss.P. Aug.de Cor; & Grat.c.*11.ait: *Nunc autem, quibus deest tale adiutorium, iam pæna peccati est*. 2. Præcepta Dei posse impleri à iusto per gratiam, & charitatẽ; à fideli per Fidẽ; & ab infideli per liberũ arbitrium. 3. Quòd sicut occidens aliquem cum ignorantia concomitante non excusatur à peccato, quia talis ignorantia non est causa occisionis; ita impotentia ad obseruanda præcepta, cùm sit concomitans (non enim ideo transgreditur præcepta, quia non potest illa implere, sed quia non vult; putat nanq; se posse implere præcepta, & tamen vult illa transgredi) non excusat à peccato. Sicuti Sacerdos nesciens se amisisse Breuiarium putans illud habere apud se, si stante hac cognitione vellet omittere officium, non excusaretur à peccato; ita à pari.4. Impotentia in fideli, cùm oriatur à peccato originali, quod illi imputatur ad culpam, non saluat eum à peccato; sicut si Sacerdos proiecisset Breuiarium in mare, impotentia recitandi officium non saluat eum à peccato, quia talis impotentia orta esset ex propria culpa.

Sed hæc nõ soluũt. Ad 1.dicitur; Deũ priuasse homines in statu culpæ iustitia originali, seu adiutorio *sine quo non*, non tamen auxilijs sufficientibus, quæ, licèt habeant aliquam assimilationem cum adiutorio *sine quo non*, vt diximus *de Scient. Dei q.*4.*art.*1.§.2.*n.*47: attamen in plurimis differunt; illud enim constituebat hominem formaliter bonum, rectum, & iustum; quod non facit auxilium sufficiens. Ad *Beatiss.P.* dicitur eum non loqui de simplici institutione, & præparatione, vt loquimur *hic*, sed de actuali collatione, applicatione, & receptione; subdit enim: *Quibus autem datur, secundùm gratiam datur*. Et paulò post: *Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perseueranter tenendo*. Ad 2.neg; quòd ab infideli per liberum arbitrium solum possint impleri præcepta; nam diligere Deum super omnia est primum mandatum; sed dilectio Dei super omnia est actus supernaturalis quod enim est super omnia naturalia, est super omnem naturam, & ideo supernaturale; ergo nequit esse à libero arbitrio sũpto secundùm vires naturales. Ad 3.neg; quòd talis impotentia sit concomitans ipsum actum aliter antecedenter ad actum haberet potentiã, quod est falsum, quia antecedenter ad actum non habet, nisi liberum arbitrium, quod non sufficit solum. Præterea dispatitas est de ignorantia, & impotentia, quia ignorantia concomitans poterat vinci, & ideo non excusat; at impotentia concomitans aliquando nequit vinci; vt v.g. cùm quis in actu recitationis officij amittit linguã, quia talis impotẽtia nequit vinci, ideo excusat. Tandẽ non solũ transgreditur, quia nõ vult, sed etiã quia nõ potest, etiãsi vellet. Et licèt putet se posse, attamen talis transgressio non imputatur, quia non habet auxilium sufficiens ad cogitandum se non posse; nam *omnis sufficientia iuxta Apost. ex Deo est*. Ad illud de Sacerdote dicitur, quòd peccat, quia tenetur desiderare Breuiarium ad præceptum implendum, ideo quia ponit actum oppositum tali desiderio, peccat cogitatione. Ad 4.dicitur, quòd non omnis impotentia orta ex peccato imputatur ad culpam; nam impotentia infirmi ad ieiunandum, etiansi talis infirmitas orta sit ex ebrietate, dummodò pæniteat, non deputatur ad culpam. Tum

quia

quia motus pri mò primi, etsi oriantur à peccato originali, non sunt peccata. Ad illud de Sacerdote dicitur, quòd si pæniteret proiecisse Breuiarium, & illud desideraret, talis impotentia nō deputaretur ad culpam.

15 Obijc. 1. *Macedo* decem loca *Beatiss.P. Aug*; in quibus videtur negare gratiam vniuersalem, & communem omnibus.

Sed in illis locis *Beatiss. P.* ferè semper loquitur de gratia speciali efficaci, per quā actualiter consequimur gloriam. Et si quandoque loquatur de gratia sufficiēti, loquitur de illa quoad actualem collationem, & receptionem, vt *sup.* diximus.

16 Obijc. 2. In statu Innocentiæ, cuius propria erat gratia, non debuit deesse prouidentia gratiosa generalis pro omnibus; ergo in statu ruinæ, cuius proprium est peccatum, debuit dari Prouidentia generalis mixta ex misericordia, & iudicio iuxta illud *ps.* 100. *Misericordiā, & iudicium cantabo tibi Domine*; nam recta ratio Prouidentiæ postulat, vt in statu Innocentiæ, in qua non erāt peccata, nulli decernerentur supplicia; & in statu culpæ, in quo sunt peccata, aliquibus decerneretur priuatio omnis gratiæ.

Resp. hoc solutū fuisse ad 1. *Iansen.* Igitur dist. conf. In statu ruinæ debuit esse Prouidentia specialis mixta ex misericordia, & iudicio, de qua loquitur *ps*; conc. Prouidentia generalis, neg; nam per Prouidentiam generalem mixtam ex misericordia, & iudicio non saluatur impositio ordinis, ordinatio naturæ, nec possibilitas præceptorum; nec spes in omnibus Viatoribus; per Prouidentiam autem specialem optimè saluantur iustitia, & misericordia. Ad prob. insert. dicitur, quòd nimis probat; si enim debet curtere paritas, debet concludi; quòd sicuti in statu Innocentiæ nulla fuit proposita pæna; ita in statu culpę nulla debuit esse proposita gratia; quod penitus tollit gratiam Redemptionis.

17 Obijc. 3. sententia de gratia vniuersali fuit opinio *Pelagij*, *& Pelagianorum* impugnata à *Sanctiss.P*; *& D.Prospero*, vt etiam ait *Maldonat.in Io.c.1.n.9.* Et *Arminiani*, *& Remonstrantes*, qui *Semipelagianismum* renouarunt, vt sentētiam *Beatiss.P.* reprobatent, opinionem de gratia vniuersali exsuscitarunt.

Resp. *Pelagium, eiusq; Discipulos* in Concilijs sæpius coactos ad confitendam, & profitendam gratiam Dei admisisse gratiam vniuersalē, quam sufficere dicebant ad prædestinationem, & consecutionem actualem vitæ æternæ. Reprobat autem *D.P.* hanc opinionem vti hæreticam, quia gratia, qua consequimur vitam æternam, quæ nobis à Deo confertur per voluntatem cōsequentem, non est illa gratia vniuersalis, sed specialis, quia aliquibus misericordia Dei datur, & aliquibus iusto iudicio negatur; non est ergo illa gratia *Pelagiana* vniuersalis, quā vrgemus nos Catholici, & hoc patet ex gestis omnibus *D.P. contra Pelagium, & Pelagianos*; nam semper loquitur *D. P.* de gratia, qua consequimur vitam æternam, qua prædestinamur; benè autem esse gratiam efficacem, non sufficientem, non est opus probatione.

18 Obijc. 4. *Zuinglius, Bullingerus, Bucerus, Melancton, Lauaterus, Hyperius, Lutherus, Caluinus, Moyses Amyraldus, aliique Heretici* gratiam vniuersalem docuerunt; ergo non est à *Catholicis* sustinenda.

Resp. eam non docuisse in eo sensu, quo illam admittunt Catholici; dicebant enim illam esse gratiam prædestinationis, vt diximus; *Caluinistæ* autem addūt illam suffocare libertatem. Præterquamquod Hæretici suo more inconstantes, & sibi vt plurimum contradicentes, modò illam admiserunt, modo negarunt, vt patet *de Luthero ex Auctoribus* Fide dignis; nec mirum est, quòd aliquando propositionem Catholicam assumant ad astruendas eorum blasphemias, non enim fuisset plausibilis eorum secta, si *Diuinas Scripturas* omnino negassent, nec possent gloriari nomine Christianorū, si Christianas sententias prorsus negassent; vnde cū *in D.Paulo* hanc expressam sententiam repetiant; non est mirum, quòd illam concesserint, quanuis illam nimis sacrilegè adulteraverint.

19 Obijc. 4. Reperiuntur aliqui homines ita barbari, Antropophagi in cauernis montium enutriti, omnino segregati ab humano consortio, ferarum more vitam agentes, in rupibus habitantes, & à rupibus, si vita excipiatur, patum distincti, rationis omnino, & legis incapaces, vt legitur in hystorijs Indiarum, luminis naturalis prorsus orbati; ergo ij certè non habent auxilia sufficientia ad salutem. 2. Paruuli decedentes in vtero Matrum carent certè ijs auxilijs, ergo non datur auxilium sufficiens omnibus vniuersale.

Ad 1. resp; quòd argumentum partim Circæum est, quod facit homines belluas, partim fabulæ *Deucalionis* oppositum; transuertit enim propemodum homines in saxa, non saxa in homines, vt somniati sunt *Poetæ*. Docet ergo Philosophia, quòd intellectus, & disciplinabilitas sūt duę proprietates ab homine inseparabiles, & quanuis ob grossitiē tēperiei, qualitatis aeris, ciborū &c; sint hę duę proprietates valde debiles, & imperfectæ, non tamen sunt prorsus extinctæ; aliter esset extincta etiam hominis essentia, cum qua sunt inseparabiliter connexæ; cuius signum est; nam *Indi*, licèt à principio essent omnino rudes, tamen acceperunt disciplinam, & valde docti euasere; ergo signum est, quòd non erant nec belluæ, nec saxa, quæ nullo artificio possunt edoceri; nec quòd carebant omnino vsu rationis; & *hic* in Italia erant aliquæ nationes omnino simplices, quæ ex aliorum consortio peritissimæ, & acutissimæ euasere. Ad antecedens ergo dist. Sunt omnino incapaces rationis, neg; sunt capaces, cōc; & dist. conf. Nō habēt auxilia sufficien-

cientia exhibita, & præparata, neq; actu oblata, & recepta transeat. Ad 2.dist. conf. Non datur auxilium sufficiens vniuersale omnibus oblatū, & præparatum, neq; omnibus collatum,& actu receptum,transeat.

20 Obijc.5. Ad hoc vt,Christus sit mortuus pro omnibus,& sit vniuersalis Redemptor, sufficit, quòd obtulerit suam mortem pro omnibus, licèt à Patre non fuerit pro omnibus acceptata; sed ex hac non acceptatione potiùs destruitur gratia vniuersalis; ergo ex hac ratione nihil concluditur.

Resp; quòd hæc oblatio est actio facta à supposito Diuino Verbi; in Christo enim non est suppositum creatum, vt definitum est contra Nestorium;sed suppositum Diuinum nequit elicere actionem,quæ est contra omnem voluntatem Dei antecedentem,& consequentem; ergo licèt illa oblatio non fuerit acceptata pro omnibus per voluntatem consequentem, fuit tamen acceptata vniuersaliter pro omnibus per voluntatem antecedentem.

21 Obijc. 6. Non ad omnes peruenit notitia legis Euangelicæ; ergo non omnibus data est gratia sufficiens. Prob. ant. Quia sunt aliqui in extremo mundi recessu positi, ad quos non peruenit Euangelium.

Resp. dist.ant.Nō peruenit ad omnes,idēst omnes non receperunt Euangelium, conc; omnibus non fuit exhibitum, neg; nam dicitur: *Docete omnes gentes*, per quod patet ad prob.

22 Obijc. 7. Infideles non peccant; ergo falsum est aliud fundamentum. Prob. ant. Qui laborant ignorantia inuincibili, non peccant; sed tales sunt infideles rudes, de quibus loquimur; ergo non peccant; tum quia id videntur innuere *S.P;Prosper, Fulg; & Bern.* Item peccatum potest vinci dupliciter, scilicet per actum virtutis oppositum, & per aliud peccatum minùs graue, v. g. homicidium per mutilationem vnius bracchij; quanuis ergo infideles sine auxilijs sufficientibus non possint euitare peccata, & implere præcepta per actum virtutis oppositæ, qui est supernaturalis, possunt tamen vitari per aliud peccatum minùs graue.

Resp. ad 1. *ex Beatiss. P.in Io.89.* neg.ant. Ad prob.dist. ma. Non peccant peccato infidelitatis, conc; alijs peccatis,neg. Ad min.dist.Infideles ante prædicationem legis, conc; post promulgationem,neg. Verba *Sanctiss.Doct.* sunt hæc: *Respondeo illos habere excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus. Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in Discipulis venit, & quibus per Discipulos est loquutus, quod & nunc facit; nam per Ecclesiam suam venit ad Gentes,& per Ecclesiam suam loquitur Gentibus.* Ad 2.dicitur,quòd licèt per peccatum minùs graue vitēt peccatum maius, attamen illud peccatum minus graue punitur; ergo signum est, quòd illud per auxilia sufficientia poterant euitare, aliter punirentur propter aliquod, quod erat impossibile vitare, quod est *contra Beatiss.P;& Trid.*

23 Hæc opinio docet infideles adultos, barbaros, rudes non puniri, nisi ea pœna, qua puniuntur Paruuli decedentes sine baptismo; cùm enim ignorantia inuincibilis saluet eos ab omnibus peccatis actualibus, quæ ignoranter inuincibiliter committunt, superest, quòd puniantur propter solum peccatum originale; quantùm autem hoc sit alienum *à SS. PP;* & à ratione, videant, qui intelligunt.

24 Obijc.8. *Alij*. Voluntas antecedens *per B.Doct.* respicit naturam, vt præcisam ab indiuiduis, sed naturæ,vt præcisæ ab indiuiduis, non conferuntur media, seu auxilia ad salutem, cùm solis indiuiduis conferantur; conferuntur enim auxilia illi, quod operatur mediantibus talibus auxilijs; indiuidua autem,non natura, operātur; ergo voluntas antecedens non præparat media sufficientia ad salutem.

Conf. 1. Voluntas confert auxilia sufficientia, quæ simpliciter illa vult; sed voluntas antecedens non vult simpliciter auxilia communia, sed secundùm quid,cùm sit simplex velleitas;ergo voluntas antecedens non confert auxilia sufficientia.

Conf.2. Operatio *per B.Doct.* est actus, seu signum voluntatis consequentis; ergo quando Deus operatur auxilia communia, illa tribuit per voluntatem consequentem, non per antecedentem.

Resp.dist. ma. Voluntas antecedens respicit naturam, vt præcisam præcisione physica; neq; vt præcisam præcisione metaphysica; conc. Quāuis ergo natura physicè separata ab indiuiduis,vt aiūt finxisse *Platon*, nō possit operari;attamen natura metaphysicè præcisa, quia est physicè coniuncta cum indiuiduis, physicè potest operari, & ideo illi tribuuntur auxilia ad operandum. Voluntas ergo antecedens respicit naturàm, vt continentem indiuidua, propter quod illi exhibentur auxilia communia,quæ respiciunt ipsam naturam, prout in ipsa communicant omnia indiuidua; non autem respicit formaliter ipsa indiuidua secūdùm se, quæ formaliter, vt indiuidua,in nulla ratione communi conueniūt,cùm formaliter,vt talia,discouenientiam importent, vt patet.

Ad 1. conf.neg.mi; licèt enim volūtas antecedens dicatur simplex velleitas, & secūdùm quid respectu auxiliorum specialium,& actualis consecutionis vitæ æternæ;tamen secūdùm se,& respectu naturę,seu auxiliorum cōmunium dicitur voluntas simpliciter, & absoluta, vt superiùs diximus.

Ad 2. dist.ant. Operatio efficax, qua consequimur actu vitam æternam,pertinet ad volūtatem consequentem, conc; operatio exhibens au-

auxilia communia, neg.

25 Obijc. vlt. Voluntas antecedens Dei eſt ſicut voluntas Iudicis, qui vellet ſalutem Rei, in quantùm homo eſt, vult autem mortem ipſius, in quantùm talis homo eſt; ſed voluntas Iudicis nulla illi confert auxilia ſufficientia ad ſaluandam vitam; ergo nec Deus per voluntatem antecedentem confert auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Reſp. diſt. ma. Quantùm ad ſimplicem voluntatem, conc; quantùm ad voluntatem generaliter prouidentem, neg; Iudex ergo non confert media, quia non eſt generalis Prouiſor; at verò Deus, cùm ſit vniuerſalis Prouiſor, debet omnes ordinare in finem, illiſque media ſufficientia ad talem finem præparare, & exhibere.

ART. V.

An Deus poſſit mala præcipere?

1 Diximus ſuperiùs cum *Fundatiſſ. Doct.* præceptum eſſe effectum, ſeu ſignũ voluntatis antecedentis, ideo *hic* de eo agendum eſt. Quia autem Deum bona præcipere nulli dubium eſt, ſupereſt, vt inquiramus de malo; pro cuius intelligentia.

Not. 1; quòd malũ triplex eſt, ſcilicet malũ naturæ, malum pœnæ, & malum culpæ. Malum naturæ eſt defectus ipſius, vt eſt monſtrum, quod deficit ab intentione naturæ, cùm naſcatur præter intentionem illius; Malum pœnæ eſt ipſa miſeria, quæ à Deo infligitur propter culpam; malum culpæ eſt ipſum peccatum. Non loquimur *hic* de malis naturæ, aut pœnæ; cùm enim à Deo producantur, ſunt nanq; moraliter bona, non eſt dubium, quòd à Deo non poſſint præcipi. Difficultas ergo reſtringitur tantùm ad malum culpæ.

2 Not. 2. *ex B. Doct. in* 1. *diſt.* 48. *princ.* 2. *q.* 3; quòd malum culpę adhuc duplex eſt; aliud enim eſt malum, quia prohibitum, & eſt illud, quod eſt malum, quia à Deo prohibetur; quòd ſi tolleretur prohibitio, non eſſet malum. Aliud eſt prohibitum, quia malum, & hoc eſt illud, quod ſecũdùm ſe ita eſt eſſentialiter malum, vt non poſſit ab ipſo vllo modo auferri malitia. Malũ, quia prohibitum, vocatur etiam malũ per aliud, ſeu per accidens, ſcilicet ratione præcepti. Prohibitum, quia malum, dicitur etiam malum eſſentialiter, & ſecundùm ſe. Ratio autem, cur ſi à malo per accidens tollatur præceptum, deſinat eſſe malum, & bonum euadat, affertur *à B. Doct. ibid*; ſunt mala, quia prohibita, habent ſolummodò deordinare hominum à proximo; à Deo autem non deordinant abſolutè, ſed tantùm quatenus eius voluntas illa prohibet per præceptum; ſi ergo tollatur prohibitio, tollitur etiam deordinatio hominis à Deo, & per conſequens tollitur peccatum, quod eſſentialiter conſiſtit in deordinatione à Deo; atqui ſublata deordinatione à Deo, remanet ordinatio, & bonitas formalis creaturę, quę eſſẽtialiter conſiſtit in ordinatione ad Deum, ſicut malitia in deordinatione; igitur ſi tollatur prohibitio, tollitur deordinatio, & malitia, & ponitur ordinatio, & bonitas; & licèt remaneat deordinatio ad proximum, quia tamen deordinatio ad proximum non eſt mala niſi ex conſequenti, idèſt quatenus conſequitur ad deordinationẽ à Deo, vt mors, quæ infligitur à iuſtitia legali alicui Reo, licèt deordinet à proximo, quia ordinatur ad malum proximi, cùm ordinetur ad mortem, quæ eſt extremum omnium malorum, quia tamen non deordinat à Deo, qui non prohibet iuſtitiam legalem, ideo mors Rei non eſt peccatum, nec moraliter mala. Mala verò eſſentialiter per ſe, & formaliter deordinant à Deo immediatè, & ſecundùm ſe, vt adorare Deos alienos, blaſphęmare verum Deum &c; & ideo ab ipſis nequit tolli deordinatio à Deo, aliter ab ipſa re poſſet tolli eius eſſentia.

3 Obſeruat tamen *B. Doct.*; quòd ſicut ſolus Deus poteſt producere aliquem effectum abſq; ordinatione cauſarum ſecundarum; non enim eius potentia eſt alligata eſſentialiter ordinationi vniuerſi, ſed eſt abſoluta ab omni ordine, vt patet in effectibus miraculoſis, in quibus agit ſupra ordinem naturę; ita poteſt facere, quòd creaturæ ſeruent ordinem ad ipſum Deum abſque eo, quòd habeant ordinem inter ſe; & per conſequens ſolus Deus poteſt diſpenſare in ijs, quæ ſunt mala accidentaliter, & per aliud, non verò in ijs, quæ ſunt mala eſſentialiter, & per ſe. Rationem autem huius inſinuat inferiùs. Nam illi, cui conuenit determinatus modus eſſendi, conuenit etiam determinatus modus agendi, cùm modo agendi proportionetur modus eſſendi, qui eſt principium, & fundamentũ actionis; ſed Deus nullo modo eſſendi determinatur, cùm ſit omnino illimitatus in eſſe, & quælibet creatura eſt determinata quoad eſſe; igitur ſolus Deus non eſt determinatus ad vnum ordinem agendi, ſicut eſt determinata creatura; ergo ſi attendamus alium ordinem agendi diuerſum ab eo, qui de facto eſt, poſſet Deus præcipere id, quod de facto ſecũdùm hũc ordinem prohibet, dummodò illud non ſit eſſentialiter malum.

4 Not. 3. *ex eodem ibid*; quòd præceptum aliquando ordinatur ad aliquod, quod eſt per ſe volitum à Deo; vt *honora Parentes*; honor enim parentũm eſt verè volitus à Deo; aliquando ordinatur ad aliquod, quod eſt nolitum ſecundùm ſe à Deo, & eſt volitum propter aliud, propter quod præcipitur, vt eſt pręceptum factum *Abrahæ* de immolando filio; ipſa enim immolatio præcepta erat verè nolita à Deo, quia ipſam impediuit per Angelum; attamen erat volita ab ipſo probatio Fidei ipſius *Abrahæ*, propter quam præcepta fuit immolatio. His nor.

Vnica

5 Vnica concl. Poteſt Deus præcipere ea, quæ ſunt accidentaliter mala, non autem ea, quæ ſunt eſſentialiter mala. *Ita B. Doct. vbi ſup.* Prob. 1. pars concl. Poteſt Voluntas Dei præcipere omne id, quod eſt bonum ſecundùm ſe, cùm præceptum ſit actus voluntatis Diuinæ, quæ ſolùm bonum, vtpotè rectiſſima, habet proſequi; ſed malum accidentaliter ablata prohibitione eſt bonum ſecundùm ſe; ergo Voluntas Diuina poteſt illud præcipere. Ma. patet; mi. prob; nam vt dictum eſt, quando Deus prohibet aliquod accidentaliter malum, non eſt determinatus ad hunc ordinem, quem videmus ita, vt non poſſit alium ordinem ſeruare, vt patet in actionibus miraculoſis; ergo ſicut de facto prohibet, poterat non prohibere, ſed præcipere; ſed ablata prohibitione tale malū nō eſt ampliùs malum, ſed bonum euadit; ergo malū accidentaliter eſt bonum ſecundùm ſe; Tùm quia illud malum non deordinat à Deo ſecundùm ſe, deordinat enim tantùm, quia à voluntate Diuina prohibetur; ergo ſecundùm ſe non eſt malum, & ideo ſecundùm ſe erit bonum, cùm inter bonum, & malum nihil mediet, vt alibi diximus; ergo ſi non eſt malum, niſi quatenus eſt contra voluntatem Dei prohibentem, ſecundùm ſe erit bonum, & quatenus eſt iuxta voluntatem Dei præcipientem, ſuam bonitatem accipiet.

6 Conf. Deus præcepit *Hebræis*, vt raperent vaſa aurea, & argentea *Aegyptiorum*; & *Oſeæ*, vt acciperet mulierem fornicationis, vt faceret filios fornicationum; ſed hęc erant in lege prohibita ſecundùm ordinem pręſentem; ergo in illis tunc diſpenſauit.

7 Prob. 2. pars concl. Malum eſſentialiter eſt ita intrinſecè malum, cùm ſit immediatè oppoſitum Diuinæ bonitati, vt ab ipſo nequeat Deus auferre malitiam, non enim poteſt tollere oppoſitionē per ſe inter duos terminos priuatiuè oppoſitos, quod repugnat; ergo eius voluntas non poteſt illud præcipere committendum, aliter vellet formaliter peccatum, & ſic non eſſet eſſentialiter ordinata ad ſolum bonum proſequendum.

8 Obijc. 1. Dominus præcepit *Oſeæ* actum libidinoſum, qui eſt eſſentialiter malus; ergo poteſt præcipere ea, quæ ſunt eſſentialiter mala. Prob. ant. Ille actus eſt eſſentialiter malus, qui eſt immediatè contra aliquod Attributum Diuinum, ſed actus libidinoſus eſt immediatè contra puritatē Diuinam; ergo eſt eſſētialiter malus.

Reſp. diſt. ant. Præcepit actum libidinoſum faciendum ex libidine, neg; faciendum ex motiuo procreationis filiorum, propter quod illi ſubiunxit, vt faceret filios fornicationum, conc. Ad prob. dicitur, quòd licèt actus carnalis ex libidine ſit contra aliquam virtutem Dei, tamen ille actus ex motiuo procreationis non eſt contra aliquam virtutem Dei, niſi ſuppoſita prohibitione; tunc enim eſt contra voluntatem ipſius; & per conſequens non eſt malus niſi conſideratus, vt à Deo fuit prohibitus.

9 Inſtabis. Deus præcepit illi, vt faceret filios fornicationum; ergo ei pręcepit actum libidinoſum ex libidine.

Reſp. 1. *D. Hier*; quòd licèt *Oſea* acceperit in vxorem mulierem fornicariam; tamen eius filij vocandi erant filij fornicationis, non quòd eſſent gignendi ex fornicatione; naſcendi enim erant ex matrimonio; ſed quia naſcendi erant ex matre fornicaria. Vel in ſententia illorum, qui dicunt *Oſeam* accepiſſe illam mulierem in fornicariam, non in vxorem, ait *B. Doct*; quòd Deus præcepit ſecundùm aliam impoſitionem ordinis, ſecundùm quam non eſſet peccatum: non ſecundùm præſentem impoſitionem, ſecundùm quam eſt peccatum.

Reſp. 2; quòd filij *Oſeæ* vocandi erant filij fornicationis, quia ad exēplum matris erāt ſecuturi fornicationem, idēſt Idolatriam, quam ſecuturi erant filij *Iſrael* ad imitationem matris ſuæ, idēſt *Synagoges*.

10 Obijc. 2. *Exod.* 12. Deus præcepit furtum filijs *Iſrael*; ſed furtum eſt eſſentialiter malum, quia eſt contra iuſtitiam Diuinam; ergo go poteſt præcipere eſſentialiter malum.

Reſp. *Beatiſſ. P. in pſ.* 103. Illud non fuiſſe furtum, ſed fuiſſe iuſtam retributionē, ſeu mercedem laborum, quos pro *Aegyptijs* tolerauerāt; ait enim: *Argēto, & aureo ditatos Iſraelitas eduxit de Aegypto, quia, & ipſi tales erant, qui nundum poſſent contemnere laborum ſuorum, licèt temporalem, tamen debitam, iuſtamque mercedem*; & paulò poſt: *Quod ſibi reddi debuit, abſtulerunt. Et lib. 2. in Exod. c. 39.* ait; illud non fuiſſe furtum, quia fecerunt ex voluntate, & poteſtate Dei, qui eſt Dominus immediatus omnium rerum; fuiſſet tamen furtum, ſi feciſſent ex poteſtate propria; & dat exemplum de Miniſtro Iuſtitiæ, qui non peccat, etſi occidat Reū; non enim id facit ex poteſtate propria.

11 Obijc. 3. *Gen.* 22. Deus pręcepit *Abrahæ* occiſionem filij, qui erat innocens; ſed mors innocentis eſt mala ſecundùm ſe; ergo poteſt præcipere malum ſecundùm ſe.

Reſp. 1. diſt. ma. Præcepit *Abrahæ* occiſionem filij ipſam volendo, neg; ipſam nolendo, volendo tamen aliud, propter quod illā præcipiebat, conc. 2. Dicitur *Iſaacū* ratione peccati originalis eſſe reum mortis; ergo poteſt eam æquè decernere.

12 Obijc. 4. Iudex non poteſt diſpenſare à lege; ſed Deus eſt vniuerſalis Legiſlator; ergo nequit diſpenſare in ſuis pręceptis. Prob. ma. Si Iudex poſſet à lege diſpenſare, poſſet diſpenſare in his, quę ſunt contra legem æternam exiſtētem in mente Dei; omnes enim leges dependēt à lege ęterna; ergo poſſet facere bonū, quod eſt eſſentialiter malum, quia eſt oppoſitum legi æternæ.

Reſp.

Resp; quòd cùm lex triplex sit; scilicet Diuina naturalis, diuina positiua, & humana. Deus potest dispensare, imo destruere omnem legem humanam, quia superior Dominus potest destruere leges inferiores; potest etiam dispensare in lege Diuina positiua, & destruere, sicut legem Moysi quantùm ad ceremonialia, & iudicialia, quæ adueniẽte lege Euangelica cessarunt. Legem autem naturalem Diuinam non potest destruere; & ratio est, quia hæc est naturalis, & ex natura instituta, non autem ex voluntate libera; at verò lex positiua Diuina, & humana sunt liberè institutæ; sed quæ sunt ex natura, sunt necessaria, & immutabilia; ideo lex Diuina naturalis nequit à Deo destrui, vel mutari.

13 Obijc. 5. Deus potest facere de non ente ens; ergo potest facere de malo bonum; nam maior est distantia inter ens, & non ens, quàm inter malum, & bonum.

Resp. neg. conf. Ad prob. dist. ant. Maior est distantia cum eadem repugnantia, neg; sine repugnantia, conc; licèt ergo Deus possit facere, quæ distant, & non repugnant, nequit tamen facere, quæ distant, & repugnant, vt repugnat malum essentialiter fieri bonum.

14 Colligitur ex dictis, quòd consilium, quod pariter est effectus voluntatis antecedentis, vt diximus; cùm sit actus voluntatis Diuinæ per modum prosecutionis, sicuti etiam præceptum affirmatiuum, non potest esse circa malum, sed necessariò semper tendit in bonum propter rationes assignatas. Prohibitio verò (quæ est alter effectus voluntatis antecedentis, quia non semper impletur, sicuti non semper impletur consilium, & præceptum; non enim semper facimus ea, quæ Deus præcipit, consulit, & prohibet) quia est actus voluntatis Diuinæ per modũ fugę, non potest esse circa bonum; nequit enim voluntas Dei bonum prohibere; aliter fugeret à bono, & fieret inordinata, ideo prohibitio est tantùm circa malum illud fugiendo, non prosequendo; sed de his fusiùs in 2. sent.

15 Quæres; an Deus possit dispensare in præceptis Decalogi?

Resp. *B. Doct. ibid*; quòd mala sunt in duplici differentia; alia enim deordinant à Deo, vt illa, quæ prohibentur *in prima Tabula*; & alia deordinant tantùm à proximo, vt illa quæ prohibentur *in secunda Tabula*. Illa, quæ deordinãt à Deo, nullo modo possunt dispensari; quia nullo modo possunt esse bona, cùm enim bonitas sumatur per ordinationem ad Deum, qui est prima bonitas, ideo illa, quæ essentialiter deordinant à Deo, nullo modo possunt esse bona; & per consequens à Deo non possunt dispensari à præcepto, quo prohibetur, ne fiant. Illa verò, quæ deordinant tantùm à proximo, non à Deo, vel deordinant à proximo immediatè, & principaliter; à Deo autem solùm ex consequenti, quatenus scilicet prohibentur, adhuc possunt considerari dupliciter. 1. Secundùm impositionem ordinis, quam habent de facto; vt quia sic fuerunt à Deo ordinata ad deordinationem proximi, per quam deordinationem ablatio rei alienæ constituitur mala de sui natura, & est formaliter furtum; impositio enim ordinis afficit naturas rerum; & ideo res, prout illi impositus est talis ordo, dicitur mala ex sui natura, si deficiat à tali ordine; & in hoc sensu Deus nequit dispensare neque etiam in præceptis *secundæ Tabulæ*. 2. Secundùm aliam impositionem ordinis, quem Deus poterat imponere rebus; poterat enim Deus facere, quòd omnes diuitię huius mundi essent communes omnibus hominibus, est enim supremus Dominus habens supremam potestatem; & sic posset dispensare in præceptis *secundæ Tabulæ*; tunc enim res præceptæ non essent ex sua natura malæ, sed bonæ. Cùm ergo *Arist. 2. Eth. c. 9.* ait quędam esse mala, vt homicidium, furtum &c; loquitur secundùm hanc impositionem ordinis, non secundùm aliam.

QVÆST. V.

De Voluntate Dei consequente

DIscussis ijs, quæ pertinent ad voluntatem antecedentem, siue ad actum volũtatis Diuinæ, quo respicit generaliter naturam humanam cõcedendo illi auxilia generalia, procedimus ad explicanda ea, quæ spectant ad voluntatem consequentem, qua respicit specialiter indiuidua naturæ humanæ concedendo eis auxilia specialia.

ART. I.

An voluntas Dei consequens sit causa immediata omnium rerum?

1 NOn quærimus, an voluntas sit idem formaliter, ac omnipotentia, seu potentia executiua producens ad extra creaturas; de hoc enim egimus *To. 1. de Omnipot. art. 6*; sed inquirimus, an sit causa immediata omnium rerum ita, vt ly *immediata* excludat medium realiter distinctum, quod est causa creata; non medium virtualiter solùm distinctum, quod est omnipotentia Diuina. Igitur sensus est; an voluntas Dei immediatè producat omnes effectus creatos; vel aliquos effectus producat solùm mediantibus causis creatis, quatenus dedit illis virtutem ad producendum, v. g. Pater immediatè dicitur producere Filium; mediatè autem nepotem, quatenus dedit Filio virtutem ad alium producendum?

2 Prima sententia vult Deum non producere effectus creatos immediatè. *Ita aliqui*, quos suppresso nomine reijcit *Beatiss. P. Aug. lib. 5. sup. Gen. ad lit. c. 20*; vbi ex professò hanc difficulta-

tem resoluit. *Item Saraceni, & alij*, quos confutat *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 1. q. 2. art. 6; Algaz;* qui voluit Deum immediatè solùm produxisse primam intelligentiam, & mediante ipsa producere alias creaturas. Pro hac sententia refertur etiam *Dur*.

Secunda docet voluntatē Dei esse causam efficientem immediatam omnium creaturarum; dupliciter autem dici immediatam. Primò prout est idem, ac principalis, & prima mouens alias causas ad agendum; vt explicat *B. D. Aegid. in 1. dist. 40. princ. 3. q. 1. ad 4; & dist. 45. princ. 2. q. 1. ad 4.* Secundò, prout excludit medium reale realiter distinctum, quod est creatura. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 45. princ. 2. q. 1; Greg. dist. 45. q. 1; & omnes alij ex nostris, & exteris communiter. pro eius resol.*

3 Vnica concl. Voluntas Dei consequens est causa efficiens immediata omnium rerum creatarum. Est de Fide; habetur enim *Ephes. 1. Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ; et Isaiæ 45. Omnia opera nostra operatus es nobis; & Io. 5. Pater vsque nunc operatur.*

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. 5. sup. Gen. c. 20;* vbi super mox allatum textum *Io. 5.* ait: *Sunt enim, qui arbitrantur tantummodò Mundum ipsum factum à Deo, cetera iam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinauit, & iussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus vsque nunc operatur. Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, & non in hoc Mundo. Pater in me manens, inquit, facit opera sua; & sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat. Deinde quia non solùm magna, atque præcipua, verumetiam ista terrena, & extrema ipse operatur, ita dicit Apost. Stulte tu, quod seminas, non viuificatur, nisi priùs moriatur. Et quid seminas? Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum ferè tritici, aut alicuius ceterorum: Deus autem dat illi corpus, quomodò voluerit, & vnicuique seminum proprium corpus. Sic ergo credamus, vel si possumus, & intelligamus, vsque nunc operari Deum, vt si eonditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Hoc prosequitur *lib. 7. c. 23; & c. 28.* prope finem concordans illud *Eccli. 18. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul;* propter quod ait Mūdum creatum fuisse in instanti; & nomine sex dierū intelligi sex gradus cognitionis Angelicæ; & illud *Gen. 2. Die septimo requieuit ab omni opere, quod patrarat;* ait: *His enim omnibus Diuinæ Scripturæ testimonijs, quam esse veracem nemo dubitat, nisi infidelis, aut impius, ad illam sententiam ducti sumus, vt diceremus cum ab exordio sæculi primùm simul omnia creauisse; quædam conditis iam ipsis naturis, quædam præconditis causis, sicut non solùm præsentia, verumetiam futura fecerit omnia potens, & ab eis factis requieuerit, & eorum deinceps administratione, atque regimine crearet etiam ordines temporum, & temporalium; qui & consummauerit ea propter omnium generum terminationem, & inchoauerit propter sæculorum propagationem; vt propter consummata requiesceret, propter inchoata vsque nunc operetur.* Ex quo sic. Si Deus non produceret omnia immediatè, nunc non operaretur; sed consequens est contra Fidem; ergo & ant. Ma. patet; quia si sufficeret tradidisse virtutes operatiuas creaturis, & mediātibus illis operari, sicut causa creata tribuit suo effectui; ita se haberet, sicut se habet causa creata, quæ verè nō operatur; nam extincto homine Patre homo Filius verè operatur non operante Patre, qui non est; qui tamen dicitur operari mediatè, quatenus tribuit illi virtutem operandi; ergo si Deus non produceret omnia immediatè, nunc non operaretur.

4 Prob. 2. ratione *Fundatiss. Doct.* desumpta *vbis; & in Opusc. de Renunc. Papa c. 4.* Agens vniuersalissimum, quod non agit per actionem determinatam ad vnum, producit omnia per voluntatem; sed Deus est huiusmodi; ergo producit omnia per voluntatem. Prob. ma. Agens vniuersalissimum, quod non agit per actionem determinatam ad vnum, debet agere per voluntatem, per quam eius actio determinatur potiùs ad producendum, quàm ad non producendum hunc effectum præ alio; aliter eius actio, vt potè vniuersalissima, necessariò produceret omnes effectus producibiles; nam agens necessarium agit, quantùm potest; ergo agens vniuersalissimum, quod non agit per actionem determinatam ad vnum, producit omnia per voluntatem. Prob. mi. Deus est supremum agens; sed agens supremum nequit agere per actionem determinatam; nam quod agit per actionem determinatam ad vnū, agit ex necessitate naturæ; & quod agit ex necessitate naturæ, agit, vt motum, & determinatum ab alio, quia non habet principium se mouendi ab intrinseco cum dominio suarum actionum, & ideo non agit per se, sed ab alio, à quo mouetur; ergo Deus est agens vniuersalissimum, quod non agit per actionem determinatam ad vnum.

5 Conf. Actio infinita simpliciter extenditur immediatè ad omnes effectus; in tātùm enim actio agit mediatè, in quantùm non extenditur vltra causam mediam ad attingēdum effectum; & in tantùm non extenditur, in quantùm limitatur; sed actio Dei est simpliciter infinita; ergo extenditur immediatè ad omnes effectus, atqui actio Dei ad extra est formaliter libera; & actio formaliter libera est actio voluntatis; ergo volūtas Dei est causa rerum omnium effectiua.

6 Prob. 2. *ex eod. ibid; & in Opusc. de Laud. Diuinæ Sap. c. 16.* Deus est agens per modum Artificis supremi constituentis omnia in numero, pondere, & mensura; ergo voluntas Dei est causa immediata omnium rerum; nam Artifex causat per voluntatem sua artefacta; per hoc

enim,

enim, quòd Artifex agit ſciens, & volens, diſtinguitur ab agente naturali, quod agit, vt motum ab alio, non vt mouens ſe ipſum per voluntatē; & ideo cùm Deus ſit Artifex ſupremus omniū creaturarum, eius voluntas cauſat omnes creaturas. Et quanuis Artifex creatus cauſet ſua arteſacta mediantibus inſtrumētis, attamen Deus cauſat omnino immediatè; quia in tantùm Artifex creatus cauſat mediatè, in quantùm ſine illis eſt impotens cauſare; ſi enim poſſet ſine inſtrumentis operari, fruſtra illis vteretur; at verò cùm Deus ſit omnipotens, nulla ei impotentia, aut indigentia, quæ naſcitur ex impotentia, poteſt attribui; & ideo omnia cauſat immediatè.

7 Prob. 3. *ex noſtro Greg.* Voluntas Dei immediatè conſeruat omnes creaturas; ergo immediatè producit omnes creaturas. Ant. patet tū *ex Sap.* 11; vbi habetur: *Quomodò poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur?* Et *ex Beatiſſ. P.* 4. *ſup. Gen. ad lit. c.* 14. *Creatoris namque potentia, & omnipotentis, atque omnitenentis virtus eſt cauſa ſubſiſtendi omni creaturæ; quæ virtus ab eis, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret ſpecies; omniſque natura concideret; non enim ſicut ſtructuram ædium, cùm fabricauit, quis abſcedit; atque illo ceſſante, & abſcedente ſtat opus eius; ita Mundus vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimē ſui ſubtraxerit. Proinde, & quod Dominus ait: Pater meus vſque nūc operatur, continuationem quādam operis eius, quæ vniuerſam creaturam cōtinet, atque adminiſtrat, oſtendit.* Et ratio eſt; quia Deus conſeruat res intimè illas tangendo, ſi autem conſeruaret mediatè, illas intimè non tangeret. Prob. conſ. quia, vt innuit *Beatiſſ. P.*; *conſeruatio eſt continuata productio, ſeu continuatio operis*; ergo conſeruatio immediata eſt productio immediata.

8 Conf. *Sap.* 8. habetur. *Pertingit à fine vſq; ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*; ſed conſeruans, & producens mediatè non attingit rem, quam mediante alia producit; hinc Sol, qui mediante radio producit in viſceribus terræ metalla, non dicitur attingere viſcera terræ; ſolus enim radius attingit, & Sol per radium; ergo voluntas Dei eſt cauſa immediatè conſeruatiua, & productiua omnium rerum.

9 Obijc. 1. Omnipotentia eſt cauſa immediata creaturarum; ſed voluntas diſtinguitur virtualiter ad omnipotentia, vt diximus *To.* 1; ergo voluntas non eſt cauſa immediata creaturarum.

Reſp. hoc ſuperiùs fuiſſe ſolutum. Diſt. igitur conſ. Voluntas non eſt cauſa immediata virtualiter, conc; immediata realiter, idèſt non excludit medium realiter diſtinctum, quod mediū eſt creatura, neg.

10 Obijc. 2. Cauſa contingens nequit producere effectus neceſſarios; ſed multi ſunt effectus creati neceſſarij; ergo nequeunt produci à voluntate Dei, quæ, vt potè libera, eſt cauſa contingens. Tum quia vel voluntas Dei eſſet cauſa ſufficiens, vel inſufficiens? Si primum; ergo omnes aliæ cauſæ creatæ ſuperfluerent. Secundum dici nequit; quia inſufficientia dicit imperfectionem, quia dicit impotentiam.

Reſp. *B. Doct.* neg. conſ; nam licèt voluntas Diuina ſit libera, nō tamen eſt contingens, quia eſt ſimpliciter immutabilis; cùm illa, quæ liberè vult, immutabiliter velit. Ad 2. reſp. voluntatem Dei eſſe ſufficientem; nec per hoc infertur ſuperfluitas aliarum cauſarum; quia Deus ex ſua bonitate poteſt cōmunicare creaturis vim cauſatiuā, vt ſimul cauſent cum illo. Aliæ obiectiones faciliter ſoluuntur ex dictis.

ART. II.

An, & quomodò Deus efficaciter præmoueat voluntates creatas?

1 Diximus *q.* 1. *art.* 3. *n.* 6. operationem, & permiſſionem eſſe effectus, ſeu ſigna voluntatis conſequentis; nunc ergo hoc explicandum, & probandum eſt. Quia tamen operatio alia eſt ſupernaturalis, quæ eſt à Deo, vt eſt Auctor gratiæ; & hæc poteſt conſiderari, vt collata in ſtatu culpæ, vel innocentiæ; & alia naturalis, quæ eſt à Deo, vt eſt Auctor naturæ; *hic* quærimus ſolùm de operatione primo modo acturi *in ſequentibus art.* de alijs.

Hanc grauiſſimam difficultatem iam expēdimus *de Scient. q.* 4. *art.* 1; attamen quia propria eſt huius loci; illic enim eam pertractauimus, vt explicaremus, quomodò cognoſcantur actus liberi futuri, ideo *hic* eſt denuo agitanda.

Loquimur de voluntate creata ſolùm in ſtatu naturæ corruptæ; nam quid dicendum ſit de illa in ſtatu naturæ innocentis, explicabimus *in ſeq. art.* Voluntas autem creata poteſt conſiderari vel in ordine ad actum bonum, vel in ordine ad actum malum. Si in ordine ad actum bonum, adhuc dupliciter conſideratur; vel in ordine ad actum naturalem, vel in ordine ad actum bonum ſupernaturalem. Non loquimur in præſenti de præmotione voluntatis ad actum malum; de hoc enim *inf*; neque de præmotione ad actum naturalem, de hoc nāq; in *phyſicis*. Igitur ſenſus difficultatis eſt, an voluntas conſequens præmoueat voluntates creatas ad actus bonos ſupernaturales; & an præmotio ſit per aliquod præuiū ad ipſum velle liberū ipſius voluntatis?

2 Circa hoc ſunt plures ſententiæ, quorum *Auctores* retulimus de *Scient. vbi ſup.* §. 1. Vt autem noſtra ſententia, quam *ibid.* poſuimus, magis roboretur, & alienas, quas *ibid. in ſeq. Articulis* reiecimus, ampliùs excutiamus.

3 Vnica concl. Voluntas Dei conſequens efficaciter præmouet noſtras voluntates ad tendendum in Deum amando, & ad exercēda opera virtutum inſpirando ipſum actum dilectionis Dei ſuper omnia, non autem prędeterminando. Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Phil.* 2. habetur:

Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & operari, vt legitur *in Græcis* codicibus; sed operari in voluntate hominis velle, & operari est efficaciter ipsam præmouere ad volendum, & operandum; Deus enim ita operatur in nobis velle, & operari, non quidem vt voluntas hominis non velit, & operetur, sed vt ex nolente, & non operante fiat volens, & operans per ipsum velle, & operari inspiratum à Deo; nam efficaciter præmouere aliquam causam ad agendum est facere illam causam actu operari; & ideo efficaciter præmouere voluntatem est facere ipsam actu velle, & volita facere; ergo Deus efficaciter præmouet nostras voluntates ad tendendum in Deum amando, & ad exercēda opera virtutum. Præterea *Esth.* 15. habetur: *Conuertitque Deus Spiritum in Regis in mansuetudinem*; sed cor *Assueri* non fuit conuersum in mansuetudinem, nisi quatenus factum fuit actu volens saluare vitam Populo Dei, cui iam decreuerat mortem; & facere aliquem actu volentem de actu nolente est præmouere efficaciter voluntatem ipsius ad velle; ergo Deus efficaciter præmouet nostras voluntates. Item *Ezech.* 46. *Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis*; sed facere, vt ambulemus, est præmouere nos efficaciter ad ambulandum; ergo Deus efficaciter præmouet &c. Item *Ezech.* 36. *Dabo vobis cor nouum*; dare autem cor nouum alicui est ipsum præmouere ad aliquem actum amoris, quem priùs non habebat; dare enim cor nouum nihil aliud esse potest, quàm producere in corde nouum actum amoris, quod est efficere nouum velle, per quod mouetur voluntas ad tendendū in Deū obseruando illius præcepta; nam motus voluntatis non est, nisi actus illius. Item *Ephes.* 1. *Qui vniuersa operatur secundùm consilium voluntatis suæ*. Ex quo sic. Operari actum voluntatis creatæ, per quem voluntas actu operatur, est efficaciter ipsam præmouere ad suum actum, per quem solùm mouetur; sed Deus operatur actum voluntatis in ipsa voluntate, per quem voluntas actu operatur; ergo efficaciter præmouet voluntatem creatam. Item 1. *Cor.* 4. *Quid autem habes, quod non accepisti?* Ex quo sic. Causa ab illo dicitur efficaciter præmoueri, à quo accipit motum, quo actualiter mouetur; illa enim particula *præ* dicit prioritatem causalitatis; sed voluntas accipit à Deo velle bonū, quo mouetur efficaciter; mouetur enim efficiendo ipsum velle; ergo efficaciter præmouetur à Deo inspirāte ipsum actū amoris, quo voluntas mouetur in Deum. Alias auctoritates affert passim *Beatiss. P. Aug. in libris de Grat. Christi; de Pers. Iustitiæ; de Grat. & lib. arb.; de Præd. SS.; de Dono Perseu.; & cont. Iul.*

4 Prob. 2. *ex Beatiss. P. Aug.* illis auctoritatibus, quas attulimus *de Scient. Dei q.* 4. *art.* 1. *§.* 2. *à n.* 24. *vsq; ad* 32. Quibus additur *de Grat. & lib. arb. c.* 16. vbi ait: *Certum est nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dicit Ezech.* 36. *Faciā, vt iustificationibus meis ambuletis*. Ex quo sic arguitur. Facere, vt voluntas faciat præbendo illi vires efficacissimas ad faciendum, est ipsam efficaciter præmouere ad operationem; sicut facere, vt voluntas possit facere præbendo ei vires inefficaces, est ipsam inefficaciter præmouere; nam efficaciter aliquod præmouere est causare motū, quo illud actu mouetur; præmouere enim aliquā causam ab intrinseco se mouentem, vt est voluntas, quæ, cùm sit libera, & vitalis, ab intrinseco se mouet, est priùs mouere, quàm illa se moueat; priùs verò mouere dicit causare motum in illo; quia causalitas importat prioritatem, vt dicebamus; motus autem potentiæ est ipsa operatio, seu actio, per quam potentia formaliter tendit, & mouetur ad suum obiectum; vt per intellectionem intellectus tendit, & mouetur ad suum obiectum; per visionem mouetur oculus, & tēdit ad colorem &c; ergo Deus efficaciter præmouet nostras voluntates inspirando ipsum actum amoris.

5 Præterea *ibid. c.* 21. ait: *Agit omnipotens in cordibus nostris etiam motum voluntatis eorum*. Et superiùs *c.* 14. loquens de Populo *Israel*, quē mouit Deus ad constituendum *Dauid* in Regem ait: *Intus egit, corda mouit*. Hinc *Celest. in Epist. ad Episc. Galliar. c.* 9. ait: *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero arbitrio operatur, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit*. Ex quo arguitur. Causæ simultaneè agentes in hoc distinguūtur à causis, quarum vna mouet aliam, quòd illæ influunt solùm in effectum; vna tamen non influit in aliam causando in illa motum illius; nullus enim diceret, quòd vnus equus trahens rhedam causet motum in alio equo, aliter traheret equum, & rhedam; at verò causæ subordinatæ, quarum vna mouet aliam, ita se habent, vt superior causet motum in inferiori, ob quod dicitur illam præmouere, vt patet de prima rota mouente secundam; & tunc causa superior dicitur efficaciter præmouere inferiorē, quando causat, seu efficit motū in illa, per quē actu mouetur; etsi inferior sit causa se mouēs ab intrinseco; sed Deus causat in voluntate creata motum, per quem voluntas creata se mouet; ergo Deus præmouet efficaciter voluntatem creatam inspirando illi motum, qui non est, nisi actio illius, seu amor Dei, si sit motus in Deum, vt loquimur in præsenti.

6 Item *ibid. c.* 5. loquens de conuersione *D. Pauli* ait: *Vt autem de Cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola*. Ex quo arguitur. Voluntas *D. Pauli* fuit efficacissimè præmota ad se conuertendum in Deum ab illa vocatione habita in via, cùm pergeret *Damascum*; fuit enim priùs mota ab illa vocatione, quàm moueret se in Deum; quia tunc potiùs se mouebat contra

Deum;

Deum; sed illa vocatio fuit à Deo; ergo Deus efficaciter præmouet nostras voluntates.

7 Ex his format hanc rationem *Fund. Doct*; vt diximus *de Scient. q. 4. art. 1. §. 3.* Causa essentialiter subordinata in mouendo se mouet, vt præmota efficaciter à causa subordinante; sed voluntas creata est causa essentialiter subordinata; ergo se mouet, vt præmota efficaciter à causa subordinante; causa autem subordinans est Deus, ad quem omnes creaturæ ordinantur; ergo efficaciter præmouentur à Deo. Ma. patet; nam si causa essentialiter subordinata non se moueret, vt efficaciter præmota à causa subordinante, iam non esset illi subordinata in mouendo; sicut enim subordinatio in essendo importat esse ab ente subordinante; ita subordinatio in mouendo importat moueri à mouente subordinante; aliter sicuti si res actu esset absque eo, quòd esset ab ente subordinante, sequeretur, quòd ei non subordinaretur in essendo; ita si causa se moueret absque eo, quòd moueretur à primo mouente, ei non subordinaretur in mouendo. Mi. etiam constat; nam voluntas creata est causa secunda, & est secundum mouens; causa autem secunda essentialiter subordinatur causæ primæ, & secundum mouens primo mouenti; ergo voluntas creata est causa essentialiter subordinata. *Vid. vbi sup*; vbi perpendantur omnes aliæ rationes *ibid.* allatæ, quæ probant directè hanc conclusionem.

8 Conf. Voluntatem efficaciter præmoueri nihil aliud est, quàm in ipsa efficaciter produci motum à causa superiori; sed Deus, vt causa prima, efficaciter producit motum in voluntate creata; ergo efficaciter præmouet voluntatem creatam. Ma. explicata est. Prob. mi. Omne, quod est in creatura, producitur à Deo, tanquam à causa prima, aliter causa prima non esset vniuersalissima, quia, vt talis, non se extenderet ad omnes effectus creatos; rum quia si aliquid produceretur à Deo in creatura solùm simultaneè coefficiendo, illud æquè primò esset à Deo, & à creatura; implicat enim dicere causas simultaneas habere rationem prioris, & posterioris; quia prius, & posterius opponitur simultati; sed motus voluntatis creatæ est in creatura; ergo Deus, vt causa prima efficaciter producit motum in voluntate creata.

9 Tandem. Ex eo, quòd Deus tribuat voluntati creatæ auxilia sufficientia, sufficienter illam præmouet in Deum; auxilia enim dantur ad mouendam, & excitandam voluntatem in Deum; ergo ex eo, quòd tribuat auxilia efficacia, efficaciter illam præmouet; sicut namque se habent auxilia sufficientia ad præmotionem sufficientem; ita efficacia ad præmotionem efficacem.

10 Quòd autem ista præmotio non fiat per prædeterminationem physicam, vel moralem producentem in voluntate aliquod auxilium prævium effectiuum ipsius volitionis bonæ, sed per ipsam inspirationem, seu infusionem actus dilectionis Dei, qui est radix, à qua proueniunt fructus bonorum operum omnium virtutum, satis probatum est *de Scient. Dei vbi sup. art. 1. §. 2; & 3; & in seq. articulis*; *Apostolus* enim docet ipsum velle nostrum produci à Deo in cordibus nostris; quod velle vocat charitatem, seu gratiam diffusam à Deo in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; & *ex Io.* docente: *Dilectio ex Deo est*; & alijs textibus *ibid.* adductis, quibus manifestissimè ostenditur gratiam actualem nihil aliud esse, quàm ipsum actũ dilectionis Dei diuinitus inspiratum; ex quibus optimè infertur Deum efficaciter præmouere voluntates creatas inspirando ipsum actum dilectionis Dei, quo voluntas excitatur, mouetur, & inflammatur ad exercenda omnia opera, per quæ potest ad Deum peruenire. Etenim ille amor est sicuti pōdus in corporibus, quod est principium intrinsecum motus deorsum; ait enim *Beatiss. P. Amor meus pondus meum*; & ideo mouet voluntatem ad tendendum sursum in Deum, qui est centrum, & terminus omnium bonarum operationum supernaturalium.

11 Obijc. 1. Si Deus efficaciter produceret in nostra voluntate nostros actus liberos, sequeretur, quòd nostra voluntas merè passiuè se haberet, quod est contra *Conc. Trid.* damnantem *Lutherum*; ergo Deus non præmouet efficaciter nostram voluntatem inspirando actus bonos. Prob. seq. *Factum infectum fieri nequit*; sed si Deus antecedenter ad operationem nostræ voluntaris efficeret actum illius, iam ille actus, non posset esse infectus, seu non factus, aliter esset simul factus, & non factus; ergo non posset produci à nostra voluntate; quia illud, quod producitur, essentialiter supponitur, vt non factum, seu non productum. 2. Ad saluandam immediatam causalitatē Dei sufficit, quòd Deus simultaneè producat; & ad saluandam prioritatem sufficit, quòd producat mediante voluntate creata.

Resp. ad 1. neg. seq. Ad prob. dist. ma. Factum infectum fieri nequit secundùm eam rationem, secundùm quam est factum, conc. secundùm aliam rationem, secundùm quam non est factum, neg. Hoc arg. tollit omnem actionem causarum subordinatarum; quia effectus præsupponitur factus à causa subordinante, quæ pro aliquo priori antecedit causas subordinatas. Ad 2. dist. 1. pars assumpti. Ad saluandam causalitatem concursus simultanei, conc. concursus præuij, neg. Ad aliam partem neg; quòd sufficiat producere mediatè; nam producere mediatè non est propriè producere; vt diximus *in sup. art.*

12 Obijc. 2. Præmotio efficax, vtpotè insuperabilis, adamantina, & ferrea, inducit *Fatum*, seu fatalem necessitatem in voluntates creatas; ergo

ergo Deus non præmouet efficaciter voluntates creatas. Prob. ant. *Fatū*, vt admittebatur *à Mathematicis, Stoicis, Prisciltianistis, Bardesane hæretico, & alijs*, & vt damnatum est *ab Ecclesia*, est *quædam connexio, coordinatio, seu concatenatio causarum inflexibiliter, immutabiliter, & ex necessitate omnia producētiū*; vt colligitur *ex Beatiss. P. Aug. lib. 5. de Ciu. Dei c. 8*; sed si Deus præmoueret efficaciter nostras voluntates, daretur hæc connexio causarum inflexibiliter, & ex necessitate omnia producentium; quia voluntas creata non posset non agere, ne frustraretur Diuina potestas; & ageret ex necessitate, quia illa præmotio, vtpotè antecedens nostram operationem, tolleret nostram libertatem; nam omnis necessitas antecedens, & rangens potentiam lædit libertatem, vt ait *D. Damasc.*; tum quia ille actus non est liber, qui non potest non esse; posita autem præmotione efficaci talis actus non posset non esse; ergo præmotio efficax inducit *Fatum* in voluntates creatas.

Resp. hoc arg. vsos fuisse *Pelagianos contra Beatiss. P.*; vt colligitur ex *lib. de Dono Perseu. c. 12*; vbi ait: *Quod aduersus eosdem Pelagianos dicere solemus, quando nobis obijciunt, quòd Fato tribuimus gratiam Dei*; & ex *Epist. D. Prosp. ad Aug.*; vbi ait, quòd ex illius sententia arguebant induci *fatalem necessitatem*. Neg. igitur ant. Ad prob. dicitur ad maj. quòd *Fatum*, vt admittebatur ab Hæreticis, & Gentilibus, erat series causarum secundarum trahentium, & cogentium voluntates etiam nolentes ad operandum; præmotio autem efficax non trahit nolentes, sed ex nolētibus volētes facit, & liberè agētes. Ad mi. dist. 1. pars. Daretur hæc connexio causarum inflexibiliter, & ex necessitate consequēti, & secundū quid omnia producentiū, cōc; ex necessitate antecedente, & simpliciter, neg; illa enim est necessitas actus, qui eo ipso, quòd est, necesse est esse, & ideo dum voluntas creata agit, non potest non agere; sicuti dum non agit non potest simul agere; nec est necessitas antecedens, sed consequens; nec tangit potentiā, sed actū; nec tandem verum est; quòd actus ille non sit liber, qui dum est, non potest non esse; quia impotentia ad non essendum non oritur ex aliquo antecedente actum, sed ab ipsa positione actuali actus, eum qua nequit componi non positio ipsius. *Vid. de Scient. q. 4. art. 1. §. 3.*

13 Obijc. 3. Sententia admittens præmotionem efficacem inducit homines in desperationem suę salutis, tollit bonum virtutis, omnem industriam, & laborem, spem impetrandi à Deo id, quod petitur, exhortationes, & correctiones, & inducit licentiam, ac dissolutionem vitæ; extinguit orationes; torporem, & socordiam ingenerat; nam cùm nullus sit certus; an sit à Deo efficaciter præmotus, & cùm talis præmotio dependeat à sola voluntate Dei, ideo ad illam nequit aliquid cooperari voluntas creata, aliter non esset gratia, & ideo tollitur omne studium, & conatus voluntatis creatæ, & per consequens tolluntur omnes actus boni illius, & inducuntur omnes actus mali, vt dictum est.

Resp. hoc fuisse arg. *Massiliensium*; vt testatur D. Hil. *Epist. ad Beatiss. P.* posita ante *lib. de Prædest.*; vbi ait: *His Sanctitatis tuæ verbis ita mouentur, vt dicant quandam desperationē hominibus exhiberi*; & in *Epist. D. Prosp. ibid.* posita: *Et lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis adferre eo, quòd vtraque parte superfluus labor sit, si neque reiectus vlla industria possit intrare, neque electus vlla negligentia possit excidere. Quoquo enim modo se egerint, non posse aliud erga eos, quàm Deus definiuit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse esse constantem; cùm si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit adnitentis intentio. Remoueri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates.* Cui respondet *Beatiss. P. Aug. de Præd. S.S. c. 11. Miror homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei. Quid ergo? Tua ne tibi de te ipso certa est; nec times? Qui videtur stare, videat ne cadat. Cùm igitur vtraque incerta sit; cur homo nō firmiori, quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Ex quo arguitur. Incertitudo consequendi id, quod speratur, tollit spem impetrandi; quò enim certior est consecutio, eò fortior est spes, & ideo quò incertior exitus rei, eò imbecillior est spes; sed nostra voluntas est magis incerta, quia est debilis, infirma, & imbecilla; & voluntas Dei est certa, quia est firma, & potens facere id, quod speratur; ergo ex eo, quòd actus nostræ voluntatis dependeat à præmotione efficaci, quæ est firma, magis roboratur spes, & tollitur desperatio; ex eo enim, quòd nostra voluntas sit infirma, debemus orare Deum, vt illam firmet sua gratia efficaci; ob cuius firmitatem solùm firmatur spes Theologica, quæ, vtpotè Theologica, non debet fundari in aliquo studio humano, sed in gratia Dei. Idem dicendū de Fide, & Charitate, quæ sunt aliæ virtutes Theologicæ; Fides enim magis roboratur per id, cui cùm nequeat falsum subesse, est infallibile simpliciter, quàm per illud, cui potest falsum subesse; sed præmotioni efficaci nequit falsum subesse; & motioni humanæ falsitas potest inesse ob suam infirmitatem; ergo per præmotionem efficacem magis roboratur Fides. Sic Charitas per orationem magis accēditur, & inflammatur; ergo ex eo, quòd debeamus orare Deum, vt præmoueat nostras voluntates per infusionem dilectionis Dei, magis roboratur charitas; & ideo nostra sententia non tollit, sed prouehit bonum virtutum. Ad aliud de exhortatione, correptione, dissolutione vitæ, extinctione orationis, tepore, diffidia, & socordia, respondet *Beatiss. P. de Corr. & Grat. c. 5.* his verbis: *Dolor quippe ille, quo sibi*

sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, vt Deo miserante, incremento charitatis adiutus desinat agere pudenda, & dolenda, & agat laudanda, atque grataṇda. Hæc est correptionis vtilitas. Ex quo sic. Si actus boni essent ex nobis, non à Deo inspirante, magis languescerent exhortationes, & correptiones, & induceretur dissolutio vitæ, extingueretur oratio, subreperet torpor, desidia, & socordia; quia correptus percipiens propriam infirmitatem minùs attenderet ad exhortationes, & correptiones; cognosceret enim se non nisi ægrè posse conuerti ad bonum; ad quod tamen suauiter, & fortiter cõuertitur per gratiam Dei, quæ inuicta, & omnipotens est; & sic vita dissolueretur in vitia, ad quæ natura infirma continuò inclinatur; nec deberet orare, quia sciret illos esse in potentia nostra, & à Deo non inspirari; nullus autem orat, quod habet in sua potestate; & ideo subreperet torpor, desidia, & socordia; non enim esset sollicitus in quærẽdo, & petendo illos à Deo; & ex alia parte ex difficultate, quam habet voluntas infirma ad illos eliciendos, retardaretur, atque ex illa retardatione orirctur torpor, desidia, & socordia; timeret enim se non posse ad illos conuerti; & ex tali timore prouenirent hæc omnia; quapropter *Beatiss. P. de Dono Perseu. c. 16.* ait: *Cauendum est igitur, ne, dum timemus, tepescat hortatio, & extinguatur oratio, accendatur elatio.* Propter quod tolleretur omne studium, industria, conatus, & omnes actus boni, & inducerentur omnes actus mali; quia voluntas ex infirmitate, timore, & difficultate eliciendi actus bonos persisteret semper, & declinaret continuò in suam malitiam. Ex eo autem quòd sciamus tales actus bonos inspirari à Deo, faciliter excitamur ad orandum ipsum, vt nobis illos largiatur, cùm illorum largitio vincat omnem difficultatem, timorem, infirmitatem, & malitiam; & ex illis inspiratis oritur studium, industria, cùm sint radix omnium bonorum, qui sunt in nobis; vnde potiùs arguitur oppositum.

14 Inst. Vel illa potentia ad orandum est per naturam, vel per gratiam? Nõ primum; quia hæc est hæresis *Semipelagianorũ* dãnata *in Conc. Araux.* Si secundum; vel est per gratiam efficacem, vel per gratiam sufficientem? Si per efficacem; ergo omnes habentes talem potentiam efficaciter orarent; quia potestas efficax Dei infrustrabilis est, & ideo qui non orant, non deberent redargui; quia illis deesset potentia efficax ad orandum. Si per sufficientem; ergo sicuti ad actum orationis, qui est supernaturaliter bonus, valet gratia sufficiens absque præmotione efficaci; ita ad quenlibet alium actum bonum valebit gratia sufficiens absque præmotione efficaci.

Resp. hanc instantiam, quæ non parua est, esse ab omnibus soluendam; nam si ad faciendũ opus virtutis sufficeret gratia sufficiens, sicuti requiritur ad orandum, sequeretur, quòd nos nõ deberemus orare Deum, vt nobis donaret gratiam ad faciendum opus virtutis, quia iam haberemus gratiam ad orandum, quæ valeret etiã ad faciendum opus virtutis; & de eo, quod habemus, non debemus orare, sed gratias agere; etenim oratio, vt docet *Beatiss. P. Epist. 107. ad Vital.* in hoc distinguitur ab actione gratiarum; quòd illa est de dono, quod non habemus; hæc verò de illo, quod iam accepimus. Dicitur ergo, quòd gratia habet latitudinem, vt ostendimus *de Scient. q. 4. art. 1. §. 2. n. 22*; gratia enim, quæ sufficit ad dandam eleemosinam, non sufficit ad agendam pænitentiam; & quæ sufficit ad pænitentiam, non sufficit ad subeundum martyrium. Sic gratia, quæ sufficit ad orandum, non sufficit ad agendum opus virtutis; quia maior difficultas vincẽda est in exercẽdo opere virtutis, quàm in oratione, sicuti maior difficultas est in subeundo martyrio, quàm in agenda pænitentia. Itaque gratia, quæ nos præmouet efficaciter ad orandum, non præmouet nos efficaciter ad agendum opus virtutis. Et cũ dicitur, quòd si orarent per gratiam efficacem, omnes orarent. Resp. dist. Omnes orarent cum eodem fructu, neq; cum diuerso exitu, conc; non enim omnes homines æqualiter affecti sunt, vt docet *Beatiss. P. lib. 1. ad Simplic. q. 2*; & ideo, cùm tangitur cor hominis gratia Dei sufficiente ad orandum, vtique conuertitur in Deum, sed quia cor vnius hois est magis deprauatum à vitijs, ideo statim distrahitur à suis cupiditatibus, & reuertitur ad peccata illis consentiendo; at verò cor alterius ita non deprauati per illam gratiam, quæ nihil aliud est, quàm amor Dei supernaturaliter inspiratus, tẽdit in Deum orando, nec deflectit ad vitia, & reportat fructum talis orationis, qui est augumẽtum gratiæ roborantis illum ad faciendum bonum opus. Ad hoc ergo, vt fiat opus virtutis, debet vinci difficultas, quæ est in obiecto, & in subiecto; cùm autem in homine magis deprauato sit maior difficultas vincenda, ideo ei necessaria est maior gratia non quidem ratione obiecti, sed ratione subiecti. Quòd si sint duo æqualiter affecti, & æquali gratia præuenti, ambo quidem mouentur in Deum, sed vnus non sinit se distrahi ab obiectis, quæ ad peccatum inclinant; alter verò distrahitur; & ideo vnus, non alter reportat fructum orationis.

15 Obijc. 3. *Caluinus* damnatus est *in Trid*; quia admisit istas præmotiones, decreta, & gratiam efficacem, quę tollunt libertatem; ergo hęc sententia parum consonat *Concilio*.

Resp. *Conc.* damnasse *Caluinum* asserentem gratiam efficacem tollere libertatem, & cogere nostram voluntatem, vt asserebant *Manichæi*; non autem, quia docuit gratiæ efficaciam mouere voluntatem absque læsione libertatis. *Sic Iul. in Suppl. lib. 1. c. 4.* irrogabat hanc calumniã *Beatiss. P.*; tanquam sentiret cum *Manichæis* eo, quod

quòd doceret Diuinæ gratiæ efficaciam; quapropter conqueritur: *Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacito eius nomine Manichæum?*

16 Obijc.5. Præmotio efficax redderet hominem excusabilem, & Deus non posset eum exprobrare in iudicio illius; *sed Scripturæ, & SS. PP.* communiter docent homines in die iudicij fore inexcusabiles, nec vllam allaturos causam excusatione dignam; ergo præmotio efficax nõ est admittenda. Prob.ma. In die iudicij Deus non posset opponere iustos reprobis; possent enim reprobi respondere, quòd non fecerunt opera bona, quia Deus illos efficaciter non præmouit ad bonum, sicut præmouit iustos; nam ad hoc, vt Deus iustè exprobret *suæ vineæ*, idest animæ fideli, quòd non fecerit vuas, sed spinas, idest mala opera, non bona, debuit *vineæ* præstare vltimam culturam necessariam ad faciendum fructum bonum; alioquin *vinea* posset respondere se non fructificasse, non quidem defectu sui, sed defectu Agricolæ, qui illam non coluit, sicut debuit; nec Agricola posset dicere: *Quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Etenim posset respondere: *Debuisti me efficaciter præmouere ad bonum, seu conferre auxilia efficacia, quod non fecisti*. Sicut immeritò quis exprobraret homini in tenebris cõstituto, quare non videt? Responderet enim; quia non accepit lumen. Prob.mi. *Ad Rom.1.* habetur: *Reuelatur enim ira Dei de Cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent &c. ita, vt sint inexcusabiles*.

Resp. 1. hoc posse retorqueri *in Aduersarios*, qui ad saluandum illud *Apost. Quis autem te discernit?* Dicunt discerni iustum à peccatore, quia ille accepit gratiam congruam, & fuit positus in illis occasionibus, in quibus Deus præuidit illum consensurum; peccator autem nec accepit gratiam congruam suæ conuersioni, nec positus fuit in his occasionibus, in quibus Deus præuidit illum consensurum; & ideo iste posset se excusare, quòd gratiam congruam non acceperit, nec positus fuit in talibus occasionibus, in quibus Deus præuidit illius consensum.

Resp. ergo 2. neg. ma. Ad prob. dicitur, quòd adhoc, vt sit iusta exprobratio, sufficit, vt potuerint orando habere auxilia efficacia, quibus præmouerentur ad bonum, quæ tamen renuerunt petere magis amantes detineri cupiditatibus, & voluptatibus suis; dum iusti è contra illa petierunt orando proprijs renuẽtes seruire passionibus. Sic *vinea* meritò increpabitur eo, quia fecerit spinas peccatorum, quæ sunt impedimentum, & obex ad faciendas vuas operum bonorum, & ideo impedierunt, ne Agricola poneret vltimam culturam, scilicet auxilia efficacia, quæ posuisset, nisi *vinea* obicem posuisset peccatorum negligendo petere auxilia. Et ita existens in tenebris, in quibus se voluntariè posuit, iustè increpatur, quare non videat; si potest petere lumen, vt videat, & non petit, quia potius amat viuere in tenebris, in quibus se posuit; non enim Deus posuit homines in tenebris peccatorum; sed homines vltro in illis se posuerunt, & amant ambulare in illis, nec quærunt lumen, vt tenebras excutientes lumen vitę recipiant, & videant.

17 Inst. 1. Quamuis homo in statu peccati careat gratia efficaci sua culpa, quia per peccatum illam demeruit, & quia potest ponere obicem, ne ponatur; attamen in primo instanti creationis denegatio gratiæ efficacis fuit solùm ex ex voluntate Dei, quia illam nec præcessit peccatum, nec voluntas potuit ponere obicem peccati antecedenter ad gratiæ infusionem, ergo Deus saltem non posset exprobrare *Adæ*, & Angelis malis, quòd ceciderint in comparatione ad Angelos bonos, qui steterunt.

Resp. neg. supp. 2. partis antecedentis; gratia enim originalis fuit efficax, quia mouit voluntatem *Adæ, & Angelorum* in Deum pro eo tempore, quo steterunt in bono, in quo conditi erant, quamuis, vt perseuerarẽt vrgente tentatione non fuerit efficax, aliter stetissent. Nec mirum est, quòd aliqua gratia sit efficax operum bonorum nulla obsistente tentatione, quia nulla difficultas est superanda; & non sit efficax vrgente graui tentatione, ad quam superandam maiores requiruntur vires. An autem Deus in instanti tentationis maiorem contulerit gratiam Angelis bonis, quàm malis, & *Adæ*, dicemus *in seq. art.*

18 Inst. 2. Si homo posset ponere impedimentum gratiæ, posset illi resistere; hoc autem est falsum; quia *voluntati eius quis resistet?* Et ideo *Beatiss.P. de Cor. & Grat.c.14.* ait: *Volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium*; cuius rationem reddit *in Enchir.c.104*; quia voluntas Dei est omnipotens; & semper impletur. Præterea si posset ponere impedimentum gratiæ, posset etiam ad illam se se disponere; videtur enim par ratio.

Resp. dist. ant. Posset illi resistere, ne ponatur Deo efficaciter decernente illam ponere, neg; Deo promittente illam dare petentibus, conc; quia possunt illam non petere; imò ponere peccata, cum quibus stare nequit. Illæ autem auctoritates intelliguntur in primo sensu. *Vid. de Scient. q. 4. art. 1. §.4. à n.76.* Ad aliud neg. paritas; quia ad peccandum, seu ad non agendum bonum arbitrium sibi sufficit, nulla enim virtus requiritur ad non agendum; at verò ad disponendum se ad actionem supernaturaliter bonam requiritur virtus supernaturalis, quia dispositio debet esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit.

19 Inst. 3. Si homo propria culpa careret gratia efficaci, in illa quæstione, in qua inquiri-

tur,

tur, cur vnus habeat gratiam, & alter non, *Beatiss.P.* non recurreret ad voluntatē Dei concedentis gratiam illi, non isti; sed responderet; quòd ille habet, quia non ponit impedimentum; iste verò non habet, quia ponit obicem.

Resp; quòd *Beatiss.P. de Cor; & Grat.c.7; & sæpe alibi* recurrit ad voluntatem Dei, quæ vel illam non donat, vel non aufert impedimentum, quod posuit voluntas creata; non tamen negat, quòd denegatio gratiæ sit pœna peccati; docet enim *ibid.c.12. Nunc quibus non datur, pœna peccati est.* Hinc *lib.1. ad Simplic.q.2.* docet, quòd si vellet vocare etiam nolentem, idest ponentem impedimentum vocationi, posset; quia scit, quæ gratia esset ei necessaria, vt sequeretur vocantem.

20 Obijc.6.*Beatiss.P.de Præd; & Grat.c.15.* ait; quòd *Nabuchodonosor, & Pharao quantùm ad naturam ambo homines erant, quantùm ad dignitatem ambo Reges, quantùm ad causam ambo captiuum Populum Dei possidentes; quantùm ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; altero libero contra Dei misericordiossimam veritatem pugnauit arbitrio?* Ex quibus sequitur, quòd isti duo Reges æquali gratia præuenti semetipsos proprijs discreuerūt arbitrijs; ergo gratia efficax nō est necessaria.

Resp. *Gonet* hunc librum reijci ab operibus *Beatiss.P.* Breuis responsio; sed an sit vera, videndum. Ceterùm neg. seq; hoc enim sibi proponit, vt dubium dissoluendum; quod patet ex superioribus verbis: *Cur medicamentum vnius Medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad salutem &c.* Quod dubium soluit immediatè dicens: *Hic quicunque respondet illi, vt mutaretur, affuisse Diuinum, huic, vt induraretur, defuisse præsidium; & hoc contendit iniustum, propter quod rerum ipsarum fines in Dei voluntate constituens dicit Apostolus; Cuius vult miseretur, & quem vult indurat; Dicente Domino: sine me nihil potestis facere; intelligat illa omnia, vel adiuuante Domino perfici, vel deserente permitti, vt nouerit tamen nolente Domino nihil prorsus admitti.* Ergo tantùm abest, vt conuersionem Nabuchodonosor referat in arbitrium, vt potiùs oppositum doceat, scilicet referri in voluntatem Dei præmouenter adiuuantem.

21 Obijc.7.*Eccli.15.* habetur: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manibus consilij sui; adiecit mandata, & præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum Fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi;* ergo Deus non prēmouet aliquē efficaciter ad bonū; aliter non relinqueret in manu consilij sui.

Resp. hoc fuisse argumentum *Celestij Pelagij Socij definitione* 8; vbi refert alias *Scripturas* consimiles *Deuter.30; & Isai.1.* Cui respondet *Beatiss.P.de Perfect.Iust.c.19.* impletionem præceptorum, electionem boni, & vitæ fieri per charitatem à Deo inspiratam; & ideo esse donū Dei, cui debemus gratias agere; ait enim: *Et admonuit, vt eligeret vitā; quasi & ipsa admonitio non de misericordia veniat; vel aliquid prodesset eligere vitam, nisi Deus eligendi charitatem inspiraret, & electam habere præstaret. De quo dictum est: Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Aut quia dictum est: Si voles, præcepta seruabunt te; quasi non debeat Deo agere gratias, quia præcepta noluit; qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. Positis ante hominem igne, & aqua, quò vult, quidem porriget manum; sed alter est, qui vocat altiùs, quàm omnis humana cogitatio.*

22 Obijc.8. Si Deus præmoueret efficaciter nostras voluntates ad suos actus, præmoueret etiam ad peccatū, & sic esset auctor peccati.

Resp. hoc inferiùs esse explicandum. Interim dicitur, quòd est argumentum *Iuliani*; vt videri potest in *Suppl.lib.1.c.114; 116; & 117.* cui respondet *Beatiss.P.* neg. seq; *nam voluntas ad malum sibi sufficit, ad bonum autem nisi adiuuetur ab omnipotenti bono*; vnde cùm peccare sit deficere, non requiritur virtus ad deficiendum; sicut requiritur ad efficiendum actum bonum. An autem Deus præmoueat efficaciter voluntatem ad entitatem materialem physicam peccati, inferiùs dicemus.

23 Obijc.9. *D.Dam.2.de Fide c.30.* ait. *Omnia quidem præcognoscit Deus, non tamen omnia prædeterminat*; ergo non datur ista præmotio efficax.

Resp. *D.Damasc.ibid.* solùm velle Deū nō præmouere ad malum, nec prædeterminare ad bonum impellendo, & necessitando.

24 Quòd autem ista præmotio efficax non lædat libertatem, sed perficiat; inspirat enim actum ipsius, seu velle liberum, satis ostensum est *de scient.Dei q.4.art.1.§.4.*

ART. III.

An præmotio efficax necessaria fuerit in statu Innocentiæ ad perseuerandum?

1 Difficultas consistit in hoc; an *Adam*, & Angeli vrgente tētatione eguerint maiori gratia ad illam vincendam, & ad perseuerandum in ea bonitate, in qua conditi erant; an verò solum adiutorium *sine quo non* fuerit sufficiens ad actu standum; ac propterea per illud solum steterint Angeli Sancti? Tota autem controuersia est circa mentem *Beatiss.P*; cui difficultati campum vel aperuit, vel repetijt *Iansen.* Igitur.

2 Prima sententia vult præmotionem, seu gratiam efficacem (nam præmotio actiuè sumpta

pta importat decretum voluntatis Dei mouentis voluntatem creatam; & passiuè sumpta importat gratiam inspiratam à tali decreto) esse tantùm necessariam in statu naturæ lapsæ, non autem in statu naturæ innocentis; in quo gratia non mouebat arbitrium, sed expectabat motum, & nutum illius, ac illi subdebatur quoad vsum, & exercitium; quapropter in statu Innocentiæ Deus videbat futura per scientiam mediam; in statu verò culpæ in decreto efficaci. *Ita Iansen. de Grat.Christi Saluatoris lib.8. c.2; Macedo in Scrinio doctrinæ S.P.Aug.c.8.§. Quòd autem; & alij plures ex nostris relati de Scient.q.4.art.1.§.1.pro 3.sent;* qui tamen differunt in explicatione; vt diximus *ibid.*

Secunda sententia vult *Adam*, & Angelos omnes indiguisse efficaciter physicè prædeterminari à Deo ad actu perseuerandum; quapropter Angeli boni, qui steterũt, fuerũt taliter prędeterminati per gratiam efficacem; *Adam* verò, & Angeli, qui ceciderunt, non fuerunt prædeterminati efficaciter; & ideo ceciderũt. *Ita communiùs Thomistæ*, vt refert *Gonet de Volunt. Dei disp.5. art.7; & alij.*

Tertia tandem sententia docet gratiam status Innocentiæ, quam habuit *Adam*, & Angeli, fuisse efficacem pro eo tempore, quo stetit, & quo nulla erat tentatio externa, sed vrgente tentatione eguisse à Deo ampliùs roborari. Hanc esse mentem *Beatiss. P.* docet *Fund.Doct. Aeg. in Hexam.p.1. c.15; & p.2. c.3; & 31;* vbi ait discretionẽ Angelorum bonorum, & malorum factam fuisse à Deo per infusionem nouæ lucis, idèst nouæ gratiæ; *& ibid.p.2. c. 22.* ait opera bona Angelorum, sicut, & nostra esse magis opera Dei, quàm nostra; quod non posset esse, nisi efficerentur à Deo, & ideo nisi essent à gratia Dei efficaci. Hanc sententiam sequitur *noster Coquæus; & plures alij*, quos citat, & trahit *Gonet* in suam sententiam; *pro cuius explic.*

3 Supp. ex dictis *de Scient. q.4. art. 1. §.2.* adiutorium *sine quo non*, seu gratiam originalem non fuisse aliquam qualitatem præuiam distinctam ab ipsa entitate volitionis bonæ, & effectiuam illius, sed fuisse ipsum actum dilectionis Dei super omnia Diuinitus inspiratum in volũtate *Adæ*, & Angelorum; & vltra textus *ibid.* allatos duos alios adducimus ex eodem *Sanctiss. P.lib.12.de Ciu.c.9;* vbi loquens de gratia Angelorum, quam bonam voluntatem appellat, ait: *Et istam quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idèst cum amore casto, quo illi adhærent, creauit simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam?* Ex quo sic. Gratia, quam Deus largitus est *Adæ*, & Angelis condens eorum naturam, est amor castus, seu bona voluntas; ergo gratia originalis est amor, seu dilectio supernaturalis inspirata à Deo. Et paulò post sequitur. *Cõfitendum est igitur cum debita laude Creatoris, nõ ad solos sanctos homines pertinere, verumetiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis;* sed charitas secundùm doctrinam *eiusdem* est dilectio, seu amor actualis, vt passim ex eius libris colligitur; ergo gratia originalis erat dilectio Dei supernaturalis diuinitus inspirata.

4 Quòd autem ista gratia efficaciter actu moueret voluntatem *Adæ*, & Angelorum ad bene agendum, & perseuerandum in bono, potest dupliciter intelligi. 1. Quòd moueret pro eo tẽpore, quo nulla erat tentatio externa. 2. Quòd sic moueret etiam instante tali tentatione. Censemus in sententia *Beatiss. P.* solummodò primum esse dicendum, non secundum. Primum colligitur *de Cor. & Grat. c.12;* vbi ait: *Cùm & voluntas primi hominis fortis, et sana in bono ampliore non perseuerauerit habens virtutem liberi arbitrij, quanuis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset permanere, si vellet, non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, vt vellet.* Ex quo sic. Illud mouet actu efficaciter potentiam, sine quo potentia nullo modo potest se mouere; sed sine adiutorio *sine quo non* voluntas non potest actu moueri ad amandum; ergo adiutorium *sine quo non* mouebat efficaciter voluntatem. Quòd autem subdit per illud adiutorium Deum non operatum fuisse, vt vellet, non est intelligendum de velle pro tempore, quo nulla erat tentatio externa, sed pro instanti tentationis; tunc enim per illud adiutorium non fuit factum, vt *Adam* actu vellet perseuerare; nam cecidit; loquitur ergo *ibid.* de instanti tentationis, vt patet. Prætera gratia, quæ non mouet, est gratia parua, & inualida; sed gratia *Adæ* fuit magna; nam *ibid.c.11.* ait: *Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem;* ergo gratia illa mouebat efficaciter arbitrium pro tẽpore, quo nulla erat tentatio.

Preterea *lib.12.de Ciu.c.9:* loquens de Angelis bonis ait: *Ei, à quo facti sunt, amore, cũ quo facti sunt, adhæserunt.* Ex quo sic. Illud, per quod voluntas Deo actu adhæret, efficaciter mouet voluntatẽ in Deũ; sed per adiutorium, quod est amor, cum quo facti sunt (non enim ait per voluntatẽ) Deo adhæserunt; ergo efficaciter mouit voluntatem in Deum.

Præterea in *Suppl. cont. Iul.lib.3.c.112;* ex quo *Aduersarij* sumunt suam sententiam loquẽs de adiutorio *Adæ* ait: *Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio.* Ex quo sic. Adiutorium *Adæ* erat *Rector* arbitrij; sed *Rector* mouet, non mouetur ab eo, quem regit; vt patet de manu *Antiquarij* regẽtis manum Pueri ad scribẽdum; ergo illud adiutorium mouebat efficaciter voluntatem. Item ratio ducta ex conceptu causæ primæ, quæ essentialiter præmouet causam secundam; qua semper *Beatiss.P.* vrget *Pelagianos*; vt diximus *de Scient. q. 4. art.1. §.2. à n.34. ad 43;* & quam expendimus §.3; militat nedum in statu

statu culpæ,sed etiam in statu Innocentiæ; sicut enim repugnat Deum,quia est causa prima,moueri in statu culpæ à causa secunda,ita eodem modo philosophandum est in statu Innocentiæ, in quo Deus ita est causa prima, vt ei repugnet esse causam secundam; & ideo repugnat motionẽ causæ secundæ præcedere motionem causæ primæ; adeòq; repugnat causamprimam expectare in mouendo motum causæ secundæ.

5 Non mouisse autem efficaciter instante tentatione patet *ibid.ex c.11*; vbi ait: *Acceperat posse,si vellet,sed nõ habuit velle,quod posset; nam si habuisset, perseuerasset*; hinc *c.12. vbis.* habet; quòd illud adiutorium non erat *tale*, *quo in illo Deus operaretur,vt vellet*. Ex quo sic arguitur. Si tale adiutorium efficaciter actu mouisset voluntatem ad perseuerandum,per ipsum factum fuisset, vt actu perseueraret; gratia enim efficax infrustrabilis est, vt docet *in Enchir. c.* 104; *& seq.*ergo nõ mouit efficaciter vrgente tẽtatione.

6 Potest afferri exemplum *in physicis*; nam sicut per formam efficaciter fit, vt compositum actu existat nullo existente corruptiuo cõtrario externo;at verò existẽte corruptiuo externo cõpositũ non existit, nisi roboretur virtus ad resistẽdum;aliter tunc cedere necesse est.Sic voluntas *Adæ* per actum amoris Dei inspiratum efficaciter fiebat status in bono nulla existente tentatione externa; at verò vrgente tentatione debebat ampliùs roborari;illa enim virtus,quę sufficit ad standum nulla vi oppugnante, non sufficit contrario per oppositã vim impugnante. Sic gratia, quæ efficaciter mouet ad agendam pęnitentiam, non mouet efficaciter ad subeundum martyrium; quia maiores difficultates sunt in subeundo martyrio, & ideo maior virtus requiritur,quàm in agenda pænitentia, & ideo minor virtus exigitur.

7 Conf. Gratia efficax ad perseuerandum est illa,qua fit,vt actu perseueretur;vt est gratia, quæ datur Sanctis per Iesum Christum Dominum nostrum; prout manifestè docet *Beatiss.P. vbis.c.11*;sed gratia data *Adæ* non fecit, vt perseueraret in bono instante tentatione;aliter actu perseuerasset; docet enim *ibid. Vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset; & acceperat posse,si vellet; sed non habuit velle,quod posset; nam si habuisset,perseuerasset*; ergo non fuit efficax vrgente tentatione. *Hoc not.*

8 Vnica concl. Iuxta doctrinam *Beatiss.P.* in statu Innocentiæ *Adam* non eguit prædeterminatione physica ad actu perseuerandum vrgente tentatione,eguit tamẽ,vt illa gratia,quæ erat efficax nulla vrgente tentatione, augeretur vrgente tẽtatione ad illam vincendam, ne rueret.

Prima pars,quæ est contra 2.sent. sufficiẽter probata est *de Scient.q.4. art.2*, vbi ostendimus prædeterminationem physicam in sensu *Thomistarum Recentiorum* esse omnino alienam à mente *Beatiss.P*; qui docet gratiam Dei consistere in ipso actu inspirato, non autem in aliqua qualitate præuia ad actum. *Vid. ibid.art. 1.§. 2; & 3.*

9 Secunda pars concl;quæ est cõtra 1.sent. certissima nobis videtur;clarissimè enim habetur apud *Beatiss.P.præcipuè lib.12.de Ciu.c.9*; vbi ex professò tractat hanc difficultatem; non enim semel incidenter eam tangit, sed pluries illam repetit;ait nãque: *At si nõ potuerunt se ipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo meliùs quiequam facit;profectò & bonam volũtatem,qua meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent.* Ex quo sic. Meliores profectò facti sunt Angeli perseuerantes in bonitate vincendo tentationes, quàm fuerint, cùm à Deo creati sunt; quia per eam victoriam meruerunt, & melior est creatura habens maius meritum, quàm illo carens,seu habẽs minus meritum;sed nulla creatura potest facere se ipsam meliorem, quàm facta sit à Deo; ergo solus Deus fecit Angelos meliores; sed non facit meliores, nisi per maiorem gratiam:ergo Angelis bonis vrgente tentatione Deus auxit gratiam; & ideo adhoc, vt *Adam*, & Angeli mali starent vrgente tentatione, eguerunt maiori gratia, qua meliores fierent; eadem enim ratio est de omnibus. Præterea *Adam*, & Angeli non poterant habere de facto actum voluntatis, quo meliores essent, idèst quo perseuerarent vrgente tentatione,nisi *operante adiutorio Creatoris*;sed adiutorium,*quo* Deus operatur,vt velint,non est adiutorium *sine quo non*; nam isto solùm operatur, vt possint; vt docet *de Cor;& Grat. c.* 12, ergo vrgente tentatione eguit noua gratia superaddita primæ gratiæ, seu eguit augmento primę gratię, *quo* fieret actu volens perseuerare.

10 Deinde subdit: *Et cùm id egit eorum voluntas bona, vt non ad se ipsos, qui minùs erant, sed ad illum,qui summè est,conuerterentur, eique adhærentes magis essent, eiusque participatione sapiẽter,beatèque viuerent; quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quanlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram; nisi ille,qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando auidiorem?* Ex quo arguitur. Actus voluntatis, quo Angeli boni se conuerterunt in Deum auertentes se à tẽtatione,fuit à Deo meliùs implente bonam voluntatem; sed non impletur meliùs bona voluntas,nisi per maiorem gratiam; ergo Angeli boni vrgente tentatione habuerũt maiorem gratiam,& ideo illa eguit etiam *Adam*. Præterea bona voluntas inops remansisset in solo desiderio,nisi à Creatore fuisset meliùs impleta; sed bona voluntas est voluntas sub adiutorio *sine quo non*, vt continuò asserit *Beatiss.P. de Cor;& Grat.c.10; 11; & 12*; & impletio bonæ voluntatis fit solùm per augmentum maioris bonitatis, seu gratiæ; ergo *Adam* vrgente tentatio-

tatione eguit maiori gratia ad actu perſeuerādū.

11 Tandem concludit apertiſſimis verbis de Angelis malis dicens: *Aut minorem acceperunt amoris Diuini gratiam, quàm illi, qui in eadem perſtiterunt; aut ſi vtrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi ampliùs adiuti ad eam Beatitudinis plenitudinem, vnde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, peruenerunt*. Idem clarè docuerat *lib.11.c.11*; vbi ait: *In eius tamen participatione æquales fuiſſe iſtos illis, qui propterea verè, plenèque beati ſunt, quoniam nequaquam de ſuæ beatitudinis æternitate falluntur, quomodò dicturi ſumus, quandoquidem ſi æquales in ea fuiſſent, etiam iſti in eius æternitate manſiſſent, pariter beati, quia pariter certi*. Ex quo ſic. *Beatiſ.P.* expreſsè docet Angelos, qui ſteterunt, aut creatos fuiſſe cum inæquali, eaque maiori gratia, aut in inſtanti tentationis fuiſſe ampliori gratia adiutos; ergo vnum horum neceſſariò admittendum eſt; aliter tacuiſſet tertium, quod ipſe docebat ad ſoluēdam hanc difficultatem; imò omiſiſſet modum proprium ſoluendi hanc quæſtionem, quod eſt ineptiſſimum. Igitur ſi dicatur primum, ſcilicet, quòd Angeli boni fuerint creati cum maiori gratia, & ideo ſteterunt; optimè infertur, quòd *Adam* eguerit maiori gratia ad ſtandum. Si ſecundum; ergo prima gratia aucta fuit vrgente tentatione.

Ex his patet falſum dicere *Aduerſarios* hanc difficultatem ex profeſsò *ibid.* non pertractari à *Beatiſſ. P*; nam non videmus, quomodò fuſiùs, & enucleatiùs pertractari potuiſſet? Tum quia Titulus capitis hanc falſitatē apertè conuincit; quærit enim, an Auctor bonæ voluntatis in Angelis Sanctis fuerit Deus, ſeu Spiritus Sanctus diffuſus in cordibus eorum?

13 Præterea falſum eſt Deum adiuuiſſe Angelos bonos, non quidem per maiores vires intrinſecas gratiæ, ſed per gratiam protectionis externæ, qua arcuit tentationes, aut non permiſit tam grauiter tentari, ne vincerentur. Falſum, inquam eſt; nam nunquam *Beatiſſ.P.* aſſerit Angelos bonos non fuiſſe tentatos, aut non tam grauiter tentatos; & differentiam ſtatus, & ruinæ nunquam refundit in inæqualitatem tentationis, ſed in inæqualitatem gratiæ. Tum quia ſi Angeli boni ſtetiſſent, quia Deus compeſcuit tentationem; & mali ceciderunt, quia permiſit tentari; ergo ratio perſeuerantiæ, & lapſus non eſt refundenda in liberum arbitrium cum æquali gratia; ſi enim permiſiſſet omnes eodem modo tentari, omnes cecidiſſent. Tum quia iam cognouiſſet Deus ſtatum bonorum in decreto de compeſcenda tētatione, & lapſum malorum in decreto permiſſiuo; ergo non per ſcientiam mediam, vt aiunt *Aduerſarij*.

14 Nec vno tantùm *in libro*, ſed pluribus in locis id habet, ex quo deduci poteſt hanc eſſe conſtantem eius mentem; nam *ibid. lib. 11. c.19.* ait: *Si cùm lux illa facta eſt, Angeli creati intelliguntur, & inter Sanctos Angelos, & immundos fuiſſe diſcretum, vbi dictum eſt: Et diuiſit Deus inter lucem, & tenebras; & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem; ſolus quippe ille iſta diſcernere potuit, qui potuit etiam, priuſquam caderent, præſcire caſuros*. Et poſtquā dixit, quòd Deus creauit duo luminaria magna, vt diuiderent inter diem, & noctem ait: *Inter verò illam lucem, quæ ſancta Societas Angelorum eſt illuſtratione mentis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, idèſt malorum Angelorum auerſorum à luce iuſtitiæ teterrimas mentes diuidere potuit*. Et *c. 33.* explicans modum, quo Deus illos diuiſit, ait: *Inter hos ergo, & illos Deum vel præſcientia, vel opere diuiſiſſe quis dubitet?* Idèſt malos quidem præſciendo, ſeu permittendo, non autem cauſando eorum peccatum; bonos verò operando in eis bonum, quo reſtiterunt tentationi, vt peccatum euaderent; non tamen operando illum actum bonum communem omnibus, quia per illum non diuiſit, ſed vniuit; euidēs enim eſt, quòd in eo, quod eſt commune, & genericum, datur vnitas, non differentia, quæ attenditur ſolùm ſecundùm id, quod conuenit vni, & non alteri, vt patet ex terminis; commune enim ſonat *vnum cum alio*; ergo opus Dei, per quod diuiſit Angelos bonos à malis, fuit conceſſum ſolis Angelis ſanctis, ſed hoc opus eſt donum, & gratia ipſius; ergo Angeli boni in inſtanti tentationis, in quo diuiſi ſunt ab Angelis malis, receperunt à Deo maiorem gratiam.

15 Et *lib. 9. de Gen. ad lit. c. 3.* habet: *Et quid eſt lux ipſa, quæ facta eſt, vtrum ſpiritale quid, an corporale? Si enim ſpiritale, poteſt ipſa eſſe prima creatura iam hoc dicto perfectam, quæ primum Cælum appellata eſt, cùm dictum eſt: In principio fecit Deus Cælum, & terram; vt qui dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux, eam reuocante ad ſe Creatore, conuerſio eius facta, atque illuminata intelligatur*. Et quærens, cur quando Deus creauit Cælum, & terram, non dixit: *Fiat Cælum, & terram*; ſicut dixit, quando creauit lucem: *Fiat lux? Reſp. c.4. Cùm dicitur: In principio fecit Deus Cælum, & terram; exordium quippe creaturæ inſinuatur adhuc in informitate imperfectionis &c; vt per id, quod principium eſt, inſinuet exordium creaturæ exiſtentis ab illo adhuc perfectæ; per id autem, quod Verbum eſt, inſinuet perfectionem creaturæ reuocatæ ad eum, vt formaretur inhærendo Creatori*. Quia vt ſupra dixerat: *Tunc imitatur Verbi formam ſemper, atque incommutabiliter Patri cohærentem*. *Et c. 5.* proſequitur. *Ineſt enim Deo benignitas ſumma, & ſancta, & iuſta, & quidem non ex indigentia, ſed ex beneficentia veniens amor in opera ſua. Propterea priuſquam ſcriberetur: Dixit Deus fiat lux; præceſſit Scriptura dicens: Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquam; quia ſiue aquæ nomine appellare voluit totam corporalem*

mate-

materiam, vt eo modo insinuaret, unde facta, & formata sunt omnia, quæ in suis generibus iam dignoscere possumus; appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere; siue spiritalem vitam quandam ante formam conuersionis quasi fluitantem; superferebatur vtique Spiritus Dei, quia subiacebat scilicet bonæ volũtati Creatoris, quidquid erat, quod formandum, perficiendumque inchoauerat; vt dicente Deo in Verbo suo: Fiat lux in bona voluntate, hoc est in beneplacito eius pro modulo sui generis maneret, quod factum est. Ex his arguit *B. Doct. Aegid. in Hexam. p. 1. c. 15; & p. 2. c. 3; & 31.* Angelus, qui Cæli nomine significatur, creatus fuit lucidus, idest cum amore casto, & pura cogitatione; & tunc ferebatur spiritus, idest amor Dei, super aquam, idest supra fluitantem creaturam, adhuc firmiter non adhærentem bonitati, in qua condita erat; quia creatura spiritalis acceperat à Deo bonam voluntatem, seu adiutorium *sine quo non*, per quod poterat stare, & quod deserendo poterat cadere; in hoc enim consistit fluitatio voluntatis creatæ; postea Deus creando nouam lucem, idest nouam gratiam, siue feruentiorem amorem; & puriorem cogitationem diuisit lucem à tenebris, idest Angelos bonos à malis; ergo *ex Beatiss. P.* manifestè edocemur in statu Innocentiæ fuisse collatam Angelis bonis maiorem gratiam, vt conuerterentur in Deum, & permanerent in bono; & hac pariter eguisse *Adam*, vt vinceret tentationem, & staret; ac conuerteretur in Deum.

16 Præterea si actu permanere in bono descendisset solùm ex libero arbitrio sub adiutorio *sine quo non*, conuersio Angelorum bonorum esset opus liberi arbitrij Deo solùm simul concurrente cum adiutorio *sine quo non*, non autem esset opus Dei præuiè operantis ipsam conuersionem in ipso arbitrio; aliter illa conuersio non descendisset à Deo in liberum arbitrium; & sic lux facta non fuisset à solo Deo; ergo ad se conuertendum eguerant maiori gratia super illam, quam habuerunt in prima conditione.

17 Insuper reuocatio non fit, nisi per nouam vocationem; sed vocatio interna, de qua loquimur *hic*, non fit, nisi per gratiam, quæ est amor Dei inspiratus; ergo reuocatio non fit, nisi per nouam gratiam, seu per nouum amorem à Deo inspiratum; sed in instanti conuersionis Angeli boni fuerunt à Deo reuocati ad se, per quam reuocationem adhæserunt suo Creatori; ergo acceperũt nouam gratiam, per quam conuersi sunt ad suum Creatorem.

Vlteriùs. Deus creauit Angelos bonos inchoatè perfectos, & posteà perfecit infundendo nouam lucẽ; sed perfectio inchoata fuit gratia, seu amor imperfectus à Deo inspiratus; ergo perfectio completa fuit gratia seu amor perfectus à Deo inspiratus. Pluries hoc repetit *in his libris Beatiss. P.* ita, vt nullum relinquat locum ambigendi circa illius mentem, & doctrinam.

18 Idẽ docet *lib. 13. Confess. c. 2*; vbi postquã dixit, quòd materia corporalis primum à Deo facta fuit informis, inuisibilis, & incomposita; & postea ab eodem pulcra effecta est; non enim cùm primum facta est, pulcra fuit, quia non est idem esse, ac pulcrum esse, alioquin deformis esse non potuisset, ait; quòd ita pariter natura spiritalis primùm à Deo imperfecta facta est; quia fuit facta fluitans, vt aqua, in ea bonitate, in qua condita fuerat, ac propterea dictum est, *Spiritus Dei ferebatur super aquam*, & posteà ab eodem perfecta est; reuocata per idem Verbum, atq; conuersa, his verbis: *Aut quid te promeruit inchoatio creaturæ spiritalis, vt saltem tenebrosa fluitaret similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum conuerteretur ad idem; à quo facta est; atque ab eo illuminata lux fieret*. Et *c. 3.* idem prosequens, subdit, quòd sicuti non promeruit, vt fieret, seu vt esset, ita cùm iam esset, non promeruit, vt illuminaretur, conuerteretur, atque reuocaretur, his verbis: *Sed sicut non te promeruerat, vt esset talis vita, quæ illuminari posset; ita nec cùm iam esset, promeruit te, vt illuminaretur. Neque enim eius informitas placeret tibi; si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo; vt & quod vtcũque viuit, & quod beatè viuit, non deberet, nisi gratiæ tua conuersa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest, quod tu solus es.* Igitur si Angeli boni à Deo conuersi sunt in Deum, & conuersi sunt per perseuerantiam in bono; si ab ipso meliores effecti sunt, illuminati sunt, cùm priùs facti essent tenebrosæ abyssus nutantes in bonitate accepta; si non promeruerunt, vt illuminarentur, & fierent meliores; *si per idem Verbum reuocati sunt ad vnitatem tuam, & formarentur, & essent ab vno te summo bono vniuersa bona valde*, vt docet *ibid. c. 2*; si cohærere Deo perseuerando debent gratiæ non minùs, ac creatos fuisse cum illa bonitate imperfecta; profectò negari nõ potest, quòd receperint nouam gratiam, conuersio enim est noua gratia distincta à primo adiutorio, quod acceperant; & melioratio dicit maiorẽ gratiam, ac reuocatio dicit nouam vocationem supponentẽ primam vocationem, quæ non fuit, nisi prima gratia; & adhæsio fuit quid superadditum primę gratiæ, quia per illam mali non adhæserunt.

19 *Et in Enchir*; vbi veluti in compendium redigit totam Doctrinam Christianam, hoc non ommittit; ait enim *c. 106. Sic homo in Paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam idoneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parum erat velle, nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret*. Vbi notanda sunt illa verba: *Vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ*; falsa enim essent, si homo potuisset tenere se ipsum actualiter

ter per iustitiam, seu per adiutorium, quod habebat, in ipsa iustitia perseuerando. Præterea si parum erat uelle, quod acceperat à Deo, quod velle erat adiutorium *sine quo non*, vt docet *de Cor; & Grat. c.11; & 12*; ergo ad hoc, vt actu staret, egebat maiori adiutorio, seu gratia adiuuante; propterea subdit; *nisi ille, qui eum fecerat, adiuuaret*; idest nisi ille, qui adiuuerat inspirando bonum velle, seu adiutorium *sine quo non*, adiuuaret inspirando maiorē gratiam, per quam auerterentur à tentatione, & conuerterentur in Deum; non enim debebat adiuuare per ipsum adiutorium, per quod fecerat iustum, quia illud iam habebat; sic si illud fuisset efficax ad tenendum eum in vita iustitiæ, iam iustus permansisset; ergo, vt teneretur, necesse erat aliud, seu maius adiutorium.

Imò *ex ipso lib. de Cor; & Grat. c. 12*; vbi *Aduersarij* sumunt suas rationes, potest deduci hæc sententia; nam in fine capitis concludens ea, quæ supra dixerat ad concludendam necessitatem gratiæ in statu culpę sic arguit: *Adam* in statu Innocentiæ, in quo forte, & robustum erat arbitrium, nec erant tentationes internæ, quia passiones erant rationi subiectæ, attamen in tanta non peccandi facilitate cecidit, quia Deus, vt ostenderet, quid posset liberum arbitrium, dedit ei adiutorium, quo posset, non autem, quo vellet actu perseuerare, ergo à fortiori in statu culpæ, in quo arbitrium est saucium, infirmum, & imbecillum, & aliunde vrgent nedum tentationes externæ, sed etiam internæ, necessarium est simpliciter adiutorium, *quo* actu velimus stare. Ex hoc argumento sic arguitur. Ex illo antecedente infert *Beatiss. P.* necessitatem simpliciter gratiæ efficacis in statu culpæ *contra Pelagium*, qui, vt docent *Beatiss. P; & Fundatiss. Doct. in 2. dist. 29. q. 1. art. 1*; coactus *in Concil. Palest.* subscribere gratiæ necessitati, vt suam reassumeret impietatem, quam fictè, & subdolè anathematizauerat, dixit gratiam esse necessariam ad faciliùs, non ad simpliciter; ergo antecedens illius argumenti procedit de necessitate simpliciter; & facit sensum, quòd adiutorium *quo* necessarium erat simpliciter *Adæ* ad standum in illo felicissimo statu; ex quo à fortiori deducit necessitatem gratiæ efficacis in hoc statu infelici culpæ; vult enim regula Logicalis, quòd solùm ex antecedente necessario deducitur consequens necessarium; & ideo si in illo statu ad standum vrgente tentatione non fuisset necessarium simpliciter, potuisset respondere *Pelagius* nec in statu culpæ esse necessarium simpliciter; quia natura infirma, licèt ægrè, & difficulter, attamen potest operari opera, quæ expeditè, & faciliter facit natura sana, & robusta. Itaque *Aduersarij* sic trahentes illius sententiam in statu naturæ sanæ infirmant eius doctrinæ in statu naturæ sauciatæ.

21 *Et c. 11.* prope finem ait. *Namque, vt reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat; vt autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset; & acceperat posse, si vellet; sed non habuit velle, quod posset; nam si habuisset, perseuerasset.* Ex quo sic. *Adam*, vt reciperet bonum, gratia non egebat; at verò ad permanendum in ea bonitate, (supple vrgente tentatione) egebat gratia; sed gratia, qua egebat ad permanendum, non erat adiutorium *sine quo non*, quia tale adiutorium erat illa bonitas, seu bona voluntas, in qua conditus erat, & illa nō egebat, quia illam habebat; nullus enim dicitur egere eo, quod habet, sed eo, quod non habet; ergo egebat alia gratia, scilicet ipso *velle* actu perseuerare, quod non habuit; & ideo quia non habuit, licèt haberet posse perseuerare; attamen non perseuerauit; hinc subiungit: *Si habuisset, perseuerasset.*

22 Accedit auctoritas *nostri D. Fulg. Beatiss. Patris Filij, & discipuli fidelissimi*; qui *lib. 2. ad Trasimund. c. 2.* loquēs de gratia efficaci, ait *Non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in vtroque gratia operata: In hoc, vt surgeret, in illo, ne caderet; in illo, ne vulneraretur, in isto, vt sanaretur; ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non siuit.* Sed illa, quæ reparauit hominem lapsum, est gratia efficax, qua fit, vt actu stet, vt fatentur *Aduersarij*; ergo illa, qua stetit Angelus, est gratia, qua factū fuit, vt perseuerauerit; & ideo non est adiutorium *sine quo non*, quo solùm fiebat, vt posset perseuerare, non autem, vt actu perseueraret.

23 Resp. *Aduersarij D. Fulg.* loqui de gratia communiter sumpta, non autem de gratia specialiter dicta, prout distinguitur à gratia sufficienti.

Sed contra est; nam gratia communiter dicta non habet reparare hominem à ruina; aliter omnis gratia haberet reparare homines à ruina. Tum quia si hæc expositio quid veritatis haberet, nihil certè specificè haberi posset, quia omne posset interpretari de genere.

24 Præterea prob. concl. ratione ducta ex conceptu causæ primæ, quam sæpissimè repetit *Beatiss. P. de Præd. SS. c. 4; 5; 18; 19; & lib. 2. ad Simpl. q. 2; & passim de Grat; & lib. arb; de Cor; & Grat; in Suppl. contr. Iul. lib. 1. c. vlt; & de Grat. Christi* super illud: *Deus, qui operatur in vobis velle; &* & sup. illud: *Sine me nihil potestis facere*; & alibi ferè semper, vt diximus *in sup. art; & de Scient. q. 4. art. 1. §. 2.* Si enim probat necessitatem gratiæ, qua fit opus ex eo, quòd Deus sit causa prima vniuersalissima, *quæ vniuersa operatur secundùm Apost*; necessariò probat hanc necessitatem etiam in statu Innocentiæ, in quo ita est causa prima vniuersalissima, vt ei repugnet non esse talem, & ideo actu non causare per suam gratiam præuiam quancunq; nostram actionem. Huic argumēto nunquam audiuimus

ab

ab Aduersarijs aptari responsionem congruam, sed solùm leuissimas euasiones.

Propter hæc,& quia obiectiones *Aduersariorum* manifestis laborant æquiuocis,hanc sententiam amplexi sumus, vtpotè solidiorem, & congruentiorem doctrinæ *Beatiss.P.*

25 Obijc.1.*Beatiss.P.de Corr; & Grat.c.*10; 11;& 12.totam differentiam status Innocentiæ, & culpæ constituit in hoc, quòd in illo statu adiutorium *sine quo non* sufficiens erat ad standum; in hoc verò requiritur adiutorium *quo*; ergo *Adam*, vt actu staret, non eguit maiori gratia.

Resp.falsum esse manifestè hanc esse solam differentiam horum duorum statuum,nam *c.*12. *cit.*plures alias assignat differẽtias.Dicitur ergo, quòd in illo statu sufficiens erat adiutorium *sine quo non* ad standum nulla vrgente tentatione externa: quia tunc nulla erat tentatio, aut rixa interna, & ideo si nulla fuisset tentatio externa, nulla penitus fuisset tentatio; sicuti pro eo tempore,quo non fuit externè tentatus, summa pace, & beatitudine fruebatur, & stabat per adiutorium *siue quo non*; at verò in statu culpæ,etiã si non vrgeat tentatio externa, attamen quia semper pungunt tentationes internæ,ideo tale adiutorium non sufficit, sed requiritur adiutorium *quo*. Vnde sicuti, quia in statu culpæ vrgẽt tentationes, ideo requiritur adiutorium *quo*, quod est maius,ita in statu Innocẽtiæ vrgẽte tẽtatione externa maius adiutoriũ requirebatur.

26 Obijc.2. *Lib.de Cor,& Grat.c.*11.ait.*Cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*; ergo nulla fuit addita maior gratia Angelis sanctis ad standum; aliter per ipsam, non per liberum arbitrium,stetissent.

Resp; quòd talis auctoritas intellecta cum omnimoda similitudine est manifestè contra eundem *ibid*;nam sicut per solum liberum arbitrium cecident alij, ita per solum liberum arbitrium stetissent isti; quod tamen improbat *idem Sanctiss.P.*dicens;quòd *arbitrium ad malum sibi sufficit; ad bonum verò,nisi adiuuetur ab omnipotenti bono*. Verum est itaque, quòd per liberum arbitrium aliqui eeciderunt, & aliqui steterunt; quia sicuti peccatum operatum est liberum arbitrium,ita liberum arbitrium operatum est volitionem stationis; at peccato nihil cooperatus est Deus per suam grariam; stationi autem cooperatus est per gratiam adiuuantem, & seruantem à tentatione. Nec oportuit addi hanc explicationem, quia illam sufficienter præmiserat.

27 Obijc.3. *Adam* in statu Innocentiæ non indiguit orare, sed debuit gratias agere, quia erat in eius potestate perseuerare; nunc autem homo debet orare, vt arbitrium sauciatum gratia potẽtiori sanetur; ait enim *iu Suppl.cont.Iul. li.6.c.5.Quòd si ita esset in potestate,quomodò fuit ante peccatum, priusquam esset natura vitiata, non vtique posceretur orando, sed agendo potiùs teneretur*; ergo non egebat maiori gratia ad standum;quia si eguisset, illam debuisset orare.

Resp. manifestè explicare se ipsum loqui *de oratione Dominica*, qua nos oramus, vt Deus liberet nos à malo, quod contraximus per peccatum originale; hac enim oratione *Adam* non egebat orare, quia ante peccatum malus non erat; nec vt surgeret, quia lapsus non erat. Imò hoc idem dicit de homine iusto in statu culpæ;nam *de Perfect.Iust.c.*13.sup.illud *Tob.*4. *Noli timeri, fili, pauperem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omui peccato, & fecerimus bona*; habet hæc verba: *Verissimè tunc eruut homini multa bona, cùm recesserit ab omui peccato, tunc enim nulla erunt mala,vt non opus habeat dicere: libera nos à malo*. Ergo si ex hoc, quòd *Adam* in statu Innocentiæ, non debuit orare,vt liberaretur à malo, arguitur in illo statu scientia media, & per consequens non esse necessariam gratiam efficacem; arguendum est etiam in statu culpæ in hominibus iustis propter eandem rationem, & ideo vtrobique concedenda est, vel neganda. Dicimus igitur, quòd *Adam* non egebat orare, vt Deus concederet illi beneficia sanitatis, & rectitudinis, sed debebat gratias agere; in hoc enim distinguitur oratio à gratiarum actione; quòd illa est de eo, quod non accepimus; hæc verò de eo, quod accepimus; vt docet *in Epist.* 107. *ad Vital.* prope finem dicens: *Qui enim est orandus, vt faciat, illi est actio gratiarum reddenda, cùm fecerit. Et in Suppl.cont. Iul.lib.*1.*c.*108. *Oramus id, quod non habemus.* Cùm igitur *Adam* non habuerit adiutorium, *quo* actu perseueraret vrgẽte tentatione, necessariò sequitur debuisse orare, vt illud sibi concederet; quapropter *iu Epist.vbi sup.*ait: *Iam verò, vt perseuerarent iu eo, quod esse ceperuut, etiam pro se ipsis orent Fideles*;& ideo *Adam* debebat orare, vt perseueraret in ea sanitate, in qua esse ceperat.

28 Obijc.4. Si in statu Innocentiæ gratia non expectasset motum liberi arbitrij, beatitudo,quæ consistit in non posse ampliùs peccare, non fuisset merces meriti; nam in statu culpæ, quia perseuerantia principaliter est à gratia, ideo est Donum Dei, non merces meriti,vt docet *de Corr; & Grat. c.*11. in fine dicens: *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quaudo non poterit seruire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est & Angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. Idem habet *de Dono Perseu.c.*7. prope initium.

Resp. ipsis soluendum esse, quomodò in statu culpæ beatitudo, seu gloria sit merces meriti; & tamen gratia non expectet motum liberi arbitrij, vt etiam ipsi fatentur? Ait enim *Apost.*

Rom.

*Rom.*4. *Ei, qui operatur*, *merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*. *Et* 2. *Tim*. 8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitia, quam reddet mihi in illa die iustus Iudex*. Cui difficultati respondet *Beatiss. P. de Grat. & lib. arb. c.*6. *Cui redderet coronam iustus Iudex, si non donasset gratiam misericors Pater? Et quomodò esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? Quomodò ista debita redderetur, nisi priùs illa gratuita donaretur? & inf. c.*8; docet gloriam esse mercedem, quia redditur operibus; & simul esse gratiam, quia ipsa opera simul sunt dona Dei, & opera nostra. Igitur beatitudo est merces Angelis Sanctis, quia illam meruerunt perseuerando; non autem quia gratia, per quam actu perseuerarunt, expectabat morum liberi arbitrij; aliter non esset merces in nobis, vt dictum est. Et sic fuisset merces Angelis malis, & *Adæ*, si perseuerassent, quia fuisset præmium illius actus meritorij, quo perseuerassent; quamuis ille actus fuisset donum Dei; sicut est de facto in statu culpæ in Viris iustis. Nunc autem perdito illo bono merito nequit dici merces illius, quia illud non fuit; sed dicitur mera gratia Christi Saluatoris, à quo nobis donatur actus perseuerantiæ, cui, quia postea cooperamur, ideo gloria, quæ illi correspondet, dicitur nostra merces. Ergo hoc etiam facilè ruit ex doctrina eiusdem *Sanctiss. P.*; & conantur admittere scientiam mediam etiam in statu culpæ, quam dicunt repugnare, ideo dicunt aliquod apertè repugnans eius doctrinæ.

29 Obijc. 5. Si *Adæ* fuisset necessaria maior gratia ad perseuerandum, quomodò potuisset dicere *Beatiss. P.* in Paradiso ipsum fuisse beatum eo, quia *non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat*: cùm illi defuisset auxilium, quod poterat auferre miseriam? Quomodò potuisset dicere: *Adam non opus habebat eo adiutorio, quod implorant Sancti, cùm dicunt: Video aliam legem* &c; illud enim sine dubio est adiutorium *quo*, seu gratia efficax.

Sed respondeant ipsi, quomodò *Adam* fuit beatus, si non habuit auxilium protectionis externæ, quod solum potuit auferre miseriam in Angelis Sanctis? Dixit ergo *Beatiss. P.* Adam fuisse beatum, non quia beatitudine immobiliter frueretur; cecidit enim, & eã perdidit; nec quia per se ipsum sine maiori gratia stare poterat vrgente tentatione; sed *quia* (inquit *Beatiss. P. ibid.*) *suum casum futurum, aeternumque supplicium nõ cognoscebat; nam tanti mali metus tunc miserum esse compelleret*. Et quia sũma pace fruebatur interna, cùm nulla esset rixa membrorum; vt docet etiam *in Suppl. cont. Iul. lib.* 1. *c.*40. Ad aliud dicitur, quòd nõ debebat orare illud auxilium, quo sedantur passiones; sanatur arbitrium, liberatur à malo, paccantur leges repugnantes membrorum, & alia huiusmodi, quę patimur in statu culpæ; tunc enim nullus erat tumultus passionum, nulla infirmitas, nullum malum, nulla repugnantia membrorum; quia summa pace fruebatur intrinsecus. Non tamen sequitur, quòd nõ debuerit orare, vt gratiam sibi conseruaret, & augeret; vt supra dictum est.

30 Obijc. 6. Si Angeli Sancti stetissent per aliquod adiutorium maius, Deus iniustè illud denegasset Angelis malis, & Adæ; quia *nunc quibus non datur, pæna peccati est*; vt habet *de Cor. & Grat. c.*11; tunc autem nullum erat peccatum. Tum quia non potuisset exprobrare *Adæ*; poterat enim respondere se peccasse, quia ei non dedit auxilium maius, quo steterunt Angeli Sancti.

Resp. 1. etiã ipsos teneri soluere, quomodò Deus iniustè nõ denegasset *Adæ*, & Angelis malis, gratiã protectionis externę, quã cõcessit Angelis sãctis? Et quomodò potuisset exprobrare istis, & nõ illis? Potuissent enim respondere eodẽ modo.

Resp. 2. *noster Fundatiss. Doct. in* 2. *dist.* 3. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 3. §. *Propter primum* neg; quòd iniustè Deus denegauerit maius auxilium *Adæ*, & Angelis malis; & quòd iustè non possit illos increpare per comparationem ad bonos, in ordine ad quos sunt omnino inexcusabiles; & ratio deducitur *ex Beatiss. P. Aug. lib.* 11. *de Ciu. c.* 33; vbi ait; quòd Deus instante tentatione inuenit bonam societatem Angelorum *Dei sancto amore flagrãtem, alteram propria celsitudinis immundo amore fumantem, & quoniam sicut scriptum est: Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam, illam in Cælis Cælorum habitantem, istã inde deiectam in hoc infimo aereo Cælo tumultuãtem, illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam*. Et quia quancunque volitionem præcedit semper cogitatio iuxta illud *nihil volitum, quin præcognitum*; ideo vrgente tentatione Deus inuenit Angelos, qui postea ceciderunt, distractos à sancta cogitatione Dei ad contemplationem propriæ celsitudinis, & *Adam* ad cõtemplandam pulcritudinẽ, & amabilitatem mulieris; cognitiones, quæ poterant esse, sicut fuerunt, causa superbiæ. Angelos verò, qui steterunt, inuenit fixos in contemplatione, & amore Dei, cum quo eleuauerat illos, & istos; & nunquam conuersos ad contemplandam propriã celsitudinẽ; quod fomentum erat humilitatis; ideo iustè illos priuauit maiori gratia, istos verò auxit ad pugnam, quia Deus humilibus dat gratiam, quam negat superbis, & per consequens in illis voluit ostendere, quid posset liberum arbitrium cum primo adiutorio, vt docet *de Cor. & Grat. c.* 10; in istis autem ostendit gratiæ incrementum. Meritò ergo illi priuantur gratiæ augmento, qui prima gratia continuò vsi nõ sunt; istis verò meritò donatur gratia ad perseuerandum, quia continuò vsi sunt; & ideo in istis perseuerantia facta est merces meriti; quia bene vtentes prima gratia secundam gratiam promerentur; hinc docet *vbi sup. c.* 11; quòd in Angelis bonis perseuerantia *facta est merces meriti*;

quæ

quæ fuisset etiam in Angelis malis, & *Adam*. Hanc doctrinam expressè tradit *Beatiss. P. de Gen. ad lit. lib. 11. c. 4.* in fine; vbi *de Adam* ait: *Nec arbitrandum est, quòd esset hominē deiecturus iste Tētator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio, comprimenda, vt per humiliationem peccati, quàm de se falsò præsumpserit, disceret. Verissimè quippe dictum est: Ante ruinā exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et huius fortè hominis est vox in psal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.*

31 Obijc. 7. *ex Iansen. Beatiss. P. Aug. vbi s.* docet adiutorium *quo* nō fuisse concessum *Adæ*; ergo nō fuit illi necessariū ad tentationē vincēdam, & ad standum in bono, quod acceperat, aliter Deus defecisset in necessarijs. Item docet Deum dedisse *Adæ* adiutorium, *quo* potuisset perseuerare, si voluisset; vt autem vellet, in eius libero reliquisse arbitrio; ergo ad actu perseuerandum vrgente tentatione non erat ei necessaria noua gratia. Præterea cùm probat necessitatem adiutorij *quo* in statu culpæ, recurrit ad infirmitatem naturæ; sed in statu Innocentiæ nulla erat infirmitas, quia nullum erat peccatum; ergo nulla erat necessitas maioris adiutorij etiam vrgente tentatione.

Resp. neg. cons. sicut enim ex eo, quòd Deus non concedat aliquibus hominibus in statu culpæ adiutorium *quo*, non sequitur, quòd non sit simpliciter necessarium, ita ex eo, quòd non cōcesserit *Adæ* adiutorium, *quo* vinceret tētationē externam, non sequitur non fuisse ei necessariū. Nec ex eo, quòd negauerit tale adiutorium Adę sequitur, quòd defecerit in necessarijs, quia dederat ei adiutorium, *quo* poterat stare, & *sine quo* non poterat stare; & si illo vsus fuisset continuò, vt dictum est, dedisset ei augmentum, quo staret. Ad 2. dicitur, quòd tale adiutorium dabat posse perseuerare, non autem actu perseuerare vrgente tentatione, quo tempore requirebatur maius auxilium *quo*, quia voluntas eius deflexit à bono incommutabili ad commutabilem creaturam, propter quòd dicitur reliquisse ipsū adiutorium in potestate voluntatis, ideo negauit adiutorium maius. Neg. ergo cōs. Ad 3. dist. ma. Recurrit semper ad infirmitatem naturæ, neg; nam sæpissimè recurrit ad omnipotentissimam voluntatem, dominium, & causalitatem, vt supra diximus. Quando ergo recurrit ad infirmitatem naturæ, arguit à fortiori, vt diximus *supra n. 20.*

32 Obijc. 8. Si fuisset necessaria gratia efficax etiam in statu naturæ integræ, nulla esset diuersitas statuum Innocentiæ, & culpę; sed hoc est contra *Beatiss. Doct. vbi sup. c. 11*; vbi distinguit gratiam collatam *Adæ* à gratia medicinali, quæ confertur ex meritis Christi; ergo non erat necessaria talis gratia.

Conf. Gratia efficax est gratia medicinalis, quæ confertur ex meritis Christi, & supponit culpam, quę est morbus naturę sanandæ per gratiam; sed in statu Innocentiæ nulla erat culpa, & nulla infirmitas; ergo nulla gratia efficax erat necessaria.

Resp. ad arg. neg. ma. Nam gratia status culpæ est gratia sanans, illa verò fuisset gratia præseruans, ne natura per peccatum infirmaretur. *Vid.* alias differentias *de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 2. n. 46.*

Ad conf. dist. ma. Gratia efficax propria status corrupti, conc; status integri, neg.

33 Obijc. 9. Gratia originalis dabat posse, & facere; vt ait *Beatiss. Doct. Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt*; ergo non erat necessaria maior gratia. Tum quia gratia originalis in hoc distinguebatur à gratia sufficienti naturæ lapsæ, quòd per illam poterat vitare peccata, & actu stare in bono, quod acceperat; per hanc verò nec possumus vitare omnia peccata, nec stare; ergo in illo statu non requirebatur maior gratia.

Resp. dist. ant. Dabat posse, & facere vrgente tentatione, neg; non vrgente tentatione, conc. Quomodò autem intelligendus sit *Beatiss. P.* superiùs dictum fuit. Et sic ad aliud dicitur potuisse stare non vrgente tentatione, sicut de facto stetit; non tamen potuit stare tentatus, tunc enim requirebatur maior virtus vincens tentationem; quam tamen potuisset habere per illud adiutorium, quia poterat per illud stare defixus in contemplatione, & amore Dei, & non conuertere se ad creaturam; sic enim meruisset maius adiutorium, quo vicisset tentationē; quod non meruit conuertendo se ad mulierem; & ideo non accepit; & in hoc sensu dicitur adiutorium *sine quo non* dedisse posse perseuerare, non autem velle perseuerare, quia velle inspirari debuisset à Deo, cuius donum fuisset; hinc dicitur de Angelis sanctis *vbi s. c. 11*; quòd meruerunt perseuerantiam stando scilicet semper fixi, conuersi, & adhærentes Deo, & nunquam conuertētes se ad se ipsos.

34 Obijc. 10. Ad standum in iustitia sufficiebat desistere à malo; sed hoc poterat haberi per solum adiutorium *sine quo non*; ergo non requirebatur maior gratia. Ma. patet; nam ad perseuerandum in actu bono sufficit non ponere actum malum, per quem expellitur actus bonus. Prob. mi. Quanuis ad producēdum actum bonum positiuum requiratur gratia efficax illius, attamen ad desistentiam ab actu malo, quæ est mera carentia actus mali nulla requiritur gratia efficax, aliter gratia efficax nihil efficeret, quia desistere ab actu est non efficere; sicut licèt ad videndum requiratur influxus physicus potentiæ visiuę, attamen ad non videndum non requiritur influxus physicus positiuus; ergo desistere à malo poterat haberi sine gratia efficaci.

Resp. hoc probare etiam in statu culpæ nō requiri gratiam efficacem ad vincēdas tentatio-

nes, quod est falsum, nam vt docet *Beatiss. P. vbis. a. 11; Sancti clamant: Libera nos à malo.* Neg. igitur mi: nam vt docet *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 25. q. 1. art. 4. §. Secundò; & §. Ad quod dici potest*; desistentia ab actu opposito includit consensum affirmatiuum actui, quem habet, aliter ipsum nō conseruaret; & ideo dicit continuatam productionem illius, cùm *conseruatio sit continuata productio*; & vltra hoc dicit victoriam oppugnantium voluntatem, vt expellat illum actum; ergo necessaria est gratia victrix, & ideo maior gratia. Ad prob. dicitur, quòd desistentia à malo non solùm dicit meram negationem, sed continuam productionem actus boni, & ideo non se habet merè negatiuè, sed effectiuè. Ad illud de visione dicitur, quòd ad non videndum non requiritur influxus positiuus, quia nō videre nō est conseruare actū visionis; ad cōseruationē autē visionis requiritur influxus cōtinuatus potētiæ visiuæ; at verò ad desistendum à malo conseruando actum bonū requiritur influxus positiuus, vt dictū est.

ART. IV.

An Deus causet entitatem physicam peccati?

1 Vidimus *in superioribus articulis* actum bonum voluntatis creatæ esse effectum voluntaris consequentis à Deo efficaciter inspiratum; nunc videndum est de actu malo, & vt distinctiùs procedamus, inquirimus priùs de entitate physica, quæ substernitur malitiæ, seu deformitati morali.

2 Hæresis fuit *Caluini* blasphæmantis Deū esse Auctorē peccati, & ideo necessitare voluntatem creatam ad peccandum producendo in illa opera mala ita, vt voluntas creata merè passiuè se habeat. *Ita lib. 3. Instit. c. 23; & lib. 2. c. 4.* asserit Deum positiuè tentare homines ad peccandum, & ad hoc vti opera Dæmonum inducēdo in peccatum suasionibus, consilijs, praeceptis, & inspirationibus. Hæc hæresis fuit damnata *in Conc. Trid. Sess. 6. can. 6.* his verbis: *Si quis dixerit mala opera ita, vt bona, Deum operari non permittendo solùm, sed etiam propriè, & per se adeò, vt sit proprium eius non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Et habetur expresse *in Sanctis Scripturis*; nam *ps. 5.* dicitur: *Nō Deus volens iniquitatem tu es*; quod alibi frequētissimè legitur. *Et Iac. 1. Deus intentator malorū est; ipse autem neminem tentat.* Et ratio *Beatis. P.* est. Cōcurrere actiuè ad peccatum est deficere, non efficere; sed illud, quod summè est, nequit deficere; quia deficere est amittere aliquod esse, & sic non summè esset; ergo illud, quod summè est, nequit actiuè concurrere ad peccatum; atqui solus Deus summè est, quia est suum esse; ergo Deus nequit actiuè concurrere ad peccatum. Ex quo deducit solam creaturam, quia est ex nihilo, posse deficere; nam deficere est ad nihilum tendere, cùm sit tendere ad non esse; quòd autem ex nihilo est, ad nihilum tendere potest; terminus enim correspondet principio. Itē non minùs repugnat malitia sūmæ bonitatis, quā mēdaciū sūmę veritati; sed Deus ex eo, quòd sit sūma veritas, nequit mētiri; ergo ex eo, quòd sit sūma bonitas, nequit peccare; & ideo neq; physicè, neque moraliter potest actiuè concurrere ad peccatum. Supposito igitur hoc Fidei dogmate quærimus solùm de entitate physica, non autē de deformitate morali, quæ fūdatur in illa.

3 Prima sententia vult Deum concurrere ad entitatem physicam, super quam fundatur deformitas peccati, solùm permissiuè, non effectiuè. *Ita Sal. 1. 2. tit. 13. disp. 10. sect. 2. apud Gonet, & alij apud Sal.*

Secunda sententia vult concurrere solùm simultaneè, & concomitanter indifferenter ita, vt à volunrate creata determinetur ad speciem actus; non autē concurrere præuiè. *Ita Mol, Sua; Less. apud eundem Gonet*; quibus accedit *Thyrsus.*

Tertia sententia vult Deum concurrere præuiè physicè prædeterminando voluntatem ad entitatem physicam peccati. *Ita Gonet de Prouid. disp. 8. art. 4. §. 5*; quam sententiam dicit esse communem *omnibus Thomistis.*

Nostra tandem sententia docet Deum prę-uiò producere entitatem physicam, prout est physicè bona, & prout est indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem; nullo modo autem, prout est determinata ad malitiam moralem. *Ita Fundatis. Doct. in 1. dist. 46. q. 2*; vbi ait, quòd *Diuina prouidentia est causa boni, & entis; & q. 3.* ait, quòd malum potest comparari *ad bonum, quod ei substernitur &c. Nam bonum, quod malo substernitur, est natura, qua potest deficere.* Ex quibus deducitur apertè; quòd si entitas substrata peccato est bona, & ens, & Deus est causa omnis boni, & entis, Deus est causa illius entitatis. Quòd autem talis entitas physica sit indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem, probat exprofessò *in 2. dist. 40. q. 1. art. 3.* Hanc sententiam sequitur tota *nostra Schola*, & bene explicata nō videtur ab vllo posse negari; *pro cuius decis.*

4 Not. ex *B. Doct. in 2. vbis*; quòd quia bonum aliud est physicum, aliud morale, vt diximus *To. 1. de Bonit. Dei art. 1. n. 4*; ideo pertinet ad duplex genus; & quia diuersorum generum diuersę sunt rationes, ideo ex alio principio sumitur bonitas physica; & ex alio moralis; nam bonum physicum est illud, quod habet omnia, quæ requiruntur ad integram constitutionem sui in esse actuali; sic ambulatio est bona physicè, quando principia illam efficientia nullum habēt defectum; quando autem deficiunt ita, vt pedes ambulando claudicēt, dicitur physicè mala. Malum ergo physicum est defectus alicuius perfectionis sibi naturaliter debitæ; & bonum, quod ei opponitur, est integritas omnium perfectionum sibi naturaliter debitarum. At verò bonum morale sumitur per ordinem ad principia moralia, quæ sunt intellectus, & voluntas; quæ di-

cuntur

cuntur principia moralia, quatenus regulant mores; non quòd non sint etiam principia physica suorum actuum; sed quia illos actus nedum efficiunt, sed etiam dirigunt ad bonum finem, vt sint laudabiles; vel ad malum, ex quo fiunt vituperabiles.

5 Quòd autem bonum physicum secundùm se sit indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem, probat *B. Doct.* ex eo, quòd ambulatio ad Ecclesiam, si fit ex fine orādi Deum, est bona; si autem ex fine illum blasphæmandi, est mala. Imò eadem actio, v.g. ambulatio potest in initio esse bona, & in fine mala ex variatione intentionis, & directionis in bonum, & malum finē; vt legitur *de S. Ginesio* adhuc gētili, qui histrioniam agens cepit ex ludibrio repræsentare baptismū, & in ipsa actione à Deo conuersus, non ampliùs ex motiuo culpabili deridendi Fidem, sed ex motiuo illam profitendi baptizatus est. Igitur bonum physicum secundùm se acceptum est indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem; quia illud est indifferens, quod potest determinari ad vnum, vel aliud, ad quod est indifferens; sed bonum physicum potest determinari ad bonitatem, vel malitiam moralem à volūtate creata dirigente illud in finem bonum, vel prauum; ergo est indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem.

6 Igitur quod dicitur de ambulatione, quæ est actio externa imperata à voluntate, potest etiam dici de ipsa actione interna elicita ab ipsa voluntate; quæ actio physicè accepta est quædam qualitas informās voluntatem per modum grauitatis, seu ponderis inclinans illā in aliquod obiectum; qualitas autem ens est; & omne ens bonum est physicè; quia ens, & bonum conuertuntur; vt diximus *To. 1. vbi sup.* Quòd si voluntas illam referat in finē debitum, illa actio fit bona moraliter; si autem in finem prauum, fit moraliter mala. Nec credimus, quòd vllus possit negare actionem volūtatis esse qualitatem physicam; cùm omnes admittant actiones immanentes esse actiones grāmaticales, quæ non sunt de genere actionis, sed qualitatis, idèst sunt qualitates habentes modum actionis; qualitates autem esse de genere physico est extra controuersiam. Hinc dicimus, quòd motus indeliberati, qui fiunt sine intentione finis, nec sunt boni, nec mali moraliter, & ideo nec deputantur ad meritum, nec ad demeritum. *Hoc supp.*

7 Vnica concl. Voluntas Dei consequens producit in nostra volūtate entitatem physicam peccati, prout est physicè bona, & prout est indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem; nō autem, vt prædeterminata ad malitiam.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 114.* docente: *Non potest esse vllum malum, nisi in aliquo bono, quia non potest esse nisi in aliqua natura; omnis autem natura, in quantùm natura est, bonum est.* Idem habet *lib. de Nat. boni c. 4.* *Omnis ergo natura bona est*, & paulò post: *Mala itaque natura, dicitur, quando corrupta est, nam incorrupta vtiq; bona est. Sed etiam ipsa corrupta, in quātùm natura est, bona est, in quātùm corrupta est, mala est.* Et in eodem Suppl. *lib. 2. c. 41. Qui possunt in natura vitiata bonum eius à malo eius ita discernere, vt neque qui putent naturam malū esse, neque vitium naturam esse, ipsi possint discernere, quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quid sanare.* Et c. 88. *Si malum vitiorum, quod nisi in aliquo bono esse non potest, à naturarum bonitate discernas, nec excusabis Diabolum, nec accusabis Deum.* Idem docet *lib. 3. c. 157.* Et iterum *lib. 1. c. 66. Non habens exercitatos sensus ad separandum bonum à malo.* Et c. 109; 113; & 116; ac alibi passim. Ex quo sic arguitur. Omnis entitas physica siue substantialis, siue accidentalis efficienter producitur à Deo tanquam à causa prima; aliter Deus non esset causa vniuersalissima omnium; sed materiale peccati est entitas physica, quia est qualitas informans nostram voluntatē; ergo, vt qualitas est, producitur efficienter à Deo; omne autem illud, quod producitur à Deo, producitur per eius voluntatem consequentem, quia liberè producitur, vt diximus *art. 1*; ergo voluntas Dei consequens effectiuè causat entitatem materialem peccati; atqui hæc entitas secundùm se est indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem, quia nō fit moraliter bona, vel mala, nisi quatenus à voluntate creata dirigitur in bonum, vel malum finem; ergo volūtas Dei consequens effectiuè producit entitatē physicam substratam peccato, prout indifferens est ad bonitatem, vel malitiam moralem.

8 Conf. Omnis entitas physica est physicè bona; bonum enim, & ens conuertuntur, sicut malum, & non ens; sed Deus est causa omnis bonitatis iuxta illud *Iac. 1. Omne bonum desursum est descendens à Patre luminum*; aliter Deus non esset causa vniuersalissima, seu omnis causa; sicut si non includeret aliquam entitatem in se ipso, non esset omne ens; ergo Deus est causa omnis entitatis physicę; sed illud, quod substernitur peccato, est entitas physica, quia omne malum in aliqua natura est, & omnis natura entitas physica est; ergo Deus effectiuè causat entitatem physicam substratam peccato.

9 Prob. 2. Ita se habet peccatum respectu entitatis actus voluntatis creatę, sicut peccatum originale respectu naturæ humanæ; sicuti enim natura humana est fundamentum, quod substernitur peccato originali; ita entitas actus est fundamentum, quod substernitur peccato actuali; sed non obstante, quòd natura humana sit fundamentum peccati originalis, non tollitur, quin Deus effectiuè producat naturam humanam, non ob aliam rationem, nisi quia omnis natura, in quantùm natura est, bona est; & secundùm se est indifferēs ad hoc, vt sit bona, vel mala; non enim mala effecta est, nisi ex mala voluntate

ipsius *Adæ*, qui ordinauit illam in prauum finē; ergo entitas actus substrata peccato effectiuè producitur à Deo non obstante; quòd sit fundamentum peccati; etenim entitas, vt entitas est, bona est, & secundùm se indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem.

10 Conf. *ex eodem in Suppl. lib. 3. c. 157*; vbi ait. *Contende postremò sicut malos, quia bonus eos creat, ita nec tardos ingenio, nec fatuos homines nasci, quia Sapiens eos creat. An non est malum fatuitas, cùm Scriptura dicat incóparabiliter ampliùs fatuum lugendum esse, quàm mortuum; sicut ergo nobiscum non dicitis Deum fatuitatis Auctorem, cùm tamen nasci fatuos Deo creante fateamini; sic nos Auctorem malitiæ non dicimus Deum, & tamen originalis obligatione peccati malos homines nasci, non nisi creante ipso, quia non creat homines nisi ipse, rectè possumus dicere.* Ex quo sic. Non minùs repugnat insipientia summæ Dei sapientiæ, quàm malitia summæ Dei bonitati; sed Deus creat homines insipientes absque eo, quòd sit Auctor insipientiæ, quę tamen coniungitur cum natura, quam creat; ergo Deus creat entitatem physicam peccati absque eo, quòd sit Auctor malitiæ, quæ cum illa coniungitur.

11 Prob. 3. *ex Fundatiss. Doct. in 2. dist. 1. q. 2. art. 3.* Si entitas physica peccati non produceretur à Deo, creatura esset principium simpliciter primum illius entitatis; quia productio illius non reduceretur in Deum, vt in primum Auctorem illius entitatis; ergo darentur duo principia simpliciter prima; quorum vnum, scilicet Deus, esset principium actuum bonorum; & alterum, scilicet creatura, esset principium actuum malorum; sed hæc erat opinio *Manichæorum*, qui illam deriuarunt *à Phytagora* ponente decem principia entium bonorum, & decem principia entium malorum; ergo creatura ita producit entitatē physicam substratam malitiæ, vt tamen illa productio reducatur in Deū, vt primum principium, quod nequit esse, vt patet, nisi Deus præuiè producat illam entitatem physicam peccati, prout indifferens est ad bonitatem, vel malitiam, ne Auctor malitię dicatur.

12 Resp. Sufficere illam entitatem produci a Deo simultaneè, & hoc sufficere, vt reducatur in Deum, vt in primum Auctorem.

Sed contra est; nam quòd aliquis effectus producatur simultaneè à pluribus causis, nequit argui, quòd vna illarum sit prior, & altera posterior; nam causa dicitur altera prior in causando, quatenus causalitas illius præcedit causalitatem alterius; sed simultas excludit præcedētiam, & prioritatem, quia illi opponitur; ergo si Deus solùm simultaneè produceret entitatem peccati, Deus, & creatura essent duæ causæ simpliciter primæ illius entitatis; causalitas enim vnius non reduceretur in causalitatem alterius, tanquam in aliquod prius. Tum quia potest Deus in sententia *Aduersantium* simultaneè producere entitatem physicam peccati absque eo, quòd sit causa, vel Auctor peccati; ergo potest præuiè illam producere absq; eo, quòd sit causa malitiæ illi annexæ; & ideo illam producere, vt indifferens est ad bonitatem, vel malitiam moralem.

Et in Enchir. c. 12. Omnis ergo natura bonum est, magnum, si corrumpi non potest; paruum, si potest; negari tamen bonum esse, nisi stultè, atque imperitè prorsus non potest. Et c. 13. seq. Nec malum vnquam potest esse vllum, vbi bonum est nullum. Et superiùs *c. 11.* ait; quòd sicut morbus nō est nisi in aliqua qualitate bona corporis; ita peccatum, quod est morbus animæ, non est, nisi in aliqua qualitate, aut entitate bona.

13 Ex hoc patet, quòd semel admisso Deū efficaciter producere entitatem physicam peccati, sequitur præuiè illam producere; repugnat enim Deum non agere, vt causam primam, de cuius conceptu est, quòd agat præuiè ad omnem causam secundam; quia essentialiter habet producere motum, qui est ipsa actio causę secundę, vt diximus *de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 3.*

14 Quòd autem Deus non causet talē entitatem, vt prædeterminatam ad malitiam moralem, prob. sic. Illa entitas non determinatur ad malitiam moralem à causa secunda, nisi quatenus à voluntate ipsius ordinatur in finem prauum; principia enim moralia, vt dictum est, sunt ratio, & voluntas; ergo non prædeterminatur à causa prima ad malitiam, nisi quatenus à voluntate causę primę dirigitur in finem prauum; sed quatenus causa secunda dirigit illam entitatem per suam voluntatem in finem prauum, est causa peccati; ergo si Deus dirigeret illam entitatem in finem prauum prædeterminando, esset prima causa, seu Auctor peccati; quod est absurdum in Fide.

15 Conf. Quia Deus causat talem entitatem, vt prædeterminatam ad talē speciem physicam qualitatis, antequam illam causet creatura, dicitur prima causa physica perfectionis physicæ illius entitatis; ergo si causaret illam entitatem, vt prædeterminatam ad talem malitiam moralem, antequam illam causet voluntas creata, esset prima causa moralis illius malitiæ moralis.

16 Nec ex eo, quòd Deus est primum determinans simpliciter, sequitur, quòd debeat prædeterminare entitatem nedum quoad bonitatem, sed etiam quoad malitiam; sicuti non sequitur ex eo, quòd sit prima causa, quòd debeat esse prima causa nedum actus boni, sed etiā peccati; in tantùm enim est primum determinans, in quantùm est prima causa; & ideo eodem modo dicitur primum determinans, ac prima causa. Sicuti ergo ex eo, quòd Deus non causet peccatum, non tollitur ab eo ratio primæ causæ vniuersalissimæ; quia peccare non est efficere,

sed

ſed deficere,vt docet *Beatiſ.P.*;vnde ex eo,quòd non poſſit deficere, non tollitur efficientia, quæ conſtituit rationem cauſæ; & ideo non tollitur ratio cauſæ, ita ex eo, quòd prædeterminet ad peccatum, non tollitur ratio primi determinantis, quia peccare non eſt rectè ſe determinare, idêſt terminare ad proprium terminum, ſed deficere à proprio termino, qui eſt Deus vltimus finis omnium.

17 Objic. 1. *Gonet*; qui licèt ſentiat Deum prædefinire tantùm entitatem materialem peccati; attamen §.6.videtur ſubſtinere Deum prędefinire entitatem intrinſecè malam; & ideo vt determinatam ad malitiam, non autem,vt indifferentem; arguit igitur ſic.Deus ab æterno prædefiniuit paſſionem Chriſti Domini, vt habetur *Act.4. Conuenerunt Herodes, & Pontius Pilatus cum gẽtibus, & populis Iſrael facere, quæ manus tua,& conſilium tuum decreuerunt fieri.*Et habetur etiam *Luc. 22. Et quidem filius hominis, ſecundùm quòd definitum eſt, vadit; verumtamen va homini illi,per quẽ tradetur*; ſed paſſio Chriſti erat intrinſecè mala *in ipſis Iudæis*;& per conſequens determinata ad malitiam, quia illud, quod eſt intrinſecè tale, eſt determinatè tale; ergo Deus prædefinit actionem phyſicam, vt determinatam ad malitiam.

Conf.*Act.2.* dicitur de Chriſto: *Hunc definito conſilio,& præſciẽtia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis*. Per hoc autem concluditur reſponſio *Sua. lib. 2. de Concurſu Dei c. 5.* aſſerentis paſſionem Chriſti fuiſſe definitam,non quidẽ,vt fuit actio elicita à *Iudæis*;ſic enim erat mala, ſed vt paſſio Chriſti; ſic enim erat bona. Et *Io.11.* dixit *Caiphas Iudæis. Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo,& non tota gens pereat*;ſed ſic loquẽs peccabat mortaliter;& tamen mouebatur à Spiritu Sancto, quia prophetabat. Item Sacerdos ſacrilegè conſecrans grauiſſimè peccat, & tamen mouetur à Deo, cùm agat, vt inſtrumentum illius; ergo Deus prædefinit actionem malam peccati, vt determinatam ad malitiam abſque eo, quòd cauſet ipſam malitiam.

Reſp. ad arg. diſt.mi. Erat intrinſecè mala ex deordinatione voluntatis *Iudæorum*, per quam determinata fuit ad malitiã, conc.ex ipſa ordinatione Dei, neg. Igitur actio *Iudæorum* fuit intrinſecè mala moraliter,quia ordinabatur ab ipſorum voluntate ad occiſionem innocentis; quòd ſi neſcienter, & nolenter occidiſſent, vt contingit in motibus primò primis, & in factis, quæ contingunt ex ignorantia inuincibili, non peccaſſent;& ideo illa actio phyſicè accepta erat indifferens; nec determinata fuit ad malitiam,niſi ex peruerſa voluntate *Iudæorum*.Tum quia illa entitas actus, quam Deus prædefiniuit ponere in voluntate *Iudæorum* erga Chriſtum Dominum erat ſufficiens, vt per illam tẽderent amando, ſicut tetenderunt odio habendo; *nam rectum eſt index ſui, & obliqui*; & ſicut per illam entitatem obliquáuerunt odio habendo,ita poterant rectè tendere amando; quia tamen illis negata fuerunt auxilia efficacia talis amoris; ideo tetenderunt in illum odio habendo; ergo illa entitas ſecundùm ſe erat indifferens ad actũ amoris,& odij; & per conſequẽs ad bonitatem, & malitiam. A pari de Caipha, & Sacerdote ſacrilego; Deus enim produxit illa verba in ore ipſorum præſcindendo ab ordinatione ad malum,quæ ſolùm fuit à voluntate ipſorum.Sic dicitur de quocunque actu, qui eſt malus ex genere, vt fornicatio; nam Deus producit in voluntate entitatem actus,per quam poteſt tendere in mulierẽ amando, vt proximam,vel amando, vt fornicariam; ſic per entitatem actus, quo quis tẽdit in Deum blaſphæmando, poteſt tendere amando,& ſic de alijs.

Ad conf. eodem modo diſt.mi. Sic loquẽs peccabat ex deordinatione propriæ voluntatis, conc; ex determinatione voluntatis Dei ad peccatum, neg.

18 Objic.2.*Beat.Doct.Aug.de Cor; & Grat. c.7.*loquẽs *de Iuda* in cõparatione *ad alios Apoſtolos* ait:*Illos ergo elegit ad obtinendũ Regnũ ſuũ, illum ad effundendum ſanguinem ſuum*; & *de Grat; & lib.arb. c.21. Operari Deus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocũque voluerit ſiue ad bona pro ſua miſericordia, ſiue ad mala pro meritis eorum*; quod etiam ſæpè alibi repetit; ergo Deus prẹmouet voluntates creatas ad entitatem peccati, vt determinatam ad malitiam, abſque eo tamen, quòd illam cauſẽt,vt malam.

Reſp.ad 1. *Beatiſſ.P.*in principio illius *c.7.* aſſerere,quòd mali *ex bona quippe in malam vitam ſua voluntate mutati ſunt*; vnde *Iudam* elegit ad effundendum ſanguinem ſolùm permittendo, non efficiendo, idêſt negando auxilium, & producendo ipſam entitatem actus,vt indifferens eſt. Ad 2.dicitur,quòd in fine illius *c.21.* ait: *Quorum malitiam non ipſe fecit,ſed aut originaliter tracta eſt ab ipſo Adam,aut creuit per propriam voluntatem*; ergo non præmouit eorum voluntates ed entitatem actus,vt determinatam ad malitiam, ſed vt indifferentem, ſinendo volũtates ſic ſe determinare,& ſolùm illis negando auxilia efficacia. Hinc *lib.1. ad Simplic.q.2.* loquens *de Iudæis* obduratis ait; quòd ille textus ita debet intelligi; *Vt obduratio Dei ſit nolle miſereri; vt non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior,ſed tantùm,quo ſit melior, non erogetur.*Nolle autem miſereri dicit ſolam denegationem miſericordiæ, ſeu gratiæ ſuæ. *Et in Enchir.c.93. Non ſit aliquid, niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo,vt fiat,vel ipſe faciendo.* Quòd etiam docet *de Præd.SS.c.10; & de Ciu.c.10; & lib.ad Art.ſibi falsò impoſitos art.10;& lib.2.de lib. arb. c. 20.* Item *ex locis cit. in concl.* colligitur, quomodò Deus inclinet corda ad peccandum,

dum, ſcilicet producẽdo entitatem ſubſtratam, vt phyſicè bonã,& ideo,vt indifferens eſt ad bonitatem,& malitiam moralem.

19 Obijc.2.*Auct.1.ſent.Caluinus,& Beza* admittebant ſolùm decretum prædeterminans entitatem materialem peccati,vt refert *Bellarm; Balear; & Bec;* & tamen damnati ſunt *à Trid.* Tum quia non alia ratione attribuitur malitia moralis,niſi quia attingit materiale peccati. Tũ quia confirmatus in gratia nec etiam euitatem materialẽ peccati poteſt attingere; ſed id, quod eſt conforme voluntati Diuinæ, poteſt ſine peccato attingi ab homine; & illud, quod producitur à Deo,eſt conforme voluntati Diuinæ; ergo Deus non producit entitatẽ materialẽ peccati.

Reſp.illos hæreticos damnatos eſſe, quia aſſerebant Deum producendo entitatem materialem peccati neceſſitare volũtatem humanam ad peccandum,vel quia dixerunt Deum producere entitatem phyſicam peccati,vtdeterminatã ad peccatũ,non verò vt indifferẽtem ad bonitatem,vel malitiam. Ad 2.diſt.aſſumpt. Niſi quia attingit materiale peccati illud ordinando in finem prauum, conc; præſcindendo à tali ordinatione,neg;imò talis entitas, vtpotè indifferens, poteſt eſſe bona, & ideo poteſt ſine peccato attingi. Ad 3.diſt.ma. Confirmatus nequit attingere materiale peccati, ordinando illud in prauum finem,conc;in bonum finem,neg,& ſic diſt. 2.pars mi. Illud, quod producitur à Deo,eſt cõforme voluntati Diuinæ producenti, ſi referatur in bonum finem, conc; ſi referatur in prauũ finem, eſt conforme voluntati producenti, neg; eſt enim ſolùm conforme volũtati permittenti.

Reſp.2.Si hęc omnia intelligantur de productione prędeterminante ad malum,trãſeat;de hoc enim videant *Thomiſtæ*; ſi intelligantur de productione entitatis phyſicę, provt phyſicè bona eſt,& indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem,dicitur,vt ſupra reſponſum eſt.

20 Obijc.4. Quotieſcunque aliqua duo cõnectuntur infallibiliter,tunc nequit attingi vnũ, quin attingatur aliud;ſed entitas materialis peccati cõnectitur infallibiliter cũ peccato;ergo nequit attingi à Deo, quin attingatur peccatũ. quia ſi Deus produceret entitatem materialem peccati,non ſe haberet merè permiſſiuè ad peccatum; nam ſe habere merè permiſſiuè eſt poſſe illud euitari; poſita autem entitate materiali peccati, non poſſet euitari peccatum, quia ad illam neceſſariò ſequitur;ergo Deus nõ cauſat materiale peccati.

Reſp. hæc omnia eadem facilitate ſolui. Ad 1.igitur neg.mi;illa enim entitas eſt indifferens,vt dictum eſt; ſed illud,quod eſt indifferẽs, non connectitur neceſſariò cum eo,ad quod eſt indifferens; aliter eſſet determinatum ad illud; ergo illa entitas non connectitur neceſſariò cum peccato. Et ſic ad 2. negatur, quòd non poſſit euitari peccatum etiam poſita entitate materiali; legitur enim, quòd in conuerſione plurium peccatorum Deus mutauit actum amoris profani in amorem bonum, quæ mutatio nihil aliud fuit,niſi ordinatio illius entitatis actus voluntatis in bonum finem, quæ priùs ordinabatur in malum finem; ſic illa entitas actus, quæ ordinabatur ad amorem mundi, ordinata fuit ad fugam ipſius.

21 Obijc.5.*Conc.Arax. can.25.* damnat aſſerentes homines prædeſtinari ad malum. *Et Beatiſſ.P. ad Art.ſibi falsò impoſitos art.* 10. ait: *Deteſtanda, & abominanda opinio eſt, quæ Deum cuiuſque malæ voluntatis, aut malæ actionis facit Auctorem, cuius prædeſtinatio nunquam extra bonitatem,nunquam extra iuſtitiam eſt, vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia,& veritas.* Idem habet *D.Proſper.* Et ad *art.ſibi falsò impoſitos ar.* 10. apertè docet motum auerſionis defectuoſum non eſſe ex Deo; ergo Deus non prædeterminat, ſeu prædeſtinat ad materiale peccati; quod idem eſt.

Reſp.*Conc;Beatiſſ.P;* & *D.Proſperum* damnare *Prædeſtinatianos*, qui aſſerebãt Deum prędeſtinare æqualiter ad bonum, & ad malum; quidquid ſit, an iſti *Prædeſtinatiani* fuerint ex vna ſecta, vel an hoc nomen *Pelagiani, & Semipelagiani* tribuerint *Beatiſſ. Patri*, eiuſque Diſcipulis; de quo *vid. noſter Noris*,& poſt ipſum *Cabaſutius*.Ad aliam auctoritatem *eiuſdem Beatiſſ. P.* dicitur, quòd loquitur de deformitate morali; nam de entitate naturali *ibid.*manifeſtè fatetur eſſe à Deo;ait enim:*Nulla ergo natura eſt,quæ non ſit ex Deo,* quia *omne bonum ex Deo eſt*; vbi loquitur de bonitate phyſica; non enim omnis natura eſt bona moraliter,ſed phyſicè; vt patet de natura lapidis &c.

22 Obijc.6. Deus abſoluto, & efficaci decreto inconſulta hominis voluntate vult, quòd homo eliciat hunc actum, v.g.odij Dei in particulari cum omnibus circunſtantijs; ſed impoſſibile eſt hominem elicere talem actum cum omnibus circunſtantijs aduertentiæ rationis &c;niſi peccando; ergo Deus efficaciter vult, quòd homo peccet.

Reſp. neg. ma; nam illc actus non eſt odiũ Dei,niſi quatenus moraliter conſideratur,quia quatenus eſt odium Dei,eſt deordinatus à Deo; vult ergo Deus efficaciter, quòd homo per talem entitatem actus phyſicè acceptam tendat in Deum;quòd autem tendat efficiendo,vel deficiendo, ſiue ordinatè, vel deordinatè, habetur ab ipſa voluntate hominis deficiente, & deordinante.

23 Inſt.Concurſus præuius cauſat actum non ſolùm eo modo, quo exit à Deo, ſed etiam eo modo,quo exit à creatura; ſicut dicimus de gratia efficaci, quæ cauſat actum bonum etiam eo modo, quo exit à creatura; ſed ille actus eo modo,quo exit à creatura, eſt peccatum; ergo Deus per cõcurſum præuium cauſaret peccatũ.

Reſp.

Reſp.diſt.ma.Eo modo,quo exit à creatura phyſicè,cōc;ſed in hoc ſenſu neg.mi;moraliter, neg;& in hoc ſenſu conc.mi; & neg.conſ.

24 Obijc.7.Omnis actio Dei erga creaturas pertinet vel ad eius iuſtitiam, vel ad eius miſericordiam iuxta illud *pſ.24.Vniuerſæ viæ Domini miſericordia,& veritas*;ſed producere entitatem materialem peccati nō pertinet ad eius iuſtitiam, ſi loquamur de primo peccato, quod creatura committit, quando in primo inſtanti rationis tenetur ſe conuertere in Deum; nec ad miſericordiam, quia homo peccando in magnam ruit miſeriam; ergo Deus non cauſat materiale peccati.

Reſp.diſt. ma. Omnis actio Dei moraliter conſiderata,conc; phyſicè,neg; ſic enim pertinet ad bonitatem ipſius, quæ ſe diffundit in creaturas communicando illis entitates actuum, quibus poſſint operari; quòd enim communicet plantis actum generandi fructus, nulla iuſtitia eſt,quia nulla illis ſtatuitur pæna; nec vlla miſericordia, quia nulla eis præparatur merces. Moraliter autem conſiderata ſe habet permiſſiuè, quatenus producēdo talem entitatem phyſicam ſinit voluntatem operari, quomodocunque voluerit;& ſic poteſt pertinere ad iuſtitiam,quatenus malè operanti ſtatuit ſupplicium;vel ad miſericordiam, quatenus ex malo elicit bonum; docet enim *Beatiſſ.P.de Cor; & Grat.c.10. Sciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere,quàm mala eſſe non ſinere*; quod etiam docet *in Enchir; vt vid. in ſeq.art.*Ad id,quod additur de primo inſtanti rationis, dicitur, quod permiſſio peccati eſt in pænam peccati originalis; *ſed de hoc infra in Tract. de Præd.*

25 Obijc.8.Si Deus cauſaret materiale peccati,tentaret, ſeduceret, & implanaret voluntatem creatam, quia tentare eſt mouere ad aliquē actum, à quo eſt inſeparabilis malitia; tum quia ſi Deus moraliter hominem præmoueret ad actum, à quo eſt inſeparabilis malitia, illum tentaret;ſic enim Dæmon dicitur tentare,quia ſuadet,& mouet homines ad actus, à quibus eſt inſeparabilis malitia; ita à pari.Tum quia ſi præmoueret ad materiale peccati,Deus produceret actus ſuaſiuos in Dæmonibus,quibus nos tentāt ad malum; ſed conſequens eſt falſum; quia *Iac. 1.* dicitur: *Deus intentator malorum eſt.Et Eccli. 15.Ne dicas: Ille me implanauit*; ergo Deus non cauſat materiale peccati.

Reſp.neg.ma. Ad 1.prob.inſert.neg;quòd malitia ſit inſeparabilis ab illo actu, eſt enim indifferens,vt dictum eſt.Ad 2.neg.paritas;ſi enim Deus præmoueret moraliter ad actum, à quo eſt inſeparabilis malitia, ordinaret illum actum ad prauum finem;ſicut ordinat Dæmon nos tentans, à qua tamen ordinatione præſcindit, cùm Deus cauſat illum actum phyſicè. Ad 3. dicitur producere in Dæmonibus illos actus, non vt ſuaſiuos ad malum,ſic enim illos ordinaret moraliter in prauum finem,ſed vt indifferētes; quia poſſent eſſe boni, ſi voluntas peruerſa ipſorum ad malum eos non referret.

26 Obijc.9.Nequit Deus præmouere volūtatem malam, niſi præmouendo intellectum moraliter ad oſtendendum, & ſuadendum voluntati illud malum eſſe ſequendum, quia *nihil volitum, quin præcognitum*; ergo ſi præmoueret phyſicè ad malum, præmoueret etiam moraliter, quatenus faceret intellectum illam ad malum ſuadere.

Reſp.neg.ant;nam ſicut Deus cauſat in voluntate illam entitatem, prout indifferens eſt ad bonitatem,vel malitiam;ita cauſat in intellectu entitatē actus cognitionis illius obiecti præſcindēdo ab eo,quòd illa cognitio ſit ſuaſiua,vel nō ſuaſiua volūtatis ad malum.Quòd autem ſuaſiua ſit,habet ex ſua concupiſcentia.

27 Obijc.10.Videtur iniuſtum, quòd Deus damnet homines propter actus,quos ipſe cauſat in illis,& quibus præſcit illos peccaturos.Tum quia ſi aliquis poſitus inter tentationes prædeterminaretur à Deo ad entitatem actus mali, poſſet ſe excuſare;ideo peccaſſe, quia Deus illū quaſi pendulum prædeterminauit. Tum quia licèt in pęnam antecedētis peccati poſſet ſic prædeterminari,attamen de Angelis, & *Adamo* in ſtatu Innocentiæ non poſſet dici, quòd fuerint prædeterminati ad entitatem materialem actus inobedientiæ.

Reſp.nos nunquam dicere Deum prædeterminare ad entitatem materialem peccati; ſed ſolùm cauſare in voluntate entitatem phyſicam indifferentem ad eſſe, vel non eſſe peccatum; quæ ſicuti fit peccatum per deordinationem voluntatis;ita poſſet fieri moraliter bona per ordinationem in bonum finem. Vnde iſtæ obiectiones,ſi contendant de prædeterminatione voluntatis ad entitatem determinatè malam,tranſeāt; nihil enim contra nos. Quantùm autem ad id, quod poteſt eſſe contra nos, ad 1; quòd eſt argumentum *Iuliani*,reſpondet *Beatiſſ.P.in Suppl. lib.1.c.119;121; & 130*; vbi ait: *Si tibi diſplicet Deum creare, quos damnat, contradic ei, ſi potes,ne creet eos, quos malos futuros,& in malignitate vſque in finem perſeueraturos, & ob hoc ſine dubitatione damnādos eſſe præſciuit*: Et paulò poſt.*Habes adhuc,quod ſuggeras, Conſiliarius Dei,pro Filijs eius,quos regenerauit,quos adoptauit,& tamen malos,atque damnandos futuros eſſe præuidit*. Igitur non eſt iniuſtum, quòd Deus creet homines, quos præuidit eſſe damnandos, quia damnabiles effecti non ſunt, niſi propter eorum malam voluntatem; ergo neque iniuſtū eſt, quòd creet in voluntatibus hominum actus phyſicos bonos, quos damnet, quia ex deordinatione voluntatis eorum mali fiunt. Ad 2.neg; quòd illa entitas actus prædeterminet voluntatem ad malum; eſt enim ſecundùm ſe indifferens,

rens, & indeterminata, & ideo nequit voluntatẽ determinare. Et sic ad 3. dicitur, quòd Deus non prædeterminauit voluntatem *Adæ* causando entitatem inobedientiæ; illa enim entitas erat indifferens ad obedientiam, & nõ obedientiam; & ideo per illam poterat *Adam* obedire, & non obedire.

28 Dices. Implicat, quòd vna, & eadem entitas sit naturalis, & supernaturalis; sed illa entitas physica, prout substrata peccato, est ordinis naturalis; & prout substrata bonitati, est ordinis supernaturalis; ergo illa entitas nequit esse indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem.

Resp. dist. ma. Sit naturalis absolutè, & simpliciter, & supernaturalis modaliter, quatenus eleuatur ab aliquo supernaturali, cum quo connectitur, neg; sit naturalis, & supernaturalis secundùm entitatem, conc. Illa ergo entitas, quatenus substrata bonitati, est tantùm supernaturalis modaliter eo modo, quo diximus *To. 1. q. 3. proem. art.* 10. Quãuis ergo dentur aliqui actus supernaturales simpliciter, & secundùm entitatem, attamen dantur etiam aliqui entitatiuè naturales, & supernaturales secundùm quid, seu modaliter; vt diximus *ibid.*

ART. V.

An Deus debeat permittere peccata?

1 DE permissione, quæ est alter effectus, seu signum voluntatis consequentis, rectus ordo postulat, vt agamus. Quanuis autem ex dictis *in sup. art.* possit patere, quid dicendum sit in præsenti; quia productio entitatis, quę substernitur peccato, stat simul cũ permissione peccati, attamen maioris claritatis gratia distinctè est discurrendum.

2 Ratio autem dubitandi est; nam cùm Deus, vtpotè summè bonus, nullo modo possit esse causa mali, nec per se, nec per accidens; cũque permittens malum ex eo, quòd illud non impediat, videatur esse causa mali, quapropter *Glos. sup. Rom.* 1. ait: *Consentire est facere, cùm possis arguere. Et in Iure Can. dist.* 82. *Cùm possis prohibere peruersos, & non facis, nihil aliud est, quàm facere*; ideo videtur Deus non posse permittere peccata; *pro cuius explic.*

3 Not; quòd tunc aliquis permittens, seu non impediens aliquod potest esse causa peccati, vel quando actiuè physicè cooperatur ad deformitatem peccati; vel quando moraliter censetur illi cooperari; & tunc est quando tenetur ex obligatione contracta ex aliquo præcepto impedire; tunc enim non impediens censetur moraliter, ac si actiuè per influxum realem concurreret. At verò cùm permittens peccatum nullo modo actiuè cooperatur ad illud, nec aliqua obligatione tenetur ad illud impediẽdum, tunc nullo modo nec per se, nec per accidens censetur causa illius; & in hoc sensu intelliguntur *Canon*, & *Glos.* Sic se habet Deus, qui permittẽdo peccata nullo modo actiuè cooperatur illorum deformitati; nec aliqua lege obligatur ad illa impedienda; quia, cùm sit supremus Dominus, nulla lege potest vinciri; & ideo nullo modo est causa peccatorum, quæ permittit.

4 Permissio autem potest sumi dupliciter. 1. Actiuè, & sic est actus voluntatis Diuinæ. 2. Passiuè, & sic est denegatio auxiliorum efficacium, quibus possunt vitari peccata. *Hoc not.*

5 Vnica concl. Deus debet mala permittere. In hoc conueniunt *omnes Auctores, & noster Fund. Doct.* eam docet *in* 1. *dist.* 46. *princ.* 2. *q.* 2; *&* 3; *& in Epist. ad Rom. c.* 9. *lect.* 3. *dub.* 5; 6; *&* 8; & sæpissimè *alibi.*

Prob. 1. *ex Beatiss. P. in Enchir. c.* 10; *&* 11; vbi ait: *Ab hac summè, & æqualiter, & immutabiliter bona Trinitate creata sunt omnia, & nec summè, nec æqualiter, nec immutabiliter bona, sed tamen bona etiam singula. Simul verò vniuersa valdè bona, quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulcritudo. In qua etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Neque enim Deus Omnipotens, quod etiam infideles fatentur, rerum, cui summa potestas, cùm summè bonus sit, vllo modo fineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo: De bono natura vitiatum ipse Deus benefacit reformando, aut puniendo vitiatum.*

6 Ex hac doctrina probat hanc concl. *Fundatiss. Doct. vbi sup. q.* 3. sic. Ad supremum Vniuersi Prouisorem spectat intendere ea bona, quę faciunt ad vniuersi pulcritudinem, & perfectionem; sed ex permissione peccatorum oritur triplex bonum Vniuersi, ex quo maximè commendatur eius pulcritudo admirabilis; ergo ad supremum Prouisorem vniuersi, qui est Deus, spectat permittere peccata. Ma. patet; opera enim supremi, & admirabilis Conditoris debent esse summè bona, & admirabiliter pulcra; sic enim solùm possunt commendare illius sapientiam, & bonitatem. Prob. mi. Malum, quod occasionaliter oritur ex permissione peccatorum, dicit ordinem ad triplex bonum. 1. Ad entitatem physicam, quæ illi substernitur, vt diximus *in sup. art*; quæ entitas physica ex sua natura est contingẽs, & defectibilis, vnde si ipsa tolleretur ab vniuerso, non haberetur hæc natura, & per consequẽs tolleretur varietas naturarum, quę faciunt ad integritatem, & perfectionem vniuersi. 2. Ad bonum oppositum; malum enim *eminentiùs commẽdat bona, vt magis placeant*, & vt ait *Arist.* 1. *Elench.* prope finem: *Opposita iuxta se posita magis elucescunt.* 3. Ad bonum, quod ex ipso occasionaliter elicitur; & hoc aliud est bonum iustitiæ, quæ habet punire mala; & aliud misericordiæ, quæ habet subleuare, & purgare à malis ipsas creaturas à se ipsis malas effectas. Inter bo-

na

na autem misericordiæ, quæ oriuntur occasionaliter ex peccato, primum, & supremũ est bonum Incarnationis,& redemptionis,ac passionis Christi Domini, quæ orta est ex peccato *Iudæorum*; ex qua passione deriuarunt infinita bona in Ecclesiam militantem, & triumphantem, quæ idcirco coronatur floribus pœnitentiæ, vnionibus virginitatis,ornatur palmis Martyrum,Laureis Confessorum &c; quæ bona non essent, nisi Deus permitteret peccata, ex quibus oriuntur; ergo ex permissione peccatorum oritur triplex bonum, per quod maximè commendatur pulcritudo Vniuersi.

7 Prob.2. *ex lib. de Cor. & Grat. c. 10. Sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis benefacere, quàm mala esse non finere.* Quòd habet etiã 22. *de Ciu. Dei c. 1.* dicens: *Potentiùs, & meliùs iudicans de malis benefacere, quàm mala esse non finere.* Ex quo sic arguit *Fund. Doct.* Deus debet facere id, quod magis commendat eius potentiam facientem; sed permittere peccata magis commendat eius potentiam facientem; ergo debet permittere peccata. Ma. patet; quia opera Dei sunt signa manifestantia ipsius potentiam. Prob. mi. Magis commendatur potentia agentis, quando fit regressus à priuatione ad formam, vt cùm in cadauer denuo inducitur forma iam expulsa, quàm cùm de nouo generatur, vel conseruatur in genito; propter quod resurrectio mortuorum potentius opus censetur, quàm opus naturale, quo producuntur,& conseruantur indiuidua; & ideo illud opus attribuitur potentiæ extraordinariæ, hoc autem potentiæ ordinariæ; hinc *Philosophi* asserunt; quòd *à priuatione ad habitum non datur regressus*; quod intelligendum est secundùm potentiam ordinariam,& naturalem; sed permittere peccata, vt ex malis faciat bona, est inducere formam gratiæ per peccatum, quod est eius priuatio, iam expulsam; & illa non permittere est tantùm producere, & conseruare gratiam; ergo permittere peccata magis commendat potentiam facientem.

8 Conf. Deus debet facere id, ex quo maiora bona proueniunt; hoc enim magis congruũ est suæ gloriæ, & suæ bonitati; sed ex permissione peccatorum maiora bona proueniunt, quàm ex impeditione; quia ex permissione prouenit mors Christi Domini, quæ est excellentissimum bonum, passiones martyrum, exercitia pœnitentiæ, humilitatis, maioris amoris in Deum,& aliarum virtutum; ergo Deus debet permittere peccata.

9 Prob.3. Magis congruit Diuinæ potestati facere bona maiora in comparatione bonorũ minorum; quàm è contra; sed permittere peccata; vt ex illis eliciat bona, quæ occasionaliter ex illis proueniunt, est facere bona maiora in comparatione bonorum minorum; nam permittere v.g. adulterium, quod opponitur castitati, quæ est bonum vnius virtutis particularis, quã priuat adulterium, vt ex illo eliciat opus pœnitentiæ, & etiam martyrij, quatenus facit ad pulcritudinem,& perfectionem vniuersi, est bonum vniuersale; bonum autem vniuersale est maius bono particulari; quia bonum totius est maius bonitate partis; ergo debet permittere peccata.

10 Obijc. 1. Prouidentia Dei exigit, quòd omnia, quæ sunt in mundo, sint rectè ordinata ad suos fines; in hoc enim consistit prouidentia, quæ est *ratio ordinandorum in finem*; sed mala nullo modo sunt ordinabilia in finem, cùm essẽtialiter sint deordinationes à fine; ergo Deus nequit illa permittere.

Resp. dist. ma. Mala non sunt ordinabilia in finem secundùm se, conc; ratione bonorum, quæ ex malis eliciuntur, neg; cùm autem bona, quæ ex malis eliciuntur, sint maxima bona, vt ostensum est, non debuit Deus illa impedire, ne maxima bona tollerentur ab vniuerso. *Vid. de Prou. q. 2. art. 3.*

11 Dices. Peccatum est infinitè maius bono, quod ex illo elicitur; ergo ratione boni eliciti non debuit mala permittere.

Resp. dist. ant. Bono particulari, v.g. quando ex peccato oritur maior humilitas peccatoris, conc; bono vniuersali, v.g. prouidentiæ, misericordiæ, iustitiæ Diuinæ, & perfectionis vniuersi, negatur.

12 Obijc. 2. Potest Deus omnia bona facere absque eo, quòd illa ex malis eliciat; sed in tali casu Vniuersum esset magis perfectum; quia illud est magis perfectum, quod minùs habet de imperfectione; in eo autem casu haberet minùs de imperfectione, quia non haberet peccatum, quod est essentialiter imperfectio,& ideo magis esset perfectum; ergo ratione perfectionis Vniuersi, aut bonorum, quæ eliciuntur ex malis, non debuit Deus mala permittere. Prob. ma. Tum quia Beata Virgo ex eo, quòd habuit omnem virtutem, & nullum penitus peccatum absque eo, quòd ipsius læderetur libertas, magis perfecta fuit, quàm si habuisset peccatum; tum quia in tali casu adhuc potuisset saltem per aliud decretum scilicet ad præseruandum Verbum incarnari; in hoc enim nulla apparet impossibilitas; & adhuc fuisset pœnitentia Martyrum, pœnitentia Confessorum,& cętera huiusmodi; hæc enim poterant esse in sola animi præparatione, & desiderio patiendi; ergo Deus potuisset facere omnia bona absque eo, quòd illa ex malis eliceret.

Resp. neg. ma; sunt enim aliqua bona, quæ solùm ex malis eruuntur, vt mors Christi, eiusdem tormenta, & passio adeo pœnosa; martyrium, ostensio Diuinæ Iustitiæ &c; quæ non possunt dari, nisi præcedat peccatum, scilicet persecutio innocentis, culpæ &c. Ad 1. prob. neg. paritas; non enim valet ab vno particulari ad vniuersale. Quãuis ergo B. Virgo fuerit magis perfe-

cta sine peccato, quàm cum peccato, quia tamen ipsa est persona particularis, ideo à perfectione ipsius non bene arguitur ad perfectionem vniuersi, quæ est perfectio vniuersalis, & ideo cùm perfectio vniuersalis vniuersi exigat, quòd dentur mala bonis promiscua, vt ex illorum positione magis resplendeant bona; & ex illis bona eruantur; ideo hæc non debuit esse sine permissione malorum. Ad 2. dicitur, quòd licèt si non fuisset peccatum, Verbum Diuinum ex vi alterius decreti adhuc fuisset incarnatum, non tamen fuisset persecutio Christi Domini, eius passio, mors, tot tormenta, quæ sunt bona infiniti valoris, & ideo ab vniuerso tolleretur infinitus valor. Ad id de martyribus dicitur, quòd martyrium in re est magis perfectum, quàm martyrium in spe, & in desiderio; sed in tali casu non esset martyrium in re; ergo deesset maior perfectio. Quapropter Ecclesia non concedit palmas martyribus in spe, sed tantùm martyribus in re; cùm martyrium formaliter consistat in actu secundo externo, seu in passione secuta propter amorem Christi Domini, & ad eius imitationem; in tali autem casu nec Christus fuisset martyr in actu secundo, sed tantùm in habitu, nec eius milites martyriū actuale subijssent; nec Christus corona regis martyrum, nec martyres palma donarentur; ergo Vniuerso deesset maxima perfectio; & maximus decor, ac ornamentum.

13 Objic. 3. Malum non est causa boni, quia malum, cùm sit defectus, & priuatio, non potest causare bonum, quod est perfectio positiua; aliter daretur causa ignobilior suo effectu; ergo ex malis non possunt erui bona. Prob. conf. Quod eruitur ex alio, est causatum ab illo; sed bona non sunt causata à malis; ergo ex illis non eruuntur.

Resp. neg. conf. Ad prob. dist. ma. Quod eruitur ex alio, est causatum ab illo, si eruatur ex illo per verum influxum realem positiuum productiuum, conc; & hoc modo non eruuntur bona ex malis; si eruatur tantùm ex illo occasionaliter, quatenus Deus ex malis sumit occasionem faciendi bona, quæ bona non faceret, nisi mala permitteret, neg; & in hoc sensu bona eruuntur ex malis; quæ licèt non sint causa bonorum, sunt tamen occasio, ex qua sequuntur, & resultant multa bona, vt dictum est.

14 Objic. 4. Deus prohibet mala; ergo illa non permittit. Prob. conf. Nam prohibitio, & permissio sunt opposita; ergo non possunt simul in eadem voluntate componi.

Resp. dist. ant. Prohibet mala per voluntatem antecedentem, conc; per voluntatem consequētem, neg; permittit autem peccata per voluntatem consequentem, non per antecedentem, & ideo sunt diuersæ voluntates; propter quod non sunt opposita. Prohibet ergo mala, quatenus non vult positiuè mala; illa autem permittit, quatenus dat libertatem ad malum, & bonum; licèt tantum bonum positiuè velit.

ART. VI.

An permissio sit actus positiuus Voluntatis Diuinæ?

1 Quærimus in titulo, an permissio, qua Deus permittit peccata, sit pura carentia, seu negatio actus prohibētis peccata; seu an sit ipsamet prohibitio ita, quòd voluntas Dei merè negatiuè se habens nullū prorsus actum, vel nolitionis, vel volitionis eliciat; sed nec velit, nec nolit. Vel potiùs permissio sit verus actus positiuus elicitus à voluntate Diuina, qua Deus positiuè decernit non impedire peccata ita, vt permittere sit idē, ac nolle impedire peccata; quod verbum *nolle*, licèt explicetur negatiuè, est tamen verus actus positiuus per modū negationis explicatus, v. g. quando Deus præcipit: *Nolo, vt occidas, æquiualet huic sensui; volo, vt non occidas.*

2 Prima sententia est *Ruardi Taper de lib. arb. art. 7. concl. 9. & 10.* dicentis, permissionem nihil aliud esse, quàm hominis libertatem; quare Deum permittere hominem, vel Angelum peccare, nihil aliud est, quàm ipsis dedisse libertatem, ipsosque posuisse in manu consilij sui, & coram eos posuisse vitam, & mortem, vt pro suo arbitrio eligant siue bonum, siue malum.

Sed hæc sententia valde periculosa est. 1. quia omnes iusti quotidiè *in oratione Dominica* orant, ne Deus permittat illos peccare; ergo si permissio esset idem, ac libertas, orarent, quòd sibi auferret libertatem. 2. Libertas est ad peccandum, & non peccandum, permissio autem est solùm ad peccandum; nam ad non peccandum est gratia, seu operatio, vt supra dictum est; in tantùm enim nostra libertas non peccat, in quantùm vel bonum facit, vel conseruat bonitatē, quam habet; vtrunq; tamen facit per gratiam. 3. Quia Deus dedit libertatem Beatiss. Mariæ Virginis, D. Io. Baptistæ, & omnibus alijs confirmatis in gratia, à quibus auferri non potest libertas, ne ab ipsis tollatur omne meritum; & tamen Deus non permisit illos peccare. Tandē quia valet hæc illatio: *Deus permisit Petrum peccare; ergo Petrus peccabit;* quia Deus permittens Petrum peccare decernit ipsi non dare auxilia efficacia, sine quibus certè Petrus peccabit: Non tamen valet: *Deus dedit libertatem omnibus, ergo omnes homines peccabunt.* Igitur non sunt idem libertas, & permissio. Relicta ergo hac opinione.

Secunda sententia vult permissionem nihil aliud esse, quàm meram negationem actus positiui diuini, cui non respondet in voluntate Diuina, nisi non velle prohibere, vel nolle dare auxilium efficax ad non peccandum, quod est pura negatio. Tribuitur *Scot. in 1. dist. 47. q. 1.*

Tertia sententia docet permissionem esse verum

verum actum poſitiuum Diuinæ voluntatis, explicatũ per modum negationis ita, vt permittere ſit idem, ac volo permittere; & denegare auxilia efficacia ſit idẽ, ac volo non date auxilia efficacia. *Ita B.Doct.Aegid.in 1. diſt.46.princ.2. q.2.in fine corp*; vbi ait: *Mala à Deo ſunt volita quantùm ad ordinationem, & non impeditionem; vult enim mala ordinare, & non impedire ea fieri, ſed permittere*. Et concorditer ad ſuperiùs tradita tum *in Tract.de Scient.Dei q.3.art.7*;vbi oſtẽdimus Deum cognoſcere peccata in decreto permiſſiuo, decretum autem eſt actus poſitiuus voluntatis; tum etiam *in hoc Tract. q. 3. art. 3*; vbi oſtendimus voluntatem Diuinam, vtpotè perfectiſſimè actualem, debere eſſe in actu ſecundo poſitiuo circa omnia etiam poſſibilia, ita,vt eius actus aliquando poſitiuè explicetur, aliquando autem, vt in caſu, tantùm negatiuè. Hanc concluſionem tradunt ferè communiter *Thomiſtæ*, quibus adduntur aliqui *Recentiores*. Pro deciſione autem quæſiti.

3 Vnica concluſio. Permiſſio peccati eſt à Deo volita per actum poſitiuum modo explicato iuxta tertiam ſententiam.

Prob.1.*ex Scripturis*; nam ſæpe in Diuinis *Scripturis* permiſſio explicatur per modum actus poſitiui; vt 2. *Exod. Ego indurabo cor Pharaonis*; quæ verba faciunt hunc ſenſum: *Ego denegando auxilia efficacia Pharaoni, permittam ipsũ indurari*. Et *vt ſup.* diximus *ex Beatiſſ.Patre Rom. 1.* dicitur: *Tradidit illos in reprobum ſenſũ*; idẽſt propter peccatum Idolatriæ Deus permiſit eos incidere in peccata peſſima; & cetera huiuſmodi, quæ paſſim habentur; ſed tradere, indurare habet modum explicandi poſitiuè; ergo permiſſio eſt actus poſitiuus, non merè negatiuus.

4 Prob.2. *ex Beatiſſ. P.in Enchir.c.100*;vbi ait: *Miro, & ineffabili modo non fit præter voluntatem Dei, quòd etiam fit contra eius voluntatem, quia non fieret, ſi non fineret, neque vtique nolens finit, ſed volens*; ſed finere volens eſt poſitiuè permittere, quia volitio eſt actus poſitiuus;ergo permiſſio eſt actus poſitiuus.

5 Prob. 3. Deus cognoſcit peccata in decreto permiſſiuo, quo illa permittit; ſed decretum eſt actus poſitiuus voluntatis, quo voluntas decernit illa permittere; nam voluntas negatiuè ſe habens circa aliquod obiectum, nihil decernit de illo, ſeu nullum decretum habere dicitur; ergo permiſſio eſt actus poſitiuus. Ma. probata eſt *de Scient. Dei loc. cit.* Prob. mi. Voluntas decernẽs eſt voluntas in actu, antequam enim ſit in actu, eſt indifferens ad decernẽdum, & non decernẽdum,ſicut eſt indifferẽs ad habẽdum hunc actum,& oppoſitum eius; ſed voluntas Diuina non eſt in actu, niſi per actum poſitiuum; nam actus interpretatiuus non datur, niſi vbi currit obligatio, & præceptum ponendi actum poſitiuum, quem,quia voluntas non ponit,ideo ratione præcepti cenſetur voluntas determinata per actum interpretatiuum ad nolẽdum ponere illum actum, ad quem ponendum obligatur; voluntas autem Dei,cum nulla lege obligetur, aut præcepto, quia eſt ſupremè Domina,& nulli ſubdita eſt voluntati obliganti, & pręcipienti;& ideo nullo modo poteſt eſſe obligata, & præcepta; ergo decretum voluntatis Diuinæ eſt tantùm actus poſitiuus.

6 Prob.4.Voluntas negatiuè ſe habẽs circa permiſſionem peccati eſt voluntas indifferens ad permittendum, & non permittendum, quia voluntas ſic conſiderata caret nedum actu permiſſionis, ſed etiam actu impeditionis; ergo voluntas negatiuè ſe habens neque eſt permittens, nec impediens; ſicut voluntas indifferens ad amandum neque eſt actu amans, neque actu odiens; ſed voluntas permittens eſt actu determinata, ſicut voluntas impediens eſt actu determinata; permiſſio enim, & impeditio ſunt duæ determinationes voluntatis; ergo voluntas permittens non dicit puram negationem actus, ſed dicit actum poſitiuum, per quem actu dicitur determinata.

7 Conf. Voluntas purè negatiuè ſe habens circa aliquod obiectum eſt voluntas merè ſuſpenſa ab omni actu; ſed implicat voluntatem Dei manere ſuſpẽſam ab omni actu, vt diximus *q. 2. art. 3*; ergo voluntas Dei permittens peccata non ſe habet merè negatiuè circa illorum permiſſionem.

8 Prob.5. Permiſſio peccatorum eſt bona, quia ex illa multa bona oriuntur,vt oſtẽſum eſt *in ſup.art*; ergo à Deo eſt poſitiuè volita, Deus enim vult poſitiuè omnia bona; imò omnia bona habent eſſe tantùm per volitionem poſitiuam Dei,cùm voluntas Dei poſitiuè cauſet omnia bona;vt ſupra probatum fuit.

9 Conf.hæc ratio. Quamuis obiectum permiſſionis,ſcilicet peccatum,ſit malum, tamen ex hoc non deducitur, quòd ipſa permiſſio ſit mala, ſicut quamuis obiectum Diuinæ Iuſtitiæ ſit peccatum punibile, quod eſt malum, malum enim ſolùm eſt punibile, ſicut ſolum bonum eſt præmiabile,tamen non infertur, quòd actus Diuinæ iuſtitiæ ſit malus,ſed bonus; ergo permiſſio eſt bona. Prob. magis ant. Tunc actus permiſſiuus eſt malus, quando vel cauſatur à ſuo obiecto malo, vel cauſet ſuum obiectum malum; qualis enim eſt cauſa, talis eſt effectus; ſed actus permiſſiuus voluntatis Diuinæ non cauſatur ab obiecto, quia nihil creatum poteſt agere in Deum, nec cauſat obiectum malum,ſcilicet peccatum, quia tunc ſolùm cauſatur peccatum, quando voluntas actiuè tendit in malum; voluntas autem permittens non tendit actiuè in malum, licèt velit poſitiuè non impedire malũ;vel quãdo nõ impedit malũ,quando tenetur, & obligatur ab aliquo præcepto illud impedire; voluntas autem Dei nulla lege poteſt obli-

gari ad impedienda mala,cùm nequeat eſſe ſubdita legi, quæ tantùm fertur in ſubditos, quia eſt omnino domina, & imperatrix; ergo nullo modo nec realiter,nec virtualiter actus permiſſiuus cauſat peccata,& per cōſequēs nullo modo eſt malus; ſed quod non eſt malum, eſt bonum; & quod eſt bonum,eſt actus; ergo voluntas permittens importat actum poſitiuum.

10 Tandem prob.Si permiſſio peccatorum non eſſet actus poſitiuus prouidentiæ Diuinæ, peccata caſualiter, & fortuitò euenirent prouidentiæ, & ſcientię Dei; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & id,vnde ſequitur.Prob.ma. Illud cuenit caſualiter,& fortuitò, quod oritur, & cognoſcitur tantùm ratione cauſæ contingētis, quæ nullam omnino habet determinatam veritatem;ſed peccata cognoſcerentur tantùm in voluntate creata,quæ nullam habet firmitatem,& certitudinem,cùm omnino vertibilis,& contingens ſit; ergo ſcientia Dei illa contingenter cognoſceret; nullo enim modo haberēt infallibilitatem, cùm in creatura, vtpotè eſsētialiter fallibili, nulla infallibilitas haberi poſſit, & per conſequens prouidētia Diuina, quę agit mediante directione ſcientiæ Diuinæ,caſualiter, & merè fortuitò, fallibiliter,& contingenter omnino de peccatis diſponeret, quòd eſt abſurdum.

11 Obijc.1.Si Deus per actum poſitiuum permitteret peccatum,Deus eſſet cauſa peccati ſaltem indirectè,& per accidens;conſequens eſt falſum;ergo & antecedens.Prob.ma.Ex permiſſione ſequitur peccatum; in tantùm enim homo peccat, in quantùm caret auxilijs efficacibus; nā ſi illa haberet,non peccaret; ſed quod eſt cauſa antecedentis, eſt cauſa conſequentis iuxta illud principium phyſicum; *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*; ergo eſſet cauſa peccati ſaltem indirectè,ſcilicet in alio, ad quod ſequitur peccatum;aut per accidens.

Reſp. hoc argum. nimis probare; probat enim, quòd Deus nec etiam ſit cauſa noſtræ voluntatis, aut libertatis; nam noſtra libertas eſt cauſa peccati; ergo ſi Deus eſt cauſa noſtræ libertatis,eſt cauſa etiam peccati,quod cauſatur à noſtra libertate ſecūdùm illud principium phyſicum; *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*.

Reſp.ergo 2.neg.ma. Ad prob.diſt.ma. Ex permiſſione ſequitur peccatum, tanquam ex ordinante voluntatem noſtram ad peccatum, neg; tanquam ex aliquo, cui connectitur mala ordinatio noſtræ voluntatis ad finem prauum, quæ ordinatio non cauſatur ex illa permiſſione, cùm ſit peccaminoſa, & mala, ſed eſt ad illam omnino diſparata,& impertinens, conc; & eodem modo diſti.min. *Quod eſt cauſa cauſæ,eſt cauſa cauſati*; ſi quod eſt cauſa cauſæ, det cauſæ aliquam ordinatiouem ad cauſatum vel per ſe, vel per accidens, conc. mi;ſi nullam talem ordinationem cauſæ communicet, ſed omnino repugnet talem ordinationē communicare, neg;

Sol enim, qui eſt cauſa hominis, non tamen eſt cauſa actionis liberæ elicitę ab homine,vel operis ſupernaturalis,quia ad illa opera Sol non ordinat hominem; ergo ſi Deus non ordinat hominem ad malum, ſed ipſe homo per ſe ipſum ad malum ſe ordinat, & deuiat; bene ſtat,quòd non ſit cauſa peccati nec directè, nec indirectè, nec per ſe,nec per accidens.

12 Obijc.2.Permiſſio nihil aliud eſt, quàm negatio auxilij efficacis *iuxta SS.PP*;ſed negatio non eſt actus poſitiuus;ergo nec permiſſio.

Reſp.diſt.ma.Nihil aliud eſt,quàm negatio quoad modum explicandi,conc;quoad rem explicatam,neg; nam etiam infinitas eſt prædicatū negatiuum quoad modum explicandi, & tamen quoad rem explicatam eſt prædicatum poſitiuū.

ART. VII.

Afferuntur aliquot quæſita circa voluntatem antecedentem,& conſequentem.

1 QVæres 1.An mala fieri ſit verum? Reſp.affirmatiuè; & ratio *B.Doct. diſt.46.princ.2.q.3. ſic efformatur*; Mala fieri nihil aliud ſonat,quàm creaturam rationalem deficere à prima bonitate;ſed creaturę rationales verè deficiunt à prima bonitate, cùm peccant, quia peccare eſt deordiuare à prima bonitate, & deordinare eſt deficere ab ordine recto ad primam bonitatem;ergo verum eſt mala fieri.Tum quia verum eſt infligi pænas,& ſupplicia peccatoribus;ſed pænæ,& ſupplicia non infliguntur, niſi veris culpis,& malis verè commiſſis;ergo verum eſt mala fieri.

2 Quæres 2.An mala fieri ſit bonum? Reſp.*B.Doct.Aegid.q.3.*mala fieri non eſt bonum per ſe, & abſolutè, ſed occaſionaliter, quatenus ex illis eliciuntur bona; quatenus ex poſitione malorum magis reſplendent bona; & quatenus ex poſitione malorum ponitur materialis entitas ſubſtrata malitiæ; propterea *Eccleſia in ſolemnijs Paſchalibus* canit: *O Felix culpa, quæ talē, ac tantū meruit habere Redemptorē.*

3 Quæres 3.An Deus velit mala fieri? Reſp.*B.Doct.q.2.diſt.cit*; Deum velle mala fieri permiſſiuè, quatenus vult permittere,quòd ab hominibus fiant peccata;non tamen vult mala fieri poſitiuè, quia effectiuè non ponit peccata; nec poſitiuè illa efficit; cùm nec per ſe, nec per accidens Deus ſit cauſa peccati.

4 Quæres 4. An mala pertineant aliquo modo ad perfectionem, & pulcritudinem Vniuerſi?

Reſp.*B.Doct.q.3.*mala pertinere ad perfectionem Vniuerſi,ſicut monſtra,& deformitates naturales, quatenus ex varietate maior conſurgit decor, & pulcritudo. Item pertinent ad decorem vniuerſi occaſionaliter, quatenus ſunt occaſio multorum bonorum,quæ non eſſent,niſi extarent mala,ex quibus occaſionantur.Item ratione ſubſtratæ entitatis, quæ deficeret, ſi non eſſent

essent peccata; non tamen pertinent per se, & absolutè ad perfectionem Vniuersi, quia secundùm se important defectum bonitatis, & perfectionis, & ideo nullam addere possunt Vniuerso perfectionem, & decorem.

5 Quæres 5. An aliquis possit facere contra voluntatem Dei?

Resp. *ex B. Doct. dist. 47. princ. 2. q. 1*; quòd contra voluntatem antecedentem, & eius signa, quæ sunt *Præceptum, Prohibitio, & Consilium*, multa fieri possunt; attamen contra voluntatem consequentem, & eius signa, quæ sunt permissio, & operatio, nihil fieri potest. Colligitur hæc conclusio *ex Beat. P. in Enchir. c. 100; & 101*. Ratio est. Homines non semper faciunt ea, quæ Deus præcipit, aut consulit, nec fugit ea, quæ Deus prohibet; nam quando peccat, facit ea, quę prohibet, & transgreditur ea, quæ præcipit, & consulit; ergo homo potest facere contra voluntatem antecedentem, & eius signa. 2. pars concl. patet ex dictis; nam voluntas consequēs, & eius signa semper impletur; ergo nullus potest facere contra voluntatem consequentem, & eius signa.

6 Not. tamen, quòd aliud est dicere secundùm naturam, aliud contra naturam, & aliud præter naturam. Illud dicitur secundùm naturā, quod est secundùm inclinationem naturæ, vt quòd lapis tendat deorsum. Illud dicitur contra naturam, quod est contra inclinationem ipsius; vt quòd lapis tēdat sursum, dicitur contra naturam lapidis. Illud dicitur præter naturam, quod nec est secundùm inclinationem, neque contra inclinationem ipsius naturæ, vt quòd ex ligno fiat statua, vel scamnum, & alia huiusmodi; lignum enim neque inclinat ad esse statuam, neque ad esse scamnum, sed indifferenter omnino se habet.

7 Quæres 6. An quod est contra voluntatem Diuinam antecedentem, obsequatur voluntati consequenti, seu sit iuxta voluntatem conseq.

Resp. *B. Doct. loc. cit. q. 2.* affirmatiuè. Ratio est. Quando homo peccat, & damnatur, facit cōtra voluntatem antecedentem, quæ vult omnes homines saluos fieri, non tamen facit contra voluntatem consequentem, quæ ipsum, vt potè peccatorem, ordinat ad gehennam; ergo, quod est contra voluntatem antecedētem, obedit voluntati consequenti; vnde homo quocunque se vertat, semper facit, quidquid vult Deus. Exemplum affert *B. Doct. de Pictore*; nam quòd in pictura sint colores albi, & rubei, est iuxta voluntatem *Pictoris*, & quod in ipsa sit color niger, & vmbræ, est pariter iuxta voluntatem ipsius, ergo quòd in Vniuerso sint quædam creaturæ albæ per innocentiam, & rubeæ per charitatem consummatam, ad quam sunt electæ efficaciter à voluntate Diuina, & quòd sint aliquæ creaturæ nigræ ad vmbras relegatæ à voluntate Diuina, est iuxta ipsius Dei voluntatem.

8 Quæres 7. An aliqua conformitas dari possit inter voluntatem creatam, & Diuinam?

Resp. *B. Doct. ibid. dist. 48. q. 1.* affirmatiuè; pro quo not. *ex D. Dion*; quòd conformitas, cùm essentialiter consistat in assimilatione, tripliciter dici potest. 1. Aliquod dicitur cōforme sibi ipsi, quatenus est immobile, & immutabile; ex eo enim, quòd aliquod nunquam mutetur, aut varietur, dicitur esse sibi conforme, idèst semper manere, sicut priùs erat; & hæc conformitas non datur inter creaturam, & Deum; creatura enim, variatur, & mutatur, & ideo non est immobilis, sicut Deus, qui nunquam variatur. 2. Dicitur conforme aliquod alteri ex eo, quòd ambo participant eandem formam ab vno tertio, vt duo homines participantes formam eandem specie à generante dicuntur conformes inter se; & nec ista conformitas dari potest inter Deū, & creaturam, cùm repugnet Deum ab alio aliquod participare. 3. Attenditur conformitas inter aliqua duo, quatenus vnum participat ab alio aliquod, quod est in ipso agente, vt effectus dicitur conformis suæ causæ, quia à sua causa participat esse, quod est in ipsa, & hæc conformitas datur inter Deum, & creaturam, quatenus creatura Deum imitatur imitatione tamen analoga, & imperfecta, non vniuoca, & perfecta.

Prob. Voluntas creata potest imitari aliquo modo voluntatem Diuinam, quia potest velle, quod vult voluntas Diuina; ergo potest dari conformitas inter voluntatem creatam, & Diuinam.

9 Quæres 8. In quo consistat formaliter cōformitas inter voluntatem creatam, & Diuinam?

Resp. *B. Doct. ibid. q. 2*; quòd hæc conformitas attenditur minùs principaliter ex natura volūtatis, sicut enim Deus habet potentiam volitiuam, ita illam habet creatura; magis principaliter verò attenditur ex ipso actu bono; vnde illa voluntas creata dicitur magis conformis voluntati Diuinæ, quæ habet actum bonum, & rectum, quā illa, quæ tali actu caret. Fundamentum est. Conformitas voluntatis creatæ, & Diuinæ attenditur magis principaliter ex eo, in quo consistit formaliter ratio bonitatis, & perfectionis; sed bonitas, & perfectio principaliter attēditur ab actu, cùm perfectio sumatur ab actu *secundùm Philosophum*, & minùs principaliter ex potentia; ergo conformitas voluntatis creatę, & Diuinæ principaliter sumitur ex actu recto, & minùs principaliter ex potentia voluntatis.

10 Quæres 9. An teneamur conformare nostram voluntatem voluntati Diuinæ.

Resp. *B. Doct. q. 3.* affirmatiuè. Ratio est. Illud tenemur facere, quod debemus facere; cùm enim aliquis tenetur, debitor dicitur, vnde teneri, & debere cōuertuntur; sed debemus conformare nostram voluntatē voluntati Diuinæ, quia debemus facere id, quod est rectum, & voluntas Diuina semper vult id, quod rectum est; ergo tenemur conformare nostram voluntatem voluntati Diuinæ.

11 Di-

11 Dices 1. Quando quis peccat venialiter; non conformat voluntatem suam voluntati Diuinæ,& tamen ad hoc non obligamur;ergo falsa hæc doctrina.

Resp. Peccantem venialiter se conformare voluntati Diuinæ in habitu, non in actu; vnde datur conformitas respectu actus simpliciter,& difformitas respectu intensionis ipsius actus.

12 Dices 2. Non tenemur conformare nostrum intellectum cum intellectu Diuino, ergo nec nostram voluntatem cum volũtate Diuina.

Resp.neg. conſ.& disparitas est,quia intellectus,cùm non sit formaliter liber,ideo quando errat in cognitione,non peccat; at verò voluntas,cùm sit formaliter libera,non potest deuiare sine peccato. Obser.tamen,quòd intellectus impugnans veritatem sciẽter in ijs, quæ sunt Fidei, peccat ex adiunctione voluntatis; vnde etiam intellectus in ijs,quę sunt Fidei,tenetur conformare se in obsequium veritatis.

13 Quæres vltimò, an teneamur conformare nostram voluntatem in volito, seu in ipsa re volita?

Resp.*B.Doct.q.vlt*;quòd omnes tenemur velle id, quod Deus vult voluntate antecedẽte, quia hac voluntate vult omnes homines saluos fieri, & hæc voluntas est nobis nota, & omnes homines saluos fieri est bonũ; sed nos tenemur velle bonum;ergo tenemur velle id,quod Deus vult voluntate antecedente.

14 Præterea. Non tenemur velle appetitu sensitiuo id,quod voluntas Dei consequẽs vult, etiam quãdo talis voluntas est nobis nota. Prob. Deus vult me mori; & ego appetitu naturali nõ teneor velle mori, cùm omne animal desideret esse,& viuere;propterea Christus Dominus hoc appetitu sensitiuo nolebat suam passionem dicens: *Transeat à me calix iste*;ergo non tenemur appetitu sẽsitiuo velle, quod vult voluntas Dei.

15 Tandem appetitu rationali,& deliberato tenemur velle id,quod vult voluntas Dei cõsequens, quando talis voluntas est nobis nota. Prob. Voluntas rationalis debet subordinari, & conformari voluntati Diuinæ, vt dictum est, quando tamen est nobis nota,cùm ignorantia inuincibilis excuset à peccato;ergo tenetur velle id,quod vult volũtas Diuina; cui obsequium, & obedientia sit in æternum.

DE AMORE DEI.

AMor Dei inter affectiones voluntatis Diuinæ primum obtinet locum; ipse enim fons est,ex quo omnia bona nobis proueniunt, ex quo effluunt torrentes gratiarum. Ipse,qui nõ sunt, facit,vt sint;qui perierant,facit vt redeant. Errantes in viam reducit iustitiæ;ignorantes docet sciẽtiam,peccantes in bonum conuertit,tristes solatur,desperantes confortat, lapsos erigit, stantes tenet,euntes ducit,venientes suscipit. Vbique præsens singulos implet, omnibus præsidens vniuersis prouidet,ne deficiant. Semper sibi paratum inuenit creatura,si creaturam paratam inuenerit. Quocunque illa se vertit,ille non deserit, nisi deseratur ab illa. Vbicunque fuerit ista,ille non recedit; quocunque ierit,reperit illum;quodcunque fecerit,semper assistit. Si hæc infirmatur, ille medicina est;si valet,fortitudo est;si eget,copia est; si abundat,effluentia est. Ei deficienti refectio est;proficienti iuuamen est;mærenti solatium est;& laboranti corona est. De hoc igitur charismatum fõte,cuius donum est omne bonum, paucas bibemus sapientiæ guttas; mens enim plenitudinẽ eius nequit describere;quia solum cor magister amoris,& Schola est.

QVÆST. VNICA.

De Amore Dei.

OStendimus *in sup.Tract.q.3.art.2;& 3.* Deum amare se ipsum, & creaturas futuras, quærimus in præsenti, ad quam speciem amoris pertineat ille amor, & an ille amor compatiatur secum alios actus voluntatis vel disparatos, vel oppositos amori;vt contingit in nobis.

ART. I.

An,& quo amore Deus amet se ipsum,& creaturas?

1 OBseruat *Fundatiss.Doct. in 1. dist. 10. princ.1.q.2.* amorem Dei alium esse notionalem, seu personalem, quo Pater, & Filius spirant Spiritũ Sanctũ;vnde amor notionalis nõ est communis omnibus Diuinis personis, non enim conuenit Spiritui Sancto;qui non habet spirare se ipsum; sed est proprius personarũ spirantium, & ideo esse notificatiuum illarum; ed de hoc amore *inf.de Trin*;alium autem amorem esse essentialem communem omnibus Diuinis personis, quo amant bonitatem Diuinam, & creaturas;& de hoc sermo est in præsenti.

2 Supponimus autem *ex dictis de Volunt. q.3.art.2;* & 3 amorem Dei, prout relatum ad ipsum Deum, qui est obiectum primarium specificatiuum, & terminatiuum, vt diximus *ibid. art.1*;esse omnino necessarium; prout verò relatum ad creaturas, quæ sunt obiectum secundarium,esse omnino liberum.

3 Præterea aduertimus *ex eodem B.Doct.in 2.dist.28.q.1.art.1.* amorem alium esse simplicis beneuolentiæ, quo amatur res in se ipsa propter se ipsam, quia bona est;alium amicitiæ, quo amatur altera persona;cui volumus aliquod bonum;

hum; & alium concupiſcentiæ, quo amatur aliquod bonum, quod volumus alicui.

4 Tandem notamus amorem, gaudium, & deſiderium in hoc diſtingui, quòd amor eſt de bono, prout præſcindit à poſſeſſo, & non poſſeſſo; vnde amor tendit communiter in bonum poſſeſſum, vel non poſſeſſum; quia poſſeſſio, vel non poſſeſſio ſe habet tantùm materialiter, non formaliter ſpecificatiuè ad amorem; gaudium autem eſt de bono formaliter, vt poſſeſſo, vnde poſſeſſio ſe habet formaliter ſpecificatiuè ad gaudium; & deſiderium formaliter eſt de bono abſenti ita, vt abſentia ſit ratio formalis ſpecificatiua deſiderij, ſeu appetitus.

5 Prima ſentẽtia vult Deũ nõ amare amore propriè dicto ſe ipſum, ſed ſolùm creaturas; quia cùm amor, vt dictum eſt, præſcindat à pręſentia, & abſentia obiecti; & Diuina eſſentia nequeat ſic præſcindere, ideo nequit à Deo amari. *Ita Heric. Tract. 2. diſp. 13. q. 4.*

Secunda ſententia docet Deum amare propriè ſe ipſum amore ſimplicis beneuolentię, creaturas verò amore concupiſcentiæ, & amicitiæ. *Ita Fundatiſſ. Doct. vbiſ. diſt. 10. princ. 1. q. 1; & 2; & diſt. 38. cit; noſter Baſil. Aragon; & ex exteris Caiet; Sua; Vaſq; Lorc; Mald; Granad; & alij ferè communiter.*

6 Not. *cont. Gonet*; quòd amor, & gaudium in Deo non diſtinguuntur virtualiter, ſed tantùm æquiualẽter ſimpliciter, & ratione ratiocinata. Et ratio eſt. 1. Quanuis actus virtutum, quæ ſubiectantur in Diuina voluntate tanquam attributa illius, vt diximus *de Vol. q. 1. art. 4*; diſtinguantur virtualiter inter ſe, vt v.g. punire, & miſereri; quia pertinent ad diuerſas virtutes ſpecie diſtinctas; attamen actus, qui non pertinent ad diuerſam virtutem, non habent virtualiter diſtingui; hoc enim ſonat diſtingui *virtualiter*; ſed amor, & gaudium non pertinent ad diuerſas virtutes voluntatis Diuinæ, ſunt enim actus immediati ipſius voluntatis Dei; ergo non diſtinguuntur virtualiter. 2. Diſtinctio virtualis actuum cauſat formaliter diſtinctionem virtualem potentiæ; ſicut diſtinctio formalis virtualis obiectorum cauſat diſtinctionem virtualẽ actuũ; ſed amor, & gaudium non multiplicant formaliter voluntatem; quia eadem voluntas, quæ amat, gaudet; ergo non diſtinguuntur virtualiter. 3. Vna, & eadem potentia nequit habere niſi vnũ, & eundem actum ſpecie, niſi agat mediantibus virtutibus ſpecie diuerſis; vt contingit, quando voluntas mediante iuſtitia punit, & mediante miſericordia parcit; ſed amor, & gaudium ſunt actus vnius, & eiuſdem voluntatis; quia omnis potentia elicit ſuum actum per ſe ipſam, & de illo delectatur, & gaudet; ergo amor, & gaudiũ non diſtinguuntur virtualiter. 4. *ad hominem*. Si amor, & gaudium diſtinguerentur virtualiter, maximè, quia habent diuerſa motiua formalia primaria; amor enim mouetur à bono præſcindente à præſentia, & abſentia, & gaudium à bono præſentialiter poſſeſſo; ſed hæc ratio nulla eſt; quia etiam ſimplex intelligentia habet pro obiecto primario Diuinam eſſentiam, vt communicabilem creaturis præſcindendo ab actuali communicatione, vel non communicatione; & ſcientia viſionis habet pro obiecto primario Diuinam eſſentiam, vt determinatè actualiter communicabilem creaturis, & tamen non diſtinguuntur virtualiter; ergo à pari.

7 Dices. Amor, & gaudium habent diuerſa motiua, vt dictum eſt; ergo diſtinguũtur virtualiter. 2. Si daretur in Deo deſideriũ, diſtingueretur virtualiter à gaudio, quia tenderet ſub diuerſo motiuo; ergo à pari. 3. Illa, quorum vnũ eſt ratio à priori alterius, diſtinguuntur virtualiter; ſed amor eſt ratio à priori gaudij; quia de eo gaudemus, quod amamus; ergo virtualiter diſtinguitur à gaudio.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Habent diuerſa motiua adæquata pertinentia ad diuerſas potentias, vel virtutes, neg; inadæquata pertinentia ad eandem potentiam, conc: exemplum ſit de ſcientia, vt dictum eſt. Ad 2. neg. ant. Si enim daretur in Deo deſiderium, non diſtingueretur virtualiter ab amore, ſed tantùm æquiualenter ſimpliciter, & ratione ratiocinata; quia ſic diſtinguũtur ea, quę ſpectant ad eandem potentiam, & virtutem; vt diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 2. art. 10.* Ad 3. neg. ma; nam immaterialitas *per ipſum Gonet* eſt radix à priori intellectualitatis, & tamen ab ipſa non diſtinguitur virtualiter; quia ſpectat ad eandem lineam ſubſtantiæ.

8 Quòd autem amor, & gaudium diſtinguantur æquiualenter ſimpliciter, probant rationes *Gonet*; & aliæ, quas attulimus *vbiſ. art. 10; 11; 13; & 14.*

9 Quærimus igitur in præſenti, an Deus amet ſe ipſũ, & creaturas exiſtẽtes, & futuras ſecũdùm illud eſſe, quod habent extra Deum (poſſibiles enim non amari oſtendimus *de Vol. q. 3. art. 4.*) amore diſtincto à gaudio æquiualenter ſimpliciter, vel ratione ratiocinata; & quonam amore, ſcilicet, an ſimplicis beneuolentiæ, vel concupiſcentiæ? Pro quo.

10 Vnica concl. Datur in Deo amor propriè dictus ſimplicis beneuolentiæ reſpectu propriæ bonitatis; & amicitiæ, ac concupiſcentiæ reſpectu creaturarum.

Prob. 1. pars *ex Beatiſſ. P. in Epiſt. Io. Tract. 7*; vbi ait: *Quomodò ergo iandudum dilectio ex Deo eſt; & modò ergo dilectio Deus eſt? Etenim Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; Filius Deus ex Deo, Spiritus Sanctus Deus ex Deo; & hi tres vnus Deus, non tres Dij: Si Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & ille diligit, in in quo habitat Spiritus Sãctus; ergo dilectio Deus eſt; ſed Deus, quia ex Deo; vtrunque enim habes in Epiſt. Et dilectio ex Deo eſt, & dilectio Deus eſt*. Ex quo ſic arguitur. Amor ſimplicis bene-

beneuolentiæ est ille, quo amatur bonitas propter se ipsam, quia in se ipsa bona est; in hoc enim differt ab amore amicitiæ, & concupiscentiæ, vt dictum est; sed Deus amat suam bonitatem propter se ipsam, quia summè bona est; dilectio enim Dei est ex Deo, idest ex propria bonitate, quæ est ipse Deus; ergo Deus amat se ipsum amore simplicis beneuolentiæ propriè dicto.

11 Conf.1. Summè bonum est summè amabile propter se; quia illud est amabile propter se, quod habet in se bonitatem formalem, quæ non refertur ad aliam bonitatem; hoc enim sonat *propter se*; & summè bonum habet in se ipso summam bonitatem, quæ non refertur in aliam bonitatem, cùm ipsa sit vltimus finis simpliciter, in quem omnia alia referuntur; sed Deus est summè bonus; ergo est summè amabilis propter se; atqui sūmè amabile propter se amatur amore simplicis beneuolentiæ à voluntate infinitè bona; sicut summè intelligibile intelligitur ab intellectu infinitè vidente; ergo Deus amat suā bonitatem amore simplicis beneuolentiæ.

12 Conf.2. Deus est summè beatus se ipso; sed non est beatus, nisi per amorem; quia beatitudo consistit in amore, quo tenditur in summum bonum, quod habet satiare, & beare voluntatem; ergo Deus amat se ipsum. Atqui talis amor nequit esse concupisceutiæ; quia Deus nequit sibi concupiscere aliquod bonum, quod actu non possideat; cùm ipse sit omne bonum; neque potest esse amor amicitiæ; quia amicitia est ad alterum; amor autem, quo Deus amat se ipsum, non est ad alterum, quia Deus non est alius à se; ergo amor, quo Deus amat se ipsum, non est amor concupiscentiæ, aut amicitiæ, sed amor simplicis beneuolentiæ. *Vid. de Vol. Dei q. 3. art. 2.*

13 Ex his patet Deum non amare creaturas amore simplicis beneuolentiæ; quia bonitas creaturæ non est propter se, cùm non sit bonitas finis, sed bonitas medij, quia est participata à bonitate Dei, ad quam tanquam ad finem vltimum ordinatur; tum quia cùm amor simplicis beneuolentię beatificet formaliter, Deus beatificaretur per creaturas. E contra verò creatura amat Deum amore simplicis beneuolentiæ, quia ordinatur ad bonitatem illius, & per amorem illius formaliter beatificatur, vt suo loco dicemus.

14 Prob. 2. pars concl. 1. ex illo Christi Domini: *Vos amici mei estis.* 2. Amor amicitiæ essentialiter est ad alterum, à quo reamatur; amicitia enim est amor mutuus; vnde amor amicitiæ nequit esse erga creaturas irrationales, quia istæ non amant; & ideo circa illas est tantùm amor concupiscentiæ, quatenus Deus vult illis bonitatem naturalem; sed creaturæ sunt aliud à Deo; ergo Deus amat creaturas amore amicitiæ. Tum quia si aliquid obstaret, maximè inæqualitas, quæ est inter Deum, & creaturas; vel quia amor amicitiæ terminatur ad bonum amici ex complacentia in ipso; Deus autem nequit sibi complacere de bono creaturę, prout est in ipsa, sed prout est ab ipso; sed hæc non obstant; non primum; quia inæqualitas non tollit, quin possit amari persona, & quin possimus ei velle bonum; hic autem est amor amicitiæ, vt patet; ergo inæqualitas, licèt tollat amicitiam in eodem gradu, quæ nullam importat inferioritatem, non tamen tollit amicitiam in gradu diuerso, quę stat cum inferioritate; & ideo inæqualitas tollit solùm æqualitatem, cui opponitur, nō amicitiā, cui non opponitur; & consequēter si ei non opponitur, nō est ratio, cur nō possit stare simul cum ipsa. Neque secundum; nam amor amicitiæ potest terminari ad bonum amici sibi communicatum ab amante, & ad bonum amici sibi non communicatum ab amante; & primo modo terminatur amor Dei ad creaturas; neque repugnat, quòd illud bonum amici sit ordinatum in vltimum finem; aliter nullus daretur amor amicitiæ inter ipsas creaturas; vna enim creatura amat amore amicitię bonum alterius creaturæ, quod tamen est ordinatum in Deum, tanquam in vltimum finem, aliter ille amor esset inordinatus, & ideo non esset verus amor amicitiæ; ergo licèt amor amicitię terminetur ad bonum amici ex complacentia in ipso, non tamen est propter ipsum, tanquam propter vltimum finem; ergo Deus amat creaturas proprio amore amicitiæ.

15 Prob. 3. pars concl. Deus vult bonum communicare creaturis; ergo illas amat amore concupiscentiæ; nam amor concupiscentiæ est ille, quo volumus bonum alicui. Tū quia amor, quo volumus nobis bonum, quod nō habemus, est amor concupiscentiæ; ergo amor, quo Deus vult creaturis bonitatem, quam non habent, est amor concupiscentiæ; sed Deus vult creaturis communicare suam bonitatem, quam illæ non habent ex se ipsis; ergo illas amat amore concupiscentiæ.

16 Hunc amorem concupiscentiæ frequētissimè describit *Beatiss. P. Aug.* præcipuè *in lib. Confess.* vbi *lib. 13. c. 2.* ait. *Ex plenitudine quippe bonitatis tuæ creatura tua subsistit, vt bonum, quod tibi nihil prodesset, nec de te æquale tibi esset, tamen quia ex te fieri potuit, non deesset. Et lib. 7. de Ciu. Dei c. 31.* enumerat bona, quæ in ordine naturali, & supernaturali Deus cōmunicat creaturis amādo dicēs: *Habemus enim ab illo præter huiusmodi beneficia, quæ ex hac, de qua nonnulla diximus, administratione naturæ bonis, malisque largitur, magnum, & bonorum proprium magnæ dilectionis iudicium. Quanquam enim, quòd sumus, quòd viuimus, quòd Cælum, terramque conspicimus, quòd habemus mentem, atque rationem, qua eum ipsum, qui hæc omnia condidit, inquiramus, nequaquam valeamus actioni sufficere gra-*

gratiarum; tamen quòd nos oneratos, obrutosque peccatis, & à contemplatione suæ lucis auersos, ac tenebrarum, idest iniquitatis dilectione cæcatos non omnino deseruit. Misitque nobis Verbum suũ, qui est eius vnicus Filius, quo pro nobis in assumpta carne nato, atque passo, quanti Deus hominem penderet, agnosceremus, atque illo sacrificio singulari à peccatis omnibus mundaremur, eiusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa omnibus difficultatibus superatis in æternam requiem, & contemplationis eius ineffabilem dulcedinem veniremus, quæ corda, quot linguæ ad agendas ei gratias satis esse contenderit? Et in ordine supernaturali lib.10.*Confess.* c.43. ait: *Quomodò nos amasti Pater bone, qui Filio tuo vnico non pepercisti, sed pro nobis impijs tradidisti eũ? Quomodò nos amasti, pro quibus ille, qui non rapinam arbitratus est esse æqualis tibi, factus est subditus vsque ad mortem crucis; vnus ille in mortuis liber potestatem habens ponendi animam suã, & potestatẽ habẽs, & iterũ sumendi eam, pro nobis tibi victor, & victima, & ideo victor, quia victima; pro nobis tibi Sacerdos, & sacrificium, & ideo Sacerdos, quia sacrificium faciens tibi nos de seruis filios, de te nascendo nobis seruiendo?*

17 Obijc. 1. Amor Dei, vtpotè perfectissimus, nequit præscindere à præsentia actuali, existentia, & possessione suæ bonitatis; ergo in Deo non datur actus amoris formaliter, vt distinctus à gaudio. Prob. ant. 1. Bonitas Diuina nequit concipi, vt futura, aliter non esset æterna; & esset in potentia ad esse; ergo nequit præscindere à præsentia. 2. Actus desiderij, quia præscindit à præsentia, repugnat Deo. 3. Deo repugnat cognitio abstractiua respectu sui, & creaturarum; ergo & amor abstractiuus à præsentia, & possessione; eadem enim est ratio; quia vtrunque dicit imperfectionem.

Resp. dist. ant. Nequit præscindere realiter, idèst nequit tendere in suam bonitatem realiter non præsentem, existentem, & possessam, conc; nequit præscindere formaliter, idèst nequit specificari à sua bonitate, tanquam à ratione formali, prout distincta æquiualenter simpliciter à ratione præsentię, existentiæ, & possessionis, neg. Sicut enim voluntas nequit tendere in bonum, quod realiter non sit ens, & tamen ratio boni, prout virtualiter præcisa à ratione entis, est obiectum specificatiuum voluntatis; ita licèt amor Dei nequeat tendere in suam bonitatem, nisi sit existens, præsens, & possessa; implicat enim, quòd sua bonitas non sit talis; attamen sola bonitas præcisiuè, prout distinguitur simpliciter æquiualenter à præsentia, existentia, & possessione, est obiectum specificatiuum ipsius amoris. Ad 1. prob. dist. conf. Nequit præscindere realiter à præsentia, conc; sola enim præcisio realis ab existentia, & præsentia facit futuritionem; nequit præscindere simpliciter æquiualẽter, idèst nõ specificari, neg. Quãuis enĩ bonitas, & veritas in Deo sint idem realiter; attamen præscinduntur virtualiter, quatenus illa specificat voluntatem; hæc verò intellectum; & tamen ex hac præcisione non sequitur, quòd Diuina bonitas sit in potentia ad veritatem, & veritas sit futura. Ad 2. dicitur, quòd desiderium prӕscindit realiter à præsentia, *vt inf.* dicemus; non sic autem amor. Ad 3. omissa responsione *Recentiorum* asserentium existentiam spectare ad specificatiuum formale cognitionis Diuinæ; præsentiam verò, & existentiam non spectare ad specificatiuum amoris; eo quia existẽtia est formaliter intelligibilis; omissa inquã hac responsione, quæ faciliter reijcitur; quia existẽtia eo modo est formaliter bona, & amabilis, quo est formaliter vera, & intelligibilis; bonitas enim, & veritas sũt duo transcẽdẽtia æqualiter imbibita in omnibus. Dist. igitur ant. Deo repugnat cognitio abstractiua realiter ab existentia, conc; præcisiuè formaliter, idèst repugnat non specificari ab existentia sub conceptu explicito existentiæ, neg; hoc enim est apertè falsum. Ideo est paritas omnimoda.

18 Hinc docet *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 1. q. 1. art. 2. ad 2*; quòd amor, quia abstrahit à præsentia, & absentia, ideo si sit perfectus, vt est amor Dei, potest esse de re præsenti; si sit imperfectus, vt est amor creaturæ, potest esse de re absenti, ita tamen, vt præsentia, & absentia rantùm materialiter se habeant ad amorem; qui per prӕsentiam distinguitur à gaudio, quod specificatur à bono, vt præsens est; & à desiderio, quod tendit in bonum, vt absens est realiter.

19 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Amor amicitiæ tendit ad amicum ex complacentia in ipso, idèst in bonitate ipsius; sed Deus nequit complacere sibi de aliquo bono extra se; ergo in Deo non datur amor amicitiæ.

Ad hoc iam fuit responsum. Dist. igitur ma. Ex complacẽtia bonitatis amici vel prout communicatę ab amante, vel prout non communicatæ, conc; tantùm prout non communicatæ, neg. Sic ad mi. dicitur, quòd licèt Deus non possit sibi complacere de bonitate non communicata creaturis, quæ non sit in ipso Deo, attamen maximè complacet sibi de bonitate, prout communicata creaturis; quia bonitas etiam, vt communicata, est in Deo.

20 Obijc. 3. Amor concupiscentiæ est de bono, quod non habemus; in tantùm enim aliquid concupiscimus, In quantùm illud non habemus; nam de eo, quod habemus, gaudemus, non concupiscimus; sed Deo nullum bonum potest deesse; quia est omne bonum; ergo in Deo non est amor concupiscentiæ.

Resp. dist. ma. Est de bono, quod non haber ille, cui concupiscitur tale bonum, conc; quod non habet ipse concupiscens, neg. Ideo dicimus Deum non posse amare se ipsum amore concupiscentiæ, quia nullum bonum potest sibi con-

concupiscere, quia nullum bonum potest aquirere. At verò creatura, cùm sit in potentia ad bonitatem, ideo potest Deus illi concupiscere aliquod bonum, quod tamen ei ipse cõmunicat.

21 Collig. in Deo esse delectationem, & gaudium nedum circa suam bonitatẽ, sed etiam circa bonitatem creaturarum; nam delectatio, & & gaudium sunt actus subsequentes ad amorem nullam inuoluentes in suo conceptu imperfectionem; actus autem subsequentes ad aliquod sunt passiones, vel se habent, vt passiones illius; & passio commensuratur, & proportionatur cũ re, cuius est passio; ideo si amor est formaliter in Deo, etiam delectatio, & gaudium sunt in illo formaliter.

A R T. II.

An in Deo sit formaliter appetitus, & desiderium?

1 PRocedit pariter hæc difficultas de esse, quod habent creaturæ extra Deum; nam circa esse, quod habent in Deo, cùm sit ipsum esse Dei, quod est semper præsens, patet non posse esse desiderium, aut appetitum, qui est tantùm de re non habita.

2 Prima sententia vult, quòd licèt in Deo non detur appetitus, seu desiderium in ordine ad bona intrinseca, quæ semper possidet, datur tamen in ordine ad bona extrinseca, quæ semper actu non possidet. *Ita Sua. lib. 12. de Attr. posit. c. 7; Vasq. hìc disp. 74. c. 1; Alarc. Tract. 3. disp. 7. c. 2; & noster Gibbon de Vol. Dei disp. 28. dub. 3*; apud quẽ *Machin, Arrub; Arriag; & alij.*

Secunda sententia vult in Deo non dari desiderium in ordine ad bona extrinseca, quæ à Deo conferuntur creaturis indepẽdenter ab earum operatione, & consensu; sed tantùm in ordine ad bona, quæ nobis conferuntur depẽdenter à nostra operatione, & consensu, vt salus æterna, actus boni &c. *Ita Heric. Tract. 2. disp. 3. c. 1; & alij apud Gonet.*

Tertia sententia docet in Deo non esse formaliter appetitum, & desiderium circa bona extrinseca. *Ita B. Doct. in 1. dist. 45. princ. 1. q. 1. ad 4; & in 2. dist. 1. princ. 2. q. 1; & omnes illius Discipuli. Ita etiam omnes Thomistæ, & alij ferè communiter.*

3 Not; quòd spes, desiderium, seu appetitus essentialiter est in ordine ad bonum proprium non habitum; in hoc enim distinguuntur ab amore amicitiæ, & concupiscentię, qui est in ordine ad bonum alterius, cui volumus illud bonum; vnde amico propriè non desideramus, sed volumus, & concupiscimus bonum; & in hoc distinguuntur à gaudio, quod est de bono habito, & possesso.

4 Bonum autem potest haberi, & possideri dupliciter. 1. Formaliter, idèst cum ijsdẽ imperfectionibus, quas includit in suo conceptu formali. 2. Eminenter, idèst sine imperfectionibus sibi essentialiter annexis. Patet autem, quòd modus habendi bonum sine imperfectionibus est perfectior, quàm modus habendi illud cum imperfectionibus; vnde sicuti habitio, & possessio boni cum suis imperfectionibus tollit appetitum, & desiderium illius; quia *habita forma cessat motus*; ita à fortiori habitio, & possessio boni sine imperfectionibus tollit appetitum, & desiderium illius. Itaque cùm in Deo sit omne bonum sine imperfectionibus, ideo in illo nullus est appetitus, aut desiderium; & ideo sicuti si Deus non haberet in se eminẽter omne bonum, ex eo, quòd aliquod bonum posset habere extrinsecè, daretur in eo appetitus, & desiderium; ita quia habet omne bonum eminenter in se ipso, quanuis illud non habeat extrinsecè, non datur in eo appetitus, & desiderium, quia possessio extrinseca non superaddit aliquam bonitatem bonitati intrinsecè, nec dicit maiorem perfectionem, sed potiùs dicit illam perfectionem intrinsecam cum imperfectionibus, à quibus nequit moueri voluntas Dei ad illas appetendas extrinsecè; voluntas enim mouetur solùm à bono, quod perfectum est, non autem ab imperfectionibus illius. *Vid. To. 1. de Eminent. Dei art. 4.*

5 Vnica concl. In Deo non est formaliter appetitus, aut desiderium etiam respectu bonitatis extrinsecæ.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. in ps. 118. conc. 8.* docente: *Desiderium ergo quid est, nisi rerum absentium concupiscentia?* Et referri solet etiam *in ps. 117.* dicens: *Appetitum propriè esse circa bonum non habitum*; sed nullum bonum deest Deo; ergo in Deo non est formaliter appetitus, aut desiderium.

6 Dices bonitatem creaturarum non haberi extrinsecè à Deo, neque esse præsentem, & ideo dari appetitum, & desiderium in ordine ad bonum extrinsecum, seu in ordine ad habitionem extrinsecam creaturarum.

Sed contra est. 1; nam habitio extrinseca non importat bonitatem aliam à bonitate intrinseca, quam habet Deus; aliter si habitio extrinseca importaret aliquam bonitatem, quam intrinsecè non haberet Deus, omnis bonitas non esset in Deo, & sic Deus non esset omnis boni bonum; nec esset omnis perfectio; ergo si habitio extrinseca nullam importat bonitatem superadditam bonitati intrinsecę, non potest terminare appetitum, aut desiderium, quod essentialiter est de bono non habito.

Contra 2. Appetitus, & desiderium importat carentiam alicuius bonitatis, quæ intrinsecè deest ipsi appetenti, & desideranti; in hoc enim distinguitur appetitus, & desiderium à concupiscentia, & amore, vt supra dictum est; sed nulla bonitas potest intrinsecè deesse Deo; ergo in Deo nequit esse formaliter appetitus, aut desiderium.

7 Conf. *Ex eod. in ps. 67. circa medium* habetur

tur de appetentibus,& deſiderantibus: *Nec omnino requieſcunt deſiderando, vt aquirant, metuendo, ne amittant.* Ex quo ſic. Appetitus, aut deſiderium importat formaliter metum, & inquietudinem animi, quia importat carentiam bonitatis, quæ appetitur, & deſideratur; in qua ſolùm quieſcit appetitus,& deſiderium; *habita enim forma ceſſat motus*; ſed in Deo nullus poteſt eſſe motus, & inquietudo; ergo in ipſo non eſt formaliter appetitus,aut deſiderium.

8 Prob. 2. Habitio formalis boni deſtruit appetitum, & deſiderium formale; quia appetitus,& deſiderium formale eſt eſſentialiter de bono non habito; vnde circa bonum habitum nequit eſſe appetitus, aut deſiderium; ergo habitio eminentialis boni à fortiori deſtruit rationem appetitus,& deſiderij; ſed Deus habet in ſe ipſo eminēter omnē bonitatē, quā extrinſecè poteſt communicare creaturis; ergo circa illam nequit habere appetitum, vel deſiderium. Ant. admittitur.Prob.cōſ.Illud magis ſatiat, & quietat appetitum, & deſiderium, quod eſt bonum perfectius; & habitio, ſeu poſſeſſio alicuius boni magis tollit appetitum, & deſiderium, quæ eſt magis perfecta, & inamiſſibilis; ſed bonum eminentialiter contentum eſt perfectius, quàm bonum formale creatum, quia bonum eminentialiter contentum eſt ſine imperfectionibus, bonum autem formale creatum in ipſis creaturis eſt cum imperfectionibus proprijs creaturarum; & poſſeſſio intrinſeca creaturarum eſt ſimpliciter neceſſaria, & inamiſſibilis, quia dicit continentiam ipſarum creaturarum in Deo; at verò poſſeſſio extrinſeca eſt contingens, & abſolutè potuit non eſſe; quia Deus potuit nullam velle creare creaturam; ergo habitio, ſeu poſſeſſio eminētialis boni à fortiori deſtruit rationem appetitus, & deſiderij.

9 Conf.In hoc appetitus,& deſiderium diſtinguitur à gaudio, & delectatione; quòd gaudium, & delectatio ſunt de re, quæ poſſidetur; appetitus autem, & deſiderium ſunt de bono, quòd non poſſidetur;hinc dicimus materiam appetere, & deſiderare formam,quam non habet; non tamen illam,quam actu habet; quapropter *Grammatici* hoc nomen *deſideratur* ſumunt,prout idem eſt,ac *abeſt*, ſeu *deeſt*; ſed Deo nullum bonum poteſt deeſſe,aliter non eſſet omnis boni bonum;tum quia ſi aliquod bonum poſſet deeſſe,maximè illa poſſeſſio,& habitio extrinſeca creaturarum; ſi autem illa poſſeſſio extrinſeca eſſet aliquod bonum, quòd non eſſet in Deo, iam in Deo non eſſet omne bonum; ergo in ipſo nequit eſſe appetitus,aut deſiderium.

10 Dices.Quamuis Deus non poſſit deſiderare bona extrinſeca ſibi tanquam perfectiones proprias,poteſt tamen illa nobis deſiderare tanquam noſtra perfectiua; ergo ſaltem in ipſo datur deſiderium reſpectu noſtri.

Reſp.deſiderium non eſſe de bono alieno, circa quod eſt amor concupiſcentiæ, vel amicitiæ; ſed eſſe tantùm de bono proprio, à quo ex pectat quietem, & delectationem, niſi velimus abuti vocabulis nouas ſignificationes illis tribuendo diuerſas ab illis, quæ impoſitæ fuerunt ab antiquis; Deus autem non expectat quietem à creaturis, nec delectationem; ergo non habet deſideriū formale, ſed tantū eminens circa illas.

11 Obijc. 1. *D.Chriſoſt. hom.1. in Epiſt. ad Epheſ.* ait: *Deus valde cupit, valde deſiderat noſtram ſalutem*; ergo in Deo eſt formaliter deſiderium. Tum quia Deus vult omnium ſalutem; ſed ſalus omnium non eſt actualis, nec futura, ſed tantùm poſſibilis; ergo in Deo datur actus voluntatis, qui eſt circa bonitatem abſentem; atqui hic actus eſt appetitus,& deſiderium;ergo in Deo datur formaliter appetitus,& deſideriū.

Reſp. hoc fuiſſe ſolutum *de Vol.q.4. art.2. n.15; & 16.* Dicitur ergo, quòd ly *deſiderat* ſumitur tranſlatè ad ſignificandam vehementiam amoris;vt cū *D.Paulus* dixit ſe cupere anathema eſſe pro fratribus ſuis.Ad aliud dicitur ſalutem omnium in communi eſſe actualem, non poſſibilem, quamuis ſalus omnium in ſingulis non ſit actualis,nec futura.*Vid.vbiſ.*

12 Obijc. 2. Spiritus Sanctus procedit ex amore ſui; ſed talis amor non eſt gaudium,quia talis amor non eſt de Spiritu Sancto iam habito, ſed habendo per talem productionem; ergo talis amor eſt appetitus,vel deſiderium.

Reſp; quòd amor, per quem procedit Spiritus Sanctus,eſt amor ſimplicis beneuolentiæ, quo Pater, & Filius diligunt ſe propter ſe, qui amor eſt perfectiſſimus inter omnes ſpecies amoris. Diſt. ergo ma. Ex amore ſimplicis beneuolentiæ, conc; ex gaudio, neg; gaudium enim vel ſubſequitur,vel concomitatur. Cùm autem ſubditur, quòd talis amor eſt de Spiritu Sancto habendo per talem productionem, ſi ly *habendo* importet tempus futurum,neg;ſi importet negationem prioritatis Spiritus Sancti in eſſe ad actualem productionem ſui,conc.

13 Obijc. 3. Deſiderium eſt medium, quo peruenimus ad gaudium;ſed in Deo datur gaudium;ergo datur deſiderium; vbi enim datur finis,debet etiam dari medium ad finem.

Reſp.diſt.ma.Deſiderium eſt medium,quo peruenimus ad gaudium de bonitate aquiſita realiter diſtincta,& priùs non habita,conc; & in hoc ſenſu neg.mi; non enim datur gaudium in Deo de bonitate aquiſita priùs non habita. Ad gaudium de bonitate ſemper habita,neg.ma.

14 Obijc.4. Deus non ſemper poſſidet bona extrinſeca creata; aliter eſſent ab æterno;ergo ſaltem per ordinem ad illa poteſt dari appetitus,& deſiderium.

Reſp.diſt. ant. Non poſſidet eminenter intrinſecè,neg;formaliter extrinſecè,conc. Ad rationem autem appetitus requiritur, quòd talis bonitas nullo modo poſſideatur,vt dictum eſt.

ART. III.

An odium, Ira, Tristitia, Spes, Desperatio, et omnes alij effectus, qui ad fugam reducuntur, sint formaliter in Deo?

1 Loquimur de omnibus affectionibus voluntatis, quæ ad fugam pertinent formaliter, vt sunt odium, ira, & tristitia, vel quæ ad fugam reducuntur, quia licèt non habeant pro obiecto malum, quod est obiectũ fugæ, attamen respiciunt bonum sub aliqua ratione, quæ malitiam induit, vt sunt spes, quæ respicit bonum arduum, à quo volũtas propter arduitatem fugit; desperatio, quæ respicit bonũ, à quo fugit propter impossibilitatem; iudicat enim illud non posse consequi; & audacia, quæ respicit bonum difficile, & laboriosum, à quo fugit propter difficultatẽ, & laborem annexũ tali bonitati. Quærimus in præsenti, an omnes, vel aliqui ex isti affectibus sint formaliter in Deo, an verò solùm metaphoricè, & per translationem à creaturis?

2 Istæ autem affectiones possunt considerari dupliciter. 1. Prout pertinent ad appetitum sensitiuum, & sunt species irascibilis, & hoc modo certum est secundùm omnes non esse in Deo formaliter, cùm in Deo non sit appetitus sensitiuus, cuius sunt effectus formales; Deus enim omnino incorporeus est, immaterialis, & adæquatè spiritualis. 2. Prout pertinent ad appetitum rationalem, scilicet ad ipsam voluntatem, quæ omnino spiritualis est, & in hoc sensu procedit difficultas.

3 *Hebræi in Talmud*, vt refert *Sixt. Sen*; dixerunt Deum quotannis lugere destructionem Templi Salomonis, pænitere hominem fecisse, irasci cum pisce *Leuiatan*, & alia ridicula figmẽta, quæ reijcientur ex decisione difficultatis.

4 Prima sententia vult, in Deo esse formaliter nedum odium abominationis, quod est circa peccatum, sed etiam odium inimicitiæ, quod est erga peccatorem. *Ita Vasq; Sua; Mol; Heric; & alij apud Io. à S. Tho. hic q. 20. disp. 6. art. 1.*

Secunda sentẽtia vult in Deo esse odium, & iram formaliter. *Ita Sua. de Attr. neg. lib. 3. c. 7; & hic de Iust. Dei sect. 5. n. 2. contra Vasq*; qui licèt odium admittat, iram tamen remouet. Huic sententiæ videtur fauere *B. Doct. in 2. sent. dist. 19. q. 1. art. 1. dub. 1. lat*; vbi ait: *Propriè loquendo Deus nullam creaturam suam odit, sed irascitur contra suam creaturam, & si aliquando inueniatur Deus odire creaturam, oportet, quòd ibi odire sumatur pro irasci*. Vbi quantùm ad iram videtur conuenire *cum Sua*; licèt quantùm ad odium ab ipso differat propter eius rationes infra afferẽd.

Tertia sententia docet nullam ex citatis affectionibus formaliter esse in Deo, si sumantur formaliter, idest secundùm suam propriam formalitatem, quam significant, sic enim maximam dicunt imperfectionem. *Ita B. Doct.* quantùm ad odium *lo. cit*; quantùm ad iram *dist. 21. q. 1. art. 3. §. Tertia autem via*; vbi ait. *Ira secundùm Philosophum est appetitus doloris in contrarium propter apparentem paruipensionem*; & *q. 2. art. 1*; vbi ait, quòd odium, & ira differunt secundùm magis, & minus; *odium enim est ira inueterata* iuxta *Beat. P.* locis *inf.* adducendis. Et quia Deo nequit formaliter competere odium, ita neque ira; sicut quia illi repugnat ratio doloris, aliter non esset perfectè beatus, cùm dolor beatitudinem tollat, ita neque ira quæ ex dolore nascitur. Clariùs hoc docet *de Regim. Princ. 3. p. lib. 1. c. 7*; vbi habet: *Ira semper est cum tristitia, tanta enim est anxietas irati, vt vindicta fiat, quòd donec sit facta vltio, quasi continuè sit in tristitia*; & *2. sent. dist. 15. q. 2. art. 2. §. Totidem possumus*; vbi ait: *Aliquãdo talia opera facit Deus, quòd licèt non sit iratus, habet se ad modum irati, & licèt non pœniteat, habet se ad modum pænitentis, & licèt non doleat, habet se ad modum doloris &c; omnia ergo ista referenda sunt ad Deum secundùm effectum, non secundùm affectum*. Vt tamen eius mens explicetur, & appareat, quomodò sibi in præcitatis locis non contradicat?

5 Not; quòd simplex nolitio, qua nolumus aliquod obiectum, dici non potest ira, vel odiũ, aliter Deus nolens creaturas possibiles creare odio haberet illas, & illis irasceretur. Dicit ergo ira, & odium supra nolitionem aliquod motiuũ maius ex parte odientis, & irascentis, ex quo mouetur odiens, & iratus ad odiendum, & irascendum. Hoc autem motiuum, quod specificat iram, & odium nequit esse, nisi dolor mutuus, quo iratus dolorem, quem patitur ipse, intendit effundere in alterum, vt ex hac effusione eius animus alleuietur; propterea *Arist. 1. de Anima. 16.* ait: *Iram esse appetitum doloris vicissim alteri inferendi*; iste autem dolor causatur, vel quia Aduersarius nobis nocet, vel quia impedit nostram intentionem, illique repugnat; sicut ex eo, quòd nobis benefaciat, & nostram intentionem secundet, amorem generat in nobis. Vnde cùm Deus non sit capax doloris, qui eius beatitudini essentialiter repugnat, neque sit capax alicuius nocumenti, cùm sit simpliciter impassibilis; neque vlla creatura possit impedire eius voluntatem, quæ est omnipotens; nam peccata non impediunt Dei voluntatem, cùm ab ipsa permittantur, optimè sequitur in ipso nõ esse iram, aut odium formaliter.

6 Quamuis autem odium ab ira multipliciter differat, principalior tamen differentia est, quia odium nunquam satiatur; ira autem, quando Aduersarius sufficiẽter dolet, satiatur; ex quo fit, quòd odium durat vsq; ad exterminium inimici; ira verò non vult inimicum exterminare, & annihilare, sed vult solùm ipsum dolere. Vnde odium, & ira differunt tanquam continens, & contentum, quia odium continet iram, non tamen è contra; odium enim est extrema ira, cùm sit vltimum augmentum iræ; propterea

Bea-

Beatiſſ.P.in noſtra Regula habet: *Ne Ira creſcat in odium*;hinc odium defin itur: *Ira inueterata* ; vt *ex eodem* videbimus.

7 Præterea licèt ira differat realiter à iuſtitia vindicatiua ; iuſtus enim Iudex non debet iudicare iratus, quia vt ait *B.D. in 2. diſt.9.q.2. ar.1.dub.1.lat*; ratio iudicandi debet eſſe ex dilectione,& amore Iuſtitiæ, non autem ex ira,vel ex aliqua alia paſſione ; vnde ira ad iuſtitiam vindicatiuam ſe habet tanquam extremum; vindicatiua enim, ſi declinet ad defectũ, partialitas eſt; ſi propendat ad exceſſum, ira eſt; quare ira habet vtiq; vindicare inimicum, quatenus vult ipſum dolere; ceterùm ſupra dolorem inimici addit dolorem, quem affert ira ipſi irato ; quapropter ira materialiter eſt iuſtitia vindicatiua, formaliter tamen ab illa differt;ſicut prodigalitas materialiter eſt liberalitas, quia eſt communicatio bonorum; formaliter tamẽ diſtinguitur, quia eſt diffuſio bonorum cum exceſſu. Ex hoc habemus,quòd quando *B.Doct.diſt.19.cit.*attribuit iram Deo,loquitur de ira materialiter,prout vindicatiuam iuſtitiam importat ; non tamen loquitur de ira formaliter, prout addit ſupra iuſtitiam vindicantem dolorem exiſtentem in irato,cuius incapax eſt Deus.

8 Et hoc conformiter ad *Beatiſſ. P; qui lib. cont.Adimant.c.11.* ait : *Ira Dei non perturbatio mentis eſt,ſed potentia vindicandi;& in pſ.78.Ira porrò, & zelus Dei non ſunt perturbationes Dei, ſicut nonullli Scripturas , quas non intelligunt, arguunt,ſed nomine iræ intelligitur vindicta iniquitatis,nomine zeli exactio caſtitatis.His not.*

9 Vnica concl. Odium abominationis, aut inimicitiæ,ira,triſtitia,dolor,pænitentia,inuidia, ſpes,deſperatio,audacia,timor,& ceteræ affectiones, quæ pertinent ad iraſcibilem, vel concupiſcibilem, non ſunt in Deo formaliter, ſed tantùm metaphoricè.

Prob.1.de odio inimicitiæ *à B.Doct.*ex illo *Sap. 9. Diligis omnia,quæ ſunt, & nihil odiſti eorum,quæ feciſti.*

10 Prob.2.*ex Beatiſſ.P.in pſ.105*; vbi ſup.illud : *Iratus eſt furore Dominus*, ait : *Noluerunt quidam Interpretes noſtri iram ponere in eo,quòd Græcus habet thimos;ſed quidam iram poſuerunt, quidam indignationem, quidam animum interpretati ſunt.Quodlibet horum dicatur,perturbatio non cadit in Deum , ſed de conſuetudine tranſlatum potentiam vindicandi hoc nomen accepit*: Et ſup.illud. *Abominatus eſt hæreditatẽ ſuam*;ſubdit: *Non ad perditionem, ſed ad diſciplinam eos abominatus eſt*.Ex quo ſic arguit *Fundatiſſ.Doct.* Odium in ſuo conceptu formali importat dolorem, & animi perturbationem, quæ nunquam ſatiatur, & quieſcit,niſi vſque ad exterminium rei odio habitæ; odium enim importat iræ exceſſum; & ira formaliter importat dolorem, vt dicitur in eius definitione ; & in hoc excedit iram, quòd hæc vult ſolùm inimici dolorem, non autem exterminium;ſed in Deo nequit dari dolor,perturbatio, & inquietudo, quia hæc pugnãt cum ſumma eius beatitudine;neque Deus exterminat peccatorem, ſed tolerat; neque exterminat peccatum,quia illud permittit;ergo in Deo nõ datur formaliter odium abominationis erga pecccatum, vel inimicitia erga peccatorẽ.

11 Conf.1. Odium abominationis opponitur formaliter amori concupiſcẽtiæ, & odium inimicitiæ amori amicitiæ; ſed amor amicitiæ,& concupiſcentiæ tendit formaliter in bonum illud optando amicis;ergo odium formaliter tendit in malum illud optando inimicis ; atqui voluntas Dei nequit formaliter tendere in malum; ergo in illa nequit eſſe odium formaliter.

12 Conf. 2. Sicut amor naſcitur ex conuenientia, & conſonantia rei amatæ ad voluntatẽ amantem; ita odium ex diſconuenientia, & diſſonantia;ſed neque peccator, neque peccatum diſconueniunt voluntati Dei, quia peccator toleratur,& peccatum permittitur;quapropter dicitur, quòd illud, quod eſt contra voluntatem antecedentem prohibentem peccata, eſt iuxta voluntatem conſequentem ea permittentem ; ergo odium nõ eſt in voluntate Dei formaliter.

13 Conf.3.Odium reddit perſonam odientẽ dignam auerſione, & fuga;cùm enim odium formaliter ſit circa malum, & circa malum formaliter ſit fuga , ideo circa naturam odientem eſt fuga ; ſed nihil eſt in Deo, quod ſit motiuum auerſionis,quia omne, quod eſt in Deo,eſt ſummè bonum, & ideo eſt motiuum conuerſionis ; ergo in Deo non eſt odium formaliter.

Conf.4. Odium eſt deteſtabilius ira; nam ira creſcit in odium, quod dicitur ira inueterata,vt docet *Fundatiſſ.Doct.ex Beatiſſ.P.in pſ.54.* docente: *Ira,Fratres,ſi fuerit inueterata, iam odium eſt*;quod habet etiam *lib.2.de Serm.Domini in Monte c.30*;ſed ira ſemper eſt cum iuſtitia, quæ nequit eſſe in Deo, quia pugnat cum eius ſumma beatitudine ; ergo odium non eſt in Deo formaliter.

14 Tandem *ex eodem Beatiſſ.P.in pſ.54.*habetur : *Si vita dilectio,mors odium eſt* ; ex quo ſic.Ita opponitur odium amori,ſicut mors opponitur vitæ ; ſed ex eo, quòd Deus ſit formaliter vita, nequit mors eſſe in ipſo formaliter, quia duo oppoſita nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ergo ex eo,quòd Deus ſit formaliter dilectio (Deus enim charitas eſt ; imò quia Deus eſt vita,eſt dilectio,cùm dilectio ſit operatio vitalis, in qua conſiſtit formaliter vita in actu ſecundo) nequit in ipſo eſſe odium formaliter,aliter in illo ponerentur ſimul duo oppoſita.

15 Prob.2.de ira *ex Beatiſſ.P.in pſ.54.vbiſ.* docente:*Ira turbat oculum,odium extinguit; ira feſtuca eſt , odium trabs eſt*. Ex quo ſic.Ira in ſuo cõceptu formali inuoluit triſtitiam, vt diximus, & triſtitia inuoluit animi dolorem, & perturbationem; ſed triſtitia,dolor, & perturbatio repugnant

gnant Deo; vt ſtatim dicemus; ergo & ira. Tum quia ira non cauſatur, niſi ex aliquo nocumento accepto; ſed Deus incapax eſt nocumenti; aliter non eſſet beatus; quia poſſe nocumentum pati miſeria eſt, quæ opponitur beatitudini; ergo ira non eſt in Deo. Tum quia Iudex iratus puniens ex motiuo irę præiudicat iuſtitiæ vindicatiuæ; debet enim punire citra omnem paſſionem; ſed Deus reſpicit peccata, & peccatores, vt iuſtiſſimus Iudex puniens, & vindicans; ergo in illo nequit eſſe ira.

16 Prob. 3. de triſtitia, & dolore. Triſtitia, & dolor ſunt de ijs malis, quæ accidunt contra propriam voluntatem non permittentē; ſi enim aliquis permittat mala, non triſtatur, neque dolet de ijs, cùm accidunt; ſed nihil poteſt accidere contra voluntatem Dei non permittentem; vt oſtendit *Beatiſſ. P. in Enchir c. 94. & ſeq*; ergo triſtitia, & dolor formaliter non ſunt in Deo. Tum quia triſtitia eſt cum depreſſione, quæ nequit cadere in Deum, cùm ſit omnipotens.

17 Prob. 4. de pœnitentia. Pœnitentia eſt ſpecies triſtitiæ; ſed triſtitia non eſt in Deo; ergo neque pœnitentia. Tum quia pœnitentia eſt virtus retractatiua actus antecedentis, quæ retractatio nequit fieri niſi per actum nolitionis; ſed Deus nequit retractare priorem volitionem, quia nequit nolle, quod priùs voluit, vt diximus *de Vol. q. 2. art. 4*; ergo in ipſo non eſt pœnitentia. Tum quia pœnitentia eſt dolor de actu præterito; ſed in Deo nequit eſſe dolor; qui pugnat cū ſūmo gaudio; ergo in eo nequit eſſe pœnitētia.

18 Prob. 5. de inuidia. Inuidia quoque eſt ſpecies triſtitiæ; ergo non in Deo. Tum quia eſt de bono, quod non habet, ſed in Deo eſt omne bonum; ergo nequit eſſe inuidia.

19 Prob. 6 de ſpe, & deſperatione. Spes eſt circa bonum abſens, & arduum, proprium, vel alienum; ſed nullum bonum poteſt eſſe abſens Deo, neque arduum, quia eius potentia ſuperat omnem difficultatem, vtpotè infinita; & eius bonitas præſens eſt nedum ipſi Deo, ſed etiam ſe poteſt facere præsētem ſine vlla arduitate creaturæ; ergo ſpes reſpectu boni proprij, & alieni non eſt in Deo. Præterea deſperatio eſt de bono, quod iudicatur impoſſibile adeptu; ſed nullum bonum eſt impoſſibile Deo nedum reſpectu ſui, ſed etiam reſpectu creaturæ; ergo deſperatio non eſt in Deo.

20 Prob. 7. de audacia, & timore. Audacia eſt de opere ſuperante proprias vires; & timor eſt de malo proprio, vel alieno, quod non poteſt euitari à ſe, vel ab alio; ſed nullum datur opus, quod ſuperet omnipotentiam Dei; & nullum eſt malum, quod poſſit Deum lædere, aut quod non poſſit Deus auertere à creatura; ergo in Deo non eſt audacia, vel timor.

21 Tandem prob. generaliter de omnibus. Omnes affectiones, quæ inuoluūt triſtitiam, dolorem, perturbationem, & mutationem, repugnant Deo; ſed omnes allegatæ ſunt huiuſmodi; ergo repugnant Deo. Ma. patet; quia illa omnia repugnant ſummæ Dei bonitati, beatitudini, & felicitati.

22 Quòd autem ſint in Deo metaphoricè, prob. Illud eſt in aliquo metaphoricè, quod non eſt in illo ſecundùm proprium conceptum formalem, ſed ſolùm ſecundū aliquam ſimilitudinē; ſed iſtæ affectiones ſunt huiuſmodi; quia ſecundùm propriū conceptū formalē dicunt imperfectionē, & ideo nequeunt eſſe formaliter in Deo; ſicut autem ex eo, quòd videamus in nobis vnū hominē torquere alium, dicimus eſſe iratum; ita à ſimili arguimus irā eſſe in Deo ex eo, quòd ſeuerè vlciſcatur delicta hominum; ergo ſunt tantùm metaphoricè in Deo, idèſt tranſlatiuè ex nobis ſecundùm aliquam ſimilitudinem.

23 Poteſt etiam dici eſſe in Deo eminenter; quatenus Deus cauſat eoſdem effectus ad extra, quos cauſaret, ſi verè eſſet formaliter iratus, pænitens &c; demptis tamen omnibus imperfectionibus.

24 Obijc. 1. *Sap.* 14. habetur: *Odio eſt Deo impius, & impietas eius*; *& Rom. 9. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*; ſup. quod *Beatiſſ. P. lib. 1. ad Simplic. q. 2.* ait: *Non odit Deus Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem*; & alia ſimilia habentur in *Scripturis*, quæ videntur ponere odium formaliter in Deo; ergo odium eſt formaliter in Deo.

Reſp. hæc omnia loca intelligi metaphoricè, & tranſlatiuè; non autem formaliter, & propriè; cùm enim Deus loqueretur *in Scripturis* populo rudi, debebat, vt intelligeretur ab ipſo, ſe accommodare locutioni propriæ ipſius, & cùm vindicta, quę fit ab homine cum ſeueritate, & exterminio inimici, fiat ſemper ex odio, ideo ad declarandam ſeueritatem Diuinæ vltionis aſſumit hoc nomen odium.

25 Obijc. 2. Odium nedum eſt de malo, quod eſt ſibi nociuum; ſed etiam de malo, quod eſt alteri nociuum; odio enim habemus nedum nocentes nobis, ſed etiam nocentes noſtris conſanguineis; ergo licèt Deus non poſſit odiſſe peccatum, quatenus malū ſibi, attamen poteſt odiſſe, quatenus malum ſuis creaturis.

Reſp. diſt. ant. Odium eſt de malo vſque ad exterminium, & cum perturbatione mentis, ac dolore, & triſtitia, conc; ſecus, neg. Cùm ergo Deus non exterminet peccatum, ſed permittat, neque perturbetur intrinſecè, ſeu doleat, aut triſtetur ex commiſſione peccatorum; ideo quamuis peccata illi diſpliceant, attamen in ipſo non eſt odium.

26 Obijc. 3. Poteſt Deus anihilare creaturam; ſed in tali caſu vellet malum creaturæ vſque ad exterminium; ergo in ipſo eſt odium formaliter.

Reſp. diſt. mi. Vellet malum creaturę vſque ad exterminium cum perturbatione, dolore, & triſtitia, neg; ſine perturbatione, dolore, & triſti-

tia,

tia, conc; nam exterminatio sola non sufficit; nam quando ignis destruit lignum, illud exterminat; & tamen in igne nõ est odium, quia in eo nõ est dolor internus, perturbatio mentis, & tristitia.

27 Obijc. 4. Ira importat solam vindictam, & punitionem peccatorum; sed vindicta est formaliter in Deo; ergo & ira.

Conf. Licèt misericordia in nobis habeat annexam compassionē, & animi deiectionem, ac dolorem; attamen formaliter ponitur in Deo sine cõpassione, deiectione, & dolore; ergo à pari.

Resp. ad arg. neg. ant. Iudex enim puniens citra iram habet vindictam de reatibus, & si non habeat iram; ergo ira solùm materialiter est vindicta, quatenus illam includit; non tamen è contra vindicta iram includit, sicut odium includit iram, non tamen è contra.

Ad conf. neg. conf. nam compassio, animi deiectio, & dolor solùm materialiter spectant ad misericordiam, quatenus scilicet misericordia est in subiecto capaci passionum; non tamen formaliter, quia tales passiones non sunt principia elicitiua actuum misericordiæ, sicut tristitia, dolor, & animi deiectio sunt principia motiua ad iram, & odium.

DE BEATITVDINE OBIECTIVA.

SOlum Deum se solo esse beatū, & à solo Deo creaturas beatificari notū est. Ideo hunc paruulum Tractatū inscribūt Theologi *De Beatitudine obiectiua*, quia Deus ipse, vt formaliter beatus, est obiectū nos beatificans. Breuissimè expeditur hęc materia; quia de beatitudine Dei, nõ possumus loqui, nisi conformiter ad beatitudinē nostrā; ac propterea difficultates, quæ circa illam possent excitari, ex dicendis de beatitudine hominis, resolui possūt. Agit de Beatitudine *Beatiss. P. de Ciu. Dei lib. 10; 11; 12; 18; & 19; & lib. de Vita beata; in lib. Confess; & lib. 13. de Trin. à c. 4; & Epist. 52. ad Macedon; & alibi.*

QVÆST. VNICA

De Beatitudine Obiectiua.

DVplicem esse beatitudinem, scilicet obiectiuam, quæ nihil aliud est, quàm ipsum obiectum beatitudinis; & formalē, quæ est ipsa actualis possessio obiecti beatificantis, tradunt communiter *omnes Auctores*. De prima solùm *in seq. art.* agendum est, latam differentes de secunda disputationem *ad 2. lib. sent.*

ART. VNICVS.

An Deus sit vera beatitudo?

1 DIe 13. Nouembris, qua dies natalis recurrebat *Beatiss. P. Aug.* conuocatis, vt solemne erat, ad conuiuium consanguineis, & quibusdam amicis, ac Discipulis, post prandium disputationem proposuit de nostra beatitudine, vt refert *lib. de Vita beata*; & primò quærens, quænam conditiones requirantur ad obiectum, quod potest animum nostrum beare; respondit requiri inamissibilitatem; si enim aliquis potest amittere bonum, quo fruitur, miser est, non beatus, quia timore illud perdendi turbatur. Concludit autem his verbis: *Id ergo, inquam, semper manens, nec ex fortuna pendulum, nec vllum subiectum casibus esse debet.* Addidit sanctissima eius Mater diuinitus edocta; vt refertur *ibid. Hoc loco autem Mater; etiansi securus sit, inquit, ea se omnia non esse amissurum, tamen talibus satiari non poterit; ergo & eo miser, quo semper indigus.* Quibus verbis ostendit ad beatitudinem requiri nedum inamissibilitatē, securitatem, seu æternitatem, ac stabilem quietem; sed etiam satietatem; quandiu enim appetitus satiatus non est, caret bono, quo potest satiari, & ideo illo eget; egere autem, & miserum esse idem est; ac propterea non esse beatum, quia miseria beatitudini opponitur. Ex his duabus conditionibus concludit, quòd cùm solus Deus sit semper manens, & nulla sæuiente fortuna eripi possit, & in illo sint omnia bona, solus Deus beatitudo obiectiua esse potest.

2 Varij fuerunt circa beatitudinē obiectiuam *Philosophorum* errores; vt *de Cinicis, Academicis, & Stoicis* narrat *Beatiss. P. Aug. lib. 19. de Ciu. c. 1; 2; & 3; Alij* enim volebant consistere in bonis, & voluptatibus corporis, inter quos *Epicurus*, vt refert *ibid. c. 1; & lib. 13. de Trin. c. 5; Alij* in bonis animæ, scilicet in virtute, vt *Zeno ibid; alij* in vtriusque bonis; vt *Marcus Varro cum veterum Academicorum Auctore Antiocho Ascalonita*; qui docuit *Ciceronem, Varronem, Lucullū, & alios nobiles Romanos*, vt notat *Commentator ad lib. 19. de Ciu. c. 3.*

3 Sentētia tamen omnium Catholicorum est solum Deum esse beatitudinem obiectiuam. *Ita Sanctiss. P. Ecclesiæ Aug. loc. sup. citatis; & in Epist. 52. ad Macedonium* ait: *Neque enim beatum facit hominem, nisi qui fecit hominem.* Idē docet *Fundatiss. Doct. in 2. dist. 1. p. 2. art. 4. dub. 1. lat; & dist. 4. q. 2. art. 1; & in lib. de Causis frequentissimè; & alibi.*

Vnica concl. Solus Deus est sua beatitudo obiectiua, & nostra.

4 Prob. 1 *ex ps. 16. Satiabor, cùm apparuerit gloria eius; & ps. 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur* in

in bonis domus tuæ. Ex quo ſic formatur ratio *Beatiſſ. P. vbi ſup*; quam proſequitur *Fundatiſſ. Doct. lib. de Cauſ. in proem; & loc. cit.* Solùm omne bonum eſt ſatiatiuum voluntatis ſiue Diuinæ, ſiue creatæ; ſed ſolus Deus eſt omne bonū; ergo ſolus Deus eſt ſatiatiuus voluntatis Diuinæ, & creatæ; ſed beatitudo obiectiua eſſentialiter eſt ſatiatiua voluntatis; ergo ſolus Deus eſt beatitudo obiectiua ſua, & noſtra. Prob. ma. Voluntas eſt appetitus, & inclinatio ad omne bonum; ſicut intellectus eſt potentia tendens in omne verum; ergo ſolum omne bonum eſt ſatiatiuum voluntatis; nam habito quolibet bono particulari, adhuc in voluntate eſt appetitus ad aliud bonum; & ideo non eſt ſatiata; quia ſatietas dicit plenam, & adæquatam impletionem appetitus ita, vt in illa quieſcat, nec poſſit amplius moueri ad appetendum aliud bonum; quapropter dicitur, quòd de ratione beatitudinis eſt quies. Mi. patet; quia ſolus Deus eſt omne ens, à quo ſunt alia entia; ergo ſolus Deus eſt omne bonum, à quo ſunt alia bona; vnde dicitur *omnis boni bonum*, vt habet *Beatiſſ. P. lib. de Nat. Boni.* Mi. autem ſubſumpta prob. Si beatitudo obiectiua non eſſet eſſentialiter ſatiatiua voluntatis, ſequeretur, quòd relinqueret in voluntate deſiderium, & appetitum ad bonum, quo careret voluntas; ſed carentia bonitatis eſt miſeria, ſicut bonitatis poſſeſſio eſt felicitas; ergo relinqueret in voluntate miſeriam; & ideo illam non beatificaret; quia beatificare eſt tollere omnem miſeriam; repugnat autem beatitudinem obiectiuam non beatificare, aliter non eſſet beatitudo; ergo repugnat beatitudinem obiectiuam non ſatiare voluntatem.

5 Conf. *ex eod. vbi ſup.* Ad beatitudinem obiectiuam requiritur nedum ſatietas, ſed etiam æternitas ſimpliciter; quia requiritur ſecuritas, & inamiſſibilitas; nam poſſe carere bono, quo fruitur, miſeria eſt; ſed æternitas competit ſoli Deo per eſſentiam; omnis enim creatura eſt deſtruibilis ſaltem per potentiam Dei abſolutam; ergo ſolus Deus eſt beatitudo obiectiua omniū.

6 Prob. 2. Beatitudo obiectiua, vt definitur *à Mart. Boet; eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus*; ſed ſolus Deus eſt omnium bonorum aggregatione perfectus; quia in ſolo Deo eſt omne bonum; ergo ſolus Deus eſt beatitudo obiectiua.

7 Prob. 3. Beatitudo obiectiua importat rationem vltimi finis ſimpliciter; quia beatitudo dicit quietem, quies autem non habetur, niſi in eo, quod immobile eſt, & illud ſolùm immobile eſt, quod nequit ad aliud referri; hoc autē ſolùm competit fini ſimpliciter vltimo; ſed ſolus Deus eſt finis ſimpliciter vltimus, ſicut eſt efficiens ſimpliciter primum; ergo ſolus Deus eſt beatitudo obiectiua.

8 Prob. 4. Bonum admixtum malitiæ nequit beare voluntatem; aliter noſtra voluntas beatificaretur in omni bono creato, quod eſt eſſentialiter admixtum malitiæ; quę, cùm ſit miſeria; ſicut bonitas eſt felicitas, haberet beatificare, & non miſerum facere; nam ſi aggregatum ex bonitate, & malitia haberet formaliter beatificare, nedum bonitas, ſed etiam malitia haberet beatificare; quod ab omnibus negatur; ergo ſolum bonum excludens omnem malitiam habet beare voluntatem; ſed ſolus Deus eſt bonum excludens omnem malitiam, quia eſt omne bonum; ergo ſolus Deus eſt obiectiua beatitudo.

9 Ex his colligi poteſt beatitudinem formalē, per quam formaliter tendimus, & poſſidemus beatitudinem obiectiuam, eſſe ſolum actum voluntatis, licèt præſupponat actum intellectus. Ita docet *Fundat. Doct. in 2. diſt. 11. q. 2. art. 2. ad 1; & diſt. 16. q. 2. art. 3. §. Sic videtur.* Hoc debet intelligi nedum de noſtra beatitudine formali, ſed etiam de beatitudine formali, qua formaliter beatus eſt Deus; ſicut enim eadem eſt beatitudo obiectiua Dei, & noſtra; ita actus eiuſdem potentiæ debet eſſe beatitudo formalis ipſius Dei, & noſtra. Quia enim obiectum viſionis beatæ ipſius Dei, & viſionis beatæ creatæ eſt Diuina eſſentia, vt clarè viſa; ideo viſio beata ipſius Dei debet eſſe actus eiuſdem potentiæ, cuius eſt actus viſio beata creata; ita à pari. Prob. autem 1. pars huius concl. Beatitudo formalis eſt actus illius potentiæ, quæ formaliter tendit in ſummum bonum, ſeu vltimum finem, qui eſt beatitudo obiectiua; actus enim, & obiectum debent eſſe in eadem ſpecie, ſeu linea, in qua eſt potentia; ſed actus potentię, quę tendit formaliter in beatitudinem obiectiuam, eſt actus voluntatis; nam beatitudo obiectiua eſt vltimus finis, ſeu ſummum bonum, quod eſt obiectum formale voluntatis, non intellectus; ergo beatitudo formalis Dei, & noſtra conſiſtit formaliter in actu voluntatis.

10 Prob. 2. pars. Voluntas eſſētialiter præſupponit intellectum; nam cùm ſit potentia cæca, nequit tendere in ſuum obiectum, niſi manuducatur ab intellectu; quapropter dicitur: *Nihil volitum, quin præcognitum*; ergo actus voluntatis eſſētialiter ſupponit actum intellectus; ſicut enim ſe habet potentia inferior ad potentiam ſuperiorem; ita actus potentiæ inferioris ad actum potentiæ ſuperioris; quia potentiæ, & actus eundem ordinem ſeruant. Sed beatitudo formalis eſt actus voluntatis, vt dictum eſt; ergo eſſentialiter ſupponit actum intellectus. Sicut autem beatitudo eſt actus perfectiſſimus voluntatis, quia eſt perfectiſſima operatio; ita cognitio, quę præſupponitur ad talem actum, eſt viſio clara, quæ eſt perfectiſſima cognitio; & dicitur viſio beata, quia inchoat beatitudinem, & ideo ſpectat ad integritatem beatitudinis.

Sed de his in *2. ſent.* vbi agemus de beatitudine hominis.

DE

DE IVSTITIA DEI.

IVstitiæ nomen à Theologis duplici significatione vsurpatur; aliquando enim assumitur ad significandam gratiam, seu sanctitatem, qua iustificamur à peccatis, & emundamur in sanguine Redemptoris; vt *Rom.3. Iustificati gratis per sanguinem ipsius, & 1.Cor.1. Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*; aliquando autem accipitur pro virtute existente in voluntate; quam definit *Beatiss.P.lib.1.de lib.arb. c.13.* his verbis. *Iam iustitiã quid dicamus esse, nisi virtutem, qua sua cuique tribuuntur:* ex quo *Iurisperiti* sumpserunt Iustitiæ definitionem hoc secundo modo vsurpatam asserentes, quòd *sit constans, & perpetua voluntas tribuendi vnicuique, quod suum est.* Sermo est in præsenti de iustitia hoc secundo modo accepta; nam de Sanctitate ipsius Dei nullum potest esse dissidium, quod solutum non sit *To.1.de Bonit.* Igitur cùm Iustitia ad voluntatem pertineat, vt patet ex eius definitione communiter recepta, inter alias affectiones Dei est reponenda,& ideo *hic* de illa tractandum.

QVÆST. VNICA

An omnes species Iustitiæ sint in Deo?

IVstitiam absolutè sumptam esse in Deo formaliter,non est, qui audeat negare; cùm enim sit virtus voluntatis, & cùm voluntas secundùm totum suum genus dicat perfectionem simpliciter simplicem, quæ est in Deo formaliter, ideo etiam iustitiam esse in Deo formaliter *omnes* debent fateri. Solùm difficultas est de aliquibus speciebus iustitiæ.

ART. I.

Asseruntur species Iustitiæ.

1 FVndatiss. *Doct. lib.1. de Regim. Princip. p.2. c.10.* distinguit *ex Phil.4. Eth.* iustitiam communiter sumptam in legalem, & æqualem.

2 Legalis est illa, quæ præcipit actus omnium virtutum;iustum enim est, quòd actus virtuosi præcipiantur à lege, sicut actus mali vetantur;& hæc iustitia dicitur quodammodò omnis virtus, seu iustitia communis, & vniuersalis, quia non determinat tibi particularem materiam, sed extenditur ad materiam omnium virtutum, & dicitur perfecta virtus, quia habet perfectionem omnium virtutum; Lex enim præcipit operari fortia, quod spectat ad fortitudinem; non mœchari, quod spectat ad castitatem; non occidere,quod spectat ad mansuetudinem; non ebriari, quod spectat ad temperantiam; & sic de reliquis. Hanc iustitiã eleganter describit *Beat.P.ser.14.ad Fratres in Eremo* his verbis: *O sãcta,laudabilisq;iustitia!Sub te,et per te pudicitia regnat;pax per te triumphat,& securitas,dignitas per te floret,& fructũ affert in patiẽtia.O iustitia, qui te amauerit, qui te strinxerit, cum Moyse mare Mundi vitiorum sanguine rubricatum sicco vestigio pertransibit. Hæc est virga, qua petra percussa manat influenta, quia lapidea subditorum corda iudicio iustitiæ tacta in virtutum exuberant flumina. Hæc est virga Aaron, quæ frondiut, floruit, & fructum peperit; quia iustitia quasi frondet,cùm mente concipitur; floret, dum viriliter exercetur; fructificat, dum subditus corrigitur. Hæc est ventilabrum, quo granum diuiditur à palea, fames à morbo eijcitur, quia contra morbum peccati opponendum est mordax emplastrum, ne in maius vitium tabes exuberet incruenta, & in augmentum facinoris redundet iniquitas impunita. Hæc est mensura, qua debemus metiri pœnas, & merita ponderare.* Ille autem, qui qui obseruat legem præcipientem actus virtutum, dicitur habere iustitiam legalem. Distinguitur autem iustitia legalis à virtutibus particularibus nedum, quia istæ versantur circa particularem materiam, & illa vniuersaliter circa materiam omnium virtutum, sed etiam quia virtutes particulares perficiunt habentem secundùm se, & absolutè; at verò iustitia legalis perficit habentem relatiuè ad impletionem legis, & ad legislatorem; quapropter virtutes dicuntur in ordine ad se; iustitia verò legalis est in ordine ad alterum.

3 Iustitia æqualis est virtus specialis, quæ tribuit vnicuique, quod suum est; *vt sup.* diximus *ex Beatiss. P.lib.1. de lib. arb. c.13.* Dicitur virtus specialis, quia non extenditur ad actus aliarum virtutum; & dicitur æqualis, quia tantum tribuit, quantum debetur; in quo consistit æqualitas.

4 Ex his habetur, quòd obiectum iustitiæ sunt bona exteriora, quæ adimplentur,vel communicantur; obiectum enim iustitiæ legalis est materia, circa quam versantur virtutes; & obiectum iustitiæ æqualis sunt ipsa bona, quæ tribuuntur.

5 Iustitia æqualis *ex eodem Fundatiss. Doct. vbi sup. & c. seq.* diuiditur in distributiuam, & commutatiuam. Distributiua est in Principe distribuente suis subditis id,quod iustum,& æquũ est iuxta maiorem, vel minorem dignitatem, & meritum ipsorum; vnde iustitia distributiua seruat æqualitatem geometricam, idest cum aliqua inæqualitate; sicuti Nutrix distribuens cibum filijs alendis non dat eis eandem quantitatem, & portionem, sed maioribus maiorem, & minoribus

minoribus minorem iuxta exigentiam illorum. Commutatiua est in ipsis subditis ad inuicem comparatis, qua vnus tantum reddit, quantum ab altero accepit; & hæc seruat æqualitatem Aritmeticam, idest tantum pro tanto, vt decem pro decem.

6 Iustitia distributiua alia est distributiua præmiorum iuxta exigentiam meritorum, quæ vocatur etiam retributiua; alia est distributiua donorũ ex mera gratia distributoris; & alia est distributiua pœnarũ iuxta mensuram demeritorũ; & hęc vocaturiustitia vindicatiua.

7 Iustitia commutatiua triplex est, vt docet *Fundatiss. Doct. vbi sup. c.* 11. Prima est, qua commutatur res cum re; vt quando commutatur frumentum cum vino. Secunda est, qua commutatur res cum pecunia. Tertia, qua commutatur pecunia cum pecunia; vt v.g. nummus argenteus cum nummo aureo, vel æneo. Sufficiẽtia autem harum specierum iustitiæ commutatiuæ ostenditur sic *à B. Doct.* Quoniam in Mundo sunt plures Ciuitates, Prouinciæ, vel Regna; quorũ vnum indiget rebus, quibus aliud abundat, & è contra, ideo adinuentæ sunt commutationes ad hoc, vt vna communitas indigentiæ alterius vicissim subueniat; vnde commutatiua semper habet pro motiuo indigentiam rei, quæ commutatur. Quòd si daretur tantùm vnus Princeps, qui esset Dominus omnium, nulla esset commutatio, quia eiusdem ad se ipsum non est venditio, aut emptio, quæ essentialiter est ad alterum; hinc in vna, eademque domo non est commutatio, quia vnus tantùm est Paterfamilias, qui est Dominus omnium, quæ sunt in illa domo; ex quo sequitur, quòd commutatio dari non possit inter Deum, & creaturas, quia Deus est Dominus omnium, quæ sunt in Mundo.

8 Communitas autem triplex est; alia est Vici, vel Ciuitatis; alia Prouinciæ, vel Regni; & alia diuersarum Prouinciarum, vel Regnorum. Et quia in eodẽ Vico, vel Ciuitate aliqui abundant frumento, & indigent vino, aut è contra; sunt enim aliqua loca posita sub talibus constellationibus, & locorum situ, vt magis nascantur vites, quàm triticum, & è contra; ideo necessaria fuit commutatio rei ad rem. Præterea quia in eadem Ciuitate, vel Regno aliqui abundant pecunia, & indigent rebus ad vitam necessarijs, ideo necessaria fuit commutatio pecunię ad res, & è contra. Et licèt inter Regnum, & Regnum sufficiens fuerit commutatio rei ad rem; quapropter *antiqui*, vt obseruat *Fund. Doct. ex Phil.* 1. *Politic*; non habentes vsum pecuniæ commutabant solùm res cum rebus; attamen quia trãsferre res tam magni ponderis ad regiones adeò distantes nimis erat difficile, & grauosum, ideo necessaria fuit commutatio pecunię cum rebus. Tandem quia in diuersis Regnis diuersi dominantur Reges, nec eisdẽ vtuntur nummis; propter quod aliqui nummi valent in vno Regno, qui non expenduntur in alio; ideo necessaria fuit commutatio pecuniæ ad pecuniam.

9 Harum omnium specierum iustitię dat aptissimum exemplum *Fundatiss. Doct.* Quodlibet Regnum, seu vniuersitas assimilatur corpori naturali; quapropter vocatur corpus mysticum; sicut enim in corpore naturali datur vnio plurium membrorum inter se per ordinem ad vnum Cor, quod est primum viuens; ita in qualibet Vniuersitate datur vnio plurium Personarum ad vnum Principem, qui est primus regnans. Igitur sicut membra corporis vel ordinantur ad conseruationem totius indiuidui; ex quo depẽdet bonum commune omnium membrorum; ita Personæ, quæ sunt membra alicuius Regni, vel Vniuersitatis, vel ordinantur ad conseruationem totius Regni, aut Vniuersitatis, quæ conseruatio est bonum commune; & sic datur iustitia legalis; lex enim ordinatur ad conseruationem Communitatis, quia ordinatur ad tollendum malum, quod euertit Communitatem, vt dicitur 3. *Eth*; importabile enim esset, nec posset durare aliqua Communitas, in qua omnes homines essent simpliciter mali. Vel mẽbra corporis naturalis ordinantur ad Cor per ordinem ad bonum particulare proprium cuilibet membro; vt oculus ordinatur ad Cor, vt ab illo recipiat influxum ad videndum, pes, vt recipiat influxum ad ambulandum &c. Ita Personæ vel ordinantur ad Principem, vt ab illo recipiant bona particularia propria cuilibet Personæ iuxta exigentiam suæ conditionis, & dignitatis; & sic datur iustitia distributiua, quæ tribuit vnicuique, quod suum est; sicut enim Cor non tribuit oculo virtutem progressiuam, quam non exigit oculus; aut pedi virtutem visiuam, quæ non est propria pedis; ita iustitia distributiua tribuit vnicuique, quod ab illo exigitur. Tandem sicut membra corporis naturalis possunt comparari inter se, quatenus vnum membrum abundat in vno, quo caret alterum; vt v.g. oculus pollet acumine visus, quo caret pes; pes virtute gressiua, qua caret oculus; & ideo vnum membrum habet subuenire indigẽtiæ alterius; vt oculus habet dirigere pedes, ne labantur; pedes habẽt portare oculos, vt perueniant ad id, quod vident; manus habet purgare oculos à læsiuis extrinsecis &c; ita quia vna Persona abundat in vno, quo eget alia, adinuenta est iustitia commutatiua; vt vna subueniret indigẽtiæ alterius, & ab illa subueniretur indigentiæ propriæ.

10 Collig. 1. ex dictis iustitiam commutatiuam formaliter respicere indigẽtiam in vtraq; Persona commutante illius rei, quæ recipitur, & abundantiam illius rei, quæ tribuitur; propter hoc enim motiuum tantùm adinuenta est commutatiua, vt dictum est. Et sicuti cessante motiuo misericordiæ, quod est miseria subleuãda, cessaret actus misericordię; ita cessãte indigẽtia.

tia, & data abundantia in omnibus nulla eſſet commutatio.

11 Collig. 2. ad rationem iuſtitiæ commutatiuæ requiri, quòd res, quæ recipitur à commutante, non ſit ſub dominio, & poteſtate recipientis; & res, quæ tribuitur, ſit ſub dominio tribuentis, aliter eſſet furtum, non commutatio; nam recipiens debet indigere illa re, vt dictum eſt: nullus autem propriè dicitur indigere ijs rebus, quas habet ſub ſuo dominio, & poteſtate; ſicuti non dicitur abundare ijs rebus, quas non habet ſub ſuo dominio, & poteſtate; abundantia enim, & indigentia oppoſitè dicuntur.

12 Collig. 3. vltra dominium, & indigentiã requiri etiam pactum, quod inducit obligationem contra commutantem; ſi enim aliquis daret alteri decem nummos abſque aliquo pacto, non aquireret aliquod ius contra illum, neque induceret in illum obligationem ad aliquam commutationem; poſſet enim intelligi dediſſe illos nummos vel ex dono, vel titulo gratitudinis, vel beneuolentiæ, & amicitiæ, miſericordiæ, aut liberalitatis, non autem titulo iuſtitiæ commutatiuæ. In hoc ergo iuſtitia commutatiua diſtinguitur à liberalitate, miſericordia, amicitia, & etiam iuſtitia diſtributiua merè gratuita, quòd requirit pactum reddendi tantum pro tanto,

ART. II.

An in Deo ſit formaliter iuſtitia legalis, & diſtributiua?

1 Diximus *in ſup. art. n. 6.* iuſtitiam diſtributiuam triplicem eſſe; aliam diſtributiuam merè gratuitam, quæ diſtribuit ſua dona iuxta diſpoſitionem ipſius diſtributoris, & hæc ſignificatur in parabola *Matt. 25;* vbi Dominus diſtribuit ſua talẽta ſuis ſeruis; nomine autem talenti intelligitur munus, & donum Dei, vt explicat *Beatiſſ. P. lib. 2. ad Simpl. q. 1.* prope finẽ: *Non enim aliquid aliud intelligitur talentum, quàm munus aliquod Diuinum; & idem habet D. Greg. hom. 9. in Euang.* Aliam diſtributiuam ex debito, ſeu ex mercede, quæ ſupponit merita; vt dicitur in parabola *Vineæ;* in qua Dominus operarijs reddidit mercedem ſuam; ſup. quod *Beatiſſ. P. de Temp. Dom. 19. poſt Trin. ſerm. 2.* ait: *Opus enim in illa vinea iuſtitia eſt,* & hæc dicitur etiam retributiua; de qua dicebat *Apoſt. Quam reddet mihi in illa die iuſtus Iudex;* & diſtinguitur à iuſtitia diſtributiua merè gratuita; quòd iſta eſt mera gratia nullum meritum ſupponens; illa verò eſt ex meritis, quæ ſupponit. Alia tandem eſt vindicatiua, quæ reddit pænam delictis; & dicitur etiam vltiua. Quærimus; an non ſolùm iuſtitia legalis, ſed etiam omnes ſpecies iuſtitiæ diſtributiuæ ſint formaliter in Deo?

2 Prima ſententia vult in Deo non eſſe formaliter iuſtitiam diſtributiuam ſiue ante, ſiue poſt pactum, & promiſſionem ita, quòd inducat verum debitum in Deo, & ſtrictum ius in creatura; ſed ſolùm eſſe debitum morale ex honeſtate obiecti, illudque reddi à Deo ex fidelitate, gratitudine, vel ex amicitia, vel ex alia virtute, quæ ſit pars poteſtatiua iuſtitiæ, non autem ex iuſtitia diſtributiua, quæ eſt ſpecies illius. *Ita Vaſq; Arrub; Leſſ; Lorca, Turrian; Koninch, & alij apud Alarc. de Vol. Dei Tract. 3. diſp. 8. c. 5. n. 3.*

Secunda ſententia docet non dum iuſtitiam legalem, ſed etiam iuſtitiam diſtributiuam ſiue ex gratia, ſiue retributiuam ex meritis, ſiue vindicatiuam eſſe formaliter in Deo. *Ita Fundatiſſ. Doct. locis cit. in ſup. art; & in 1. diſt. 43. princ. 2. q. 2; & omnes illius Diſcipuli.* Eandem ſentẽtiam docet *D. Tho. cum ſua Schola, & plures alij.*

3 Vnica concl. In Deo eſt formaliter iuſtitia legalis, & diſtributiua, ſiue gratuita, ſiue retributiua, ſiue vindicatiua.

Prob. 1. pars concl. 1. Iuſtitia legalis eſt perfectiſſima virtus intendens impletionem legis præcipientis omnes actus virtutum, vt diximus *in ſup. art;* ſed in Deo eſt formaliter virtus perfectiſſima intendens impletionem legis præcipientis omnes actus virtutum; dicitur enim *Matt. 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere;* Chriſtus Dominus autem non venit facere, niſi id, quod intendit voluntas Dei; vnde ſi venit implere legem, ſequitur voluntatem Dei intendere impletionem legis; tum quia voluntas Dei, vtpotè rectiſſima, & perfectiſſima, debet intendere omne id, quod eſt bonum; impletio autem legis per exercitium omnium virtutum eſt maximum bonum; & ideo eam debet intendere voluntas Dei; ergo in Deo eſt formaliter iuſtitia legalis.

4 Conf. Iuſtitia legalis eſſentialiter eſt in primo, ac ſupremo Dominante, ad quem ſpectat condere legem pro ſuis ſubditis; ſed Deus eſt primus, ac ſupremus Dominus Dominantiũ habens poteſtatem in omnes creaturas; ergo in Deo maximè debet eſſe iuſtitia legalis.

5 Prob. 2. Iuſtitia legalis nullam dicit in ſuo conceptu imperfectionem, ergo eſt formaliter in Deo. Prob. ant. Iuſtitia legalis eſt perfectiſſima virtus, quæ eſt omnis virtus; ſed omnis virtus eſt omnis perfectio; quælibet enim virtus particularis eſt perfectio particularis, cũ perficiat habẽtem ſe; & omnis perfectiõ excludit omnem imperfectionem, quæ illi opponitur; nam ſi includeret aliquam imperfectionem, iam non eſſet omnis perfectio, quia non eſſet illa perfectio, quam excluderet illa imperfectio, quam includeret; ergo iuſtitia legalis nullam dicit in ſuo conceptu formali imperfectionem.

6 Prob. 2. pars concl. 1. *ex parabola talentorum, vt ſup.* dictum eſt; per illam enim ſignificatur Deus diſtribuens ſua dona inæqualiter creaturis; vt explicat *Beatiſſ. P. vbi ſ;* ſed per illam diſtributionem Deus non cẽſetur iniuſtus; ergo in eo datur iuſtitia diſtributiua gratuita.

7 Prob. 2. ad hominem *cont. Aduerſarios.* Iuſtitia

ſtitia diſtributiua merè gratuita non inducit in diſtributorem debitum neceſſitans, nec ponit in recipiente aliquod ius contra deſtribuentem neceſſitans ad ſic diſtribuendum, ſed tantùm ponit in diſtributore aliquam condecentiam ad elargienda ſua dona inæqualiter iuxta beneplacitum ſuæ volũtatis; ergo eſt in Deo formaliter. Conſ. rectè infertur; in tantùm enim *Aduerſarij* inficiantur iuſtitiam diſtributiuam eſſe in Deo, in quantùm putant inducere in Deum debitum neceſſitans, & ponere in creatura ius contra Deum. Prob. ant. 1. In hoc diſtinguitur iuſtitia diſtributiua merè gratuita à iuſtitia diſtributiua retributiua meritorum, quòd illa omnino gratis, & antecedenter ad omnia merita diſtribuit; iſta verò ex meritis; ſed iuſtitia retributiua ideo inducit debitum in diſtributorẽ, & ius in recipiẽtem, quia in iſto ſupponit merita, quibus debetur merces. & ex quibus refũditur hoc debitum in diſtributorem; ergo iuſtitia diſtributiua merè gratuita, quia nullum ſupponit meritum, nullum inducit debitum, aut ius neceſſitans. 2. Si aliquis Princeps ex ſua mera bonitate vellet diſtribuere ſuis ſubditis inæqualiter mille aureos, nullum debitum refunderetur in Principem neceſſitans ad ſic diſtribuendum, nec vllum ius aquirerent ſubditi neceſſitans Principem ad talem diſtributionem; ergo iuſtitia diſtributiua merè gratuita non inducit debitum in diſtributorem, nec ius in recipientem.

8 Conſ. & euertitur alia ratio *Aduerſariorũ*. Iuſtitia diſtributiua merè gratuita non requirit, quòd diſtribuens amittat dominium eorum donorum, quæ diſtribuit; vt patet de Rege diſtribuẽte ex ſua mera liberalitate aliquàs Ciuitates ſuis ſubditis, & retinente altum, vt vocant, ac ſupremum Dominium illarum; ergo per hoc iuſtitia diſtributiua non eſt remouenda à Deo.

9 Prob. ampliùs. Iuſtitia in eo, quòd diſtributiua, habet tribuere vnicuique, quod ſuum eſt; & in eo, quòd merè gratuita, habet largiri ſua dona; ſed Deus diſtribuit creaturis rationalibus dona ſupernaturalia, quæ noſtra, & ſua ſunt; nam *merita noſtra ſunt munera ſua*; vt docet *Beatiſſ. P. de Grat. & lib. arb. c. 7*; ergo in Deo eſt formaliter iuſtitia diſtributiua merè gratuita.

10 Prob. 3. pars concl. *Matt. 16.* habetur: *Quoniã Deus reddet vnicuiq; ſecundũ opera eius*; *& Rom. 4. Ei, qui operatur, merces nõ imputatur ſecundũ gratiã, ſed ſecundũ debitũ.* Sup. quæ *Beat. P. de Grat. & lib. arb. c. 8.* ait: *Quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia.* Ex quibus ſic. Illud, quod redditur operibus meritorijs, & ex debito, eſt ex iuſtitia retributiua ſtrictè ſumpta, non ex liberalitate, gratitudine, & fidelitate; ſed Deus reddit meritis iuſtorum gloriam ex debito; ergo in illo eſt iuſtitia retributiua, non ex fidelitate, liberalitate, gratitudine, vel amicitia.

11 Conſ. Merces, quæ tribuitur à Iudice iuſto, & non poteſt negari præter iniuſtitiam, tribuitur ex iuſtitia retributiua, nõ ex gratitudine, fidelitate, liberalitate, aut amicitia; id enim, quod tribuitur ex gratitudine, fidelitate &c; poteſt negari; nec tribuens poteſt cogi iuridicè ad illud tribuendum; ſed gloria tribuitur iuſtis à Deo, tã-quam à Iudice iuſto, vt docet *Apoſt*; nec poteſt negari citra iniuſtitiã; vt docet *idem Apoſt. Heb. 6. Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri; & Beatiſſ. P. lib. de Nat; & Grat. c. 2.* aſſerit: *Non eſt iniuſtus Deus, vt iuſtos fraudet mercede ſua, &* refertur etiam *cont. Iul. Deus ipſe, quod abſit, erit iniuſtus, ſi ad eius Regnum verus non admittitur iuſtus*; ergo gloria tribuitur iuſtis ex iuſtitia retributiua, non ex gratitudine &c.

12 Præterea merces ſecundùm legem tribuitur ex vera iuſtitia retributiua meritorum, quotieſcunque præceſſerit pactum, & promiſſio; vnde quis negans mercedem poſt pactum nedũ cenſetur ingratus, & infidelis, ſed etiam iniuſtus; ſed Deus tribuit mercedem operarijs laborantibus in vinea ſua ex conuentione, & pacto, vt hatur *Matt. 24*; ergo illam tribuit ex vera iuſtitia retributiua, non autem ſolùm ex fidelitate, gratitudine &c.

13 Inſuper ſi Deus per impoſſibile vellet peccatũ, poneretur in eo malitia, quia velle peccatum eſt actus malitiæ; ergo ſi Deus negaret mercedem laboribus iuſtorum, poneretur in eo iniuſtitia, quia negare mercedem laboribus ſuppoſita conuentione de danda mercede pro illis laboribus eſt actus iniuſtitiæ. Sed in tantùm nequit poni in Deo malitia, quia in eo eſt omnis bonitas, quæ opponitur omni malitiæ; ergo in tantùm nequit poni in Deo iniuſtitia, in quantùm in ipſo eſt omnis iuſtitia, quæ opponitur omni iniuſtitiæ.

Tandem ſi in Deo non eſſet formaliter iuſtitia retributiua, maximè eſſet, quia omnia Deus largitur ex gratia; ſed iuſtitia, & gratia non pugnant inter ſe; ergo in Deo eſt formaliter iuſtitia retributiua. Ma. aſſeritur *ab Aduerſarijs* dicentibus tribui mercedem ex gratitudine, quod eſt tribui gratis, ſeu ex gratia. Mi. prob. *ex Beatiſſ. P. Aug. de Grat; & lib. arb. vbi ſ.* Ita ſe habet meritũ, & donum, ſicut iuſtitia, & gratia; quia meritum reſpondet iuſtitiæ, & donum reſpondet gratiæ; ſed meritum, & donum non pugnant inter ſe; quia *merita noſtra ſunt dona ſua*; ergo iuſtitia retributiua meritorum non pugnat cum gratia elargitiua donorum.

14 Prob. vlt. pars concl. ex illis *Scripturæ* locis, in quibus vindicta tribuitur Deo; vt *Rom. 12. Mihi vindicta, & ego retribuam*; *& 4. Eſdr. 15. Vindicãs vindicabo illos; & 1. Theſal. 4. Quoniam vindex eſt Dominus. Et Beatiſſ. P. lib. 2. ad Simpl. q. 1. Si enim iuſtè vindicat Deus, quemadmodum ipſe dicit Apoſtolus. Et lib. 22. cont. Fauſt. Neque enim perturbatur Deus, cùm infert iram, ſed ira pro vindicta ponitur.* Atqui ira non ponitur

tur

tur in Deo formaliter, sed eminenter; ergo vindicta, quæ ponitur in Deo loco iræ, ponitur in ipso formaliter, non eminenter. Idem habet *in §. 2.* Et ratio est . Iustitia vindicatiua importat retributionem pænarum iuxta mensuram demeritorum; sed retributio pænarum nullam dicit imperfectionem malitiæ; aliter Iudices administrando iustitiam vindicatiuā peccarent, quod est falsum secundùm omnes; quia Deus, qui instituit iustitiam vindicatiuam in Mundo, & cōstituit Iudices distributores pænarum, instituisset aliquod peccatum, & ideo peccatum refunderetur in Deum, vt in Auctorem; ergo iustitia vindicatiua nullam dicit imperfectionem malitiæ; sed quod nullam dicit imperfectionem, est formaliter in Deo; ergo iustitia vindicatiua est formaliter in Deo.

15 Conf. 1. Retributio mercedis iuxta mēsuram meritorum nullam dicit imperfectionem; ergo retributio pænarum iuxta mensuram demeritorum nullam dicit imperfectionem; non enim minùs debetur merces meritis, quàm pæna demeritis; reddere autem id, quod debetur, non est imperfectio, sed perfectio; quia perfectio importat id, quod debetur, & imperfectio id, quod non debetur.

16 Conf. 2. Iustitia vindicatiua ordinatur ad bonum Vniuersi, vt superiùs dictum est, per ipsam enim detinentur multi à reatibus formidine pænæ; & tolluntur mali, qui inficiunt communitatem; augentur virtutes; ostenditur iustitia; magis elucescit misericordiæ dignitas; ergo iustitia vindicatiua importat perfectionem formaliter; quia illud, quod secundùm suum conceptum formalem ordinatur ad bonum, importat perfectionem formaliter; sicut illud, quod ordinatur ad malum, dicit formaliter imperfectionem; sed illud, quod in suo conceptu formali importat perfectionem, est formaliter in Deo; ergo iustitia vindicatiua est formaliter in Deo.

17 Collig. intētionē dandæ gloriæ, & collationē primæ gratiæ esse à Dei iustitia distributiua merè gratuita; quia hæc nulla supponunt merita; collationem autem secundæ gratiæ, & & cōsecutionē gloriæ in adultis esse à Dei iustitia retributiua; quia supponunt merita. Inflictio tamen pænarum est à iustitia vindicatiua, quæ solummodò est retributiua, quia essentialiter supponit demerita; cùm pœna essentialiter culpam sequatur.

18 Objic. 1. *Vasq.* Debitum legale, & rigorosum repugnat Deo erga creaturas; ergo ei repugnat iustitia distributiua. Prob. ant. Debitum legale, & rigorosum importat inferioritatem debitoris, & superioritatem creditoris; sed Deo repugnat inferioritas, & creaturis repugnat superioritas ad Deum; ergo debitum legale, & rigorosum repugnat Deo erga creaturas. Prob. conf. Iustitia distributiua importat debitum rigorosum, & legale; tunc enim quis distribuit ex iustitia rigorosa, quando debet illud distribuere; quòd si nullum sit debitum, talis distributio est ex liberalitate, aut alio motiuo, nō ex iustitia.

Resp. dist. ant. Ex conuentione, pacto, & promissione, neg. ant; expressè enim habetur *Matt.* 24; vbi Dominus loquens operarijs ait: *Ite & vos in Vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis.* Absolutè, & simpliciter, conc. Ad prob. neg. ma. nam ex eo, quòd Rex contrahat aliquod debitum cum suo subdito, nullus diceret, quòd talis subditus per tale debitum instituatur superior ad Regem; aliter Rex non posset eum punire, si delinqueret, quod nulla lex asserit; certum autem est, quòd inferior nequit punire superiorem. Debitum ergo solùm importat necessitatem reddendi, vt patet ex vi vocabuli; quæ necessitas in Deo, cùm sit ex vi pacti, & promissionis merè gratuitæ, & liberæ, nam poterat non fieri, ideo est necessitas ex suppositione, & secundùm quid, quæ non repugnat Deo respectu creaturarum; quia, vt diximus *de Vol. Dei*, supposito, quòd Deus semel voluerit creaturas, illas necessariò vult; quamuis ei repugnet necessitas absoluta, & simpliciter. Præterea hoc arg. probat solùm de iustitia retributiua meritorum, non autem de distributiua merè gratuita, quæ nullum inducit debitum, aut ius, vt diximus; vnde non probat omnem iustitiam distributiuam propriè sumptam non esse in Deo formaliter.

19 Objic. 2. Ideo non datur iustitia commutatiua in Deo, *vt videb. in seq*; quia per ipsam inducitur debitum rigorosum; quod repugnat Deo; sed etiam per iustitiam distributiuam inducitur debitum rigorosum; quia in tantùm per commutatiuam inducitur debitum rigorosum, quia commutatiua est iustitia rigorosa; & ideo etiam inducitur debitum rigorosum per distributiuam, quia etiam distributiua est iustitia rigorosa; ergo iustitia distributiua non est formaliter in Deo.

Conf. Debitum morale, & improprium constituit iustitiam moralem, & impropriam; ergo debitum rigorosum, & proprium constituit iustitiam rigorosam, & propriam; sed iustitia distributiua est iustitia rigorosa, & propria; ergo importat formaliter debitum rigorosum, & proprium.

Resp. neg. causalitatem ma; nam ideo in Deo non datur cōmutatiua, quia hæc est ex motiuo indigentiæ, Deus autem nulla re potest indigere, cùm omnibus bonis abundet; & quia commutatiua importat, quòd res commutata non sit sub dominio recipientis, quod nequit Deo congruere, cùm sit Dominus omnium; vt dicemus *in seq. art.* Vel dist. eadē causalis. Quia inducitur debitum absolutè, & simpliciter nullam supponente gratuitam conuentionem, quod repugnat Deo, cōc; debitū secūdùm quid, & ex suppositione conuentionis gratuitæ repugnat

gnat Deo,neg; per quod p atet ad mi; & ad eius prob;falsum enim est, quòd per quanlibet iustitiam rigorosam inducatur debi tum;quia per distributiuam merè gratuitam,quæ nullum supponit meritum, nullum inducitur debitum, quod solùm respondet merito; iustitia autem retributiua inducit debitum,quia supponit meritum,vt dictum est,sed hoc debitum est solùm ex suppositione; quapropter non repugnat Deo; debitum autem,quod inducit commutatiua,est absolutè & simpliciter, & ideo Deo repugnat.

Ad conf. dist. conf. Si sermo sit de iustitia distributiua merè gratuita,neg; si de iustitia retributiua, subdist. Debitum rigorosum ex suppositione, conc; simpliciter,& absolutè,neg.

20 Obijc. 3. Per iustitiam distributiuam transfertur dominium rei, quæ distribuitur, vt v. g. Princeps distribuens suis subditis aliquas Ciuitates transfert in illos dominium, quod habet in eas; sed Deus nequit transferre suũ dominium in creaturas, & ab illo se abdicare; quia non potest tollere à creaturis subiectionẽ ad Deum; subiectio enim, & dominiũ sunt correlatiua;ergo in Deo nõ est iustitia distributiua.

Resp. dist.ma. Transfert dominium supremum ab illo se abdicando, neg; aliquod dominium subordinatum, retinendo tamen dominiũ supremum, conc; Princeps enim infeudans aliquos suos subditos retinet dominium supremũ in illa feuda,& tamen verè illa distribuit,& ideo abdicatio dominij supremi non est de essentia iustitiæ distributiuæ. Et quanuis possit Princeps abdicare à se altum dominium, hoc euenit,quia ratio alti dominij non conuenit essentialiter,sed tantùm accidentaliter creaturæ;videmus enim quotidiè plures Principes ammittere vi belli, vel donationis dominium, quod habebant in aliquas Ciuitates. At verò quia dominium supremum,& vniuersalissimum essentialiter,& per se competit Deo,ideo nequit illud transferre in creaturam, in quam solùm transfert dominium suarum operationum, quas illi inspirat cum subordinatione tamen ad supremum dominium Dei, quapropter ait *Beatiss. P*; vt diximus *de Vol. q.5.art.3*; Deum magis continere in sua omnipotentissima potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas. Nec potest negari, quòd Deus transferat in creaturam dominium subordinatum; quia transfert in creaturam voluntatem liberam; quæ essentialiter constituitur per rationẽ formalẽ dominij in suos actus;volũtas enim est essentialiter domina suorum actuũ, vt diximus *de Vol.q.2.art.2*.Et sic dicitur ad mi; quòd Deus transfert dominium subordinatum, non supremum.

21 Obijc.4. Iustitia distributiua seruat proportionem geometricam, idest quantùm tribuit vni iuxta exigentiam,& conditionem illius,tantùm comparatiuè tribuit alteri iuxta exigẽtiam, & conditionem illius; vt v. g. si Petrus exigit centum, & iustitia distributiua tribuit quadraginta, Paulo exigenti quinquaginta tribuit viginti; sed Deus in distribuendis suis donis siue naturalibus, siue supernaturalibus non seruat proportionem geometricam; non enim tribuit tantum caloris igni, quantum frigiditatis aquæ; nec tantam gratiam, & gloriam *Petro*, quantũ comparatiuè tribuit *Ioanni*; aliter non attenderet ad merita, sed ad naturam; ergo in Deo non est iustitia distributiua.

Resp. *ex B.Doct. in 1.dist.39.princ.2. q.2*; quòd Deus, vt vniuersalis Prouisor respicit principaliter bonum Vniuersi,cuius pulcritudo consistit in ordinatione plurium naturarum inæqualiter perfectarum ad vnum vltimum finem; & ideo eis tribuit inæqualia dona, & per consequens seruat proportionem geometricam. Ex consequenti autem respicit naturas ipsas ordinatas; quia Prouisor debet priùs respicere bonum totius,quàm bonum partium; quia bonum totius est maximum bonum præter bonum primi. Igitur dist. ma. Iustitia distributiua seruat proportionem geometricam attẽdendo ad exigentiam totius, vel ad exigentiam partium, conc; attendendo solùm ad exigẽtiam partium, neg. Et sic dist.mi. Deus non seruat proportionem geometricam in ordine ad exigentiam totius, neg; in ordine ad exigẽtiam partium,transeat. Ideo aquæ tribuit tantum frigiditatis,quãtum caloris igni; cùm enim frigus, & calor sint prima contraria, ex quibus fiunt generationes ad conseruationem totius, consequenter debet tribuere tantum vni, quantum alteri, vt saluetur perfecta oppositio, ex qua oritur propagatio indiuiduorum corruptibilium, per quam conseruantur species,quæ sunt partes Vniuersi; conseruatis autem partibus conseruatur *totum*, cuius conseruatio principaliter intenditur. Ad id de gratia, & gloria dicitur, quòd circa gratiam est iustitia distributiua merè *gratuita*, quę non attingit ad merita, sed solùm ad supremam prouidentiam,quæ primariò respicit varietatem creaturarum, ex qua consurgit Vniuersi pulcritudo mirabilis; circa gloriam verò datur iustitia retributiua, quæ respicit ad diuersa merita cuiusque creaturæ rationalis; quod maximè aduertendum est.

22 Obijc.5.cont.vlt.part.concl. Deus præmiat, & punit citra condignum. Insuper Deus pareit, cùm debet punire; ergo defectu æqualitatis pœnæ ad culpam, & defectu debiti legalis, quo iustitia vindicatiua adstringitur ad puniẽdum,vindicatiua non est formaliter in Deo, sed eminenter.

Resp. *ex B. Doct*; quòd Deus punit citra condignum, quia creatura non est capax pænę intensiuè infinitæ; ęqualitas tamen saluatur in hoc, quòd sicut culpa meretur pœnam intensiuè infinitam; ita datur pœna infinita in duratione. Ad 2.dicitur,quòd licèt Deus possit dispensare

fare in pœna per suam gratiam; attamen non sequitur, quòd in illo non sit iustitia vindicatiua, qua punit alios, quos non dispensat. Sicut licèt Princeps possit absoluere à morte aliquem reum ex sua mera gratia, non tamen sequitur, quòd in Principe non sit iustitia vindicatiua, qua punit alios morte dignos. Sequitur igitur ex hoc solùm in Deo, nedum esse iustitiam vindicatiuam respectu eorum, quos punit, sed etiā misericordiam respectu eorum, quos liberat, vt elegantissimè docet *Beatiss. P. de Dono Perseu. c. 8. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat. Si in remittendo debito bonitas, in exigendo æquitas intelligitur, nusquā esse apud Deum iniquitas inuenitur. Et inf. Quem certè in vno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in vllo tamen cernis iniustum. Cùm enim iustus esset; etiansi vtrunque puniret; qui liberatur, habet, vnde gratias agat; qui damnatur, non habet, quòd reprehendat.*

23 Quæres; an gratitudo sit formaliter in Deo?

Resp. negatiuè; nam gratitudo importat formaliter aliquod beneficium acceptum, propter quod aliquod retribuitur, Deus autem est incapax recipere à creaturis aliquod beneficium. Quòd si gratitudo sumatur impropriè, prout importat simplicem acceptationem alicuius obsequij, & cultus extrinseci, propter quæ dignatur quis gratias rependere ex sua mera gratia, non ex debito, dici potest esse in Deo.

ART. III.

An Iustitia commutatiua sit in Deo formaliter?

1 Prima sententia vult, quòd posito pacto, seu promissione ex parte Dei ponitur in Deo formaliter iustitia commutatiua, licèt sine tali pacto iustitia commutatiua verè, & propriè non exerceatur. *Ita Sua. in Opusc. de Iust. Dei*, cui adhærent *Granad; Tanner; & alij.*

Secūda sententia docet iustitiam commutatiuam non esse formaliter in Deo. *Ita Fund. Doct. locis citat. in sup. articulis; omnes Thomistæ, & alij.*

Vnica concl. Iustitia commutatiua non est formaliter in Deo.

2 Prob. 1. *ex Rom. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quid autem habes, quod non accepisti?* Sup. quod *Beatiss. P. Epist. 105. ad Sixt.* ait: *Quasi priores volentes dare; vt retribuatur eis ab illo, de quo dictum est: Quis prior dedit illi, & retribuetur ei; & suo putantes præire merito illum, de quo audiunt, aut potiùs audire nolunt: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*; Et paulò post concludit. *Quoniam cuius vult, miseretur, non iustitia, sed misericordiæ gratia. Et de Præd. SS. c. 3*; postquam dixerat nulla merita præcedere gratiam, ait: *Ne iam, quod datur, non secundùm gratiam, sed secundùm debitum reddatur potiùs meritis, quàm donetur.* Ex quo sic arguitur. In commutatiua iustitia nulla intercedit gratia, aut donum; & licèt dans inducat debitum in retribuentem, attamen retribuens nullum inducit debitum, aut obligationem in eum, qui dedit; nam tantummodò soluit debitū; sed omne, quod Deus largitur creaturę, est gratia, & donum; & Deus tribuens creaturæ inducit in eam debitum, & obligationem reddendi gratias suo retribuenti; ergo inter Deum, & creaturam nulla potest esse commutatiua iustitia. Ma. patet; nam si intercederet gratia, aut donum, posset retribuens iustè negare retributionem; quia quod gratis datur, aut donatur, potest iustè negari; si autem retribuēs posset posset iustè negare, non posset à iustitia cogi ad reddendum debitum; quod tamen manifestum est esse falsum. Prob. mi; quia omne, quod Deus elargitur creaturæ, ex mera misericordia, & gratia largitur; & si illud negaret, nulla esset in eo iniustitia.

3 Conf. Ad commutatiuam iustitiam requiritur; quòd dans nullum habeat debitum dandi cum retribuente; quia dans solueret debitum, quod haberet; & soluere debitum est satisfacere credito, non autem inducere debitum in eum, cui soluit, vt patet; sed creatura omne id, quod dat Deo, dat ex debito; quia ille dat ex debito aliquod alicui, qui illud accepit gratis ab eo; vnde serui Euangelij *Matt. 25*; qui reddiderunt talenta Domino suo, reddiderunt ex debito, quia ab illo gratis acceperant; & ideo creatura, quia à Deo recipit omnia, quæ habet iuxta illud *Rom. 11. Quid autem habes, quod non accepisti*; Deo omnia reddit ex debito, ergo inter Deum, & creaturam nequit esse commutatiua iustitia.

4 Prob. 2. *ex Fundatiss. Doct. lib. de Regim. Princ. locis cit. art. 1.* Motiuum formale iustitiæ cōmutatiuę tam ex parte dantis, quàm ex parte recipientis est indigentia, vt diximus *ibid*; sed nulla in Deo potest esse indigentia, quia nulla potest esse miseria, cùm sit summè beatus; ergo nulla potest esse commutatiua iustitia. *Vid. vbi sup.*

5 Prob. 3. *Ex eodem ibid.* Ad rationem formalem iustitiæ commutatiuæ strictè sumptæ requiritur, quòd res, quæ commutatur, antequam commutetur, non sit sub dominio illam recipientis à commutante; cùm enim commutatio sit species emptionis, & vēditionis, nullus propriè dicitur emere à se ipso, vel vendere sibi ipsi res, quas habet; sed nulla res est in creatura, quæ non sit sub dominio supremo ipsius Dei; dicitur enim *Isaiæ 46. Dominus vniuersorum tu es*; & quanuis Deus concedat creaturis dominium aliquarum rerum, non tamen abdicat à se ipso dominium supremum, quia illis tantùm concedit dominium subordinatum; sicut Prin-

ceps concedens in Feudum aliquam Ciuitatem suo subdito; ergo inter Deum, & creaturam nulla datur iustitia commutatiua strictè sumpta.

6 Conf. *ex eodem ibid.* Si vnus tantùm esset Paterfamilias, & vna tantùm communitas in Mundo, nulla daretur iustitia commutatiua strictè sumpta; quia inter Pater, & Filium nulla potest esse commutatio, cùm omnia bona Filij sint sub potestate ipsius Patris; sed Deus est vnus omnium creaturarum Paterfamilias, quia est Creator omnium creaturarum, & Prouisor vniuersalis illarum;& omnes creaturæ sunt vna communitas dicēs ordinem ad Deum tanquam ad Creatorem,& Prouisorem;ergo inter Deum, & creaturas nulla potest esse iustitia commutatiua strictè sumpta.

7 Prob.4 *ex eodem in 1. sent. vbi sup.* Iustitia commutatiua inducit ius necessitans simpliciter contra personam, cum qua fit commutatio; in hoc enim distinguitur à iustitia distributiua merè gratuita, quæ nullum importat debitum;& à iustitia retributiua,quæ importat debitum solùm secùndùm quid,& ex suppositione; sed in Deo nulla potest esse necessitas simpliciter agendi in creaturam, quia Deus respectu creaturæ est Agens liberum,non ex necessitate; ergo inter Deum, & creaturam nulla potest esse iustitia commutatiua.

8 Obijc. 1. Licèt Deus habeat vniuersale dominium in creaturas, attamen creatura habet dominium particulare suarum actionum, quod potest transferre in Deum, eiq; illud subijcere,per quam subiectionē obligetur Deus ad retribuendum; ergo potest dari inter Deum, & creaturā iustitia commutatiua.

Resp.dist.2. part.ant. Creatura habet dominium particulare suarum actionum, quod magis est sub dominio Dei, quàm in potestate sua, conc; quod non est sub dominio Dei, neg; & ideo quia creatura subijciens Deo suum dominium subijcit aliquod, quod est in potestate ipsius, non habet rationem formalem iustitiæ commutatiuæ; nec Deus obligatur simpliciter ad retribuendum; sed tantùm secundùm quid, & ex suppositione.

9 Inst. Quanuis Deus non possit obligari ad retribuendum ex iure, quod habeat creatura contra Deum, & ex debito, quod contrahat Deus erga creaturā, attamen potest obligari ex pacto, & promissione Dei; sicuti ex pacto habito inter Patrem, & Filium; inter seruum,& Dominum, potest Pater, & Dominus obligari ad reddendum filio, & seruo, nisi hoc prohiberetur per legem; ergo à pari.

Resp. dist.ant. Potest Deus obligari ex pacto obligatione sufficiente ad iustitiam distributiuam, vel retributiuam, quæ non requirit, quòd bonum oblatū non sit sub dominio illius, cui offertur, conc; obligatione sufficiente ad iustitiam commutatiuam, quæ essentialiter exigit bonum oblatum nullo modo esse sub potestate illius,cui offertur, neg.

10 Obijc. 2. Iustitia, quæ est in Deo, est stricta, & rigorosa iustitia iuxta *Scripturas*, in quibus dicitur: *Iustus Iudex;reddere mercedem;* merces enim non redditur, nisi ex iustitia; sed hæc iustitia nequit esse iustitia *vt sic*, sed aliqua species determinata iustitiæ; nam iustitia Dei tantum tribuit creaturis,quantum creaturę Deo tribuerunt meritorum; hæc autem est species determinata iustitiæ, vt patet; neque potest esse aliqua pars potestatiua iustitiæ; nam si hæc esset, maximè gratitudo, & fidelitas; religio enim, cultus, & obseruantia, cùm dicant formaliter subiectionem, & inferioritatem, nequeunt esse formaliter in Deo; sed Deus est incapax recipere aliquod beneficium à creatura,propter quod sit illi gratus; tum quia donum,quod prouenit ex gratitudine, vel ex fidelitate, non dicitur formaliter prouenire ex iustitia; merces autem nostra *in Scripturis Diuinis* dicitur formaliter prouenire ex iustitia, non ex fidelitate, & gratitudine; neque ex iustitia distributiua;quia hæc distribuit tantùm inæqualiter, non verò tantum pro tanto; ergo iustitia, quæ est in Deo est commutatiua.

Resp. iustitiam Dei diuidi in quatuor species iustitiæ, scilicet legalis, distributiuæ merè gratuitę,retributiuæ meritorū,& retributiuę pœnarū,quę est vindicatiua. Neg. igitur cons; quia in antecedēte non enumerantur omnes species iustitiæ;licèt enim iustitia distributiua merè gratuita inęqualiter distribuat;attamen retributiua reddit tantum pro tanto; vt habetur *in psal.61. Reddes vnicuique iuxta opera sua*; & Rom. 2. *Qui reddet vnicuique secundùm opera eius*; & *Apoc. 18. Quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum,& luctum.*

11 Obijc.4. Vbi datur emptio,& venditio, ibi datur vera iustitia commutatiua; sed iusti emūt Regnum Cœlorum, & Deus illud vendit; quapropter *Sanctiss.P.* ait: *Regnum Cælorum venale est, tantùm emit Vidua duobus minutis, quantùm Petrus relinquens retia*; ergo in Deo datur iustitia commutatiua.

Conf.Si Deus denegaret mercedem iustis, esset iniustus; sed non posset esse iniustus, nisi quia læderetur ius, quod habet creatura contra Deum,per quod constituitur iustitia commutatiua; ergo in Deo est iustitia commutatiua. Tū quia quod datur cum pacto oneroso, & conuentione laboriosa, non est à iustitia distributiua, sed commutatiua, quia distributiua non attendit pactum; sed gratia datur ex pacto oneroso, & laborioso;ergo est à commutatiua.

Resp.ad arg. dist. ma. Vbi datur vera emptio, & vera venditio, est vera iustitia commutatiua, conc; sed in hoc sensu neg. mi; nam Regnum Cœlorum dicitur venale metaphoricè,& translatiuè, non verè,& propriè;sicut metaphoricè

ricè dicitur *horreum, ouile &c.* Vbi datur emptio impropria, & metaphorica, datur commutatiua propria, neg.

Ad conf. neg. mi; dicitur enim iniustus ex læsione iustitiæ retributiuæ, quæ supposito pacto contrahit debitum secũdùm quid, vt dictum est. Et sic ad aliud; nam quod datur cum pacto oneroso, & laborioso, est à iustitia retributiua, non commutatiua; & est à iustitia distributiua, merè gratuita quantùm ad collationem, licèt eius executio spectet ad iustitiam retributiuam.

12 Objic. 5. Esse volitiuũ secũdùm totũ suũ esse dicit perfectionem simpliciter simplicem; sed iustitia pertinet ad esse volitiuũ, cùm sit eius habitus; & iustitia commutatiua est species iustitiæ; ergo iustitia secũdùm totum suũ esse dicit perfectionem simpliciter simplicem; & ideo cõmutatiua est perfectio simpliciter simplex, & per consequens est formaliter in Deo.

Resp. iustitiam commutatiuam esse potiùs in rebus, quàm in ipsa voluntate, quia est æqualitas rei ad rem; vt diximus *art.* 1; sicut voluntas signi est in rebus volitis; & ideo sicuti voluntas signi non est formaliter, sed tantùm eminenter, & metaphoricè in Deo, vt diximus *de Vol. Dei q.* 1. *art.* 3. *n.* 11; ita iustitia commutatiua. Dicitur ergo species extrinseca, non intrinseca.

13 Collig. ex dictis. Iustitiam, *vt sic*, idèst specificè sumptam esse attributum voluntatis Diuinæ; quod sufficienter probauimus *de Vol. Dei q.* 1. *art.* 4; *& locis ibid. cit.*

DE MISERICORDIA DEI.

IVstitiam, & misericordiam tanquam duas semper associatas sorores veritas prædicat; hinc dicitur *ps.* 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*; vbi enim vna cedit, alia succedit; suscipit illa, quem deijcit ista; illa sanat sauciatum ab ista; & ista perdit, qui illã non quærit; condemnat, qui illam contemnit. Quapropter docet *Beatiss. P. de Temp. serm.* 102. *in Fer.* 5. *Quadrag. Sic amemus Dei misericordiam, vt tamen iustitiã timeamus.* Itaque cùm de iustitia actum iam sit, remanet agendum de Misericordia, qua quia nihil manifestius, & patentius est, ideo nihil difficultatis relinquitur. Duo autem maxima sunt misericordiæ monumenta; vt docet *idem Sanctiss. P. vbi sup. serm.* 109; scilicet creatio, & regeneratio. *Nam ipse aliquid magnum fecit, cùm hominem ad imaginem, & similitudinem suam creauit. Sed quia nos nihil fieri volumus peccando, & traducem mortalitatis de Parentibus duximus, & massa peccati massa iræ facti sumus, placuit tamen illi per misericordiam suam redimere nos tanto pretio, dedit pro nobis sanguinem vnici sui innocenter nati, innocenter viuentis, innocenter mortui.* Contra hæc argumenta nihil afferunt Catholici, quia si opponerent, Catholici non essent; ideo breuiter loquendum de hoc, quod omnes fatentur, & ad alia gradiendum, quæ sunt controuersa.

QVÆST. VNICA
De Misericordia Dei.

NEgare Deum esse misericordem est contra Fidem, quæ manifestis id docet *Scripturis*. Solùm possumus inquirere, an Misericordia sit in Deo formaliter, vel eminenter; & an sit attributum distinctum à reliquis?

ART. VNICVS.
An Misericordia sit in Deo formaliter, & an sit Attributum?

1 SIcut diximus de voluntate, & scientia, quòd possunt accipi dupliciter, scilicet formaliter, & materialiter; ita loquendum est de misericordia, quæ si sumatur materialiter, importat aliquod sibi adiunctum ratione subiecti, in quo est; si autem accipiatur formaliter, dicit purum conceptum formalem explicitum ipsius. Hunc duplicem modum sumendi prædicata analogicè communia Deo, & creaturis docet *Sanctiss. P. lib.* 2. *ad Simpl. q.* 2; vbi ait, quòd si misericordia sumatur materialiter, vt est in nobis, importat compassionem cordis, seu cordis miseriam, à qua hoc nomen acceptum est; vnde ait: *Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam, vnde etiã in lingua latina nomẽ accepit.* Si autem accipiatur formaliter secũdùm conceptum formalem, importat trãquillam bonitatem, seu clementiam subueniendi, & à miseria subleuandi; hinc subdit: *Item de misericordia si auferas compassionem, cùm eius, quem miserearis, participatus es miseriæ, vt remaneat tranquilla bonitas subueniendi, & à miseria liberandi, insinuatur Diuinæ misericordiæ qualiscunque cognitio. Et lib. cont. Adimant. c.* 11. ait: *Quis enim Tullio calumniatus est, qui certè nouerat latinè loqui, cùm ait Cæsari: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est. Et tamen ex eo appellatam misericordiam dicunt, quòd miserum cor faciat dolentis aliena miseria. Nunquid ergo virtus miserum cor facit? Quid ergo calumniosis Tullius responderet, nisi misericordiæ nomine clementiam se appellare voluisse?* Igitur misericordia quoad nominis ethimologiam non est in Deo, quia nomen impositum est ab eo, quod materialiter significat, quod nequit esse in Deo; quia dolor, quo angitur, & compatitur cor ex aliena

aliena miſeria conſiderata tãquam propria,Deo repugnat;iſta enim compaſſio, ſeu dolor fundatur in appetitu ſenſitiuo, in quo *ſecundùm Philoſophos* reponitur paſſio; & appetitus ſenſitiuus nequit eſſe in carentibus corpore.Cùm autem transferimus nomina ex creaturis, quibus ſunt impoſita, ad ſignificandum aliquod prædicatum exiſtens in Deo, ita transferenda ſunt, vt omni imperfectionis nota creaturis propria exuantur; & ſumantur ſolùm ſecũdùm proprium conceptũ formalẽ, qui in eorũ definitione exprimitur.

2 Quamobrem definitio miſericordiæ formaliter ſumptæ tradita *à Beatiſſ.P.* eſt hæc: *Miſericordia eſt tranquilla voluntas ſubueniendi, & ſubleuandi inopem à miſeria*;& quærimus in præſenti, an ſecundùm hanc notionem ſit in Deo formaliter?

3 Vnica concl. Miſericordia formaliter ſumpta eſt in Deo formaliter, & eſt attributum voluntatis Dei à ceteris virtualiter diſtinctum.

Prob. 1. ex illis *Scripturæ* locis, in quibus Deus dicitur *miſericors, miſerator, miſereri, & parcere;& ex illa orat.Eccleſiæ: Deus,cui propriũ eſt ſẽper miſereri,& parcere. Et Beat.P.in pſ.*111. ait: *Quid porrò prodeſſet timor, niſi miſericors, & miſerator Dominus eſcam daret timentibus ſe?* Ex quo ſic arguitur. Illa prædicata continentur in Deo formaliter, quæ de illo prædicantur in recto;nam ex eo,quòd Deus contineat eminenter rationalitatem,latrabilitatem &c; nõ dicitur ratiocinari, latrare &c; ſed miſericordia, & miſereri prædicantur de Deo formaliter; vt patet *ex Scripturis*; ergo miſericordia eſt in Deo formaliter.

4 Prob. 2. Voluntas ſubleuandi à miſeria eſt in Deo formaliter;ſed miſericordia eſt huiuſmodi;ergo eſt in Deo formaliter. Prob.ma. Voluntas ſubleuandi à miſeria nullam formaliter dicit imperfectionem, quia importat communicationem ſuarum diuitiarũ, quibus tollitur miſeria; communicatio autem diuitiarum Dei non importat imperfectionem;aliter etiam omnipotentia, quæ dicit communicationem bonitatis Dei,diceret imperfectionẽ; tum quia in tantùm diceret imperfectionem, in quatùm Deus per ralem cõmunicationem inops fieret illis carendo; Deus autem ita ſe communicat creaturis,vt nihil deperdat, ſicut nihil ab illis aquirit; ergo voluntas ſubleuandi à miſeria eſt in Deo formaliter. Mi.patet ex definitione ſuperiùs allata.

5 Conf. Si miſericordia non eſſet in Deo formaliter,maximè eſſet,quia dicit cordis dolorem ex alienam miſeria;ſed hoc importat ſolùm de materiali,quatenus reperitur in ſubiecto habente appetitum ſenſitiuum,vt dictum eſt;ergo miſericordia ſumpta eſt in Deo formaliter.

6 Prob.2.pars concl. Miſericordia formaliter ſumpta importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem virtualiter diſtinctam à quocunque alio attributo;ergo eſt attributum Dei virtualiter diſtinctum à ceteris.1. pars ant.patet; nam id, quod eſt in Deo formaliter, importat perfectionem ſimpliciter ſimplicem;vt diximus *To.t. de Emin. Dei art.*1.§.2. Prob.2.pars. Miſericordia tendit in obiectum formale diſtinctum virtualiter ab obiectis aliorum attributorum; quia rendit in Diuinam bonitatem, prout eſt ſubleuatiua à miſeria; ergo importat perfectionem virtualiter diſtinctam à ceteris attriburis; diſtinctio enim attributorum habetur ex diſtinctione obiectorum formalium; vt alibi diffusè probauimus.

7 Obiectiones, quæ poſſent fieri, faciliter ſolui poſſunt ex dictis. *Vid.de Vol.Dei q.*1.*art.*4;*& locis ibid.cit*;vbi hoc probauimus ſatis.

8 Sicut autem miſeria duplex eſt ſcilicet temporalis,& æterna;hæc enim duplex iactura per peccatum incurritur; ita miſericordia Dei, prout ſubleuat à miſeria æterna,idem eſt,ac gratia; ideo de illa, cùm de Diuina gratia agemus, expreſſsè tractabimus; quapropter calamum hinc remouemus.

DE PROVIDENTIA DEI.

MVndum caſu regi,& fortuna ſecundante, vel aduerſante moueri dixerunt *quidam* potiùs amentes,quàm amãntes ſapientiæ.Quoniam enim fortuitum,quod vulgò *fortuna* appellatur,præter intentionem contingit,ideo eorum præterfugit mentem; & caſum vocant, quia cauſam illius ignorant. Getuliç arida fabula cur depluam imbrium illuuiem ſemper ſitibunda ſuſpirent;& mare immenſa eluuione continuò ſubmerſum pluuijs mergatur maioribus,caſui attribuũt, quia occultum Vniuerſi regimen, rationemque ignorant, & ordinem. Cur fulmina montes excutiant;at ferient latrones;cur lædãr innocuum, & ſceleſtum dimittant illæſum,fortunam huic propitiam,illi inſenſam deprædicant.Si naturæ neceſſitas agnoſceretur, & gratiæ, ſic fieri debere, & ita agi,vt agitur,neceſſe eſſe deprehenderent.Sitit Getulia;quia(inquit *Beatiſſ.P.in pſ.*248) magnã frumenti vno anno parturit copiam,quod diu incorruptum ſeruatur, ideo aquis non eget,vt ſingulis annis ſuis incolis pariat, & paret annonam;ſicut in alijs regionibus,in quibus adeò non exuberant iugera,pluuijs fæcũdãtur ad meſſem.Alluitur mare,vt alantur piſces,qui aquæ amaritudinẽ faſtidientes aquæ dulci naturaliter inhiant,quam depluam è Cælo aliquãdo deguſtant. Feriuntur fulminibus montes, qui eruciari non timent,vt diſcant timere latrones, ne excrucientur. Innocẽs manifeſta eripitur morte,vt coronetur occultè;ſceleſtus relinquitur,vt derelinquat delinquere. Natura ergo miro ordine diſpoſita, iuſti s legibus ordinata,motuum, effectuum varietate mirabili ſum-

summam Dei prouidentiam deprædicat. Corpusculum culicis cernatur, quo ordine dispositum sit, atque compactum? Vt vitam conseruet, fistulam dedit; vt sanguinem fugat, humorem absorbeat, mortem deuitet, alas ad fugam, aculeum ad plagas. Vt voluptatem percipiat, tuba canit; vt molestiam depellat, diuersos excerit sensus. A minimis exsurgatur ad maxima; si enim Dei prouidentiam minima maximè extollunt, maxima minimè illam enarrare transcurrent.

QVÆST. I.

De Prouidentia Dei secundùm se.

PRouidentia dupliciter sumitur, scilicet generaliter, prout extenditur ad omnes creaturas siue rationales, siue irrationales in ordine ad finem naturalem; & specialiter, prout extenditur ad solas creaturas rationales in ordine ad finem supernaturalem. *Hic* loquimur de illa primo modo accepta; acturi *in seq. Tract.* de ea in secundo sensu; prouidentia enim per ordinem ad finem supernaturalem idem est, ac prædestinatio. Primò autem agemus de ipsa secundùm se; secundò de eius obiecto.

ART. I.

An in Deo sit formaliter prouidentia?

1 EPicuræi, cum quibus *Cic. & Stoici*, negarunt Deo prouidentiam, sed diuersis vijs, vt ostendimus *de Scient. Dei q.3. art.3. n.1; & 2.* His adduntur *Alij*, quos latè redarguit *Beatiss. P. in ps. 148. sup. cit.* suppresso eorum nomine; *& lib.6. de Gen. ad lit. c.11; & de Ord. lib.1; & 2. c.1; & seq.*

Veritas tamen Catholica docet in Deo esse prouidentiam formaliter. *Ita communiter omnes DD*; inter quos *Fundatiss. Doct. in 1. dist.39. princ.2. q.1; & omnes nostri DD; Thomistæ, Scotistæ &c.* Hanc sententiam docuit Plato, *& ex illo Proclus, Orpheus, Plotinus, ac ferè omnes*; qui ex illius Schola prodiere, vt ait *Beat. P. 10. de Ciu. c.14.*

2 Not. *ex B. Doct. vbis*; quòd prouidentia est tantùm respectu eorum, quæ sunt ad finem, idest respectu mediorum; quia cùm prouidentia sit pars prudentiæ, & prudentia definiatur *recta ratio agibilium*; agibilia autem sint tantùm media ad finem, quia solæ creaturę, quæ sunt media ad Deum, sunt agibiles; Deus verò, qui est finis, non est agibilis, quia est increatus, & improductus; ideo prouidentia est tantùm respectu mediorum, non autem respectu finis; & per consequens solæ creaturæ, non autem Deus, subiacet prouidentię. Verum tamen est, quòd quia media non eliguntur, nisi ex intentione finis, & finis nō intenditur, nisi cognoscatur; quia *nil volitum, quin præcognitum*; ideo prouidentia supponit cognitionem, & intentionem finis, ad quem ordinat media; cùmque id, ratione cuius aliud cognoscitur, & intenditur, sit obiectum primariū; & illud, quod cognoscitur, & intenditur ratione alterius, sit obiectum secundarium; ideo obiectū primarium Diuinæ prouidentię est bonitas Dei, prout ad illā sunt ordinabiles creaturæ; & obiectum secundarium sunt creaturæ, prout ad illam ordinatæ. Hoc probatur iisdem rationibus, quas attulimus *de Scient. q.2. ar.3; & de Vol. q.3. art.1.*

3 Ex hoc colligitur, quòd prouidentia definitur *ratio ordinandorum in finem.* Aduertit tamen *B. Doct. hic*; quòd ordinatio duplex est; alia est ordinatio partium inter se, seu partium in toto, & alia est ordinatio totius ad suum finem vltimum. Ordinatio partium in toto est dispositio partium suis locis, speciebus, & ordinibus; cùm enim partes Vniuersi sint inæquales in perfectionibus, ex qua inæqualitate consurgit varietas, & pulcritudo Vniuersi, vt *sup.* diximus; ideo nequeunt omnes collocari in eodem genere, specie, ordine, aut gradu; & hæc ordinatio est dispositio, quæ distinguitur à prouidentia, vt videbimus *inferiùs*. Ordinatio totius in finem est collatio mediorum proportionatorū ad consecutionem illius ita, vt naturis nobilioribus, quæ perfectiori modo possunt consequi finem, tribuantur media nobiliora, & perfectiora; ignobilioribus verò ignobiliora, & imperfectiora. Duplex exemplum aptissimum dat *B. Doct.* Sicut enim Dux intendens expugnationem alicuius Arcis priùs disponit milites, fortiores quidem loco fortiori, & debiliores loco debiliori, & postea illos dirigit per instrumenta proportionata ad opus intentum; & sicut Paterfamilias priùs disponit suos filios aliquos quidē ad militiā, alios ad studia, alios ad Aulā &c; & postea prouidet de rebus necessarijs ad singulorū officia; sic Deus, qui *ex Phil. 12. Met.* est, sicut Dux in exercitu ordinans vitam creaturarum, quæ militia est super terram, vt ait *Iob*, ad expugnationem Regni cælestis; & qui est *Pater futuri sæculi*, vt dicitur *Isaiæ 9*; priùs disponit illas in diuersis gradibus vitæ, & posteà illas prouidet de auxilijs proportionatis eorum vitæ sic dispositæ; & in hac secunda ordinatione cōsistit formaliter prouidentia. *Hoc not.*

4 Vnica concl. In Deo est formaliter prouidētia generalis, quę est attributū intellectus Dei.

Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Sap. 14.* habetur: *Tua, Pater, prouidentia omnia ab initio gubernat. Et Matt. 10. Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Et c.9. Respicite volatilia Cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neq. congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa &c. Considerate lilia agri, quomodò crescūt &c. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur,*

ditur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Sup. quæ *Beatiss.P.lib.6.de Gen.ad lit.c.21; & 22.* ait: *Quòd autem ore suo Saluator dicit vnū passerem non cadere in terram sine Dei voluntate, & quòd fœnum agri post paululum mittendum in clibanum ipse tamen vestiat; nonne confirmat non solùm totam istam Mundi partem rebus mortalibus, & corruptibilibus deputatam, verumetiā vilissimas eius, abiectissimasque particulas Diuina prouidentia regi?* Sed si prouidentia non esset formaliter in Deo, sed tantùm eminenter, Deus nō diceretur prouidere; ex eo enim, quòd rationalitas, & risibilitas sint in Deo eminenter, Deus non dicitur discurrere, & ridere; ergo in Deo est formaliter prouidentia.

5 Conf. Quia Deus dicitur sapientia intelligere creaturas, ideo sapientia est formaliter in Deo; ergo quia Deus dicitur prouidentia regere omnes creaturas, ideo prouidentia generalis est formaliter in Deo; illud enim, quod est tantùm eminenter virtualiter in Deo, non prædicatur in recto de illo quoad effectum formalem illius, vt diximus de rationalitate, & risibilitate.

6 Prob. 2. *ex B. Doct.* Vbi datur ordinatio plurium, imò omnium effectuum ad suum finem, ibi datur formaliter prouidentia generalis circa illos; sed in Deo datur ordinatio actiua omnium creaturarū ad suū finē; ergo in Deo datur formaliter prouidentia. Ma. patet; nam prouidentia est ratio ordinandorum in finem, vt sup. diximus. Prob. mi. In agente rationabili, & prudenti datur ordinatio actiua suorum effectuum in finem; in hoc enim distinguitur agens rationabile, & prudens ab agente irrationali, & casuali; quòd istud non ordinat suos effectus in finem, vt inueniens thesaurum fodiendo terram dicitur casualiter agere, quia non ordinat fossionem terræ ad inuentionem thesauri; agens verò rationabile, & prudens ordinat suos effectus in finem; sed Deus est agens rationabilissimum, & prudentissimum, quia agit per intellectum, & iuxta dictamen suę rationis sapientissimæ; ergo actiuè ordinat omnes creaturas in finem.

7 Prob. 3. Datur in creaturis passiua ordinatio illarum ad suos fines; quia sunt in diuersis gradibus perfectionum, habent diuersas operationes in ordine ad diuersos fines particulares, qui ordinantur ad pulcritudinem, & varietatem Vniuersi, & vltimò ad ostensionem Diuinę bonitatis; ordo enim definitur *à Beatiss.P.lib.19.de Ciu.c.13. Ordo est parium, dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio*; ergo datur in Deo formaliter ordinatio actiua, quæ est causa talis ordinationis passiuæ; non enim creatura, quæ est effectus, potest ordinare se ipsam, quia ordinatio effectus est ab agente, non ab effectu, vt patet; tum quia passiuo debet correspondere suum proprium actiuum; proprium autem actiuū ordinationis passiuæ est ordinatio actiua; sicut proprium actiuum producibilitatis passiuæ est potentia productiua actiua; & intelligibilitatis passiuæ intellectio actiua &c.

8 Prob. 4. Prouidentiam non esse in aliquo agente, vel est ratione imperfectæ cognitionis eo, quia agens non cognoscit media proportionata ad consecutionem finis; vel ratione debilis potentiæ, quia licèt cognoscat, attamen non potest illis talia media communicare, vel defectu bonitatis, quia & si cognoscat, & possit illa communicare, attamen non vult communicare; sed Deus est perfectissimum agens, sūmè cognoscēs, summè potens, & summè bonus; ergo in ipso e st formaliter prouidentia generalis.

9 Secunda pars concl; quæ asserit prouidētiam generalem esse attributum Diuini intellectus, probata fuit *de Scient.Dei q.1.art.1.§.1.*

10 Objic. 1. Deus est summè beatus, quia est summè perfectus; ergo in ipso non est prouidentia formaliter; nam prouidentia est cura rerū, quæ nequit fieri sine labore, difficultate, sollicitudine, & anxietate, vt patet in nobis, quæ omnia pugnant cum summa beatitudine. Tum quia Deus non est capax passionum, quia non est sensibilis; ergo in ipso non est prouidentia, quæ mouetur amore, vt aliquos beet, & ira, vt puniat.

Resp. neg. conf. Ad prob. infert. dicitur laborem, difficultatem, anxietatem, & passiones compere prouidentiæ materialiter ratione subiecti, quod quia non est omnipotens, ideo laborat, difficultatē patitur, & anxietatem; & quia est sensibile, ideo est capax passionum. Deo autē, cùm sit omnipotens, & insensibilis, nequeūt ista competere; per quod patet *ad 2.* Ad illud de sollicitudine dicitur, quòd formaliter importat solùm promptam collationem mediorum, *vt in seq. art.* ostendemus; materialiter autem importat laborem &c.

11 Objic. 2. Ad prouidentiam spectat impedire mala, & bona promouere, cùm possit; vt patet de Patrefamilias, ad cuius prouidentiam spect impedire mala, & promouere bona filiorū; sed Deus non impedit peccata, imò permittit, cùm tamen possit impedire; ergo in Deo non est formaliter prouidentia.

Resp. dist. ma. Ad prouidentiam generalem summi Prouisoris, neg; ad prouidentiam specialem particularis prouisoris, conc; ideo enim Paterfamilias, qui est prouisor particularis, renetur impedire mala, quia obligatur ex lege Diuina; Deus autem, qui est vniuersalis Prouisor, nec aliqua lege potest obligari, debet permittere mala, quatenus faciunt ad pulcritudinem Vniuersi; vt ostendimus *de Vol.q.5.art.5.*

12 Objic. 3. Prouidentia est pars prudentię, vt docet *Fund.Doct.hic*; sed in Deo non est formaliter prudentia; tum quia prudentia *ex Phil.* est *recta regula actionum humanarum, vt bene & laudabiliter fiant*; & generatur ex memoria præteritorum, cognitione præsentium, & præuisione futurorum; actiones autem Dei, cùm sint in-

de-

defectibiles à bono simpliciter, non indigent regula illas dirigente; neque datur aliquid præteritum, aut futurum respectu Dei, cum omnia sint illi præsentia in æternitate; tum quia prudentia *ex eodem Phil.* est bene consiliatiua; in Deo autem non datur consilium, quia consiliũ importat dubitationem, & inquisitionem mediorum, quæ supponunt ignorantiam; ergo in Deo non est prouidentia.

Resp.dist.mi. In Deo non datur prudentia Monastica, quę est regulatiua suarum actionum, conc; non datur prudentia Archimonarchica, quæ est regulatiua actionum suorum subditorũ, vt patet de prudentia, qua Princeps regit suos subditos, neg. Ad primam prob. *dicitur Phil.* loqui de prudentia monastica. Ad illud de generatione prudentiæ dicitur verum esse de prudentia acquisita, non autem de prudẽtia formaliter sũpta; sicut enim licèt scientia generetur ex actibus, attamẽ ponitur in Deo formaliter; quia hoc illi accidit tantùm materialiter ratione subiecti, in quo est; ita à pari. Quia ergo actiones Dei sũt indefectibiles, ideo circa illas non datur prudentia; ceterùm quia actiones creaturarum sunt defectibiles, ideo circa illas potest esse formaliter in Deo prudẽtia. Ad 2.prob. responsum fuit *de Vol.q.2.art.1.*

13 Obijc.4. Omne, quod est in Deo formaliter, est æternum; sed prouidentia non est æterna, quia versatur circa creaturas temporales, quæ sunt tantùm in tempore; ergo non est formaliter in Deo.

Resp.neg.mi; & ad prob.infert.dicitur, quòd licèt executio actualis prouidentię sit in tempore, attamen actus formalis immanens ipsius prouidentiæ est æternus; sicut licèt actio creatiua actualis sit in tempore, attamen non deducitur, quòd omnipotentia sit temporalis, & non sit formaliter in Deo.

Ceteræ obiectiones soluentur *in seq. art; & q.2. art.1.*

A R T. II.

Quid importet formaliter Prouidentia?

1 Quod *in sup.art.* dictum est, scilicet prouidentiam esse rationem ordinandorum in finem, in præsenti est distinctiùs explicandum, vt clariùs rationem formalem prouidentiæ assequamur.

2 Innuimus pariter ordinationem dupliciter sumi. 1. Actiuè, & sic est in ordinante. 2. Passiuè, & sic est in rebus ordinatis; sicuti actio creatiua actiuè sumpta est in Creatore; passiuè autem in creatura.

3 Insuper finis alius est vltimus simpliciter, ad quem omnia vniuersaliter ordinãtur, & ipse ad nullum alium finem ordinatur; vt est Deus; & alius est finis intermedius, ad quem ordinantur aliqua media, ipse tamen ordinatur ad aliũ finem; vt est creatura. Finis intermedius adhuc duplex est; alius particularis, & proprius cuilibet rei; vt tueri propriam vitam; alius vniuersalis, vt conseruatio Vniuersi; in tantùm enim omnia, quæ sunt in Mundo, intendunt conseruationem sui, in quantùm talis conseruatio ordinatur ad conseruationem Vniuersi; quia conseruatio partium essentialiter ordinatur ad conseruationem totius; cùm partes sint propter totũ. Vterque tamen iste finis ordinatur ad finem vltimum simpliciter, qui est ostensio Diuinæ bonitatis, quæ relucet etiam in damnatis ad ignem, qui, cùm per peccatum anihilari mereantur, attamen ex bonitate Dei conseruantur in esse; propter quod puniri dicũtur citra condignum. *His supp.*

4 Prima sententia vult Diuinam prouidentiam formaliter importare nedũ ordinationem rerum in finem, sed etiam ipsam actualem consecutionem finis. Tribuitur *Caiet; & quibusdam alijs paucis.*

Secunda sententia docet prouidentiam Diuinam formaliter importare solam ordinationem actiuam rerum in finem vniuersalem per media communia, & particularem per media specialia; ipsam autem ordinationem passiuam, seu consecutionem actualem finis importari solùm ex consequenti, & extrinsecè. *Ita Fundat. Doct.hic, & omnes alij communiter.*

5 Vnica concl. Diuina prouidentia formaliter importat solam ordinationem rerum in finem; ex consequenti verò importat actualem consecutionem ipsius finis.

Prob.1. *ex Beatiss.P.lib.2. de Ord.c.7;* vbi quærens, an Deus fuerit iustus, antequam essẽt boni, & mali, inter quos iustitia habet discernere; respondet fuisse virtutem iustitiæ in Deo, non autem fuisse vsum externum illius; sicut antequam *Cicero* coniurationem *Catilinæ* detegeret; & temperanter nullo fuisset corruptus præmio, quo malis parceret, non est dicendũ, quòd iustitia, & temperantia non fuissent in eo, nisi *Catilina Reipub.* tantã perniciem comparasset; ita concludit de ordine prouidentiæ respectu malorum, & bonorum his verbis: *Non enim debui dicere, postquam malum natum est, cepisse ordinem; sed vt illa iustitia, de qua Trigetius disseruit; ita & ordinem fuisse apud Deum, sed ad vsum eius non venisse, nisi postquam mala esse ceperunt.* Ex quo sic arguitur. Ita se habet prouidentia, sicut iustitia; nam sicut iustitia est virtus voluntatis, ita prouidentia est virtus intellectus; & sicut iustitia respicit bonitatem creaturarũ, quã ordinat ad pręmiũ; & respicit malitiã, quam ordinat ad pænam; ita prouidentia respicit ipsas creaturas ordinando illas in suos fines; sed iustitia formaliter importat solam virtutem distributiuam præmiorum, & pænarum existentem formaliter in Deo; actualem autem collationem præmiorum, & pænarum non importat, nisi ex consequenti; aliter in Deo non fuisset ab

æterno iuſtitia; ergo prouidentia formaliter importat ſolam ordinationem actiuam in Deo exiſtentem,& ſolùm ex conſequenti actualem conſecutionem finis; aliter in Deo non fuiſſet ab æterno prouidentia.

6 Prob. 2. Prouidentia Diuina formaliter ſumpta eſt actus Diuini intellectus ordinantis ab æterno in ſuum finem creaturas faciendas in tempore; ſed ab æterno non datur actualis conſecutio finis, quæ neceſſariò ſupponit actualem exiſtentiam perſonæ, quæ conſequitur finem; ergo prouidentia formaliter importat ſolam actiuam ordinationem rerum in finem, & actualem conſecutionem ſolùm ex conſequenti. Prob. ma; nam prouidentia Diuina eſt actus intellectus Diuini, vt videbimus *in ſeq. art*; ſed actus intellectus Diuini eſt æternus; aliter ſi eſſet temporalis, intellectus Diuinus mutaretur in tempore de non actu ad actum; vt diximus *de Volunt. q. 2. art. 4*; ergo prouidentia eſt actus Diuini intellectus ordinãtis ab æterno creaturas faciendas in tempore. Mi. eſt de Fide; nulla enim creatura eſt ab æterno.

7 Prob. 3. Prouidentia eſt formaliter in prouidente; importat enim habitum intellectus, vt in nobis; vel virtutem per modum actus puriſſimi, vt in Deo; ſed actualis conſecutio finis eſt extra Deum; eſt enim in creatura; ergo prouidentia formaliter importat ſolam ordinationem actiuam exiſtentem in intellectu Dei, conſecutionem autem actualem finis, quæ exiſtit in tempore in creaturis, ſolùm ex conſequenti, ſcilicet in tempore, quod conſequitur ad æternitatem; vt patet; nam illud,quod eſt poſterius, conſequitur ad illud, quod eſt prius;ſed tempus eſt poſterius æternitate; ergo conſequitur ad æternitatem; & ideo conſecutio actualis finis, quæ eſt in tempore, conſequitur ad Diuinam prouidentiam,quæ eſt æterna.

8 Quòd autem conſecutio actualis finis importetur ex conſequenti à Diuina prouidentia, prob. ſic. Prouidentia Diuina nec eſt fallibilis, nec eſt fruſtrabilis; ergo ſuppoſito, quòd ordinet creaturas in aliquem finem conſequendum in tempore,neceſſariò importat conſecutionem actualem talis finis in tali tempore. Ant. prob. *à Beatiſſ. P. in Enchir. à c. 94. ad 106*; nam non minùs repugnat ſcientiam Dei falli, & voluntatem fruſtrari, quàm eius prouideutiam priuari ſuo fine; quælibet enim ex his omnipotens eſt; nec earum efficacia ab vlla creatura poteſt impediri. Tum quia, vt arguit *Fund. Doct*; ſi prouidentia poſſet fruſtrari, hoc eſſet vel defectu ſcientiæ, quæ non cognoſcit media efficaciter conducentia ad finis conſecutionem,vel defectu potentię, quę nequit talia media creaturis conferre; vel defectu voluntatis, quæ nollet illa tribuere; ſed defectus ſcientię nequit eſſe in Deo, quia Deus eſt omniſcius;neque defectus potentiæ, quia eſt omnipotens; neque defectus voluntatis, quia prouidentia ſupponit voluntatem, conferẽdi media,vt dicemus inferiùs; ergo prouidẽtia Diuina non eſt fallibilis, aut fruſtrabilis.

9 Obijc. Prouidentia Diuina eſt infallibilis; ergo formalirer importat etiam actualem conſecutionem finis; in hoc enim conſiſtit infallibilitas prouidentiæ, ſcilicet quòd ſit formaliter connexa cum actuali conſecutione finis.

Reſp; quòd etiam ſcientia, & voluntas Dei ſunt infallibiles, & tamen non important formaliter creaturas; aliter conſtituerentur formaliter per creaturas,quod nullus vnquã dixit; id enim, quod importatur formaliter,eſt conſtitutiuũ illius, à quo importatur. Neg. igitur conſ; ad cuius prob. infert. dicitur, quòd infallibilitas conſiſtit in eo, quòd res ſit pro eo tempore, quo Diuina voluntas decreuit illam exiſtere; non autem, quòd res importetur formaliter,vel ſit ſemper coniuncta cum prouidentia.

ART. III.

An Prouidentia differat à ſcientia, diſpoſitione, ſollicitudine, gubernatione, & à Fato?

1 Certum eſt prouidentiam diſtingui virtualiter à ſcientia; eſt enim attributũ Diuini intellectus ab illa virtualiter diſtinctum, vt dictum eſt *de Scient. q. 1. art. 1. §. 1*; vnde declarandum ſupereſt ſolùm, quomodò ſe habeat ad illam.

2 Quoad reliquas verò videtur dicendum non diſtingui virtualiter à prouidentia; quia important eundem actum virtualiter indiſtinctum ſolùm ſecundùm diuerſa munera, & officia conſideratum; quapropter *SS. PP.* ſollicitudinem, diſpoſitionem, & gubernationem, ſæpè ſumunt pro prouidentia. Sicut enim *productio* actualis creaturarum non importat aliquem actum exiſtentem in Deo diſtinctum virtualiter ab omnipotentia, ſed dicit ſolùm actionem extrinſecam prodeuntem ab illa in tempore; ita gubernatio actualis dicit actionem extrinſecam prodeuntem in tempore à prouidentia; ſollicitudo autem dicit promptam, & expeditam rationem regendi, & gubernandi creaturas; diſpoſitio autem dicit ordinationem ipſarũ creaturarum inter ſe, ſeu poſitionem earum in diuerſis gradibus eſſendi. Ex quo deducitur iſta non differre virtualiter, ſed tantùm ſimpliciter æquiualenter.

3 *Fund. Doct. hic q. 1.* aſſignat modos diſtinctionum, quæ inter iſta reperiuntur,ſic.

4 Prouidentiã differt à ſcientia tanquam ſpeciale à communi; nam ſcientia verſatur circa Deum,& creaturas,quia cognoſcit,nedum creaturas, ſed etiam ipſum Deum,quatenus eſt cauſa creaturarum; prouidentia verò verſatur ſolùm circa creaturas,vt diximus *art. 1. n. 2.*

5 Prouidentia diſtinguitur à ſollicitudine, tanquam ſpeciale à communi; nam ſollicitudo eſt communis diſpoſitioni, & prouidentię, quia

Deus

Deus nedum est sollicitus in prouidendo, sed etiam in disponendo naturas creaturarum; sollicitudo enim, vt diximus, nihil aliud est, quàm prompta, & expedita ratio ordinandi suos effectus; quòd autem sit cum labore, anxietate, inquisitione, & dubietate, hoc illi accidit materialiter ratione subiecti, in quo est; sed prompta & expedita ratio ordinandi conuenit Deo nedum, quatenus ordinat creaturas in finem, in quo consistit formaliter prouidentia, sed etiam quatenus ordinat creaturas inter se, constituendo illas in diuersis gradibus essendi, in quo consistit formaliter dispositio; ergo sollicitudo conuenit dispositioni, & prouidentię, & ideo se habet, vt quid commune ad prouidentiam, & dispositionem; & per consequens differt à prouidentia tanquam quid commune à speciali.

6 Prouidentia differt à dispositione tanquam quid inferius à superiori; nam collatio diuersorum mediorum, per quę ordinantur plures naturę ad consecutionem finis, supponit ordinationem ipsarum naturarum inter se; prius enim est substantiā, seu prius est rem ordinari ad esse, quàm ad operari, cùm esse sit fundamentum operationis; sed dispositio dicit constitutionem creaturarum in esse, secundùm diuersos gradus perfectionis essentialis; & prouidentia dicit collationem diuersorum accidentium in ordine ad operationes, quibus consequuntur finem; ergo prouidentia consequitur ad dispositionem, tanquam inferius ad superius; sicuti namque substantia creaturarum, circa quam versatur dispositio, pręcedit accidentia, cùm sit subiectum illorum, circa quæ versatur prouidentia; ita dispositio præcedit prouidentiam.

7 Prouidentia differt ab actuali gubernatione, seu consecutione ipsius finis, tanquam quid superius ab inferiori; nam actualis gubernatio, seu actualis consecutio finis est effectus, seu vsus, vel exercitium ipsius prouidentiæ; sed effectus est posterior sua causa; ergo prouidentia differt ab actuali gubernatione, tanquam quid prius à posteriori. Tum quia prouidentia est quid æternum; importat enim actum Diuini intellectus, qui mensuratur æternitate, & gubernatio actualis est quid temporale; supponit enim creaturas existentes, quæ non sunt, nisi in tempore: sed æternitas præcedit omnia temporalia, & temporalia; ergo prouidentia differt à gubernatione actuali, vt quid prius à posteriori.

8 Prouidentia tandem differt realiter à Fato, vt sumebatur *ab Aegyptijs, & alijs antiquis*; & quinque differentiæ rectè assignantur à *B.Doct. hic q.2.* Prima differentia est; quòd prouidentia est in causa prima; Fatum verò in causis secundis. 2. est; quòd prouidentia importat vnicam primam omnium causam; Fatum verò dicit pluralitatem causarum secundarum distributarum diuersis locis, ac temporibus. 3. est. Fatum dependet à Diuina prouidentia, & in eam reducitur, quia causæ secundæ, in quarum ordinatione consistit Fatum, vt ponebatur *ab antiquis*, causatur à Diuina prouidentia, & ideo ab illa dependet, & in illam reducitur tanquam in causam; prouidentia verò non ordinatur ad Fatum, quia ab illo non causatur, neque dependet. 4. est; quòd prouidentia Diuina est immobilis, firma, & stabilis simpliciter, quia est simpliciter immutabilis; Fatum verò est simpliciter mutabile, & inconstans, quia consistit in causis secundis, quæ cùm sint creatæ, sunt simpliciter mutabiles. 5. est, quòd ea, quæ subijciuntur Fato, subduntur etiam prouidentiæ Diuinæ, non autem è contra.

9 Probantur autem istæ differentiæ sic. Fatum, vt ponebatur *ab antiquis*, erat vis quædam positionis syderum reducta in Diuinam voluntatem, vt dicebant *aliqui*, vel non reducta, vt volebant *alij*; ex qua effectus necessariò proueniebant, vt refert *Beatiss. P. lib.5. de Ciu.c.9*, vel erat secundùm *alios* ordo causarum secundarū indeclinabilis simpliciter vi trahens etiam voluntates volentes, vel nolentes; sed Diuina prouidentia à Fato omnibus istis modis accepto distinguitur quinque differentijs assignatis; ergo prouidentia Diuina distinguitur à Fato illis quinque differentijs.

10 Conf. Fatum quoad nominis ethimologiam dicitur *à fando*, vt docet *Beatiss. P. vbis*; quidquid enim Deus vnico Verbo suo ab æterno dixit, quodam ordine in tempore est prosecutus, sicut enim vox exterior manifestat verbum meritis interius; ita ordines causarum secundarum manifestant raiones factiuas in Verbo existētes; sed locutio exterior Dei, quæ non est nisi creatura, distinguitur à Verbo Diuino omnibus quinque modis assignatis; ergo prouidentia Diuina distinguitur à Fato omnibus illis quinque differentijs.

11 Quæres; an Diuina voluntas, pręscientia, vel omnipotentia possit Fatum appellari?

Resp. *B.Doct. hic*; quòd *si Diuinā præscientiā, vel volūtatē Fatū nominamus, à vocabuli proprietate recedimus; vnde Beat. P. Aug. 5. de Ciu. c.1. ait: Prorsus Diuina prouidētia Regna cōstituūtur humana; quæ si propterea quisquā Fato tribuit, sententiā teneat, linguā corrigat.* Itaq; nō nisi impropriè Diuina voluntas, præscientia, omnipotentia, vel prouidentia Fatum dici potest; nam Fatum propriè sumptum secundùm impositionem vocabuli, prout vsurpatum est *ab antiquis* potest definiri, *Ordo indeclinabilis causarum secundarum in Diuinam voluntatem reductus, ab ea causatus, & dependens, atque ab ea sumens ineuitabilitatem*.

12 Obijc. 1. *Beatiss. P. Aug. lib.5. de Ciu. c.9.* ait: *Si mihi Fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem Fatum esse firmioris, potentioris voluntatem, quàm illum causarum ordinem*; sed voluntas firmioris, & potentioris est vo-

voluntas Diuina; & voluntas Diuina non diſtinguitur realiter à prouidentia; ergo prouidentia non diſtinguitur à Fato, & Diuina voluntas propriè Fatum poteſt appellari.

Reſp. *B.Doct. ad* 1. *Beatiſſ.P.* loqui cauſatiuè; non formaliter, quatenus voluntas Diuina cauſat ordinem cauſarum ſecundarum; in quo conſiſtit Fatum formaliter, nec aliud intendit, quàm quòd ineuitabilitas, quæ attribuitur Fato, potiùs attribuenda eſt Diuinæ voluntati, quæ ſola fruſtrabilis non eſt; non autem intendit, quòd Diuina voluntas propriè poſſit Fatum nuncupari, cùm doceat in hac locutione eſſe linguam corrigendam, quod non eſſet, niſi eſſet impropria locutio.

13 Obijc. 2. *Idem Beatiſſ. P.* 4. *de Ciu. c.* 8. ait: *Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt*; ſed nihil creatum poteſt trahere voluntatem nolentem; ergo Fatum non diſtinguitur à prouidentia Diuina.

Reſp. *B.Doct. ad* 2. *Beatiſſ.P.* loqui in ſententia quorundam ita de facto ſentientium, ait enim. *Quidam ſic locuti ſunt de Fato non diſtinguentes ipſum à prouidentia Diuina*. Hæc tamen locutio eſt impropria.

14 Obijc. 3. Diuerſi reſpectus rationis non faciunt diuerſitatem realem; ſed vna res, quatenus eſt in Deo, dicitur prouidentia, & quatenus reſpicit res, quę mouentur per ipſam, dicitur Fatum; ait enim *Mart.Boet.* 4. *de conſol. Cùm in ipſa Diuinæ intelligentiæ puritate conſpicitur, prouidētia nominatur, cùm verò ad ea, quæ mouet, atque diſponit, refertur, Fatum à veteribus appellatum eſt*; ergo prouidentia non diſtinguitur à Fato.

Reſp. *B. Doct. ad* 3; quòd licèt reſpectus, quem dicit Diuina prouidentia ad res ordinatas, ſit rationis, attamen reſpectus, quem dicunt res ordinatæ ad Diuinam prouidentiam, eſt realis; quapropter relatio, quæ eſt inter creaturam, & Deum, non eſt realis mutua, ſufficit tamen ad diſtinctionem realem. Igitur ea, quæ mouet Diuina prouidentia, cùm ſint cauſæ ſecundæ, in quibus conſiſtit Fatum formaliter, diſtinguuntur realiter ab illa, & ideo Fatum, vt ſumebatur ab antiquis diſtinguitur realiter à prouidentia.

15 Obijc. 4. Fato ineſt ineuitabilitas; ſed res non eueniunt ineuitabiliter, niſi prout ſunt à Diuina pronidentia; ergo prouidentia non diſtinguitur à Fato.

Reſp. diſt. ma. Fato ineſt ineuitabilitas abſolutè, & ſecundùm ſe, neg; relatiua ad Diuinam prouidentiam, conc.

16 Inſt. Si à Fato tollatur ineuitabilitas, non eſt ampliùs Fatum; in hoc enim diſtinguitur à caſu, & fortuna, vt dicitur *in* 2. *Phyſ.*

Reſp; quòd ineuitabilitas, quę conuenit Fato, eſt ineuitabilitas participata, ineuitabilitas autē, quæ cōuenit prouidētiæ, eſt imparticipata; & ſicut dicimus, quòd æternitas participata diſtinguitur realiter ab æternitate imparticipata; ita dicendum de Fato, & prouidentia.

17 Collig. ex dictis; quòd quando dicitur Fatum includere primam cauſam, intelligitur includere ordinem ad primam cauſam; non autem quòd Fatum exiſtat formaliter in prima cauſa, nec quòd ſit formaliter indepēdēs, increarū &c.

A R T. IV.

An Prouidentia ſit actus intellectus?

1 DVo ſunt *in hoc art.* controuerſa. 1. an prouidentia ſit actus intellectus, vel voluntatis? 2. In quo actu intellectus conſiſtat; conſtat enim plures eſſe actus ipſius intellectus?

2 Prima ſententia vult conſiſtere in actu voluntatis, quo eligit media, & proponit ea exequi in ordine ad finem cognitum, & volitum. *Ita Sua. lib.* 1. *de Eſſent. Præd. c.* 27, *Vaſq; hìc diſp.* 37. *c.* 3; *apud quem Scot. diſt.* 40. *q.* 1; *D.Bon. ibid. q.* 1. *art.* 1; *Aureol; & alij.*

Secunda ſententia vult conſiſtere ſimul in actu intellectus, & voluntatis.. *Ita aliqui Recent.*

Tertia ſententia vult conſiſtere in actu intellectus; ſed diuiſa eſt; nam *Aliqui* volunt conſiſtere in iudicio ante electionem mediorum. *Ita Dur. in* 1. *diſt.* 39. *q.* 3; *Mol. hìc diſp.* 1; *& q.* 23. *art.* 1. *diſp.* 2; *Arrub; & alij*. *Thomiſtæ* verò volunt conſiſtere in actu intellectus, qui dicitur imperium, & qui ſequitur ad intentionem finis, & electionem mediorum.

3 Noſtra tamen ſententia docet formaliter cō ſiſtere in ſolo actu intellectus practici, & ideo ſupponentis electionem, qui actus non eſt imperium, ſed ordinatio, aut directio creaturarum in finem, & quanuis prouidentia poſſit etiam aliquo modo pertinere ad ſciētiam ſpeculatiuam, & ſupponere ſolam cognitionem, non volitionem finis, attamen propriè loquendo pertinet ſolùm ad ſcientiam practicam, & ideo ſupponit intentionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum, à qua ſortitur rationem ordinationis efficacis. *Ita B.Doct. hìc diſt.* 39. *princ.* 2; *& diſt.* 40. *princ.* 1. *q.* 1. *art.* 2; *Ger. ibid*; *Arg; M. Conſon; & omnes alij ex noſtra Schola*; *pro cuius declarat*.

4 Not; quòd prouidētia integraliter ſumpta importat plures actus, vt dicemus *infra de Præd. q.* 1. *art.* 4; alios quidem præſuppoſitiuè, & alios cōſecutiuè. 1. Actus, quem præſupponit, eſt cognitio creaturarū poſſibiliū. 2. eſt propoſitio, qua intellectus illas proponit creādas voluntati. 3. eſt intētio efficax creandi aliquas. 4. eſt imperiū, quo volūtas imperat intellectui, vt cōſulat, quænam ſint creandæ congruentiùs ad ſuam maieſtatem. 5. eſt iudicium intellectus. 6. eſt conſilium, poſtquam enim intellectus iudicat has non illas, eſſe creādas, conſulit voluntari, vt has eligat quæ illis. 7. eſt electio efficax creaturarū. 8. eſt ordinatio ipſarum in finem. Et ratio eſt. Primò tribuendum eſt Deo id, quod eſt illi naturale; ſed cognitio creaturarum poſſibilium eſt

Deo

Deo naturalis; ergo priùs tribuenda est Deo. 2. Propositio, qua intellectus proponit voluntati aliquod obiectum, sequitur ad cognitionem illius, & naturaliter ei conuenit; ergo posteriùs ad illam tribuenda est Deo. 3. Tribuendum est, quod ei competit liberè; & hoc multipliciter; nam inter ea, quæ Deo liberè conueniunt, priùs est intendere creare aliquas creaturas; & sic ei conuenit intentio efficax creandi aliquas. Deinde ei conuenit imperare intellectui, vt consulat, quænam congruentiùs ad suam sapientiam eligendæ sunt; & sic ei conuenit imperium. Deinde intellectus iudicat, quænam habeant maiorem cōgruentiā, & sic est iudiciū. Deinde cōsulit voluntati, vt eligat; & sic est consilium. Postea voluntas eligit; & sic est electio. Deinde illas ordinat, & sic est prouidentia. Tandem statuit executionem illarum, & sic est propositum, seu decretum executiuum; ergo ista omnia per ordinem se habent in Deo. *Vid.inf.de Præd.q.1.art.4.n.3.*

Insufficienter autem hanc graduationem actuum assignat *Gonet cum suis.*

5 Primò; quia inter actus intellectus enumerat imperium; quod est falsum; nam vt docet *Fundatiss. Doct.* imperium est actus potentiæ formaliter dominæ suorum actuum; imperium enim essentialiter importat dominium, & cessante dominio cessat imperium; ex eo namque, quòd *aliquis* non habeat dominium super aliquam ciuitatem, nequit ei imperare; sed sola voluntas est formaliter domina suorum actuum, & ideo sola dicitur imperatrix, & intellectus eius consiliarius; ergo imperium est actus voluntatis, sicut consiliū est actus intellectus. *Sed de hoc suo loco.*

6 Secundò; quia non assignat adæquatè omnes actus intellectus; nam ordinatio, seu directio creaturarum in finem procul dubio est actus intellectus, quia est actus potentiæ regulantis, & dirigentis; potentia autem regulans, & dirigens nequit esse voluntas, quæ, cùm sit potentia cæca, indiget regulari, & dirigi, & ideo nequit aliud regulare, & dirigere; ergo ordinatio, seu directio creaturarum in finem est actus intellectus, qui, cùm sit essentialiter videns, potest aliud regulare, & dirigere. Quanuis igitur prouidentia non consistat in actu intellectus antecedēte electionem, qui est consilium, vel in iudicio speculatiuo antecedente electionem, & subsequente ad consilium; attamen rectè non probat à sufficienti partium enumeratione, quòd consistat in imperio; datur enim alius actus, qui non est formaliter imperium; sed est ordinatio rerum in finem.

7 Nec ex eo; quòd aliquis actus supponat actum voluntatis, habetur, quòd talis actus consistat formaliter in actu voluntatis vel adæquatè, vel inadæquatè; nam scientia visionis, licèt supponat actum voluntatis, nullus tamen diceret, quòd adæquatè, vel inadæquatè consistat in actu voluntatis, aliter voluntas videret, quod repugnat eius cæcitati. Quanuis ergo ordinatio efficax mediorum supponat intentionem efficacem finis, & electionem efficacem ipsorum mediorum, & per consequens supponat duos actus voluntatis, è quibus ordinatio desumit suam efficaciam; ex eo enim, quòd coniungatur actui efficaci voluntatis, efficax euadit; aliter si esset purus actus intellectus nullum supponens actum efficacem voluntatis, esset merè speculatiua, cùm in intellectu formaliter, & præcisè sumpto consistat sola ratio speculatiui; quia proprium est illius speculari; attamen nequit dici, quòd ordinatio consistat formaliter adæquatè, vel inadæquatè in actu voluntatis. *His not.*

8 Vnica concl. Diuina prouidentia formaliter sumpta non consistit adæquatè, vel inadæquatè in actu voluntatis, neque in iudicio antecedente electionem, neque in imperio, neque in ordinatione creaturarum inter se, sed in ordinatione creaturarum ad suum finem, & quanuis magis propriè ista ordinatio pertineat ad intellectum practicum; attamen impropriè sūpta potest etiam pertinere ad intellectū speculatiuum.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Epist. 5. ad Marcellin;* vbi ait: *Omnia mutantur, nec mutatur Diuinæ prouidentiæ ratio, qua fit, vt ista mutetur.* Ex quo sic. Hoc nomen *ratio* significat idem, ac intellectus; sicut autem omnes virtutes existentes in voluntate dicuntur affectiuæ ab affectu, qui est idem, ac voluntas; ita virtutes existentes in intellectu, qui est ratio, denominantur rationales; & possunt denominari nomine sui subiecti; sed prouidentia dicitur *ratio*; ergo est actus intellectus.

9 Præterea *Tract. 104. in Io.* ait de Christo Domino: *Hoc, quod ait; Pater, venit hora clarifica Filium tuum; ostendit & omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri fineret, ab illo esse dispositum, qui tempori subditus non est, quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent. Non ergo credatur hanc horam fato vrgente venisse, sed Deo potiùs ordināte.* Ex quo sic. Quæ accidunt in Mundo per singula tempora, habent causas in Diuina sapientia singula ordinante in suum finem, sed ordinare singula per singula tempora est effectus prouidentiæ; ergo prouidentia, quæ est causa effectiuè ordinans, est in Dei sapientia, seu intellectu.

10 Prob. 2. ratione; quòd prouidentia consistat in actu intellectus. Prouidentia est pars prudentiæ; ordinatur enim ad regulandas, & dirigendas res in finem per media proportionata; sed prudentia est vnus ex quinque habitibus intellectus, vt communiter dicitur; quapropter à *Phil.* vocatur *bene consiliatiua*; ergo prouidentia est habitus, vel actus intellectus; habitus quidem in illo intellectu, in quo est per modum virtutis habitualis potentialis; actus verò in illo, in quo est per modū virtutis actualis, sicuti est in Diuino intellectu, in quo omnia sunt per modū actus purissimi excludentis omnem potentialitatem passiuam; & ideo in Deo prouidentia est

actus formaliter intellectus, non voluntatis.

11 Conf. Prouidentia *à PP. Græcis* vocatur *præintellectio, seu prærordinatio*; & *à Beatiss. P.* sæpe dicitur *præscientia futurorum*; & colligitur ex ethimologia ipsius nominis; nam vt vertit *Fundatiss. Doctor ex Beatiss. P.* vt *infra*, prouidentia idem est, ac *procul videntia*; sed præscientia, præordinatio, præintellectio, seu procul videntia, est actus potentiæ videntis, intelligentis, ordinantis, & scientis, quæ procul dubio est intellectus; ergo prouidentia est actus intellectus.

12 Conf. 2. Ordinare, dirigere, regulare, & manuducere in finem est actus potentię formaliter videntis; sicut ordinari, dirigi, regulari, & manuduci est proprium potentiæ non videntis finem, in quem debet tendere; nam ordinatio, & directio in finem non fit, nisi per ostensionem finis, & mediorum, quæ sunt via ad finem; vt patet de eo, qui cæcum ducit; ostendit enim illi terminum, & viam, quæ ducit ad terminum; & Dux dirigens aliquem exercitum in tantùm dicitur illum dirigere ad expugnationem alicuius Ciuitatis, in quantùm manifestat illi modum, & media conducentia ad talem expugnationem; ostendere autem est actus potentiæ formaliter videntis; & ideo dicitur, quòd intellectus ostendit bonum voluntati, quia voluntas est potentia cæca nesciens, quò tendat, & intellectus est potentia videns, quò tendit, & discernens bonum à malo; sed actus prouidentiæ est ordinare, dirigere, regulare, & manuducere in finem; definitur enim prouidentia *ratio ordinandorum in finem*; ergo prouidentia est actus intellectus formaliter, non voluntatis.

13 Conf. 3. *ex Fundatiss. Doct. dist. 40. vbi sup.* docente: *Prouidentia est completiua prudentiæ; tres enim sunt partes prudentiæ, scilicet memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & prouidentia futurorum; memoria autem præteritorum, & intelligentia præsentium requiruntur ad hoc, vt homo prudens sciat bene coniecturari de futuris*; quæ doctrina sumpta est *ex Beatiss. P. lib. 83. qq. q. 30; & 31*; vbi ait: *Prudentia est rerum bonarum, & malarum, & neutrarum scientia. Partes eius memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria est, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea prospicit, quæ sunt. Prouidentia, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum est.* Et illud, propter quod alia requiruntur, est completiuum illorum; vt finis est completiuus mediorum, quia media sunt propter finem; & ideo prouidentia dicitur completiua prudentiæ; sed memoria præteritorum, & intelligentia præsentium sunt actus intellectus, vt patet; ergo & prouidentia.

14 Prob. modò, quòd nequeat consistere formaliter simul in actu intellectus, & voluntatis; ex hoc enim manifestum fiet prouidentiam nullo modo formaliter consistere in actu voluntatis. Sicut se habet potentia intellectiua, & volitiua; ita se habet actus intellectus, & voluntatis, ac obiectum vnius, & alterius; sicuti enim potentiæ specificantur per actus, ita actus per obiecta; sed ex potentia intellectiua, & volitiua nequit formaliter constitui vna tertia potentia habens pro obiecto complexum ex veritate, & bonitate; hæc enim potentia nobis esset incognita, & *nullus Philosophus* hactenus eam cognouit; ergo ex actu intellectus, & voluntatis nequit formaliter constitui actus prouidentiæ, qui esset actus tertius coalescens ex illis.

15 Conf. 1. Quæ habent essentialem ordinem prioris, & posterioris, nequeunt vniri ad constituendum vnum formaliter; illa enim, quæ sunt de constitutione formali alicuius rei, sunt de primario intellectu, & ideo illis repugnat habere rationem posterioris, quod essentialiter est de secundario intellectu; sed actus intellectus, & voluntatis habent essentialem ordinem prioris, & posterioris, sunt enim essentialiter subordinati; ergo nequeunt vniri ad constituendum vnum formaliter; & ideo actus prouidentiæ nequit ex illis formaliter constitui.

16 Conf. 2. Virtutes, seu habitus, qui important aggregationem plurium habituum, vel virtutum, non constituuntur formaliter ex illis, sed illa tantùm præsuppositiuè, vel consecutiuè important; vt patet de habitu Fidei, qui importat solùm præsuppositiuè affectionem voluntatis; ergo prouidentia, quæ importat intentionem finis, electionem mediorum, & ordinationem illorum, qui sunt actus plurium potentiarum, quia sunt actus intellectus, & voluntatis, nequit formaliter ex illis constitui; sed illos importat solùm præsuppositiuè, vt mox videbimus. Prob. ant. 1. Implicat, quòd aliqua virtus specialis constituatur formaliter per aliam virtutem specificè distinctam, aliter specificatum specificè differret à suo specificatiuo, quo nihil absurdius. 2. Si virtus constitueretur formaliter ex pluribus virtutibus specie diuersis, esset vnum per accidens, non per se; quia esset aggregatum ex pluribus actibus; ergo non esset in prædicamento, in quo non sunt nisi entia per se, sed virtus est qualitas, quia est *dispositio perfecti ad optimum*; ergo qualitas non esset in prædicamento.

17 Prob; quòd non consistat in iudicio antecedente intentionem finis, & electionem mediorum. 1. *Ex Fund. Doct. dist. 41. princ. 1. art. 2.* Stultum est dicere, quòd aliquis Dux ex plurimis suis militibus dirigat solùm aliquos ad obsidionem alicuius Arcis, nisi priùs illos elegerit præ illis, quos non dirigit; aliter omnino casualiter dirigeret illos, nisi priùs per electionem separasset dirigendos à non dirigendis; sicut ridiculum est dicere, quòd aliquos solùm milites, non omnes prouideat necessarijs ad expugnatio-

tio-

tionem, niſi priùs elegerit prouidendos à non prouidendis, aliter confusè,& cęcò prouideret; tandem prouidentèr, & rationabiliter non ageret mittens ad obſidionem, niſi priùs intenderet captionem, vel direptionem illius; ageret enim præter finem; ergo prouidentia eſſentialiter ſupponit intentionem finis,& electionem mediorum.

18 Conf.1.Si prouidentia Dei non ſupponeret intentionem efficacem finis,& electionem mediorum, poſſet caſſari, & fruſtrari; quia voluntas poſſet pro illo tūc eas creaturas nō eligere efficaciter; quando enim actu eligit, ita eligit, vt potuiſſet non eligere abſque vllo inconuenienti; aliter autequam eligat, iam eſſet prædeterminata ad eligendum, vt non poſſet non eligere; ſed Diuina prouidentia eſt infruſtrabilis, & infallibilis non minùs, ac Diuina voluntas,& ſcientia; ergo ſupponit efficacem intentionem finis,& electionem mediorum.

19 Conf.2. Medium in tantùm dicitur formaliter medium, in quantùm mediat inter intentionem,& executionem finis; finis enim in intentione eſt primum, & in executione eſt vltimum iuxta illud: ***Quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione***; ſed medium eſt prius executione finis, quia eſt cauſa illius; ergo eſſentialiter eſt poſterius intentione finis, aliter non eſſet medium. Præterea ordinatio cuiuſcunque rei ſupponit eſſe illius rei; tum quia res priùs eſt in ſe, quàm in ordine ad aliud; tum quia ordinatio eſt relatio, quæ eſſentialiter ſupponit eſſe fundamenti, in quo ſubiectatur; ſed medium non habet eſſe, niſi per electionem; in tantùm enim aliquod habet eſſe medium ad aliquem finem, in quantùm eligitur ad illum finem; quanuis enim diuitiæ poſſint eſſe medium ad obtinendam gratiam Principis, attamen ſi quis eligit virtutem, non diuitias, nullus dicteret, quòd diuitiæ fuerint medium; quia non diuitiæ, ſed virtus obtinuit gratiam Principis; ergo ordinatio mediorum eſſentialiter ſupponit electionem ipſorum. Tunc ſic. Ordinatio mediorum ſupponit eſſe illorum, quod habetur per electionem; & eſſe mediorum ſupponit intentionem finis; aliter medium non eſſet medium; ſed prouidentia eſt ordinatio mediorum; ergo eſſentialiter ſupponit intentionem finis, & electionem mediorum.

20 Præterea iudiciū poteſt eſſe de aliqua re abſolutè in ſe ipſa, vt cū ex effectibus, quos videmus, iudicamus Deū eſſe ſūmè bonū; & cùm iudicamus hominem eſſe riſibilem; ſed prouidentia eſt ordinatio vnius per ordinem ad aliud, quia eſt ordinatio mediorum in finem; ergo prouidentia non conſiſtit formaliter in iudicio antecedente electionem mediorum, & intentionem finis.

21 Iudiciū ergo eſt confirmatio inquiſitionis, ſeu cognitionis; poſtquā enim intellectus cognouit media proportionata, iudicat hæc, nō illa, eſſe magis apta ad conſecutionem finis totius Vniuerſi, quia ex illo magis cōſurgit varietas, & pulcritudo; & poſtea volūtas ſic cōſiliata illa eligit; & tandē prouidentia illa efficaciter ordinat.

22 Quòd autē non conſiſtat in imperio, iam dictū eſt *ſuperiùs n.5. Vid. de Præd. q.1. art.4. n.8.*

23 Prob. tandem vltima pars concl. Ideo in creaturis prouidētia ſpectat potiùs ad ſcientiam practicam, quàm ad ſpeculatiuam, quia in ipſis malitia eſt corruptiua principij intellectiui; nam per ſcientiam practicam, & experimentalem magis certificamur de proportione, & bonitate mediorum; quia per ſcientiam ſpeculatiuam multa ſcimus, & iudicamus apta ad aliquem finem, cuius tamen contrarium nos docet ipſa praxis; hoc autem prouenit ex ignorantia intellectus, quæ orta fuit ex malitia voluntatis; intellectus enim vulneratus fuit à peccato originali exiſtente in voluntate, & ideo prouidentia creata pertinet potiùs ad ſcientiam practicam, quàm ſpeculatiuam; ſed in Deo nulla eſt malitia corruptiua intellectus ipſius, & ideo nulla ignorantia, quia Deus eſt ſummè bonus, & ſummè verax; ergo prouidentia in Deo poteſt etiam ſpectare ad ſcientiam ſpeculatiuam. Propriè tamen loquendo magis ſpectat ad ſcientiam practicam, quia actu ordinare media ad finem ſupponit electionem ipſorum mediorum, vt ſu praedictum eſt; cognitio autē, quæ ſupponit actum practicum voluntatis, eſt practica, non ſpeculatiua, vt diximus *de Scient. viſionis*. Igitur prout cognouit media, vt ordinabilia ad finem, nihil tamen decernendo de electione illorum, neque efficaciter illa ordinando, prouidentia ſpectat ad ſcientiam ſpeculatiuam; prout autem efficaciter ordinat media, & ſupponit efficacem intentionem finis, & electionem mediorum, ſpectat ad ſcientiam practicam.

24 Obijc. 1. *SS. PP.* ſæpè vocant Diuinam prouidentiam *electionem*, *dilectionem*, *volitionem*; *& Beatiſſ. P. de Præd. SS. c.5.* prædeſtinationem, quę eſt prouidentia ſpecialis, vocat *propoſitum miſerendi*; ſed electio, dilectio, volitio, & propoſitum ſunt formaliter actus voluntatis; ergo prouidentia conſiſtit formaliter in actu voluntatis.

Reſp. ideo *SS. PP.* vocare prouidentiam, electionem, dilectionem &c; quia prouidentia importat hos actus materialiter, & præſuppoſitiuè; cùm enim plura concurrunt ad integritatem alicuius, tunc illud poteſt vocari nomine ſingulorum, quanuis illa non importentur formaliter, ſed materialiter; vt v.g. quanuis homo conſtituatur formaliter per ſolam rationalitatē, attamen quia materialiter concurrunt ad conſtituendam eſſentiam hominis, animalitas, corporeitas &c; ideo homo vocatur animal, corporeus &c; ergo à pari.

25 Obijc. 2. Quotieſcunque aliqua duo

concurrunt ad conſtitutionem vnius, tunc illud, quod ſe habet completiuè, ſic habet formaliter, vt patet de rationalitate; quæ, quia complet eſſentiam hominis, ideo eſt ratio formalis ipſius; ſed actus voluntatis concurrit completiuè ad rationem prouidentiæ; ergo prouidentia conſiſtit formaliter in actu voluntatis.

Reſp.diſt. 2.part.ma. Illud, quod ſe habet completiuè integraliter, neg; formaliter,conc; quanuis enim riſibilitas faciat ad completam integritatem ipſius hominis,non tamen eſt ratio formalis conſtitutiua illius. Et ſic diſt.mi. Actus voluntatis concurrit completiuè integraliter, conc; formaliter,neg.

26 Obijc.3. Actus,qui formaliter tendit in obiectum formale voluntatis, eſt actus voluntaris formaliter; actus enim ſpecificatur ab obiecto, & potentia ab actu;ſicuti actus,qui formaliter tēdit in obiectū formale intellectus,eſt actus intellectus formaliter; aliter daretur confuſio obiectorum formaliter diuerſorum, quæ reſunderetur in actus, & in potentias; ſed prouidentia formaliter tendit in obiectum formale voluntatis, quia formaliter tēndit in finem,qui eſt obiectum voluntatis; definitur enim formaliter *ratio ordinandorum in finem*; quæ autem competunt rei ex definitione, competunt ei formaliter, & eſſentialiter, quia definitio explicat eſſentiam rei; ergo prouidentia eſt actus voluntatis formaliter.

Reſp. neg. mi; ad cuius prob. infert. diſt. Prouidentia tendit in finem ſub ratione finalizantis, & boni mouentis voluntatem, neg; ſub ratione dirigibilitatis, & ordinabilitatis; quatenus ad ipſum diriguntur, & ordinantur media, conc. Finis autem eſt obiectum voluntatis, quatenus eſt bonum finalizans, & mouens ipſam ad illud appetendum:quatenus verò eſt conformis medijs ordinatis,& directis ad ipſum, & ipſa media proportionantur, & conformantur fini, tunc finis eſt obiectum intellectus; quia conformitas importat veritatem, quæ eſt obiectum intellectus; vt diximus *To.1.de Verit.art.3.*

27 Obijc.4. Prouidentia eſt actus potentiæ executiuæ; ſed potentia executiua eſt alia virtualiter ab intellectu, & voluntate, vt diximus *To.1. de Omnipot. art.6*; ergo prouidentia non eſt actus intellectus. Prob.ma. Prouidentia eſt actus illius potentiæ, quæ mandat executioni effectus prouidentiæ; ſed hæc eſt potentia executiua;ergo eſt actus potentiæ executiuæ.

Reſp.neg.ma. Ad prob.neg.pariter ma; ſicuti enim intellectus,& voluntas non ſunt actus potentiæ, quæ mandat executioni effectus artificioſos, qui cauſantur per intellectum, & voluntatem; vt patet in Artifice creato; ità à pari de prouidentia, quę eſt virtus ipſius intellectus. Ratio autem, quare ad mandandos executioni effectus intellectus, & voluntatis requiratur potentia executiua tranſeunter agens, eſt,quia intellectus,& voluntas ſunt duæ potentiæ eſſentialiter immanentes; & ideo earum actio nequit ad extra deferri, niſi miniſterio alicuius potentiæ trenſeunter agentis. *Vid.de Omnipot.vbiſ.*

28 Obijc. 2. Prouidentia eſt pars principalis prudentiæ; ſed actus principalis prudentiæ eſt imperium, vt docet *Phil. 6. Eth.c.9*; vbi ait: *Prudentia præceptiua eſt, finis enim ipſius eſt, quodnam ſit agendum, vel non agendum, præcipere*; ergo prouidentia formaliter conſiſtit in actu imperij.

Reſp.*Fund.Doct.lib.1. de Regim.Princ.p.2. c.6*; quòd prouidentia,ſi comparetur ad virtutes morales, eſt directiua, ſeu ordinatiua illarum in finem; ſi verò comparetur ad virtutes intellectuales, eſt præceptiua; quia præcipit *Eubuliæ*, idèſt virtuti bene conſiliatiuæ, vt rectè conſulat; & *Syneſi*, idèſt virtuti bene iudicatiuæ, vt rectè iudicet. Hæc tamen eſt differentia inter hos duos actus prudentiæ; quòd ordinare,& dirigere eſt effectus formalis ipſius, & elicitur ab ipſa ſecundùm ſe ipſam; at verò præcipere virtutibus intellectualibus non habet ex ſe ipſa, ſed ex coniunctione ad voluntatem, cuius tantummodò proprium eſt dominium, & per conſequens imperium; vt v. g. Conſiliarius Regis ex imperio illius poteſt pręcipere aliquid ſubditis, quod præceptum non eſt ab ipſo Conſiliario formaliter originatiuè, ſed participialiter ab ipſo Rege; & hæc eſt mens *Ariſt*; quando enim definit prudentiam ait; quòd *eſt recta ratio agibilium*; in qua definitione ponit vtique ordinationem; nam rectitudo non habetur, niſi ab ordinatione ad ſuum finem; non autem ponit pręceptum; ex quo colligitur ordinationem eſſe effectum formalem proprium ipſius prudentię;ipſum autem præceptum non niſi participialiter à voluntate ei competere.

29 Obijc.2.Prouidentia non conſiſtit in iudicio,aut conſilio;ergo conſiſtit in imperio.Prętere eſt efficax prouiſio mediorum; ſed nequit eſſe efficax,niſi ex inperio efficaci; ergo conſiſtit in imperio. Tum quia aliquem actum imperari eſt fieri cum ordine ad aliud; ſed ordinari ad aliud eſt actus prouidentiæ; ergo prouidentia conſiſtit in imperio.

Reſp. neg. conſ; non enim fit enumeratio ſufficiēs actuū intellectus; quia vltra conſilium, & iudicium datur ordinatio, quæ eſt actus prudentiæ. Ad 2.diſt.mi. Nequit eſſe efficax,niſi ex imperio efficaci voluntatis præſuppoſitiuè, conc; formaliter, neg; ſicut enim ſcientia viſionis eſt efficax ex decreto voluntatis,attamen non conſiſtit formaliter in decreto; ita prouidētia eſt efficax ex electione efficaci mediorum, & intētione finis, ſiue ex imperio, non tamen conſiſtit formaliter in illis. Ad 3.dicitur,quòd actum ordinari ad aliud ſtat dupliciter. 1. In ordine ad ſuum obiectum,& ſic omnis potentia ordinatur; nec ordinare hoc modo eſt proprium intellectus;

ctus;omnis enim potentia hoc habet à se ipsa,& ex sui natura.2. In ordine ad actum alterius potētiæ,vt bene,& laudabiliter fiat; & hoc est proprium solius potentiæ videntis, quæ est intellectus.Dist.igitur ma. Imperari est fieri cum ordine ad aliud per modum dirigentis, regulantis, ostendentis, & manifestantis actui alterius potentiæ suum obiectum,neg;cum ordine ad aliud, scilicet ad obiectum siue manifestatione, ostensione &c; conc; & sic dist. mi; nam ordinari ad aliud solùm per modum manifestationis, ostensionis,directionis &c.est actus prudentiæ.

Cetera agumenta soluentur *infra de Præd. q.1. art.4.*

QVÆST. II.

De Obiecto Prouidentiæ Dei.

OBiectum prouidentiæ generaliter sumptæ aliud est primarinm, aliud secundarium, vt diximus de voluntate,& scientia. Primarium est Diuina bonitas, prout ad illam sint ordinabiles omnes creaturæ,tanquam in suum vltimum finem;& probatur rationibus allatis *de Vol.q.3. art.1;& de Scient.q.1.art.1.*Secundarium sunt creaturæ;& de hoc agendum in præsenti.

ART. I.

An, & quomodò Prouidentia generalis extendatur ad omnes,& singulas creaturas?

1 AGimus de solis entibus creatis positiuis;nam quid dicendum sit de peccatis,patebit inferiùs;& quærimus,an nedum omnia,& singula subdantur ordinationi Diuinæ prouidentiæ,sed an subijciantur æqualiter?

2 *Fundatiss.Doct.in 1.dist.39.princ.2.q.3.§. His fundamentis* refert plures errores *antiquorum* circa Diuinam prouidentiam.

Aliqui absolutè negarunt Diuinam prouidentiam;*alij* quidem arbitrantes casibus omnia regi; & *alij* voluntates nostras stellis subiectas esse ita,vt vnusquisque agat nō meritis suis, sed pro suarum necessitate stellarum.Hunc errorem refert, & reijcit.*Beat.P.in ps.72.Alij* omnia esse ex fœcunditate naturæ;vt refert.*Com.12.Met.*

Alij extenderunt Diuinam prouidentiam solùm ad genera,& species, seu naturas rerum, non autem ad indiuidua particularia. Tribuitur *Com*, quanuis *Fundatiss.Doct. hic* asserat ex illis *textibus*, in quibus videtur hoc sentire, hoc nequaquam colligi posse; & tribuitur etiam *Arist*; qui tamen vindicatur *à D.Tho; & eius Discipul.*

Alij voluerunt prouidentiam extendi ad naturam humanam,& ad indiuidua illius solummodò.*Ita Rabbi Moyses apud Fundat.Doct. Alij* verò extendi solùm ad homines Beatos, non ad Viatores. *Ita Aliqui* suppresso nomine relati *à Beatiss.P. in ps.41.*

Alij dixerunt omnia æqualiter subijci Diuinæ prouidentiæ,quia omnia necessariò proueniunt. Hæc sententia *à B.Doct.*tribuitur *Stoicis.*

Alij dixerunt & bona,& mala culpæ æqualiter subdi Diuinæ prouidentiæ, quia æqualiter ab illa causantur; propter quod finxerunt duos Deos,vnū bonum, & alium malū. *Ita Manihæi.*

Alij voluerunt omnia siue rationalia,siue irrationalia æqualiter subdi prouidentiæ ita, vt nihil accidat irrationalibus, quod illi non sit destinatum in præmium, vel in pænam. *Ita Pythagoras, & omnes eius Discipuli* transmigrationem animarum somniantes; propter quod asserebant non minùs esse peccatum occidere hominem, quàm muscam.

Alij tandem concesserunt prouidentiam extendi ad omnes effectus necessarios, non autem ad actus liberos; putabant enim infallibilitatem prouidentiæ euertere fallibilitatem arbitrij;ideoq;non posse cum ipsa cōponi.*Ita Cicero.*

Ex Catholicis autē referuntur *aliqui* sensisse Deum ab æterno non præordinasse numerum muscarum,pulicum,culicum,vermium, & aliorū vilissimorum animalium. Refert *Gonet* pro hac sententia *Bellarm;& Marian.apud Syluium in Opusc.de primo Motore pag.*102.

Communis tamen sententia omnium Theologorum est omnes,& singulas creaturas etiam vilissimas subdi prouidentiæ Dei,non æqualiter, sed inæqualiter.*Ita Fundatiss.Doct. hic,& omnes DD.communiter.*

3 Not.*ex Fund. Doct. hic* illud non cadere sub prouidentia alicuius agētis,quod euenit prꝑter intentionem illius. Illa autem, quæ eueniunt præter intētionem Dei,sunt.1. mala culpæ;quia *nullum agens intendens ad malum operatur.*2.Casualia,& fortuita,quæ talia sunt, quia præter intentionem eueniunt. 3. Futura contingentia libera,quæ cùm ita sint, vt potuerint non esse,videntur non posse stare cum infallibilitate prouidentiæ Dei.

4 Ceterùm cadere sub Diuina prouidentia stat tripliciter, vt docet *idem B.Doct. in 1. dist. 46.princ.2. q.2*; scilicet vel quantùm ad causalitatem,vel quantùm ad ordinationem, vel quantùm ad permissionem.Illa cadunt sub Diuina prouidentia quantùm ad causalitatem,quæ ab illa effectiuè causantur. Illa cadunt quantùm ad ordinationē,quę ab illa ordinantur;& illa quantùm ad permissionem, quæ ab illa non impediūtur.Ex hoc habetur,quòd entia creata positiua, quæ causantur à Deo,cadunt sub Diuina prouidentia causaliter,& ordinatiuè;peccata verò cadunt solùm permissiuè,& ordinatiuè. Loquimur in præsenti generaliter de ijs, quæ cadunt sub Diuina prouidentia solùm causaliter.Quomodò ui-

autem actus liberi creati subdantur Diuinæ prouidentiæ;an scilicet vt præordinati, vel vt ordinati post præuisionem consensus,dicemus *in seq. art.*In præsenti inquirimus solùm, an subdantur quomodocunque? De actibus liberis bonis, & malis agemus *in seq.articulis*.

5 Itaque docet *B.Doct.in hac dist.39.princ. 2.q.3.§. Habito*; quòd aliquis effectus positiuus tripliciter potest euenire improuisè,inopinatè, & præter intentionem agentis. 1.Quia agens est causa particularis solùm aliquorum effectuum, non omnium,& ideo aliquis effectus,cuius tale agens non est causa, dicitur euenire præter intentionem illius;vt v.g; quia Petrus nō est causa coruscationis factæ in Cælo ab aliquo sydere fatuo, ideo Petro ambulanti dicitur merè fortuitò contingere talis coruscatio; at verò si Petrus esset causa nedum ambulationis, sed etiam talis coruscationis, quia omnis causa præsertim agens per intellectum semper intendit effectū, cuius est causa, ideo illa coruscatio non contingeret Petrò fortuitò, & præter intentionem. 2.Quia agens est defectuosum;cùm enim ob defectum suæ virtutis non potest producere id, quod intendit, producit aliud, vt cùm quis intendit generare masculum,& ex defectu seminis generat feminam. 3. Ex indispositione materiæ; nam aliquando agens intendit producere aliquod indiuiduum, & tamen ob indispositionem mēstrui producit monstrum.Hæc tria repugnare Deo compertum est; repugnat enim ipsum esse causam particularem aliquorum tātùm effectuū, non omnium; & repugnat, quòd sua virtus sit defectuosa, cùm sit omnipotens;sicuti repugnat, quòd agat ex præsuppositione materiæ, cùm sit Creator.

6 Ex hoc infert *Beatiss.P; & B.Doct.Aegid. ex Phil*;quòd illa,quæ dicuntur casualia, & fortuita,non sunt talia respectu omnis causæ,quia non sunt talia respectu causæ primæ vniuersalissimæ,sed solùm respectu causæ secundæ particularis. *His not.*

7 Vnica concl.Prouidentia Dei extenditur ad omnia entia creata,etiam vilissima secundùm omnes rationes siue vniuersales, siue particulares,inæqualiter tamen,& diuersimodè.

Prob.1. pars ex illis *Scripturæ* locis, quæ adduximus *art. 1.* Quibus additur illud *ps.148. Ignis,grando,nix, glacies,spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.Montes,& omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri,bestiæ, & omnia pecora,reptilia,& volatilia pennata.* Super quod *Beatiss.P.*ait: *Quæ omnia turbata videtur quibusdam stultis,& quasi casibus agitari, addidit, quæ faciunt verbum eius.Non tibi ergo videantur casibus moueri, quæ verbo Dei in omni motu suo deseruiunt.* Et inferiùs: *Quidquid ergo hic accidit contra voluntatem nostram, noueris non accidere, nisi de voluntate Dei, de prouidentia ipsius,de ordine ipsius,de nutu ipsius,de legibus ipsius;& si non nos intelligimus,quid,quare fiat,demus hoc prouidentiæ ipsius,quia non fit sine causa.* Tandem concludit: *Sic omnia,quæ vanis videntur in rerum natura temerè fieri, non faciunt nisi verbum eius,quia non fiunt,nisi iussu eius.*

8 Prob.2.ratione *Fund.Doct.*Prouidentia Dei extēditur ad omnes effectus, qui causantur à Deo; sed omnia entia creata etiam vilissima causantur à Deo; ergo prouidentia extenditur ad omnia illa. Prob.ma. Deus, vt diximus *q.1. art. 1*; est agens rationabilissimum, prudentissimum, & sapientissimum; sed huiusmodi agens ordinat omnes suos effectus in debitū finē;ordinatio enim est effectus formalis prouidentiæ, vt superiùs dictum est; ergo prouidentia Dei extēditur ad omnes effectus causatos à Deo. Mi.patet;quia Deus est causa vniuersalissima omnium rerum ita,vt implicet dari aliquam rem creatam non creatam à Deo.*Vid.alias rationes vbi.*

9 Conf. 1. Quòd aliquis effectus improuisus contingat alicui,vel est,quia non causatur ab illo;vel quia non habet virtutem potentem illū causare;vel quia tale agens agit ex suppositione materiæ; sed nullus effectus secundùm quancūque rationem potest sic se habere respectu Dei; ergo nullus effectus creatus secundùm quancūque rationem potest Deo improuisus contingere; & per consequens Deus habet prouidentiam generalem omnium creaturarum.

10 Conf.2.Quæ effugiunt Diuinam prouidentiam, effugiunt pariter Diuinam scientiam; nam quæ Deus nō prouidet,Deus non videt;cū prouidētia sit idē, ac procul videntia,vt diximus *q.1.art.4.n.11*; scientia autem Dei, cùm non expectet existentiam rerum in tempore ad hoc, vt illas cognoscat, dicitur *ante scientia, seu procul scientia*, propter quod *à SS.PP.* prouidentia aliquando dicitur *præscientia*; quia est actus intellectus practicè ordinans creaturas,antequam sint; sed implicat aliquam creaturam secundùm quancunque rationem siue vniuersalem, siue particularē effugere scientiam Dei, aliter Deus nō esset omniscius; ergo implicat aliquam creaturam secundùm rationes, vniuersales, aut particulares effugere prouidētiam Dei;aliter Deus non esset omniprouidens.

11 Prob.2. pars concl. ex illo *Matt.6*; vbi ait de volatilibus Cœli: *Et tamen Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?* Et de liliis: *Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ Fidei?* Ergo si Deus magis pascit, & vestit homines, quàm aues, & lilia, inæqualem curam habet de illis; *& ex Beat.P. lib.83. qq. q. 39*; vbi ait: *Ex diuersis visis diuersus appetitus animarum est;ex diuerso appetitu diuersus adipiscendi successus; ex diuerso successu diuersa cōsuetudo;ex diuersa cōsuetudine diuersa est volitas.Diuersa autē visa ordo rerū facit,occultus quidē,sed sub Diuina prouidētia,certus tamē.*Et paulò post rationem reddens huius diuersitatis ait:

Quia

Quia non essent omnia, si essent æqualia; non enim essent multa rerum genera, quibus conficitur vniuersitas, primas, & secundas, & deinceps vsque ad vltimas ordinatas habens creaturas. Ex quo sic arguitur. Deus prouidet omnibus rebus iuxta exigẽtiam ipsarum, quatenus faciunt ad perfectionem Vniuersi; sed naturæ rerum, quatenus faciunt ad pulcritudinem Vniuersi, sunt inter se inæquales inæqualitet ordinatæ ad diuersos fines particulares; ex hoc enim consurgit pulcritudo Vniuersi; ergo Deus prouidet omnibus rebus inæqualiter, & diuersimodè.

Conf. Si Deus æqualiter æqualia media omnibus prouideret, sequeretur, quòd omnibus creaturis tribueret media necessaria ad gloriam; sed consequens est absurdum; nam irrationalia sunt incapacia; ergo Deus prouidet omnibus rebus inęqualiter, & diuersimodè. *Vid;* quæ diximus *de Vol.q.3. art.4.*

13 Obijc.1. *Apostolus* 1. *Cor.*9. ait: *Nunquid de bobus cura est Deo; & D.Hier. in c.1. Abacuc: Absurdum est adhoc Dei deducere maiestatem; vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo; quot pisces natent in aqua; ergo ista non cadunt sub Dei prouidentia.*

Resp. *Fundat. Doct. hic, & de Renunc. Papæ* c.4. hæc, & similia loca intelligi, quòd ista non subijciuntur æqualiter Diuinæ prouidentiæ, vt supra diximus. Præterea dicitur *Apostolum* nihil aliud velle, quàm, quòd boues debent comedere de grano, quod triturant; non enim Deus debet habere curam specialem creandi ex nihilo fœnum, vel granum præter illud, quod per prouidentiam generalem producit terra; quia de illo pasci debet *iuxta illud Deut.* 25. *Non alligabilis os boui triturantì*; vt refert *idem Apost. ibid;* & hæc est germana mens illius, vt patet ex textu. Ad *D. Hier.* dicitur, quòd nihil aliud vult, quàm Deum non expectare tempus, quo nascẽtur illa animalia, vt ea cognoscat; ait enim. *Vt sciat per singula momenta*; hoc enim est indignum Deo; qui ab æterno omnia nouit in se ipso. Tandem *in Epist. ad Rufin.* ipse ait hunc locum exposuisse iuxta sensum aliorum.

14 Obijc. 2. Natura non intendit per se indiuidua corruptibilia, sed tantùm, quatenus faciunt ad conseruationem speciei, & Vniuersi; ergo hæc indiuidua eueniunt præter intentionem naturæ; sed Auctor naturæ est Deus; ergo eueniunt præter Dei intentionem, & prouidentiam.

Resp. dist. ant. Natura naturans, quę est Deus, non intendit per se indiuidua corruptibilia, neg; natura naturata, quę est creatura, conc; quę enim sunt pręter intentionem causę particularis, non sunt præter intentionem causę vniuersalis, vt dictum est. Et sic dist. conf. Hęc indiuidua eueniunt pręter intentionem per se, conc; præter intentionem per aliud; quanuis enim natura non intendat per se indiuidua, sed ratione alterius, at tamen non sequitur, quòd illa non intendat, & quòd ei casualiter, & fortuitò contingant; fortuitum enim est pręter omnem intentionem siue per se, siue per aliud. Ita quanuis Deus intendat hęc materialia propter hominem, non propter se; attamen non sequitur, quòd illa non intendat; & quòd non cadant sub sua prouidentia.

15 Obijc.3. *Com. ex B.Doct. hic* reprehendit eos, qui dicebant Deum omnium curam habere; illosque, qui asserebant Deum nullius rei curam habere; & ait mediam viam esse tenendam; sed media via est dicere, quòd non omnium, sed aliquorum curam habeat; ergo omnia non subduntur Dei prouidentię. Prob. ma. Plurima ordinata, & multa inordinata, vt monstra, accidunt in Mundo; sed inordinata non cadunt sub Dei prouidentia, aliter non essent inordinata, sed ordinata; ergo media via est tenenda.

Resp. *B.Doct.* ad 1; quòd media via est dicere, quòd non omnia subdũtur ęqualiter. Quidquid autẽ sit *de Com;* qui in hac re nõ est magni faciendus; plura enim scripsit de Deo, quę falsa sunt; neg. mi. Ad prob. dicitur *ex Beatiss.P. vbi sup;* quòd multa inordinata respectu nostri accidunt in Mundo, quę tamen sunt ordinata respectu Dei. Quare autem sint inordinata respectu nostri, iam diximus *ex Fund.Doct.n.*5.

16 Obijc.4. Si Dei prouidentia extenderetur ad omnia indiuidua, Viri iusti non paterentur tot ęrumnas, & impij non fruerentur tot fęlicitatibus; ordo enim prouidentię exigit, vt iustis decernantur pręmia, & impijs supplicia; ergo prouidentia non extenditur ad omnia indiuidua.

Resp. ad hoc latè *Beatiss.P. in ps.*72; vbi sup. illud: *Quomodò sciuis Deus, & si est scientia in Altissimo;* ait: *Ecce iniqui felices sunt, non curat Deus res humanas &c. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias &c. Quoniam seruio Deo, & ista non habeo; non seruiunt illi, & his abundant &c.* Mox sup. illud: *Et fui flagellatus tota die;* ait: *A me non recedunt flagella Dei. Bene seruio, & flagellor. Non seruit ille, & ornatur. Magnam quæstionem fecit sibi.* Cui respondet. *Vbi fluctuat anima in quadam tẽpestate, peruentura est ad portum. Et quomodò solent ægri, qui lentiùs ægrotant, cùm sanitas longè est, vicina sanitate plùs æstuant. Accessionem criticam Medici vocant, per quam transitur ad sanitatem. Maior ibi æstus, sed ducens ad salutem. Maior ibi ardor, sed vicina refectio. Sic ergo & hic æstuat.* Neg. igitur ant; nam passio ærumnarum in hac vita ordinatur in alia ad gloriam; & ad prob. insert. dicitur, quòd ordo prouidentiæ exigit, vt iustis decernantur præmia in alia vita, & supplicia in hac vita, vt mediantibus istis

ad

ad illa perueniant; *non enim peruenitur ad præmia, nisi per magnos labores*; vt inquit *D. Greg.* Impijs verò *hic* permittuntur felicitates, vt iustè puniantur; non enim iustè punirentur, nisi iniustè vixissent.

17 Objic.5. Si Dei prouidentia extenderetur ad vilia, vilesceret, vt patet in nobis; ergo non extenditur ad omnia.

Resp. neg. ant, prouidentia enim vilium in nobis vilescit, quia nos habemus pro obiecto primario vilia, & ideo vilescit, quia ab obiecto primario recipit denominationem; at verò prouidentia Dei etiam in vilibus habet pro obiecto primario ostensionem Diuinæ bonitatis, & iustitiæ, & ideo non vilescit in vilibus, quæ sunt obiecta secundaria, quæ extollit ordinando ad finem supremum.

18 Objic.6. Si prouidentia extenderetur ad omnia, extenderetur etiam ad actus liberos bonos, & malos; sed consequens est falsum; nam si extenderetur ad actus bonos liberos, tolleret libertatem, quia prouidentia infallibilis est; si verò ad peccata, Deus esset Auctor peccati; ergo non extenditur ad omnia. Prob. ma. Actus boni sunt entia positiua; & actus mali saltem physicè sunt positiua.

Resp. hoc esse dissoluendum *in duobus seq. art.* Interim dist. 2. pars ma. Extenderetur ad actus malos formaliter causando, prout mali sunt, neg; materialiter causando, prout sunt entitates physicè bonæ indifferentes ad malitiam, & bonitatem moralem, vt diximus *de Vol.q.5. art.4*, & formaliter permittendo, & ordinando malitiam ad bonū iustitię, vel misericordiæ, cōc; & neg. mi. quoad vtranque partem; sicut enim infallibilitas scientiæ non tollit libertatem, ita nec infallibilitas prouidentiæ. Et sicut Iudex puniens, vel remittens peccata non dicitur Auctor peccati; ita Deus ordinans peccata ad bonum iustitiæ, vel misericordiæ nō est Auctor peccati.

ART. II.

An Prouidentia efficaciter præordinet actus liberos bonos in finem supernaturalem?

1 Suppositò, quòd prouidentia Dei ordinet nostros actus bonos in bonum finem, quia entia positiua sunt, vt diximus *in sup. art*; quod modò in dubium vocatur, est, an ordinet illos, antequam ordinentur à nobis ita, vt ordinatio Dei sit causa ordinationis nostrę?

2 Hæc difficultas resolui debet iuxta ea, quæ tradita sunt *de Vol. q.5. art.2*; *& de Scient. q.4. art.1*, habet enim eosdem *Patronos, & Aduersarios*, ac ijsdem probatur rationibus.

3 Ratio etiam dubitandi eadem est, ac illa; ob quam *Epicurei*, quos secutus est *Cic*; vt diximus *de Scient.q.3. art.3. ex Beatiss.P. lib.5. de Ciu.c.9*; negarūt Deo prouidentiā, putabāt enim infallibilitatem ordinationis Diuinę extinguere, non producere, fallibilitatem arbitrij creati; quapropter *Azor.lib.4. Inst.mor. c.22. q.21.* ait de *Recentioribus*, quod de *Cicerone* dixit *Sanctiss. P. vbi sup. Pauci iuniores Theologi, vt voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum opera nostra bona prædefinire*.

4 Not. ex dictis *vbi sup*; quòd prouidentiam Dei præordinare actus bonos voluntatis creatæ, potest dupliciter intelligi. 1. Ita, vt causet in voluntate creata aliquod antecedens ipsum actum effectiuum ipsius actus. 2. Ita, vt causet immediatè ipsum actum, per quem voluntas actiuè se ordinat in bonum finem. Nos sustinemus præordinationem in secundo sensu contra *Thomistas recentes*, qui defendunt illam in primo sensu; vt diximus de physica prædeterminatione *in de Vol; & Scient*; vbi ostendimus hanc esse sententiam *SS. PP; & omnium antiquorum*, & à *Philosophis* innegabilem; nec non per ipsam non lædi libertatem, quia non ponit in ipsa voluntate aliquod præuium ad actum, sed ponit ipsum actū, qui inuenit potentiam purè indifferentem; & quem potest abijcere voluntas, quia potest peccare; & plura alia, quæ videri possunt, & debent.

5 Sicut ergo voluntas Dei dicitur præmouere voluntatem creatam; quia, cùm sit prima causa mouens omnes causas creatas siue necessarias, siue liberas, non enim minùs sunt causæ secundæ causæ liberæ creatæ, quàm causæ necessariæ; & causa in eo, quod est secunda, essentialiter mouetur à prima; ideo voluntas Dei causat motum in voluntatibus creatis iuxta illud *Beatiss. P. de Grat; & lib. arb. c.21. Agit omnipotens in cordibus nostris etiam motum voluntatis eorum*; motus autem nihil aliud est, quàm ipse actus; quia motus est ille, quo tendimus ad aliquem terminum; & per actum voluntas tendit in finem; imò est ipsa tendentia in finem; & per consequens causat ipsum actum in voluntate creata, quo illam dicitur præmouere. Ita prouidentia dicitur pręordinare actus bonos creatos, quatenus causat in voluntate ipsum actum ordinatum ad bonum finem, seu quatenus causat in voluntate ordinationem ad bonum finem, quæ ordinatio non est quid realiter distinctum ab actu, sed est relatio ad bonū finem; sicut ex eo, quòd sagitta ordinetur in scopum, non additur sagittæ aliqua entitas realiter differens ab illa; sed solùm additur relatio, seu directio in scopum. Et per istam ordinationem voluntas actiuè se ordinat in finem; sicuti per ipsum motum factum à causa prima in causa secunda se mouet ipsa causa secunda; vt ex illo *Apost. Rom. 8. Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur*; docet *Beatiss. P. de Cor; & Grat. c.2. Aguntur enim, vt agant; non vt ipsi nihil agant*; vnde ordinatio, qua creatura actiuè se ordinat in finem, supponit ordinationem factam à Dei prouidentia in voluntate creata; quia secundùm or-

ordinans essentialiter supponit primū ordinans; sicut secundum agens supponit primum agens, & in hoc sensu prouidentia Dei dicitur præordinare actus bonos voluntatis creatæ. *His not.*

6 Vnica concl. Prouidentia Dei præordinat omnes nostros actus bonos in finem supernaturalem. *Ita Fund.Doct.locis cit.in sup.art;& omnes Auctores relati de Vol; & Scient.Dei vbiq.*

Habetur expressè *in Scriptura*;nam *Act.*10. dicitur: *Hunc Deus suscitauit à mortuis, & dedit eum manifestum fieri non omni populo,sed testibus præordinatis à Deo. Et c.*13. *Et crediderūt, quotquot erāt præordinati ad vitam æternam. Et c.*22. dixit *Ananias ad Saulum:Deus Patrum nostrorum præordinauit te,vt cognosceres voluntatem eius,& videres iustum,& audires vocem ex ore eius.* Ex quibus patet à Deo præordinari nedum actus nostræ voluntatis, sed etiam intellectus, & sensus;cognoscere enim est actus intellectus, videre est actus oculi, & audire potentiæ auditiuæ.

7 Prob.2. *ex Beatiss.P. Aug. c.*29. *Soliloq;* vbi docet: *Priusquam me formares,nouisti me,& antequam exirem de vulua,quidquid tibi placuit, præordinasti de me.Et de Dono Perseu.c.*17.*Si bona opera dantur à Deo, & se daturum esse præsciuit, profectò prædestinauit;* hoc autem verbum *prædestinauit*,idem est,ac *præordinauit*; vt infra videbimus.

Ex hoc formatur hæc ratio *à Fund. Doct.* Omne agēs prudentissimum, & sapientissimum, dum agit,ordinat suas actiones, & sua opera in bonum finem; in hoc enim distinguitur ab agēte improuido, & insipienti; sed Deus est agens prudentissimum,& sapientissimum; ergo, dum agit, ordinat suas actiones, & opera in bonum finem; atqui omnes actus boni voluntatis creatæ sunt actiones,& opera Dei,quia nobis donātur à Deo, propter quod oramus, vt illos nobis concedat;& cùm concesserit,gratias agimus; ergo Deus ordinat omnes actus bonos voluntatis creatæ in bonum finem.Tunc sic.Actio Dei præcedit prioritate naturæ actiones volūtatis creatæ;quia sicut causa prima præcedit secundam; ita actio causæ primæ præcedit actionem causæ secundæ; sed in illo priori naturæ, in quo Deus agit, antequam agat creatura, ordinat suam actionem in bonum finem; aliter pro illo priori Deus improuidè; & omnino casualiter ageret; ergo priùs ordinat actionem creaturæ,quàm ordinetur à creatura; & per consequens præordinat actiones liberas bonas creaturarum.

8 Conf.1. Ita se habet secundum ordinans respectu primi ordinantis, sicut secundum agēs respectu primi agentis; sed primum agens priùs agit, seu præagit ad agens secundum; ergo primum ordinans priùs ordinat, seu præordinat ad secundum ordinans; sed illud, quod præordinat primum ordinans,est actio creaturæ,quia prouidentia non datur, nisi respectu creaturarum, vt diximus *q.*1. *art.*1. *n.*1; ergo Deus, qui est pri-

mum ordinans, præordinat actiones liberas bonas creaturarum.

9 Conf.2.Quælibet res sicut se habet ad esse,ita ad operari;quia *operari sequitur ad esse*; sed quælibet creatura habet esse posteriùs ad Deum; ergo quælibet creatura habet operari post operari ipsius Dei; atqui operatio Dei est essentialiter ordinata ad bonum finem; ergo operatio Dei priùs est ordinata, quàm operatio creaturæ;vna autem,& eadem est operatio Dei, & creaturæ; quia creatura agit per actionem Dei; vt diximus *de Scient. Dei q.* 4. *art.* 1. *§.* 3; ergo Deus præordinat actiones liberas bonas creaturarum.

10 *Vid.*alias rationes *de Scient;& Vol;*vbi, quod diximus de voluntate præmouente,potest proportione seruata dici de prouidentia præordinante. Propter hoc *Gonet hic,& alij Thomistæ* confusè loquuntur de præordinatione, & prædeterminatione physica; nos autem distinctiùs procedendum duximus; quia prædeterminatio est actus voluntatis, vt asserunt *ipsi Thomistæ*, & prouidentia est actus intellectus;ideo probando prædeterminationem non probatur præordinatio,nisi proportionaliter ab vna ad aliam arguatur. Sed de hoc iterum *de Præd.q.*2.*art.*3; & 4.

11 Ad rationem dubitandi responsum fuit *de Scient.Dei q.*3.*art.*3.*n.*11;*& q.*4.*art.*1.*§.*3;*&* 4;*& de Vol.q.*5.*art.*2; *& inf.de Præd.vbiq.* Sicut enim,vt arguit *Fund.Doct. in Opusc.de Præd, & præscient.c.*2; immutabilitas Dei causat creaturā mutabilem, & æternitas creaturam temporalē; ita prouidentia infallibilis causat ordinationem fallibilem respectu creaturæ,non obstante,quòd sit infallibilis respectu Dei; vnde illius infallibilitas non tollit fallibilitatem ab istis.

Alias obiectiones *vid.inf.de Præd.vbiq.*

ART. III.

An etiam peccata subdantur Dei Prouidentiæ?

1 Plerique DD.confundunt hanc difficultatem cum illa, in qua quæritur, an Deus prædefiniat materiale peccati, sicut confundunt præordinationem cum prædeterminatione,vt supra dictum est. Ad euitandam igitur eorum confusionem,quæ recentes adducta est à *Gonet hic*;præmittemus ea, quæ dicenda sunt de entitate physica substrata peccato; & postea afferemus decisionem intenti principalis; de quo *Auctores* vix verbum faciunt, penitus enim absorpti à materialitate ferè nihil agunt de formalitate peccati, vt videre est *apud eundem Gonet*;quamuis de hac principaliter inquiratur in titulo;peccatum enim secūdùm entitatem physicam non est peccatum, quia est bonum physicum;vt latè ostendimus *de Vol.q.*5.*art.*4.

2 Quòd autem ex eo, quòd Deus prædefiniat entitatem physicam peccati, non sequatur, quòd peccatum formaliter sumptum secundùm deformitatem moralem subijciatur Diuinæ pro-

uidentiæ, manifestum est;nam alio modo subijcitur prouidentiæ entitas physica, quæ causatur ab illa;& deformitas moralis,quę non causatur, sed tantùm permittitur, & ordinatur vel in pœnam ex iustitia, vel in bonum ex misericordia. Tum quia licèt entitas physica non causaretur à Deo,adhoc tamen ordinaretur;quia licèt deformitas moralis non causetur, adhuc tamen ordinatur; ergo nimis disparatè, & confusè loquuntur *isti Recentes*,cùm ex prædefinitione entitatis physicæ ipsius peccati arguunt peccata subdi Diuinæ prouidentiæ.Igitur his dimissis.

3 Entitatem physicam substratam peccato, prout physicè bona est, & prout indifferens ad bonitatem, vel malitiam moralem ordinari à prouidentia Dei, probatur illis rationibus, quibus *art.* 1. ostendimus omnia entia positiua subijci Diuinæ prouidentiæ;talis enim entitas physicè accepta est quid positiuum,reale, bonum,& consequēter ordinabile ad bonum finem. Quod magis explicatur.Certum est totum Vniuersum ordinari à Dei prouidentia ad suam bonitatem quæ est sui diffusiua;ergo partes Vniuersi,prout ordinantur in toto (sic enim ordinantur ratione totius, vt diximus *q.*1. *art.*1. *n.* 3.) ordinantur in finem totius; sed entitas physica,prout physicè bona,est pars Vniuersi;quælibet enim entitas positiua est pars illius; ergo entitas physica ordinatur ad bonitatem Diuinam, vt est sui ipsius diffusiua;& ideo entitas substrata peccato,cùm sit entitas physica physicè bona, ordinatur ad Diuinam bonitatem.

4 Conf. *ex Fund.Doct.in* 1.*dist.*46.*princ.*2. *q.*3.*in princ.* Ad perfectionem, & decorem Vniuersi spectat in illo esse naturas liberas ab intrinseco defectibiles indifferētes ad bonitatem, vel malitiam moralem; perfectio enim, & decor Vniuersi postulat,vt constet ex varietate naturarum; quæ si tolleretur, tolleretur pariter perfectio,& decor illius;ergo ad perfectionem,& decorē Vniuersi spectat in illo esse entitates physicè bonas indifferentes ab bonitatem, vel malitiam;per quas naturæ liberę defectibiles possunt tendere in bonum,& malum; efficere, & deficere;atqui istæ entitates sunt illæ, quæ substernuntur deformitati morali; ergo ad perfectionem,& decorem Vniuersi spectat dari entitates physicè bonas substratas peccaris.Tunc sic. Omne illud, quod facit ad perfectionem, & decorem Vniuersi,est ordinatum à Diuina prouidentia in ostensionem Diuinæ bonitatis,ad quam ordinatum est ipsum Vniuersum; partes enim in toto ordinārur ordinatione totius; sed entitates substratæ peccatis faciunt ad perfectionem, & decorem illius;ergo sunt ordinatæ à Diuina prouidentia. *Hoc igitur supp.*

5 Quoad principale quæsitum not.id,quòd diximus *art.*1. *n.* 4; quòd scilicet tripliciter aliquod subijci potest Diuinæ prouidentiæ. 1. Ratione causalitatis;& hoc modo peccata illi non subdūtur;quia Deus nō est causa peccati. 2. Ratione permissionis. 3. Ratione ordinationis ad bonitatem Diuinam, quæ est obiectum primarium prouidentiæ sub ratione ordinabilitatis, vt diximus superiùs.

6 Bonitas autem Diuina, prout spectat ad præsens,alia est bonitas misericordię; & alia bonitas iustitiæ;istæ enim sunt duę virtutes,quibus perficitur rectum gubernium Vniuersitatis, in ordine ad quod datur prouidentia generalis. In Mundo igitur alia ordinantur ad ostensionem bonitatis misericordiæ;& hæc vel dónantur misericorditer à Deo,vt opera bona;vel remittuntur, & condonantur, vt opera mala non finalia, quæ permittuntur, aut vt à misericordia absoluantur; aut vt ex illis occasionaliter eliciantur opera bona; vt peccatum originale, quod fuit occasio Incarnationis, quæ est eminentissimum bonum inter omnia bona; & alia peccata actualia, vt eliciantur opera humilitatis, pænitentiæ &c. Si autem sint peccata finalia,licèt in illis, in quibus sunt peccata,ordinentur ad bonum iustitiæ; in alijs autem possunt esse occasio boni; vt persecutio Tyranni, quæ ordinatur ad Martyriū Innocentis,quod est bonum excellens.

Permissio autem,& ordinatio ita se habēt, vt permissio antecedat ordinationem; in tantùm enim ordinat mala,quia permisit,non è contra.

7 Vnica concl.Peccata etiam secundùm deformitatem subduntur Diuinæ prouidentiæ,non quidem causaliter,sed permissiuè, & ordinatiuè.

Prob.1.*ex Beatiss.P.lib.*1.*de Ord.c.*7; vbi ait: *An paruus rerum ordo tibi videtur, vt & bona Deus diligat, & non diligat mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit Deus; ipsum tamen ordinem diligit;hoc ipsum enim diligit diligere bona, & non diligere mala, quod est magni ordinis,& Diuinæ dispositionis.Qui ordo,atque dispositio, quia Vniuersitatis congruentiam ipsa distinctione custodit,fit, vt mala etiam esse necesse sit.* Ex quo sic arguit *Fund.Doct. hic.* Illa cadunt sub Diuina prouidentia, quæ cadunt sub ordine in finem ipsius prouidentiæ;sed peccata secundū deformitatē moralem sunt huiusmodi; ergo cadunt sub Diuina prouidentia. Ma.patet; nam prouidentia est *ratio ordinandorum in finem*; ergo omnia ea, quæ sunt ordinabilia in finem, respiciuntur à Diuina prouidentia. Prob.mi. Peccata secundùm deformitatem formalem non diliguntur à Deo, quia sunt mala; sed quæ non diliguntur à Deo,ordinantur in pœnam, quæ est ostensiua iustitiæ,sicut illa, quæ diliguntur,ordinantur in præmium, quod est manifestatiuum bonitatis;ergo peccata secundùm deformitatem formalem cadunt sub ordine in finem ipsius prouidentiæ.

8 *Et in ps.*7. loquens *de hæreticis* ait: *Propterea Diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est.Non quia ipsa peccatores facit,sed quia ipsa ordinat,cùm peccauerint.* Ex quo sic arguitur. Iudex

Iudex, cùm ordinat reos in mortem, vel in absolutionem, nō facit reos, nec peccat, quia exercet actum iustitiæ, vel misericordiæ, qui nequit esse malus, cùm sit essentialiter bonus; sed Deo tribuēdus est omnis actus virtutis, quia dicit perfectionem simpliciter simplicem, quæ necessariò ponenda est in Deo, in quo est omnis perfectio; ergo Deus ordinat creaturas in mortē per iustitiam, vel in vitam per misericordiam; sed hæc ordinatio est effectus formalis prouidentiæ; ergo peccata secundùm deformitatem formalem cadunt sub Dei prouidentia.

9 Conf. Ordo in bonum finem formaliter sumptus post bonitatem Dei est primum, & maximum bonum, vt ait etiam *Phil*; sed id, quod nullam dicit imperfectionem in suo conceptu formali, potest esse à Deo; ergo ordo in finem bonum formaliter sumptus potest esse à Deo; sed peccata secundùm deformitatem moralem sunt ordinabilia in bonum finem, quia sunt ordinabilia in finem iustitiæ, vel in finem misericordiæ, quatenus sunt motiuū humilitatis, pænitentiæ &c; ergo peccata secundùm deformitatē possunt ordinari à Deo in bonum finem; & ideo cadunt sub prouidentia, cuius effectus formalis est ipse ordo. Mi. patet; nam Deo tribuendum est, quidquid non dicit imperfectionem. Prob. ma. Ordo in malum finem dicit imperfectionē; ergo ordo in finem bonum dicit perfectionem; sicut enim à fine malo habetur malitia actus; ita à fine bono habetur bonitas actus; quia *oppositorū opposita sunt rationes*.

10 Prob.2. *à Fund. Doct.* Peccata secundùm deformitatem formalem permittuntur à Deo sciente, & volente permittere; ergo à Deo ordinantur in aliquem finem, & ideo cadunt sub illius prouidentia. Ant. patet; nam permissio est actus voluntatis Dei, qui necessariò supponit cognitionem illius, quod permittitur; item permissio est respectu deformitatis moralis, quia entitas physica efficienter causatur à Deo, non autem permittitur; & actus voluntatis Dei est à Deo, vt volente; non enim Deus permittit inuitus. Prob. conf. Agens summè prouidum ordinat omnes suos actus in aliquem finem, aliter non esset summè prouidum, sed irrationabiliter ageret, quia non ageret propter finem; ergo ordinat etiam obiecta illorum actuum in aliquem finem; actus enim, & obiecta vel dicunt relationem, vel saltem important modum relatiuum; & ideo sortiuntur eundem ordinem, quia relatio ordo est, v.g. Si quis ordinet suam intentionem ad sumendam medicinam propter sanitatem, nedum intentio, sed etiam medicina, quæ est obiectum intentionis, ordinatur ad sanitatem; hæc enim est natura relatiuorum; sed Deus est agens summè prouidum; ergo ordinat omnes suos actus, & eorum obiecta in aliquem finem, & ideo ordinat etiam deformitatem moralem, quę est obiectum permissionis, in aliquem finem; & ideo deformitas moralis cadit sub prouidentia.

11 Obijc. 1. Peccatum est aliquid simpliciter inordinatum, quia est formaliter deordinatio à prima regula, & à prima bonitate; ergo non cadit formaliter sub Diuina prouidentia, sub qua non cadunt, nisi ea, quę sunt formaliter ordinata, cùm prouidentia sit ratio formaliter ordinans ea, quæ cadunt sub illa.

Resp. dist. ant. Peccatum est aliquid simpliciter inordinatum respectu voluntatis creatæ deuiantis à prima regula bonitatis, conc; respectu voluntatis Diuinę ordinantis illud in bonum iustitiæ, vel misericordiæ, neg. Ad prob. infert. dicitur, quòd peccatum definitur deordinatio per ordinem ad voluntatem creatam committētem peccatum, non autem per ordinem ad voluntatem Dei permittentem, & illud ordinantem, vel in bonum iustitiæ, vel in bonum misercordiæ. Sicut homicidium v.g; si referatur ad homicidā, est quid deordinatum à charitate proximi; si verò referatur ad voluntatem Iudicis punientis, vel absoluentis, est quid ordinatum ad iustitiam, vel misericordiam.

12 Obijc.2. *Oppositorum opposita sunt rationes*; sed opera bona, quæ opponuntur peccatis, cadunt sub Dei prouidentia; ergo peccata, quæ opponuntur operibus bonis, Diuinam prouidētiam effugiūt. Ma. patet; nam si opposita non haberent rationes differentiales oppositas, non essent opposita. Prob. mi. Opera bona concordant cum prima regula bonitatis, & peccata discordant; sed concordare, & discordare sunt opposita; ergo peccata, & opera bona sunt opposita.

Resp. dist. mi. Peccata opponuntur operibus bonis, quatenus eliciuntur à voluntate peccatoris, conc; quatenus referuntur à voluntate supremi Prouisoris in bonum finem, neg; in hoc enim peccata, & opera bona conueniunt.

13 Obijc.4. Illud non cadit sub Dei prouidentia, quod euenit præter intentionem illius; sed peccata eueniunt præter intentionem Dei, aliter Deus intenderet peccata, & illa vellet formaliter, quia intentio est formalis volitio; illud enim intenditur, quod non euenit prēter intentionem; nam quod non euenit præter intentionem, euenit iuxta intentionem, & quod euenit iuxta intentionem, intenditur; Deus autem nequit formaliter intendere, & velle peccatum; aliter esset causa peccati; ergo peccata non cadunt sub Dei prouidentia.

Resp. dist. mi. Peccata eueniunt præter intentionem positiuam explicatam per modum affirmationis, conc, præter intentionem permissiuam explicatam per modum negationis, qua scilicet vult non impedire peccata, neg. Et sic ad illud, quod subditur, dicitur, quòd intentio duplex est; alia causatiua rei, & hęc non est in Deo respectu peccatorum; sic enim esset causa illorū; alia permissiua, & ordinatiua, & hęc est in Deo; absque eo, quòd sit causa eorum.

DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM.

PRæaltiſſimæ profundum abyſſus ingredimur; in qua ſuperbus Elephas mergitur, & humilis Agnus ſicco tranſit veſtigio; ſunt enim (inquit *Pſaltes*) *abyſſus multa* inſcrutabilia Dei iudicia. Aeternæ portus ſalutis humanæ cæcitati prorſus abſconditur; non videtur, niſi cùm tenetur; antequam teneatur, etſi certiſſimus ſit, incerto ſemper pertentatur euentu. Inter denſiſſimas difficultatum vmbras mens perplexa cæcutit; exuberantium aquarum vorticibus naturę lumen extinguitur; fluctuat ratio peritura, ſi explorare audeat pericula. Obſcuriſſima nox lucem illam inuoluit; per totam huius vitæ noctem laboratur, & nihil capitur. Niſi audiamus vocem Dei: *Duc in altum*; ſine Duce ſubmergimur: *Mittite in dexteram nauigij rete*; idèſt in dexteram, ad quam ſedebunt electi, dirigamus rationem, humani reticula ſermonis magnorum piſcium, nempe profundorum myſteriorum grauitate diſrumpitur. Procelloſo hoc in pelago, ſi dormiat Magiſter, iactamur fluctibus, incumbit naufragium. Sola eius doctrina veros Fidei facit Diſcipulos ventis humanæ ambitionis diſperſis, tumultuantium cogitationum compoſitis fluctibus ſinuoſos huius myſticæ abyſſus gurgites tuta tranſuadare nauicula. *Diuinis* igitur *Scripturis*, in quibus cæleſtis exaratur doctrina, inſiſtemus tantummodò, ne vanus ſit nobis labor cum plurimis. Et cùm earum ſublimitas noſtræ mentis humilitatem tranſcendat, *Beatiſſ. Pater Eccleſiæ Magiſter* ad illarum intelligentiam perducet; & *DD. Columna* fundamentali ſuffulti in profundum non ruere, ſed in altum ducere ſperabimus; Deo gratias de ijs agentes, quę percepimus; & orantes, vt ea, quæ non apprehendimus, inſpiret; docet enim *Beatiſs. P. de Dono Perſeu. c. 24. Qui legunt hæc, ſi intelligunt, agant Deo gratias; qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille ſit Doctor interior; à cuius facie eſt ſcientia, & intellectus. Prou. 2. iuxta Interpretes.*

QVÆST. I.

De exiſtentia, & eſſentia Prædeſtinationis.

DEclaranda, & ſtatuenda eſt in ipſo limine huius tractatus definitio prędeſtinationis; ex ipſa enim inferuntur plures concluſiones; cùm definitio ſit optimum medium ad definiendas plures veritates, quę circa illa controuertuntur. Cùm autem ad prędeſtinationem plures actus concurrant tum intellectus, cum voluntatis; ideo videndum, quinam ſe habeant de formali, & quid de materiali vel pręſuppoſitiuè, vel concomitanter, vel conſecutiuè.

ART. I.

An Prædeſtinatio ſit actus formaliter in Deo exiſtens?

1 PRędeſtinatio duplicitet ſumitur, vt notat *Fundatiſſ. Doct. hic diſt. 40. princ. 2. q. 1. art. 1*; ſcilicet actiuè, & paſſiuè. Actiuè ſignificat actum immanentem ipſius Dei ordinantem creaturas rationales in finem ſupernaturalem, qui eſt gloria, ſeu vita ęterna. Paſſiuè ſignificat actualem executionem, qua creatura conſequitur gloriam in tempore.

2 Actus autem ipſius Dei ſunt in triplici differentia, vt aduertit *hic ad 2; & latè diſt. 39. princ. 1. q. 1.* Alij ſunt ſimpliciter immanentes; qui reſpiciunt obiectum omnino intra Deum; vt cognitio, & amor, quibus Deus cognoſcit, & amat ſe ipſum. Alij ſunt ſimpliciter tranſeuntes, qui reſpiciunt actualem productionem rei extra Deum, vt actualis creatio. Alij partim immanentes, & partim tranſeuntes; quia ſunt de genere actuum immanentium, ſed reſpiciunt obiectum ponendum ad extra; vt cognitio, & amor creaturarum; nam cognitio, & amor ſunt de genere actionum immanentium, vt patet; attamen reſpiciunt creaturas ponēdas extra Deum in tempore. Sic denominatio ſequens ad actionem Dei triplex eſt; alia quæ fundatur in actione ſimpliciter immanenti; & hęc conuenit Deo ab æterno, quia illa actio eſt quid ęternum ab ęterno in Deo exiſtens; alia, quę fundatur in actione ſimpliciter externa; & hęc conuenit Deo tantùm in tempore; vt denominatio Creatoris, Domini &c; & alia, quę fundatur in actione partim immanenti, & partim tranſeunte; & hæc, ſi ſumatur actiuè, conuenit Deo ab æterno, ſi verò paſſiuè, illi tantùm conuenit in tempore. Quia tamen talis actio ſecundùm ſuum conceptum eſſentialem ſpecificum eſt immanens; quia eſt actus intellectus, & voluntatis, ideo ſimpliciter conuenit Deo ab æterno; quapropter Deus ab æterno dicitur ſciens, volens &c; quanuis creatura, quæ ſcitur, & amatur, non ponatur ſub eſſe actuali, niſi in tempore. Ita prædeſtinatio, quanuis reſpiciat ſolas creaturas ponendas in tempore ſub eſſe actuali, vt *inf.* videbimus; attamen, quia eſt de genere actionum immanentium; eſt enim actus intellectus, vel voluntatis, *de quo inferiùs*; ideo ſimpliciter, & principaliter ſignificat actum immanentem in Deo exiſtentem ab æterno illi conuenientem.

3 Vnica concl. Prædestinatio actiuè sumpta est actus formaliter in Deo existens. Est de Fide; habetur enim *Rom.* 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit. Et Ephes.* 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum Dei. Et ibid. Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.* Sup.quod *Beatiss.P. de Præd. SS. c.*18.ait: *Elegit Deus in Christo ante Mundi constitutionem membra eius, & quomodò eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando?* Ex quibus sic. Prædestinatio fuit ante Mundi constitutionem, vt docet *Apostolus*; sed ante Mundi constitutionem nulla erat creatura; nomine enim Mundi intelliguntur omnes creaturę, seu Vniuersitas creaturarum; ergo prędestinatio erat solùm in Deo; nihil aliud namque extra Deum, & creaturas potest reperiri; & ideo prædestinatio significat formaliter aliquod in Deo existens; sed actus existens in Deo habēs pro obiecto creaturas nequit esse ipsa creatura eminenter contenta; cognitio enim, & volitio creaturarum non sunt ipsæ creaturę cognitæ, & volitæ, sed sunt actus Diuini proprij ipsius Dei formaliter in illo existētes, vt patet; ergo prędestinatio actiuè sumpta est actus existens in Deo formaliter.

4 Prob.2. *ex Fundatiss.Doct.* Prædestinatio formaliter importat prouidentiam specialem creaturæ rationalis in finem supernaturalem; sed hæc prouidentia specialis est formaliter in Deo; ergo prædestinatio formaliter sumpta est formaliter in Deo. Ma.patebit *in seq.art*; nomine enim prædestinationis intelligitur ordinatio creaturæ rationalis in vitam æternam. Prob. mi. In Deo datur formaliter prouidentia generalis, qua Deus, vt Auctor naturæ, ordinat omnes creaturas in suum finem naturalem; vt diximus *in sup.Tract.q.*1.*ar.*1; est enim actus intellectus nullam imperfectionem inuoluens in suo conceptu essentiali; ergo in Deo datur formaliter prouidentia specialis, qua Deus, vt Auctor gratiæ, ordinat creaturas rationales in finem supernaturalem; nam in tantùm datur in Deo formaliter prouidentia generalis, in quantùm, vt est Auctor naturæ, est agens sapientissimum, & prudentissimum omnia ratione condens, disponens, & ordinans; sed etiam, vt est Auctor gratiæ, est agens sapientissimum, & prudentissimum omnia ratione condens, disponens, & ordinans; ergo in Deo datur formaliter prouidentia specialis erga creaturas rationales in finem supernaturalem.

5 Conf. *ex eodem.* Ita sehabet Deus respectu Vniuersi, sicut Paterfamilias respectu suæ domus; dicitur enim Deus *in Sanctis Scripturis Pater cælestis, Pater futuri seculi, Pater noster, qui es in Cælis*; sed Paterfamilias priùs disponit, & ordinat in se ipso, antequam talem dispositionem, & ordinem mandet executioni, suos filios iuxta eorum capacitatem, alios quidem ad virtutes, alios ad arma &c; ergo Deus ab æterno disposuit, & ordinauit in se ipso omnes suas creaturas iuxta earum capacitatem; atqui creaturæ rationales sunt capaces vitæ æternæ, quæ est finis supernaturalis; sunt enim capaces visionis beatæ per vires supernaturales; ergo Deus ab æterno ordinauit creaturas rationales in finem supernaturalem; & per consequens prædestinatio, quæ consistit in tali ordinatione, est formaliter in Deo ab æterno.

6 Prob.3. *ex eodem ibid.* ratione à posteriori. Creatura rationalis consequitur in tempore vitam ęternam, vt docet Fides Catholica; ergo in Deo datur formaliter prædestinatio; nam creatura rationalis nequit consequi vitam æternam per media naturalia, quia hæc sunt omnino improportionata; ergo illam consequitur per media supernaturalia; sed nequit habere, nisi à Deo, media supernaturalia; cùm solus Deus sit agens supra naturam; ergo à Deo per talia media ordinatur in finem supernaturalem; res enim ab eo ordinatur in aliquē finē, à quo accipit media, per quę dirigitur ad consecutionē illius, & per cōsequēs in Deo est formaliter prędestinatio, quę in tali ordinatione cōsistit; sicut nāq; ordinatio actiuè sūpta est in ordinante, quia sic accepta dicit actū intellectus imponentis ordinem rebus; & actus intellectus est formaliter in intellectu, cùm essentialiter sit actio immanens; ita prædestinatio actiuè sumpta, quæ est idem formaliter, ac ordinatio creaturæ rationalis in finem supernaturalem, actiuè sumpta est in Deo formaliter, quia dicit actum Diuini intellectus imponentis ordinem supernaturalem creaturis rationalibus, vt *inf.* ostendemus.

7 Tandem prob. ratione communi. Deus est summè bonus nedum in ordine naturali, verumetiam in ordine supernaturali; sed quatenus est summè bonus in ordine naturali, ordinat creaturas irrationales ad finem naturalem; ergo, quatenus est summè bonus in ordine supernaturali, ordinat creaturas rationales ad finem supernaturalem. Sed ordinatio, qua Deus ordinat creaturas irrationales ad finem naturalem, est formaliter in illo, est enim prouidētia generalis; ergo & ordinatio, qua ordinat creaturas rationales ad finem supernaturalem; quæ ordinatio est prędestinatio.

8 Obijc. 1. Beneficia, quæ Deus confert creaturis, sunt reuelata à Spiritu Sancto *in Scripturis*; dicitur enim 1. *Cor.* 2. *Accepimus Spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis*; sed prædestinatio non est nobis reuelata; & aliunde esset maximum beneficium; ergo non datur in Deo.

Resp. dist.ma. Beneficia Dei sunt reuelata in specie, & in communi, conc; in indiuiduo, & in particulari, subdist. Omnibus, & singulis creaturis, neg; aliquibus tantùm, conc; gratia enim sine dubio est beneficium Dei; & reuelatum est nobis, quòd Deus illam nobis præparauit;

sit; hæc tamen reuelatio non est facta cuilibet nostrum in particulari, sed tantùm in communi; nullus enim nostrum in particulari certò scire potest,an sit in gratia,vel non;an amore,vel odio dignus sit, vt loquitur *Beatiss. P. Aug; & ex illo D. Bern.*

9 Objic. 2. Prædestinatio est in prædestinato; forma enim denominans est in re denominata;tum quia creatio est in creatura,non in Deo; tum quia respicit creaturas, quæ sunt aliquid temporale; ergo prædestinatio non est formaliter in Deo,sed in creatura.

Resp.*B.Doct.*neg.ant; prędestinatio enim est forma denominans extrinseca, sicut visio denominat parietem extrinsecè visum. Ad aliud dicitur, quòd creatio est actio simpliciter transiens,ideo est formaliter in creatura; quanuis si sumatur, prout importat actum secundum, per quē omnipotentia constituitur intrinsecè actualiter vltimatè potens causare, sit intrinsecè in Deo.At verò prædestinatio est actus immanens, cùm sit actus intellectus;vt *inf.* ostendemus. Ad vlt. dicitur, quòd respicit creaturas in esse futuritionis ponendas suo tempore extra Deum; sicut dicimus de scientia visionis futuritio autem est ab ęterno.

10 Collig. ex dictis actualem consecutionē vitæ æternę importari à prędestinatione tantùm ex consequenti; nam ita se habet prædestinatio, quæ est prouidentia specialis,ad finem supernaturalem; sicut prouidentia generalis ad finem naturalem; sed hæc importat solùm ex consequenti consecutionem actualem finis naturalis, vt diximus *de Prouid. q.1. art.2*;ergo à pari.

ART. II.

Explicantur duæ definitiones Prædestinationis tradita à Beatiss.P.Aug;dissonaque Recentiorum expositiones reijciuntur.

1 Res, quam proponimus, operosè tractanda est; ex ea enim pendet plurimarum difficultatum solutio. Et sicuti *in Tract. de Scient.q.4.art.1;& de Vol.q.5.art.2.* ostendimus *omnes Recentiores* communiter mentem *Beatiss.P.*circa gratiæ actualis quiditatem inaniter interpretari;ita de prædestinatione, quę est præparatio gratię, conformiter est loquendum; ideo eorum expositiones,tāquam alienæ ab eius mente,sunt nobis cauendæ.

2 Antequam tamen has definitiones afferamus, aliquid circa nominis ethimologiam est explicandum.

Hoc nomen *prædestinatio* 2. sumi potest; vt notat *B.Doct. in 1.dist.40.princ.1. q.1.art.2*; scilicet in quadam lata significatione;& secundū proprium vsum loquendi. Tunc sumitur latè, quando accipitur pro ordinatione cuiuscunque creaturæ in suum finem siue naturalem, siue supernaturalem; & in hoc sensu *prædestinatio* non distinguitur à prouidentia generali; ac propterea etiam damnati vocantur prædestinati, cùm etiam ipsi ordinentur in suum finē, qui est ostēsio iustitiæ. Ita hoc nomen *præscitus* latè sumptum conuenit etiam prædestinatis, cùm etiam ipsi præsciantur iuxta illud *Rom.8. Quos præsciuit, & prædestinauit*. Tunc sumitur propriè secundùm vsum huius vocabuli communiter acceptum, quando accipitur pro ordinatione creaturæ rationalis per media supernaturalia in finem supernaturalem; & in hoc sensu *prædestinatio* conuenit solùm electis.

3 Et quanuis varijs nominibus appellentur Beati,& Damnati *in Scripturis*; illi enim dicuntur *Electi*; isti verò *Reprobi*; illi *Vasa misericordiæ,seu in honorem*,isti *Vasa iræ,seu in contumeliam*,illi *Agni*; isti *Hædi*; à Theologis tamen illi vocantur *prædestinati*; isti autem *præsciti*; in hoc enim distinguitur prędestinatio à præscientia; quòd prædestinatio est causa mediorum in electis;dicitur enim *præparatio mediorum*;pręscientia autem potest non esse causa mediorum, quibus creaturæ ordinantur ad suum finem; nam media, quibus Damnati consequuntur ignem ęternum,sunt peccata, quæ nō causantur à Deo; quapropter docet *Beat. P*; vt diximus *de Scient. q.3.art.7.n.3.Prædestinatio est,quæ sine præscientia non potest esse,potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit,quæ fuerat ipse facturus.Vnde dictum est. Fecit, quæ ventura sunt. Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit,sicut quæcunque peccata.* Igitur pręscientia prędestinans,seu causans media est sola prędestinatio;pręscientia autem non causans media est sola reprobatio; ex quo factum fuit, vt hoc nomen *prædestinatio* aquisierit vsum applicandi solis electis,qui *prædestinati* vocantur; & hoc nomen *præscientia* applicetur solis reprobis; qui *præsciti* dicuntur. *Vid.Fūd.Doct.in Opusc.de Præsc; & Prædest.c.1.*

5 Tandem hoc nomen *Prædestino* componitur ex duobus;scilicet ex particula *præ*,& verbo *destino*. Illa significat anterioritatem æternitatis, in qua est actus Dei ordinans creaturas in vitam æternam,ad tempus,in quo existunt à parte rei creaturæ.Verbum autem *destino* significat idem, ac *ordino*, seu *dirigo*, vbi enim *Latini* scribunt *destino*; *Græci* habent *orizo*,quod significat *ordino*; hinc *Beatiss.P.lib.5. Confess.c.9*.ait: *Faciebas ordine, quo prædestinaueras esse faciendum*; vnde *prædestino* ponitur *à Latinis*; *à Græcis* verò *praorizo*. Ex quo habetur, quòd hoc nomen *prædestino* secundùm suam propriam, & germanam ethimologiam idem est, ac *praordino*; seu *prædirigo*;& ideo *Act.13.prædestinati* vocantur *præordinati in vitam æternam*. Hoc docet *Fundatiss.Doct.in Epist.ad Rom.c.1.lect.1.dub.1; & c.8. lect.26*; vbi concludit quòd *prædestinare idem est,ac prædirigere*,seu ordinare.

5 Igitur definitur *prædestinatio* quoad quid nominis: *Est præordinatio, seu prædirectio creatura*

turæ rationalis per media supernaturalia in finem supernaturalem.

6 Duæ autem definitiones quoad quid rei traduntur *à Beatiss.P;* quæ communiter circunferuntur ab omnibus Theologis. Prima sumitur *de Dono Perseu.c.14.* vbi dicitur: *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Hanc tradit *Fund. Doct. in hac dist. 40. princ. 1. art.1. §. In contrarium.* Secunda sumitur *de Prædest.SS. c.10;* vbi docet: *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Hanc explicat *Fund.Doct.vbis.art.2. ad 3; & in Epist. ad Rom.c.1.lect.2.dub.1;2; & 3.*

7 Certum est secundam definitionem nihil aliud esse, nisi explicationem primæ definitionis; beneficia enim, quæ homini à Deo præparantur, sunt gratia in hac vita, & gloria in alia, ita, vt gratia sit medium ad gloriam aquirendam; & gloria sit finis aquirendus per gratiam. Igitur illæ particulæ *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei* stant loco generis; in hoc enim conuenit prædestinatio cum prouidentia generali; nam prouidentia generalis per voluntatem antecedentem præparat hominibus auxilia generalia, quę sunt Dei beneficia; vt diximus *de Vol.Dei q.3. art.4.* Per illam particulam *certissimè* innuitur infallibillitas prędestinationis; & per reliquas *liberantur, quicunque liberantur,* differt prędestinatio à prouidētia generali; quia indicatur vita ęterna, quæ est vera libertas à peccato, quæ competit filijs Dei glorificatis, qui non poterunt amplius seruire peccato; vt docet *idem Beatiss.P. lib.22. de Ciu.c.30; & locis cit.de Vol.q.2. art.1.§.1.n.3.*

8 Duo principaliores modi explicandi allatam definitionem afferuntur *à Recentioribus* conformiter ad eorum principia. *PP. Societ. apud Fasol.1.p.q.23. art.1. dub.1. n.13.* volunt nomine *præscientiæ* intelligi scientiam mediam; qua Deus conditionatè præuidet consensum nostrę voluntatis; qua supposita pręscientia statim Deus decernit dare auxilia efficacia; quapropter tenent pędestinationē esse ex præuisione meritorum in esse conditionato. E contra verò *PP. Thomistæ recentiores* volunt nomine præscientiæ intelligi scientiam causatiuam auxilij supernaturalis prędeterminantis voluntatem ad opera bona; putant enim gratiam dari per modum principij effectiui ipsorum operum bonorum. Et quanuis isti modi dicendi sufficienter reiecti sint *de Scient.Dei q.4.art.1; & de Vol. q.5.art.2;* tanquam dissoni doctrinæ *Beatiss.P;* attamen rursus *hic* sunt agitandi; vt magis appareat veritas nostræ sententiæ.

9 Impugnatur primus modus dicendi. 1. *Beatiss.P.in eodem c.14.de Dono Persev;* vbi tradit hanc definitionem, apertè loquitur de præscientia suorum beneficiorum, quibus nos dignatur liberare; ait enim: *Quæ vtique si præscivit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit;* sed nomine beneficiorum intelligit *gratiam in præsenti, & gloriam in futuro,* vt explicat in secunda definitione; ergo apertè loquitur de præscientia gratiæ, & glorię, quas ipse daturus est. Sed pręscientia gratię, & gloriæ, quam Deus daturus est, non est scientia media; tum quia scientia media est pręscientia consensus in voluntate creata, si ponatur sub tali gratia, & sub talibus circunstantijs, talis autem consensus *per Aduersarios* non est gratia, sed consensus ad gratiam; & multò minùs est gloria, vt de se manifestum est; tum quia scientia media per eosdem antecedit intentionem efficacem dandi gloriam; volunt enim solùm decernere dare gloriam post præuisionē talis consensus; tum quia si talis consensus est gratia, & donum Dei, vt verè docet *Beatiss. P;* iam illum non cognoscit in voluntate creata, sed antecedenter præscit in sua voluntate; ridiculum enim est dicere, quòd Donator non cognoscat in sua voluntate dona, quę est clargiturus, sed solùm illa cognoscat in voluntatibus recipientium, postquam donata sunt; scientia autem media non est cognitio consēsus in voluntate Dei, sed in voluntate creata; ergo nomine præscientię non intelligit scientiam mediam.

10 *Et de Præd.SS.c.17.* expresè reijcit hāc pręscientiam his verbis: *Quòd profectò si propterea dictum est, quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam Præscientiam loquitur Filius dicens: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos; cùm hoc potiùs præsciuit Deus, quòd ipsi eum fuerant electuri, vt ab ipso merentur eligi. Electi sunt itaque ante Mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Ex quo sic. Scientia media est; qua Deus videt, & supponit voluntatem creatam positam sub talibus circunstantijs consensuram gratię, & crediturām; non autem qua Deus facit voluntatem consentientem, & credentem; nam scientia media non est operatiua, & practica; vt communiter sustinent; sed præscientia, qua Deus nos pędestinat iuxta doctrinam *Beatiss. P;* facit, non autem supponit voluntatem consentientem, & credentem; ergo nomine prę scientię non intelligit scientiam mediam.

11 Imò *c.18.seq.* docet verbis *Apostoli* illam præscientiam esse secundùm voluntatem Dei, non secundùm nostram; & ideo expresè reijcit scientiam mediam, quæ est præscientia secundùm voluntatem nostram, cùm sit cognitio nostri consensus, quanuis sub gratia Dei. Inquit autem: *In hoc mysterio voluntatis suæ posuit diuitias gratiæ suæ secundùm bonam volūtatem suam, non secundùm nostram, quæ bona esse non posset, nisi ipse secundùm bonam voluntatem suam, vt bona fieret, subueniret.* Et paulò post. *In quo sortem consecuti sumus prædestinati secundùm pro-*

propositum, non nostrum, sed eius, qui vniuersa operatur. Ex quo sic arguitur. Præscientia, quam posuit *Beatiss. P.* in definitione prædestinationis, est, qua Deus cognouit propositum voluntatis suæ, non autem propositum voluntatis nostræ; seu qua cognouit opus, quod ipse erat facturus, non quod erat factura nostra voluntas; sed sciẽtia, qua Deus cognouit propositum, & opus voluntatis suæ, non est scientia media; quia scientia media est, qua cognoscitur consensus voluntatis nostræ, quod est propositum, & opus nostræ voluntatis; ergo illa præscientia, quam posuit in definitione prædestinationis, non est sciẽtia media; & ideo quidquid sit, an vltra illam præscientiam debeat dari scientia media, de quo diximus *de Scient. q.4. art. vlt*; nobis sufficit, quòd nomine *præscientiæ* positæ in definitione prædestinationis non possit intelligi iuxta mentem *Beatiss. P.* scientia media.

Idem habet *c. 19. seq*; vbi ait: *Cùm ergo nos prædestinauit, opus suum præsciuit*; sed per scientiam mediam scitur opus nostrum, quia scitur noster consensus, ergo talis præscientia non est scientia media.

12 Dices. Licèt præscientia antecedat, & causet nostrum consensum in esse absoluto, illum tamen supponit in esse conditionato, & præuiso.

Sed contra est; nam vel Deus in esse conditionato; & præuiso cognoscit rem, sicut est futura in esse absoluto, vel aliter, ac est futura? Si primum; ergo cognoscit ipsam, vt posteriorem, & vt effectum sui ipsius, quia talis futura, est in esse absoluto. Si secundum; ergo Deus cognoscit res aliter, ac esse debent; quod est falsò cognoscere.

13 Hoc totum docuerat superiùs *c. 10.* dicens: *Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit, quæ fuerat ipse facturus; vnde dictum est. Fecit, quæ ventura sunt. Præscire autem potẽs est etiam, quæ ipse non facit; sicut quæcunque peccata.* Ex quo sic. In hoc distinguitur præscientia prædestinationis à pręscientia peccatorum; quòd illa facit id, quod pręscit; est enim secundùm gratiam electiuam, quę conuenit solis electis, vt docet *Apost*; ista verò, quæ conuenit reprobis, non facit peccata; sed scientia media non facit obiectum, vt dicunt *Aduersarij*; ergo præscientia posita in definitione prædestinationis non est scientia media.

14 Et paulò post loquens de promissione facta *Abrahæ* ait, quòd licèt homines faciant, quod Deus promisit, attamen non cognoscit, vt factum ab hominibus, sed vt factũ à se ipso, alioquin, vt Dei promissa complerẽtur, non in Dei, sed in hominum esset potestate; inquit ergo. *Non ait prædicere, non ait præscire; nam & aliena facta potest prædicere, & præscire; sed ait: Potens est, & facere; ac per hoc facta, non aliena, sed sua.* Sed sciẽntia media præscitur noster consensus, qui prout exit à nostra voluntate, est opus nostrum; ergo illa præsciẽtia non est scientia media.

15 Et manifestissimè hoc concludit *de Dono Perseu. c.18.* in fine; vbi docet: *Sed prædestinasse est hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus? Et c.19.* incipit. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos Verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Ex quo sic. Nomine præscientiæ electiuæ intelligit ipsam prædestinationem formaliter; sed nomine prædestinationis non intelligitur scientia media; ergo nomine pręscientiæ nequit intelligi scientia media.

16 Tandem *lib.1. ad Simpl. q.2.* docet, quòd si prædestinatio supponeret præuisionem nostri futuri consensus, non posset Deus prædestinare, quem vellet; nam supposito, quòd aliquis dissentiat, non posset illum prædestinare; ex quo sequeretur nostram prædestinationem aliquo modo pendere à nobis, & per consequens non esse donum merè gratuitum ipsius Dei; ergo nomine præscientiæ non intelligit scientiam mediam, sed præscientiam causatiuam nostri consensus independenter à nobis, & antecedenter ad nostram cooperationem. *Vid. quæ diximus locis vbi sup. cit.*

17 Secundus modus explicandi pariter est alienus ab eius mente; vt potest patere *ex dictis vbi sup*; & impugn. 1. ex iisdem auctoritatibus. Præscientia, quę ponitur in definitione prędestinationis, est causatiua operum bonorum, quibus fit bona nostra voluntas, vt diximus *n. 11*; sed opera bona, quibus fit bona nostra voluntas, sunt ipsi actus voluntatis; bonitas enim potentiæ sumitur ab actu; quia bonitas, & perfectio idem sunt; & perfectio potentiæ est ipse actus; ergo nomine præscientiæ positæ in definitione prędestinationis non intelligit *Beatiss. P.* scientiam causatiuam auxilij prædeterminantis voluntatem ad actum distincti realiter ab ipso actu; sed intelligit scientiam causatiuam ipsius actus boni à Deo inspirati.

18 Preterea *præscientia* est causa beneficiorum, seu donorum Dei, quæ per prędestinationem pręparantur prędestinatis; sed hæc dona, vt explicat idem *Sanctiss. P. de Grat. & lib. arb. c.6. & 7*; sunt opera nostra bona; ait enim *c.6. Si tibi à te ipso, non ab illo, sunt merita tua; hæc enim, si talia sunt, mala sunt: Quæ mala sunt, non coronat Deus, si autem bona sunt, Dei dona sunt. Et c. 7. Si ergo Dei dona sunt bona merita tua, non coronat Deus merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua*; ergo *præscientia*, quæ ponitur in definitione prædestinationis, non causat aliquod præuium ad actum bonum prædeterminãs voluntatem creatam ad illud, & effectiuũ illius.

19 Insuper *præscientia* prædestinatiua ita causat gratiam in præsenti, sicuti causat gloriam in

in futuro; eſt enim *præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro*; ſed gloriam in futuro non cauſat per aliquod præuium ad actum beatificū, ſed cauſat immediatè ipſum actum viſionis, & amoris beatifici; ergo non cauſat gratiam per aliquod præuium ad actum bonum, ſed immediatè ipſum actum bonum inſpirando. *Vid.de Scient.Dei vbiſ.& art.2; & de Vol.vbiſ.*

20 Supereſt igitur, quòd nomine *præſcientiæ* intelligit *Beatiſſ.P.* ſcientiam cauſatiuam operum bonorum immediatè intellectus, & voluntatis, & omnium donorum habitualium, ſeu virtutum ſupernaturalium, à quibus progrediuntur actus meritorij, qui ſunt media, quibus poſſumus conſequi vitam æternam, quæ etſi reddatur meritis, quia corona, & merces eſt; attamē etiam donum Dei eſt, quia ipſa merita ſunt dona; vt docet *Beatiſſ.P.de Grat.& lib.arb.c.8.*

21 Definitio autem prædeſtinationis, ſcilicet. *Eſt tranſmiſſio creaturæ rationalis in vitam æternam*, traditur ſolùm per ordinem ad id, quod prædeſtinatio inuoluit materialiter; nam tranſmiſſio eſt actus voluntatis, ſicut eſt propoſitum miſerendi; mittere enim eſt idem, ac mandare, quod eſt actus voluntatis.

Obiectiones autem *Aduerſariorum*, quæ cōgerunt ex eo, quòd ſi Deus antecedenter ad præuiſionē noſtri cōſenſus prædeſtinaret, videretur inſidiari reproborū ſaluti; & quòd non poſſet illos exprobrare, ſoluta ſunt *locis cit.* & nouiter ſoluentur inferiùs *in ſeq.q. art.3; & 4.* Ea verò, quibus probant *Thomiſtæ recentes* prædeterminationē phyſicam, ſufficienter excuſſa ſunt *vbiſ.*

§. I.

Quinam ſit finis prædeſtinationis?

22 Vidimus *in ſup. art.* quòd media conducentia ad finem prædeſtinationis ſunt opera noſtra bona, quæ, quatenus ſunt à Deo inſpirata, & nobis donata, ſunt dona, & beneficia, ſeu gratia actualis ipſius; nec non omnia dona habitualia, de quibus diſtinctè agemus *inf. q.4. per totam.* Modò inquirendum eſt, quinam ſit iſte finis ſupernaturalis, ad quē ordinat creaturas; vt exactiùs intelligatur definitio ipſius prædeſtinationis. Igitur.

23 Finis, prout ſpectat ad præſens, triplex eſt; ſcilicet finis *qui*, finis *quo*, & finis *cui*. Ratio huius diuiſionis eſt. Triplex eſt amor, quo tendimus in finem; ſcilicet amor ſimplicis beneuolentiæ, concupiſcentiæ, & amicitiæ; ergo triplex eſt finis ſpecificās, & diſtinguens illum triplicem amorem. Ant. communiter admittitur. Prob.conſ. nam diſtinctio actuum ſumitur ex diſtinctione obiectorum; ergo diſtinctio amoris rectè arguitur ex diſtinctione finis, qui eſt obiectum amoris. Sed finis *qui* eſt obiectum amoris ſimplicis beneuolentiæ; eſt enim ipſa bonitas, quę amatur in ſe ipſa propter ſe ipſam; & finis *quo*, qui vocatur etiam finis *cuius gratia*, eſt obiectū amoris concupiſcentiæ, eſt enim vltima operatio, qua poſſidetur res, quæ amatur propter ſe ipſam, quam operationem, ſeu poſſeſſionem concupiſcimus nobis, vel alteri; & finis *cui* eſt obiectum amoris amicitiæ; eſt enim perſona, cui amamus, & concupiſcimus illud bonum; ergo finis alius eſt *qui*, alius *quo*, & alius *cui*.

24 Quòd finis *qui* habeat veram rationem finis, & nullo modo ei competat eſſe medium, certum eſt apud omnes; ipſe enim eſt, qui amatur propter ſe, non propter aliud. Aliquam difficultatem faciunt *Nominales* de fine *quo*, & *cui*; nam vterque ordinatur ad finem *qui*; illud autē, quod ordinatur ad aliud, videtur habere rationem medij, non finis.

25 Ceterùm ordinari ad aliud ſtat dupliciter. 1. Tanquam vtile ad conſecutionem illius, & in hoc conſiſtit formaliter medium, cuius bonitas eſt eſſentialiter vtilis. 2. Tanquam id, quo actualiter poſſidemus illud, vel tanquam ſubiectum conſecutiuum illius; & in hoc ſenſu ordinari non eſt eſſe medium. Nam corpus, quod ordinatur ad ſanitatem, nō eſt medium ad illam aquirendam; quia medium dicitur eo, quòd mediet inter ſubiectum aquirens finem, & finem aquirendum; ſic ſtudium dicitur mediū ad aquirendum Doctoratum, quia mediat inter perſonā laureandam, & ipſum Doctoratum; ipſa autem perſona nullo modo dicitur medium, quia non eſt aliud extremū, inter quod, & finem mediet. Sic actualis conſecutio finis non eſt medium, quia medium vtile eſt ad conſecutionem finis; ineptè autem conſecutio diceretur vtilis ſibi ipſi; cùm vtile eſſentialiter ſit ad alterum; ergo licèt conſecutio finis ordinetur, vt actus ad obiectū, ſeu finem *qui*; & perſona ordinetur, tāquam ſubiectum, nullo modo tamē poſſunt habere rationem medij, ſeu vtilis.

26 Dices. Actus eſt medium, quo potentia attingit obiectū; ſed conſecutio actualis finis eſt actus; ergo eſt verum medium, non finis. Tum quia nulla creatura poteſt eſſe vltimus finis ſimpliciter; cùm nulla creatura ſit ſummum bonum; ergo omnis creatura habet veram rationem medij; quodlibet enim vel eſt medium, vel eſt finis; quia bonum, quod conuertitur cum ente, adæquatè diuiditur in bonitatem finis, & medij; ſed illa conſecutio actualis eſt creatura; eſt enim actus formalis creaturæ; ergo habet veram rationem medij, non finis ſimpliciter vltimi.

Reſp.diſt. ma. Actus eſt medium ad finem, tanquam ad obiectum, conc; ad conſecutionem finis, neg; adhoc enim, vt ſit medium ad obiectū, ſufficit, quòd per ipſum attingatur obiectum; at verò adhoc, vt ſit medium ad conſecutionem finis, requiritur, quòd ſit vtile ad conſecutionem illius, ipſa autem conſecutio nequit eſſe vtilis ſibi ipſi, vt patet. Ad 2. diſt. ant. Nulla creatura poteſt eſſe vltimus finis *qui*, conc; hic enim finis debet

debet esse omne bonum, quod repugnat esse creaturam,vt diximus *de Beat.Obiect*;vltimus finis *quo*,neq; hic namque non debet esse omne bonum, sed sufficit, quòd sit id, per quod possidetur omne bonum.

27 Prętereà aduertendum est *ex Fundatiss. Doct.Quodl.3.q.3*;quòd finis *cuius*,seu *quo*,& finis *cui* integrant vnum finem totalem, & adæquatum, qui dicitur obiectum *quod*; sicut enim obiectum materiale,& formale scientiæ integrāt vnum obiectum *quod* totale, & adæquatum illius;ita finis *cui*, qui se habet,vt quid materiale, se habet enim,vt subiectū; & finis *quo*,seu *cuius*, qui se habet,vt quid formale; est enim actus dicens ordinem ad Deum, vt est vltimus finis *qui*, integrant vnum finem totalem, & adæquatum, qui est obiectum *quod* intentionis illius. Et ratio est.Quotiescunque pars materialis,& formalis vniuntur, tunc ex illis integratur vnum totū concretum,sicut ex materia, & forma integratur compositum; sed finis *cui* est pars materialis, & finis *quo*, seu *cuius* est pars formalis ipsius finis; ergo ex illis integratur vnus finis totalis,& adæquatus. *His not.*

28 Vnica concl. Finis *qui* prædestinationis est ipse Deus in ratione summi boni, finis *cui* est persona ordinata ad possessionem Dei in ratione summi boni;& finis *cuius quo*,est ipsa actualis glorificatio, seu possessio Dei in ratione summi boni.*Ita Fundatiss.Doct. Quodl.2.cit*;vbi docet, quòd persona prædestinata est quasi materia prædestinationis, ipse autem ordo, quem dicit persona prædestinata ad Deum prædestinantem, est quasi forma,seu ratio formalis.

Prob.1.*ex Beatiss. P.in ps.38*,vbi sup.illud: *Notum fac mihi Domine finem meum*;ait: *Finem, cui nihil deest;non cursum,qui mihi adest.Finem illum,quem currens intuebatur Apostolus*.Er paulò post.*Vnum autem,hoc est illud vnum: Domine ostende nobis Patrem,& sufficit nobis. Vnum autem, quæ & vna dicitur in alio ps. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in Domo Domini. Et lib.19.de Ciu.c.17.* docet, quòd solis temporalibus vtimur, tanquam medijs; æternis verò,quę expectamus,fruemur; frui autem non competit nisi fini. Ex quibus sic arguitur. Illa habent rationem finis vltimi simpliciter,quibus competit vltima,& summa quies,vltra quam nō est dabilis aliquis motus; hoc enim sonat hoc nomen *finis*;& ad quę inhiabat *Apostolus*,& quæ consistūt in ostensione clara Dei, per quam vltimò quietatur,& satiatur anima iuxta illud *ps.16. Satiabor, cùm apparuerit gloria eius*; & quæ sūt æterna;sed Deus,visio beata, & persona glorificata sunt huiusmodi; Deo enim,visioni beatæ,& personę glorificatæ competit summa quies, sūma satietas; & *Apostolus* nedum inhiabat ad Deum, sed ad visionem illius, & ad glorificationem suæ personæ;& Deus,visio, & persona glorificata sunt æterna, ergo ista tria habent rationem finis simplieiter vltimi.

29 Explicantur singulæ partes.Finis *qui*,est ille,qui possidetur per finem *quo*,vt diximus;sed illud,quod possidetur per visionem, & amorem beatum est Deus;ergo Deus est finis *qui* prędestinationis. Prętereà finis *quo*, est ille,per quem possidemus finem *qui*; sed amor beatus est ille, per quem possidemus formaliter Deum in ratione finis; ergo amor beatus est finis *quo* prædestinationis. Tandem finis *cui*, est ille, cui volumus finem *quo*; sed prædestinatio vult personis electis vitam beatam; ergo personæ electæ sunt finis *cui* prædestinationis.

30 Diximus autem, quòd finis *quo* potest etiam vocari finis *cuius*, qui tamen dicitur finis *cuius quo*, non autem finis *cuius qui*; nam sicuti finis *cuius qui* est ratio formalis propter quam tenditur in finem *qui*,quę ratio est summa bonitas,quatenus communicabilis creaturis sub ratione ordinabilitatis ad illam; à qua ratione formali mouetur, & specificatur Diuina prædestinatio; nullus enim actus formaliter Diuinus potest moueri, & specificari ab aliquo creato; ita finis *cuius quo* est ille ordo, quem dicit persona ordinata ad finem *cuius qui*, vt optimè aduertit *Fundatiss.Doct.*

31 Obijc. 1. Persona ordinatur ad gloriæ consecutionem; ergo non habet rationem finis simpliciter vltimi;nam de ratione finis simpliciter vltimi est non ordinari ad aliud.

Resp.dist.ant. Persona ordinatur ad glorię consecutionem tanquam pars materialis ad formalem, conc; tanquam medium vtile ad finem, neg;vt supra dictum est.

32 Obijc.2. Idem est obiectum prædestinationis, ac amoris, seu dilectionis; sed obiectum formale amoris est ipsa persona amata;ergo persona prædestinata non est obiectū materiale, sed formale prędestinationis.Prob.ma. Prędestinatio sępè *à Sanctis.P. dilectio Dei vocatur*; ergo idē est obiectum formale dilectionis, & prædestinationis. Mi. patet; nam amor amicitiæ habet pro obiecto formali personam.

Conf.Prædestinatio est quędam prouidentia specialis, vt diximus *ex Fund. Doct. in sup. Tract*; sed prouidentia habet pro obiecto formali personam,quia formaliter respicit personā prouisam;ergo prædestinatio habet pro obiecto formali, nō pro materiali personā prædestinatā.

Resp.ad arg.dist.ma.Prædestinatio & dilectio habent idem obiectum materiale,conc;formale,neg.Cùm enim prædestinatio, vt *inf.* videbimus,sit actus intellectus, & amor sit actus volūtatis, necesse est,vt habeant diuersum obiectū formale;implicat enim,quòd actus potētiæ speciè diuersę habeāt idem speciè obiectum formale.Ad prob.dicitur,quòd prædestinatio vocatur dilectio, sicut vocatur propositum miserendi tātùm materialiter secundùm illud, quod importat materialiter, non verò formaliter,cùm enim

præ-

prædestinatio supponat intentionem dandi gloriam; quæ est actus voluntatis, ideo potest appellari nomine actus voluntatis.

Ad conf. neg. mi; prouidentia enim respicit personam tanquam subiectum susceptiuum ordinationis in finem, & ideo tanquam obiectum materiale; ipsam autem ordinationem respicit tanquam obiectum formale.

33 Objic. 3. Prædestinatio Christi Domini respicit suppositum Verbi Diuini; respicit enim illud, quod est formaliter filius Dei iuxta illud *Rom.* 1. *Qui prædestinatus est filius Dei*; persona autē Verbi Diuini, non verò natura humana suscipit denominationē filiationis Dei, quia Christus est filius naturalis, non adoptiuus; sed suppositum Diuinum nequit esse obiectum materiale; ergo persona non est obiectum materiale prædestinationis.

Resp. *ex Fundatiss. Doct. in* 1. *dist.* 40. *princ.* 1. *q.* 2. *art.* 1. dist. ma. Prædestinatio Christi Domini respicit suppositum Verbi Diuini, quatenus supponitat naturam humanam, conc; quatenus supponitat naturam Diuinam, neg; sic enim est prædestinans, non prædestinatum, & eodem modo dist. mi. Suppositum Diuinum, quatenus supponitat naturam humanam, nequit esse obiectū materiale prędestinationis, neg; quatenus suppositat naturam Diuinam, conc. Igitur suppositum, quanuis sit vnum realiter in Christo, vt docet Ecclesia *contra Nestorium*, est tamen duplex virtualiter, quatenus supponitat duplicē naturā.

§. II.

Quibus conueniat prædestinari?

34 Diximus *in sup.* §. personam ordinatam esse subiectum prædestinationis; modò videndum restat, quænam personæ prædestinentur?

Not. *Fundatiss. Doct. in hac dist.* 40. *princ.* 1. *q.* 2. *art.* 1; quòd cùm prædestinatio, vt supra dictum est, sit ordinatio, seu directio entium in finem supernaturalem, qui est vita æterna, solis illis entibus competit prædestinari, quibus competit dirigi in vitam æternam. Igitur cùm vita æterna consistat in actibus intellectus, & voluntatis, illa enim est vita perfectissima, & per consequens intellectualis, quæ est perfectior in genere viuentium; ideo solis entibus intellectualibus conuenit prædestinari. Præterea cùm dirigi, seu ordinari ab alio ad aliquem finem importet aliquid supra vires proprias ipsius rei ordinatæ; in tantùm enim sagitta dirigitur à sagittāte in suum terminum, in quantùm per se ipsam per suam virtutem propriam nequit tendere in illum; & cùm solæ creaturæ nequeant tendere in vitam æternam per vires proprias naturales, ideo solæ creaturæ dicuntur prædestinari. Deus autē, quia naturaliter tendit in vitam æternam, qua naturaliter est beatus, ideo non indiget ab alio prædestinari, sed solùm habet actiuè prędestinare creaturas.

35 Creaturæ autem intellectuales sunt in triplici differentia, scilicet natura humana Christi Domini, Angeli, & homines; & de his est agendum. Itaque.

Vnica concl. Prædestinatio cōuenit Christo Domino secundùm naturam humanam considerato, Angelis, & hominibus, cum aliquo tamen discrimine.

36 Prob. 1. *ex Beatiss. P. de Prædest. SS. c.* 15; vbi super illud *Rom.* 1. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei*; habet: *Nam & ipsum Dominum gloriæ, in quantùm homo factus est filius Dei, prædestinatum esse didicimus. Clamat Doctor Gentium.* Et paulò post: *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.* Quibus verbis apertè docet prædestinationem conuenire Christo Domino secundùm naturam humanam, & hominibus. Et de Angelis *lib.* 12. *de Ciu. c.* 9. sup. illud *psal.* 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*; ait: *Hoc bonum, quibus commune est, habent, & cum illo, cui adhærent, & inter se societatem sanctam, & sunt vna Ciuitas Dei, eademque sacrificium eius, viuumque templum eius. Cuius pars, quæ coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur.* Et *de Cor. & Grat. c.* 11. ait: *Sicut fecerunt Angeli sācti, qui cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & huius mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, qua ei certissimum fit semper se in illa esse mansuros.*

37 Ratio autem sic formatur *à Fund. Doct. vbi sup. & in Epist. ad Rom. c.* 11. *lect.* 2. Illis conuenit prædestinari, quibus conuenit eleuari ad vitam æternam; sed Christus Dominus, Angeli, & homines sunt huiusmodi; ergo illis conuenit prædestinari. Ma. patet ex dictis; nam prædestinari est ordinari ad vitam æternam per gratiam; illud autem, quod ordinatur per gratiam ad vitam æternam, eleuatur ad aliquod supra vires naturæ; quod enim competit alicui per naturā, non competit ei per gratiam, quæ est supra vires naturæ; vnde quia Deo competit naturaliter vita æterna, cùm sit formalissimè ipsa vita; ideo ei repugnat vita æterna per gratiam, & per consequens ei repugnat prædestinari. Probatur. 1. pars minor. Natura humana Christi Domini est eleuabilis per gratiam ad vitam æternam, cùm sit secundùm se ipsam intra ordinem naturæ, & ideo ei non competat naturaliter vita æterna, quæ est supra naturam, cùm sit supernaturalis; ergo Christus Dominus est prædestinatus secundùm naturam humanam. Prob. 2. pars. Natura Angelica, & humana est capax eleuari ad vitam æternam, quia est capax videre Deum intuitiuè, & illi immobiliter adhærere per amorem; eique non competit, nisi per

per gratiam, quia secundùm se est ordinis naturalis; ergo Angelis, & hominibus conuenit prædestinari.

38 Dices. Quamuis creaturis irrationalibus competat naturaliter tendere in suos fines naturales, attamen diriguntur à prouidentia generali, vt diximus *de Prouid.q.2.art.1*; ergo adhoc, vt aliquod dirigatur in finem, non est necesse, quòd sit eleuabile per vires supernaturales; & ideo allata ratio non probat.

Resp. neg. cons. nam creatura rationalis est ordinabilis in finem naturalem, etiamsi sit illi proportionata, quia distinguitur realiter ab illo, hoc enim essentialiter requiritur ad ordinationem, quæ necessariò est ad alterum. At verò si natura non sit eleuabilis ad finem supernaturalem, iam est secundùm se supernaturalis; sed naturæ supernaturali secundùm se competit essentialiter vita supernaturalis, quia formalissimè est ipsa vita, vt diximus *de Inuisib.q.1.art.4*; & ideo non est ordinabilis ad vitam supernaturalem, quia non est ordinabilis ad se ipsam, cùm ordo essentialiter sit ad aliud.

39 Prob.2. pars concl. *ex Fundatiss. Doct. dist.40. vbi sup.* In prædestinatione Christi Domini non datur antecessio æternitatis ad personam, aut ad naturam Diuinam, quia tam eius prædestinatio, quàm suppositum, quod est suppositum Verbi, & natura Diuina sunt æterna; neque datur antecessio naturæ humanę ad gratiam, & gloriam, quia in primo instanti suæ conditionis habuit gratiam, & gloriam; sed datur tantùm antecessio æternitatis ad naturam humanam, & ad gratiam, & gloriam ab illa aquirendam; non enim natura humana condita fuit ab æterno, sed in plenitudine temporis; in Angelis verò, & hominibus iustis datur antecessio æternitatis ad personam, & naturam, & naturæ ad gratiam, & gloriam saltem loquendo de gratia perseuerantiæ finalis, quam Angeli, & homines non habuerunt in primo instanti suæ conditionis; sicuti non habuerunt gloriam; ergo est aliquod discrimen inter prædestinationē Christi Domini, & Angelorum, ac hominum.

40 Præterea Angeli prædestinati nunquam fuerunt miseri, quia nunquam peccauerunt; mãserunt enim semper in ea bonitate, in qua conditi erant; nam illi, qui peccauerunt, fuerunt reprobati, non prædestinati; propterea prædestinatio Angelorum non est propositum miserendi, seu liberandi à miseria; at verò homines prędestinati aliquando fuerunt miseri, & mali, quia omnes peccauerunt, & ideo eorum prædestinatio *à Beatiss.P.* vocatur *propositum miserendi.*

41 Excipimus tamen Beatissimam Virginē, in qua, quia nulla fuit miseria peccati, ideo eius prędestinatio non fuit propositum miserendi, sed præseruandi à miseria.

42 Obije.1. Illæ creaturæ indigent dirigi in finem, quæ exorbitarunt à fine, sed Angeli sancti nunquam exorbitarunt; ergo non indiguerunt dirigi, & per consequens nec prędestinari.

Resp. quòd dirigi in finē conuenit nedum ijs, qui deuiant à fine; sed etiam ijs, qui non sunt naturaliter proportionati ad talem finem, indigent enim proportionari per media proportionata, & ideo indigent dirigi; ergo nedum hominibus, qui deuiarunt à fine, sed etiam Angelis, qui naturaliter sunt improportionati, conuenit dirigi. Dist. igitur ma. Illæ creaturæ indigent dirigi, quę deuiarunt à fine, vel sunt ad finem improportionatæ, conc; quæ tantùm deuiarunt à fine, neg.

43 Obije.2. Illa indigent dirigi, quę carent lumine, directio enim est ostensio finis; sed Angeli, & homines non carent lumine rationis; ergo non indigent dirigi.

Conf. Creaturę irrationales consequuntur suos fines absque eo, quòd dirigantur; ergo multò magis creatura intellectualis ratione prędita potest consequi suum finem sine directione.

Resp. ad arg. dist. ma. Quæ carent lumine proportionato tali fini, conc; lumine improportionato, neg. Quamuis ergo Angeli, & homines non careant lumine rationis naturalis, quod est omnino improportionatum fini supernaturali, attamē indigēr dirigi per lumen supernaturale, & alia media supernaturalia conducentia ad talem finem.

Ad conf. neg. 1. ant; nam creaturę irrationales diriguntur in suos fines naturales à prouidētia generali, vt diximus *in sup. Tract.* Prçterea neg. cōs, nā creaturę irrationales sūt proportionatę suis finibus naturalibus; at verò creaturę intellectuales sunt improportionatæ fini supernaturali, & ideo indigent dirigi per media supernaturalia.

44 Queres, an Beatis in statu beato conueniat prędestinatio?

Resp. *B. Doct. hic* eis conuenire prędestinationem in facto esse, non in fieri.

ARTICVLVS III.

An Prædestinatio sit attributum distinctum virtualiter à Prouidentia, & quomodò ab illa distinguatur?

1 Certum est apud omnes prædestinationem esse partem prouidentiæ generalis, hæc enim habet pro obiecto finem, *vt sic.* prædestinatio autem habet pro obiecto finē particularem, scilicet solùm finem supernaturalem. Quod vertitur in dubium, est; an prædestinatio sit pars subiectiua prouidentiæ, sicut rationalitas est pars subiectiua animalis, subijcitur enim animali tanquam species virtualiter ab ipso distincta? Si autem prædestinatio ita subijcitur prouidentiæ, sequitur, quòd sit attributum virtualiter ab ipsa distinctum. An verò sit solùm pars obiectiua; sicut v. g. Animastica est pars obiectiua *Philosophiæ*, quia cōsiderat partem obiecti

ßi *Philosophiæ*; & ideo Animastica non distinguitur specie à Philosophia, sed est pars ipsius spectans ad vnitatem specificam illius? Quòd si prædestinatio ita se habeat, non est attributum specie distinctum, sed vnum specie cum illa constituit.

2 Prima sententia vult prouidentiam, *vt sic* diuidi in prouidentiam naturalem circa res naturales; in prouidentiam generalem supernaturalem ordinantem media sufficientia communia ad salutem omnium collata per voluntatem antecedētem; & in prædestinationem; & in reprobationem; & in prouidentiam ordinis hypostatici, qua Deus ordinat illa, quæ pertinent ad mysterium Incarnationis; & vult ista quinque esse totidē attributa, seu partes subiectiuas prouidentiæ generalis. *Ita Sot; Mol; Heric; & Sua. apud Godoy hic. disp.61; et apud Gonet disp.1.ar.4.*

Secunda sententia docet prędestinationem non distingui virtualiter à prouidentia, nec esse partem subiectiuam illius, & per consequens non constituere attributum virtualiter ab illa distinctum. Colligitur *ex Fundatiss. Doct. in 1. dist.40. princ.1.q.1. art.2. ad 4.* vbi ait: *Prædestinatio aliquo modo sumpta est quidam modus prouidentiæ, in quantum importat quendam ordinem in finem specialiter, cùm prouidentia sit ratio ordinis accepta communiter*; modus autem in Diuinis non distinguitur virtualiter à re, cuius est modus, vt diximus ex eodem *dist.46. q.1. de volūtate ipsius Dei*, quæ generaliter accepta, & specialiter, prout est voluntas antecedens, & consequens, non constituit duplex attributum. Hanc sententiam sequuntur *Caiet; Ban; Naz; Godoy, Gonet. vbi sup; Vasq; Alarc; Salm; apud quos alij.*

3 Ratio autem dubitandi sumitur ex eo, quòd cùm prædestinatio, vt supra dictum est, se habeat ad prouidentiam, vt quid speciale ad commune, & speciale addat rationem virtualem distinctam; addit enim speciem, quæ distinguitur virtualiter à genere, vt patet de rationalitate respectu animalitatis; ideo prædestinatio videtur importare aliquod virtualiter diuersum à prouidentia generali. Præterea sicut *Metaphysica*, quæ habet pro obiecto ens, *vt sic*, distinguitur uirtualiter *à Philosophia*, & ab alijs scientijs specialibus, quæ important talem rationem entis specificè sumpti, scilicet mobilis, quanti &c. Et *Mathematica*, quia habet pro obiecto quantitatem, *vt sic*, distinguitur virtualiter *ab Aritmetica*, quæ habet pro obiecto talem speciē quantitatis, scilicet numerum; & à geometria, quæ habet pro obiecto lineam, quæ est alia species quantitatis. Ita à pari; pro cuius solut.

4 Not. non esse vniuersaliter verum, quòd consideratio, seu tendentia in aliquam rationem specificè contrahentem aliquod obiectum, *vt sic*, sufficiat ad distinctionem specificam ipsius scientię, vel potentiæ tendētis in illam; nam *Animastica* considerat talem speciem mobilis contrahentem mobile, *vt sic*, & ita dicendum de qualibet alia parte *Philosophiæ*, quę considerat aliquod mobile specificum contrahens mobile, *vt sic*, & tamen istæ partes non sunt scientiæ specificè distinctæ, cùm integrent vnam scientiam specie. Pręterea licèt voluntas Dei consequens extendatur tantùm ad salutem aliquorum hominum in speciali; & voluntas antecedens extēdatur ad salutem omnium hominum in communi; attamen istę duę voluntates non distinguūtur virtualiter, vt diximus *de Vol. q.1.* Ita scientia Dei diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, quæ versatur circa omnes creaturas possibiles; & in scientiam visionis, quę versatur tantùm circa aliquas creaturas, scilicet futuras; nō enim omnes creaturæ sunt futuræ; & tamen istæ scietiæ non distinguuntur virtualiter. Tandem omnipotentia licèt versetur circa creaturas specificè distinctas, imò circa creaturas naturales, & supernaturales; attamen non distinguitur in plures omnipotentias specificè diuersas, & ideo nec in attributa virtualiter diuersa; nā ad distinctionem virtualem attributorum requiritur distinctio specifica, vt diximus *To.1 de Attr. in com. q. 2. art.8.* Igitur non est vniuersaliter verum, quòd consideratio, vel tendentia in aliquam rationem specificam contrahentem obiectum, *vt sic*, sufficiat ad distinguendam virtualiter scientiam, vel potentiam tendentem in illam rationem specificam à scientia, vel potentia tendente in illud obiectum, *vt sic*. Videndum est igitur, quare species *Mathematicæ*, quæ considerant aliquam rationem specialem quantitatis, *vt sic*, distinguantur virtualiter à *Mathematica*, quæ considerat quantitatem, *vt sic*; & sic dicendum de Philosophia, & alijs scientijs specialibus subordinatis *Metaphysicæ*.

5 Dupliciter potest aliqua scientia, vel potentia tendere in aliquam rationem specificam contentam sub obiecto, *vt sic*. 1. Ita, vt illa ratio specifica se habeat formaliter. 2. Ita, vt se habeat tantùm materialiter. Tunc se habet formaliter, quando specificat talem scientiam, vel potentiā, nec consideratur, vel attingitur ab illa scientia, vel potentia ratione alterius rationis vniuersalis; sed ipsa est ratio considerandi, & attingendi omnia; vt mobilitas attingitur formaliter à *Philosophia*, quia est ratio attingendi omnia corpora, nec attingitur ratione alterius; aliter non specificaret *Philosophiam*; ratio enim specificatiua est ratio primaria, per quam considerantur omnia, vt omnes fatentur; tunc attingitur materialiter, quando ipsa non est ratio attingendi omnia, sed ipsa attingitur ratione alterius imbibiti in ipsa, vt v. g. anima attingitur materialiter *à Philosophia*, quia ipsa non est ratio attingendi omnia, quæ considerantur *à Philosophia*, sed potiùs ipsa consideratur per aliam rationem, scilicet per mobilitatem, quæ illi con-

ac-

benit, & ideo *Animastica* non est scientia specie distincta à *Philosophia*; ratio enim specialis, quã considerat *Animastica*, importatur tantùm de materiali, non de formali; & per consequẽs non est sufficiens ad constituendam ipsam in specie distincta à *Philosophia*.

6 Quamuis autem rationes, quæ materialiter importantur, non distinguant scientias, vel potentias specie, attamen aliquo modo ipsas distinguunt; nam distinctio desumitur etiam ab obiecto materiali, vt patet de intelligentia simplicis intelligentiæ, & visionis, & de voluntate antecedente, & consequente, quæ distinguuntur ratione obiecti materialis, & de omnibus accidẽtibus, quę distinguuntur ratione subiecti, & de omnibus animabus rationalibus, quæ distinguuntur ratione materiæ; sicut enim distinctio secundùm esse specificum, quod habetur à forma, desumitur ab ipsa forma; ita distinctio secũdùm esse numericum, quod habetur à materia, vel à subiecto gerente vicem materię, desumitur à materia, vel à subiecto; quapropter diximus *To. 1. vbi sup. art. 10.* inter perfectiones eiusdem attributi dari distinctionem simplicis æquiualentiæ, quæ æquiualet distinctioni veluti numericę, quia est inter perfectiones veluti indiuiduales, cùm desumatur ab obiectibus materialibus, quæ distinctio non est sufficiens ad diuersificandum speciem; vt patet de materia respectu animarũ, & de subiecto respectu accidentiũ.

7 Porrò naturale, & supernaturale, quod distinguit prædestinationem à prouidentia generali, non se habet de formali ita, vt ratio naturalitatis sit ratio specificatiua prouidentiæ, supernaturalitas verò sit specificatiua prædestinationis. Et ratio est. 1. Illud, quod est cõmune pluribus speciebus, nequit esse specificatiuũ formale alicuius speciei in particulari; vt animalitas, quæ est communis homini, & bruto, nequit esse specificatiuum formale ipsius hominis; & corpus, quod attingitur communiter *à Philosophia, & Mathematica*, nequit esse specificatiuum formale *Philosophiæ*; quia cùm specificatiuum formale sit distinctiuum specificum ab omni alia re specificè diuersa, res distingueretur specie per id, quod est commune pluribus, quod implicat; sed naturale, & supernaturale est commune omnipotentiæ, quia omnipotentia producit rem naturalem, & supernaturalem; & bonitati, quæ cõmunicat bonitatem naturalem, & supernaturalẽ; & prouidentiæ, quæ ordinat res naturales, & supernaturales; ergo naturalitas, & supernaturalitas nequit esse specificatiuum formale prouidentiæ, ac prædestinationis. 2. Si naturalitas, & supernaturalitas esset ratio specificatiua prouidentiæ, & prędestinationis, prouidentia denominaretur ratio efformatiua rerum naturalium, & prædestinatio rerum supernaturalium; quia denominatio habetur à specificatiuo formali; & sic non distingueretur ab omnipotentia; ergo prouidentia nõ esset ratio ordinandorum in finem, nec prædestinatio esset ratio ordinandorum in vitam æternã. 3. Natura ordinata respicitur materialiterã prouidentia, & ipsa ordinatio respicitur formaliter; ergo naturalitas finis respicitur materialiter, & ordinabilitas formaliter; sed id, quod respicitur materialiter, nequit esse ratio specificatiua; ergo à naturalitate, & supernaturalitate nequit desumere esse specificum, & per consequens nec distinctionem virtualem, quæ sumitur ab esse specifico. *His not.*

8 Vnica concl. Prædestinatio, reprobatio, prouidentia generalis supernaturalis, & ordinis hypostatici, non sũt attributa virtualiter distincta à prouidentia generali, sed distinguũtur tantùm simpliciter æquiualenter.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. in ps. 7.* vbi ait: *Propterea Diuinæ prouidentiæ etiam ista dispositio tribuenda est; non quia ipsa peccatores facit, sed quia ipsa ordinat, cùm peccauerint.* Ex quo sic arguitur. Ordinatio peccatorum vel est in pænam ad ostensionem iustitiæ; vt docet *ibid. Beatiss. P.*; & sic est reprobatio formaliter; vel est in maius bonum ex illis occasionaliter eliciendum; & sic est formaliter prædestinatio; vt *ex eodem* habetur *de Cor. & Grat. c. 9.*; vbi loquens de prædestinatis ait: *Omnia cooperantur in bonum vsque adeò, vt etiam, si qui eorũ deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonũ, quia humiliores redeunt, atque doctiores*; sed prouidentia formaliter est ordinatio peccatorum; ergo prædestinatio, & reprobatio non distinguuntur virtualiter à prouidentia. Præterea sæpe sumit prædestinationem pro prouidentia, & è contra; & sæpe vocat vtranque ordinem formaliter in finem; ergo *ex eodem* non distinguuntur formaliter.

9 Prob. 2. Distinctio specifica attributorum sumitur à ratione formali adęquata specificatiua illorum; sed ratio formalis adæquata specificatiua prouidentiæ, prędestinationis, reprobationis, prouidentiæ generalis supernaturalis, & ordinis hypostatici est vna formaliter; ergo prouidentia, prædestinatio &c. non distinguuntur specificè, & virtualiter. Ma. patet. Prob. mi. Ratio formalis adæquata specificatiua est ordinabilitas in finẽ; sed hæc est vna in omnibus istis, quamuis fines sint materialiter diuersi; sicut quamuis corpora, quæ considerat *Philosophia*, sint plura, & diuersa, attamen mobilitas, quæ est ratio formalis adæquata, est vna in omnibus; ergo ratio formalis adęquata specificatiua prouidentiæ, prædestinationis &c. est vna formaliter.

10 Conf. 1. Si ista haberent diuersas rationes formales, maximè, quia finis vnius est naturalis, & alterius est supernaturalis; sed naturalitas, & supernaturalitas se habẽt materialiter, non formaliter; quia, vt dictum est, prouidentia, prædestinatio &c. respiciunt formaliter ordinem in finem, non autem ipsam naturalitatem, & supernaturalitatem finis, quæ tantùm materialiter se ha-

habēt,quatenus coniungūtur cum ratione finis, ad quem fit ordinatio;ergo non habent diuersas rationes formales, & ideo non sunt attributa virtualiter diuersa.

11 Conf.2.Naturalitas,& supernaturalitas ita substernitur ordinabilitati,sicut substernitur scibilitati, & producibilitati; quia naturalitas,& supernaturalitas est subiectum ordinabilitatis, quod est commune scibilitati, & producibilitati; nam sicut aliquod est ordinabile in finem supernaturalē,& naturalē;ita aliquod est producibile ab agente naturali secundùm ordinem naturę,& supernaturali secun dùm ordinem gratię; illud autem,quod est commune pluribus, est subiectum illorum, vt patet de substantia respectu plurium accidentium; sed naturalitas, & supernaturalitas non multiplicant virtualiter omnipotentiam,& scientiam eo,quia importantur solùm materialiter; ergo neque multiplicant prouidentiam,prædestinationem &c.

12 Vrgetur magis. Ratio entis creabilis,*vt sic*, & ratio entis creabilis supernaturalis non multiplicant virtualiter omnipotentiam; ergo neque finis supernaturalis, & finis, *vt sic*, multiplicant virtualiter prouidentiam; ita enim est obiectum prouidentię finis,*vt sic*; sicut obiectum omnipotentiæ est ens creabile, *vt sic*.

13 Prob.3.principaliter. Ex multiplicatione finium partialium non multiplicatur prouidentia tendens in illos; sed fines prædestinationis, reprobationis,prouidentiæ generalis supernaturalis, & ordinis hypostatici sunt fines partiales;ergo non multiplicatur virtualiter prouidentia circa illos.Ma.euidens est;nam ex multiplicatione obiectorum partialium ipsius scientiæ non multiplicatur specie ipsa scientia, sicut ex multiplicatione coloratorum, quæ sunt obiecta partialia potentiæ visiuæ, non multiplicatur specie potentia visiua.Prob.mi.Ille est finis partialis creaturarum, in quem non dirigitur, nisi aliqua pars creaturarum;sicuti ille est finis totalis,in quem dirigitur totum Vniuersum,seu tota Vniuersitas creaturarū; sed in finem prędestinationis,reprobationis &c. non diriguntur omnes creaturæ, sed solùm vna pars creaturarum;non enim omnes prædestinantur,vel reprobantur,vt diximus *in sup.art.*§.2;ergo fines prædestinationis,reprobationis &c.sunt partiales.

14 Conf.1.Finis totalis,& adęquatus prouidentiæ Dei est pulcritudo Vniuersi,quę consurgit ex varietate ordinationum in diuersos fines partiales inadęquatos, quæ pulcritudo ordinatur ad ostensionem bonitatis Dei;ergo fines,in quem diriguntur prędestinati, reprobi &c; sunt partiales,& inadæquati.

15 Conf. 2. Ratio finis adæquati conuenit solùm toti creaturę, quia conuenit omni ordinabili in finem; sed non omnis creatura est prędestinata, vel reprobata &c; ergo finis prędestinationis,& reprobationis &c.non est totalis,& adæquatus,sed partialis & inadæquatus.

16 Prob. 2. pars concl. Ita se habet prouidentia generalis, & specialis, sicut voluntas antecedens, & consequens; quia sicut volūtas antecedens respicit salutem omnium hominum; & voluntas consequens salutem tātùm aliquorum; ita prouidentia generalis ordinat omnes creaturas, prædestinatio verò ordinat solùm aliquas creaturas;sed voluntas antecedens,& consequens distinguuntur virtualiter simpliciter,vt diximus *de Vol.q.1. art.3.n.20*;ergo à pari.*Vid. To.1.de Attr.in com.q.2.art.10;& 11.*

17 Ad rationem dubitandi dicitur, quòd speciale duplex est; aliud, quod constituitur per speciem subijcibilem, & hoc distinguitur virtualiter,& aliud quod constituitur per rationem veluti indiuidualem eiusdem speciei, & v.g. homo in speciali respectu hominis, *vt sic*; & tunc non distinguitur specie à communi. Finis ergo prædestinationis se habet veluti specialiter indiuidualiter,non verò specialiter specificè; finis enim prędestinationis,vt dictum est,est finis partialis, & ideo non distinguitur virtualiter specificè à fine prouidentiæ generalis. Ad id *de Metaphysica*,& alijs sciētijs specialibus dicitur,quòd scientiæ speciales considerant diuersas rationes formales obiectiuas,à quibus adęquantur,& specificantur;& ideo distinguuntur specie; ordinari autem in finem particularem,& in finem vniuersalem non sunt diuersæ rationes formales specificę,sed se habent vt particulare,& vniuersale, sicut tendere in hoc mobile particulare, & in mobile, *vt sic*; & ideo non multiplicant specie prouidentias.

18 Inst. 1. Mobile, *vt sic*, continetur sub ente, & se habet, vt quid partiale ad ipsum ens, & tamen diuersificat specie *Philosophiam à Metaphysica*; ergo à pari. 2. Finis prædestinationis est ostensio misericordiæ Dei; & finis reprobationis est ostensio iustitiæ Dei; sed iustitia,& misericordia distinguuntur virtualiter; ergo finis vnius distinguitur virtualiter à fine alterius, & ideo non datur vnus finis totalis vtriusque.

Resp.ad 1.dist.ant. Mobile, *vt sic*, continetur sub ente tanquam ratio specificè diuersa, conc;tanquam ratio solùm indiuidualiter diuersa, neg; finis autem prædestinationis continetur sub fine prouidentiæ generalis tanquam ratio solùm indiuidualiter diuersa à ratione communi. Sicut ergo ens,*vt sic*,& ens particulare non diuersificat scientiam *Metaphysica*, quia ens, *vt sic*, & tale ens se habent vt vniuersale, & indiuiduale; ita finis vniuersalis, & finis particularis eodem modo se habent. Verùm entitas, & mobilitas se habent,vt rationes vniuersales specificè diuersę,quanuis vna contineatur sub alia.

Ad 2. dist.mi. Iustitia, & misericordia diuersificantur in ratione finis, neg; in ratione puniendi, & parcendi, conc; sicut enim licèt iustitia,& misericordia diuersificentur inter se secū-

dùm

dùm suas rationes formales,attamen in ratione intelligibilis, amabilis &c. non diuersificantur, quia per vnicam rationem intelligibilitatis, & amabilitatis intelligũtur, & amantur; ita à pari.

19 Obijc. 1. Virtutes morales desumunt suam vnitatem, & distinctionem à fine proximo, quem immediatè respiciunt, non à fine vltimo, ad quem ordinantur;aliter cùm finis vltimus sit ipse Deus, qui est vnus, omnes virtutes morales essẽt vna virtus specie, quod est falsum apud omnes;sed prouidẽtia respicit plures fines speciales, proximos, & immediatos,quia respicit gloriam,& gehennam, & plures alios fines naturales; ergo non est vnicum attributum.

Resp.eodem modo dist. ma. Virtutes morales desumunt suam vnitatem à fine proximo specificè diuerso, conc; indiuidualiter diuerso, neg; & sic dist.mi.Prouidentia respicit plures fines immediatos,veluti indiuiduales,conc;specificè diuersos,neg.

20 Obijc.2.In Deo sunt plures species relationum realium, scilicet Paternitas, filiatio, & spiratio; ergo sunt plures species prouidentiæ; ideo enim in Deo sũt plures species relationũ, quia sunt plures termini reales pertinentes ad diuersam speciem; sed prouidentia respicit plures terminos reales, quia respicit finẽ naturalẽ, & supernaturalem;ergo non est vna specie.

Resp.neg.conf; & ad prob.infert. dicitur, quòd termini relationum sunt formaliter specificè diuersi, & ideo diuersificant specie relationes; at verò fines speciales prouidentiæ differũt specificè solùm materialiter;formaliter verò in ratione finis differunt tantùm veluti indiuidualiter, vt dictum est.

21 Obijc. 3. Ideo in Deo multiplicantur ideæ, quia multiplicantur ideata particularia, quę respiciunt; ergo multiplicantur prouidentiæ speciales, etiam si respiciant plures fines speciales.

Resp. conc. totum arg; & sicut ideæ non multiplicantur virtualiter specificè, sed tantùm ęquiualenter simpliciter, vt diximus *de Ideis art.3*;ita prouidẽtiæ speciales non multiplicãtur virtualiter, sed solùm ęquiualẽter simpliciter.

22 Quoad 2; quod quæritur *in Tit.B.Doct. in hac dist.40. q.1. art.2.* quatuor assignat differentias inter prouidẽtiam, & prędestinationem. Prima est; quòd prouidentia respicit finem generaliter; quia ordinat omnes creaturas siue rationales, siue irrationales, siue inanimes; prędestinatio verò respicit finem specialiter; quia ordinat solas creaturas intellectuales in finem supernaturalem. 2. est; quòd prouidentia potest etiam spectare aliquo modo ad intellectum speculatiuum;vt diximus *de Prouid.q.1.art.4.n.23*; prædestinatio verò spectat solùm ad intellectum practicum; quia supponit intẽtionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum;vt *in seq. art.* videbimus. 3. est; quòd prouidentia se extendit ad ea, quę sunt volita voluntate antecedente, & consequente; quia generaliter extenditur ad omnia;prædestinatio verò se extendit solùm ad ea, quæ sunt volita voluntate consequente, quia respicit executionem finis per media specialia personarum in indiuiduo. 4. est; quòd prouidentia minùs se tenet ex parte volũtatis,quàm prædestinatio; quia illa,vt dictum est, potest esse in intellectu etiam speculatiuo; ista verò est solùm in intellectu practico.

24 Addunt *alij, vt Godoy hìc disp.61.§.3.n. 25*; prouidentiam differre à prædestinatione etiam ratione subiecti; quia subiectum ordinatum per prædestinationem est sola creatura rationalis; subiectum verò ordinatum per prouidentiam est omnis creatura etiam inanimis. Sed hæc differentia reducitur ad 1;vt patet.

23 Volunt *alij*,vt *Sua.apud Godoy hìc n.26*; differre etiam, quia prędestinatio supponit subiectum; prouidentia verò illud non supponit. Hanc differentiam negat ipse *Godoy*. Verùm quia diximus prouidentiam posse etiam spectare ad intellectum speculatiuum,qui non supponit subiectum, sed antecedit causationem illius, quæ habetur solùm per intellectum practicum, cùm scientia visionis sit causa rerum, vt diximus *in Tract.de Scient*; ideo potest non supponere subiectum;prædestinatio verò semper illud supponit; quia semper se tenet ex parte intellectus practici. Sed hæc differentia reducitur ad 1; vt constat.

25 Taudem vult *Godoy ibid. §. 4.n.39*; qui citat *B.Doct.Aegid. in 1.dist.39.princ.2.q.1*; vbi nec verbum facit de hac re,vt patet legẽti; contrarium tamen docet *locis cit. de Vol.q.4.art.2*, differre, quia prouidentia dicit solùm infallibilitatem ordinis mediorum, non autem infallibilitatem assecutionis ipsius finis;prędestinatio verò dicit infallibilitatem ordinationis, & consecutionis finis; putat enim voluntatem antecedentem esse inefficacem, & nunquam impleri, & per illam ordinari reprobos ad gloriam, qui tamen illam non consequuntur.

26 Sed hanc sententiam esse *contra Beatiss. P. in Enchir. à c.94. vsq; ad 106*; vbi docet voluntatem Dei nunquam frustrari, quia omnipotens est,fusè ostendimus *de Vol.q.4.art.2.* Et illam impugnant *omnes Theologi,quos ibid. citauimus.* Igitur voluntas antecedens semper impletur; cùm enim dicatur voluntas generalis,quia ordinat naturam generaliter per media generalia;non autem indiuidua specialia ipsius naturæ; sicut voluntas consequens dicitur specialis, quia ordinat indiuidua in speciali per media specialia; cùmque natura generaliter ordinata consequatur gloriam, non quidem in omnibus indiuiduis, quia sic esset generaliter, & specialiter ordinata; ideo voluntas antecedens semper impletur. Et licèt reprobi non consequantur gloriam, quia tamen reprobi, vel natura in re-

pro-

probis est aliquid speciale, ideo non frustratur voluntas antecedens, quæ neque ordinat reprobos, nec naturam, prout in reprobis; quia sic ordinaret specialiter, non generaliter, vt patet.*Vid.de Val.vbi sup.*

ART. IV.

Quos actus importet Prædestinatio, & in quo illorum formaliter consistat?

1 Diximus *in sup. art.* prædestinationem non differre virtualiter à prouidentia, sed tantùm æquiualenter simpliciter; ex quo sequitur, quòd prædestinatio sit actus eiusdem virtutis, seu potentiæ, cuius est actus prouidentia; si enim esset actus diuersæ virtutis, aut potentiæ, distingueretur virtualiter; cùm inter ea, quę spectant ad diuersas virtutes, aut potentias, intercedat distinctio virtualis; vt diximus *To.1. de Attr.in com.q.2.art.8; & seq.* Quamobrem cùm iam ostensum sit prouidentiam consistere formaliter in actu intellectus ordinantis creaturas in suos fines, consequenter est dicendum prædestinationem consistere in actu intellectus ordinantis creaturas rationales in finem supernaturalem; sicut enim se habet prouidentia respectu ordinationis creaturarum in suos fines; ita se habet prædestinatio respectu ordinationis creaturarum intellectualium in finem supernaturalem. Breuiter ergo adaptabimus prædestinationi ea, quæ de prouidētia statuimus.

2 Prima sententia vult prædestinationem formaliter consistere in actu voluntatis, idest in electione mediorum, seu dilectione; connotatiuè autem in actu intellectus. Tribuitur *D. Bon; Scot; Gabr; Aureol.in 1.dist.40; nostro Greg; Sua; Vasq; Lessio, Amico, Smisingh; & alijs.*

Secunda sententia vult consistere formaliter in vtroque ex æquo. *Ita Mol; Bec, Arrub; Herie; Alarc; Arriag; Marsi;* & ex nostris *Albiz.* Tribuitur etiam *Fund. Doct. Aeg. à Io. à S.Tho; & Gonet.in 1.dist.40. art. 1;* vbi tamen nihil loquitur de hac re.

Tertia sententia docet consistere formaliter in actu intellectus, & solùm materialiter importare actum voluntatis. Sed diuisa est; nam *Thomistæ,* quibus adduntur *Sua; Val; Fonsec; Sal; Granad; Lorc; Montesin. apud nostrum Gibbon hic disp.1.dub.3. §.3.n.3;* substinentes imperium esse actus intellectus volunt consistere in imperio. *Mol; Arrub; & alij ex PP. Soc.* volunt consistere in iudicio antecedente decretum efficax voluntatis.

Nostra tamen sētentia vult consistere formaliter in actu directiuo, & ordinatiuo creaturarum in finem supponente intentionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum. *Ita Fundatiss. Doct. in 1.dist.40.princ.2. q.1; & dist.41.princ.1.q.1. art.2.* Ipsum sequitur tota nostra Schola paucis exceptis sentientibus vel cum Thomistis; vt Gibbon; Bernardin; Cornejus;

Mag.Frideric.Nic.Gauardi Tom.2.

vel cum prima sent; vt dictum est.

3 Not; quòd, vt diximus *de Prouid.q.1.art. 4.n.4;* prædestinatio materialiter, seu integraliter importat omnes hos actus. 1. Importat cognitionem omnium possibilium, qua cognoscit in creaturis aliquas esse possibiles, quæ sunt capaces gloriæ ęternę; antequam enim decernat Deus aliquam rem creare, illam cognoscit, vt possibilem, aliter Deus illam crearet ignorans; vt arguit *Beatiss.P.locis cit.de Scient. Dei q.2.art. 1;* sed decretum creationis supponitur ad prædestinationem; ergo prędestinatio importat prę-suppositiuè cognitionē omniū possibiliū. 2. Est propositio, quę est actus, quo intellectus proponit volūtati creaturas possibiles à Deo creabiles; nam voluntas nihil potest decernere, nisi illud, quod est decernendum, sibi proponatur ab intellectu; quia secundùm se est potentia cæca, & nihil intellectus potest proponere voluntati, nisi illud cognoscat. 3. Est intentio efficax finis; omne enim agens rationale, quidquid agit, agit ex fine; in hoc enim distinguitur ab agente irrationali; propter quod dicitur, quòd finis est prima omnium causarum; ab illa enim incipit motus. Voluntas igitur postquam intellectus ei proposuit bonum esse communicare suam bonitatem creaturis, intendit illam communicare. 4. Est imperium; voluntas enim postquam efficaciter intendit communicare suam bonitatem creaturis, imperat intellectui, vt consulat, quibus creaturis debet illam communicare, & quas debeat eligere, & quas relinquere; imperium enim est actus potentiæ formaliter dominantis, vt diximus *vbi sup;* & est circa illud, quod est liberè eligibile; sicut circa illud est dominium; vnde cùm creaturæ sint liberè eligibiles, sequitur, quòd circa illas sit imperium, antequam eligantur. 5. Est iudicium; intellectus enim iudicat has creaturas esse eligibiles congruentiùs ad suam Diuinam Maiestatem. 6. Est consilium; intellectus enim postquam iudicauit quęnam creaturæ sint congruentiùs eligibiles, voluntati consulit, vt eas efficaciter eligat. 7. Est electio efficax creaturarum producibilium, & omnium mediorum, quibus possunt cōsequi suos fines; postquam enim intellectus cōsuluit congruum esse, vt istę eligantur, voluntas efficaciter eas eligit. 8. Est ordinatio; voluntas enim, postquam elegit omnia eligibilia, præcipit intellectui, vt iuxta regulas suæ sapientiæ illa ordinet, & dirigat. Tandē est propositum, seu decretū exequēdi ipsam ordinationem intellectus tali tempore imperādo, & mouendo potentias executiuas; & sic est executio. Et omnes isti actus sunt in ordine naturæ, seu in ordine ad creationem, per quam creaturæ aquirunt esse naturale.

4 In ordine gratiæ consimiliter est loquendum. 1. Intellectus Dei cognoscit creaturas intellectuales esse capaces gloriæ; vnde cognoscit gloriam esse possibilem creaturis. 2. Proponit

Rr crea-

creaturas intellectuales voluntati Diuinæ, vt eligendas ad gloriam. 3. Voluntas efficaciter intendit dare aliquibus gloriam, quæ est finis supernaturalis. 4. Voluntas Diuina imperat intellectui, vt consulat, quænam sint eligendæ, & quænam relinquendæ; & quęnam media sint proportionata: & sic est imperium. 5. Intellectus iudicat congruentius esse has eligere, non illas; & sic est iudicium. 6. Intellectus consulit voluntati, vt illas eligat, & sic est consilium. 7. Voluntas illas eligit efficaciter; & sic est electio. 8. Intellectus eas ordinat per certa media proportionata ad consecutionem gloriæ; & hæc est prędestinatio. Tandem voluntas decernit executionem horum omnium futuram tali tempore, quod congruentius visum est suę summæ sapiētiæ; & sic est propositum, seu decretum executiuum. Et licèt executio seu vsus sit in tempore, attamen decretum de tali vsu futuro in tali tempore est æternum. Hęc omnia patere possunt ex ijs, quæ experimur in nobis. *Hoc supp.*

5 Vnica concl. Prędestinatio formaliter consistit in actu intellectus, qui est ordinatio, seu præordinatio creaturarum rationalium in finem supernaturalem.

Prob. 1. *ex Scriptura*; nam *Act.* 10. habetur: *Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri, non omni populo, sed testibus praordinatis à Deo.* Et clariùs *c.* 13. *Et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*; ergo prædestinatio est formaliter præordinatio. Hinc *Beatiss. P. de Ord. lib.* 1; *& 2. per totum* docet prouidentiam, cuius pars est prędestinatio, vt *sup.* dictum est, consistere formaliter in ordinatione creaturarum in finem.

6 Et *Fundat. Doct. dist.* 40. *vbi sup.* ait: *Notandum, quòd sicut superiùs tactum fuit, destinare, vel prædestinare dupliciter accipi potest. Vno modo, vt dicat ipsam ordinationem in finem; & quia ordinare est actus rationis, sic destinare est actus intellectus includens, vel præsupponens voluntatem finis; nam ex hoc dicitur Deus aliquos destinare, in quantùm ordinat eos, & dirigit ipsos in finem, vel in aliquod bonum, quod vult eos consequi; & in quantùm vult eis illud bonum, dicitur illos amare; quia amare est idem, quod velle bonum, vt dicitur 2. Reth, & quia talis ordo præsupponit voluntatem, & notionem finis; sic accipiendo destinare est ratio in intellectu existens præsupponens voluntatem conferendi dictum bonum, in quod destinati diriguntur. Alio modo destinare idem est, quod proponere; nam quia, quod proponimus, in executionem dirigimus, ipsum proponere destinare dici potest; & sic accipiendo destinare quodam modo opposito, & conuersò se habet ad acceptionem primam. Nam sicut ordinare dicit quid pertinens ad intellectum; sic proponere, vel propositum dicit quid pertinens ad voluntatem. Aduertendum tamen, quòd accipiendo destinare, vel prædestinare pro actu voluntatis, & prout est idem, quòd proponere, & si non recedimus à re significata, quia Sancti prædestinationem Diuinum propositum nominant; aliquo tamen modo recedimus à proprietate vocabuli, quia destinare ratione nominis, vel vocabuli ordinationem importat, quæ ad rationem pertinet, siue ad intellectum.* Et paulò post: *Destinatio secundùm proprietatē vocabuli eo, quòd ordinationem importet, semper dicit rationem in intellectu existentem; trahitur tamen, vt stet pro proposito, siue actu voluntatis ratione rei significatæ.* Hæc transcripsimus, vt appareat falsò citari pro 2. *sent*, & vt eliciatur ratio nostræ conclusionis.

7 Formatur autem eius ratio sic. Ordinatio, seu directio in finē est formaliter actus potentię videntis supponēs intentionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum, quę ordinantur, & imperium voluntatis pręcipiētis talem ordinationem; sed prædestinatio est formaliter ordinatio, seu directio creaturarum rationalium in finem supernaturalem; ergo est formaliter actus intellectus, qui solus est potētia videns, supponens intentionem efficacem finis, & electionem efficacem mediorum, & imperium voluntatis; & per consequens non consistit in iudicio antecedente electionem, neque in ipsa electione, neque in imperio præcipiente ipsam electionem; sed consistit in actu intellectus, qui est formaliter ordinatio, & directio in finem supernaturalem. Prob. ma. ex ijs, quę videmus in naturalibus; nam ordinatio, seu directio sagittæ in scopum est actus potentię visiuæ; sagittans enim vtitur oculis in dirigendo ipsam sagittam, quibus si careret, non posset eam dirigere; sic videns dicitur dirigere cæcum, non è contra; directio autem sagittæ supponit intentionem illam dirigendi in scopum; aliter casualiter dirigeretur; & supponit electionem ipsius sagittę; quia directio alicuius rei supponit esse illam rem, quę dirigitur; aliter esset directio nihili; tandem supponit imperium ipsius voluntatis; cùm enim sit actus liber nequit esse talis, nisi ex imperio libertatis, in qua solùm residet libertas; ergo ordinatio, seu directio in finem est actus intellectus supponens intentionem finis, electionem mediorum, & imperium voluntatis. Mi. patet tum *ex Scripturis*, in quibus prędestinati vocantur *præordinati*, vt *sup.* diximus; tum ex ethimologia ipsius nominis, quod, vt diximus *ar.* 2 *n.* 4 idē est, ac *præordinatio* tam apud *Græcos*, quàm apud *Latinos*.

8 Prob. 2. Neque electio, neq; iudicium, neque imperium est formaliter ordinatio; ergo prædestinatio formaliter in nullo illorum consistit. Prob. 1. pars ant. Electio est actus potentiæ volitiuæ, quæ est potentia formaliter libera, & domina; electio enim est actus formaliter liber, non verò liber solùm imperatiuè; sed potentia volitiua est cæca, & cæco conuenit ordinari, & dirigi, non autem ordinare, & dirigere; er-

go electio formaliter non est ordinatio. Prob.2. pars. Iudicium potest esse de ipsa ordinatione; potest enim intellectus iudicare talem ordinationem esse congruentem, vel non congruentē; sed tale iudicium nequit esse ipsa ordinatio, quia esset ordinatio ordinationis; ergo iudicium non est formaliter ipsa ordinatio. Tum quia iudiciū potest esse de re inordinata; vt cū intellectus iudicat deformitatem moralem, quæ est in mendacio, esse contra veritatem; tunc per tale iudicium deformitas mēdacij nō fit ordinata, aliter desineret esse peccatum. Tum quia iudicium potest esse de medio eligibili; ordinatio autem est de medio iam electo; nam ordinatio rei supponit ipsam rem. Imò potest esse etiam post ipsam ordinationem; quia postquam intellectus ordinauit aliqua media, potest iudicare illa fuisse rectè ordinata. Prob.3.pars. Imperium formaliter respicit omnes actus potentiarum exequentium; nam imperium cadit super omne id, quod est subiectum; sicut subiectio refertur ad dominium, cuius solùm est imperare; sed etiā intellectus est potentia exequens, quia in ipso non est formaliter dominium, quod solùm residet in voluntate; ergo imperium nequit esse formaliter ordinatio, quæ est actus intellectus. Tum quia imperium potest antecedere electionem; voluntas enim potest præcipere intellectui, vt consulat, quænam sint congruentiùs eligibilia; sed ordinatio non potest antecedere electionem; quia ordo, cùm sit relatio, necessariò supponit fundamentum, in quo fundatur; fundamentum autem ordinationis sunt ipsa media, circa quæ cadit electio; aliter ordinaretur id, quod non est; nam per electionem solùm sunt media ad talem finem; ergo imperium non est formaliter ordinatio. Tum quia videmus in nobis, quòd potest quis ordinare aliquod ex imperio alterius; vt cùm Rex imperat Duci, vt ordinet milites; tunc imperium non est formaliter ordinatio militum; nam si Dux eos non ordinaret, verè daretur imperium, & tamen non daretur ordinatio militum; si autem ordinatio esset formaliter imperium, iam daretur ordinatio sine ordinatione. Tum quia potest Deus ordinare peccata secundùm deformitatem moralem vel ad maiorem humilitatem, vel ad maiorem cautelam, vel ad aliquod aliud bonum; vt diximus *de Prouid.q.2.art.3; & inf.q.4*; non tamen potest imperare peccata; ergo imperium non est formaliter ordinatio. Tum quia imperium potest esse circa non ordinationem; quia imperiū cadit supra omne id, quod est simpliciter liberū; ita autē nō ordinatio, sicut ordinatio est simpliciter libera; aliter Deus necessariò ordinaret necessitate absoluta, non solùm ex suppositione; sed implicat, quòd idem habeat pro obiecto negationem sui; vt quòd visio sit circa non visionem; volitio circa non volitionem; ergo imperium non est ordinatio. Consequentia autem pa-

tet; nam etiam S. *Tho.* docet prædestinationem esse ordinationem rerum in finem supernaturalem; docet enim *de Verit.q.6.art.1. Sicut de Prouidentia supra dictum est, quod consistat in actu rationis, sicut & prudentia, cuius est pars eo, quòd solius rationis est dirigere, vel ordinare; ita etiam & prædestinatio in actu rationis consistit dirigentis, vel ordinantis in finem. Sed ad directionem præexigitur voluntas finis; nullus enim aliquid in finem ordinat, quod non vult.* Idem habet *in hac q.22.art.3.*

Vid. alias rationes allatas de Prou. q.1. art.4.

9 Obiectiones, quę fiunt *ab Auctoribus 1; & 2.sent*; solutæ sunt *de Prouid. vbi s.*

10 Præterea obijci potest 1. Prædestinatio consistit in illo actu, à quo sumitur efficacia; sed hic est actus voluntatis; ergo consistit in actu voluntatis. 2. Prædestinatio est actus liber practicus, & ordinatiuus; sed actus voluntatis est liber, & practicus, vt patet, & est ordinatiuus; nā actus charitatis ordinat actus omnium virtutum; ergo in ipso consistit prædestinatio. 3. Reprobatio est actus voluntatis; ergo & prædestinatio; nam opposita spectant ad eandem potentiam.

Resp. ad 1. neg. ma; nam scientia visionis est efficax, sicut prædestinatio, & tamē non consistit in actu voluntatis, à quo sumit suam efficaciam. Ad 2. dist. ma. Prædestinatio est actus liber formaliter elicitiuè ita, vt eliciatur à libertate proximè, & immediatè, neg; est liber imperatiuè, conc. Et sic charitas est ordinatiua actuum virtutum motiuè, conc; directiuè, neg. Ad 3. neg. cons; ad cuius prob. dicitur. Oppositum reprobationis esse approbationem, quæ est actus voluntatis; prædestinatio autem opponitur reprobationi tantùm materialiter, quatenus includit approbationē. *Sed de hoc inf. q.5. art.2.*

11 Obijc. 1. *ex Auctoribus 3. sent.* à nobis diuisis. Prouidentia Diuina non consequitur infallibiliter suum finem; ergo non supponit efficacem intentionem finis, quia efficax intentio est omnino infallibilis; sed prædestinatio est idem virtualiter cum prouidentia, vt dictum est *in sup. art*; ergo prædestinatio non supponit efficacem intentionem finis. Prob. ant. Prouidentia, quæ consequitur ad voluntatem antecedētem, ordinat omnes homines ad vitam æternam; sicut enim voluntas antecedēs vult omnes homines saluos fieri; ita prouidentia ordinat omnes homines ad salutem; cùm nullus actus Dei possit esse inordinatus; sed non omnes homines cōsequuntur vitam æternam; ergo prouidentia non consequitur infallibiliter suum finem.

Resp. pluries hoc arg. fuisse solutum. Neg. ergo ant. Ad prob. dicitur, quòd prouidentia, quæ consequitur ad voluntatem antecedētem, ordinat naturam, non indiuidua; & natura verè consequitur vitam æternam; & ideo est efficax.

12 Inst. Illa prouidentia est communis re-

probis, & prædestinatis; sed reprobi non consequuntur finem, quem consequuntur prædestinati; ergo illa prouidentia in reprobis non est efficax.

Resp. dist.ma. Est communis reprobis ratione naturæ, prout communiter reperitur in vtrisque, conc; ratione indiuiduorum, neg; natura autem, prout accipitur secundùm se, consequitur finem prædestinatorum, licèt illum non consequatur, prout contrahitur ad reprobos; sic enim dicit indiuiduationem, non autem vniuersalitatem.

13 Obijc.2. Volitio efficax sequitur ad prędestinationem; ergo prædestinatio non supponit decretum efficax voluntatis. Prob. ant. In tantùm nostra voluntas debet efficaciter intẽdere finem, & eligere media, antequam illa ordinentur; in quantùm noster intellectus ob suam imbecillitatem non proponit finem nostræ voluntati cum plena comprehensione omnium mediorum conducentium ad talem finem, & ideo debet priùs inquirere, consulere, inspicere difficultates; & omnia ista ostendere voluntati, quibus ostẽsis voluntas efficaciter eligit media; sed intellectus Diuinus ob suam infinitam perspicaciam non habet inquirere &c; ergo voluntas non habet eligere media, antequam ordinentur ab intellectu.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. ma; nam etsi intellectus non inquireret, sed proponeret sine vlla difficultate, adhuc nostra voluntas efficaciter eligeret, antequam fieret illorum ordinatio. Nostra igitur voluntas priùs eligit media, quàm ordinentur; quia media debent priùs assumi, & eligi, vt media, & postea ordinari; aliter ordinaretur id, quod non esset mediũ in consecutione talis finis; cùm enim intellectus plura media proponat volũtati; ad hoc, vt volũtas eligat solùm aliqua alijs relictis; electio namq; *est vnius præ alio*; si intellectus ordinaret media, antequam essent electa à voluntate, ordinaret omnia media, quæ proponit, & ideo etiam illa, quæ relinquuntur, & per consequens, quę non sunt media ad consecutionem talis finis. Sic intellectus Diuinus, qui proponit voluntati Diuinæ infinita media possibilia, si illa ordinaret, antequam eligerentur à voluntate, ordinaret etiam illa, quæ non eliguntur; & per consequẽs omnino frustranea esset illa ordinatio; & esset ordinatio mediorum, quæ non assumerentur ad consecutionem finis.

14 Obijc. 3. Si prędestinatio supponeret efficacem electionem mediorum, prædestinatio non ordinaret media, sed illa supponeret ordinata per ipsam electionem; electio namque est mediorum in ordine ad finem; sed consequens est falsum; quia prædestinatio est ratio ordinandorum in finem; ergo non supponit electionem.

Resp. neg. seq. ma; & ad prob. infert. dicitur, quòd media per electionem aquirunt esse determinatum, non tamen per illam habent ordinationem, quam habent solùm à prædestinatione; vnde quanuis secundùm se dicant ordinem ad finem, non tamen dicunt ordinationem, quæ idem est, ac directio; directio enim habetur solùm à potentia vidente, quæ est intellectus; non à voluntate, quæ est cæca. Ordo igitur dupliciter sumitur, vel pro relatione ad obiectum, & sic media ex se ipsis dicunt ordinem ad finẽ; vel pro directione, seu ostensione finis; & sic media non habent ordinem ex se ipsis, sed ab actu intellectus dirigentis, vt v.g; pedes habent ordinem ad ambulandum ex se ipsis, quia ambulatiò est actus ipsorum, & tamen ex se ipsis non habent directionem, quia indigent dirigi ab oculo, qui est potentia videns; ergo à pari. Igitur dist. assump. Electio est mediorum in ordine ad finem, si *ly ordo* sumatur pro relatione, conc; si pro directione, neg.

15 Obijc. 4. Prouidentia *ex Fundat. Doct.* potest pertinere etiam ad scientiam speculatiuam; ergo & prædestinatio, quæ est idem virtualiter cum prouidentia; sed in tali casu prouidentia nullam supponeret intẽtionem efficacem finis; ergo neque prædestinatio.

Resp. neg. cons; licèt enim scientia simplicis intelligẽtiæ, & visionis sint idem virtualiter, attamen non sequitur; quòd scientia visionis pertineat ad intellectum speculatiuum, ad quem pertinet scientia simplicis intelligentiæ.

16 Obijc. 5. Si prædestinatio supponeret electionem mediorum, prædestinatio esset ex præuisione meritorum; nam media, vt dictum est *art.2*; sunt actus meritorij, & pro eo signo, quo eliguntur, cognoscuntur à Deo, aliter cæcò eligerentur, & ideo pro signo posteriori, quo ordinantur supponerentur, vt cognita, & præuisa; sed consequens est falsum; ergo & antec.

Resp. 1; quòd cùm dicitur prædestinationem esse ante præuisionem meritorum, tunc sermo est de prædestinatione, prout importat electionem ad gloriam, non prout distinguitur ab ipsa electione; & ideo infra proponetur hæc difficultas sub his terminis: *An electio sit ante præuisionem meritorum?*

Resp. 2; quòd merita possunt considerari dupliciter, & prout nobis donantur à Deo, & prout eliciuntur à nobis. Primo modo sunt dona, non merita, & hoc modo prædestinatio supponit electionem illorum. Igitur neg. ma; nam licèt prædestinatio supponat electionem mediorũ, prout sunt dona, nõ tamen prout sunt merita.

18 Obijc. 6. *Noster Gibbon.* Duo tãtum sunt actus practici intellectus circa media, nempe consilium, quod inquirit eorum congruentiam, & imperium, quod sequitur ad electionem; sed prædestinatio non consistit formaliter in actu consilij; ergo consistit in actu imperij.

Resp. neg. ma; nam datur iudicium practicum,

cum, sententia, & propositio, qui sunt actus practici intellectus, & vltra ipsos datur directio actualis alicuius agibilis, quæ pariter est actus practicus, & datur scientia visionis, quæ est practica; & imperium non est actus intellectus, & ideo falsò, & insufficienter enumerantur actus practici intellectus.

18 Obijc. 7. Imperium est actus potentiæ intimantis, & præcipientis; sed intimatio, & præceptum non fit, nisi per locutionem internam, vel externam dicendo: *Fac hoc, vel non fac hoc*; & quælibet locutio est actus intellectus; ergo imperium est actus intellectus; sed in actu imperij reperiuntur omnia, quæ formaliter constituunt prædestinationem; ergo prædestinatio consistit formaliter in actu imperij.

Resp. neg. ma. Imperium enim constituitur formaliter per decretum, quamuis promulgatio illius fiat per locutionem. Illa autem verba *fac hoc*, vel *non fac hoc*; possunt habere vel sensum suasiuum, & consiliatiuum, & sic est suasio, vel consilium, & ideo cùm intellectus loquitur voluntati *fac hoc*, vel *non fac hoc*; tunc suadet, & cõsulit, non autem imperat; inconueniens enim est dicere, quòd consiliarius imperet imperanti, & habenti dominium liberum, sicuti est intellectus respectu voluntatis. Vel possunt habere sensum præceptiuum, & imperatiuum, & tunc importãt decretum voluntatis dominantis; quapropter subditus exequens imperium dicitur facere voluntatem Principis; & nos exequentes præcepta Dei dicimur facere voluntatem eius, non autem facere intellectum Dei iuxta illud *Matt.* 7; *&* 21. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei*; idèst qui seruauerit mandata; ergo imperium nõ est actus intellectus, sed voluntatis.

QVÆST. II.

De conuenientia, necessitate, prædefinitione, & infallibilitate Prædestinationis.

QVæstio præsens instituitur, vt maior habeatur notitia existẽtiæ, & essentiæ prædestinationis; cõgruentia enim, & necessitas spectant ad existentiam, prædefinitio autẽ, & infallibilitas ad essentiam pertinere videntur.

ART. I.

An fuerit conueniens aliquas creaturas prædestinari?

1 COnueniens dupliciter dicitur. 1. Illud dicitur alicui conueniens, quod exigitur secundùm debitum naturæ, seu debetur secundùm ordinem naturalem rerum, quem videmus; & hæc est conuenientia physica, & naturalis; sic calor dicitur conuenire igni, rationalitas homini &c. 2. Illud dicitur conueniens, quod est decens, & congruum capacitati illius, vel illius excellentiæ, & hæc est conuenientia moralis siue naturalis, siue supernaturalis; sic bene, & laudabiliter viuere dicitur conuenire homini, & beatis vidère Deum intuitiuè. Non loquimur de conuenientia primo modo sumpta; certum enim est prædestinationem non conuenire creaturis naturaliter; quia est aliquod supernaturale; sed de conuenientia morali supernaturali, & sensus est, an decens fuerit aliquas creaturas supernaturaliter præordinari ad vitam æternam? Hęc autem conuenientia sumi potest vel ex parte Dei ita, vt faciat sensum; an fuerit decens maiestati, & bonitati Dei creaturas eleuare ad vitam supernaturalem, & se communicare creaturis in ordine supernaturali; vel ex parte creaturę ita, vt sensus sit; an congruũ sit creaturis à Deo prædestinari ad vitam æternam? Et an hæc congruentia sit ex iustitia, vel ex misericordia?

2 Et hoc adhuc dupliciter potest intelligi. 1. An magis conueniens fuerit Deo prædestinare potiùs aliquas creaturas, quàm omnes, vel è contra? 2. An magis conueniens fuerit creaturis prædestinari aliquas, quàm omnes, aut è contra?

3 Præterea conueniens conuertitur cum bono; quia bonum *ex Phil.* definitur, *quod est alteri conueniens*. Bonum autem consideratur vel vt aquirendum, vel vt communicandum. Bonum aquirendum nequit Deo conuenire, quia Deus, cùm sit omne bonum, nullũ bonum potest aquirere ex eo, quòd prædestinet creaturas; quæritur ergo, an fuerit conueniens summæ Dei bonitati communicare bonum prædestinationis creaturis?

4 Tandem bonum quadruplex est; aliud in ordine naturæ, quod Deus communicat, vt Auctor naturæ; aliud in ordine gratię, quod Deus communicat in ordine gratiæ, vt Auctor supernaturalis; & aliud in ordine gloriæ, quod Deus cõmunicat, vt Glorificator, & vt *Pater futuri sæculi*; & aliud in ordine hypostatico; quod Deus communicat in Mysterio Incarnationis; de quo agemus *in 3. sent. Hic* solùm agimus de bono in ordine gratiæ, & gloriæ.

5 Vnica concl. Ex parte Dei, & ex parte vniuersitatis creaturarum fuit conueniens prædestinare solùm aliquas creaturas, non omnes; licèt ex parte creaturarum in speciali fuisset cõuenientiùs prædestinari omnes, quàm solùm aliquas, ex misericordia tamen, non ex iustitia. *Ita B. Doct. in 1. dist. 40. princ. 2. q. 2; & dist. 41. princ. 1. q. 2. art. 1; & communiter omnes.*

Prob. 1. *ex Beatiss. P. de Ciu. lib. 21*; vbi ait: *Hinc est vniuersa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit cum ea, quæ in illo fuerat radicata, sua stirpe punitus, vt nullus ab hoc iusto, debitoque supplicio, nisi misericordia, & indebita gratia liberatur*; atque ita dispertiatur genus humanum, vt in quibusdam demonstre-

ftretur, quid valeat miserico rs gratia, in ceteris quid iusta vindicta. Neque enim vtrunque demonstraretur in omnibus; quia si omnes remanerent in pænis iustæ damnationis; in nullo appareret misericors gratia redimentis. Rursum si omnes à tenebris transferrentur in lucem, in nullo appareret seueritas vltionis. In qua propterea multò plures, quàm in illa, sunt; vt sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Quòd si omnibus redderetur, iustitiam iudicantis nemo iustè reprehéderet. Quia verò tam multi exinde liberantur, est, vnde agantur maxima gratiæ gratuito muneri liberantis.

6 Ex quibus à *Fund.Doct. vbi s.* sic prob. 1. pars concl. Ostensio misericordiæ, & iustitiæ maximè habetur per prædestinationem aliquarum creaturarum, non omnium; sed Deo maximè cõuenit ostensio misericordiæ, & iustitiæ; ergo Deo maximè cõuenit prædestinatio aliquarum creaturarum, non omnium. Prob.ma.nam per prædestinationem subleuatur creatura à miseria peccati; & per non prædestinationem destinatur pænæ debitæ peccato; sed per subleuationem à miseria ostenditur misericordia, quæ formaliter est subleuatio à miseria; & per destinationem ad pænam ostenditur iustitia vindicatiua peccatorum; ergo ostensio misericordiæ, & iustitiæ maximè habetur per destinationem aliquarũ creaturarum, non omnium. Prob.mi. Maximè conuenit Deo ostendere, quod ei naturaliter conuenit; sed iustitia, & misericordia conueniunt naturaliter Deo; ergo ostensio iustitiæ, & misericordiæ maximè conuenit Deo.

7 Conf. 1. Perfectissimo agenti conuenit perfectissimè ordinare suos effectus ad finem illis proportionatum; sed Deus est perfectissimũ agens nedum in ordine naturæ, sed etiam in ordine gratiæ, & gloriæ; ergo ei maximè conuenit ordinare creaturas nedum in ordine naturæ, sed etiam in ordine gratiæ, & gloriæ; sed ordinatio creaturarum in ordine gratiæ, & gloriæ est prædestinatio; & ordinatio creaturarum in ordine naturæ est non prædestinatio; ergo Deo maximè conuenit prædestinatio aliquarum creaturarum, & non omnium.

8 Conf. 2. Enti summè bono conuenit sũmè diffundere suam bonitatem, quia sicut bonitas est diffusio sui; ita summa bonitas est summa diffusio; & Iudici summè iusto conuenit summè punire iuxta mensuram delictorum; sed Deus est summè bonus, & summè iustus; ergo ei conuenit summa diffusio suę bonitatis, & sũma punitio delictorum; atqui summa diffusio bonitatis est prædestinatio, & summa punitio est non prædestinatio; ergo Deo maximè cõuenit aliquos prædestinare, non omnes; aliter ei non conueniret punire aliquos.

9 Formatur ratio 2.pars concl. à *Fundatiss. Doct.* ex eadem auctoritate sic. Ad pulcritudinem Vniuersi maximè facit varietas ordinationum, & ordinatorum; ergo ei maximè conuenit prædestinatio aliquarum creaturarum, non omnium; aliter si omnes essent prædestinatę, nulla esset varietas respectu finis, nec respectu ordinatorum ad finem; & ideo in hoc deficeret pulcritudo Vniuersi, quæ ex varietate cõsurgit.

10 Conf. *ex eodem.* Quanuis prædestinatio omnium creaturarum esset magis cõueniens ex parte ipsarum creaturarum in particulari; quia prędestinatio est maximum bonum, & ideo est maximè conueniens creaturis; & magis eis conuenit, quàm non prædestinatio; bonum enim est id, *quod est alteri conueniens*; & ita priuatio illius est disconueniens; quia *oppositorum opposita sunt rationes specificæ*; attamen prędestinatio omniũ creaturarum non est magis conueniens respectu totius Vniuersi; sicut si totum corpus esset oculus, quanuis ex parte membrorum particulariter sumprorum esset magis conueniens, quia maior perfectio est in oculo, quàm in pede, manu &c; attamen respectu totius corporis non esset conueniens, quia corpus constat ex diuersitate membrorum; ergo respectu Vniuersi maximè conuenit prædestinatio aliquarum creaturarum, non omnium.

11 Prob. 3. pars. Prædestinatio facta fuit post præuisionem peccati originalis, vt *inf.* ostendemus; sed creaturis post præuisionem peccati originalis ex iustitia debetur reprobatio, non prædestinatio, & eis in tantùm competit prędestinatio, in quantum debet ostẽdi Diuina misericordia; ergo nulli creaturæ debetur prædestinatio ex iustitia, sed ex misericordia.

12 Conf. Si a quibus creaturis post peccatum originale deberetur prædestinatio ex iustitia, Deus negãs illis prædestinationem posset reprehendi, tanquam iniustus; sed Deus nequit reprehendi; etiamsi omnes creaturas puniret pęna æterna, & nullam eligeret ad gloriam; quia tunc puniẽs esset iniustus, quando nullum supponit delictum; in hoc enim Tyranni reprehenduntur, quia puniunt innocentes; Iudices autem punientes delicta non reprehenduntur, cùm exerceant virtutem iustitiæ; & nullus exercens virtutem aliquam est dignus reprehensione, sed laude; & ideo Deus puniens propter peccatum omnes homines non esset reprehendendus, quia per tale peccatum omnes homines facti sunt vasa irę in vindictam; & per consequens Deus puniendo exerceret virtutem iustitiæ; quę deberet illis, quod debetur; pæna enim debetur delicto, sicut pręmium merito; ergo nulli creaturæ debetur prędestinatio ex iustitia, sed tantùm ex gratia, & misericordia.

13 *Vid.de Vol.q.5.art.5*; vbi adduximus rationes, & soluimus obiectiones, quæ fieri possunt cont. 1; & 2. part. concl.

14 Obijc. cont. vlt. Deus prędestinat ad gloriam, vt mercedem; sed merces debetur ex iustitia; ergo prædestinatio debetur creaturæ ex iustitia, non ex sola misericordia. Tum quia Deus

Deo datur vera iuſtitia retributiua, vt diximus *de Iuſt.art.*3.Tũ quia Deus eſſet iniuſtus,ſi negaret gloriam iuſtis,vt diximus *ibid.*ex *Beatiſſ.P.*

Reſp.hoc arg.eſſe *inf.*ſoluendum,cùm quęremus, an electio ſit ex præuiſione meritorum? Interim diſt. mi. Merces in intentione omnino gratuita, neg; in executione meritoria, conc. Quanuis ergo executio prędeſtinationis,ſcilicet actualis conſecutio gloriæ ſit ex iuſtitia retributiua;attamen ipſa prædeſtinatio, quæ formaliter importat ſolam intentionem gratuitam dandi gloriam,eſt ex mera miſericordia, non autem ex iuſtitia.Sic dicendum ad 2;quòd iuſtitia retributiua reſpicit ſolam actualem retributionem,quæ ſupponit merita; non autem reſpicit intentionẽ finis,quæ eſt merè gratuita; & ita loquitur *Beat.P*; qui, vt *inf.* videbimus,apertiſſimè excludit à prædeſtinatione præuiſionem meritorum;quanuis executio debeat in Paruulis ſupponere merita Chriſti Domini; & in adultis merita Chriſti Domini,& propria.

Alias obiectiones *vid.inf.q.*3.

ART. II.

An Prædeſtinatio efficax ſit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem?

1 CIrca tituli intelligentiam aduertimus, quòd ſenſus illius non eſt; an actio prædeſtinatiua ſit neceſſaria; certum enim eſt omnem actionem Dei ad extra eſſe ſimpliciter liberam. Neque ſenſus eſt; an actio prædeſtinatiua imponat neceſſitatem, & cogat voluntatem prædeſtinati; etenim pariter certum eſt ſecundũ Fidem *cont.Caluin.*gratiam Dei non inducere in voluntatem creatam neceſſitatem. Loquimur ergo de neceſſitate ratione alicuius cauſæ,à qua eſſentialiter dependet voluntas creata. Sicut licèt neceſſariò adhoc,vt voluntas velit,neceſſaria ſit ſimpliciter cognitio obiecti; *quia nihil volitum, quin præcognitum*; & tamen talis neceſſitas non inducit in voluntatem aliquam neceſſitatẽ, ſed ſolùm infert ſubordinationem eſſentialem, quam habet voluntas ad intellectum; ita ex eo, quòd voluntas,licèt adhoc,vt actu conſequatur ſalutem æternam,prærequirat neceſſariò ſimpliciter prædeſtinationem efficacem, attamen non inducitur in illam aliqua neceſſitas,ſed tantùm infertur eſſentialis ſubordinatio, quam habet voluntas ad Diuinam prædeſtinationem. Inquirimus ergo; an adhoc, vt voluntas actu conſequatur vitam æternam, ſit ſimpliciter neceſſaria prædeſtinatio ita, vt ſine illa nequeat creatura ſaluari;ſi enim ſine prædeſtinatione poteſt ſaluari,quãuis ægrè,& difficulter, & nõ cũ tanta facilitate,& ſecuritate, cum quãta ſaluatur creatura prędeſtinata, iam prædeſtinatio nõ eſt neceſſaria ſimpliciter,ſed ſolùm ſecundùm quid,ſcilicet ad facilius,& certius.

2 Error fuit *Pelagij*, *& Pelagianorum*, qui tribuitur etiam *Maſsilienſibus* ſentientium gratiam prædeſtinationis non eſſe neceſſariam ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, vt enim colligitur *ex Beatiſſ.P. lib. de Grat. Chriſti c.*27; *& de Hæreſ.hæreſ.*8; *& ex Fund.Doct. in* 2.*diſt.* 28.*q.*2.*ar.*2.*dub.*6.*lit*; poſtquã *Pelagius* fuit coactus *in Conc.Paleſtino* admittere gratiã, ne à ſua impietate recederet, explicuit poſtea gratiam eſſe neceſſariam ad facilius,non ad ſimpliciter.

*Catharin.lib.*2.*de Præd.c.vlt.*diſtinguit duplex genus hominum; aliud Sanctorum eximiæ ſanctitatis, vt B. Virgo, Apoſtoli, Prophetæ; & hos vult fuiſſe à Deo prædeſtinatos: ceteros verò ordinariæ ſanctitatis ait ſaluos factos fuiſſe abſq; eo,quòd eſſent prædeſtinati. Hæc ſentẽtia ab omnibus Catholicis multis notatur cẽſuris.

Alij volunt prædeſtinationem efficacem non eſſe adeò neceſſariam,vt ſine illa aliqui non poſſint ſaluari per ſolam voluntatem generalem antecedẽtem, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri.*Mol;Sua;& Faſolus hic q.*23.*art.*2.*dubit.* 1. multa congerit, quæ ſine contradictione non videntur poſſe ſaluari; ait *enim concl.*1.*n.*2. prædeſtinationem eſſe ſimpliciter neceſſariam ex parte rei ita,vt Deus nullum poſſit ſaluare,niſi prædeſtinãdo.*Et concl.*2.*n.*3. ait eſſe neceſſariã etiã ex parte effectus, vt finis gloriæ ſimpliciter habeatur per gratiã. *Et concl.*3.*n.*4. ait nõ eſſe abſolutè neceſſariam ad actualẽ conſecutionem gloriæ per gratiam. *Et concl.*4. *n.*7. ait non eſſe neceſſariam ſimpliciter ad ſuos effectus, ſed vt perfectiori modo fiant.

Quomodò autem poteſt euitari implicantia; ſi enim Deus nequit ſaluare ſimpliciter niſi prædeſtinando, & creatura nequit ſaluari, niſi ſaluetur à Deo,aliter ſalus creaturæ non dependeret à Deo, quomodò creatura poteſt ſaluari ſine prædeſtinatione Dei? Præterea ſi prædeſtinatio eſt neceſſaria ſimpliciter ad finem gloriæ per gratiam, vt ait *in* 2.*concl*; quomodò non eſt ſimpliciter neceſſaria ad actualem conſecutionem gloriæ per gratiam,cùm ipſa conſecutio ſit finis? Quidquid ergo ſit,an requiratur ante prædeſtinationem ſcientia media,vel non; quæritur *hic*, an prædeſtinatio ſit ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem?

Sententia tamen communiſſima omnium Theologorum docet prædeſtinationem efficacẽ eſſe ſimpliciter neceſſariam ad conſecutionẽ ſalutis.Sed diuiduntur;*Alij* enim volunt prædeſtinationem efficacem prædeterminantem voluntatem per aliquod præuium ad actus bonos eſſe neceſſariam; vt *Thomiſtæ recentes*; *Alij* verò ſolam prædeſtinationem ordinantem actus bonos inſpiratos à Deo. *Ita Fundatiſſ. Doct. hic diſt.*40.*princ.*1.*q.*2.*art.*1. Idem tradit *D.Tho;& omnes alij*;quos citauimus *de Sciẽt.q.*4.*ar.*1.§.1.

Vnica concl. Prædeſtinatio efficax eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem.

3 Prob.1.ex illo *Io.*6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Et Io.* 17.

Non

Non perdidi ex eis quenquam, quos tradi disti mihi. Super quæ *Beatiss.P.de Dono Perseu.c.14.* ait: *Cur ergo prædicationi, exhortationi, correptioni, quæ omnia frequentat Scriptura Diuina, existimemus inutilem definitionem prædestinationis, quam commendat eadem Scriptura Diuina? An quisquam dicere audebit Deum non præsciisse, quibus esset daturus, vt crederent? Aut quos daturus esset Filio suo, vt ex eis non perderet quenquam? Quæ vtique si præsciuit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præsciuit. Hac prædestinatio SS. nihil aliud est, quàm præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Ceteri autem vbi, nisi in massa perditionis isto Diuino iudicio relinquuntur. Vbi Tyrij relicti sunt, & Sydonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent? Sed quoniam, vt crederent, non erat eis datum, etiam, vnde crederent, est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio Diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo mouentur ad Fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si altiore Dei iudicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta Diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent talia, vel viderent.*

4 Ex quibus sic. 1. Vel est necessarium simpliciter ad salutem hominum, vt præsciantur à Deo, vel non? Si primum; ergo necessaria simpliciter est prædestinatio, quæ formaliter est præscientia, vt dicitur in eius definitione, eo modo, quo diximus *q.1.art.a.* Si secundum; ergo frustranea est scientia media ad prædestinationis negotium; nam scientia media *iuxta Mol; & alios* est idem, ac præscientia, quæ ponitur in definitione prædestinationis; quod tamē patet esse falsum etiam ex his verbis; nam nomine huius præscientiæ intelligit scientiam cognoscentem sua beneficia, seu dona; scientia autem media cognoscit nostrum consensum.

5 2. Quicunque liberantur, per prædestinationem liberantur; quia prædestinatio *est præparatio beneficiorum Dei, quibus liberantur, quicunque liberantur*; sed qui saluantur, liberantur; liberari enim, & saluari in homine idem est, ergo quicunque saluantur, per prædestinationem saluantur; sed ad salutem necessaria est simpliciter liberatio; ergo ad salutem necessaria est simpliciter prædestinatio.

6 3. Nullus potest saluari simpliciter, nisi sit discretus à massa perditionis; aliter esset simul damnatus, & saluus; liberatus, & non liberatus; sed prædestinatio est discretio à massa perditionis; ergo nullus potest saluari simpliciter, nisi per prædestinationem; & ideo prędestinatio est simpliciter necessaria ad salutem.

Præterea prob. ex illo *Io.10. Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. Et in Epist.1.Io.2. Non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscū.* Super quæ *Beat.P.de Dono Perseu.c.8.* ait: *Non erant ex eis, quia non erant electi, non erant prædestinati.* Ex quo sic. Implicat haberi effectum formalem sine causa formali, vt esse album sine albedine, sed perseuerantia finalis in gratia, quæ est necessaria simpliciter ad salutem, est effectus formalis prædestinationis, prædestinatio enim est causa permansionis, vt habent verba Christi Domini; ergo implicat haberi perseuerantiam finalem sine prędestinatione; sed si prædestinatio non esset simpliciter necessaria, posset haberi perseuerantia sine prædestinatione; ergo prædestinatio est necessaria simpliciter.

7 Tandem *ex Rom.8. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos et iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Super quod *Beatiss.P. de Dono Perseu.c.22.* ait: *Si qui nundum sunt vocati, quos gratia sua prædestinauit eligendos, accipient eandem gratiā, qua electi velint esse, & sint. Si qui autē obediūt, sed in Regnum eius, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec vsque in finem in eadem obedientia perseuerabunt.* Ex quibus sic. Repugnat aliquem glorificari sine iustificatione, quia gloria solis iustis tribuitur; & repugnat aliquem iustificari sine vocatione ad fidem, quia *iustus ex fide viuit*; ergo repugnat aliquem glorificari sine prædestinatione, eodem enim modo se habet glorificatio ad iustificationem, vocationem, & prædestinationem.

8 Prob. 2. ratione. Si aliquis posset saluari absque prædestinatione, posset saluari absque præcipuo dono Dei; sed consequens est absurdum; ergo & antecedens. Prob.ma. Prædestinatio est præcipuum donum Dei collatum creaturæ; est enim causa omnium aliorum donorum, & gratiarum, vt *inf.videbim.q.4*; & ideo est primū donum, quia primum est causa cęterorum; ergo si aliquis posset saluari sine prædestinatione posset saluari absque præcipuo dono Dei. Prob.mi. Si aliquis posset saluari sine præcipuo dono Dei, quod est causa ceterorum, posset à fortiori saluari sine donis minùs præcipuis; quia causa, quæ minùs principaliter concurrit ad aliquem effectum, minùs est necessaria, quàm causa concurrens magis principaliter; nam concursus magis principalis est magis necessarius, quàm minùs principalis, & ideo effectus creatus, qui principaliter est à Deo, & minùs principaliter à creatura, si posset esse à creatura absq; eo, quòd esset à Deo, multò magis posset esse à Deo absque eo, quòd esset à creatura; sed gratia sufficiēs est donū minùs principale, quā prædestinatio, quia gratia sufficiens est cōmunis reprobis, & prædestinatis; illud autem, quod est commune, est minùs principale, quia est minùs perfectum, vt patet de animalitate respectu hominis; ergo posset saluari sine gratia sufficienti; sed hoc est absurdum; quia gratia sufficiens *secundùm Aduersarios* dat pos-

Sal-

se saluari; absurdum autem est, quòd aliquis saluetur sine potentia ad saluari; ergo consequens est absurdum.

9 Prob. 3. Si aliquis saluaretur absque prædestinatione, saluaretur præter intētionem Dei; sed hoc implicat, ergo & illud. Prob. ma. Si prędestinatus damnaretur, damnaretur præter intētionem Dei; quia Deus non intendit efficaciter illum reprobare, sed solùm inefficaciter permittēdo illum posse peccare; ergo si saluaretur non prædestinatus, saluaretur prēter intentionem Dei; quia Deus non intendit efficaciter illum saluare, sed tantùm inefficaciter. Tum quia licèt reprobus sit ordinatus ad salutem per voluntatem antecedentem, attamen non dicitur damnari præter voluntatem Dei, etiam si voluntas antecedens illum ordinet ad gloriam, non ob aliam rationem, nisi quia per voluntatem antecedentem non est efficaciter ordinatus; si autem reprobatus efficaciter saluaretur, præter intentionem Dei saluaretur; ergo si non prædestinatus saluaretur, præter intentionem Dei saluaretur; quia saluaretur efficaciter, & non esset prædestinatus efficaciter. Tum quia vel ille esset ordinatus efficaciter ad gloriam à Deo; vel non? Si primum; ergo esset prædestinatus; quia prædestinatio est formaliter ordinatio efficax ad gloriam. Si secundum; ergo quod efficaciter consequeretur gloriam actu, esset præter intētionē Dei; nam Deus non intenderet nisi inefficaciter dare gloriam; & ideo illa ordinatio efficax esset merè extra intentionem Dei.

10 Prob. 4. Si aliquis posset saluari per solam prouidentiam generalem supernaturalem, & per voluntatem antecedentem, electio ad gloriam non esset speciale donum, nec specialis dilectio, nec gratia electiua iustorum à reprobis; nam prouidentia generalis supernaturalis ordinans omnes ad salutem est communis reprobis, & prædestinatis; nec differret electus à reprobo, nisi quia ille consentiret gratiæ sufficienti, & iste non; vnde causa formalis distinguens electum à reprobo esset voluntas consentiens gratiæ, quæ se distinguit à non consentiente; & sic prædestinatio esset ex nobis, non autem donum, & gratia Dei; sed consequens est contra *Diuinas Scripturas* vocantes prædestinationem *dilectionem Dei, gratiam electiuam*; ait enim *Apost. Rom. 11. Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt*; electio autem est vnius præ alio; & ideo nequit esse communis omnibus; *Et Ephes. 1. Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius, in charitate* (idest in dilectione) *prædestinans nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum secundùm placitū volūtatis suæ*; Et paulò post. *Prædestinati secūdùm propositū eius*. Electio autē, qua elegit fideles præ infidelibus, nequit esse omnibus cōmunis, aliter nō esset electio; nec potest esse secundùm præuisionem nostri consensus; aliter esset secundùm propositum voluntatis nostræ præuisum; non autē secundùm propositum voluntatis Dei; ergo nullus potest saluari sine prædestinatione; & per consequens prędestinatio est simpliciter necessaria ad salutē.

11 Conf. 1. Si aliquis posset saluari per prouidentiam generalem supernaturalem ordinantem omnes homines per auxilia generalia ad salutem, non daretur prædestinatio; sed consequens est contra Fidem; dari enim prædestinationem habetur expressè *in Scripturis sup. cit*; ergo antecedens est parum consonum Fidei. Prob. ma. Prædestinatio est ordinatio aliquorum hominum, non omnium in vitam æternam; prædestinatio enim conuenit solis glorificandis *iuxta illud Apost. vbi sup. Quos prædestinauit &c, hos & glorificauit*; glorificatio autem non conuenit omnibus, sed solis electis, non reprobis; sed si prouidentia generalis supernaturalis sufficeret ad saluandum, non daretur ordinatio aliquorum hominum, non omnium; nam prouidentia illa est ordinatio omnium; ergo non daretur prædestinatio in illo, qui sic saluaretur; sed omnes homines æqualiter se habent ad illam prouidētiam generalem, quia omnes æqualiter per ipsam ordinantur, aliter non esset communis; ergo omnes homines per illam saluarentur; & sic non daretur in illis prædestinatio, quod est contra Fidem.

12 Conf. 2. Si aliquis posset saluari per solum consensum ad gratiam communem, ille eligeret se ad gloriam, & discerneret se à reprobis; nam à Deo non discernuntur, nisi per gratiam; illa autem gratia esset communis, & æqualis in omnibus; aliter si gratia esset inæqualis, non esset sufficiens in omnibus, & sic non omnes possent saluari; per quod ruit fundamētum *Aduersariorum, vt inf.* ergo se ipsos discernerent per suum consensum; quod est *cont. Apost.* docentem. *Quis autem te discernit.* Tunc petimus. Vel ille consensus esset gratis donatus à Deo, & esset donum Dei *iuxta illud Phil. 2. Vobis donatum est pro Christo, non solùm, vt credatis in eū, verumetiam, vt patiamini pro eo*; vel esset à propria voluntate? Si primum; ergo ipse consensus est gratia ipsius Dei; sed ille non est donatus omnibus, aliter omnes saluarentur; ergo qui saluatur per illum consensum, iam non saluatur per gratiam communem, sed specialem, quæ est effectus prædestinationis, non prouidentiæ generalis. Si secundum; ergo si per illum consensum discernitur à reprobis, propria voluntate se discernit. Sic per illam gratiam communem non eligitur præ reprobis; ergo per illum consensum eligitur præ illis; & ideo vel ille consensus est donum, & gratia Dei; & sic non est effectus prouidentiæ generalis, sed prædestinationis, quæ est prouidentia specialis ordinans specialiter aliquos per gratiam specialem; vel est à propria voluntate, & sic electio non est à Deo, sed ab ipso

ipso homine; quod est contra illud Christi Domini: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

13 Vrgetur amplius in tantum non prædestinatus *per Aduersarios* potest saluari, in quantùm potest consentire gratiæ sufficienti; sed ille consensus est donum Dei speciale, per quod distinguitur à reprobo non consentiente, vt diximus *ex Beatiss. P. de Scient. q.4. art.1. §.2;* ergo non saluatur per gratiam communem, & per consequens nec per prouidétiam generalem supernaturalem; sed saluatur per gratiam specialem; atqui prædestinatio est præparatio gratiæ specialis; ergo saluatur per prædestinationem, & ideo nunquam verum est dicere, quòd non prædestinatus saluatur. Tum quia si reprobus saluaretur, iam non esset reprobus, sed electus; nomine enim reprobi intelligitur priuatus vita æterna; ergo si consequeretur vitam æternam, desineret esse reprobus; & ideo frustraretur voluntas Dei, à quo fuit reprobatus; & frustraretur scientia, quæ illum nouerat, vt reprobum; quæ nec *ab Aduersarijs* sustinentur.

14 Tandem *Beatiss. P. de Præd. c.5.* loquens sup. illud *Apost. Quis enim te discernit;* ait, quòd gratia, per quam, qui saluatur discernitur ab eo, qui damnatur, est *gratia, quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est & bonis, & malis;* sed gratia, quæ confertur per prouidentiam generalem, est gratia communis & bonis, & malis; ergo non est gratia, qua quis actu saluatur.

15 Obijc. 1. *ex Fasol.* Reprobi habent media verè sufficiétia ad actualem consecutionem gloriæ; aliter cùm actu resistunt gratiæ, & non conuertuntur, vel non perseuerant, non peccarent, nec possent reprehendi, aut damnari, aut persuaderi, vt cum auxilijs sufficientibus benè operentur, & perseuerent; ergo nullum principium antecedens absolutè necessarium ad consecutionem gloriæ illis deest; sed deest illis prædestinatio; ergo hęc non est absolutè necessaria ad actualem consecutionem gloriæ.

Resp. hoc fuisse argumétum *Massiliensium* obiectum *Beatiss. Patri*, cui respondet *lib. de Cor. & Grat.* Dist. ergo ant. Reprobi habent auxilia verè sufficiétia ad constituédam potétiam proximè potétem orare Deum, vt illis concedat auxilia efficacia, conc; habét auxilia sufficiétia efficacia ipsius consecutionis gloriæ, neg. Ad prob. infert. neg. assump; ex eo enim, quòd possint petere à Deo gratiam ad consentiendum, concurrédum, & perseuerandū, & non petant, & peccát digni sunt reprehensione, & dānatione, & debemus eos hortari, vt petant à Deo vires maiores: promisit enim Deus petétibus iuxta illud: *Petite, & accipietis;* quapropter ait *Beatiss. P. de Grat. & lib. arb. c.16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non iuberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo iubet aliqua, quæ non possumus, vt nouerimus, quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim Fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.*

16 Obijc. 2. Vt causa secunda libera possit actu operari, & consequi simpliciter aliquem effectum supernaturalem liberum, satis esse debent omnia principia necessaria ad illum effectum supernaturalem liberum, tam ex parte causæ secundæ, quàm ex parte causæ primæ; sed ad bene operandum supernaturaliter liberè, non requiritur ex parte causæ secundæ, nisi libertas eleuata per supernaturale principium gratiæ sufficientis; & ex parte causæ primæ decretum dandi hoc principium, & concurrēdi cum libero arbitrio indifferenter; ergo non est necessaria prædestinatio.

Resp. hoc arg. nimis probare; tollit enim de medio necessitatem simpliciter gratiæ efficacis, & gratię electiuę, quod non est tutum. Igitur neg. mi; gratia enim, quę sufficit ad vnum actum, non sufficit ad alium, quia non est tanta difficultas superanda in vno, quanta est in alio; vnde gratia, quæ sufficit ad orandum, non sufficit ad agendam asperrimam pœnitentiam; & gratia, quæ sufficit ad agendam pœnitentiam, non sufficit ad subeundum martyrium, vt per se notum est, aliter non daretur maior, & minor gratia, quod est *contra Diuinas Scripturas.*

17 Obijc. 3. Si reprobus non posset saluari, non esset pro illo orandum, nec differret à damnato; ergo prædestinatio non est necessaria.

Respondet *Beatiss. P. de Cor. & Grat. c.15.* his verbis: *Nescientes enim, quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri.* Igitur neg. ant. Quamuis enim reprobus actu nunquam saluabitur, implicat enim in terminis dicere reprobum saluari, quia saluus contradistinguitur à reprobo, dicitur enim reprobus, quatenus reprobatur à salute, & ideo si esset saluus, iam non esset reprobus; attamen, dum est in hac vita, semper potest saluari, quia habet gratiam sufficientem ad petendum à Deo media efficacia ad salutem, quæ quia nunquam petit, ideo nunquam saluabitur: & in hoc distinguitur à damnato, qui caret omni gratia, etiam ad petendum.

18 Obijc. 4. Reprobus habet potentiam completam, & expeditam ad hoc vt exeat in actum secundum, aliter posset conqueri se bene non operari defectu potentiæ; non operari autem defectu potentiæ non est peccaminosum, quia *ad impossibile nemo tenetur;* sed potentia completè potens, & expedita potest consequi suum finem; ergo reprobus potest actu saluari.

Resp. eodem modo dist. ma. Reprobus habet potentiam completam, & expeditam ad petendam à Deo gratiam specialem ad conuertendum, & ad petendum donum perseuerantiæ finalis,

finalis, & alia auxilia specialia necessaria ad actualem consecutionem gloriæ, vt v.g. vires ad resistendum tentationibus, ad ieiunandum &c; conc; haber potentiam completā, & expeditam ad actu perseuerandum finaliter, ad vincendas grauissimas tentationes &c; neg.

19 Conceditur ergo, quòd reprobus possit saluari, quatenus potest petere media efficacia ad salutem; negamus tamen ipsum vnquam actu saluari, quia nunquam petit, & nunquam illa obtinet. Vnde cùm dicitur habere potentiam proximam expeditam ad cōsecutionem salutis, debet neg iri; quia potentia proximè expedita est potentia cum dono perseuerantię finalis in bono; quod donum non haber reprobus; vt ait *Beatiss.P.vbi sup.n.* 7.

Ceteræ obiectiones soluentur *in seq.art.*

ART. III.

An Prædestinatio efficaciter præordinet omnes electos ad certos gradus gratiæ, & gloriæ?

1 Status controuersiæ consistit in hoc; an sicuti voluntas Dei præuiè causat efficaciter actus bonos voluntatis creatæ, quibus illam præmouet ad agendum, sic prædestinatio præuiè ordinet efficaciter actus bonos voluntatis creatę, quibus illam ordinet efficaciter ad gloriam, antequam ipsa voluntas creata actiuè se ordinet? Hæc autem pręordinatio vocari solet etiam prædefinitio, vt vidimus *apud Beatiss. P.in sup.art.n.*3; quatenus est *præuia ad finē itio*.

2 Pauci, vel nulli sunt hac tempestate, qui negant Diuinas prædefinitiones; etenim eas de facto dari etiam respectu actuum liberorum colligitur nedū *ex DD; & SS.PP*; inter quos *D. Dion; & Beat.P.in sup. ar.n.*3; *& inf.in hoc ar.* sed etiam *ex Scripturis Diuinis*; vt *Luc.* 22. *Filius hominis, sicut definitum est, vadit. Et* 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat*; actiones autem Christi Domini erant liberæ, quia erant meritoriæ; vt docet *Beatiss.P.de Præd.SS.c.*15. *Aliqui* tamen licèt eas concedant, attamen asserunt non esse simpliciter necessarias; vt *Fasol.hic q.*23. *art.*4. *dub.* 3; qui hoc probat euertendo rationem dictam ex subordinatione creaturæ ad Deum sic. Si prædefinitio esset necessaria, maximè ob subordinationem causæ secundæ ad primam; sed hanc subordinationem habet etiam actus malus, quia est essentialiter à causa secunda, & tamen non prædefinitur à Deo, vt docent *SS.PP*; ergo prædefinitio actus boni supernaturalis non est necessaria.

3 Sed hæc sententia faciliter reijcitur; neg. enim 1. pars mi; scilicet, quòd actus malus quātùm ad deformitatem moralem subordinetur Deo, vt est causa efficiens; dicitur enim *Io.* 1. *Sine ipso factum est nihil*; idèst peccatum; vt glosat *Beatiss.P.ibid*; sic enim ab illo produceretur; nam subordinari alicui agenti est agi ab illo, & sic subordinare sibi aliud in agendo est agere illud. Quanuis ergo ille actus quantùm ad bonitatem physicam indifferentem ad bonitatem, vel malitiam moralē subordinetur actioni Dei; vt diximus *de Volunt. q.*5. *art.* 5; nefas enim est; quòd detur aliqua creatura physicè, & entitatiuè bona, quæ non sit à Deo physicè producta; sic enim omnipotentia Dei non extenderetur ad totum ordinem physicum; attamen quantùm ad malitiam moralem non est à Deo, nec eius actioni subordinatur; nec per hoc læditur perfectio omnipotentiæ; quia illa deformitas moralis non est effectus, sed defectus; non est ens, sed non ens; vnde refunditur in creaturam, vt in causam primam, & solam; quia sola creatura potest deficere, & tendere in non ens, quod est nihil; sicut ex nihilo extracta fuit. Igitur dissidium est inter Auctores solùm in explicandis hisce prædefinitionibus.

4 Prima sententia vult prædefinitiones Diuinas non antecedere consensum nostræ voluntatis, sed illum supponere præuisum in esse conditionato per scientiam mediam. *Ita PP.Soc*; sed diuisi sunt; *Alij* enim absolutè hoc asserunt, vt *Mol; Bec; & alij.Vasq.* vult prædefinitiones antecedere actus necessarios, & motus primò primos, non tamen liberos; ait enim antecedentiam illorum euertere libertatem; *Sua.* verò asserit, quòd data etiam antecedentia ad actus liberos adhuc non tolleretur libertas, adhuc tamen non esse ponendas in Deo, nec prouidentiam eis vti; sed solùm prædefinire quosdam actus eximios, & egregios. *Ita lib.*1. *de Præd.c.* 8. *n.*18; *& c.* 13. *n.*9; *& Proleg.*1. *de Grat.c.*5; *&* 6; *& alibi.Recētes* verò sequuntur *Sua; vel Vasq; vel Mol.* Ad saluandam autem rationem causæ primæ admittunt quædam decreta indifferentia se accommodantia voluntati creatæ à qua determinantur. Sicuti ad saluandum directionem fieri à Deo, adinuenerunt quandam gratiam congruam; cui præscit Deus, quòd voluntas creata posita in illis circumstantijs, & occasionibus consentiet.

Secunda sentētia vult prædefinitiones Diuinas antecedere nostrum consensum, quatenus causant aliquod præuium effectiuum ipsius. *Ita Recentes Thomistæ communiter relati de Scient.q.* 4. *art.*1. *§.*1.

Tertia tandem sententiæ docet prædefinitiones Diuinas antecedere nostrum consensum, quatenus illum immediatè ordinant causatum, & inspiratum à voluntate Dei efficaci. *Ita Fundat.Doct.in* 1. *dist.*41. *princ.*1. *q.*2. *art.*1. *§.Quartò ex operibus*; & *in Epist.ad Rom. c.* 8. *lect.*25; vbi ait; quòd nostra voluntas in operibus gratiæ se habet, sicut malleus respectu Artificis; sicuti enim malleus dirigitur, & ordinatur ab Artifice ad opus faciendum, antequam illud attingat; ita nostra voluntas dirigitur, & ordinatur à Deo ad consecutionem gloriæ; & sicut malleus dirigitur per motum ausatum, & ordinatum ab

Artifice; ita nostra voluntas dirigitur per actum causatum in ipsa à Deo, & ab ipso ordinatum ad finem. Idem docent *omnes Auctores cit. de Scient.Dei vbi sup;pro cuius decis.*

5 Not; quòd nedum debemus incedere media via *inter Auctores 1; & 2.sent.* asserendo, quòd prædestinatio nec supponit nostrum consensum, nec causat aliquid præuium ad ipsum consensum, sed immediatè insluit in ipsum consensum; sed etiam ad euitandam confusionem, quam afferunt in hac re *Recentiores*, aduertere debemus ad id, quod diximus *de Prouid.q.2.art. 2.n.5;* scilicet, quòd in actu supernaturali est ipsa entitas actus, & est ordinatio in finem supernaturalem. Non loquimur *hic* de productione præuia ipsius actus; hanc enim diximus *de Vol. Dei q.5.art.2.* esse à Diuina voluntate inspirante ipsum actum præuiè ad nostram operationem; cùm autem prædestinatio sit actus intellectus dirigentis, & ordinantis, vt diximus superiùs, ideo non respicit actũ bonum sub eadẽ ratione formali, sub qua respicitur à voluntate; aliter daretur confusio in potentijs. Inquirimus modò de ipsa ordinatione actus; nam sub ratione formali ordinabilitatis respicitur à prædestinatione, quæ est ratio ordinandorum in vitam æternam. Sicut igitur actus est à Deo tanquam à causa prima, & à creatura, vt à causa secunda, cùmque nedum Deus, sed etiam creatura agat propter finem; ideo ille actus est ordinatus in finem nedum à Deo, sed etiam à creatura. Et licèt sæpe *Beatiss.P.* afferat Deum prędestinatione sua causare opera nostra, attamen tunc loquitur de prædestinatione materialiter sumpta, prout includit electionem efficacem, quæ est causa actus boni; quando autem loquitur de prędestinatione formaliter, tunc vocat ipsam *præordinationem*; vt infra patebit. Igitur sensus difficultatis est; an ordinatio Dei præcedat, & causet ordinationem, qua voluntas creata ordinat se efficaciter in vitam æternam; sicut actio voluntatis Dei præcedit, & causat actum voluntatis creatæ? *Hoc not.*

6 Vnica concl. Prædestinatio præordinat, & prædefinit efficaciter omnia opera bona electorum ad certum gradum gratię, & gloriæ.

Prob.1.*ex Scripturis* allatis *de Prouid.q.2. art.2.n.6;* vt *Act. 10;* vbi dicitur de prædestinatis: *Testibus præordinatis à Deo; & c. 13. Quotquot erant præordinati ad vitã æternam; & c.22. de Saulo: Deus Patrum nostrorum præordinauit te;* sed ordinatio non fit nisi per actum, per quem potentia ordinatur ad suum obiectum; nam sine actu potentia est merè indifferens ad hunc, vel illum finem; ergo prædestinatio præordinat, seu prædefinit efficaciter omnia bona opera electorum ad certum gradum gratiæ, & gloriæ. Præterea adduntur auctoritates allatæ *n.2.* circa actiones Christi Domini. Et illud Christi Domini: *Pater venit hora; clarifica Filium tuum;* sup. quod *Beatiss.P. Tract.104. in Io.* ait: *Ostendit & omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri fineret, ab illo esse dispositum, qui temporí subditus non est; quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent. Non ergo credatur hanc horam Fato vrgente venisse, sed Deo potiùs ordinante.* Item *Ezechiel.4. Vnicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi;* sed gratia secundùm mensuram est secundùm certum, & determinatum gradum; mensura enim est certa determinatio rei; ergo prędestinatio prçordinat opera bona ad certum gradum gratiæ. Item *Matt. 25.* Talenta fuerunt distributa secundùm certum gradum; quia *alij vnum, alij duo &c;* sed nomine talentorum intelliguntur dona Dei; vt diximus *de Iust.Dei art.2. n.1;* ergo opera bona sunt præordinata, & prędefinita secundùm certũ gradum gratiæ, & gloriæ. Tandem *Apoc.21.* habetur *Hierusalem*, & omnes muros eius secundùm certam mensuram fuisse constitutos; nomine autem *Hierusalem à SS. PP.* intelligitur gloria, quæ correspondet gratiæ; quapropter gratia dicitur gloria in semine.

7 Ex auctoritate *Beatiss. P.* superiùs allata, sic arguitur. Actiones Christi Domini fuerunt à Deo efficaciter prædefinitæ, & præordinatæ nedum quoad substantiam operis, sed etiam quoad circunstantias loci, & temporis, vt colligitur *ex allatis Scripturis*; ergo omnes actiones bonæ prædestinatorum sunt à Deo efficaciter prædefinitæ, & præordinatæ nedum quoad substantiã operis, sed etiam quoad circunstantias; nam prędestinatio Christi Domini est exemplar nostræ prædestinationis; vt docet idem *Sanct.P.de Prædest.SS. c.15;* vbi ait: *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset; ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.* Per hoc præcluditur effugium *aliquorum* dicentiũ actiones Christi Domini fuisse prædefinitas efficaciter quoad substantiam operis, non quoad circũstantias, & ideo non fuisse liberas quoad substãtiam operis, sed solùm quoad circũstantias. Pręcluditur, inquam, hoc effugium; patet enim tempus esse circunstantiam, & tamen fuisse prædefinitum iuxta illud: *Nondum venit hora.* Præterea licèt Christus non potuerit peccare, attamen fuit perfectissimè liber; imò eò magis liber, quò magis non poterat peccare; subdit enim *ibid.Sãctiss. P. An ideo in illo non libera voluntas erat, ac non tãtò magis, quãtò magis peccato seruire nõ poterat?*

8 Prob.2.*ex Fundatiss.Doct. dist.41.cit;* vbi recitans opinionem *Aliquorum* ait: *Deus tribuit vni gratiam, nõ alij, quia scit ipsum bene vsurum ea, & nõ alium.* Et paulò post. *Sed isti decipiuntur ex mala imaginatione;* & rationẽ reddens subdit: *Omnis tamen actio bona principaliter est ex gratia.* Quibus verbis nedum reijcit primam sententiam asserentem præuisionem vsus, & consensus boni; sed etiam secundam asserentem Deum præ-

prædestinare efficiẽdo aliquod præuium ad actũ bonum; ait enim ipsum actum bonum esse principaliter tanquam à causa prima ab ipsa gratia; & ideo ab illa præuiè ordinari. Formatur autem sic eius ratio, quam affert *ibid. §. Notandum*; ad illa verba: *Deus est causa vniuersalis,& prima*; ex quibus sic. Primum ordinans simpliciter vniuersalissimum efficaciter ordinat pro illo signo, quo est primum, omnia ordinabilia; sed Deus est primum ordinans vniuersalissimum simpliciter;ergo pro illo priori,pro quo est primum,ordinat omnia ordinabilia; atqui omnia media, quibus creatura consequitur vitam æternam,sũt ordinabilia nedum secundùm rationes vniuersales, sed etiam secundùm rationes particulares ad certum gradum gratiæ, & gloriæ; ergo Deus efficaciter præordinat omnia opera bona prędestinatorum ad certum gradum gratiæ, & glorię, secundùm rationes vniuersales, & particulares. Ma.patet;nam si primum ordinans vniuersalissimum simpliciter non ordinaret efficaciter omnia ordinabilia pro illo priori, pro quo est primum,iam non esset, neque primum, neque vniuersalissimum;non primum, quia actio ordinatiua illius non antecederet actionem ordinatiuam secundi ordinantis; neque esset vniuersalissimum; quia non extenderetur ad omne ordinabile.Mi.etiam constat; nam Deus est primũ agens;sed non est agens improuidum,& casuale; ergo est primum ordinans. Mi.subsumpta pariter liquet; nam media, quibus creatura consequitur vitam æternam, de facto efficaciter ordinantur à creatura; ergo sunt ordinabilia.

9 Conf.Primum efficiens simpliciter vniuersalissimum efficaciter causat omnes effectus existentes à parte rei; ergo primum ordinans simpliciter vniuersalissimũ efficaciter ordinat omnes effectus existentes à parte rei; sed primum efficiens causat nedum actus necessarios, sed etiam liberos; ergo primum ordinans ordinat efficaciter nedum actus necessarios, sed etiam liberos; sicut enim actio causatiua primi agentis antecedit actionem causatiuam secundi agentis, quapropter illa dicitur *præcausatiua*;nam causa, actio,& effectus eundem ordinem seruant; vnde sicut causa prima præcedit secundam,ita actio,& effectus causæ primæ præcedunt actionem,& effectum causæ secundæ;ita à pari.

10 Prob.3.*ex eodem dist.39.princ.2. q.3.§. Habito*. Si Deus non præordinaret efficaciter omnia opera bona prædestinatorum ad certum gradum gratiæ,& glorię in particulari,v.g.quòd *Petrus* per martyrium aquirat gloriam; *Magdalena* per pænitentiam,& sic de singulis, sequeretur,quòd Deo merè fortuitò, & improuisè accideret *Petrum* aquirere palmam, quæ est gloria martyrij; *Magdalenam* laureolam, quæ aquiritur per pænitentiam &c; sed cõsequẽs est absurdum; repugnat enim eius infinitæ sapientiæ, & prouidentiæ, præter quam nihil potest contingere,aliter non esset infinita; ergo Deus præordinat efficaciter &c. Prob.seq. Illud accidit fortuitò, & improuisè, quod contingit præter eius scientiam, & intẽtionem, & quod non causatur; vt diximus *de Prouid.q.1.art.1.n.5*; sed opera bona essent præter scientiam ordinatiuam, & prçter intentionem electiuam, nec causarentur à Deo; ergo merè fortuitò, & improuisè acciderent Deo.

11 Conf.Si Dux ordinaret generaliter suos milites ad capiendam aliquam Arcem, & relinqueret eorum arbitrio eligere media, quę vellent, tunc captio talis Arcis multa admitteret casualia, & fortuita respectu ordinationis ipsius Ducis;nã quòd isti milites,& nõ alij hoc,nõ in alio loco aggressi sint Arcem; quòd admouerint tot tormenta,non plura,aut pauciora,quòd vsi fuerint his, & non illis armis; istis, non illis equis, & alia huiusmodi merè fortuitò,& casualiter acciderẽt prouidentiæ ipsius Ducis,quia ista non fuissent ab ipso Duce efficaciter ordinata;ergo à pari. Nec potest dici, quòd Deus ordinet,postquam volũtas creata se ordinauit in finem; nam Deus est primum ordinans, & ideo nequit ordinare,postquam voluntas creata, quę est secundũ ordinans, se ordinauit; aliter primum supponeret secundum, quod repugnat. Tum quia pro illo instanti, quo voluntas se ordinaret, talis ordinatio casualiter contingeret Deo,quia non esset à Deo,sed à voluntate. Et licèt pro eodem instanti esset simul à voluntate,& à Deo;attamẽ prout esset à voluntate creata, non esset à Deo, quia causa simul agens nõ ordinata concausam, quia non influit in illam.

12 Prob.4.Deus efficaciter ordinat sua dona,quę efficaciter causat in prædestinatis; agens enim prudentissimum debet ordinare suos effectus efficaciter in finem; sed opera nostra sunt dona sua;gratia enim actualis nihil aliud est,quã actus bonus supernaturalis inspiratus à Deo, vt probauimus *de Scient. Dei q.4.art.1.§.2;& 3;& de Vol.q.5. art.2*; ergo Deus efficaciter ordinat opera bona prędestinatorum.

13 Dices 1.sufficere, quòd Deus intendat finem inefficaciter per voluntatem antecedentem, ne dicatur ei casualiter contingere ordinatio mediorum.

Sed contra est. 1. *Propter quod vnunquodque tale,& illud magis*; sed media efficaciter eliguntur,& ordinantur,propter finem;quia media sunt essentialiter propter finem;ergo multò magis efficaciter intenditur finis. 2. Electio efficax mediorum oritur ex intentione efficaci ipsius finis; imprudentissimus enim esset, si quis eligeret efficaciter medicinam, & non intẽderet efficaciter consequi sanitatem; sicuti imprudentissimus esset, si quis intenderet efficaciter finem, & nõ eligeret efficaciter media; quia intendere efficaciter finem est velle actu consequi finem; & eligere efficaciter media est in ordine ad actua-

actualẽ consecutionẽ finis;vnde electio efficax mediorũ est in ordine ad efficacẽ cõsecutionẽ ipsius finis,idèst in ordine ad actualẽ existentiã ipsius à parte rei. 3. Si reprobus saluaretur absque eo, quòd Deus efficaciter decerneret salutem ipsius,eueniret casualiter Deo; quia poneretur efficaciter,idèst fieret actu salus reprobi,quę efficaciter non intenditur à Deo; sed salus reprobi est intenta inefficaciter per voluntatem antecedẽtem; ergo non sufficit voluntas inefficax. 4. Si Deus non intenderet nec etiam inefficaciter finem,dato, quòd creatura illum vellet inefficaciter,cõtingeret Deo fortuitò;ergo supposito, quòd Deus inefficaciter velit finem, dato, quòd creatura illum velit efficaciter, contingit casualiter Deo; nam ideo illa inefficax volitio creaturę contingeret Deo fortuitò, quia Deus illam non vellet,nec etiam inefficaciter;ergo efficax volitio creaturæ contingeret casualiter Deo,quia Deus per voluntatem inefficacem nequit velle illã efficaciã volitionis creatę;implicat enim, quòd Deus inefficaciter velit efficaciam. 5. Volitio efficax finis est actus creatus realis existens in voluntate creaturæ;sed implicat dari aliquod creatum non efficaciter volitum à Deo; quia sic non esset causatum à Deo; quod enim est causatum à Deo,est efficaciter volitum; idèst volitũ cũ effectione illius, aliter Deus efficeret, quod nollet; ergo implicat dari volitionẽ creatam,quæ non sit efficaciter volita à Deo.

14 Dices 2.actiones prędefiniri à Deo post præuisionem consensus futuri.

Sed contra. 1. Ille consensus futurus est donum, & gratia Dei ab ipso misericorditer inspirata; ergo implicat, quòd præuideatur, vt non præordinatus à Deo; aliter præuideretur Deus pro illo tunc,vt non ordinans suos effectus. 2. Si prædestinatio supponeret nostrum consensum in esse conditionato, non posset Deus saluare, quem vellet,quia non posset prædestinare non consentiẽtem,vt arguit *Beatiss.P.lib.1.ad Simpl. q.2.* Tandem prædestinatio nõ esset donum merè gratuitum pendens ex sola misericordia Dei donantis. *Vid.q.1.art.2.*

15 Prob.5.euertẽdo fundamentum. 1. sent. Si Deus non præordinaret omnia opera bona prædestinatorum efficaciter, maximè quia talis pręordinatio tolleret libertatem; sed consequens est falsum; quia non inducit in voluntatẽ creatam, nisi infallibilitatem ordinationis ipsius actus,quæ in nulla sententia tollit libertatem, aliter nulla daretur libertas; actus enim eo ipso, quòd est,necesse est esse;& ideo actus liber eo ipso,quòd est,necesse est esse;ergo efficaciter prçordinat omnia opera prædestinatorũ.*Vid.de Vol. q.5.art.2;& de Scient.q.4.art.1;& 3;4; & 10;& in hoc Tract.q.1.art.2.* Quibus in locis satis reiecimus etiam secundam sententiam. Sed de hoc iterum *in seq. art.*

16 *Auctores* 1.*sent.* impugnantes præordinationem efficacem antecedentem nostrum consensũ multa obijciunt contra prędeterminationẽ physicam,quæ quia non admittitur à nobis,ideo nos, & nostras rationes nec leuiter tangunt; sic possunt tamen contra nos reduci.

17 Obijc. 1. plures auctoritates *SS.PP.*; quas attulimus *de Vol;& de Scient.vbi;* & inter alios *D.Chrisost.hom.12.in Epist.ad Hebr;* vbi ait: *Oportet nos eligere primùm,quæ bona sunt, & tunc ipse,quæ sua sunt,introducit. Non antecedit voluntatem nostrã, ne nostrum lædatur arbitrium;* ergo prædefinitio antecedẽs lædit nostram libertatẽ.

Resp. *Vasq. Chris.* fuisse *Semipelagianum*, quam iniuriam *huic S. Doctori* impinxit *Ecolompadius*; sed vindicat eum *Sixt.Sen.lib.5.Biblioth. annot.* 101. dicens ipsum loqui de donis habitualibus,quæ supponunt opera nostra, non autẽ de gratia actuali, quæ præuenit nos, vt operemur,de qua *in eadem Epist.* ait: *Non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis merita prouenire, per quam etiam fit,vt aliquid boni, & velle incipiamus, & facere*; quibus verbis manifestè excutit *Semipelagianos* asserentes initium operum bonorum esse ex nobis.

18 Obijc. 2. Si Deus prędefiniret efficaciter opera libera,voluntas creata non posset illa ampliùs definire;ergo tolleretur libertas. Prob.ant. Opera creata essent à Deo prædefinita;ergo non essent ampliùs definibilia à voluntate creata; nam illud est definibile, quod non est definitum simpliciter,& omni modo; actiones autem creatę vt prędefinitę à Deo,essent simpliciter, & omni modo definitæ;quia essent definitæ à summa, & omnipotenti efficacia voluntatis Diuinæ;ergo non possent ampliùs definiri à voluntate creata.

Resp.hoc arg.tollere omnem efficaciam,& vim productiuã ab omnibus causis creatis, quod est contra Fidem docentem *Gen.* 1. *Germinet terra* &c; & contra rationem, & experientiam; quamuis enim Deus sua omnipotentissima efficacia producat omne, quod est producibile in creatura, attamen relinquit in ipso effectu producibilitatem respectu causæ creatæ secundùm diuersam rationem formalem, quia Deus producit sub ratione vniuersalissima entis, & relinquit,quòd causa creata producat sub ratione talis entis. Ita quamuis Deus sua omnipotentissima efficacia prædefiniat rationes creatas sub ratione vniuersalissima definibilitatis, attamen relinquit,quòd voluntas creata illas definiat sub ratione talis definibilitatis, ita vt talis definibilitas specificet efficaciam definitiuam voluntatis creatæ, & definibilitas vniuersalissima specificet efficaciã omnipotentissimã prædefinitionis Dei.

19 Obijc. 3. Si Deus prædefiniret actiones creatas, maximè communicando gratiam efficacem electis, & illam reprobis negando; sed hoc insidiaretur tùm libertati electorum, quia illam eis adimeret, tum saluti reprobrorum, quia eis negaret auxilia simpliciter necessaria ad salutẽ; ergo

ergo non datur hæc prædefinitio efficax.

Resp.neg. ant. quoad vtramque partem, imò negatur supp; supponitur enim ipsam gratiam actualem esse aliquod præuium ad nostrum consensum prędeterminatiuum voluntatis ad vnum, quod nos non asserimus. Patet ergo, quòd Deus efficienter inspirando, & producendo in voluntate electorum actum bonum, non lędit libertatem; actus enim ex sua natura habet perficere, non lędere potentiam, & ideo Deus non insidiatur libertati electorum, sed illi affert pręsidium; firmat enim sua gratia; *dum in Domino* (ait *Beatiss.P.Epist.*105.) *tanquam in petra stabili collocatur*, quia firmatur per gratiam Christi Saluatoris, qui *petra* dicitur. Nec insidiatur saluti reproborum, quia illis dat auxilia sufficientia, quæ nisi respuerēt, daret maiora, quibus possent peruenire ad salutem; quomodò autem largitor auxiliorum sufficientium ad salutem promittēs maiora auxilia, si primis bene vsi fuerint, & si orauerint maiora, dici potest insidiari, & nō potiùs procurare salutem? Sicuti cùm medicus tribuit infirmo remedia minora, sufficientia tamē ad salutem, promittens conferre remedia efficaciora, si prima non respuerint, & posteriora petierint, quomodò dici potest insidiari saluti ipsius infirmi, & nō potiùs eā procurare? Ita à pari.

20 Obijc.4. Peccata nō prædefiniuntur efficaciter à Deo, nec quantùm ad formale, nec quantùm ad materiale, & tamen cadunt sub Diuina prouidentia quantùm ad materiale, & quātùm ad formale; ergo non est necessariò prædefinitio efficax ad Diuinam prædestinationē. Prob. ant. Prædefinitio efficax importat causalitatem, & ideo si Deus prædefiniret formalitatem peccati, causaret actualiter peccatum. Præterea si Deus prædefiniret efficaciter materiale peccati, moueret efficaciter voluntatem creatam ad deformitatem moralem, & ideo saltem esset causa moralis peccati, quia causa mouens est causa moralis; nec voluntas creata posset non ponere deformitatem peccati, quia esset prædefinita ad materialitatem, ad quam sequitur indispensabiliter peccatum; attamen hoc non obstante peccata ordinantur à Deo in bonum finem, ergo licet peccata nullo modo prędefiniantur, attamen cadunt sub Diuina prouidentia.

Resp; quòd, vt supra aduertimus *ex B. Doct. Aegid.* prædefinire potest sumi dupliciter; primò quantùm ad causalitatem entitatis. Secundò quantùm ad ordinationem in finem; prædefinire enim sonat idem, *ac præuie ire in finem.* Igitur dist. ant. Peccata non prædefiniuntur à Deo quantùm ad deformitatē causatiuè, conc; ordinatiuè, neg; peccata enim, quæ possunt puniri per iustitiam, vel absolui per misericordiā, à Deo efficaciter ordinantur, vel in finem misericordiæ, vel in finem iustitiæ, & ideo ordinatiuè prædefiniuntur. Ad id, quod dicitur de materialitate, responsum fuit *de Vel.q.*5. *art.*5; falsum enim est, quòd ad entitatem materialem peccati sequatur indispensabiliter deformitas formalis; nam illa entitas secundùm se est indifferens ad bonitatem, & malitiam, vt *ibid.* dicebamus.

21 Obijc.5. Si Dominus prædefiniret efficaciter actiones sui famuli, famulus nullo modo esset liber in suis actionibus; ergo à pari.

Resp. dist. ant. Si Dominus prædefiniret actiones sui famuli producendo illas immediatè in voluntate ipsius, neg; actus enim positus in voluntate libera nō lędit, sed actuat potentiam. Si prædefiniret per aliquod præuium cogens ipsam voluntatem, transeat; etenim an voluntas possit cogi, erit sermo in 1.sent. Sed de hoc.

Cetetę obiectiones solutæ sunt *locis cit.*

ART. IV.

An Prædestinatio concordet cum libertate?

1 Grauissimus, & pæne insuperabilis labor est *Recentioribus* concordia infallibilitatis Diuinæ prædestinationis cum fallibilitate libertatis creatæ conformiter ad eorum sententias de Diuina gratia; idcirco plurima congerunt; quibus intellectus nunquam quiescit; vel quia dubia sunt, vel quia suspicionē falsitatis præseferunt; vel quia ex illis aliquod inconueniens rationi, aut *Scripturæ* deducitur Vndique salebræ; vndique scopuli; omnia plena periculis.

2 Duo principaliores modi huius concordię afferūtur. Primus est *Thomistarum recentium* asserentium prædeterminationem physicam ponentem in voluntate creata gratiam actualem, à qua determinatur voluntas ante productionē sui actus ad illum determinatè eliciendum non tollere libertatē, sed ipsam perficere; facit enim, vt voluntas eliciat actum, qui est perfectio potentiæ, vt patet. Quòd licèt Deus per aliquod auxilium antecedens actum prædetermiuet voluntatem, attamen quia Deus per illud auxilium nedum producit actum, sed etiam modum ipsius actus, qui est, vt sit liber; ideo non lædit, sed causat libertatem in actu. Alter modus traditur *à PP. Soc*; qui asserunt Deum per scientiam mediam priùs explorare, quid sit factura voluntas, si ponatur sub tali gratia, & in talibus occasionibus, ac circunstantijs, & postea illam prædestinare; ex quo sequitur, quòd prædestinatio, quæ consequitur ad illum consensum liberum in esse conditionato præuisum, non tollit libertatem, sed perficit, quia necessitas consequens non lædit libertatem; quam tamen tollit necessitas antecedens.

3 Illud autem, quod reddit difficiles has duas sententias, est; quòd prædeterminatio videtur ponere aliquam necessitatem in voluntate antecedentem actum, quia ponit in illa determinationem ad vnum, licèt relinquat in illa potentiam ad oppositum, ad quod tamen pro eo tunc non est indifferens, cùm sit determinata ad

aliud

aliud; ſicuti cùm quis actu ſcribit, quanuis habeat ſimul potentiam ad non ſcribendum, quia tamen eſt determinatus ad ſcriptionem, non dicitur indifferēs ad non ſcriptionē; cùmq; neceſſitas antecedēs lędat libertatē, ideo prędeterminatio videtur deſtructiua libertatis. Tūquia *Cōc. Trid. cōt. Caluin*; & Innoc. X. *cōt. Ianſen.* definiuerūt gratię Dei poſſe sēper reſiſti; prędeſtinationi autē phyſicę nō reſiſtitur. At verò alter modus dicēdi videtur euertere ſubordinationem voluntatis creatę ad Deum, & tollere à Deo rationem cauſæ primæ vniuerſaliſſimæ; nam cauſa prima vniuerſaliſſima eſſentialiter agit priùs, quàm cauſa ſecunda; & agit omnē effectum, ſeu actum cauſæ ſecundæ; quia primum in mouendo cauſat motum in ceteris, quæ illi ſubordinātur. Si ergò ille conſenſus voluntatis creatæ eſt actus cauſæ ſecundæ; & pro aliquo priori eſt cauſatus à cauſa prima; ideo ſicuti pro aliquo priori habet eſſe à cauſa prima, ita pro illo priori debet ab ipſa cognoſci; nam ad eſſe ſequitur cognoſci; aliter cauſa prima, cùm primùm agit, ageret ignorans, & neſciens, quid ageret. Si autem Deus cognoſceret in voluntate creata illum conſenſum, iam non cauſaret illum antecedēter ad cauſam creatam, vel non cognoſceret, vt priùs cauſatum à ſe ipſò, ſed videret illum, vt cauſatum à voluntate creata ſimul cum ſua gratia in eſſe conditionato, & poſtea decerneret illum cauſare efficaciter cum illa; ex quo videtur tolli ratio cauſæ primę, & ſubordinatio cauſæ ſecundę ad cauſam primam. Tum quia ſi conſenſus voluntatis creatæ præuideretur ante decretum voluntatis Diuinæ, eſſet ſimpliciter neceſſarius, cùm omnis libertas pendeat à decreto. Tum quia ſi requireretur præuiſio noſtri conſenſus, ſequeretur, quòd tolleretur omnipotentia; nam ſuppoſito diſſenſu non poſſet Deus ſaluare, quem vellet, quod eſt *cont. Beatiſſ. P. in Enchir. c. 98.* docentem: *Quis tam improbè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, non poſſe in bonum conuertere?* & *c. 97. Vbi eſt omnipotentiſſima voluntas, quæ omnia in Cælo, & in terra, omnia, quæcunque voluit, fecit, vbi colligere filios Iſrael voluit, & non potuit?* Quod habet etiam *lib. 1. ad Simpl. q. 2*; vt vidimus *q. 4. de Scient. Dei art. vlt. n. 5.* Etſi reſpondeant poſſe Deum ponere in illis occaſionibus, & circunſtantijs, in quibus ſcit voluntatem conſēſuram, eaſdem incurrent difficultates, quas vrgent contra 1. *ſent*; nam quòd Deus ponat ſub occaſionibus, in quibus voluntas infallibiliter conſentiet; & quòd ponat ſub gratia, cui infallibiliter conſentiet, eodem modo videtur vacillare libertas. Hi ſunt ſcopuli, in quos ſe implacabiliter trudunt iſtæ duæ ſententiæ.

4 Noſtra igitur ſententia, quæ docet gratiam actualem conſiſtere immediatè in ipſo actu voluntatis ſupernaturaliter inſpirato, has difficultates feliciter, & faciliter euadit; cùm enim infallibilitas actus non lædat libertatem potentiæ, vt omnibus notum eſt; quia dum voluntas eſt in actu, neceſſe eſt eſſe, & ideo infallibiliter eſt cū illo; ideo prædeſtinatio, quæ infallibiliter ordinat actum perſeuerantiæ finalis, per quem prædeſtinatus conſequitur gloriam, non lædit libertatem ipſius. Et cùm ille actus infundatur à Deo in voluntatem prędeſtinati; ideo Deus eſt cauſa prima illius. Et quia expulſio, ſeu reſiſtentia dicit non eſſe illius actus, expulſio autem actus nequit eſſe ſimul cum ipſo actu, aliter eſſet ſimul eſſe, & non eſſe; ideo quanuis voluntas poſſit ſemper expellere illum actum, quando non eſt; non tamen poteſt expellere, quando eſt; cùmque Deus poſſit decernere mortem hominis, quando eſt ille actus, ideo infallibiliter poteſt hominem prædeſtinare abſque læſione voluntatis illius.

5 Vna, & eadem eſt hæc difficultas, ac illa ob quam *Cicero* negauit Deo præſciētiam futurorum; & illa, ob quam videtur non poſſe componi efficacia voluntatis Diuinæ cum actibus liberis, de qua egimus *de Scient. Dei q. 4. art. 1.* §. 3; cùm enim æquè infallibilis ſit Diuina ſcientia, voluntas, ac prædeſtinatio; ideo eandem omnino difficultatem, quæ incurrit ob certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinatio, incurrunt etiam voluntas, & ſciētia. Igitur ſicut prædeſtinatio facit rem infallibiliter euenire; ita voluntas Dei, & eius ſcientia faciunt rem infallibiliter eſſe, ſicut vult voluntas, & ſicut cognoſcit ſcientia; vnde infallibilitas euentus, ſiue oriatur à prædeſtinatione, ſiue à voluntate, ſiue à ſciētia, eandem inuehit difficultatem de libertate creata, vt optimè aduertit *Fundatiſſ. Doct. in 1. diſt. 38. princ. 3. q. 1. §. Reſpondeo*; vbi ait; quòd ſentētia aſſerens ideo aliquid cognoſci à Deo, quia futurum eſt, error fuit *Aliquorum* tempore *Martyris Boetij*; quem confutat *lib. 5. de Conſol.* Habet igitur hęc verba: *Reſpondeo dicendum, quòd hanc quæſtionem Boetius in 5. de Conſol. diligenter pertractat, & in pertractando eam primò remouet errorem quorundam; qui quæſiti difficultatem vitare volentes dicebant non eſſe aliquid venturum; quia id Diuina prouidentia futurum eſſe proſpexit; ſed è contra potiùs quoniā, quod futurum eſt, id Diuinam prouidentiam latere non poſſit. Sic autem dicentes dupliciter malè dicunt. Primò, quia falſa ſuſcipiunt; non enim verum eſt, ideo aliquod præſcitum eſſe à Deo, quia futurum eſt; ſed potiùs è contra futurum eſt, quia à Deo præſcitur; & ideo Boetius ait; quòd præpoſterum eſt, vt æternæ præſcientiæ temporalium euentus cauſa eſſe dicatur. Secundò malè dicunt; nam conceſſo eis falſo, quod accipiunt, non habent intentum; nam ſiue ponatur neceſſitas in rebus ex Diuina præſcientia, ſiue ipſi Diuinæ præſcientiæ rerum euentus neceſſitatem imponat, quocunque modo dicatur, neceſſarius eſt euentus rerum propter-*

ter quod nihil est contingens, & rerum contingentiam à Deo negamus notitiam eo, quòd nihil tale dicamus. Remota ergo falsa opinione prædictorum &c. Ex quo sic arguitur. Vel præscientia cognoscit infallibiliter, quia secundùm se est infallibilis; vel quia effectus infallibiliter erit? Quodcunque dicatur, semper videtur destrui contingentia rerum; nam si primum; videtur destrui fallibilitas rerum, quia cum fallibilitate ipsarum *secundum istos* nequit componi infallibilitas præscientiæ. Si secundum; ergo multò minùs potest stare fallibilitas; nam si fallibilitas præscientiæ, quę est extrinseca rebus, nequit stare cum fallibilitate ipsarum, multò minùs infallibilitas ipsarum rerum, quæ est intrinseca ipsis rebus, poterit stare cum earum intrinseca fallibilitate. Vt ergo hæc dissoluantur.

6 Not; quòd alio modo dicitur libera potentia, & alio modo dicitur liber actus; nam potentia dicitur libera, quatenus secundùm se ipsam est purè indifferens ad habendum, vel non habendum hunc, vel illum actum, & sic *à SS.PP.* dicitur *æqua lanx, seu æquilibrium ad vtrunque.* Actus autem dicitur liber, non ex eo, quòd sit indifferēs ad se ipsum, & ad oppositum; sic enim non esset actus; nam indifferens ad actum non est actus, vt patet; sed dicitur liber, quia est à potentia libera, à qua sumit denominationem liberi; sicut enim actus intellectus sumit ab ipso denominationem intellectionis, & actus voluntatis denominationem volitionis; ita actus liber sumit à libertate, cuius est actus, denominationem liberi. Attamen actus secundùm se essentialiter est quid determinatum ad vnam partē, quam respicit libertas, quia secundùm se est vna pars determinata; & ideo actus secundùm se importat necessitatem, quia impòrtat determinationem ad vnum; propter quod dicitur, quòd, dum voluntas actu vult, necesse vult; sicut enim actus à libertate potētiæ sumit denominationē liberi; ita à necessitate actus sumit potētia determinationem necessarij absque eo tamen, quòd lædatur eius libertas; quia actus, cùm sit perfectio potentiæ, habet perficere, non lædere potentiam.

7 Cùm igitur prædestinatio ordinet infallibiliter media ad finem supernaturalem, quæ media sunt ipsi actus boni à Deo inspirati; ideo prædestinatio passiuè sūpta importat ipsos actus infallibiliter ordinatos in vitam æternam; & & per consequens loquimur de concordia horum actuum cum nostra voluntate; cùm enim concordia sit vnio plurium; prædestinatio autem actiuè sumpta sit in Deo, non in nobis, ideo nullam habet vnionem ad nostram voluntatem. At verò prædestinatio passiuè sūpta importat actus nostræ voluntatis, quos ordinat, sed principaliter actum perseuerantiæ finalis, ad quem ordinantur omnes alij actus etiam interrupti, vt dicemus *inf.q.4*; nam per solum actū perseuerantię finalis proximè cōsequimur vitam æternam; ideo loquimur de actibus ordinatis à Diuina prædestinatione, qui actus dicuntur prædestinatio passiuè sumpta. Docet enim *Beatiss.P. de Præd. SS. c.* 10; quòd inter prædestinationem actiuè sumptam, & gratiam, quæ per prædestinationem confertur, hæc est differentia; *quòd prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò iam ipsa donatio*. Vnde prædestinatio passiuè sumpta est ipsa gratia actu donata; actiuè autem est præparatio ipsius gratiæ. Et cùm actibus non repugnet infallibilitas, quia eis competit necessitas; & necessitas actus optimè componitur cum libertate; nam omnis actus essentialiter habet vniri cum sua potentia; ideo infallibilitas prædestinationis optimè cohęret, concordat, & componitur cum libertate. *His not.*

8 Vnica concl. Diuina prædestinatio optimè concordat cum nostra libertate, & iuxta nostram sententiam conuenientiùs saluatur hæc concordia.

Prob. 1. *ex Beatiss.P. de Præd.SS.c.*18; vbi super illud *Ephes* 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate prædestinans in adoptionem filiorum*; ait: *Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus*. Et deinde super id, quod addit *Apostolus*: *In quo sortem consecuti sumus prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur*; ait: *Vsque adeò, vt ipse in nobis operetur, & velle*. Ex quibus sic arguitur. Prædestinatio causat in nobis ipsum velle bonum, per quod efficimur boni, sancti, & immaculati; sed ipsum velle est nobis liberum, quia non fit, nisi *volentibus nobis*; ergo prædestinatio optimè concordat cum libertate. *Et c.* 20. *Agit quippe Deus, quod vult in cordibus hominū, vel adiuuando, vel iudicando, vt etiam per eos impleatur, quod manus eius, & consilium prædestinauit fieri. Frustra itaque etiam illud, quod Regum, & Paralipomenon Scriptura teste probauimus, cùm Deus vult fieri, quod non nisi volentibus oportet fieri, inclinari eorum corda, vt hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle.* Vbi referēs se ad illud, quod docuerat *de Grat. & lib. arbitr. c.*14. de salutatione *Saul, & Dauid* in Regem; in qua Deus operatus fuerat in cordibus *Hebræorum* ipsum velle liberum, concludit: *Prædestinatio mirabili, & ineffabili modo operatur in cordibus hominum ipsum velle bonum, per quod consequuntur vitam æternam*; sed ipsum velle, quod est ex corde, est liberum; ergo prædestinatio operatur velle liberum; & per consequens stat simul cum libertate; quia causa stat simul cū suo effectu, nec aliquam dicit repugnantiam cum illo, aliter non esset causa illius; quia vnum contradictorium nequit esse causa efficiens alterius. *Et in Epist. ad Sixt.* 105. *Quod enim putant*

auferri ſibi liberum arbitrium, ſi nec ipſam bonam voluntatem ſine adiutorio Dei hominem habere conſenſerint, non intelligunt ſe non firmare arbitriũ humanũ, ſed impellere, vt per inania feratur, nõ in Domino tanquã in petra ſtabili collocetur. Idẽ habet *de Grat; & lib.arb.c.1.* Ex quo ſic. Prędeſtinatio firmat liberum arbitrium in bono, quia facit voluntatẽ creatam ſtabiliter velle bonum; ergo prędeſtinatio non tollit, ſed firmat libertatem; atqui firmare aliquod non eſt ipſum deſtruere, ſed ipſum ædificare, aut ędificatum conſeruare; ergo prædeſtinatio non deſtruit, ſed ędificat, & conſeruat libertatem.

9 Conf. Quælibet potentia non deſtruitur, ſed perficitur per ſuum actum etiam immobiliter ei adhærentem, quia actus eſſentialiter eſt perfectio potentiæ; vt v. g. intellectus non deſtruitur, ſed perficitur per actum intellectionis, etianſi intellectio immobiliter ei adhæreat, præſertim ſi illa intellectio ſit perfectiſſima; ſed prædeſtinatio cauſat in libertate creata actum liberum perfectiſſimum, qui eſt actus proprius libertatis; ergo etianſi ille actus immobiliter adhæreat libertati, non deſtruitur, ſed perficitur libertas.

10 *Sed quia neſcit intellectus hominis quieſcere in materia hac*; inquit *Fundatiſſ. Doct. in Opuſc. lib. de Prædeſt; & Præſc. c.3*; ideo poſtquam in *hac diſt.* 40. tradiderat quatuor modos explicandi hanc mirabilẽ concordiam *iuxta SS. PP*; illos vſque ad octo extendit. *Vid. etiam in Epiſt. ad Rom. c.9. lect.31.*

11 Primus modus deſumitur *ex Beatiſſ. P. 5. de Ciu. c.10.* ſic. Sicut ſe habet immobilitas ad mobilitatem, ita infallibilitas ad fallibilitatem; nam fallibilitas eſt quędã mobilitas de eo, quod eſt, ad id, quod non eſt; & infallibilitas eſt immobilitas ab eo, quod eſt; ſed immobilitas cauſat mobile, & facit ita eſſe mobile, vt ſit immobiliter tale, quia illud, quod eſt per eſſentiam mobile, eſt immutabiliter tale; *cùm eſſentiæ rerum ſint immutabiles*; ergo infallibilitas prædeſtinationis cauſat fallibilitatem actus liberi, & facit ita eſſe liberum, vt ſit infallibiliter liber.

12 Secundus modus deſumitur *ex Boet. lib. 5. de Conſol. proſ. vlt; Beda in Axiomat. Philoſophicis, & ex Mag. ſent. in hac diſt.* 40. ſic. Neceſſitas in ſenſu compoſito, quæ eſt neceſſitas *dicti*, non tollit contingentiam à re; ſed prædeſtinatio importat neceſſitatem ſolùm in ſenſu compoſito; ergo non tollit contingentiam, ſeu libertatem à voluntate prædeſtinati. Ma. patet; nam etſi *Sortem* ambulantẽ neceſſe ſit moueri in ſenſu compoſito, quia non poteſt non componi motus cum ambulatione; attamen talis neceſſitas non tollit contingentiam ab ambulatione; neque à motu. Prob. mi. Prædeſtinatio infert ſolùm neceſſitatem actus, quia dicit prædeſtinatum neceſſariò ſaluari, idẽſt habentem actum perſeuerantiæ finalis, ſiue gratiæ electiuæ, qua conſequitur vitam ęternam, neceſſariò ſaluari; res autẽ prędeſtinata ſecundũ ſe poteſt etiã dãnari; ergo ſicuti ambulatio Petri ſolùm infert neceſſitatem motus in ſenſu compoſito; quia res, quæ mouetur, poteſt moueri, & non moueri; ita prædeſtinatio infert ſolùm neceſſitatẽ in ſenſu compoſito, quia res prædeſtinata ſecundùm ſe poteſt ſaluari, & non ſaluari.

13 Perperam autẽ explicatur ſenſus compoſitus *ab Hæreticis, & etiam ab aliquibus Catholicis*, putant enim ſenſum compoſitum conſiſtere in coniunctione prędeſtinationis, ſeu gratię electiuę cum voluntate, quòd tamen falſum eſt; quia nulla eſt neceſſitas componens voluntatem cum prædeſtinatione, aliter voluntas neceſſariò prædeſtinaretur. Sẽſus ergo compoſitus conſiſtit in neceſſaria cõnexione duorum actuũ, vt v.g. ambulationis, & motus; & ſic neceſſitas, quam importat prędeſtinatio in ſenſu compoſito, eſt neceſſaria connexio prędeſtinationis cum ſalute, ſalus enim neceſſariò connectitur cum prædeſtinatione, quanuis vtraque omnino liberè, & contingenter connectatur cum voluntate prędeſtinati; ita enim connectitur, vt potuerit non connecti; ſicut quanuis ambulatio, & motus neceſſariò componantur inter ſe; attamen omnino contingenter connectuntur cum *Sorte* liberè ambulante, & liberè ſe mouente. Senſus autem diuiſus eſt ſeparatio duorum actuum oppoſitorum, vt v. g. *Sortes* ambulans poteſt ſedere; facit ſenſum, quòd ablato actu ambulationis poteſt poni ſeſſio actualis, quia *Sortes*, cùm contingenter ambulet, poteſt non habere actũ ambulationis, & loco illius ponere ſeſſionẽ. Sic prædeſtinatus poteſt non ſaluari in ſenſu diuiſo, quia ablato actu perſeuerantiæ finalis, quo conſequitur ſalutem, poteſt habere actum impœnitentię finalis, quo priuatur ſalute. Hic eſt verus modus explicandi ſenſum compoſitum, & diuiſum traditus *ab Antiquis*; vt poteſt videri apud *Fundatiſſ. Doct. loc. citat.* Hanc eandem doctrinam tradit *in Epiſt. ad Rom. cap.10. lect.34. dub.1.*

14 Tertius modus deſumitur *ex Boet. lib.5. de Conſol.* ſic. Neceſſitas ſecundùm quid non tollit libertatem; ſed prædeſtinatio inducit ſolùm neceſſitatem ſecundùm quid; ergo prędeſtinatio non tollit libertatem. Prob. ma. Neceſſitas ſecundùm quid importat ſolùm neceſſitatẽ actus, qui, dum eſt, neceſſe eſt eſſe iuxta *Phil. 2. Periher. c.3. Omne, quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*; ſed hæc neceſſitas non tollit contingentiam, aliter nulla res eſſet contingens, quia omnis res, dum eſt, neceſſe eſt eſſe; ergo neceſſitas ſecundùm quid non tollit contingentiam. Mi. patet ex dictis; nam prædeſtinatio importat, ſeu ponit in creatura prædeſtinata immediatè ipſum actum, quo conſequitur vitam æternam, & ideo ſolùm importat neceſſitatem ſecundùm quid.

15 Quartus modus deſumitur *ex D. Anſel.*

ſic.

sic. Sola necessitas antecedens, non autem consequens tollit libertatem; sed prędestinatio importat solam necessitatem consequentem; ergo prædestinatio non tollit libertatem. Prob. ma. Necessitas antecedens est illa, qua necessariò connectitur cum re aliquod, ex quo necessariò sequitur aliud, vt v.g. quia cum homine necessariò connectitur rationalitas, ex qua sequitur risibilitas, ideo risibilitas, quæ necessariò connectitur cum rationalitate, ex qua sequitur, necessariò connectitur cum homine; illa enim necessitas, qua rationalitas connectitur cum homine, dicitur antecedens, quia est causa, quòd risibilitas, quæ necessariò connectitur cum rationalitate, necessariò connectatur cum homine iuxta illam regulam: *quæ necessariò connectuntur cum vno tertio, necessariò connectuntur inter se*; vnde cùm essētia hominis necessariò connectatur cum rationalitate, cum qua necessariò pariter connectitur risibilitas, ideo necessariò connectitur cū risibilitate. At verò quia ambulatio non connectitur necessariò, sed liberè cum homine; ideo quamuis motus necessariò connectatur cum ambulatione, non tollitur contingentia; cùm connexio ambulationis cum homine, quæ antecedit connexionem ambulationis cum motu, non sit necessaria, sed contingens; ergo necessitas antecedens, non consequēs, tollit libertatem. Prob. mi. Prædestinatio non connectitur necessariò cū creatura, ita enim creatura est prædestinata, vt potuerit non prædestinari; ergo quamuis salus connectatur necessariò cum prædestinatione, attamen quia connexio prędestinationis cum homine, quæ antecedit connexionem prędestinationis cum salute, est libera, & contingens, ideo inducit solam necessitatem consequentem, non antecedentem. Et hic est verus modus explicandi necessitatem antecedentem, & consequentem, qui tamen *à Recentioribus* nec adducitur, nec percipitur.

16 Quintus modus desumitur *ex eodem Boet. lib. 5. prof. 6.* sic. Necessitas rei per ordinem ad aliam mensuram non tollit contingētiam per ordinē ad propriam mensuram; licèt enim creaturæ per ordinem ad ęternitatem, quæ est aliena mensura, sint necessariò præsentes, vel secundùm esse reale, vel secundùm esse obiectiuum; quia æternitas est vnum nunc semper præsens, & ideo non mensurat, nisi præsentia; attamen non tollitur, quin relatæ ad propriam mensuram, sint contingenter pręsentes; sed prædestinatio inducit solùm necessitatē per ordinem ad ipsam æternitatem Dei; quæ est aliena mensura; quia prædestinatio cùm sit actus Dei æternus, posito, quòd semel sit, infallibiliter est; ergo non tollit contingentiam rei, quoad propriam mensuram.

17 Sextus modus explicandi sic exponitur. Non implicat, quòd eadem res sit simul necessaria, & contingēs secundùm diuersos respectus, & rationes; ergo licèt prædestinatio respectu Dei inferat necessitatē in prædestinato, non tamen tollit contingentiam respectu voluntatis ipsius prædestinati, quæ est merè contingens. Prob. ant. 1. Quælibet creatura secundùm rationes vniuersales est necessaria, & ideo secundùm tales rationes est obiectum scientiæ, quæ est de rebus necessarijs, & secundùm rationes particulares est contingēs. 2. Ortus Solis per ordinem ad ipsum Solem est necessarius; & per ordinem ad videntem Solem est contingens, quia contingens est, quòd talis ortus videatur, & non videatur. 3. Productio fructus est à Deo, & à planta; sed quatenus est à Deo, est liberè, & quatenus est à planta, est necessariò; ergo non implicat, quòd eadem res sit necessaria, & contingēs secundùm diuersos respectus, & rationes. Prob. cons. Salus hominis est à Deo prædestinante, & ab homine operante; ergo prout est à Deo potest esse infallibiliter; & prout est ab homine, potest esse fallibiliter.

18 Septimus modus exponitur sic. Ita opponitur necessitas contingentiæ, sicut accessiui recessus; sed non repugnat eidem rei accessus, & recessus respectu diuersorum terminorum, vt cum lapis ascendit sursum dicitur accedere ad partem sursum, & recedere à deorsum; nec respectu eiusdem termini, alio, & alio modo sumpti, vt orbiculariter mota dicuntur recedere ab oriente, & accedere ad idem oriēs; ergo eidē rei non repugnat necessitas, & contingentia respectu Dei, & creaturæ, quæ sunt diuersæ causæ; imò non repugnat respectu eiusdem Dei, prout secundùm se præcisè prædestinat, & prout operatur mediantibus causis contingentibus executionem prædestinationis, quę dicitur contingens, licèt prædestinatio sit infallibilis.

19 Octauus modus sumitur *ex eodem Boet. vbi sup; & ex Conc. Colon. in Enchir. Christ. Institut. de Sacram. Pœn; & ex Can. Nabucodonosor aliàs vasis iræ §. quāuis 23. q. 4: & ex glo. ibid.* sic. Necessitas cōsequētię nō tollit cōtingētiam; sed prędestinatio inducit solū necessitatē consequētiæ, non consequentis; ergo non tollit, sed stat simul cum contingentia. Prob. ma. *Sortem* currentem necessariò moueri est necessitas consequentiæ tantùm, quia nedum *Sortem* currere, quod antecedit motum, sed etiam *Sortem* moueri, quod consequitur ad motū, contingit liberè *Sorti*; vnde solùm ex vi consequentiæ necessarium est *Sortem* moueri, posito antecedente, quòd currat; ergo necessitas consequentiæ non tollit contingentiam libertatis. Pro. mi. In hoc discursu *si Petrus v.g. est prædestinatus, necessariò saluabitur*; tam prędestinatio, quàm salus contingenter conueniunt Petro, quia Petrus poterat non prędestinari, nec saluari; ergo solùm ex vi consequentię necessarium est Petrum saluari, posito, quòd sit prędestinatus. Si *Recentiores*, hos fundatissimos, & subtilissimos modos explican-

di concordiam Diuinæ prędestinationis cum nostra libertate allatos *à Fundatiss. Doct. ex SS. PP.* semel inspexissent, nec inaniter gloriarentur se inuenisse modum faciliorem huius concordię, aut veriorem, nec auderet proferre *à SS. PP.* & *Antiquis DD.* vsque ad eorum tempora traditum non fuisse modum illam explicandi. Imò faterentur ingenuè modos ab ipsis allatos potiùs implicare tot discordijs, quas suscitarunt in Scholis, hanc concordiam. Etenim si attendamus ad prædeterminationem physicam ponentē in voluntate creata aliquod præuium ad actum prædeterminans ipsam voluntatem, maximam difficultatem, graueque dissidium inuexit circa libertatem, quæ plurimis videtur minui, & inficiari. Si autem attendamus ad sciētiam mediam, videtur tollere rationem primæ causæ, & primi ordinantis à Deo. Nostra tamen sententia *ex Antiquis* eruta inter has salebras feliciter incedit, & hos scopulos tuta eludit; ergo modus cōcordandi prædestinationem cum libertate iuxta nostram sententiam est conuenientior, verior, & proprior, vt dicebat 2. pars concl; quod magis patebit ex eorum obiectionibus, quæ sunt meræ hallucinationes; æquiuocant enim de libertate actus ad libertatem potentiæ. Igitur.

20 Obijc. 1. Prædestinatio efficax antecedens omnem consensum facit libertatem necessariò operari; ergo non componitur cum libertate. Prob. ant. Libertas est illa, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & nō agere; sed voluntas, vt efficaciter prædestinata ante omnem consensum, non potest non agere, aliter falleretur prædestinatio; ergo prædestinatio efficax antecedens omnem consensum facit libertatem necessariò operari.

Resp. hanc esse primam hallucinationem; nam in probatione ant; quod absolutè negatur, assumitur in maiori libertas potentiæ, quæ est illa, quæ positis requisitis potest agere, & non agere; quidquid dicat *Gonet cum recentibus Thomistis* de hac libertate versatili, quæ est essentialis statui homini viatoris non confirmati, vt ostendimus *de Vol. q. 2. art. 1. §. 1*; at verò in minori assumitur libertas actus, quæ non consistit in indifferentia versatili, sed in determinatione, vt supra diximus; libertas enim, vt efficaciter prædestinata, est libertas ordinata per media infallibiliter conducentia ad salutem, quæ media sunt actus ipsius prædestinati, vt dictum est. Vnde sicuti non valet: Voluntas libera ad scribendum, & non scribendum est illa, quæ positis omnibus requisitis ad scribendum potest scribere, & non scribere; sed voluntas determinata ad scriptionem, seu actu scribens, non potest non scribere; ergo non est libera ad scribendum; ita à pari.

21 Obijc. 2. Omne, quod tangit potentiam, inducit necessitatèm antecedentem; sed præordinatio, seu prædefinitio efficax tangit potentiam; ergo inducit necessitatem antecedentem; atqui necessitas antecedens tollit libertatem; ergo pręordinatio efficax ante omnem consensum præuisum tollit libertatem.

Resp. hanc esse aliam hallucinationem; nō enim explicatur necessitas antecedens, vt supra dictum est *n. 15*. Dist. igitur ma. Omne, quod tangit potentiam, & necessariò connectitur cum illa, inducit necessitatem antecedentem, conc, omne, quod tangit potentiam, & contingenter connectitur cum illa per modum actus ipsius, neg. Et sic dist. mi. Præordinatio efficax tangit potentiam contingenter per modum actus, qui potest esse, & non esse in illa, conc; per modum alicuius antecedentis actum connexi necessariò cum potentia, ex quo consequatur actus necessariò, neg.

22 Obijc. 3. Quod non potest non sequi, necessariò sequitur; quia quod non potest non sequi, non potest non esse; sed posita præordinatione efficaci non potest non sequi actus; ergo actus necessariò sequitur, non contingenter.

Resp. hanc quoque esse hallucinationem; putant enim præordinationem efficacem ponere in voluntate aliquod præuium ad actum prędeterminans voluntatem, ex quo sequatur actus necessariò; & tamen non ponit in voluntate nisi gratiam actualem, quæ est ipsemet actus; cùm autem actus determinet, non necessitet voluntatē; ideo contingenter ponitur. Neg. igitur suppositum mi; quia præordinatio actiuè sumpta est in Deo, & passiuè sumpta est gratia actualis, quæ ponitur in voluntate, quæ gratia est ipse actus; & ideo ex illa non sequitur actus; aliter idem sequeretur ex se ipso.

23 Obijc. 4. Posita prædestinatione voluntas non potest dissentire in sensu composito, scilicet prout coniuncta cum prædestinatione; sed tantùm in sensu diuiso, idèst prout est separata à prædestinatione; ergo non est libera.

Resp. hanc quoque esse hallucinationem; perperam enim explicant sensum compositum, vt dictum est *n. 12*; *&* *13*. Neg. ergo consinam voluntas passiuè prædestinata est voluntas sub actu; voluntatem autem, quandiu actu est, non posse dissentire, non tollit libertatem, quia est necessitas secundùm quid, non simpliciter.

24 Obijc. 5. *SS. PP.* comparant arbitrium bilanci ęquè in vtranque partem suspensæ; sed voluntas prædestinata est ad vnam partem inclinata; ergo non est formaliter libera.

Resp. hanc esse aliam hallucinationem æquiuocantem pariter de libertate potentiæ, & libertate actus. Dist. ergo ma. Comparant arbitrium, vt indifferens ad actum, & eius oppositū, conc; arbitrium, vt determinatum per actū, neg. Et sic dist. mi. Voluntas prædestinata est indifferens ad actū, neg; est determinata per actū, cōc.

25 Obijc. 6. Libertas creata est quædam participatio libertatis Dei; sed libertas Dei ita se determinat ab intrinseco ad proprium actum, vt

vt à nullo alio agente ſuperiori poſſit determinari;ergo libertas creata conſiſtit in ita ſe determinare ab intrinſeco, vt à nullo alio agente ſuperiori poſſit determinari abſque ſui læſione.

Reſp. hanc eſſe hallucinationem de libertate primæ cauſæ,& ſecundæ; libertas enim Dei, non in eo,quòd libertas,ſed in eo, quòd prima, habet non poſſe determinari ab agente ſuperiori;primum enim eſſentialiter eſt illud, quod non habet aliud ſupra ſe;libertas autem in eo,quòd libertas formaliter, poteſt habere aliud agens ſupra ſe;vt patet de libertate creata,quę eſt formalis libertas,& tamen, quia non eſt ſimpliciter prima, ide o habet aliud agens ſupra ſe. Igitur diſt.ma. Libertas creata eſt participatio libertatis Dei eſſentialiter dependens, & ſecunda, & ideo ſupponens primam, conc; independens,& prima,neg. Et ſic diſt. mi. Libertas Dei non poteſt ab alio determinari in eo, quòd libertas, neg;in eo,quòd prima,conc.Sic ſubſtantia creata eſt participatio ſubſtantiæ Dei, & tamen habet produci à ſubſtantia ſuperiori,quanuis ſubſtantia Dei non habeat poſſe produci ab alia ſubſtantia ſuperiori. Imò in ſententia *Aduerſariorum* decreta indifferentia ſunt actus liberi, & tamen habent determinari ad ſpeciem actus à voluntate creata,quæ eſt inferior, vt videri poteſt *de Scient.q.*4. *art.* 5; ergo à fortiori libertas creata habet determinari à libertate Dei,quę eſt ſuperior,abſque ſui læſione.

26 Obijc. 7. Duo contraria nequeunt concordari in eodem; ſed infallibilitas prædeſtinationis, & fallibilitas arbitrij ſunt contraria; ergo nequeunt ſimul concordari;& ideo prædeſtinatio tollit libertatem.

Reſp.per hoc probari actum liberũ,qui eo ipſo,quòd eſt,infallibiliter eſt, non poſſe coniũgi ſimul cum potentia libera,quæ in eo,quòd libera, fallibilis eſt; & hæc eſt magna hallucinatio. Diſt. igitur ma. Duo contraria poſitiuè ſe mutuò expellentia,vt calor,& frigus;vel negatiuè,vt homo,& non homo,conc; duo contraria per modum paſſiui,ſeu recipientis, & receptibilis;determinabilis,& determinãtis,neg;aliter ex materia, & forma nunquam poſſet fieri vnum compoſitum; quia materia ſe habet per modum paſſiui determinabilis,& recipientis; forma verò per modum actiui, determinantis, & recepti; ſic autem ſe habet prædeſtinatio paſſiuè ſumpta;eſt enim actus determinans noſtram voluntatem ad conſecutionem gloriæ.

27 Obijc. 8. Si voluntas creata indigeret prædefiniri à Deo,ſequeretur,quòd ſecundùm ſe non eſſet perfectè libera; quia ei deficeret virtus ad eliciendum ſuum actum;ſed hoc repugnat; aliter voluntas reprobi non poſſet demereri, quia in ea non eſſet perfecta libertas, quæ neceſſariò requiritur ad meritum, & demeritũ; ergo voluntas creata non indiget prædefiniri.

Reſp. hoc quoque æquiuocare de libertate actus,& potentiæ. Igitur diſt. ma. Non eſſet perfectè libera libertate potentiæ, quæ conſiſtit in indifferẽtia ad vtrunque,neg; libertate actus, quæ conſiſtit in actuali tendentia ad obiectum ſupernaturale,ad quod nequit tẽdere niſi per vires ſupernaturales,conc.Ideo *Beatiſſ.P.de Cor.& Grat.c.*11; ait: *Liberum arbitrium ad malum ſibi ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.*Ad prob.infert.diſt.Perfectè liberum potentiale eſt illud, cui non deficit virtus potentiæ ad tendendum in ſuum obiectum, conc;cui non deficit virtus actualis,neg. Sic voluntas reprobi quanuis ei deficiat virtus actualis neceſſariò requiſita ad tendendum in bonum ſupernaturale, attamen eſt perfectè libera libertate potentię, & ideo demeretur. Ita ſoluuntur omnes aliæ obiectiones.

28 Ex dictis manifeſtè apparet,quòd noſtra ſententia conſtituens gratiam actualem in ipſo actu voluntatis, vt ferè *ex SS. PP; & Scripturis* oſtendimus *de Scient. Dei q.*4. *art.*1.*§.*2; veriſſima eſt, & ab omnibus tenenda; ludit enim inter grauiores difficultates, eaſque eludit faciliter; quod proprium eſt ſolius veritatis, quæ ab vmbris difficultatum, & ſophiſmatum nequit obtenebrari, aut obſcurari.

ART. V.

An Prædeſtinatio certò, & infallibiliter conſequatur ſuum effectum?

1 PRiſcis temporibus orta fuit hæc difficultas, vt videre eſt *apud Mag.ſent. hic,& apud B.Doct.inf;* occaſione explicandarũ harum propoſitionum: *Prædeſtinatus neceſſariò ſaluabitur: Reprobus neceſſariò damnabitur; & prædeſtinatus nequit damnari; reprobus nequit ſaluari;* ad quas tamen propoſitiones ex habitis *in ſup.art.*patet,quid ſit dicendum. Cùm enim oſtenſum fuerit conſecutionem vitæ æternæ reſpectu Dei eſſe infallibilem,& immutabilem; & reſpectu noſtrum eſſe fallibilem, & mutabilem; ideo prædeſtinatus relatus ad Diuinam prædeſtinationem infallibiliter ſaluabitur,quia Diuina prædeſtinatio infruſtrabilis eſt;relatus tamen ad ſuam voluntatem præciſè liberè, & fallibiliter ſaluabitur, quia eius voluntas mutabilis, & fallibilis eſt; nec eſt infallibilis, niſi quatenus ſubiacet prædeſtinationi Diuinæ. Et ſic prędeſtinatus relatus ad ſuam voluntatem præciſè poteſt damnari,quia habet potentiam ad peccãdum,& reprobus poteſt ſaluari,quia habet auxilia ad ſalutem;quanuis relatus ad Diuinam prędeſtinationem neque ille poſſit damnari, neque iſte ſaluari;quia illa nequit fruſtrari.Igitur.

2 Vnica concl. Prædeſtinatio eſt ita certa ex parte Dei,non ex parte noſtra, vt infallibiliter ſuum conſequatur effectum. *Ita Fundatiſſ. Doct.hic diſt.*40.*princ.*1.*q.* 2.*art.*2; *& Quodl.*3. *q.*3;*& communiter omnes Theologi.*

Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Io.*13. dicitur: *Non*

Non perdidi ex eis quenquam, quos tradidisti mihi. Et Rom.8. Quos prædestinauit, illos & vocauit; quos autem vocauit, ipsos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit.

Et Beatiss.P. de Cor. & Grat. c.7. sup. allatos tex. ait. *Ex istis nullus perit, quia omnes electi sūt.* Et paulò post. *Horum si quisquam perit fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquā perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Et inferiùs sup. illud 2. ad Tim. 2. Firmum autem fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Sciuit Dominus, qui sunt eius;* subdit: *Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò, aut omnino non deficit, aut si qui sunt, quorum deficit, reparatur, antequam ista vita finiatur, & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate vsque in finem perseuerantia deputatur. Et de Dono perseu. c.9.* ait: *Si ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent. Et inf. c.17. Nā in sua, quæ falli, mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quicquā est prædestinare.*

3 Formatur autem sic eius ratio, quam etiā ex professò tradit *in Enchir. c.94. & seq. à Fundatiss. Doct. vbi sup.* Prædestinatio Diuina includit præscientiam, voluntatem, & notitiam certā numeri prædestinatorum; ergo infallibiliter suū consequitur effectum. Prob. ant. Prædestinatio definitur præscientia, & præparatio beneficiorū Dei, seu propositum efficax dandi creaturis sua beneficia; & vltra hoc includit notitiam certam numeri electorum; aliter Deus *nesciret, qui sunt eius*; quod est contra *Scripturam vbi sup*; sed illud, quod importatur in definitione alicuius rei, importatur essentialiter ab illa re; ergo prædestinatio essentialiter importat præscientiam, voluntatem, & notitiam certam numeri prædestinatorum. Prob. conf. Præscientia Dei est infallibilis, aliter subijceretur errori, & ideo non esset perfectissima scientia, quia de ratione scientiæ est certitudo, & infallibilitas; in hoc enim distinguitur ab opinione, quæ importat incertitudinē, & fallibilitatem; & voluntas Dei est omnipotens, ac immutabilis ita, vt quod semel voluit, nunquam possit nolle, & executio illius, quod vult, à nullo possit impediri; aliter non esset omnipotens; & numerus certus essentialiter importat infallibilitatem; aliter non esset certus, sed incertus; sicut enim certitudo conuertitur cum infallibilitate, ita incertitudo conuertitur cum fallibilitate; ergo prædestinatio respectu Dei ex hoc triplici capite est infallibilis, & infallibiliter consequitur suum effectum.

4 Conf. Si prædestinatio esset fallibilis, sequeretur, quòd consecutio gloriæ, & reprobatio ad pænam merè casualiter, & fortuitò contingerent Deo, quia contingerent præter eius voluntatem, & scientiam; contingerent enim præter prædestinationem, quæ importat actum voluntatis, & intellectus; ergo prædestinatio infallibiliter consequitur suum effectum

5 Prob. 2. pars concl. Consecutio gloriæ ex parte voluntatis creatæ secundùm se præcisè accepte, nō autem, vt subditur, & refertur ad Diuinam prædestinationem, est omnino incerta, iuxta illud 2. *Petri* 1. *Satagite, vt per bona opera nostra certam vestram vocationem faciatis. Et Apoc. 3. Tene, quod habes; ne alter accipiat coronam tuam.* Et ratio est. Nostra voluntas secūdùm se præcisè accepta est omnino mutabilis, & fallibilis; ergo consecutio gloriæ relata ad nostram voluntatem secundùm se precisè acceptā non est infallibilis; effectus enim denominatur, & cōmensuratur cum sua causa. Ant. patet; quia nostra voluntas secundùm se accepta est essentialiter defectibilis, neque redditur indefectibilis, nisi prout stat sub firmo proposito Dei, quod est indefectibile.

6 Obijc. 1. Si prædestinatio esset infallibilis, non haberet infallibilitatem, & certitudinem ab operibus nostris; sed consequens est falsum; nam vt supra dictum, est opera nostra bona faciunt certam nostram vocationem; & coronam gloriæ malis operibus quisquam potest ammittere, & alius accipere, vt dicitur *Apoc. vbi sup*; super quod ait *Glos. Dum aliquis labitur, alius in locum eius subinducitur; & Greg. in Iob. 34. Locum vitæ alijs cadentibus; alij sortiuntur*; ergo prædestinatio nō est infallibilis.

Resp. neg. seq. Non enim prædestinatio acquirit certitudinem ab operibus nostris, sed è contra opera nostra habent certitudinem à prędestinatione. Ad 1. prob. dicitur *D. Petrum* loqui de consecutione gloriæ per ordinem ad nostram voluntatem, quæ est fallibilis, & mutabilis, vt dictum est; non autem per ordinem ad Diuinam præscientiam, quæ est infallibilis, & ad Diuinam voluntatem, quæ est omnipotens; & ideo potest vincere malitiam voluntatis creatę ipsam tollendo, & dando bonitatem iuxta illud *Ezec. 36. Dabo vobis cor nouum; et illud: Dabo carneum, & anferam cor lapideum.* Sic dicitur ad alias auctoritates; quamuis istæ intelligantur à pluribus *DD.* de gratia secundùm præsentem iustitiam, cui secundùm præsentem iustitiam debetur gloria.

7 Obijc. 3. Si prædestinatio esset infallibilis, sequeretur, quòd prædistinati, siue bene, siue malè vixerint, necessariò saluarentur, & reprobi necessariò damnarentur; ergo nullus deberet esse sollicitus de sua salute.

Conf. Si prędestinatio esset infallibilis, prędestinatus non posset damnari, & reprobus non posset saluari; sed consequens est falsum; quia sicut prædestinatis non adimitur potentia ad peccandum, ita reprobis non tollitur potentia ad bene agendum.

Resp. *Fundatiss. Doct. vbi sup.* Omnes istas propositiones absolutè, & simpliciter esse falsas, quia

quia appellant etiam supra voluntatem creatā, quæ secundùm se est fallibilis, & mutabilis; & ideo respectu illius præcisè sumptæ nulla fallibilitas desumi potest, quamuis si referantur ad Diuinam prædestinationem, à qua sumunt infallibilitatem, sint veræ. Quod præcipuè dicendum est de propositionibus allatis in *conf*, illę enim manifestè appellant potentiam volitiuam creatam, quæ, cùm libera, & fallibilis sit, nullam necessitatem, & infallibilitatem potest refundere in effectum. Dist. igitur ant. Prædestinati necessariò saluarentur per ordinem ad prædestinationē Diuinam, conc; per ordinem ad voluntatem creatam, neg. Neque ex hoc sequitur tolli sollicitudinem nostræ salutis; ait enim *Fundatiss. Doct. in Opusc. de Præd; & Præsc. c. 3.* in fine. *Vidette saluandum, & damnandum, sicut videt te comesturum; sicut ergo dcrideretur ille, qui diceret: Deus præuidit me comesturum; ideo de necessitate comedam; propter quod non oportet me laborare, nec lauare mauus, nec ire ad mensam; sed veniet bolus, & etiam me inuito introibit in os meum, quia præuidit Deus me comesturum, & sic fiet; sic deridendus est ille, qui diceret: Deus præuidit me saluandum, aut damnandum; ideo non oportet eum curare, qualiter agat, quia sic eueniet, sicut Deus præuidit.* Quam doctrinam sæpe affert *Beatiss. P. cont. Pelagium*, cuius est hoc argumentum. Igitur sicuti quamuis Deus præuiderit homines comesturos; attamen debent esse solliciti de sumendo cibo; ita quamuis illos prædestinauerit ad gloriam, debent esse solliciti de consecutione illius.

Ad conf. neg. seq. Illud enim verbum *posset* appellat potentiam volitiuam creatam, quæ secundùm se est fallibilis, vt dictum est.

ART. VI.

Vnde sumatur infallibilitas Prædestinationis?

1 HAec quoque difficultas resolui potest ex supra dictis; cùm enim ad prædestinationem concurrat voluntas efficax Dei eligens efficaciter media, & præscientia Dei illa efficaciter ordinans, cùmque non minùs præsciētia Dei sit infallibilis, quia nulli supponitur errori, quàm volītas sit infrustrabilis, quia à nulla potentia potest impediri; ideo ex vtraque prędestinatio sumit suam infallibilitatem.

Loquimur autem *hic* de prædestinatione quantùm ad executionem; nam quantùm ad intentionem, cùm sit actus Diuini intellectus, patet esse infallibilem, quia in Deo falsitas esse non potest. Quærimus ergo, an ipsa executio prædestinationis sit infallibilis nedum, quia ita scitur à Deo, sed etiā, quia sic decernitur à volūtate Dei?

2 Prima sententia vult infallibilitatem prędestinationis desumi à præscientia Dei, quæ ante omne decretum videt, ad quid voluntas ereata posita in his occasionibus, & circunstantiis se determinabit. Tribuitur *Mol. hic art. 5. disp. 1. memb. 11. §. Nos verò.*

Secunda sententia docet infallibilitatem Diuinæ predestinationis nedum oriri ex Diuina præscientia, sed etiam ex omnipotentissima Dei voluntate. *Ita Fundatiss. Doct. hic dist. 40. princ. 2. q. 2. art. 2. §. Hoc viso*; vbi ait: *Dicere possumus Diuinam prædestinationem tripliciter certam esse. Primò ex præscientia, quam præsupponit; nam secundùm Augustinum in de prædestinatione SS. Prædestinatio sine præscientia esse non potest. Secundò ex causarum ordine, secūdùm quem est executio eius &c.* Hanc sententiam sequuntur omnes *Thomistæ* cum hoc tamen discrimine; quòd illi volunt infallibilitatem euentus, seu executionis prædestinationis oriri à decreto prædeterminante; nos autem asserimus oriri à decreto inspirante actus bonos per ordinem ad actum perseuerantiæ finalis, quo creatura infallibiliter consequitur vitam æternam.

3 Vnica concl. Infallibilitas prædestinationis sumitur nedum à præscientia Dei, quæ falli non potest, sed etiam ab eius voluntate, quæ nequit frustrari.

Prob. 1. ex *Beatiss. P. de Cor; & Grat. c. 7*; vbi ait: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Quibus verbis indicat infallibilitatem prædestinationis respectu præscientiæ Dei, cui propriè opponitur falsitas. Deinde, vt demonstret infallibilitatē euentus etiam respectu voluntatis, quæ à nullo est impedibilis, & vincibilis, subiungit: *Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Quod fusè probat *in Enchir. à c. 94. ad 106*; vbi ostendit voluntatem Dei non posse frustrari, cassari, aut impediri, quia omnipotens est, & ideo vincit omne impedimentum, & superat omnem difficultatem.

4 Formatur autem sic eius ratio. Quilibet euētus, seu effectus trahit suam infallibilitatem & certitudinem à causis, quæ ad illum concurrunt; omne enim, quod habet effectus, habet à sua causa, à qua recipit esse, quod substernitur denominationi certitudinis, & infallibilitatis; sed executio prædestinationis pendet nedum à præscientia, quæ secundùm se est infallibilis, sed etiam à voluntate, quæ est simpliciter inimpedibilis; ergo executio prædestinationis trahit suam infallibilitatem, & certitudinem à præscientia, & voluntate Dei efficaci.

5 Conf. Non minùs repugnat scientiæ Dei fallibilitas, quàm voluntati efficaci ipsius Dei impedibilitas; sicut enim fallibilitas opponitur certitudini ipsius scientiæ, ita impedibilitas opponitur efficaciæ ipsius voluntatis; impedibilitas enim dicit inefficaciam; nam quotiescunque aliqua causa impeditur, ne producat suum effectum, tunc illa causa redditur inefficax, idēst non faciens effectum; ergo executio prædestinationis est infallibilis nedum, quia præscientia Dei efficaciter ordinans electos ad gloriam est infalli-

libilis; sed etiam, quia voluntas efficaciter eligens est inimpedibilis; tunc enim, vt supra dictū est, euentus dicitur infallibiliter euenire, quando causa ipsum producens est inimpedibilis.

6 Vrgetur ampliùs. Efficaciter velle aliquod, & non posse arguit impotentiam in volente; sed Deo repugnat impotentia, quia omnipotens est, sicuti repugnat inscitia, quia omniscius est; ergo repugnat Deum efficaciter velle aliquod, & illud non posse; atqui si voluntas Dei efficaciter electiua esset impedibilis à voluntate creata, & posset frustrari suo effectu, efficaciter vellet aliquod, quod non posset ob impedimentum, quod poneret voluntas creata; ergo esset impotens; sed hoc est falsum; ergo omne efficaciter volitum à voluntate Dei præcisè, prout volitum ab ipsa, infallibiliter eueniet, & per consequēs executio prædestinationis trahit suam infallibilitatem etiam à voluntate Dei electiua.

7 Prob. 2. *ex eodem Beatiss. P. in Enchir. vbi sup.* Si voluntas Dei efficax secundùm se ipsam non esset infallibilis, posset dari casus, in quo voluntas Dei vellet aliquod efficaciter, quod non faceret, seu vellet aliquem actu saluare efficaciter, quem tamen non saluaret; sed consequēs est contra Fidem; dicitur enim *ps. 113. Omnia, quæcunque voluit, fecit; & ps. 148. Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*; ergo voluntas Dei secundùm se ipsam est infallibilis; nomine enim infallibilitatis nihil aliud intelligimus, nisi certam productionem rei. Ma. patet; nam in tantùm nostra voluntas est fallibilis, in quantùm potest dari casus, in quo efficaciter velit aliquod, quod actu non facit; ergo à pari.

8 Obije. 1. Si voluntas Dei infallibiliter saluaret, traheret ineluctabiliter voluntatem prædestinati ad bene agendum; ergo tolleret eius libertatem; libertas enim consistere nequit cum ineluctabilitate, quæ dicit necessariam determinationem ad vnum repugnantem indeterminationi libertatis.

Resp. hoc, & alia similia argumenta, quæ tangunt libertatem, fuisse satis soluta *in sup. art. 3. & 4.* Neg. ergo cons. & ad prob. infert. dicitur, quòd ineluctabilitas actus, seu necessitas, quam importat actus eo ipso, quòd est; vel determinatio ad vnum, quam importat formaliter actus, qui est ipsa formalis determinatio, vt patet, non tollit, sed perficit libertatem. Voluntas autem Dei trahit voluntatem creatam ponendo in ipsa actum liberū, per quē volūtas creata fit volens, & liberè volens; quapropter docet *Beatiss. P.* quòd Deus per suam gratiam *volentes ex nolentibus facit*; vt constat de conuersione cordis *Assueri* de feritate in lenitatem; & de mutatione cordis Populi Israel ad constituendum *Dauid, & Saul* in Reges; & de conuersione *Sauli*, cùm pergeret *Damascum*, dicentis: *Domine, quid me vis facere?* Non enim inuiti, sed maximè voluntariè, ex corde, & ex animo hoc fecerunt. *Vid. de Scient. q. 4. art. 1. §. 2.* Ceteras obiectiones *vid. superiùs art. 4. & 5.*

9 Obije. 2. Non minùs est voluntas Dei voluntas antecedens, quàm voluntas consequens; sed voluntas antecedens non est infallibilis; ergo neque voluntas consequens; & ideo à voluntate nequit sumi infallibilitas. Ma. patet; nam voluntas Dei diuiditur in voluntatem antecedētem, & consequentem tanquam in duas voluntates formaliter in Deo existētes eo modo, quo diuiditur scientia simplicis intelligētię, & visionis. Prob. mi. Voluntas antecedens non consequitur suum effectum; vult enim omnes homines saluos fieri, & tamen omnes homines non saluantur; ergo non est infallibilis.

Resp. neg. mi. Ad prob. dicitur, quòd effectus voluntatis antecedentis est velle conferre naturæ rationali gloriam præscindendo ab indiuiduis, vt toties dictum est; & natura rationalis verè consequitur gloriam; & ideo consequitur suum effectum; quanuis enim non omnia indiuidua consequantur gloriam; attamen quia ipsa non vult indiuiduis gloriam, ideo non dicitur frustrari. *Vid. de Vol. q. 4. art. 2.*

ART. VII.

An numerus prædestinatorum possit augeri?

1 Resolutio difficultatis pendet pariter ex dictis *superiùs.* Si enim posset augeri, vel minui, ex triplici capite posset contingere. 1. Quia Deus posset in tempore efficaciter prædestinare aliquos, quos non prædestinauit ab æterno; & hoc non; quia posset velle in tempore conferre gloriam, quam noluit conferre ab æterno, & sic mutaretur voluntas Dei; vt diximus *q. 2. art. 4. de Vol. Dei.* 2. Quia posset creatura non prædestinata consequi actu gloriam per sola auxilia generalia; & hoc quoque falsum est; quia prædestinatio non esset simpliciter necessaria ad salutem; cuius oppositum *superiùs art. 2.* tradidimus. 3. Quia posset creatura prædestinata actu non consequi gloriam; & hoc pariter repugnat infallibilitati ipsius prædestinationis. Ex his ergo optimè infertur numerum prædestinatorum ita esse certum, vt non possit augeri, vel minui. Quod autē dicemus de numero prædestinatorum, dicēdum est pariter de numero reproborum; vnus enim necessariò infert alterum.

2 Loquimur autem de certitudine secundùm se, & respectu intellectus Dei; non verò respectu intellectus nostri; de quo sermo erit *inseq. art.* Et sensus est, an numerus electorum ita sit certus in se ipso, & infallibiliter à Deo cognitus, vt nequeat augeri, vel minui?

3 Præterea numerus potest esse certus dupliciter. 1. Vagè; & indeterminatè ita, vt v. g. sit decem hominum, sed non sint determinati tales ho-

homines in particulari; & in hoc sensu videtur intelligi illud *Apoc.3. Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*; sup. quod *Beatiss. P. de Cor; & Grat. c.13.* ait: *Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus.* Et illud *Matt. 3. Facite ergo dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vosmetipsos: Patrem habemus Abraham; potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Sup, quod *idem Beatiss.P. ibid. Vt ostendat sic istos esse amputandos, si non fecerint fructum, ut non desit numerus, qui promissus est Abrahæ.* 2. Determinatè, & in particulari ita, vt non solùm numerus, sed etiam homines in particulari designati sint, qui debent gloriam aquirere.

4 *Vnicus Catharinus*, vt diximus *in sup. art*; distinxit tres classes hominum. In prima collocauit Viros eximiæ sanctitatis; vt *Beatissimam Virginem, Apostolos, S. Laurentium, & alios*; & hos dixit infallibiliter saluari. In secunda constituit homines pessimos, & scelestissimos; vt *Iudam, Pharaonem, Pilatum, Herodem, Antiochum, & alios*; & hos dixit infallibiliter damnari. In tertia constituit reliquos homines, qui nec eximia sanctitate, nec insigni iniquitate sunt præditi: & hos dixit neque esse prædestinatos, neque reprobos; sed quemlibet eorum posse saluari, & damnari; & ideo aliquos eorum, qui non sunt prædestinati, actu consequi gloriam. Igitur iuxta *Catharini* sententiam numerus hominũ eximiæ sanctitatis, & pessimæ vitæ est certus; numerus verò eorum, qui sunt mediocris probitatis, & vulgaris iniquitatis non est certus. Et absolutè loquendo collectiuè de omnibus numerus prædestinatorũ, & reproborum est incertus.

5 Sentẽtia tamen omnium Theologorum docet numerum prædestinatorum, & reproborum ita esse certum nedum vagè, sed determinatè, & in particulari, vt nullo modo possit augeri, vel minui. *Ita Fundatiss. Doct. hic dist. 40. princ.3.q.2. art.2*; vbi ait: *Numerus eorum apud Deum certus, & notus est; oportet tot saluari; & eos, quos præuidit.* Idem docet *Mag. ibid; & omnes communiter.*

6 Not; quòd certitudo oritur ex necessitate, seu infallibilitate, sicut incertitudo ex contingentia, seu fallibilitate. Quemadmodum ergo necessitas alia est absoluta, & simpliciter, quæ contradistinguitur à libertate à necessitate; & alia est ex suppositione, & secundùm quid, quæ competit rei liberæ, supposito, quòd res existat; ita certitudo alia est, quæ prouenit ex necessitate simpliciter; & in hoc sensu certum est numerum prædestinatorum non esse certum; quia sicut Deus prædestinauit hos in particulari, non alios, ita potuerat omnes, vel nullos prędestinare; sicut ita creauit hos, non illos, vt potuerit omnes, vel nullum creare. Et alia est certitudo ex suppositione, seu secundùm quid, quæ prouenit ex eo, quòd Deus liberè decreuit aliquos prædestinare.

7 Neq; obstat, quòd *D. Ansel. lib. Cur Deus homo*; asserat Deum non potuisse res aliter facere, quàm fecit, quia non decuit; nihil enim aliud intendit *hic S. Doct*; nisi quòd Deus non poterat instituere ordinem perfectiorẽ, & congruentiorem, quàm illum, quem de facto dedit rebus; quòd si Deus alium ordinem dedisset, nõ esset perfectior eo, quẽ de facto imposuit; quia vterque esset secundùm dictamen suæ summæ, & infinitæ sapientiæ.

8 Vnica concl. Numerus prædestinatorum, & reproborum in particulari est Deo certissimus ita, vt nequeat minui, vel augeri.

Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Io.13.* ait Christus Dominus: *Ego scio, quos elegerim; & 2. Tim. 2. Cognouit Dominus, qui sunt eius.* Sed illa particula *quos*, seu *qui* denotat personas in particulari; ergo numerus prędestinatorum in particulari est Deo certissimus.

9 Prob. 2. *ex Beatiss. P. de Cor; & Grat. c.13.* docente: *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec eis addatur quisquam, nec minuatur ex eis.* Et paulò post. *Certum verò esse numerum electorum, neque augendum, nec minuendum.*

10 Prob. 4. ratione. Prædestinatio definitur *præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; sed si numerus prædestinatorum non esset certus, prædestinatio, non esset id, quo certissimè liberantur omnes, qui liberantur; implicat enim, quòd cognitio liberatorum sit certa, & numerus eorum sit incertus; cùm numerus sit effectus cognitionis numerantis; ergo numerus prædestinatorum est certus.

11 Conf. Si numerus electorum non esset certus, scientia Dei posset falli, & eius voluntas mutari; sed consequens est falsum; repugnat enim scientiam Dei, quæ certissima est, posse subijci errori, & falsitati; & eius voluntatem, quæ perfectissima est, posse mutari; ergo numerus eorum est certus. Prob. ma. Quæcunque cognitio, quæ habet pro obiecto aliquod incertum, potest falli; sicuti enim circa id, quod est certum, datur veritas; ita circa id, quod est incertum, potest dari falsitas; quæ solùm potest esse circa res dubias, & incertas; Et quæcunque voluntas, quæ modò vult aliquod obiectum esse, & modò non esse, mutatur; sed si numerus prædestinatorum non esset certus, scientia Dei haberet pro obiecto aliquod incertum; & eius voluntas modò vellet aliquos esse prædestinatos, modò nollet illos: ergo scientia Dei falleretur; & eius voluntas mutaretur.

12 Prob. 4. Deus habet nomina electorum descripta in *libro Vitæ*; ergo numerus eorum in particulari est certus; *Scriptura* enim reddit numerum certum, vt patet. Tum quia si numerus eorum non esset certus in particulari, quòd

tot homines nominatim saluarentur, contingeret scientiæ Dei; nam cùm numerus militum eligendorum ad bellum est Duci incertus, quòd tot, & non plures eligantur, contingit cognitioni ipsius Ducis; sed nihil potest contingere scientiæ Dei, aliter non esset infinita extensiuè; ergo numerus electorum est certus.

13 Tandem. Numerus numerans est in intellectu numerante; sed in intellectu Dei nulla potest esse incertitudo, quæ pugnat cum eius perfectissima scientia, de cuius ratione est certitudo, & euidentia; ergo numerus electorum respectu intellectus Dei est certus.

14 Obijc. 1. Si numerus prædestinatorum esset certus, soli prædestinati saluarentur; sed consequens est falsum; aliter frustraneæ essent tot exhortationes, correptiones, & prædicationes; tum quia frustra Deus vocaret reprobos tot illuminationibus, & motionibus internis, ac externis; cùm enim *aliquis* prudes certò scit suas exhortationes non profuturas alicui, frustra eum corripit; ergo numerus electorum non est certus.

Resp. hoc arg. fuisse propositum *à Massiliensibus Beatiss. Patri*; cui respondet *lib. de Cor; & Grat.* ostendens correptionem non solùm non repugnare gratiæ, sed esse effectum ipsius; quia per ipsam excitatur cor ad agendum bonum. Neg. igitur mi. Ad 1. prob. infert. dicitur exhortationes non esse frustraneas, quia sunt media ad salutem, nullum autem medium est frustraneum; tum quia exhortationes fiunt reprobis ad remouendam ab eis omnem excusationem. Ad 2. neg; quòd Deus frustra illuminet, & inspiret reprobos; tales enim illuminationes, & inspirationes ordinantur ad ostendendam misericordiam Dei erga omnes, & ad reddendam inexcusabilem malitiam reproborum. Ad id, quod additur, dicitur, quòd licèt *aliquis* prudens certò sciat correptionem non profuturam correpto, attamen talis correptio non est frustranea ex parte corripientis, qui intendit ostendere suam charitatē erga proximū; quanuis correptus eam reddat frustraneā, quia illam negligit. Cùm ergo frustraneum sit illud, quod caret fine, nullo modo correptio ex parte corripientis est frustranea, quia non caret fine, cùm verè ostendat suam pietatem &c.

15 Obijc. 2. Prædicare populo rudi hanc sententiam esset ipsum in desperationem inducere; diceret enim: *Si* numerus electorum est certus, ad quid tot pœnitentiæ, tot asperitates, vt consequamur vitam æternam? Ergo hæc sententia, vtpotè inductiua desperationis, non est tenenda.

Resp. hoc pariter fuisse argumentum *Massilientium*, qui in *Semipelagianismum* inciderant; cui respondet *Beatiss. P. de Dono Persev. c. 22.* asserens, quòd imperitis hominibus *dicendum est: Sic currite, vt comprehendatis, vt ipso cursu uestro ita vos esse præcognitos noueritis, vt legitimè curreretis; & si quo alio modo Dei præscientia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur*. Neg. ergo ant; nam populo rudi prædicandum est, quòd Deus certò nos prædestinauit, vt bonum faciamus, quo aquiremus beatitudinem; quod est incitamentum ad bonum agendum, & ideo auget spem, omnemque tollit desperationem.

16 Obijc. 3. Si Deus prædefiniret numerum electorum, & reproborum, sequeretur, quòd maior esset numerus illorum, quàm istorum; quia operatio Dei in bonum reperitur in pluribus; vt patet de opere creationis; in quo Deus producit opera perfecta, vt plurimum; monstra verò, quæ sunt opera defectuosa, producit in pauciori numero; sed consequens est falsum; habetur enim *Matt. 7. Angusta est porta, quæ ducit ad salutem, & pauci intrant per eam; lata est via, quæ ducit ad interitum, & multi intrant per eam*; Et alibi: *Multi sunt vocati, pauci uerò electi*; ergo numerus electorum non est certus.

Resp. neg. ma. Ad prob. infert. dicitur, quòd bonū naturale naturaliter debitum creaturæ reperitur in pluribus, non autem bonum supernaturale ei simpliciter indebitum; per cuius raritatem magis resplendet illius excellentia. Cetera soluta sunt *in sup. articulis*.

ART. VIII.

An sine reuelatione numerus electorum possit esse certus creaturæ?

1 Reuelationē Diuinā circa aliquod mysteriū supernaturale dupliciter fieri posse obseruat *Fundatiss. Doct. hic dist. 41. princ. 1. q. 2. art. 1*; scilicet in vniuersali, & in confuso non manifestando in particulari personas, quibus collatum est beneficium illius mysterij; & in particulari manifestando indiuidualiter personas, quibus signatè collatum est illud beneficium. Sic reuelauit *Deus B. Virgini, Apostolis*, & quibusdam alijs Sanctis suam prædestinationē, & etiam alienam, vt legitur *de S. Sixto Papa*, qui dum ad martyrium raperetur, dixit *S. Laurentio: Post triduo me sequeris Sacerdotem leuita*.

2 Quòd reuelatio prędestinationis omnium electorum in particulari, & signatè non fuerit facta omnibus hominibus, manifestum est; nam vel haberetur expressè in *Scripturis*, vel ex traditione; sed neutro modo habetur; ergo reuelatio prædestinationis omnium hominum in particulari non fuit facta vniuersaliter omnibus hominibus; quidquid sit, an fuerit facta *Beatissimæ Virgini*, quam certum est habuisse visionem beatificam, vt diximus *To. 1. de Inuisib. q. 4. art. 4. n. 4*; & per ipsam verisimile est discerni omnes prædestinatos, qui pertinent ad statum beatitudinis accidentalis.

3 Reuelationem autem particularem supernaturalem esse necessariam ad hoc, vt quilibet

sit

fit certus de sua prædestinatione, patet tum *ex Conc. Trid. sess. 6. can. 12. & 15. in Decreto de Iustificat.* tum ex ratione; prædestinatio namque est supernaturalis; sed omne supernaturale cognoscitur solùm per reuelationem supernaturalem, cùm naturaliter sit ignotum; ergo nullus in particulari potest esse certus de sua prædestinatione, nisi per reuelationem supernaturalem.

4 Vnica concl. Per reuelationes Diuinas contentas *in Scripturis* de facto non habemus certitudinem de numero prædestinatorum distinctè, & clarè, sed tātùm in vniuersali, & confusè; maioritatem autem, vel minoritatem cognoscere possumus solùm coniecturaliter.

Prob. 1. pars concl. *ex Scripturis*; nam *Io.* 13. Christus Dominus ait: *Ego scio, quos elegerim*; quibus verbis apertè demonstrat solum Deum nosse numerum electorum: *Et in illa orat. Ecclesiæ* dicitur: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus*. Ex quibus sic arguitur. Illud est reuelatum, quod habetur *in Scripturis*; sed *in Scripturis* non habetur certitudo numeri electorum distinctè, & clarè, vt patet; ergo nullus potest habere certitudinem numeri electorum, nisi per specialem reuelationem nouiter factam, & per consequens per reuelationes Diuinas contentas explicitè *in Scripturis* nullus potest esse certus numeri prædestinatorum; quidquid sit, an certitudo huius numeri cōtineatur *in Scripturis* implicitè, & virtualiter ęnigmaticè ita, vt sine noua reuelatione non possit distinctè, & clarè cognosci.

5 Prob. 2. *ex Beatiss. P. de Cor. & Grat. c. 13.* vbi ait: *Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio*. Et paulò post. *Nam propter vtilitatem huius secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam, qui bene currūt, timeant, dum occultum est, qui perueniant*. Ex quo eruitur hæc ratio. Nullus *ex Scripturis* potest cognoscere se ipsum esse prædestinatum; ergo nullus *ex Scripturis* potest cognoscere certitudinem numeri electorum in particulari; quia etiam ipse pertinet ad talem numerū vel inclusiuè, si sit prędestinatus; vel exclusiuè, si reprobus. Prob. ant. *In Scripturis* nō sūt descripta nomina nostra explicitè; ergo nullus potest esse certus ex vi solius reuelationis *Scripturarum* se esse prædestinatum.

6 Conf. Secretum prædestinationis maximè conducit ad humilitatem, timorem, & cautelam nostræ salutis; ergo congruēs fuit, vt nostra prædestinatio non fuerit reuelata in particulari *in Scripturis*, sed secreta. Ant. patet; nam si vnusquisque sciret se esse prædestinatum, & alium reprobum, posset aduersus illum inflari; hinc Deus ferè omnibus, quibus reuelauit suam prędestinationem, non nisi in fine vitæ reuelauit ne ex tali reuelatione oriretur elatio sui, &

contemptus aliorum.

7 Prob. 2. pars concl. Possumus supposita reuelatione cognoscere, quòd spectet ad pulcritudinem Vniuersi aliquam multitudinem creaturarum eleuari ad gloriam in ostensionem Diuinæ misericordiæ; & alterā reprobari ad pęnā in ostēsionē Diuinæ iustitiæ; nā ex hac varietate consurgit pulcritudo Vniuersi; sicut ex varietate mēbrorū cōsurgit pulcritudo corporis; ergo possumus scire in confuso numerū prædestinatorū.

8 Quòd autem multitudo electorum sit maior, vel minor multitudine reproborum, non nisi coniecturaliter possimus cognoscere, prob.

9 Si loquamur de Angelis, & hominibus simul collectiuè, possumus coniectutari numerum prædestinatorum esse maiorem numero reproborum; nam plures Angeli sunt creati, quàm sint creata indiuidua creata ita, vt numerus Angelorum excedat numerum omnium entium corpore præditorum, & solùm tertia pars Angelorum existimatur cecidisse *iuxta illud Apoc. Draco traxit tertiā partem stellarum*; & tot homines sunt prædestinati, quot sufficiunt ad reparādas Angelorum ruinas, vt habetur *ex SS. PP*; ergo numerus creaturarum prædestinatarum collectiuè sumptarum excedit numerum creaturarum reprobatarum.

10 Si tamen loquamur de solis hominibus, numerus prędestinatorum est minor numero reproborum; & habetur *Mat. 20. Multi sunt vocati, pauci verò electi*; & *Luc. 8.* in parabola de semine: *Quarta tantùm pars dedit fructum*; ex quo habetur, quòd solùm quarta pars hominum saluatur. Et *lib. 4. Esdr. c. 4. & 8.* legitur: *Hoc sæculum fecit Altissimus propter multos, futurum propter paucos*; & ratio etiam id suadet. Tum quia maior est numerus infidelium, quàm fidelium. Tum quia natura humana læsa, & vulnerata propter peccatum habet maximam propensionem ad malum, & ideo faciliùs malum, quàm bonum operatur. Tandem quia, vt docet *Fundatis. Doct.* finis supernaturalis naturæ humanæ est illi maximè improportionatus, & omnino excedens illius facultatem, & vires naturales; ergo pauci hominum illum assequuntur, & consequētèt ab illo maior pars deuiat, & deflectit.

11 Si verò loquamur tantùm de hominibus fidelibus, est piè censendum, quòd maior sit numerus eorum, qui saluantur, quàm eorum, qui damnantur. Tum quia inter inuitatos ad nuptias vnus tantùm inuētus est sine veste nuptiali, idèst sine charitate; & habetur *Matt. 22*; sed per inuitatos intelligitur fidelium multitudo, & per eos, qui admissi fuerunt ad conuiuium, intelliguntur prædestinati, & per reiectum intelliguntur reprobati; ergo maior est numerus prædestinatorum, quàm numerus reproborum. Tum quia etsi natura humana sit infirma, & vulnerata, attamen fideles habent semper prompta Sacramenta, quibus sanantur, & præseruantur, & Sacramenta re-

recipiuntur in fine vitæ à maiori parte fidelium, ergo maior pars fidelium saluatur. Tum quia Mors Christi Domini est infiniti valoris, & efficacis Redemptionis, & quibus applicatur, vt in plurimum efficaciter applicatur ad hoc, vt decentem suis meritis obtineat effectum, sed applicatur omnibus Catholicis fidelibus; ergo maior pars fidelium saluatur. Tum quia videmus in vltima hora vitæ peccatores etiam scelestissimos, & omnibus vitijs obnoxios ingemiscere, & conteri, & lacrymas emittere in detestationem suorum peccatorum, quod est signum probabile salutis eorum; ergo multò magis saluantur homines non adeò vitiosi; sed maior est hominum multitudo, qui non sunt adeò scelesti; ergo maior pars saluatur. Tum quia homines saluandi replere debent ruinas Angelorum; sed Angeli lapsi sunt in maximo numero; ergo homines, qui saluantur debent esse in multo numero; sed si maior pars fidelium damnaretur, paruus numerus saluaretur; ergo maior est multitudo fidelium, qui saluantur, quàm qui damnantur.

Aduertendum tamen, quòd illa sententia, quæ dicit tot homines esse prædestinatos, quot sufficiunt ad replendas sedes Angelorum, qui ceciderunt; vt docet *Beatiss.P. de Ciu.lib.22.c.1; & in Enchir.c.29;* ita est intelligẽda, vt etsi Angeli non cecidissent, adhuc illi homines prædestinati essent; quia homines sunt capaces prædestinationis, & ideo etiam Angelis non cadentibus electi fuissent ad gloriam ad varietatem, & decorem Ecclesiæ cælestis; et si pauciores Angeli cecidissent, adhuc homines replessent numerum Angelorum, qui lapsi fuissent, vltra tamẽ numerum hominum replentium numerum Angelorum daretur numerus hominum prædestinatorum, qui prædestinati fuissent, etiam Angelis non cadentibus.

Hæc tamen omnia piè dicuntur, & de his nulla est apud nos certitudo, aut firmitas; ait enim *Beatiss.P.de Præd.SS.apud Fundatiss.Doct. hic: Descende, si vales, in profundum misericordiæ Dei, & ascende, si sufficis, in altitudinem iustitiæ iudicij eius.*

QVÆST. III.

De Causis Prædestinationis.

Rei essentia dupliciter cognoscitur, & à priori per causam, & à posteriori per effectum. Vt igitur magis appareat quiditas prędestinationis, causas illius inquirimus; tractatur *in seq.quæst.* de effectibus.

ART. I.

An detur aliqua causa prædestinationis?

1 Certum est executionem prædestinationis habere causam; sicut enim executio actualis finis dependet à medijs, quę sunt causa finis in executione; ita finis in intentione, à quo dependent media, est causa mediorum. Quęritur ergo de prędestinatione quoad intentionẽ; an scilicet possit assignari aliqua causa, cur Deus intenderit eligere ad gloriam aliquas creaturas?

2 *Plures Auctores* confundunt hanc difficultatem cum sequenti; in qua quæritur; an electio ad gloriam sit ex præuisione meritorum? Ceterùm non est confundenda; quia, vt patebit ex sententiarum varietate, aliqui substinent electionem fuisse ante præuisa merita & tamen assignant causam aliquam ipsius electionis; tum quia alij volunt præuisionem meritorum antecedere electionem, & tamen non fuisse causam, à qua motus sit Deus ad eligẽdas creaturas. Distinctè ergo has duas difficultates resoluemus.

3 Causa autem alia est physica, alia moralis. Causa physica est, quæ per verum influxum physicum causat effectum realiter distinctum in esse; vt dicitur *in 2.Phys.* Causa moralis est illa, quæ mouet causam ad agendum. Non est dubiũ in primo sensu; quia cùm intentio dandi gloriam sit actus Diuinus formaliter increatus, ideo nequit habere causam physicam realem, à qua producatur in esse. Inquirimus ergo, an detur aliquid ex parte nostra antecedens ipsam intentionem dandi gloriam mouens moraliter ipsum Deum ad prædestinandas creaturas, quod possit vocari causa prædestinationis?

4 Quatuor circa hoc adduci possunt capitales hæreses; quæ deinde variè modetatæ sũt ab earum *Sectarijs.*

5 Prima hæresis fuit *Manichæorum* docentium ex parte nostra dari causam nostræ prædestinationis; & hanc esse naturalem cuiuscunque dispositionem; & propriam stellarum constellationem; ex cuius diuersitate dicebant alios esse bonos, alios malos; alios beatos, alios miseros.

6 Hanc hæresim latissimè confutauit adeò, vt illam penitus extinxerit *Beat.P.Aug. in lib.cont. Manichæos*; & *lib.7. Confess. c. 6. ex illo Rom.9. Sed & Rebecca vno concubitu habuit duos filios;* ait, quòd imperceptibile est *Iacob, & Esau*, inter quorum natiuitates tam parum temporis intercessit, attamen habuisse exitus tam diuersos. Idem repetit *in Suppl.cont.Iul.* Et confutatur etiam ex illo *Hierem. 10. A signis Cæli nolite metuere, quæ Gentes timent.* Hæc hæresis damnata fuit *in Collat.Magna Carthag.*

7 Secunda hæresis fuit *Origenis lib. 1. Periarc.c.7.* dicentis, quòd animę rationales per aliquod temporis vixerunt, antequam vnirentur corporibus, & iuxta merita, vel demerita, quæ habuerunt extra corpora, fuisse electas, vel reprobatas.

Hanc quoque reijcit *Beatiss. P. de Hæres.*

hæres.

*hæreſ.*43; vbi refert *S.Epiphanium* hanc eandem cauſam agentem. Damnata fuit *in VI. Syn.Gen. act.*12; *& in Conc.Vienſ.ſub Clem.V*; *& Lat.III. ſeſſ.*8;*& in Clemẽt.de Summa Trin*;de quo *Sixt. Sen.in Biblioth. annot.* 185; 159;*&* 236;*& Cirill. Alexand.lib.*1.*in Io.c.*4. Refellitur autem *ex illo Rom.*8. *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi,Eſau autem odio habui.*

8 Tertia hæreſis ſuperiori proxima eſt *Priſcillianiſtarum* aſſerentium animas rationales, antequam vnirentur corporibus, in Cœlo fuiſſe creatas; vbi per aliquod tẽporis habitarunt; & quia *ibid.* peccarunt, ideo in pœnam deiectas fuiſſe in corpora; in quibus quidquid patiuntur, eſt pœna peccatorum commiſſorũ in Cęlis.

Damnata fuit *in Concil. Bracar. I*; *& à S. Leone Epiſt.*93.*ad Turrib.c.* 10. *De Præſcillianiſtis* agit *Beatiſſ.P.vbi ſup.hæreſ.*70.

9 Quarta hæreſis eſt *Pelagij*, *& Pelagianorum* aſſerentium gratiam ex meritis dari,& ideo cauſa, cur aliqui ſint prædeſtinati, & alij reprobati, eſſe merita, & demerita. Hæc hæreſis fuit damnata *in varijs Concilijs*; & primò in *Paleſtino,ſeu Dioſpolitano*, quod *Dioſpoli,ſeu Liddæ* fuit celebratum *ſub Eulogio Paleſtinæ Primate*; in quo *Concilio*,cùm inſtarent *Eros, & Lazarus Galliarum Epiſcopi* ex ſuis Eccleſijs pulſi, videns *Pelagius* ſe non poſſe defendere ſuam ſententiam, qua negabat peccatum originale, cõfeſſus eſt *Adam* nocuiſſe toti generi humano, quod poſteà ſubdolè explicuit nocuiſſe exemplo delicti, non transfuſione peccati. Secundò fuit damnata *in Syn. Carthag*; quod fuit *Concilium VIII. ſub Innoc.* Deinde *in Conc. Mileuit. ſub Syluano Numidiæ Primate* præſidẽtibus *Beatiſſ. P. Aug*; *& Alipio* iterum fuit iudicatus *Pelagius*,& literis *Romã* miſſis *ab Innoc.*ſolẽniter fuit damnatus. Mortuo *Innocentio* ſuffectus eſt ei *Zoſimus*, ſub quo iterum coactum eſt *Conc. gen. Carthaginenſe*; & iterum damnatus eſt *Pelagius*; *& Card. Sixtus Præsbiter Romanus*, cui *Beatiſſ. P.* ædit *Epiſtolam* 105; coram populo anathematizauit *Pelagianos*;*& Cæleſtius Pelagij* ſocius, qui tunc *Romæ* aderat,clam aufugit. Deinde in *Conc. Antiocheno* iterum inſtantibus *Erote*, *& Lazaro*, vt refert *Marius Mercator*, *ſub Theodoto Epiſcopo Antiocheno totius Orientis Patriarcha* iterum lata fuit ſententia damnationis. Præterea coacta fuit *Synodus Epheſina ſub Theodoſio Imperatore*; *& Cæleſtino Pontifice*, ad quam accitus fuerat *Beatiſſ.P.Aug*; ſed mortuus erat,in qua iterum damnati ſunt *Pelagius*,&*Neſtorius* eius cõdiſcipulus; ſtuduerat enim vterq; ſub *Theodoro Epiſcopo Mopſueſtienſi Pelagij*, *& Pelagianorum fautore*, qui ſcripſit quinque libros contra *D.Hieronymum* in defenſionem *Pelagianorum*. Subinde *Iulianus Ecclanenſis* filius *Memorij Epiſcopi Capuani* anhelans redire ad ſuam Eccleſiam,à qua pulſus fuerat eo,quia partes *Pelagij* ſuſceperat contra *Beatiſſ. Patrem*, ſimulans penitẽtiam,detecta tamen hominis aſtutia *à S. Leone* tunc *Arcbidiacono Eccleſiæ Romanæ*, *à Sixto Pontifice* ſolemniter fuit damnatus. Deinde coacta *Synodo Romana ſub S.Gelaſio Põtifice* iterum damnati ſunt libri *Pelagianorum*, *& Semipelagianorum.* Tãdem *in Synodo Arauxicana II. ſub Felice IV*; quæ poſtea fuit approbata *à Bonifacio II*; damnati ſunt *Semipelagiani*,*& omnes Pelagianorum reliquiæ.*

10 Ex Catholicis autem plures ſunt ſententiæ, quarum aliquæ ita obſoletæ ſunt,vt nullus ex modernis eas ſequatur.

11 Prima ſententia eſt *Iauelli* aſſerentis, quòd vſus liberi arbitrij moraliter bonus antecedens gratiam præuiſus à Deo eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Hanc ſententiam eſſe in terminis ſententiam *Pelagij* putant *Zumel*, *& Trigoſius*; volebat enim *Pelagius* opera bona moralia ſolis viribus naturæ à nobis facta eſſe causã noſtrę prædeſtinationis ita, vt ſine præuiſione illorum nemo prædeſtinaretur, vt videri poteſt *apud Beatiſſ.Patrem de Præd.SS. c.*18; vbi ait: *Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent ſancti, & & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium*, *& ideo eos ante Mundi conſtitutionem*, *in ipſa ſui præſcientia*, *qua tales futuros eſſe præſciuit. Elegit ergo, inquit, antequam eſſent,prædeſtinans filios, quos futuros ſanctos, immaculatoſque præſciuit*; *vtique ipſe non fecit*, *nec ſe facturum, ſed illos futuros eſſe præuidit*. Quam ſententiam confutat *Beatiſſ.Pater ex illo Epheſ.*1. *Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem*, *vt eſſemus ſancti*, *& immaculati &c. ſecundùm placitum voluntatis ſuæ*; & *c.*19.*ſeq. ex illo Io.*15. *Non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos*; & alibi ad Tit. 3. *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos*; *& Rom.* 11. *Quis prior dedit illi*, *& retribuetur ei.* Hanc ſententiam reijcit quoque *Epiſt.* 90; 96; *&* 101.Idem habet *Trid.ſeſſ.*6.*c.*5;*&* 8.

12 Secunda ſententia eſt *Henr.* aſſerentis non repugnantiam noſtri liberi arbitrij non reſiſtentis gratię Dei eſſe cauſam, non quidem meritoriam, ſed motiuam, & ſine qua non noſtræ prædeſtinationis; licèt enim noſtrum liberum arbitrium nullam habeat operationem moraliter bonam abſque gratia, attamen aſſentiri gratię,eique non reſiſtere, ſed permittere ſe ab illa duci, eſt proprium ſolius liberi arbitrij; & hanc non reſiſtentiam, ſeu conſenſionem, aut permiſſionem eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis. Hanc ſententiam ſecutus eſt *Gabriel. in* 1. *diſt.*40; *Catharin.lib.*2.*de Præd.*Tribuitur etiam *noſtro Greg*; ſed falſiſſimè; nam *in.*1. *diſt.*40; *&* 41. *art.*2. *concl.*1. habet: *Nullus eſt prædeſtinatus propter bonum vſum liberi arbitrij*, *quem Deus ſciuit illum habiturum*, *qualitercunque conſideretur bonitas eius*. *Et concl.* 3. *Quencunque Deus prædeſtinauit*, *gratis tantummodò*, *& miſericorditer prædeſtinauit.*

Hæc

Hæc ſententia impugnatur *à Beatiſſ.P. lib.1.ad Simpl.q.2.* propè finem; & *locis cit.de Scient.Dei q.4.art.1.§.2;* vbi docet ipſum conſenſum eſſe donum Dei, & ideo eſſe effectum prædeſtinationis. Tum quia Deus non poſſet prædeſtinare, quem vellet; nam ſuppoſito diſſenſu non poſſet eum prædeſtinare: Tum quia initium noſtræ ſalutis eſſet in nobis, quod eſt *contr.Conc.Araux.II.*

13 Tertia ſententia vult opera ſupernaturalia conſequentia ad auxilium excitans ſupernaturale, diſponentia tamen ad gratiam iuſtificantem eſſe cauſam meritoriam de congruo noſtræ iuſtificationis. Tribuitur *Vaſq. 1.2. diſp. 190. c. 11.*

Hanc quoque ſententiam reijcit *Beatiſſ.P. locis cit.* docens opera ſupernaturalia eſſe dona, & beneficia Dei, & ideo eſſe effectus, non cauſam prædeſtinationis;nam prędeſtinatio eſt pręparatio beneficiorum Dei.

14 Quarta ſententia vult opera noſtra ſubſequentia ad gratiam iuſtificantem eſſe meritoria de congruo noſtræ prædeſtinationis; quia Deus præuidit ab eterno eos, qui ſuam gratiam erant accepturi,& ea bene vſuri, propter quod decreuit eos prædeſtinare. Tribuitur *Alen.*

Hæc quoque ſententia reijcitur eodem modo, quo reijcitur tertia.

15 Quinta ſententia vult Sanctos celebriores fuiſſe prædeſtinatos abſq; vlla cauſa; ſanctos verò ordinariæ ſanctitatis fuiſſe prædeſtinatos ex pręuiſione meritorum. *Ita Catharin.*

Hæc ſententia reijcitur eodem modo, quo prima,& ſecunda.

16 Sexta ſententia vult opera bona ordinis naturalis eſſe meritoria de congruo, impetratoria, diſpoſitiua ad primum auxilium ſupernaturale;quo vocamur ad Fidem. Sed diuiſa eſt;nam *Alÿ* volunt ex pacto Chriſti Domini cum Patre per aliquod auxilium naturale datum per Chriſtum Dominum conducere ad habendum primum effectum pręde ſtinationis. Tribuitur *Vaſq. 1.p.diſt.91.c.14;& 16;& 1. 2.diſp.189; & 190. Alÿ* verò, qui putāt ad opus bonū morale nō requiri auxilium gratiæ per Chriſtum Dominum, dicunt illa eſſe præparatoria, & diſpoſitiua ad primum auxilium ſupernaturale. Tribuitur *Scot;Dur,Ricard;Aureol; Okam;Gabr;D.Bon; Caiet,Sot,*& etiam *Fundatiſſ.Doct;* & *Argent;* licèt falſiſſimè, vt infra patebit. *Alÿ* autem dicunt, quòd licèt opera naturalia nō ſint diſpoſitiones ad primam gratiam, ex ordinatione tamen Diuina,& pacto inito cum Chriſto Domino de non deneganda gratia *facienti, quod in ſe eſt*, habent infallibilem connexionem cum prima gratia. Tribuitur *Albert; Antiſiodor; Mol; Penot; Leſſ. apud noſtram Gibbon.*

17 Vltima tandem ſententia docet, quòd licèt prædeſtinationis in vniuerſali non deſcendendo ad perſonas particulares poſſit aſſignari cauſa; nulla tamen ex parte noſtra poteſt aſſignari cauſa in particulari, & determinatè deſcendendo ad perſonas paticulares. *Ita Fund.Doct. hic diſt.41.princ.1.q.2.art.1;Et in Epiſt.ad Rom. c.9.lect.3 1.dub.3;noſter Greg. vbiſ; Ger; Argent, Mag.Conſon;* & quoad 2. partem *Gibbon*, apud quem *D.Tho,& Thomiſtæ,& Scotiſtæ;& plurimi ex PP. Soc;* inter quos *Faſol. hic art.5. dub.1;* & alij communiter.

18 Not. omnes conuenire in hoc, quòd ex parte noſtra nulla cauſa dari poteſt meritoria de condigno noſtræ prædeſtinationis; eſt enim de Fide; vt colligitur *ex Rom.3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius; & 2. Tim. 1. Vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum. Et Tim. 3. Non ex operibus iuſtitia &c; & Epheſ. 2. Gratia ſaluati eſtis per fidem,& hoc non ex vobis;Dei enim donū eſt.* Super quę *Conc. Trid. ſeſſ.6. Can. 8.* definit nos iuſtificari gratis, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem antecedunt, ſiue Fides, ſiue opera, gratiam iuſtificationis meretur. *Et Io. 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Et 6. Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Et paulò poſt. *Durus eſt hic ſermo &c. Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. Et Rom. 9. Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, maior ſeruiet minori. Et Rom. 11. Reliquia per electionē gratiæ ſaluæ facta ſunt. Si autē gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iā non eſt gratia.* Sup. quod *Beat.P.de Præd.SS.c.6.*ait: *Gratis ergo cōſecuta eſt, quòd conſecuta eſt electio; nō præceſſit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis; pro nihilo enim ſaluos fecit nos.* Et ratio traditur *ab Apoſt;* nam gratia, & donum ex ſuo eſſentiali conceptu dependet ex ſola voluntate donatoris, nec aliquod ſupponit motiuum ex parte illius, cui tribuitur; dicitur enim gratia eo, quia gratis donatur, gratis autem donari eſt nullum ſupponere meritum, cui retribuatur; aliter eſſet retributio, non donatio; ſed prædeſtinatio eſt gratia,& donum Dei; ergo nulla cauſa ſimpliciter meritoria de condigno noſtræ prædeſtinationis dari poteſt. Quæritur igitur an ſaltem de congruo dari poſſit aliqua cauſa prædeſtinationis? *Hoc not.*

19 Vnica concl. Noſtræ prædeſtinationis poteſt dari aliqua cauſa in uniuerſali, non verò in particulari.

Prima pars concl. probata eſt *q.2.art.1& de Vol.q.5.art.5;* oſtenditur autem ſic *à Fundat. Doct. vbiſup.* Cauſa noſtræ prædeſtinationis in communi, ſcilicet cauſa, cur Deus aliquos prædeſtinauerit,& aliquos reprobauerit in communi non deſcendendo ad perſonas in particulari eſt perfectio Vniuerſi, oſtenſio Diuinæ bonitatis, & ſapientiæ, & manifeſtatio Diuinæ miſericordiæ, & iuſtitiæ; ergo datur aliqua cauſa noſtræ prædeſtinationis in communi. Prob. 1. pars ant.

Ad

Ad perfectionem totius pertinet diuerſitas partium, hinc *Apoſt. 1. Cor. 12.* ait: *Si totum corpus oculus eſſet, vbi auditus &c*; nam ſi corpus eſſet totum oculus, non eſſet ita perfectum, ſicut ex eo, quòd conſtat ex partibus diuerſæ rationis; varietas enim partium facit ad pulcritudinem, & perfectionem totius; ergo ad perfectionem Vniuerſi ſpectat aliquos eſſe prædeſtinatos, & aliquos eſſe reprobatos, & per conſequens ratio, cur Deus aliquos prædeſtinauerit, & aliquos reprobauerit, eſt perfectio Vniuerſi. Prob. 2. pars. Diuerſitas creaturarum oſtendit Diuinam bonitatem diuerſimodè à creaturis participabilem, & diuerſitas artefactorum oſtendit mirabilem Artificis ſapiētiā; ſicuti ex eo, quòd Figulus alia vaſa in honorem, & alia in contumeliam effingat, oſtendit ſuæ artis excellentiam; ergo oſtenſio bonitatis, & ſapientiæ Dei eſt ratio, cur Deus aliquos prædeſtinauerit, & alios reprobauerit. Prob. 3. pars. Si omnes eſſent prædeſtinati, non appareret iuſtitia vindicatiua; & ſi omnes eſſent reprobati, in nullo appareret miſericordia redemptiua, vt diximus *ex Beatiſſ. P. vbi ſup*; ergo manifeſtatio Diuinæ iuſtitiæ, & Diuinæ miſericordiæ eſt ratio, ſiue motiuum formale noſtræ prædeſtinationis.

20 Prob. 2. pars concl. ex illo *Rom. 9. Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri; cùm enim nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, vel mali egiſſent, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. Hanc auctoritatē *Beat. Pater lib. 1. ad Simpl. q. 2.* ſic explicat. Dicitur: *Ex vno concubitu* ad excludendam hæreſim *Manichaeorum*, qui occaſionem gloriandi ponebant in complexione, aut conſtellatione ſyderum; etenim tam parua diſtantia inter vtranque natiuitatem non potuit inducere tantam diuerſitatem. Dicitur: *Iſaac Patris noſtri*; refertur enim nomē parentis, ne cauſa prædeſtinationis refundatur in merita parentū. Dicitur: *Cùm nondum nati eſſent*; vt contra *Origenem* excludat merita antecedētia ingreſſum animæ ad corpus. Dicitur: *Aut quidquam boni, vel mali egiſſent*; vt excludat opera noſtra antecedentia, vel ſubſequentia, propter quod additur: *Non ex operibus*; & ſubditur: *Non volentis, neque currentis*; vt omnia opera noſtra, quæcunque illa ſint, excludat à ratione prædeſtinationis. Dicitur randem: *Secundùm electionem propoſitum Dei maneret*; vt oſtendat electionem ad gloriam eſſe præcisè ſecūdùm propoſitum volūtatis Dei; quapropter ſubdit: *Miſerebor, cui miſerebor*; quod *in vulgata editione* legitur: *Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*; ergo *per Apoſtolum* nulla eſt aſſignabilis cauſa, vel motiuum noſtræ prædeſtinationis ex parte noſtra, ſed tota refundenda eſt in voluntatem Dei.

21 Reſp. *Aduerſarij*. 1. prædictam auctoritatem intelligi de electione ad hæreditatem temporalem, non autem de electione ad gloriam, quæ eſt hæreditas æterna. 2. *Apoſtolum* loqui in aliena ſententia, non autem in propria ſententia; vt exponūt *Hier; Ambr, Chriſoſt; Oecumen*; & alij *Patres Græci*.

Sed contra primum eſt *Beatiſſ. P. de Præd. SS. c. 20*; vbi ait: *Ideo hæc exempla cauſæ huic cōuenire non putant, quoniam non hoc eſt temporaliter pugnare in hoc ſæculo, quod eſt in æternum regnare cum Deo; ac per hoc exiſtimant ad regna terrena facienda Deum inclinare, ad regnum verò cæleſte obtinendum Deum non inclinare, quorum voluerit voluntates. Sed puto propter regnum Cælorum, non propter regnum terrenum eſſe dictum*. Et paulò poſtquam adduxit plura teſtimonia *Sacræ Scripturæ*, inter quæ illud *Act. 13. Crediderunt, quotquot erant ordinati in vitam æternam*; ſubdit: *Audiant hæc, & alia, quæcunque non dixi, quibus oſtenditur Deus ad regnum etiam Cælorū, & ad vitam æternam parare, & conuertere hominum voluntates. Cogitate autem, quale ſit, vt credamus ad conſtituenda regna terrena hominum voluntates operari Deum, & ad capeſſendum regnum Cælorum homines operari voluntate ſua*; ex quibus ſic. Nulla præcedunt merita, vel motiua ad electionem terrenæ hæreditatis, vel regni, vt dicunt *Aduerſarij*; ergo multò minùs præcedunt merita, vel motiua ad electionem regni, vel hæreditatis cæleſtis, quia regnum cæleſte habet magis rationem doni, & beneficij indebiti, quā regnum, vel hæreditas terrena; nam regnum cæleſte ſuperat quodcunque regnum terrenum, ergo ſi non poſſumus mereri regnum terrenum, multò minus poſſumus mereri regnum cæleſte, quia qui nequit minus, nequit maius; vnde qui nequit mereri præmium, vt duo, nequit mereri præmium, vt quatuor, iuxta illam regulam *à fortiori, ſi de quo minus, & de quo magis*. Ad 2. reſp. *Beat. P. lib. 83. qq. q. 67; et 68*; vbi ait: *Scio enim hæreticos de hoc capitulo multa impia, et vana iactaſſe*. Et paulò poſt. *Et impia quidem contumelia, vt dicant Apoſtolum in ſoluenda quæſtione defeciſſe; & obiurgaſſe quærentes, quia non poterat, quod quærebatur, exponere*. Dicitur ergo; quòd *Apoſt.* ſoluit quæſtionem ſibi obiectam, cur vnus ſaluetur, alius non, in perſona *Iacob, & Eſau*, antequā quidquam boni, vel mali egiſſent; ergo loquitur in propria ſententia; aliter quæſtionem non ſolueret; nam referre ſententiam aliorum, & non proferre propriam, non eſt ſoluere quæſtionem, ſed inſolutam relinquere. *Hier.* autem, & *alij SS PP.* loquuntur de prædeſtinatione quantùm ad executionem; ſic enim ſupponit opera bona in adultis, quæ ſunt cauſa executionis; non autem loquuntur de prædeſtinatione quantùm ad intentionem, ſicut loquimur nos, vt patet manifeſtè ex eorum ſcriptis.

22 Prob. 2. ex illo *Epheſ. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & imma-*

culati in conſpectu eius, in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundùm propoſitum ſuæ voluntatis in laudem, & gloriam gratiæ ſuæ. Celebris eſt hæc auctoritas,& magni fit à Beatiſſ.P. plurimis in locis præſertim de Præd. SS. c.17; & 18; & de Dono Perſeu.c.19. Dicitur: Elegit nos in ipſo; vt oſtendat cauſam noſtræ electionis eſſe in ſolo Deo, non extra Deum. Dicitur: Ante Mundi conſtitutionem; vt oſtendat electionem præcedere omnem creaturam, & per conſequens etiam omnem operationem creatam, cùm operatio creata ſit pariter creatura. Dicitur: Vt eſſemus ſancti; vt oſtendat opera bona, quibus ſancti efficimur, eſſe effectum, non cauſam ipſius electionis. Dicitur: In charitate; vt oſtendat noſtram electionem non habere aliud motiuum, quàm amorem, & miſericordiam Dei. Dicitur: Qui prædeſtinauit nos in adoptionem in Ieſum Chriſtum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ; ad excludendam voluntatem noſtram, & ad oſtendendum motiuum noſtræ prædeſtinationis fuiſſe ſolam voluntatem Dei. Tandem dicitur: In laudem, & gloriam gratiæ ſuæ; vt oſtendat loqui de electione ad gloriam æternam, non ad gratiam temporalem, quæ eſt gloria in ſemine; propterea ſubdit: Secundùm diuitias gloriæ ſuæ; & reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſũt; quibus verbis ſalus æterna,quæ eſt gloria,apertè demonſtratur.

23 Prob.3. ex illo 1. Cor.4. Quis enim te diſcernit? Super quod Beatiſſ.P. de Præd.SS. c.5; & 6; & in Enchir. c.32. ſic arguit. Si daretur in nobis aliqua cauſa prædeſtinationis, nos ipſi diſcerneremus nos à non prædeſtinatis; ſed conſequens eſt contra Apoſtolum; ergo nulla cauſa prædeſtinationis datur in nobis.

24 Conf. Si daretur in nobis cauſa prædeſtinationis, initium noſtræ ſalutis eſſet in nobis; nam noſtra prædeſtinatio eſt formaliſſimè noſtra ſalus; & cauſa eſt initium effectus, & ideo ſi in nobis daretur cauſa prædeſtinationis, daretur cauſa noſtræ ſalutis; ſed conſequens eſt contra Concilium II. Araux; & Trid. ſeſſ.6. c.5; vbi ait: Declarat præterea ſancta Synodus ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum gratia præueniente ſumendum eſſe; ergo non datur in nobis cauſa noſtræ prędeſtinationis. Tum quia Apoſtolus, & Sancti Patres vocãt prædeſtinationem propoſitum voluntatis Dei, propoſitum miſerendi, electionem ſecundùm gratiam, donum Dei, beneficium gratuitum; & nunquam includunt aliquid ex parte noſtra; ergo dicere, quòd detur aliqua cauſa noſtrę prædeſtinationis ex parte noſtra eſt difformiter loqui ad Apoſtolum,& Sanctos Patres.

25 Prob.autem ratione Fundatiſſ.Doct. Intentio efficax finis eſt eſſentialiter cauſa electionis mediorum; ſed illud,quod eſt in nobis ordinatum ad conſecutionem gloriæ, quæ eſt finis, eſt eſſentialiter medium; ergo in nobis nulla poteſt eſſe cauſa intẽtionis ipſius prędeſtinationis. Ma.patet; in tantùm enim volumus media, in quantùm intendimus finem; vnde inordinatè vellet, qui intenderet ſanitatem, in quantùm amaret medicinam, & in tali caſu finis euaderet medium, & medium fieret finis, ſicque effectus eſſet cauſa ſuæ cauſæ,& cauſa cauſaretur ab effectu, quod eſt ridiculum. Prob.mi. Omne illud, quod eſt in nobis, eſt ordinatum ad conſecutionem glorię tanquam cauſa illius; ſed omne illud, quod ordinatur ad conſecutionem alicuius finis tanquam cauſa illius, eſt medium ad illum finem; de ratione enim medij eſt ordinari, & eſſe propter finem; ergo omne illud, quod eſt in nobis, eſt medium ad conſecutionem gloriæ, ideo nequit eſſe cauſa intentionis ipſius gloriæ, qua eſt effectus illius.

26 Conf.1. Omne illud, quod eſt in creatura, ſiue ſit naturale, ſiue ſupernaturale, vel eſt ordinatum à Deo ad gloriam, vel non? Si primum; ergo eſt effectus prædeſtinationis, quia prædeſtinatio eſt cauſa, ſeu ratio omnium ordinandorum in finem. Si ſecundum; ergo, quod illud ordinaretur ad gloriam, merè caſualiter, & fortuitò contingeret ipſi Deo, quia illud caſualiter ei cõtingeret, quod accideret præter eius ordinationem, & prouidentiam; ſed hoc eſt abſurdum; ergo omne illud, quod eſt in creatura, eſt mediũ ordinatum à Deo, & per conſequẽs nequit eſſe cauſa intentionis.

27 Conf.2. ex eodem. Quæcunque cauſalitas, & ordinatio creata facta à creatura eſſentialiter ſupponit cauſalitatem, & ordinationem Diuinam, à qua dependet in fieri; ſicuti enim creatura eſſentialiter eſt cauſa ſecunda, quæ eſſentialiter ſupponit cauſam primam, ita cauſalitas, & ordinatio creaturæ eſſentialiter ſupponit cauſalitatem, & ordinationem cauſæ primæ; ſed prædeſtinatio Diuina eſſentialiter eſt prima ordinatio; ergo repugnat ipſam cauſari ab ordinatione cauſæ ſecundæ, & illam ſupponere tanquam aliquod prius, ex quo ſequatur.

28 Tandem prob. Si daretur in nobis aliqua cauſa noſtræ prædeſtinationis, vel eſſent opera ſupernaturalia, vel naturalia; ſed neutrum dici poteſt; ergo nulla datur cauſa noſtræ prædeſtinationis. Prima pars ant. oſtendetur in ſeq. art; vbi probabimus electionem ad gloriam antecedere præuiſionem meritorum. Tum quia opera ſupernaturalia ſunt effectus prædeſtinationis; ergo nequeunt eſſe cauſa illius; implicat enim, quòd effectus ſit cauſa ſuæ cauſæ. Tum quia opera ſupernaturalia ſunt media conducentia ad conſecutionem prædeſtinationis; nam mediantibus operibus ſupernaturalibus conſequimur vitam æternam, vt docet Apoſtolus; ſed media eſſentialiter ſupponunt intentionem finis; ergo nequeunt eſſe cauſa intentionis illius.

Prob.

Prob.2.pars ant. *ex Conc. Araux.II. can.7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod,quod ad ſalutem pertinet,vitæ æternæ cogitare,vt expedit, poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus Sancti,qui dat omnibus ſuauitatem in conſentiendo, & aſſentiendo, hæretico fallitur ſpiritu*. Et ratio eſt. Nulla res ordinis naturalis poteſt eſſe cauſa rei ſupernaturalis,aliter daretur cauſa ignobilior ſuo effectu, quod eſt contra rationem; nam vt docet *Beatiſſ.P. lib.83. qq. q. 27. Omne efficiens maius eſt eo, quod efficitur; nihil autem maius eſt voluntate Dei; & ideo eius cauſa non eſt quærenda*;ſed opera naturalia ſunt ordinis naturalis, & prædeſtinatio eſt ordinis ſupernaturalis; ergo opera naturalia nequeunt eſſe cauſa prędeſtinationis.

29 Dices hoc verum eſſe de operibus naturalibus præciſo pacto, & ordinatione Diuina; falſum autẽ eſſe ſuppoſito pacto inito inter Patrem,& Chriſtum Dominum de prædeſtinandis ijs, qui fecerint aliquod opus bonum morale. Hoc autem pactum manifeſtè habetur *Io.* 1; vbi dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.*

Sed contra eſt;nam hoc pactum apertè repugnat gratiæ Dei electiuæ, quam prædicat *Apoſtolus* docens ipſam prædeſtinationem dari omnino gratis, & omnino ſecundùm voluntatem noſtram;& non eſſe ex operibus noſtris,ſed totaliter ex Deo. Tum quia poteſtas filiorum Dei eſt effectus prædeſtinationis, vt docet *Beatiſſ.P.lib.1. contra duas Epiſt. Pelagianorum c.3*; vbi ait; *quæ poteſtas niſi detur à Deo, nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio*;ergo hoc pactum nedum non reperitur *in Scripturis*, cùm ex hoc textu non poſſit illud deduci, ſed potiùs in ipſis reperitur oppoſitum,vt patet ex textibus ſuperiùs adductis;vt illud *Io.6.Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; ſuper quod *Beatiſſ.P. Tract.6. in Io.*ait: *Quare hos trahat, illos non trahat, noli iudicare, ſi non vis errare. Vid.vbi ſup.*

30 Obijc.2. illud *Malach.* 1. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*; ſed non poterat Deùs diligere *Iacob*, niſi in illo aliquod bonum præuidiſſet; obiectum enim amoris eſt bonum; & obiectum antecedit actum, quia eſt cauſa illius; ergo prædeſtinatio,quæ eſt opus amoris,ſupponit opera bona, à quibus moraliter cauſatur. Tum quia *Matt.*25.dicitur ille *Diues* diſtribuiſſe ſuis ſeruis ſua talenta; vni quidem quinque, alij verò duo, & alteri vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutem;ſed propria virtus non eſt, niſi diſpoſitio naturalis,quia *virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*; non enim nomine virtutis poteſt intelligi gratia,quia hæc intelligitur nomine talentorum;vt diximus ſuperiùs *ex Beatiſſ.P. Aug*; & ideo ſi etiam nomine virtutis intelligeretur gratia, faceret ſenſum ineptum; eſſet namque idem, ac dicere; *dedit gratiam iuxta propriam gratiam*; gratia autèm nequit eſſe propria creaturæ, quia illi eſt indebita; ergo cauſa noſtræ prędeſtinationis eſt virtus, ſeu diſpoſitio naturalis.

Reſp.ad 1. *ex Beatiſſ.P.lib.1. ad Simpl.q.2*; quòd Deus *dilexit in Iacob, non culpam, quam delebat;ſed gratiam,quam donabat. Et Epiſt.*105. *ad Sixt.Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ donum*? Neg. igitur ant; & cùm dicitur, quòd obiectum debet antecedere actum,verum eſt de obiecto cauſante actum, non verò de obiecto cauſato ab actu.Sicut enim ſcientia Dei in hoc diſtinguitur à ſcientia noſtra, quòd illa cauſat res, noſtra verò cauſatur à rebus; ita amor Dei cauſat bonum, quod eſt obiectum dilectum, noſter verò cauſatur à bono, in quod tendit. Ad 2.ait *Fundatiſſ.Doct*; quòd Deus diſtribuit ſua dona ſecundùm propriam virtutem, quatenus arbitrium, quod eſt propria virtus debet operari cum illis; tribuuntur enim, non vt arbitrium nihil agat, ſed vt agat,& vt ex nolente fiat volens, quia non fiunt, niſi volentibus nobis ita tamen, vt velle noſtrum ſubſequatur ad largitionem gratuitam illorum;vt docet *Beatiſſ. P. in Enchir; & locis pluries alibi cit.* Igitur diſt.mi. Propria virtus non eſt niſi arbitrium naturale conſecutiuè operans per gratiam, conc; operans antecedenter ad gratiam,neg.

31 Obijc.2. *Beatiſſ.P. lib.* 83. *qq; & ſup. Malach.* 1; vt habetur apud *Mag. in lit.* 1; & *in Epiſtol. ad Rom. c.* 61; & 62; ait; quòd noſtra prædeſtinatio prouenit ex noſtris occultiſſimis meritis, & reprobatio ex noſtris occultiſſimis demeritis;ergo noſtra merita ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis, & reprobationis. Præterea in definitione prædeſtinationis ponitur pręſcientia ante præparationem iuxta illud *Apoſt. Rom.*8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit*; ergo noſtra merita præuiſa ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis.

Reſp.*Mag.Beat.P.*ſe ipſum retractaſſe, vt teſtatur *de Præd. SS. c.3*; vbi refert ſe ipſum *lib.*1. *Retract*; ſeu potiùs ſemetipſum explicaſſe;quòd merita ita ſe habẽt ad prædeſtinationem, vt ſint effectus illius, ſunt enim dona Dei, quæ præparantur ijs, quos elegit ad gloriam. Ad aliud dicitur, quòd nomine *præſcientiæ* nequit intelligi præſcientia ſupponens merita in eſſe præuiſo, ſed præſcientia cauſatiua meritorum;vt oſtendimus *q.*1. *art.*2.

32 Inſt.*D.Chriſoſt.ſup.cit.locũ Apoſt.Rom.*8; ait:*Quos præſciuit cõformes fieri Filio ſuo per bona opera, hos prædeſtinauit.*Idẽ habet *Theodoretus.*

Reſp. *D.Chriſoſt.*loqui à poſteriori; ſicut ſi quis diceret: *Omne id, quod eſt riſibile, eſt rationale*; ita in caſu: *Omnis,qui eſt præuiſus per bona opera conformis fieri Filio ſuo, eſt prædeſtinatus*; facit ſenſum à priori; quòd omnes, qui prædeſtinantur, pręſciuntur per bona opera conformes, non è contra; ſicut *omne, quod eſt ra-*

tionale, eſt riſibile; à priori valet, non è contra. Quòd autem non admittat præcedentiam meritorum ad prædeſtinationem, patet ex dictis q. 1. art.2.n.17.

33 Obijc.3.*D.Ambr.ſup.Rom.8;& 9*.explicás illa verba: *Miſerebor,cui miſertus ero*;ait:*Miſerebor eius, cuius præſcius ero; qui ei miſericordiam daturus eſſem, ſciens conuertendum illum &c;& D.Hier.ſup.Rom.8;et 9*.ait:*Quos præſciuit conformes eſſe in vita,elegit,vt conformes eſſent in gloria. Et ad Hebr.*10.ait:*Sicut Sol, licèt ſit vnus, tamen ſecundùm varias diſpoſitiones diuerſos facit effectus;ita Deus non ſaluat irrationabiliter,ſed præcedentibus meritis;& D.Chriſ.Rom.9.hom.16.* ait: *Pharao vas iræ à ſua iniquitate factus eſt; ſicut alij vaſa miſericordiæ à ſua probitate*.

Reſp.*Fund.Doct.in Epiſt. ad Rom.c.9. lect. 31.dub.3*; quòd *D.Ambr.* loquitur concomitanter,& conſecutiuè, non verò cauſaliter; prædeſtinatio enim eſt cauſa,ſeu ratio præſcientię meritorum; vnde ab vna ad aliam valet conuertibiliter conſequentia ita tamen, vt à præſcientia ad prædeſtinationē ſit illatio à poſteriori; à prędeſtinatione autem ad præſcientiam à priori. Quòd autem *D.Ambr.*doceat gratiam prædeſtinationis præcedere merita, tribus apertiſſimis textibus oſtendit *Beatiſſ.P.de Dono Perſeu.c.19*; ex quibus vnus eſt ille, qui deſumitur *in Luc. c. 9*;vbi *Samaritani* noluerũt recipere Dominum; ait: *Si voluiſſet, ex indeuotis feciſſet deuotos &c. Sed Deus, quos dignatur, vocat; & quem vult, religioſum facit*. Idem dicitur ad *D. Hier*; præſciuit enim conformes fieri per ſuam gratiam, vt docet innumeris textibus *Scripturarum lib.cont. Pelagianos*. Ad aliud verò dicitur loqui de executione ſalutis. Et ſic *ad D. Chriſoſt*; nam electi ſiunt vaſa miſericordiæ à ſua probitate, quæ eſt effectus gratiæ Dei electiuæ.

34 Obijc.4. Opera Dei habent coniunctam iuſtitiam cum miſericordia iuxta illud *pſ.* 100. *Miſericordiam,& iudicium*,ſed in prędeſtinatione nulla poteſt eſſe iuſtitia, niſi attendantur merita,tãquam motiua illius;ergo merita ſunt cauſa prædeſtinationis.

Reſp.diſt. ma. Opera Dei in intentione, vt hic de ijs loquimur, habent coniunctam cum miſericordia iuſtitiã diſtributiuam merè gratuitam,conc;retributiuam, neg. Igitur ex eo, quòd Deus prædeſtinet aliquos, non alios, iuſtus eſt, & nulli iniuſtitiã facit,quia poteſt diſtribuere ſua dona, quibus vult,ablq; eo, quòd aliquam iniuſtitiam irrogat alicui;& ſic prædeſtinatio, quæ eſt actus miſericordię,dicitur coniũgi cũ iuſtitia.

35 Inſt. Si Deus diſtribueret ſua dona, quibus vellet, eſſet acceptator perſonarum; ſed conſequens eſt falſum;ergo & antecedens.

Reſp.*Fundatiſſ.Doct.diſt.40.princ.2.q.2.& in Epiſt.ad Rom.c.9.lect.31.dub.3*. neg. ſeq.ma; tunc enim quis dicitur acceptator perſonarum, quando non conſiderat in perſona ea, quæ tenetur conſiderare ex præcepto; & conſiderat aliquod,quod non eſt cõſiderandum; vt v.g;cùm à Iudice in iudicio alicuius hęreditatis nõ conſideratur filius,qui per legem pręcipitur conſiderandus,tanquam hæres ſui patris; & conſideratur amicitia, vel cognatio,quæ non eſt conſideranda;at verò in ijs,quę tribuuntur ex mera gratia,ſola volũtas donatoris,eſt cõſideranda. Vnde acceptatio perſonarum eſt tantùm in ijs, quæ tribuuntur ex iuſtitia, non autem in ijs, quæ diſtribuuntur ex gratia;& ideo ſi aliquis merè gratis donare velit aliquid alicui, ad quod ille, cui fit donatio, nullum habeat ius, nec donator habeat debitum,etianſi det huic, non alteri, non eſt acceptor perſonarum. Cùm igitur Deus nullum habeat debitum diſtribuendi ſua dona creaturis, nec teneatur aliqua lege conſiderare aliquid in creatura inducens debitum in Deum; & in creatura non ſit ius ad gloriam maximè poſt peccatum originale,poſt quod facta fuit electio, vt infra videbimus; hinc eſt, quòd Deus, etianſi nihil conſideret in creaturis, nõ eſt perſonarum acceptor; quia diſtribuit ex gratia, non ex iuſtitia; nam ex iuſtitia omnes homines eunt in condemnationem;& ſicut ille,qui liberatur,gratiam debet diligere;ita ille, qui derelinquitur, debitũ recognoſcere;in nullo tamen Deum,tanquam iniuſtum, reprehendere, vt docet *Beatiſſ.P.de Dono Perſeu.c.8*

36 Obijc.5.*Facienti,quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam*;ſed qui bene operatur naturaliter,facit, quod in ſe eſt, etianſi non habeat gratiam; ergo Deus tenetur dare illi gratiam, & gloriam.Ma.eſt commune axioma Theologorũ. Prob.mi; nam illud axioma intelligendum eſſe de faciente viribus naturæ docent plures Theologi,*vt Albert;Rie;Alen;Ock & alij apud noſtrum Gibb. hic diſp.3. dub.1. §.vlt*; qui refert etiam *Fundatiſſ. Doct.* apud *Leſſ.* licèt falsò; apertè enim docet etiam diſpoſitionem ad gratiam eſſe donum Dei.

Reſp.neg.mi.Ad prob.dicitur, quòd illud axioma iuxta noſtrã ſententiam de gratia actuali cõformiter ad doctrinã *Beatiſſ.P;& Fundatiſſ. Doct.* debet intelligi, quòd homini exequenti actus bonos,ſiue Diuinas motiones, quas habet in ſe ipſo à Deo ſupernaturaliter inſpiratas, & illis non reſiſtenti,nec ponenti impedimentum peccati,ſed petenti per ipſas à Deo vberiorem gratiam, Deus illam non denegat iuxta illud: *Petite,& accipietis;pulſate,& aperietur*;ex quibus verbis ſumptum eſt illud axioma.

37 Obijciunt 6. plures alias auctoritates, quæ videntur probare prædeſtinationem dependere à meritis, vt v.g; quòd prædeſtinatio poſſit adiuuari precibus SS;& quòd vnus homo poſſit alteri mereri prædeſtinationem. *Ita Beatiſſ.P.de Dono Perſeu. c.22*;vbi ait: *Si aliqui nondum ſunt vocati,pro eis oremus,vt vocentur;fortaſſis enim ſic prædeſtinati ſunt, vt noſtris orationibus, & accipiant*

cipiant eandem gratiam, atque efficiantur electi. Hinc *Serm.1. de S.Steph.c.4.* ait: *Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.*

Reſp.*Fundatiſſ.Doct.* has, & alias ſimiles auctoritates intelligi de prædeſtinatione quantùm ad executionem, non verò quantùm ad intentionem; propterea ait *Beatiſſ.Doct. Fortaſſis ſic prædeſtinati ſunt, vt accipiant gratiam, atque efficiantur electi*; ex quibus verbis patet prædeſtinationem antecedere ipſas preces ordinatas ab ipſa prædeſtinatione tanquam media ad conſecutionem gloriæ. Idem docet noſter *D.Proſper à de Vocat.Gent.c.vlt. Eatenus iuuatur prædeſtinatio precibus SS; et bonis noſtris meritis, quatenus Deus, quod ſine illis decreuit, per illa exequitur.*

38 Obijc.7.*ex Mol.* Non repugnat hominē viribus naturæ facere aliqua opera moralia naturaliter bona, vt v.g. eleemoſinam, ieiuniū &c. *Cornelius* enim *Act.*10.adhuc ſine Fide fecit multa opera bona; ſed iſta, quatenus bona, placent Deo; ergo eſt conueniens Deum illis retribuere gratiam, & gloriam.

Conf. Aliquando Deus propter præuiſa peccata rapit aliquos, ne malitia mutet intellectum, & peruertat cor eorum, licèt ad hoc non obligetur, quia tantùm mouetur ex ſua infinita miſericordia; ergo à pari licèt Deus non obligetur ad dandam gloriam propter opera naturalia præuiſa, attamen de facto illam dat ex mero motiuo ſuæ miſericordiæ.

Reſp. ad arg. Opera naturaliter bona, quæ ſunt tantùm bona ex genere, quia habent pro obiecto bonum honeſtum, non ex fine, quia non ordinantur in Deum, aliter eſſent ſupernaturaliter bona, ad ſummum mereri bonum temporale, vt docet *de Romanis Beatiſſ.P. de Ciu.Dei*, quibus Deus contulit imperium in præmium virtutum naturalium. Ad illud *de Cornelio* dicitur habuiſſe fidem informem, quę fuit ſufficiens ad eliciendum actum credendi, & alios actus bonos etiam ſupernaturaliter.

Ad conf.neg. conſ; motiuum enim rapiendi aliquos, ne peruertantur à malitia, eſt eius miſericordia diuertens peccata; at verò opera naturalia; non verò miſericordia eſſent motiuum prædeſtinationis, quæ propter hoc deſineret eſſe gratia, vt dictum eſt.

39 Obijc.8. Poteſt Rex donare alicui militi equum, & arma, qui per ſua opera ſubſequētia poteſt ea mereri; ergo à pari.

Reſp.*Fundatiſſ.Doct.* neg.conſ; nam actiones meritoriæ ipſius militis non ſunt dona Regis, & ideo poſſunt mereri equum, & arma; at verò actiones creaturarum ſunt dona Dei, vt docet *Beatiſſ. P.de Grat.& lib.arb.c.6.& 7.*; & ideo nequeunt mereri ſe ipſa.

40 Obijc. 9. Chriſtus Dominus meruit *antiquis PP.* gratiam, ſicut meruit nobis, *quia de eius plenitudine omnes accepimus*; ſed non potuit mereri gratiam dandam PP, cùm iam illa gratia data fuerit; ergo potuit mereri gratiam iam datam, & ideo etiam iuſti per opera ſubſequentia poſſunt mereri primā gratiam, ſeu primum prędeſtinationis effectum actu iam conſecutum.

Conf. Chriſtus non potuit mereri *antiquis PP.* petendo ipſis gratiam, quia petijſſet id, quod habebant; ergo meruit gratias agendo de beneficio, quod acceperant; ergo à pari.

Reſp. neg.vlt. conſ; nam gratia Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ erat ei naturaliter debita; non enim erat donum merè gratuitum, & ideo potuit exigere de condigno aliquod præmium, quod erat gratia omnibus hominibus ſuo ſanguine redimendis impertienda; at verò gratia cuiuſcunque creaturæ eſt donum merè gratuitum, & ideo nequit mereri ſe ipſam, nec gratiam iam conſecutam; tum quia gratia Chriſti, vt potè infiniti valoris, poterat extendi etiam ad tempus, quo non erat exiſtens Chriſtus Dominus; & ideo potuit mereri, nedum gratiam datam, ſed etiam gratiam dandam; Deus enim intuitu meriti infiniti Chriſti Domini contulit gratiam *antiquis PP.*

Ad conf. dicitur eodem modo, quòd oratio Chriſti erat ei connaturaliter debita, & ideo potuit mereri gratiam iam datā. Vel quòd erat infiniti valoris, & ideo extendebatur ad totam æternitatem, antequam eſſent *antiqui PP*; quapropter Deus intuitu orationis faciēdæ à Chriſto Domino in tempore potuit illis conferre gratiam.

41 Inſt. Licèt gratia ſit donum Dei, attamē poteſt mereri augmentum gratiæ, ſeu ſecundā gratiam; ergo à pari.

Reſp. neg. conſ; nam gratia prima per ordinem ad ſecundam gratiam comparatur per modum cauſæ, quæ, & ſi ſit donum Dei, attamen, quia includit cooperationem noſtram, ideo poteſt mereri effectum ſequentem ad illam; at verò per ordinem ad primam gratiam, quia eſt effectus illius, neque ad illam aliquo modo cooperatur, ſed eſt ſimpliciter donum, ideo nequit illam mereri.

42 Inſt. 2. *Antiqui PP.* metuerunt de congruo Incarnationem, & tamen Incarnatio eſt principium meriti illorum; ergo prima gratia cadit ſub merito.

Reſp. *Fundat.Doct. in 3.diſt.4.p.3.q.1.art.1*; quòd meruerunt, non ſubſtantiam Incarnationis, quæ fuit principium meriti, ſed aliquam circunſtantiam, quæ non fuit principium meriti, vt v.g; quod naſceretur ex ſtirpe *Abraham* tali tempore &c; & ideo gratia non cadit ſub merito.

43 Obijc. vlt. Deus prædeſtinat ſaluandos eo modo, quo ſaluantur in tempore; ſed Adulti in tempore ſaluantur dependenter à meritis; ergo prædeſtinantur dependenter à meritis.

Reſp.diſt. mi. Adulti ſaluantur dependenter à meritis antecedentibus primam gratiam, neg; ſubſequentibus ad primam gratiam, & an-

tecedentibus conſecutionem gloriæ, conc; & neg.conſicùm enim merita electorum ſupponãt eſſentialiter primam gratiam, quæ eſt prædeſtinatio;ideo non poſſunt illam antecedere, & per conſequens prædeſtinatio non eſt dependenter à meritis.

44 Dices. Cum æquali auxilio poteſt vnus ſaluari, & alter damnari, vt patet *de Tyrijs, & Sydonijs*, qui ſaluati fuiſſent,ſi habuiſſent eãdem gratiam, quam habuerunt *Iudæi*; qui damnati ſunt; ergo cauſa ſalutis non eſt gratia, ſed meritum. Imò veriſimile eſt, quòd *Iudas* habuerit maiorem gratiam, quàm aliquis homo,qui de facto ſaluatus eſt; ergo meritum eſt cauſa prædeſtinationis.

Reſp.diſt. ant. Cum æquali auxilio temporali ſuppoſita gratia electiua in eo, qui ſaluatur, non in illo, qui damnatur,conc;cum æquali gratia electiua, neg. Ad illud *de Tyrijs* ait *Beatiſſ.P. de Dono Perſeu. c.*14; quòd credidiſſent ad tempus, quia *à perditionis maſſa non erant gratia prædeſtinatione diſcreti*. Et paulò poſt: *Nec illis profuit,quòd poterãt credere, quia prædeſtinati nõ erant ab eo.*Idem dicitur *de Iuda*,qui habuit gratiam ad tempus, non autem gratiam electiuam, quam habuit quilibet alius ſaluus.

Ceteræ obiectiones ſoluentur *in ſeq.*

ART. II.

An electio efficax ad gloriam ſit ante præuiſionem meritorum?

1 Certum eſt apud omnes dari in Deo actum electionis. *Ita Fund. Doct.hic diſt.*41.*princ.*1.*q.*1.*art.*1; & colligitur *ex Scripturis*;vt *Epheſ.*1.*Elegit nos in ipſo ante Mundi cõſtitutionem. Et Io.*13. *Ego ſcio,quos elegerim*; & 15.*Non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos*,& ratio eſt. In Deo datur conſilium formaliter, vt diximus *de Vol.q.*2.*art.*1;ergo datur electio,quæ *ex Phil.*3.*Eth.c.*5.eſt concluſio conſilij. Tum quia electio *eſt præoptatio*, ſeu aſſumptio vnius præ alio; ſed Deus verè aſſumit aliquos ad gloriã,& alios relinquit;ergo in Deo eſt formaliter electio.

2 Electio autem ſex conditiones importat. 1;quòd ſit eorum, quæ ſunt ad finem; vnde electio ſolùm eſt circa media, finis enim non eligitur, ſed intenditur.2. eſt, quòd ſit tantùm bonorum,eſt enim eorum,quę ſunt vtilia ad finem.3. eſt,quòd tendat ſolùm in ea,quæ libera ſunt, nõ verò in ea,quę ſunt neceſſaria,nec poſſunt aliter ſe habere. 4. eſt, quòd non ſit fortuitorum, & caſualium, quia eſt tãtùm conſiliabilium; fortuita autem non ſunt conſiliabilia.5.eſt, quòd non ſit præteritorum; & 6.quòd importet ſeparationem vnius ab alio.

3 Certum eſt 2.electionem paruulorum ad gloriam factam fuiſſe ante præuiſa eorum merita,quæ nulla in illis ſunt.Inquiritur ergo de electione adultorum.

4 Gloria autem poteſt conſiderari,vt donũ Dei merè gratuitum, vel vt corona, & merces, vel vt hæreditas, ad quam adoptantur homines per Chriſtum Dominum. Paruuli eliguntur ad ipſam ſolùm,vt donum Dei eſt, & vt hæreditas filiorum adoptionis. Adulti verò hoc triplici modo eliguntur.

5 Prima ſententia vult electionem efficacē ad gloriam ſupponere præuiſionem meritorum; vnde iſti incipiunt prædeſtinationem à gratia, quæ eſt medium,non à gloria,quæ eſt finis. *Ita Alenſis* 1.*parte q.*28. *membro.*3. *art.* 3. *D. Bon. in hac diſt.* 41; *noſter Argentin. ibid. q.*2; *Mol; Vaſq;Bec;Heric;Alarc;& Catharin.* quoad viros ordinariæ ſanctitatis, licèt quoad viros eximiæ ſanctitatis doceat electionem antecedere præuiſionem meritorum.

Secunda ſententia vult electionem efficacē abſolutam antecedere præuiſionem meritorum in eſſe abſoluto, illam tamen ſupponere in eſſe cõditionato. Ita ferè omnes *PP.Soc.Sua. Ruiz; Tolet;Gran,Bellarm;Salmeron; Maldonat;Arrub; & alij apud Faſol.*

Tertia ſententia docet electionem efficacem ad gloriam nedum, vt hæreditas,& donum Dei eſt;ſed etiam vt corona,& merces eſt,antecedere præuiſionem meritorum. *Ita Fund.Doct. hic diſt.*41.*princ.*1.*q.*2.*art.*1; *& in Epiſt.ad Rom. c.*9.*lect.*31. *dub.*3; *noſter Greg.ibid.q.*2;*Ger.ibid; Mendoza; Cornejus; Bernardin; & Albiz. apud noſtrum Gibb.hic diſp.*2.*dub.*1.*§.*1. Hanc ſententiam ſequuntur ferè *omnes antiqui*, *vt D.Tho; Scot;Dur;Marſ;Capr. Heru;Baecon;*& communiter omnes *Thomiſtæ Recentiores*.

6 Notquòd nomine electionis ad gloriam intelligimus ipſam intentionem efficacem dandi gloriam; cùm enim Deus non intendat efficaciter dare gloriam omnibus creaturis rationalibus, ſed ſolùm aliquibus alijs relictis; ideo talis intentio poteſt etiam vocari electio, quæ eſt aliquorum prę alijs.Igitur tota doctrina,cui præter auctoritates *Scripturarum*, *& SS. PP*; quæ frequentiſſimæ, & euidētiſſimæ ſunt,nãſcitur noſtra ſententia,eſt hæc. Electio efficax mediorum ſupponit intētionem efficacem finis,ad quam eſſentialiter conſequitur; ſemel autem admiſſo intentionem efficacem finis præcedere electionem efficacem mediorum, neceſſariò ſequitur intentionem efficacem dãdi gloriam antecedere prę-uiſionem meritorum, quæ habent rationem medij eligibilis ad gloriam.Igitur quòd intentio efficax finis antecedat electionem efficacem mediorum,ſic prob.1.*Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; ſed propter finem volumus efficaciter media;ergo multò magis intendimus efficaciter finem.2. Ita ſe habet electio reſpectu intentionis, ſicut aſſenſus concluſionis reſpectu aſſenſus principiorum; ſed aſſenſus efficax concluſionis ſupponit efficacem aſſenſum principiorum; ergo à pari. 3. Electio eſſentialiter regulatur ab intentione finis,aliter poſſet quis eligere media,

media abſque eo, quòd vllum intẽderet finem, & ſic illa media eſſent media, vt ſupponitur, & non eſſent media, quia non eſſent ordinata ad aliquem finem; de ratione enim medij eſt ordinari ad finem, & ordinari ad finem eſt, in quantum intenditur finis; ſed regula commenſuratur ſuo regulato; ergo ſi electio eſt efficax, etiam intentio regulans electionem debet eſſe efficax, aliter regulatum, & quaſi effectus excederet ſuã regulã, & ſuã cauſã. 4. Implicat, quòd detur efficacia in ſecundo eſsẽtialiter ſubordinato ad primũ; & non detur efficacia in primo; ſicuti enim primum eſt cauſa ceterorũ, ita efficacia ceterorum depẽdet eſſentialiter ab efficacia primi; ſed intentio finis eſt prior electione mediorum, quia finis eſt prior in intentione, & poſterior in executione; ergo implicat, quòd detur electio efficax mediorum, abſque intentione efficaci ipſius finis. Tandem electio efficax mediorum eſſentialiter ordinatur ad actualem conſecutionem finis; ſed actualis conſecutio finis eſſentialiter dependet ab intentione efficaci ipſius; ſi enim aliquis actu conſequeretur aliquem finem, quẽ efficaciter non intẽderet, talis conſecutio actualis merè caſualiter, & fortuitò ei contingeret, quia contingeret præter eius intentionem; non enim efficaciter illum intenderet conſequi, ſed tantùm inefficaciter, quod eſt idem, ac non conſequi, & ideo quòd conſequeretur efficaciter, eſſet præter intentionem illius; ergo electio efficax mediorum in agente prudentiſſimo, & ſapientiſſimo, vt eſt Deus, cui nihil poteſt caſualiter contingere, eſſentialiter ſupponit intentionem efficacem finis; & ideo non ſufficit intentio inefficax, vt aſſerit *Vaſq. & alij*.

7 Nolumus autem decidere *hic*, an electio diſtinguatur virtualiter ab intentione, vel tantùm diſtinguatur ratione ratiocinatæ, de quo videnda ſunt, quæ diximus *To.1. de Attr. in com. q.2. per totam*; ſufficiat autem pro nunc, quòd aliquo modo debet ab illa diſtingui, quæcunque ſit illa diſtinctio, quia debet ad illam ſequi, nihil enim poteſt formaliter ſequi ad ſe ipſum, aliter eſſet prius, & poſterius ſe ipſo. *Hoc nos*.

8 Vnica concl. Electio efficax ad gloriam, ſiue intentio efficax dandi gloriam eſt ante præuiſionem meritorum.

Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Epheſ. 1.* habetur: *Elegit nos in ipſo ante Mũdi conſtitutionẽ, vt eſſemus sãcti, & immaculati*; Sup. quod *Beatiſſ. P. de Præd. SS. c.19.* ait: *Non quia futuros tales non eſſe præſciuit, ſed vt eſſemus tales per ipſam electionem gratiæ ſuæ, qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo. Cùm ergo nos prædeſtinauit, opus ſuum præſciuit, quo nos ſanctos, & immaculatos facit. Vnde rectè hoc teſtimonio Pelagianus error arguitur.* Ex quibus ſic. Gratia electiua, vt docet *Apoſtolus contra Pelagianos*, eſt cauſa operum bonorum, quibus efficimur ſancti, & immaculati; ſed nullus effectus poteſt præuideri ante ſuam cauſam; ergo gratia electiua nequit eſſe poſt præuiſionem operum bonorum.

9 Conf. *ex eodem ibid. c.18*; vbi redarguẽs *Pelagianos* aſſerentes Deum priùs præſciuiſſe, qui futuri eſſent ſancti, & poſtea eos prædeſtinaſſe; ait loquẽs *de Pelagianis*: *Præſciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri eſſent ſancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium; & ideo eos ante Mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, qua tales eſſe futuros præſciuit, elegit &c.* Contra quos ſic arguit. *Intueamur ergo verba Apoſtoli, atque videamus, vtrum propterea nos elegerit ante Mundi conſtitutionem, quia ſancti, & immaculati futuri eramus, an vt eſſemus? Inquit Apoſtolus. Sicut elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, ſed vt eſſemus. Nempe certum eſt, nempe manifeſtum eſt: Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipſe prædeſtinans, vt tales per gratiam eius eſſemus &c. Deinde quid adiungat, attendite. Secundùm placitum, inquit, voluntatis ſuæ, ne in tanto beneficio gratiæ Dei placito gloriaremur voluntatis noſtræ.* Ex quibus ſic arguitur. In hoc *Beatiſſ. Pater cum Apoſtolo* diſcordat *à Pelagianis*, quòd docet cum illo merita noſtra eſſe effectus gratiæ electiuę, & ideo non antecedere, ſed ſubſequi ad gratiam electiuam; *Pelagiani* autem volebant merita non eſſe effectus gratiæ electiuæ, & ideo præuideri, vt futura ante electionem; ergo electio ad gloriam ante præuiſa merita eſt doctrina manifeſta *ipſius Apoſtoli, & Beatiſſ. P. contra Pelagianos*.

10 Dices 1. Merita noſtra eſſe effectus gratię electiuæ in eſſe abſoluto, non autem in eſſe conditionato; & ideo præuideri in eſſe conditionato, non in eſſe abſoluto.

Sed contra eſt. In eſſe abſoluto merita noſtra ſunt effectus gratiæ electiuę abſolutè ſũptæ ſecundùm doctrinam *Apoſt. & Beatiſſ. Patris*; ergo in eſſe conditionato merita noſtra sũt effectus gratiæ electiuæ conditionatè ſumptę; ſicut enim effectus abſolutus dependet à cauſa abſoluta; ita effectus conditionatus dependet à cauſa conditionata; v. g. ſicut intellectio actu exiſtens eſt effectus actualiter potentiæ intellectiuæ; ita intellectio conditionaliter futura eſt effectus intellectus conditionaliter futuri; vt cùm dicitur. *Si darem Petro intellectum, intelligeret*; ergo ſicuti non poteſt præuideri intellectio in eſſe abſoluto ante potentiam intellectiuam in eſſe abſoluto, ita non poteſt præuideri intellectio in eſſe conditionali ante potentiam intellectiuam in eſſe conditionali. Sed opera meritoria vitæ æternæ ſunt *iuxta Apoſtolum, & Beatiſſ. P.* effectus gratiæ electiuæ eſſentialiter in eſſe abſoluto; ergo non poſſunt præuideri in eſſe conditionato ante gratiam electiuam in eſſe conditionato; & ſic ſemper electio eſt ante præuiſionem meritorum in vtroq; ſtatu.

Di-

11 Dices 2. *Pelagianos* loqui de meritis ſecundùm ſolas vires naturæ, non autem ſub gratia ſufficienti.

Sed contra eſt. *Apoſtolus* loquitur de meritis vitæ æternæ; hæc enim ſolùm ſunt merita, quæ ſpectant ad prædeſtinationem;& docet hęc eſſe effectus gratiæ electiuæ. Tunc ſic. Vel illa merita ſub gratia ſufficienti ſunt effectus gratiæ electiuæ; vel non? Si primum; ergo nequeunt præuideri ante gratiam electiuam.Si ſecundum; ergo non ſpectant ad prædeſtinationem; nam illis mediantibus non aquiritur vita æterna. Nos autem quærimus, an electio ſit ex præuiſione meritorum, quibus conſequimur vitam æternam; non verò, an ſit ex præuiſione meritorum, quæ diſparatè, & impertinenter ſe habent ad vitam æternam; ergo *Apoſtolus* nedum excludit merita viribus naturæ habita, ſed etiam merita habita ſub gratia; docet enim illa eſſe effectus ipſius electionis; & ideo non poſſe præcedere electionem.

12 Prob. 2. *ex eod.ibid. c.*17; vbi ſup. illud *Iac.*2.5.*Nonne Deus elegit pauperes in hoc Mundo, diuites in Fide, & hæredes Regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe*; habet hæc verba: *Eligendo ergo facit diuites in Fide,& hæredes Regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod, vt in eis faciat, eos elegit.* Elegit igitur *pauperes*, idèſt ſine meritis; *diuites in Fide*; idèſt fecit diuites inſpirando Fidem, & omnia opera, quæ procedunt ex Fide; elegit *ad hæreditatem Regni*; idèſt ad gloriam, non ſolùm ad gratiam, vt putant *Aduerſarij*. Ex quibus ſic.Vel illa merita, quæ præuidentur,ſunt ex Fide, vel non? Si primum;ergo ſunt poſt electionem,quia electio eſt ad Fidem; & ideo vocatio ad Fidem eſt effectus prædeſtinationis; vt docet *Apoſtolus Rom.* 8. *Quos prædeſtinauit, hos,& vocauit.* Si ſecundum ergo non ſunt merita vitæ æternæ; & ideo impertinenter ſe habent ad prædeſtinationem.

13 Prob.3. *ex eod.ibid.c.*12; quod incipit. *Sed omnis hæc ratio, qua defendimus gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum verè eſſe gratiam, idèſt non ſecundùm merita noſtra dari, quamuis euidentiſſimè Diuinorum eloquiorum teſtimonijs aſſeratur; tamen apud eos, qui niſi aliquid ſibi aſſignent, quòd priores dent, vt retribuatur eis, ab omni ſtudio pietatis reprimi ſe putant, laboratur aliquando in ætate maiorum, iam vtentium voluntatis arbitrio;ſed vbi venitur ad paruulos,& ad ipſum mediatorem Dei, & hominum hominem Chriſtum Ieſum, omnis deficit præcedentium gratiam Dei humanorum aſſertio meritorum; quia nec illi vllis bonis præcedentibus meritis diſcernuntur à ceteris, vt pertineant ad liberatorem hominum; nec ille vllis humanis præcedentibus meritis, cùm & ipſe ſit homo, liberator factus eſt hominum.* Et c.15. *Eſt etiam præclariſſimum lumen prædeſtinationis, & gratiæ ipſe Saluator,ipſe mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus; qui, vt hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel operum,vel Fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illo eſt, comparauit? Reſpondeatur quæſo:Ille homo, vt à Verbo Patri coæterno in vnitatem perſonæ aſſumptus Filius Dei vnigenitus eſſet,vnde hoc meruerit? Quod eius bonum qualecumque præceſſit? Quid egit ante, quid credidit, quid petiuit, vt ad hanc ineffabilem excellentiã perueniret?* Deinde ſubdit.*Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus,vt noſtrum caput eſſet,ita multi prædeſtinati ſumus, vt eius mébra eſſemus.* Tandem concludit. *Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit,ipſe in nobis membris eius præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat.* Ex quibus ſic. Natura humana prædeſtinata eſt ad vnionem hypoſtaticam, & ad filiationem Dei naturalem abſque præuiſione meritorum, quibus talem vnionem,& filiationem potuiſſet mereri, & paruuli decedentes poſt Baptiſmum prædeſtinati ſunt abſque præuiſione meritorũ;ergo & adulti. Ant.patet;natura enim humana nullam actionem potuit elicere meritoriam vnionis hypoſtaticæ,& filiationis Dei naturalis; quia vnio hypoſtatica, & filiatio Dei naturalis in infinitum excedit omne meritum cuiuſcunque creaturæ; tum quia natura humana ante vnionem hypoſtaticam nullam actionem potuit elicere, vtpotè priuata ſuo ſuppoſito; *actiones enim ſunt ſuppoſitorum*; ſimiliter paruuli nullum meritum habuerunt, quia deceſſerũt ante vſum rationis; ergo prædeſtinatio naturæ humanæ Chriſti Domini ad vnionem hypoſtaticam, & ad filiationem Dei temporalem; & prędeſtinatio paruulorum decedentium immediatè poſt Baptiſmum eſt ante prȩuiſionem meritorum. Prob. conſ. Prædeſtinatio Chriſti Domini eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis; & prædeſtinatio paruulorum eodem modo, & pro eodem ſigno facta eſt, ac prędeſtinatio adultorum:ergo ſicut prædeſtinatio Chriſti Domini, & paruulorum eſt ſine præuiſione meritorum,ita & prędeſtinatio adultorum. Idem docet *de Dono Perſeu. c.*3;11;12; 18,& 19; vbi refert pro hac ſententia DD.*Cypr; Amb; & Nazian; & in eod. c.*19. concludit;quòd nullus,niſi errando,contra hanc ſententiam poteſt diſputare; verba eius ſunt hęc: *Hoc ſcio neminem contra ipſam prædeſtinationem,quam ſecundùm Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* Videat *Vaſq*; qui dicit *Beatiſſ. P.* in hac ſententia nimis asperè locutum fuiſſe, videat quale iudicium de ipſo protulit *Beatiſſ.Doctor*?

14 Reſp.*Vaſq.*ad hanc auctoritatem,quæ tam clara eſt, vt à nullo poſſit negari,vel explicari, *Beatiſſ. Patrem* loqui de electione ad gloriam in ſemine, idèſt ad gratiam, quę eſt ſemen gloriȩ. 2. Reſp. *alij* loqui de electione ad gratiam perſeuerantiȩ finalis, per quam prędeſtinati diſtinguuntur à reprobis, 3.Reſp. *alij* loqui de vita

ta æterna in conſecutione actuali, non autem in præuiſione, & ideo licèt prędeſtinatio antecedat merita in conſecutione actuali, attamen illa antecedunt prædeſtinationem in præuiſione.

15 Sed iſtę extorſiones tam diſſonę ſunt, vt ſe ipſis abſque eo, quòd ſoluantur, falſitatem oſtendant. Ad 1. igitur falſum eſt loqui de electione ad gratiam, quia loquitur de electione ad Regnum, & ad hęreditatem æternam, quæ non eſt gratia temporalis, ſed gloria, vt ſupra dictum eſt. Itē prędeſtinatio paruulorū non eſt ad gratiam temporalem, ſed ad gloriam, vt patet; & prædeſtinatio naturę humanæ ad vnionē hypoſtaticam, & filiationem Dei eſt prædeſtinatio ad gloriam, quia per vnionem hypoſtaticam natura humana fuit formaliter glorificata, & per filiationem naturalē habuit naturaliter hęreditatem æternam. Ad 2. dicitur, quòd prędeſtinatio paruulorum non potuit eſſe ad gratiam perſeuerantię finalis, quia ipſi non poſſunt cadere, cùm non poſſint peccare. Ad 3. patet pariter ipſum loqui de prædeſtinatione in eſſe pręuiſo; aliter non reſpondiſſet *Pelagio*; qui loquebatur de ipſa in eſſe pręuiſo, vt patet ex verbis *cit: Præſciebat ergo, ait Pelagianus.*

16 Prob.4. *à Fundat.Doct.* Merita noſtra ſunt media ad conſequendum finem prædeſtinationis; ergo nequeunt pręuideri ante intentionem efficacem ipſius finis prędeſtinationis. Ant. patet; quia media ſunt illa, quibus conſequimur ipſum finem: ſed mediantibus meritis conſequimur finem prędeſtinationis; ergo merita ſunt media ad finem prędeſtinationis. Prob.conſ. De ratione medij eſſentialiter eſt, quòd mediet inter duo extrema, quorum vnum eſt intentio finis, & aliud eſt executio; ſed ſi merita præuiderentur ante intentionem prędeſtinationis, non mediarent inter duo extrema; ergo non eſſent media, & per conſequēs non eſſent merita, quia merita ſunt media, & ideo merita nequeunt pręuideri ante intentionem efficacem prædeſtinationis.

17 Conf. 1. Media ad aliquem finem nequeunt præuideri, niſi ſint efficaciter electa; nam ſolùm per electionem fiunt media, aliter ſi præuiderentur, vt non electa, pręuiderentur, vt media indeterminata, & indifferētia ad talem finē; implicat enim, quòd indifferens ad aliquod ſit illud, ad quod eſt indifferens, vt patet de animalitate reſpectu rationalitatis; ſed electio efficax mediorum ſupponit intentionem efficacem finis, vt ſupra dictum eſt: ergo media ad aliquem finem nequeunt pręuideri, niſi poſt intentionem efficacem finis; ſed merita ſunt media ad finem prædeſtinationis; ergo nequeunt pręuideri ante intentionem efficacem dandi gloriam, quę eſt finis prędeſtinationis.

18 Conf. 2. Merita noſtra ſunt dona Dei miſericorditer nobis collata; ſed implicat, quòd Deus conferat nobis aliquod donum, & non ordinet illud in finem; aliter Deus caſualiter ageret; ergo implicat, quòd merita noſtra prętideantur à Deo, vt non ordinata in ſuum finem, qui eſt gloria; ſed ordinatio mediorum in gloriam eſt effectus formalis prędeſtinationis, quæ eſt ratio ordinandorum in vitam ęternam; & effectus formalis eſſentialiter ſequitur ad ſuam cauſam formalem ita, vt repugnet pręuideri ante illam; ergo implicat, quòd Deus pręuideat merita ante prędeſtinationem ad gloriam.

19 Prob.2.pars concl. *ex Beatiſſ.P. lib.de Grat. & lib.arb. c.8*; vbi quęrens quomodò gloria, quę merces dicitur, & redditur operibus iuxta illud *Rom.4. Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*; ab eodem *Apoſt. Rom. 5.* vocetur gratia; *Gratia autem Dei vita æterna*? Reſpondet, quòd gloria dicitur merces, quia meritis aquiritur; & dicitur gratia, quia ipſa merita ſunt gratia, & dona Dei gratis inſpirata; nam id, quod redditur gratię gratia eſt, vnde gloria etiam, vt merces, quia gratia eſt, cùm reddatur meritis, quę ſunt gratia Dei, omnino gratis intenditur; aliter gratia non eſſet, ſi intentionem illius merita præcederent. Verba eius ſunt hęc: *Iſta quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolui, niſi intelligamus, & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Et *Tract. 3. in c.1. Io.* ait: *Pro quo merito accipis vitam æternam? Pro gratia. Si enim ipſa Fides gratia eſt, & vita æterna, quæ merces eſt Fidei, videtur quidem Deus vitam æternam, quaſi debitam reddere.* Et paulò poſt loquens *de Apoſt.* dicente: *Quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex*, ait: *Vt ante ſuſciperet gratiam, miſericordē Patrē opus habebat; vt præmiū gratiæ, Iudicem iuſtū*; vnde gloria *Io.1.* dicitur *gratia pro gratia.*

20 Formatur autē ſic eius ratio *à Fund.Doct. hic diſt.41. princ.1.q.2. art.1.§.Quartò ex operibus noſtris.* Quotieſcunque aliqua merces, corona, aut præmium eſt gratia formaliter, tunc intentionem illius non præcedunt aliqua merita; aliter non eſſet gratia, quia ſecūdùm doctrinam *Apoſtoli*, ſi merita præcedunt gratiam, iam gratia non eſt gratia, nam gratia eſſentialiter gratis datur, & id gratis datur, quod datur nullis pręcedentibus meritis; ſed gloria etiam, vt merces, corona, & præmium, gratia eſt; ergo intentio dandi gloriam etiam, vt merces, corona, & præmium, eſt ante præuiſionem meritorum.

21 Conf. *ex eodem.* Quotieſcunque aliqua merces ita confertur aquirenda per merita, vt non ſolùm ipſa merces, ſed etiam ipſa merita, quæ ſunt media ad illam conſequendam gratis donentur; tunc nedum collatio meritorum, ſed etiam intentio conferendi mercedem per merita eſt ante præuiſionem meritorum; quia tam collatio meritorum, quàm intentio dandę mercedis per merita mera gratia eſt; & ideo antecedit

cedit merita; sed gloria ita est merces aquirenda per merita, vt ipsa merita sint gratia, & dona Dei gratis omnino data; ergo nedum collatio meritorum, sed etiam intentio dandi gloriam, vt merces est, antecedit præuisionem meritorum.

22 Explicatur *ab eodem* hoc exemplo. Si Rex intenderet donare alicui aliquam Ciuitatē aquirendam vi belli, & ei conferret arma, milites, vires, fortitudinem, & omnia media necessaria ad occupationem illius; tunc intentio donandi illam ciuitatem, vt mercedem aquirendam per merita, non supponeret merita, quæ ad illam consequerentur, quia donaretentur gratis ex vi illius intentionis gratuitæ conferendi illam ciuitatem aquirendam per merita gratis donanda; sed Deus intendit dare gloriam *Adultis*, vt mercedem aquirendā per merita; quæ ipse gratis omnino tribuit, non autem supponit in *Adultis*; ergo intentio dandi gloriam, vt merces est, est ante præuisionem meritorum. *Vid. in sup. art. à n. 25. ad 28.*

23 Objic. 1. *Mol.* Electio efficax mediorum tunc supponit intentionē efficacē finis, quādo distinctis actibus tēditur in finem, & media; vt in creaturis; sed Deus vnico simplicissimo actu vult finē, & media; ergo illa ratio non valet in Deo.

Resp; quòd, electio in creaturis supponit intentionem realiter, quia realiter ab illa distinguitur; ergo electio in Deo supponit intentionem ratione, quia ratione ab illa distinguitur. Sicut intellectus, & voluntas, quia realiter distinguuntur in creatura, ideo voluntas, quæ essentialiter sequitur ad intellectum, supponit intellectum realiter; at verò in Deo, quia distinguuntur solùm virtualiter, ideo voluntas supponit intellectum virtualiter; ita à pari de electione, quæ ex suo conceptu sequitur ad intentionem. Præterea ad hominem. Electio in Deo nequit supponere intentionem, quia sunt vnus simplicissimus actus; ergo intentio à fortiori nequit supponere electionem; sicut intellectus, quia est idem realiter cum voluntate à fortiori nequit supponere voluntatem; ergo intentio dandi gloriam nequit supponere ipsa merita, quę causantur ab electione.

24 Objic. 2. *Vasq.* Electio tunc supponit intentionem, quando quis vult finem sibi, non quando vult finem alteri; sed Deus vult nobis gloriam, ergo non intendit illam antecedenter ad merita. Prob. ma. Tunc quis potest eligere media efficaciter, & velle solùm finem inefficaciter, quando consecutio finis, & positio mediorum non sunt sub potestate, & dominio intendentis finem, nec voluntas illius, cui intēditur finis, est sub perfecto regimine, gubernio, & potestate intendentis finem, vt v. g. quanuis Rex decernens aliquod præmium certantibus, illud desideret alicui sibi magis familiari, & propter hoc arma magis apta ad victoriam illi efficaciter subministret, non tamen efficaciter intendit ei dare illud præmium. Sic Pater desiderans Doctoratum filio, quanuis ei efficaciter velit media ad Doctoratum; attamen non intendit efficaciter Doctoratum; sed consecutio gloriæ, & positio mediorum sunt in potestate creaturę; ergo Deus potest velle efficaciter media absq; eo, quòd efficaciter intendat finem.

Resp. neg. ma; siue enim intendatur finis sibi, siue alteri, semper electio efficax ex sua natura supponit intentionem efficacem. Ad prob. dicitur, quòd eligens efficaciter media ad aliquem finem, necessariò tendit in illum finem quantùm est ex se; licèt talis intentio, quæ secundùm se est efficax, frustretur actuali consecutione finis, quia talis consecutio non est sub perfecto dominio intendentis efficaciter finē; at verò cōsecutio glorię est sub perfecto dominio volūtatis Dei, de quo dicitur *ps. 113. Omnia, quæcunq; voluit, fecit*; ergo electio efficax mediorum supponit intentionem efficacem finis nedum sibi, sed etiam alteri; sic Rex, & Pater intendunt efficaciter finem, ad quem eligunt efficaciter media, quanuis talis intentio frustretur, quia media efficaciter electa non sunt efficacia consecutionis finis, quanuis sint efficaciter volita, & apprehensa, vt efficacia ad consecutionem finis. Sicut infirmus eligit efficaciter medicinā ex intentione efficaci sanitatis; & tamen non consequitur sanitatem, quia illa medicina, quanuis efficaciter volita, non tamen est efficax ad consecutionem actualem sanitatis; licèt apprehensa fuerit, vt talis. Ad mi. dist. Media ad consecutionem glorię sunt in potestate creaturæ, quia sunt merita, quæ sunt in eius libero arbitrio ita, vt non sint magis in potestate Dei, tam in potestate ipsius creaturæ, vt docet *Beatiss. P. de Cor. & Grat. c.* 14; conc; vt non sint in potestate Dei illa inspirandi efficaciter, & donandi, neg. Sicut ergo electio efficax supponit intentionem efficacem finis sibi intenti, quia media sunt in sua potestate, & voluntas intendentis est sub suo dominio; ita in Deo intendente finem in creaturis electio efficax supponit intentionem efficacem, quia voluntas creaturæ, & merita ipsius sunt magis sub dominio Dei, quàm sub dominio creaturæ.

25 Objic. 3. *ex Arrub.* Volitio efficax mediorū potest procedere ex motiuo efficaci amoris dandi gratiam; ergo non supponit intentionē efficacem gloriæ essentialiter. Prob. ant. Volitio efficax meritorum in reprobis, qui recipiunt gratiam ad tempus, est ex motiuo efficaci dandi gratiam, non autem ex motiuo efficaci dandi gloriam.

Resp; quòd cùm gratia in electis habeat pro fine gloriam, vt docet *Trid. sess. 6. c. 7*; volitio efficax dandi gratiam essentialiter supponit intentionem efficacem dandi gloriam. Tum quia cum gratia actualis iuxta nostram sententiam sit

idem

idem,ac meritum inſpiratum à Deo; ideo ſicuti meritum eſt medium, ita gratia habet rationem medij, & ideo volitio gratię ſupponit intentionem finis,à qua cauſatur. Neg.igitur ant. Ad prob.dicitur, quòd gratia, ſeu meritum reprobi non eſt efficaciter ordinatum ad conſecutionem gloriæ, & ideo non ſupponit intentionem efficacem illius; ſed eſt ordinatum ad oſtenſionem Diuinæ bonitatis,& iuſtitiæ,& ideo ſupponit intentionem efficacem talis oſtenſionis; at verò in prædeſtinatis gratia, ſeu meritum ordinatur efficaciter ad conſecutionem glorię,& ideo ſupponit intentionem efficacem illius.

26 Objic.4. *Sua.* Ad hoc,vt quis efficaciter eligat media,ſufficit,quòd intendat inefficaciter finem; ergo electio efficax meritorum non ſupponit intentionem efficacem gloriæ.Vel *ex Leſſ.* Ad hoc, vt Deus efficaciter eligat merita ſufficit, quòd intendat efficaciter gloriam in communi, ſcilicet non applicatam huic, vel illi perſonæ in particulari, & determinatè; ad hoc autem, vt velit efficaciter gloriam huic perſonæ in particulari, debet præuidere merita in eſſe conditionato.

Reſp.ad 1.neg.ant. Sicut enim electio mediorum ſupponit, & oritur ex intentione finis ita efficacia electionis mediorum ſupponit, & oritur ex efficacia intentionis finis. Ad 2. Neg. pariter ant; nam ſicuti ad intentionem gloriæ in communi,qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri,ſequitur electio mediorum ſufficientium, quæ ſunt communia omnibus hominibus;ita ad intentionem gloriæ in particulari eſſentialiter ſequitur electio mediorum in particulari.Tum quia ſi ad electionem mediorum in particulari ſufficeret intentio beatitudinis in communi, ſequeretur, quòd aliquis homo in particulari cōſequeretur gloriam in particulari abſque eo, quòd Deus intēderet in particulari illi dare gloriam,& ideo merè caſualiter,& fortuitò hoc cōtingeret Deo,vt dictum eſt.

27 Objic.5.Intentio, & electio mutuò ſe præcedunt in diuerſo genere cauſæ, vt dicitur de materia,& forma;nam intentio præcedit electionem in genere cauſæ finalis; & electio præcedit intentionem in genere cauſę materalis diſpoſitiuæ,quatenus reddunt creaturam habilem ad gloriam. Sicut reprobatio ſupponit demerita,quæ reddunt creaturam damnatione dignam; ergo electio ad gloriam debet ſupponere merita in genere cauſæ diſpoſitiuę habilitātis ad gloriā.

Reſp.neg.ant;quia electio eſſentialiter eſt mediorum,quæ eſſentialiter mediant inter intētionem,& executionem finis; alíter ſi præcederent intentionem,non eſſent media, quia non mediarent inter vnum extemum,& aliud, quod eſt intentio, & executio. Tum quia electio ad gloriam non eſſet prima gratia; imò non eſſet gratia,vt docet *Apoſtolus*,quia illam præcederēt merita;& quod datur ex mèrito, non eſt gratia, ſed iuſtitia. Tandem ſi merita antecederent intentionem gloriæ, iam eſſent motiuum, à quo moueretur Deus ad eligēdum; & ſic eſſent priora in genere cauſę formalis, quia motiuum eſt cauſa formalis;quòd ſi nō eſſent motiuum,à quo moueretur Deus ad eligēdum,non eſſet aſſignalibis ratio,cur debeant preſupponi ad electionē?

28 Objic.6.*Matt.*25. habetur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à cōſtitutione Mūdi;eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare*; in quibus verbis illa particula *enim* importat cauſam nedum poſſeſſionis in tempore, ſed etiam præparationis ab æterno; & illa verba: *Eſuriui,& dediſtis manducare*, important noſtras operationes. Item 1.*Cor.*2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,quæ præparauit Deus diligentibus ſe*;vbi illa verba: *diligentibus ſe*;importāt noſtra opera meritoria eſſe cauſam præparationis gloriæ. *Et* 2. *Pet.*1.*Satagit, vt per bona opera veſtra certam veſtram vocationem,& electionem faciatis*;& alia ſimilia, quæ videntur concludere merita eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis.

Conf.*Beatiſſ.P.lib.*1.*ad Simpl.q.*2. ſup.illud *Rom.* 9. *Vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneat*,ait: *Illud propoſitum manet, vt iuſtificet credentes,ideo inuenit opera,quæ iam eligit ad Regnum Cælorum.* Et infra. *Non autem electio præcedit iuſtificationem,ſed electionem iuſtificatio.*

Reſp. illa, & ſimilia loca expreſsè loqui de conſecutione actuali gloriæ; primus enim loquitur *de poſſeſſione*, quæ eſt conſecutio actualis,vt patet; facit ergo hunc ſenſum. Regnum,quod vobis paratum eſt à conſtitutione Mundi,idèſt ante omnem creaturam,& ideo ante omne veſtrum meritum,poſſidete per veſtras operationes, quibus promiſſa eſt conſecutio actualis, quamuis intentio fuerit ante omnē veſtram operationem;quia fuit ante Mundi conſtitutionem; vnde falſum eſt illam particulam *enim* importare cauſam præparationis ab æterno;alíter Euangelio contradiceret *Apoſtolus* docens electionem eſſe ante omnia merita, & ſic non eſſet *Apoſtolus*. Secundus locus explicatur *ab Euang.Io.*1.*Epiſt.c.*4; vbi ait; quòd *dilectio ex Deo eſt*; ſup.quòd videatur *Beatiſſ.P.Tract.*7. *in Epiſt.Io*;ergo ſi dilectio noſtra ex Deo eſt,& nequit non eſſe ordinata à Deo in vitam ęternam, aliter Deus caſualiter illam produceret in nobis, optimè infertur dilectionem eſſe effectum, & quid poſterius ad prædeſtinationem, quæ eſt ratio ordinandorum; non autem cauſam ipſius. Tandem auctoritas. *D. Petri* clarè loquitur de executione;nam ſuperiùs ait: *Quomodò omnia nobis Diuinæ virtutis ſuæ,quæ ad vitam,& pietatem donata ſunt, per cognitionem eius, qui vocauit nos propria gloria,& virtute;per quem maxima,& pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ &c. Vos autem curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fi-*

de vera virtutem,in virtute autem ſcientiam,in ſcientia autem abſtinentiam &c. Igitur ſi vocauit nos propria gloria, & virtute, & vocatio eſt effectus prædeſtinationis *iuxta Apoſt. Quos prædeſtinauit,hos & vocauit*;ſequitur,quòd merita noſtra non ſint cauſa intentionis dandi gloriam. Et ſi nobis omnia donauit, vt efficiamur conſortes Diuinæ naturæ; infertur,quòd merita antecedunt ſolùm cōſecutionem conſortij Diuinæ naturæ;& ideo ſubiungit verba nobis obiecta; quibus declaratur operibus reddi certam vocationem, & electionem, quatenus conſequimur vitam æternam,ad quam antecedenter prædeſtinati ſumus;conſecutio enim finis eſt quædā certificatio, ſeu ſignū certitudinis ipſius intētionis.

Ad conf.reſp.*Bellarm.Beatiſſ.P.*ſe retractaſſe. Sed hoc falſum eſt; ait enim *de Præd.SS.c.*4; *& de Dono Perſeu. c.* 20. ſe optimè ſcripſiſſe de gratia in illa *q.*2. *ad Simpl.* Dicitur ergo, quòd cōtrarium deducitur *ex illa q.cit*;loquitur enim *ibid.*de electione creaturę,idèſt de electione,qua creatura eligit bonum;inquit namq;*de Iacob, & Eſau: Cùm ergo nulla eſſet electio bene agentis,ſecundùm quam maneret propoſitum Dei , non ex operibus,ſed ex vocante,idèſt ex eo, qui vocando ad fidem gratia iuſtificat impium, dictum eſt, & quia maior ſeruiet minori: Nō ergo ſecūdū electionē propoſitū Dei manet,ſed ex propoſito electio;idèſt non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius;ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad Regnum Cælorum.* Ait ergo; quòd non ideo propoſitum iuſtificandi creaturas manet,quia inuenit opera; ſed è contra ideo inuenit opera, quia propoſitū manet; & quia propoſitum manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera , quæ eligat ad gloriam; ergo opera ſequuntur ad propoſitum, ſeu intentionem dandi gloriam. Et cùm ſubdit: *Non tamen electio præcedit iuſtificationem , ſed electionem iuſtificatio;nemo enim eligitur,niſi iam diſtans ab illo,qui reijcitur*;manifeſtè loquitur de electione meritorum quantùm ad actualem executionē gloriæ;innuit enim:*Hic autem quod ait: Non ex operibus,ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori; non electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratiæ proueniunt,ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur ; gratia enim Dei ſalui facti ſumus; & hoc non ex operibus, ſed Dei donum eſt.* Ergo ſi propoſitum eſt cauſa iuſtificationis,& iuſtificatio, quæ fit per meram gratiam Dei, eſt cauſa electionis meritorum quantùm ad actualem executionem gloriæ, apertè ſequitur electionem ad gloriam,quę eſt cauſa iuſtificationis, & electionis executiuæ meritorum, eſſe antecedenter ad merita.

29 Obijc. 7. Deus ordine intentionis eligit ad gloriā dandā, nedum vt donum gratuitū,ſed etiam vt coronam, præmium, & mercedem; ſed præmium,corona,& merces reſpicit eſſentialiter meritum,quod eſt eius correlatiuum; ergo electio ad gloriā, nedū ordine executionis, ſed etiā ordine intentionis ſupponit præuiſionem meritorum. Prob.ma. Deus ordine intentionis intēdit dare gloriam eo modo,quo illam conſequitur creatura; aliter quòd creatura conſequatur gloriam,vt coronam, caſualiter accideret Deo, quia contingeret præter illius intentionem; ſed creatura actu conſequitur gloriam,vt coronam, præmium, & mercedem; ergo Deus ordine intētionis eligit creaturā ad gloriā, vt coronā &c.

Reſp.diſt.mi.Præmium reſpicit meritum, vel antecedens,vel ſubſequens,conc; antecedēs ſemper,neg; vt patet de Rege ſtatuente præmiū ei, qui expugnauerit aliquam ciuitatem. Ita eſt in caſu.

30 Obijc. 8. Si Deus eligeret ad gloriam ante præuiſa merita,poſſet quis nullum habens meritum, imò habens omne demeritum conſequi gloriam, quia electio eſt infruſtrabilis; ſed conſequens eſt falſum;ergo & ant.

Reſp. *Fund. Doct.* neg. ſupp. ma. Electio enim eſt cauſa efficax, nedum conſecutionis gloriæ, ſed etiam meritorum , & eſt infruſtrabilis quoad vtrunque.

31 Obijc.9.Si electio antecederet merita, etiā reprobatio antecederet demerita; illi enim, qui relinquærentur dum alij eliguntur ante prę-uiſionem meritorum, remanerent excluſi à gloria pro eo ſigno, quo non intelligerentur merita, & ideo neque demerita; ſed conſequens eſt falſum,*vt inf.*dicemus;ergo & ant.

Reſp.neg.mi.Ad prob.infert.dicitur,quòd prędeſtinatio,& reprobatio facta fuit poſt præuiſionem peccati originalis, vt *inf*; & ideo vtraque ſupponit pręuiſionem demeriti,non meritorum; quanuis reprobatio negatiua, quæ idem eſt, ac non electio , ſit ante præuiſionem demeritorum actualium.

32 Obijc. 10. Electio ad gloriam ſupponit præuiſionem noſtrarum operationum in eſſe naturali, quia ordo naturæ ſupponitur ad ordinem gratiæ;ergo & in eſſe ſupernaturali.

Reſp. neg. conſ; nam noſtræ operationes naturales non ſunt effectus electionis, cuius tamen ſunt effectus operationes ſupernaturales;& ideo illæ, non iſtæ poſſunt antecedere electionē ad gloriam.

33 Obijc.vlt. Merita Chriſti Domini antecedunt noſtram prædeſtinationem; ſunt enim cauſa meritoria illius, vt videbimus *in ſeq*; & tamen noſtra prędeſtinatio eſt donum gratuitum; ergo etiam ſi noſtra merita præuideantur; attamen non ſequitur,quòd non ſint gratia.

Reſp.diſt.2.par.ant.*ex Beatiſſ.P.Epiſt.*105. *ad Sixt*; *vt videb. in ſeq. art.* Eſt donum gratuitum reſpectu Chriſti Domini, neg;reſpectų noſtrum, conc; ſicuti enim noſtra prædeſtinatio debetur meritis Chriſti Domini ex iuſtitia,non

ex

ex gratia, quia merita illius ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis; ita ſi noſtra merita antecederent noſtram prædeſtinationem, prædeſtinatio eſſet ex debito, non ex gratia; nam vt docet *Apoſt.* quod redditur meritis eſt ſecundùm debitum, non ex gratia. *Vid. alias obiectiones in ſup. art.*

35 Tota igitur hęc doctrina reſtringitur ad hoc; quòd merita, quæ ordinantur efficaciter ad conſecutionem gloriæ (non enim loquimur de meritis non ordinatis efficaciter, vt in reprobis, qui habent gratiam ad tempus, vt ſupra diximus) ſunt effectus ipſius prædeſtinationis, ſiue electionis ad gloriam, cùm ſint media, quibus conſequimur actualiter finem prædeſtinationis; & quia implicat videri effectum ante cauſam; nam effectus non habet eſſe, niſi per cauſam, & poſt cauſam, cùm ad illam eſſentialiter ſequatur, ideo non poteſt cognoſci, niſi poſt cauſam; cognitio enim ſequitur ad eſſe; ergo noſtra merita nequeunt cognoſci ante intentionem dandi gloriam.

36 Quæres, an ſi duraſſet ſtatus innocentiæ prædeſtinatio fuiſſet ante electionem meritorum?

Reſp. negatiuè; merita enim in ſtatu innocentiæ fuiſſent media ad actualem conſecutionem gloriæ; & ideo fuiſſent poſt intentionem efficacem dandi gloriam.

ART. III.

An Chriſtus Dominus fuerit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis.

1 Conſtat ex dictis *in duobus ſup. articulis* nullam dari cauſam prædeſtinationis ſiue motiuam, ſiue meritoriam intrinſecè in ipſis prædeſtinatis, quia prædeſtinatio eſt donum, & beneficium merè gratuitum illis gratis collatum à Deo. Supereſt videndum, an ſaltem prædeſtinatio poſſit habere cauſam meritoriam extrinſecam ita, vt vnus prædeſtinatus à Deo poſſit mereri prædeſtinationem alteri? Poteſt autem circa hoc duplex dubium contingere. 1. An Chriſtus Dominus meruerit prædeſtinationem omnibus hominibus, quorum eſt caput, & Redemptor? 2. An vnus homo prædeſtinatus poſſit mereri prædeſtinationem alteri homini; quod eſt idem, ac illud, quod quærebant *antiqui DD.* an prædeſtinatio poſſit iuuari precibus SS? In præſenti examinabimus 1. dubium acturi de de altero *in ſeq.*

2 Quoniam autem, vt ſupra diximus, prædeſtinatio poteſt ſumi quoad intentionem, & quoad executionem, vertitur in dubium, an Chriſtus Dominus meruerit nobis ipſam prædeſtinationem quoad intentionem, ſeu quoad ipſam electionem actiuè ſumptam; vel ſolùm quo ad executionem, ſeu quo ad vltimum prędeſtinationis effectum; executio enim eſt vltimus effectus ipſius prędeſtinationis, quia vltra actualem conſecutionem gloriæ nullus alius effectus datur, vel dari poteſt. Loquimur autem de merito de condigno.

3 Prima ſententia vult Chriſtum Dominum non meruiſſe prædeſtinatis electionem ad gloriam, ſeu prædeſtinationem quo ad intentionem, ſed tantùm quoad executionem. *Ita Scot. in 3. diſt. 19. q. 1; & ex Thomiſtis Capr. in 3. diſt. 1. q. 1. art. 1. ad 3; Ferrar. 4. cont. Gent. c. 55. Med. q. 19. art. 4. dub. vltimo, & alij.*

Secunda ſententia vult Chriſtum Dominum obruliſſe ſua merita pro aliquibus in communi, & in confuſo, non autẽ in particulari pro his determinatè, & ideo meruiſſe adæquatè noſtram prędeſtinationem, vt eſt beneficium gratuitum; non verò, vt eſt electio horum in particulari prę alijs, & ideo Deum pro ſuo libito elegiſſe hos præ alijs. *Ita Sua. lib. 2. de Præd. c. 24; & To. 1. in 3. p. diſp. 41. ſect. 4; Carthag. lib. 2. de Præd. diſcurſu 11; & Gonzal. diſp. 74. ſect. 4; & alij; & noſter Mag. Conſon. in M.S.*

Tertia ſententia vult Chriſtum Dominum non meruiſſe noſtram prędeſtinationem quo ad omnes effectus; putat enim Incarnationem, & merita Chriſti Domini fuiſſe effectum noſtræ prædeſtinationis eò, quia Deus priùs intendecit prædeſtinare aliquos, & poſtea decreuit Incarnationem Chriſti Domini, tanquam mediũ ad conſequendam gratiam. *Ita Capr. vbi ſup; Driedo de Captiuit. Tract. 2. c. 2. p. 3. art. 4; Ven. in 1. diſt. 41. q. 3; Ruard. Taper. art. 6. contra Luth; Ferrar. vbi ſup; Lug. de Incarnat. diſp. 27. n. 46; Ricard; Adam; Bec; & alij.*

Vltima tandem ſententia docet Chriſtum Dominum meruiſſe noſtram prædeſtinationem etiam quoad intẽtionẽ, & in particulari pro talibus hominibus, ſeu quoad electionem. Colligitur manifeſtè ex *Fundatiſſ. Doct. in. 3. diſt. 10. par. 3. q. 1. art. 2. dub. 2. lat;* vbi docet Chriſtum Dominũ, vt eſt homo Deus, nõ fuiſſe cauſam efficientem quantùm ad intentionem, ſeu propoſitum Diuinæ voluntatis, quia actus Diuinæ voluntatis, vtpotè increatus, cauſam efficientem nequit habere, ſed fuiſſe cauſam efficientem executionis noſtræ prædeſtinationis, & fuiſſe cauſam exemplarem, & finalem. *Et diſt. 2. p. 1. q. 1. art. 2. §. Sextò;* vbi docet; quòd Chriſtus, vtpote Filius Dei per naturam, eſt prior filiatione adoptiua, ad quam prædeſtinamur per gratiam; & ideo dicitur: *Primogenitus in multis Fratribus. Et diſt. 28. p. 1. q. 1. art. 1;* vbi docet, quòd cùm meritum Chriſti præualeat omni merito, ideo meruit nobis omnem gratiam, & omne donum. *Et diſt. 19. p. 2. q. 1. art. 1;* vbi docet, quòd Chriſtus meruit nobis primam vocationem, qua accedimus ad Deum; & ſpem, qua erigimur in Deum; & iuſtificationem perfectam, qua gloriamur in ſpe Filiorum Dei. Eandem ſententiam docet *ex noſtris Argent. in 3. diſt. 14. q. 1. art. 2; noſter Bernardin. in M.S; Gibbon, & aly.* Et ex ex-

teris verò *Io. à S.Tho*; *Godoy*, *Cabr. 3.p. q.24. art.4. diſp.1.n. 6*; *Vaſq*; *Leſſ*; *Arrub*; *Alarc*; *Arriag*; *& alij*.

4 Not. *ex B. Doct. diſt. 4. p. 3. q. 1. art. 1*; quòd Christus nequit mereri ſuam prædeſtinationem ad vnionem hypoſtaticam, & filiationē Dei naturalem, quia nullum meritum poteſt excogitari in natura humana præcedens vnionem hypoſtaticam; vt diximus *ex Beatiſſ.P.in ſup.art.* At verò in Christo Domino, qui eſt primus, ſeu Caput omnium prædeſtinatorum, quapropter dicitur *Primogenitus in multis Fratribus*, poſſumus cognoſcere merita antecedentia prędeſtinationem omnium ſuorum membrorum; quia ſicut primum habet eſſe ante omnia, illa, quæ ſunt poſt primum; ita habet priùs cognoſci, cùm cognoſci ſequatur ad eſſe; vnde etianſi repugnet ex hoc capite prædeſtinationē Christi Domini habere cauſam meritoriam, hoc tamen non repugnat noſtræ prædeſtinationi. Quamuis igitur reſpectu prædeſtinationis totius corporis myſtici Eccleſiæ, prout comprehendit caput, qui eſt Christus Dominus, & membra, quæ ſunt homines, non detur præuiſio meritorum illam antecedens; attamen reſpectu membrorum poteſt dari præuiſio meritorum ipſius capiris, quod antecedit ipſa membra.

5 Merita autem Christi Domini licèt ſint actus voluntatis humanæ eliciti mediante natura humana, quia voluntas Diuina, vt Diuina eſt, non poteſt mereri, attamen ita eliciuntur à voluntate humana, vt refundantur in voluntatem Diuinam tanquam in primum principium mouens voluntatem humanam, quæ ita mouebatur à voluntate Diuina, vt illius motioni nunquam reſiſteret, ſed ſemper obtemperaret. *Hoc not.*

6 Vnica concl. Christus Dominus eſt cauſa exemplaris, meritoria quoad intentionem electiuam, & finalis noſtræ prædeſtinationis.

Prob.1.pars cōcl.*ex illo Rom.8.quos præſciuit, & prædeſtinauit cōformes fieri imagini filij ſui*; ex quo ſic arguitur. Cauſa exemplaris eſt illa ad cuius conformitatem reſpiciens artifex operatur; ſed Deus reſpiciens ad prædeſtinationem Christi Domini operatus eſt noſtram prædeſtinationem; ergo Christus Dominus, ſeu prædeſtinatio Christi Domini eſt cauſa exemplaris noſtræ prædeſtinationis.

7 Hinc *Beatiſſ. P. de Dono Perſeu.c.24.* docet: *Nullum eſt illuſtrius noſtræ prædeſtinationis exemplum, quàm ipſe mediator Ieſus*; *& de Prædeſt.SS. cap.15. Sicut ergo prædeſtinatus eſt ille vnus, vt caput noſtrum eſſet, ita multi prædeſtinati ſumus, vt membra eius eſſemus.* Similitudo autē, quæ eſt inter prędeſtinationē Christi Domini, & noſtram, aſſignatur *à Fund.Doct.in 3.diſt. 10.p.3. q.1.art.2. dub.1.lat*; nam ſicut ille prædeſtinatus eſt Filius Dei naturalis; ita nos prædeſtinati ſumus Filij Dei adoptiui; vnde ſicut ille, quia eſt Filius Dei naturalis, eſt hęres gloriæ per naturam; ita nos, qui ſumus Filij Dei adoptiui, efficimur hæredes gloriæ per gratiam.

8 Prob.2. pars concl. *ex illo Io.1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam per gratiam*; quo *Beatiſſ. P*; *& D. Hier.* intelligunt nos accipere à Christo Domino omnia dona ſpiritualia; & illud *gratiam per gratiam* explicant à prima vſque ad vltimam gratiam. *Et hoc Vega ſup. Conc. Trid. à c.4. vſque ad 7.* probat eſſe de Fide; & eſſe definitum in *Conc. Araux. II. can. 5*; *& c.16*; *& 21*; *Mileu. c. 3, & 4*; *& Trid.ſeſſ.6. c.5*; *6*; *7*; *& 8.* Hinc *Beatiſſ.P.Epiſt.105.ad Sixt.* ait: *Nec quiſquam liberatur, & iuſtificatur, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrū non ſolùm remiſſione peccatorum, ſed priùs inſpiratione Fidei.* Ex quibus ſic arguitur. Christus Dominus meruit nobis omnem gratiam, & omne donum, quod accepimus ex miſericordia Dei, & quod vnuſquiſque in particulari accepit; ergo Christus Dominus fuit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis quoad electionē in particulari. Prob.ant. Si daretur in nobis aliquod donum, ſeu gratiam, quam non accepiſſemus à Christo Domino in ipſo nō fuiſſet plenitudo omnium gratiarum, & donorum, quia non fuiſſet illa gratia, & donum ab illo non acceptum; ergo Christus Dominus meruit nobis omnem gratiam, & omne donum. Tum quia meritum Christi Domini fuit infiniti valoris; ergo non datur aliquod donum, vel gratia, quam nobis non meruerit, quia in infinitum debet extendi ad omnia, aliter non eſſet infinitum. Prob. conſ. prædeſtinatio quoad electionem in particulari eſt donum, & gratia accepta à Deo; ergo Christus Dominus illam nobis meruit.

9 Prob.2. *Epheſ.1. Sicut elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate prædeſtinās nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum.* Et inferiùs. *Quam propoſuit in illo in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in Cælis ſunt, & quæ in terris in ipſo; in quo etiam ſortem conſecuti ſumus prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius.* Super quod *Beatiſſ. P. de Præd.SS.c.18.* ait: *Elegit Deus in Chriſto ante conſtitutionem Mundi membra eius; & quomodò eligeret eos, qui nondum erant, niſi prædeſtinando? & de Dono Perſeuer. c. 20. Et illum ergo, & nos prædeſtinauit, qui, & in illo, vt eſſet caput noſtrum, & in nobis, vt eius corpus eſſemus &c.* Idem habet *de Præd.SS.c.15*; vbi ait: *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam; & regnet, quæ regnat Dei gratia per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Et *de Cor; & Grat.c.11.* loquēs de hominibus poſt *Ada* lapſum ait: *Iſtos à reatu, & hæreditario, & proprio illius agni ſanguis abſoluit*; vbi latè docet omnem gratiam, quam habent Sancti prædeſtinati, eſſe ex meritis Christi Domini; quod pro-

ſequitur etiam c.12. *Et Epiſt.105.ait: Vita æterna iuſtitia quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt, & ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia, cui debetur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus non ſolùm gratiam, ſed etiam gloriam*, Quibus verbis docet, quòd illud, quod nobis eſt gratia, Chriſtò debetur ex iuſtitia; quia nobis datur ſine meritis; illi verò ex meritis. Ex quibus ſic. Prima cauſa meritoria eſt cauſa omnium meritorum, & omnium donorum, quæ conferuntur cauſis ſecundis meritorijs ſubordinatis; ſed Chriſtus Dominus eſt huiuſmodi; ergo eſt cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, quæ eſt donum; & omnium noſtrarum operationum, quæ ſunt meritoriæ. Mi. patet; nam Chriſtus Dominus eſt caput omnium SS. Eccleſiæ militantis, & triumphantis, & ideo ſicuti eſt primus in gloria, ita eſt primus in merito, nam gloria reſpondet merito. Prob. ma. Ita ſe habet prima cauſa meritoria in ordine ad dona, quæ recipiunt cauſæ ſecundæ meritoriæ; ſicut prima cauſa efficiens in ordine ad perfectiones phyſicas, quas recipiunt cauſæ ſecundæ efficientes, ſed prima cauſa efficiens eſt cauſa omnium eorum, quæ recipiunt cauſę ſecundæ efficiẽtes; ergo cauſa prima meritoria eſt cauſa omnium donorum, quæ recipiunt cauſæ ſecundæ.

10 Cóf. Chriſtus Dominus perfectiſſimè meruit noſtram ſalutẽ; ergo meruit etiam prędeſtinationem quo ad intentionem, quæ eſt initium noſtræ ſalutis. Prob. ant. Si Chriſtus Dominus non meruiſſet perfectiſſimè noſtram ſalutem, maximè, quia non meruiſſet initium illius, nempe intentionem dandi gloriam; ſed hoc eſt abſurdum, aliter adhuc, ſi Chriſtus non fuiſſet, homines conſecuti fuiſſent ſalutem; quia intentio dandi gloriam eſt infruſtrabilis; tum quia habetur in *Symb. propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis*; ergo perfectiſſimè meruit noſtram ſalutem.

11 Prob. 3. *ex illo Rom.5. Sicut delictum, ita & donum*. Ita ſe habet demeritum *Adæ* ad reprobationẽ eorum, qui damnantur, ſicut meritum Chriſti ad prædeſtinationem eorum, qui eliguntur; ſed demeritum *Adæ* fuit cauſa reprobationis eorum, qui damnantur, vt *infra* videbimus; ergo meritum Chriſti eſt cauſa prædeſtinationis eorum, qui eliguntur.

12 Prob. 4. Si Chriſtus non meruiſſet noſtram prædeſtinationem quoad intẽtionem, maximè; quia prædeſtinatio eſt prima gratia, quæ non poteſt cadere ſub merito; ſed hoc non obſtat; nam prima gratia, quæ nobis confertur in tempore, eſt ex meritis Chriſtis, vt docet Fides, & tamẽ verè eſt prima gratia; & ideo *Apoſt. & Euang. Io.* nunquam nominant gratiam, quin addant: *Ieſu Chriſti, per Ieſum Chriſtum, in Chriſto &c. Et 2. Petr. c.*1. loquens de Chriſto Domino ait: *Per quam maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hanc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ*. Sed inter maxima Dei promiſſa eſt prædeſtinatio; & hęc nobis datur per Chriſtum, ſeu ex meritis Chriſti; ergo licèt prædeſtinatio, quia eſt prima gratia, non poſſit cadere ſub merito ipſius hominis prædeſtinati; attamen poteſt cadere ſub merito ipſius Chriſti Domini.

13 Quòd autem Chriſtus Dominus applicuerit ſua merita hominibus prædeſtinatis in particulari, habetur expreſsè *Io.*17; vbi ait: *Non pro Mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*. Et prob. *ratione Fundatiſſ. Doct.* Si Chriſtus Dominus obtuliſſet Patri ſua merita in communi, & confusè, cęco modo illa obtuliſſet; non enim pro eo tunc cognouiſſet eos in particulari, pro quibus illa offerret; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & id, vnde ſequitur.

14 Conf. 1. Si Chriſtus Dominus obtuliſſet ſua merita in confuſo, ſequeretur, quòd ſalus prædeſtinatorum in particulari contingeret caſualiter, & fortuitò ipſi Chriſto Domino offerenti ſua merita; ſed hoc derogat ſummæ prouidentiæ ipſius, qui vtpotè *Pater futuri ſæculi*, debet prouidere ſuos filios, nedum in vniuerſali, ſed etiam in particulari; ergo obtulit ſua merita pro prędeſtinatis in particulari.

15 Conf. 2. Si Chriſtus Dominus obtuliſſet ſua merita pro omnibus in vniuerſali per voluntatem antecedẽtem, vel pro aliquibus indeterminatè per voluntatem conſequentem ſequeretur, quòd electi non tenerentur ſpecialiter gratias agere Chriſto Domino; nam eorum electio non dependeret ab illo, ſed à mero beneplacito ipſius Dei; ſed conſequens eſt contra Fidem; docet enim *Apoſtolus* gratias agendas eſſe Chriſto Domino tanquam noſtro liberatori; ergo Chriſtus Dominus fuit cauſa meritoria electionis prædeſtinatorum in particulari determinatè.

16 Deducitur ex dictis Chriſtum Dominũ eſſe cauſam finalem noſtræ prædeſtinationis, vt docet *Trid. ſeſſ.6.c.7*; nam quod eſt primum in aliquo genere, eſt menſura, regula, & finis ceterorum illius generis; ſed Chriſtus in ordine prædeſtinatorum eſt primus; ergo eſt menſura, regula, & cauſa finalis omnium prædeſtinatorum. Tum quia, vt arguit *Fundat. Doct. vbi ſup*; omnes prędeſtinati ſunt in ędificationem Corporis Chriſti, quia prædeſtinati ſunt vt membra eius; ergo prædeſtinati ſunt propter Chriſtum; ſed cauſa finalis eſt illa, *propter quam cetera ſiunt*; ergo Chriſtus Dominus eſt cauſa finalis noſtræ prædeſtinationis.

17 Obijc. 1. *Epheſ.* 1. prędeſtinatio vocatur *Sors*, & alibi vocatur *gratia, donum, & beneficium merè gratuitum*; ſed Sors, gratia, & beneficium gratuitum nullum reſpiciũt meritum, quia quod datur ex merito, datur ex debito; ergo merita Chriſti Domini non ſunt cauſa meritoria

ria noſtræ prædeſtinationis. Prætereà ibidem dicitur noſtram prædeſtinationem eſſe *ſecundùm propoſitum voluntatis Dei*, idêſt omnino gratis, & ex mero beneplacito ipſius Dei; ſed quod eſt ex merito, non eſt gratis, neq; ex beneplacito; ergo noſtra prædeſtinatio non eſt ex meritis Chriſti Domini.

Reſp.1.quòd noſtra prædeſtinatio vocatur *Sors, donum, & beneficium gratuitum* abſolutè, & generaliter, prout importat totum ordinem prędeſtinatorum includentem etiam Chriſtum Dominum, qui eſt caput illorum; ſic enim omnino gratis datur; nam ſicut nos non meruimus noſtram prædeſtinationē ad gloriam; ita nec Chriſtus Dominus meruit ſuam prædeſtinationem ad vnionem hypoſtaticam, & filiationem Dei naturalem, vt ſupra dictum eſt *ex Beatiſſ.P.* Non autem dicitur ſors, donum, & beneficium gratuitum comparatiuè, ſcilicet comparando noſtram prædeſtinationem ad merita Chriſti Domini; ſic enim eſt ex debito, non ex gratia; nam Chriſto Domino debetur ex iuſtitia ędificatio ſui corporis myſtici, quod conſtat ex prędeſtinatis tanquā ex membris. 2. Dicitur ſors, donum, & beneficiū gratuitum reſpectu noſtri, non reſpectu Chriſti Domini; ſicut *Rom. 3.* dicimur *gratis iuſtificari*; quod excludit ſolùm merita noſtra, non autem merita Chriſti Domini.

18 Inſt. 1. Chriſtus Dominus eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, vt dictum eſt; ſed prædeſtinatio Chriſti Domini nulla ſupponit merita, vel propria, vel aliena; ergo nec prædeſtinatio noſtra. 2. Si Chriſtus Dominus meruiſſet nobis omnia dona gratiæ, eſſent nobis debita ex iuſtitia; ſicut ſi *Petrus* v.g. ſolueret *pro Paulo* pretium alicuius rei, illa res deberetur *Paulo* ex iuſtitia.

Reſp. *Fund. Doct. diſt. 10. vbi ſup*; quòd omnis ſimilitudo non currit omnibus pedibus, ſed aliquibus claudicat, aliter non eſſet ſimilitudo, ſed identitas, ſi eſſet quo ad omnia vniformis. Similitudo ergo conſiſtit in hoc, vt docet *Beatiſſ. P*; quòd ſicut ſine vllis meritis præcedentibus *prædeſtinatus eſt ille vnus, vt caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſumus in illo, vt membra eius eſſemus*; non autem ſicut ille prædeſtinatus eſt, vt caput noſtrum, de cuius ratione eſt nihil ſupponere, quia caput eſt primum, ante quod nihil eſt: ita nos prædeſtinati ſumus, vt caput noſtrum; ſed quia prædeſtinati ſumus, vt membra, neceſſariò ſupponimus ipſum caput, in quo prędeſtinati ſumus; nam ſecundū neceſſariò ſupponit primum; & illud, quod ſit in alio, neceſſariò ſupponit illud. Ad 2. neg. aſſumpt; nam ideo *Paulo* debetur ex iuſtitia illa res, pro qua *Petrus* ſoluit pretium, quia *Paulus* nullum habet debitum eum reddente; quòd ſi aliquod debitum haberet, tum illa ſolutio eſſet ad extinctionem debiti, nec res deberetur *Paulo* ex iuſtitia, quanuis illa res ſecundùm ſeipſam deberetur ex iuſtitia *ipſi Petro* ſoluenti; at verò omnes homines ſunt debitores Deo propter peccatum originale, & ideo quanuis ſolutio pretij redemptiui inducat debitum reſpectu Chriſti Domini ſoluentis, attamen nullum debitum inducit reſpectu hominū, pro quibus ſoluitur; nā reſpectu illorum valet ſolùm ad extinctionem debiti.

19 Obijc. 2. Si Chriſtus Dominus meruiſſet noſtram prędeſtinationem, ſequeretur, quòd aliquid extra Deum, ſcilicet volūtas humana eſſet prima radix omnis gratiæ; ſed hoc eſt falſum; nā radix omnis gratiæ eſt voluntas Diuina, habetur enim *Io. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; *& Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam Dei*; ergo Chriſtus non meruit noſtram prædeſtinationem.

Reſp. neg. ſeq. ma; nam voluntas humana Chriſti Domini meruit noſtram prædeſtinationem, quatenus mouebatur à ſuppoſito Diuino per voluntatem Diuinam, à quo operationes Chriſti Domini trahunt infinitum valorem; vnde initium noſtræ prædeſtinationis eſt voluntas Diuina, quatenus tamen mouet voluntatem humanam Chriſti Domini ad operandum meritoriè; quare licèt nemo poſſit venire ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum, attamen Pater non trahit, niſi per merita Chriſti; quapropter dicitur *Io. 14. Ego ſum via, veritas, & vita; nemo venit ad Patrem, niſi per me; & c. 10. Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur*; per quod patet ad 1. auctoritatem; & ad 2. dicitur nos iuſtificari gratis reſpectu noſtri, non reſpectu Chriſti Domini.

20 Obijc. 3. Si Chriſtus Dominus eſſet cauſa meritoria noſtræ prędeſtinationis, ſequeretur, quòd Verbo non Incarnato, nullus fuiſſet prædeſtinatus; ſed conſequens eſt falſum, quia prædeſtinatio eſt infallibilis, nec potuit fruſtrari per peccatum *Adæ*, tum quia ſi *Adam* non peccaſſet, adhuc ipſe & eius filij conſecuti eſſent gloriam; tùm quia iuſtitia originalis *Adæ* non fuit ex meritis Chriſti, & tamen ordinabatur ad finem ſupernaturalem, qui eſt gloria; ergo Chriſtus Dominus non meruit noſtram prędeſtinationem.

Reſp. *Fundatiſſ. Doct. diſt. 18. vbi ſup. §. Reſpondeo* diſt. ma. Nullus eſſet prædeſtinatus ſecundùm ordinem præſentem, qui eſt per redemptionem Chriſti Domini, conc; ſecundùm alium ordinē, quē Deus inſtituiſſet, neg. Sic *Adam* non peccādo prædeſtinatus fuiſſet à Deo ſecundùm alium ordinem, ſicut prædeſtinati fuerunt Angeli Sancti. Neg. autem ſupp. mi; nam prædeſtinatio non fuit ante præuiſionem peccati originalis, ſed poſt, vt infra videbimus; & ideo etianſi nullus prædeſtinatus fuiſſet, attamen peccato *Adæ* non diceretur fruſtrari prædeſtinationem, quia ante peccatum prædeſtinatio non erat. Ad aliud dicitur iuſtitiam originalem ordinari ad gloriam inefficaciter, non efficaciter, & ideo per illam non fuit prædeſtinatus *Adam*; nam prædeſtinatio eſt ordinatio efficax.

21 Inſt.

21 Inſt. Gratiæ originali, & meritis ſtatus innocentiæ correſpondet gradus gloriæ in Cælis; ergo gratia originalis, & meritum ſtatus innocentiæ fuerunt effectus prædeſtinationis *Adæ*, quæ eſt electio ad gloriam, & per conſequens *Adam* fuit prædeſtinatus ante præuiſionem peccati originalis, & ante prædeſtinationem Chriſti Domini, quę fuit in remedium peccati, & ideo decretū fuit ſolùm poſt præuiſionem peccati; ergo Chriſtus Dominus non meruit antecedenter prædeſtinationem *Adæ*, nec aliorum hominum, qui prædeſtinati ſunt in eodem ſigno rationis, in quo prædeſtinatus fuit *Adam*.

Reſp. diſt. ant. Gratiæ originali, vt primò collatæ, & meritis, ſi quæ habuit *Adam*, correſpondet gradus in gloria, neg; vt reſtitutis per pœnitentiam ex vi meritorum Chriſti, & vt poſteriùs præordinatis per prædeſtinationem à Deo, conc.

22 Obijc.4.cont.2. part.concl. *Io.*17.habetur: *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi; tui erant, & tu illos dediſti mihi*; ex quibus verbis apertè deducitur, quòd antequam Chriſtus Dominus applicaret ſua merita hominibus in particulari, iam erant electi à Deo; eorum enim electio explicatur per illa verba: *Tui erant*. Item habetur *c.*13. *Non perdidi ex eis quenquā, quos tradidiſti mihi*; ſed Pater nequir rradere Filio numerum hominum electorum in confuſo, aliter cæco modo ageret; ergo tradidit eligendo.

Reſp. Patrem tradidiſſe Filio eligendo efficienter, quos Filius elegerat meritoriè, poſtulatiuè, & impetratiuè iuxta illud *pſ.*2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

23 Inſt. Deus voluit voluntatem humanam Chriſti Domini petere electionem aliquorum in particulari; ſed per talem volitionem, quæ præceſſit petitionem Chriſti Domini, facta eſt electio; ergo Chriſtus Dominus nō meruit prædeſtinationem quoad electionem in particulari.

Reſp. neg. mi; nam per talem volitionem non voluit, niſi poſtulationem Chriſti Domini, & ideo ſolùm voluit cauſam meritoriam electionis, non autem voluit directè, & immediatè ipſam electionem.

*Cetera arg. vid. in ſup. art. à n.*40.

A R T. IV.

An vnus homo poſſit mereri, vel iuuare prædeſtinationem alterius?

1 **T***Raiani* hiſtoria hanc difficultatem antiquitus in Scholas inuexit; vt refert *Fund. Doct. Quodl.* 1. *q.*2; narrat enim *D. Damaſc. in quadam Oratione pro mortuis* precibus *D. Gregorij Magni* à pœnis Inferni, quibus dānatus iam fuerat à quingentis ferme annis, *Traianum* fuiſſe liberatū. Et quanuis *nonnulli* apocrypham Orationem illā recenſeant; & *alij* exiſtiment quidem illam eſſe *D. Damaſc*; at iſtum *S. Doctorē* nimis inconſideratè fidem huic rei dediſſe; vt *Bellarm; & Baron. anno* 604. *n.*51. Attamen quia multi *Magni DD*; inter quos *D. Tho; B. Doct. Aegid; & alij* de hiſtoriæ veritate nō dubitant; & aliàs *SS. PP.* narrant ſimilia Diuinæ miſericordię miracula *à Seruis Dei* patrata, qui plures in peccatis migratos reuocarunt ad vitam, & ſpatium pœnitentiæ impetrarunt; vt narrat de quodam *D. Ambr. Serm.*90; & in vita *Magni Thaumaturgi Beatiſſimi Nicolai Tolentinatis* refertur de ſuo quodam conſanguineo *Gentili* ipſius precibus ex Inferni lacu erepto; & aliunde videmus Diuinam potentiam non eſſe adeò huic ordini rerum, quē ſtatuit, alligatam, vt aliquando ſuper hunc ordinem mirabiliter non operetur; ideo non congruit, nec licèt tanta facilitate has hiſtorias negare cum periculo adimendi SS. laudem, & Diuinæ admirabilitatem potentiæ.

2 Refert *Fund. Doct. vbi ſ; & in* 1. *diſt.* 41. *princ.*1. *q.*2. *art.*2. quatuor errores circa præſentem difficultatem. 1. Fuit *aliquorum Philoſophorum gentilium*, qui vixerunt ante diluuium, quorum meminit *Ariſt.* 1. *Met & 2. de c.*8; abſolutè negantium Diuinam prouidētiam tam naturalem, quàm ſupernaturalem circa creaturas; ac propterea aſſerētium precibus iuſtorum non poſſe iuuari, aut mereri noſtram prædeſtinationem. 2. Fuit *Ciceronis*, vt narrat *Beatiſſ. P.* 5. *de Ciu. c.*9. ſēntientis actus liberos non ſubeſſe Diuinæ prouidentiæ, quia infallibilitas prouidentiæ nequit componi cum fallibilitate arbitrij; vnde cùm preces SS. ſint actus liberi nullo modo ſpectare poſſunt ad prædeſtinationem, quæ eſt prouidentia ſpecialis. Hæc docet *Cicero* 2. *de Diuinat. in calce lib. de Nat. Deorum.* 3. Fuit *Stoicorū* aſſerētium omnia prouenire ex neceſſitate; & ideo preces SS. nihil prodeſſe noſtræ prædeſtinationi. 4. Fuit *Aegyptiorum* aſſerentiū preces SS. adeò eſſe efficaces, vt mutent Diuinum propoſitum.

3 Hos errores conuellit *B. Doct.* duplici doctrina, quam tradit *D. Dion.* 3. *de Diuinis Nomin. de virtute orationis*; vbi docet; quòd imaginari debemus Dona Diuina eſſe quoſdam radios ad modum catenæ è Cælo ad terram dimiſſos, per quos quaſi manibus noſtris ad Cælum aſcendimus; & ſic aſcendendo non trahimus illos radios; aut Cælum ad nos; ſed nos per illos ad Cælum accedimus. Vel imaginari debemus aliquem exiſtentem in aqua habentem in manibus funē alicui ſaxo immobiliter alligatū; ſi traheret illum funem, non ſaxum traheret ad ſe, quia immobile eſt; ſed ſemetipſum conduceret ad ſaxum. Sicut ergo illi radij ſubiacent Cælo, ita omnia, quæ ſunt in Mundo, ſubiacent prouidentiæ; per quod remouetur 1. & 2. error aſſerentium nihil, vel ſolùm aliquid, nempe entia neceſſaria ſubeſſe prouidentiæ Dei. Et ſicut per ipſos radios voluntariè mouemur ad Cælum; ita per noſtras operationes liberas mouemur ad Diuinam prouidentiam immobilem. Tandem ſicut

sicut ipsum Cœlum non mouetur ex eo, quòd ad illud ascendamus, & moueamur; & sicut ex eo, quòd trahimus funem saxo alligatum, non mouemus saxum; ita ex eo, quòd fundimus orationes, non mutamus Diuinum propositum. Dimissis igitur istis erroribus.

Prima sententia *inter Catholicos* est purum hominem posse mereri prædestinationem alterius de congruo quoad omnes effectus illius. Tribuitur *Vasq. hic disp. 94. c. 5.*

Secunda sententia docet non posse mereri prædestinationem quoad omnes effectus extrinsecos, bene tamen quoad omnes effectus intrinsecos. *Ita Sua; Ban, Gonz; Arrub; Cornejus, Salm. apud nostrum Gibb, & alij recentes Thomistæ,* quibus subscribit idem *noster Gibbon hic disp. 3. dub. vlt;* vbi ait, quòd effectus intrinseci sunt omnia illa, quæ intrinsecè recipiuntur in ipsis prædestinatis, scilicet gratia, & gloria; effectus verò extrinseci sunt omnia illa, quę non recipiuntur intrinsecè in prędestinatis; vt prędicatio Euangelij; oratio alterius &c.

Nostra tandem sententia docet preces *Iustorum* posse mereri alteri collationem, seu executionem actualem effectuum prædestinationis, non autem intentionem actualem, seu propositum illa conferendi. *Ita Fundat. Doct. vbi sup;* & putamus hoc substineri *ab Auctoribus 2. sent;* quibus accedit *Godoy hic disp. 68; & omnes alij communiter;* & sic precibus SS. posse iuuari prędestinationem alterius quantùm ad executionem, non quantùm ad intentionem.

4 Not; quòd *hic* non quærimus, an purus homo possit alteri mereri primam gratiam, quæ ordine executionis est primus effectus prædestinationis; de hoc enim agere spectat *ad Tract. de Grat.* Loquimur ergo de effectibus prędestinationis in communi pręscindendo ab ordine, quem habent inter se, prioris, & posterioris.

5 Effectus autem formalis prædestinationis potest, vt diximus superiùs, considerari, vel actiuè ex parte Dei, prout dicit actum immanentem intra Deum, per quem constituitur formaliter Deus prædestinans; vel passiuè ex parte creaturæ, prout dicit actionem transeuntem in creaturas; & sic sunt omnia dona, seu gratię, quas Deus communicat electis, incipiendo à prima vocatione vsq; ad actualem consecutionem gloriæ. Inquirimus ergo in præsenti; an purus homo possit mereri alteri homini prædestinationem actiuè sumptam, prout importat actum intentionis Dei volentis dare gloriam; an verò solùm possit mereri prædestinationem passiuè sumptam, quæ importat gratiam in homine receptam; propter quod dicatur solùm iuuare prędestinationem, quatenus obtinet alteri aliquam gratiam, per quam ille actu consequitur gloriam. Vnde cùm dicitur, quòd *prædestinatio est prima gratia;* si sumatur actiuè, est ordinatio actiua existens in Deo liberè eligente ad gloriam; si verò sumatur passiuè, est prima vocatio, qua vocam ur ad Fidem; quæ supponitur ad iustificationem, & ad omnia alia dona, & gratias, quibus ordinamur ad gloriam.

6 Et quamuis concedatur, quòd vnus possit alteri mereri primam gratiam passiuè receptam intrinsecè in prædestinato, quia potest illi mereri primam vocationem ad Fidem, vt diximus de Oratione *D. Stephani*, quæ meruit vocationem *Sauli* ad Fidem, non tamen ex hoc sequitur, quòd possit mereri primum effectum prędestinationis extrinsecè; quia meritum *D. Stephani* erat effectus extrinsecus prædestinationis *D. Pauli*; ordinauerat enim Deus *Saulum* vocandum esse ad Fidem per orationem *D. Stephani*. Etsi dicatur, quòd *D. Stephanus* per aliud meritum antecedens potuit mereri illam orationem, quæ fuit primus effectus, dicitur, quòd tunc non illa oratio, sed illud meritum antecedens fuit primus effectus; & sic de reliquis; nam illud meritum antecedens non fuit ordinatum ad orationem præcisiuè ab eo, quòd sit meritoria prædestinationis *D. Pauli*, sic enim Deus ordinasset illud meritum omnino casualiter; quia quòd illa oratio impetrasset vocationem *D. Pauli*, omnino casualiter contingisset illi merito ordinato à Deo ad merendam illam orationem. Propter hoc maior pars Theologorũ substinet, quòd licèt purus homo possit mereri alteri omnes effectus prædestinationis intrinsecè receptos in prædestinato; non tamen potest mereri primum effectum extrinsecum prædestinato; & sic potest iuuare prædestinationem merẽdo aliquos tantùm, non omnes effectus. Sed de hoc suo loco.

7 Quia tamen effectus tam intrinseci prædestinato, quàm extrinseci sunt effectus ipsius ordinationis Dei actiuè sumptæ, & ideo ordinantur tanquam causæ solùm ad executionem ipsius prædestinationis, quam causant; sicut ordinantur tanquam effectus ad ipsam intentionem; ideo non sequeretur, etiam si quis concederet posse aliquem hominẽ mereri alteri omnes effectus prædestinationis Deo extrinsecos, & intrinsecè receptos in ipso prædestinato, vel in ipso homine merente, quòd posset ille homo mereri alteri prædestinationem quoad intentionem, sed solùm quoad executionem; & sic posset iuuare prędestinationem alterius solùm quoad executionem tanquam medium causatiuum illius, non verò quoad intentionem mutando Diuinum propositum, vel flectendo Diuinam voluntatem. *His not.*

8 Vnica concl. Orationes SS. possunt iuuare nostram prędestinationem quoad executionem merendo effectus conducẽtes ad consecutionem illius, non autem merendo ipsam intentionem prædestinationis, vel mutando Diuinum propositum.

Prob. 1. pars concl. *ex Gen. 75;* vbi dicitur *Isaac* suis precibus obtinuisse Filium *Iacob;* & *1. Reg.*

1.Reg.1.*de Anna Phenenna Vxore*,quæ obtinuit *Samuelem*; & *de D.Stephano*, qui obtinuit fuis precibus conuerfionem *D.Pauli*; & *de S.Matre Monica*, quæ fuis lacrymis meruit falutem *Beatiff.P. noftri Auguftini* eius filij; tandem *de DD. Greg. & Nicolao*, qui *ex Inferis* animas eripuerunt,vt dictum eft.

9 Prob.2.*ex Beatiff.P.de Dono Perfeu.c.22*; vbi ait: *Si qui funt nondum funt vocati pro eis,vt vocentur, oremus. Fortaffis enim fic prædeftinati funt, vt noftris orationibus concedantur, vt eandem gratiam accipiant, qua velint effe, atque efficiantur electi*. Ex quibus fic arguitur. Omnis caufa meritoriè cooperans ad executionem alicuius rei dicitur meritoria executionis illius; nam quia adultus meritoriè cooperatur executioni fuæ falutis dicitur caufa meritoria executionis fuæ falutis; & falus dicitur *in Scripturis* reddi iufto, tanquam merces, quod non effet, nifi effet caufa meritoria illius; fed purus homo poteft meritoriè cooperari executioni prędeftinationis alterius; quia poteft pro illa continuò orare Deum; oratio autem cooperatur, quatenus impetrat, & obtinet illud,quod petit, iuxta illud Chrifti Domini: *Petite, & accipietis*; ergo purus homo poteft adiuuare prædeftinationem alterius merendo executionem illius.

10 Conf.1.Poteft Deus affumere, & ordinare actiones meritorias alicuius hominis tanquam medium ad executionem prędeftinationis alterius; vt prædicationes, & paffiones *Apoftolorum, & Martyrum* ad actualem conuerfionem *Paganorum*, et ad moriendum pro Fide; mori autem pro Fide eft actualiter exequi fuam prædeftinationem, vt patet; fed omne medium eft caufa executionis illius finis, ad quem ordinatur; ergo poteft Deus affumere, & ordinare actiones meritorias alicuius hominis, tanquam caufam meritoriam executionis prædeftinationis alterius hominis.

11 Conf.2.Si preces SS. non effent caufa meritoria executionis prędeftinationis alterius, fruftra oraremus pro conuerfione *Infidelium*; conuerfio enim Infidelium eft medium executionum prædeftinationis illorum; fed hoc eft *contra Scripturas*; habetur enim *Iac.5.Orate pro inuicem, vt faluemini*;& contra communem vfum Ecclefiæ orantis pro conuerfione *Infidelium*;ergo preces SS. funt caufa meritoria executionis prędeftinationis alienę.Ma.prob.Aliter executio prędeftinationis alienæ nõ concederetur à Deo precibus SS; nam fi concederetur, iam effent caufa meritoria illius;fed fruftra oratur id,quod non conceditur, nec poteft concedi; vt fi quis oraret Deum,vt mutaret fuũ Diuinum propofitum,quod habuit ab æterno in fe ipfo; ergo fi preces SS. non effent caufa meritoria prędeftinationis alienæ,fruftra funderentur pro conuerfione *Infidelium*.

12 Tandem. Orationes SS. funt caufa meritoria executionis propriæ prædeftinationis, quia funt media conducentia ad executionem propriæ prædeftinationis; ergo funt caufa meritoria executionis etiam alienæ; quia executio propriæ prædeftinationis poteft effe caufa inductiua ad executionem prædeftinationis alienæ; vt diximus de Martyribus morietibus;quorum orationes impetrarunt à Deo aliquod miraculum in morte,quod fuit inductiuum carnificum, & aliorum ad moriendum pro Fide,& per confequens ad exequendam fuam prædeftinationem. Sed quod eft caufa motiui executionis alicuius, eft caufa illius executionis; quia quod *eft caufa caufæ, eft caufa caufati*; ergo fi orationes SS. funt caufa meritoria executionis propriæ prædeftinationis, poffunt etiam effe caufa meritoria executionis alienæ.Et in hoc fenfu intelliguntur hiftorię *Traiani, Gentilis, & aliorum.*

13 Prob. 2. pars concl. Vel orationes SS. funt à Deo ordinatę ad executionem prędeftinationis alienæ, vel non? Si primum; ergo nequeunt effe caufa prędeftinationis alienę quoad intentionem; nam omne ordinatum à Deo eft effectus prędeftinationis ordinantis; cùm prędeftinatio fit ratio ordinandorum; & nullus effectus poteft effe caufa fuę caufę;neq;pofterius effe caufa prioris. Si fecundum; ergo quòd orationes SS. ordinentur ad executionem prędeftinationis alicuę, merè cafualiter,& improuisè accidit Deo; & ideo non cadit fub Diuina prouidentia fpeciali ordinante ad finem fupernaturalem; fed quod cafualiter accidit,non eft caufa intentionis illius; quia quod cafualiter accidit, pręter intentionem accidit,& quod accidit pręter intentionem,non eft caufa intentionis illius; illud enimeft præter intentionẽ, quod eft pręter voluntatem, & fcientiam; quod autem eft caufa intentionis, non eft prȩter voluntatem, cùm ipfa intentio fit actus voluntatis; nec prȩter fcientiam; quia nullum obiectum caulat actum voluntatis, nifi fit cognitum; nam *nihil volitum, quin præcognitum*; ergo fi orationes SS. non funt à Deo ordinatę ad executionem prędeftinationis alienę,non funt caufa intentionis illius.

14 Prob.2. Nullus poteft mereri propriam prædeftinationem quoad intentionem; ergo neque alienam. Ant. probatum eft *art. 2*. Prob. conf. In tantùm nullus poteft mereri fuam prædeftinationem quoad intentionem, in quantùm merita funt effectus fuæ prędeftinationis intentiuè fumptæ, & ideo illam nequeunt antecedere; fed merita vnius nequeunt antecedere prædeftinationem alterius intentiuè fumptam; quia fi poffunt antecedere prædeftinationem alterius intentiuè fumptam, poffunt etiam antecedere propriam; cùm propria, & aliena intenta fit à Deo in eodẽ figno rationis, vt docet cõmuniter Theologi; ergo nullus poteft mereri alienam prędeftinationem intentiuè fumptam.

15 Conf. Prædeftinatus ideo poteft mere-

ti ſuam prædeſtinationem quoad executionem ſolùm,non quoad intentionem,quia poteſt mereri aliam gratiam, qua mediante conſequitur finem ſuæ prædeſtinationis, non tamen poteſt antecedenter ad omnem gratiam aliquid mereri, quia meritum eſſentialiter cadit ſub gratia, quæ eſt principium meriti; ſi autem poſſet mereri intentionem prædeſtinationis propriæ,poſſet antecedēter ad omnem gratiam aliquid mereri; nam omnis gratia prędeſtinati eſt effectus prædeſtinationis actiuè ſumptę; & ideo ante prędeſtinationem actiuè ſumptam nulla eſt gratia in prędeſtinato, quia nullus effectus eſt ante ſuam cauſam; ergo prędeſtinatus poteſt mereri alteri prędeſtinationē ſolùm quoad executionem, non quoad intentionem;quia nequit antecedenter ad omnem gratiam aliquid mereri; & ideo ſi meretur per aliquam gratiam, quæ eſſentialiter eſt medium ordinatum ad executionem prædeſtinationis, ſupponit intentionem prædeſtinationis, quę eſt cauſa electionis omnium mediorum; & licèt gratia merentis antecedat omnem gratiam, quæ eſt intrinſecè in illo, cui meretur executionem prædeſtinationis, non tamen antecedit omnem gratiam, quæ eſt medium ad illam; quia etiam gratia merentis eſt medium extrinſecum ordinatum ad illam.

16 Tandem. Voluntas Dei nequit manere ſuſpenſa, aut mutari, vt diximus *de Vol.Dei q.2. art. 3; & 4*; ergo nullus poteſt mereri prædeſtinationē alteri quoad intentionem; nam in tantùm poſſet illam ſic mereri, in quantùm ille alter non eſſet prædeſtinatus à Deo; non eſſe autem prædeſtinatum ſtat dupliciter. 1. Quia voluntas Dei circa prędeſtinationem illius manſiſſet ſuſpenſa, & merè negatiuè ſe habuiſſet,quādo prędeſtinauit illud, qui poſſet illam mereri. 2.Quia poſitiuè illum reprobaſſet, quando elegit merentem; & ideo ſi aliquis prædeſtinatus poſſet mereri alteri prędeſtinationem intētiuè, vel voluntas Dei manſiſſet ſuſpenſa circa prędeſtinationem alterius,vel mutaſſet propoſitum.

17 Obijc.1. cont.1.part.concl.Noſtra prędeſtinatio importat Diuinum propoſitum ſimpliciter immutabile; ſed Diuinum propoſitum antecedit omnia opera noſtra,quia eſt cauſa eorum; ergo antecedit etiam operationes SS; quę propterea nequeunt iuuare noſtram prędeſtinationem neque quoad executionem.

Conf.Cauſa perfectiſſima non indiget adiuuari ab alia cauſa imperfecta; ſed Deus eſt cauſa perfectiſſima noſtrę prædeſtinationis; ergo neqnit iuuari precibus SS;nec quoad executionem. Tum quia illud, quo poſito, vel ablato nihilominùs cauſa ſuum ponit effectum, nihil facit ad executionem illius; ſed poſitis, vel non poſitis precibus SS. attamen ponitur executio noſtræ prędeſtinationis; quia eſt infallibilis; ergo preces SS. non iuuant ad executionem noſtræ prędeſtinationis. Tum quia ſi prædeſtinatio poſſet iuuari precibus SS; poſſet etiam impediri; nam cauſa particularis ſubluuaris, quę iuuat cauſam vniuerſalem ad productionem alicuius effectus ſublunaris, poteſt etiam illam impedire; vt patet de terra reſpectu Solis; ſed voluntas Dei à nullo poteſt impediri, quia omnipotens eſt,vt docet *Beatiſſ.P.in Enchir.à c.97*;ergo preces SS. non iuuant noſtram prędeſtinationem. Tum quia inſtrumentum,quod iuuat Artificem, poteſt illum impedire, ne exequatur ſuum effectum, ſi deficiat ipſum inſtrumentum; ſed preces SS.non poſſunt impedire ęternam intentionem prędeſtinationis; ergo illam non iuuant.

Reſp. ad arg.diſt.ma. Noſtra prędeſtinatio quoad intentionem, conc; quoad executionem, neg; nam quoad executionem importat actus creaturę, quibus actualiter poſſidetur.

Ad conf. dicitur,quòd licèt Deus non indigeat adiuuari, quatenus poteſt agere ſe ſolo, attamen ipſe effectus Dei dependens etiam à cauſa creata,vt eſt executio gloriæ,poteſt iuuari ab alia conCauſa creata. Ad 2. neg.mi; nam ſi preces SS. ſunt media ad obtinendam noſtram prædeſtinationem, noſtra prædeſtinatio non ponitur, niſi precibus SS. Ad vlt. neg. ma; & ad duplicem prob. dicitur, quòd cauſa ſublunaris, & inſtrumentum non ſunt ita ſub dominio,& poteſtate ipſius cauſę vniuerſalis creatæ, & principalis, ſicut creaturæ ſunt ſub dominio, & poteſtate ipſius Dei. Nec cauſa creata vniuerſalis, aut principalis habet omnimodam poteſtatem, ſicut habet Deus; nec producit effectum eo modo, quo producit Deus; qui ita illum producit eum creatura, vt poſſet ſine illa ipſum producere, & ideo cauſa vniuerſalis creata, & principalis creata poteſt fruſtrari à cauſa particulari, & inſtrumentali, non tamen Dei voluntas poteſt à creatura caſſari.

18 Obijc.2. Chriſtus Dominus potuit mereri prędeſtinationem intentiuè omnibus hominibus; ergo & vnus homo poteſt mereri prædeſtinationem alterius intentiuè, ſaltem de congruo, quia ſicut valor operum Chriſti Domini extenditur ad meritum de condigno; ita valor operum SS. extenditur ad meritum de congruo: vnde ſicut ille potuit mereri prædeſtinationem omnium hominum de condigno; ita iſti de congruo; & iſta congruitas colligitur *ex art.Symb.de communione SS.*

Conf. Voluntas Dei decernens prędeſtinationem Chriſti Domini ante prędeſtinationem hominum non manſit ſuſpenſa circa prędeſtinationem hominum, nec mutata fuit; ergo neque decernēs prędeſtinationem vnius hominis ante prędeſtinationem alterius.

Reſp. ad arg.neg.conſ. Ad prob.infert.dicitur, quòd valor operum omnium SS. ſufficit, quod habeat communionem, quantùm ad executionē prædeſtinationis, ſecundùm quam poteſt comparari valori operum Chriſti Domini; at

at verò quantùm ad intentionem nequit comparari, quia intentio dicit prioritatem, quę competit solùmCapiti prędestinatorum, & repugnat membris, quę essentialiter supponunt Caput. Disparitas ergo consistit in hoc, quòd Christus Dominus, vtpotè exēplar, & Caput nostræ prędestinationis, fuit priùs prædestinatus, quàm membra exemplata; & ideo eius merita potuerunt antecedere prædestinationem mēbrorum exemplatorum. At verò vnus homo non fuit prædestinatus ante alium, & ideo nequeunt merita vnius antecedere prędestinationē alterius.

Ad conf. neg. conf; nam prædestinatio Christi Domini est in ordine hypostatico, & naturali, qui essentialiter pręcedit ordinem adoptiuum; vnde pro eo tunc non consideratur voluntas adoptans, quando consideratur hypostaticè vniens; & ideo non censetur suspensa ab actuali adoptione; quia tunc voluntas consideratur, vt suspensa in aliquo ordine, quando consideratur in tali ordine carere sua determinatione; at verò cùm non consideratur in tali ordine, tunc non consideratur, vt suspensa, sed simpliciter non consideratur talis voluntas. Sicuti pro signo possibilium non consideratur voluntas futurorum, vt suspensa à decreto futuritionis, sed non consideratur simpliciter ipsa voluntas; quia pro illo priori non intelligitur voluntas liberè volens. Ita à pari pro illo priori, quo consideratur Deus prædestinans Christum Dominum in ordine hypostatico, qui est prior ordine adoptiuo, non consideratur ordo adoptiuus, & ideo nec voluntas Dei consideratur, vt suspensa in tali ordine. Aliud est ergo considerare voluntatem, vt suspensam in aliquo ordine; & aliud ipsam non considerare simpliciter in tali ordine. Considerare voluntatem, vt suspensam, est considerare ipsam, vt existentem in tali ordine, priuatam tamen suo actu determinatiuo in tali ordine. Ipsam verò non considerare simpliciter in tali ordine est præscindere talem ordinem inferiorem ab ordine superiori; quod Deo non repugnat, vt patet de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis; & de voluntate antecedente, & consequente. At verò si Deus prædestinaret vnum hominem ante alium, consideraretur voluntas eligēs pro priori signo, vt suspensa à decreto electiuo in eodem ordine adoptiuo, & ideo consideraretur, vt suspensa.

19 Obijc.3. *Beatiss. P. vbi sup.* docet, quòd orationibus SS; conceditur, vt aliqui *efficiantur electi*; sed non efficiuntur electi, nisi per prædestinationem intentiuè; ergo preces SS. possunt mereri alteri prædestinationem intentiuè.

Resp. *Beatiss. P.* apertè loqui de electione quoad executionem; ait enim, quòd orationibus fit, *vt accipiant eandem gratiā, qua velint esse atq; efficiantur electi*; accipere autē gratiam, & velle importāt executionem intentionis electiuæ; quia gratia, & velle meritorium est medium executiuum ipsam intentionem electiuam.

20 Obijc. 4. Si orationes SS. non possent mereri prædestinationem intētiuè, sequeretur, quòd etiam non positis talibus orationibus adhuc illi, pro quibus funduntur, saluarentur; quia intentio prædestinationis non potest frustrari; sed consequens est falsum; nam *si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*; ergo orationes SS. possunt mereri prædestinationem intentiuè.

Conf. *Traianus* post quingētos annos fuit liberatus à gehenna precibus *D. Greg*; & *à D. Nicolao eius consobrinus Gentilis*, vt dictum est; ergo preces SS. possunt mereri intentionem prædestinationis, quæ priùs non erat; nam tunc erat intentio reprobatiua ad gehennam, & per consequens exclusiua, non electiua ad gloriam.

Resp. ad arg. neg. seq. ma; sicuti enim quāuis merita eiusdem electi non possint mereri intētionem electiuam adulti, vt diximus *art.2*; attamen non sequitur, quòd non positis meritis adhuc saluarentur; quia merita sunt necessaria essentialiter ad consecutionem actualem ipsius gloriæ, & indispensabiliter sequuntur ad ipsam intentionem electiuam; ita à pari. Neg. igitur supp; scilicet quòd possint non poni tales orationes, quæ à Deo electæ sunt, vt media ad executionem prædestinationis.

Ad conf. dicitur, quòd admissa historia *Traianus*, & *Gentilis* fuerunt damnati ad gehennam ad tempus per modum depositi, non finaliter; & ab æterno Deus intenderat dare illis gloriā hoc modo per hęc media. Neg. igitur cōs.

21 Quęres, an preces reproborum existentium ad tempus in gratia possint mereri prædestinationem alicui?

Resp. negatiuè; nā gratia reprobi est minor, quā gratia prędestinationis; causa autem nequit producere effectum præstantiorem seipsa.

ART. V.

An prædestinatio sit ante præuisionem peccati originalis?

1 Conclusimus *in sup. articulis* merita nō antecedere prædestinationem; tandem videndum est, an saltem demerita illam præcedant? Quæ difficultas etsi videatur pendere ex illa, in qua quæritur; an si *Adam* non peccasset, Verbum Diuinum carnem sumpsisset? Etenim si decretum Incarnationis factum fuit post præuisionem peccati *Adæ*, etiam prædestinatio Christi Domini, quæ non fuit ante decretūm Incarnationis, sed vel post decretum, vel simul cum decreto, fuit post præuisionem peccati *Adæ*; cùmque prædestinatio omnium hominum sit post prædestinationem Christi Domini, videtur sequi nostram prædestinationem esse post præuisionem peccati originalis; attamen quia *Scotus* ait decretū Incarnationis, & præde-

ſtinationem eius fuiſſe ante præuiſionem peccati; prædeſtinationem verò hominum fuiſſe poſt præuiſionem peccati;ordinem enim omnino diuerſum,aſſignat actibus concurrentibus ad prædeſtinationem,quàm aſſignant ceteri Theologi; ideo alia via eſt incedẽdum.De hoc iterũ agendum erit inferiùs *q*.5;vbi quæremus,an reprobatio negatiua ſit ante præuiſionem peccati originalis;cùm enim electio aliquorum ad gloriam ſit pro eodem ſigno, quo eſt nõ electio aliorum, qui relinquuntur; ideo ſi reprobatio negatiua, quæ idem eſt,ac non electio ad gloriam,eſt poſt præuiſionem peccati originalis, idem dicendum erit de prædeſtinatione, quæ importat electionem ad gloriam; propter quod *plures Auctores* de hac re ſolùm agunt, cùm de reprobatione pertractant.

2 *Scotus* igitur cum ſuis, vt dicebamus, putans illud axioma: *Quod eſt primum in intẽtione,eſt poſterius in executione*;intelligendum eſſe vniuerſaliter de omnibus concurrentibus ad executionem actualem alicuius rei, ſtatuit circa actus concurrentes ad Diuinam prædeſtinationem hunc ordinem ſignorum.In 1. ſigno voluit Deus oſtendere ſuam potentiam, bonitatem, & ſapientiam.In.2.voluit Filium ſuum incarnari ad maximè manifeſtandam ſuam bonitatem. In. 3. voluit propter Chriſti merita conſtituere collegium Angelorum, & hominum; vt in gloria ſub Chriſto Rege regnarent.In.4.ſtatuit creare Angelos, & homines perfectos ſecundùm naturam, & gratiam. In. 5. decreuit mundum creare in obſequium hominum. In. 6. Angelos ſtantes beatificauit,& rebelles damnauit. In.7. vidit *Adæ* peccatum, & decreuit Chriſtum venturum in carne paſſibili ad ſatisfaciẽdum pro homine. In. 8. decreuit quoſdam homines per media efficaciſſima prædeſtinare ad gloriam,& alios reliquit in manu cõſilij ſui, quos quia præuidit morituros in peccato,damnauit ad gehennam.

3 At verò *D.Tho*.hunc ordinem aliter aſſignat,ſcilicèt. In. 1. ſigno videns Deus ſuam naturam fæcundam decreuit Mundum creare, & communicare creaturis omnia dona naturalia, iuxta exigentiam naturarum. In. 2. decreuit ordinare naturam intellectualem per media ſupernaturalia ſufficientia ad finem ſupernaturalem. In.3.vidit alios Angelos ſtetiſſe,& alios cecidiſſe. In. 4. vidit lapſum *Adæ*, qui omnia dona ſupernaturalia amiſit. In. 5. decreuit Chriſtum venturum ad reparandum *Adam*. In. 6. aliquos homines intuitu meritorum Chriſti elegit efficaciter ad gloriam, & alios propter eorum demerita reprobauit ad pœnam. Quanuis aliqui *Thomiſtæ* parum conformiter huic doctrinæ dicunt,quòd Deus excluſit aliquos à gloria, non quidem propter peccatum,ſed tanquam à beneficio indebito, vt videbimus *inf.de Reprobat*; ex quo inferri poteſt, quòd ſicut reprobatio à gloria, tanquam à beneficio indebito,poteſt eſſe ante præuiſionem peccati, vt aliqui aſſerunt eſſe de facto; ita prædeſtinatio, quæ eſt in eodem ſigno, in quo eſt reprobatio negatiua, vt dictum eſt, præcedit præuiſionem peccati originalis.

4 Noſtra tamen ſententia docet prædeſtinationem eſſe poſt præuiſionem peccati originalis. *Ita Fundatiſſ.Doct.in* 1.*diſt*.40.*princ*.2.*q*.2; vbi ait: *Si volumus intelligere reprobationem Diuinam,debemus imaginari omnes homines proſtratos eſſe, & Deum nulli hominum manum extenſam retrahere,ſed cuilibet manum extendere. Vltra hoc, quòd omnibus manum extendit aliquos ad ſe trahit, & qui ſimpliciter trahuntur,prædeſtinati ſunt; qui verò non trahuntur,reprobati dicuntur. Sic enim imaginatur Aug.in de Præd.SS;quòd totum humanum genus ſit quaſi quædam maſſa damnabilis, & Deus aliquos miſericordia,non meritis ad ſe trahit; vel ad vitam prædeſtinat; aliquos verò iudicio iuſtitiæ ab hac gratia, ſiue ab hoc tractu, & prædeſtinatione efficiuntur expertes*. Idem docet *in Epiſt. ad Rom.c.9. lect.31.dub.3; & 4*. Hanc ſententiam ſequitur *Mag. Conſon.in M.S; & tota noſtra Schola*; traditur enim expreſſè *à Beatiſſ.P.plurimis in locis,vt inf*.videbimus.

5 Not;quòd ordo noſtræ prædeſtinationis, qui colligi poteſt *ex noſtro B.Doct; & ex Beatiſſ. P*; prout ad præſentem difficultatem ſpectare poteſt,ſic ſtatui debet. Deus ante præuiſionem peccati originalis voluit per voluntatem antecedentem ordinare naturam intellectualem per media ſufficiẽtia ad æternam beatitudinem; habetur enim 1.*Tim*. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*; & 2. *Pet*. 3. *Deus neminem vult perire; & Ezech*.18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij*? Et ratio affertur *à Beatiſſ.P. de Cor; & Grat.c*.11; vbi loquẽs de adiutorio dato *Adæ* ait: *Si autem hoc adiutorium homini, vel Angelo, cùm primùm facti ſunt,defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet; non vtique ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent*.Igitur ſi Deus ante præuiſionem peccati originalis non ordinaſſet per voluntatem antecedentem naturam intellectualem ad æternam beatitudinem per auxilia ſufficientia ſupernaturalia, *Adam*, & Angeli mali cadendo non ſe auertiſſent à fine ſupernaturali,neque ab illo deordinaſſent, quia in illum nullo modo fuiſſent ordinati;ergo non peccaſſent; quia non habuiſſent auxilium, per quod poſſent non peccare; & quia peccatum conſiſtit in deordinatione à fine ſupernaturali, deordinatio autem ſupponit ordinationem,à qua diſcordat;ideo ante præuiſionem peccati admittenda eſt ordinatio naturæ intellectualis in vitam æternam per voluntatem antecedentem præparantem auxilia communia ſupernaturalia.

6 Inſuper ante præuiſionem peccati originalis Deus permiſit peccatum;nam ſi Deus peccatum non permiſiſſet, Angeli, & *Adam* peccatum

tum non commiſiſſent; nõ enim poteſt committi,niſi id, quod à Deo permittitur, vel præcipitur;vnde ſi peccatum non eſſet permiſſum,cùm ex alia parte non poſſit eſſe præceptum,quia eſt malum,ideo nulla ratione p oſſet committi.Permiſſio autem non eſt formaliter excluſio aliquorum à gloria; nã Deus de facto permiſit omnes homines in *Adam* peccare, & tamen non excluſit ipſum *Adam*,& homines ſanctos à gloria;tum quia permiſſio peccati fuit ſimul cum voluntate antecedente ſaluandi omnes homines; ſed cum voluntate ſaluãdi omnes homines, nequit ſimul componi voluntas excludendi aliquos à gloria, pro eodem ſigno;ergo permiſſio peccati,non eſt idem,ac voluntas excluſiua aliquorum à gloria; tum quia ſi permiſſio eſſet idem , ac excluſio à gloria, tanquam à beneficio indebito, Deus deſeruiſſet aliquos antequam ab illis deſertus fuiſſet;nam tunc Deus deſerit homines,quando excludit eos à gloria; & ideo eis negat auxilia efficacia; & tunc deſeritur ab hominibus, quando committitur peccatum , per quod peccator auertitur à Deo; ſed ante peccatum originale nullum fuit peccatum , & ideo nulla fuit deſertio,quà homo Deum deſeruerit;ergo ſi permiſſio peccati ante peccatum originale fuiſſet, idẽ ac excluſio à gloria, Deus priùs deſeruiſſet hominem,quàm ab homine deſertus fuiſſet; quod eſt contra *Beatiſſ. P. de Nat; & Grat.c.16; & de Cor;& Grat.c.11;& contra Trid.ſeſſ.6.c.11.*

7 Igitur iuxta doctrinam *Beatiſſ.P; & Fundatiſſ.Doct.*Hic ordo ſtatuendus eſt.1.Deus decreuit Mundum condere,quia ordo naturæ præcedit ordinem gratiæ, cùm ſit fundamentum illius. 2. Decreuit concedere naturæ intellectuali auxilium ſufficiens, quo illam generaliter ordinauit ad vitam æternam.3.Permiſit naturam intellectualem poſſe deſerere hoc auxilium,cùm vellet, & per conſequens peccare. 4. Præuidit peccatum.5.Decreuit prædeſtinationem Chriſti Domini ad vnionem hypoſtaticam, & ad filiationem Dei naturalem.6.Decreuit prædeſtinare aliquos homines tanquam membra eius;& prædeſtinare aliquos Angelos dando maiorem gratiam humilibus, eamque negando ſuperbis, ad hoc,vt illi ſtarent, & iſti cadere permitterentur. Vt diximus *de Vol.q.5.art.3.*

8 Ad id autem, quod ait *Scot;* ſcilicèt,quod eſt *primum in intentione &c;*dicitur verum eſſe de fine, & de medijs; nam in intentione priùs intenditur finis,& poſteà eliguntur media,& tamen in executione priùs ponuntur media, & poſteà conſequitur finis . Non tamen verum eſt vniuerſaliter de omnibus, quæ non habent rationem medij, vt ſunt actus intellectus, & voluntatis Diuinæ, qui ſemper eundẽ ſeruãt ordinẽ ſiue in intẽtione,ſiue in executione, propter quod *à Scoto* non debent variari. Tum quia Chriſtus ſecũdum *Scotum* eſt primus hominum, & Angelorum intentus à Deo; ergo in executione debuiſſet naſci vltimus homo, quod tamen eſt falſum.Tum quia ordinatio naturæ ſupponit electionem ipſius , quomodò enim Dux ordinaret milites, niſi priùs illos elegiſſet ? Ordinatio enim eſt relatio, quæ eſſentialiter ſupponit fundamentum, ſupra quod fundatur;ergo præpoſterum eſt,quod dicit *Scotus*, Deũ ſcilicet voluiſſe conſtituere Collegium beatorum ante decretum creandi illos;propter quę non videtur rationabilis ordo *à Scoto* aſſignatus.*Hoc not.*

9 Vnica concl.Prædeſtinatio fuit facta poſt præuiſionem peccati originalis.

Prob.1.*ex Apoſt.Rom.9.Volens Deus oſtendere iram , & demonſtrare potentiam ſuam attulit in multa patientia vaſa iræ , quæ perfecta ſunt in perditionem, & vt notas faceret diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ , cui non poteſt figmentum dicere : Quare ſic me feciſti? Cùm habeat poteſtatem ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam .* Super quod *Beatiſſ. P;* qui hanc ſententiam clariſſimè docet *Epiſt.105. ad Sixt;* ait: *Vbi quia vniuerſa iſta maſſa meritò damnata eſt , contumeliam debitam reddit iuſtitia, honorem donat indebitum gratia .* Et infra.*Nemo ita liberat à vulneribus illius trucidatoris, niſi huius gratia Saluatoris . Nemo liberat venundatos ſub peccato à vinculis captiuitatis , niſi gratia redimentis .* Et infra: *Cùm verò non liberet niſi gratia , nihil iuſtum inuenit in eo , quem liberat.*Et *de Cor;& Grat. c.* 10. *Quotquot enim ex hac ſtirpe gratia Dei liberantur , à damnatione vtique liberantur, qua iam tenebantur obſtricti ; vnde etianſi nullus liberaretur , iuſtum Dei iudicium nemo reprehenderet.* Ex quibus ſic. Ex eadem maſſa perditionis *iuxta Apoſtolum,& Beatiſſ.P.* Deus aliquos prędeſtinauit, & alios reprobauit ; ſed natura humana non fuit facta m aſſa perditionis, niſi per peccatum originale ; ergo prædeſtinatio, & reprobatio *iuxta Apoſtolum, & Beatiſſ.P.* fuit poſt præuiſionem peccati originalis. Tum quia prædeſtinatio eſt formaliter liberatio à captiuitate peccati, ſed liberatio à captiuitate peccati ſupponit ipſum peccatum conſtituens hominem ſub captiuitate; ergo prædeſtinatio eſt poſt præuiſionem peccati originalis. Ma. patet; nam prædeſtinatio definitur *præparatio beneficiorum Dei , quibus liberantur* &c. Mi. etiam conſtat ; nam ſolùm per peccatum homo redditur formaliter captiuus Diaboli; ſicut per ſolam prædeſtinationem liberatur ab hac captiuitate .

10 Prob.2.Si prædeſtinatio facta fuiſſet ante præuiſionem peccati originalis, ſequeretur , quòd poſt peccatum fuiſſet variata quantùm ad ordinationem mediorum ; nam ante præuiſionem peccati non poterat peccatum ordinare ad pœnitentiam, ad contritionem , ad maiorem humilitatem , *ad orationem Dominicam* , qua petitur à Dẽo , *vt liberet nos à malo* ; & ad omnia alia bona, quæ ex peccato occaſionaliter orium-

oriuntur; vt ſunt Sacramenta,quę ſunt in remedium peccati; mortes martyrum; conflictus, & victoriæ ſenſuum rebellium; nam ante præuiſionem peccati non poterant hæc præuideri, quæ ſunt effectus ipſius peccati originalis; vt docet *Beatiſſ.P. de Cor; & Grat. c.* 11, *& in Suppl. cont. Iul. lib.* 1. *c.* 72; de facto autem iſta omnia ſunt ordinata ad maius meritum, & ad maiorem gloriam, ergo prædeſtinatio fuit poſt pręuiſionem peccati.

11 Prob.3. Prędeſtinatio eſt formaliter liberatio, vt dicitur in eius definitione allata *à Beatiſſ.P*; ſed liberatio ſupponit captiuitatem, quæ incurritur per peccatum; quapropter docet *idem Beatiſſ.P. in Suppl.cont.Iul.lib.*3.*c.*112; & alibi frequentiſſimè, *Adam* in ſtatu Innocentiæ non indiguiſſe liberari, quia captiuus non erat, ſicut non indigebat ſanari, quia infirmus non erat; nec indigebat gratia ad ſurgendum, quia lapſus non erat;ergo prędeſtinatio eſt poſt præuiſionem peccati originalis.

12 Conf.Si prædeſtinatio facta fuiſſet ante præuiſionem peccati originalis,plures homines prædeſtinati fuiſſent,quàm illi,qui ſunt de facto prædeſtinati; imò nullus fuiſſet reprobatus; ſed omnes fuiſſent prædeſtinati; ſed conſequens eſt falſum; ergo prædeſtinatio facta fuit poſt præuiſionem peccati originalis. Prob.ma. *SS. PP.* communiter hominum perditionem attribuunt peccato; quod volunt fuiſſe motiuum reprobationis, vt infra oſtendemus *ex Beatiſſ.P*; quapropter *D.Bon. cum alijs* vult nullum futurum fuiſſe reprobum, ſi nullum fuiſſet peccatum; tum quia ante præuiſionem peccati non potuerunt pręuideri homines futuri;nā ſi *Caim* nō occidiſſet *Abel*,fortè *Abel* genuiſſet filios;tum quia filij decedentes ſine baptiſmo, ſaluarentur, qui tamen nunc damnantur; ergo ſi prædeſtinatio fuiſſet ante præuiſionem peccati originalis,plures fuiſſent homines prædeſtinati, quàm nunc, imò omnes fuiſſent prædeſtinati, & nullus reprobus.

13 Obijc. 1. Omnes creaturæ rationales prædeſtinatæ fuerunt in eodem ſigno rationis; ſed *Adam*, & Angeli prædeſtinati fuerunt ante præuiſionem peccati originalis; ergo & omnes alij homines. Ma. patet; nam omnes ſimul prædeſtinati ſunt, excepto Chriſto Domino, & & Beatiſſima Virgine,vt volunt *SS. PP*; & præcipuè *D. Bern.ſerm.* 51. dicens. *Tu ante omnem creaturam in mente Dei praordinata fuiſti.* Prob.mi. Angeli, & *Adam* ante præuiſionem peccati receperunt media ſuæ prædeſtinationis, ſcilicet gratiam originalem, per quam poterant ſaluari in illa perſeuerando, vt docet *Beatiſſ. P. de Cor; & Grat. c.* 11; *& de Ciu. lib.* 12. *c.* 9; *&* 11. *c.* 33.

Reſp.neg.mi. Ad prob.dicitur; quòd gratia originalis non fuit effectus prædeſtinationis, ſed prouidētię generalis ordinantis in finem ſupernaturalē per media ſufficiētia ordinātia ipſā naturam,non antē ordinantia ipſam perſonam in indiuiduo; prædeſtinatio autem eſt ordinatio perſonæ in indiuiduo, quia ſupponit voluntatem conſequentem, vt ſupra dictum eſt, ſicut prouidentia generalis ſupernaturalis ſequitur ad voluntatem antecedentem, quæ generaliter habet ordinare naturam,non perſonas.Et ſi Angeli, & *Adam* perſeueraſſent in illa gratia fuiſſent tranſlati ad gloriam, non ex vi illius ordinationis generalis, aut ex vi illius gratiæ originalis, prout ordinatæ per prouidentiam generalem, ſed per prędeſtinationem particularem, & per aliam ordinationem particularem illius gratiæ originalis ad perſeuerantiam finalem, per quam conſequimur gloriam, ad quam perſeuerantiam non fuit ordinata gratia originalis, quā habuerunt mali Angeli,& *Adā*;& ideo gratia originalis non fuit effectus prędeſtinationis, quia non fuit ordinata ad perſeuerantiam finalem, per quam ſolùm conſequimur finem prædeſtinationis.

14 Obijc. 2. Prædeſtinatio eſt ante præuiſionē operum bonorum; ergo & malorum. Ant. patet ex dictis *art.* 2. Prob. conſ. In eodem inſtanti, in quo Angeli mali peccauerunt cadendo, Angeli boni ſtando operati ſunt bonum; ergo ſi prædeſtinatio antecedit præuiſionē operum bonorum, antecedit etiam pręuiſionem omnium peccatorum.

Conſ.Quæ ſunt ſimul natura, ſunt ſimul cognitione, pręſertim reſpectu intellectus Dei omnia clarè comprehendentis; ſed pro eodem ſigno rationis fuit ſimul peccatum Angelorum malorum,& meritum Angelorum bonorum;ergo ſi prædeſtinatio antecedit præuiſionem meritorum, antecedit etiam præuiſionem demeritorum.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. dicitur, Deum præuidiſſe,quòd omnes Angeli,& *Adam*,ſi relicti fuiſſent cum ſola gratia originali vrgente illa grauiſſima tentatione, cecidiſſent, nam licèt illa gratia originalis fuerit ſufficiēs ad ſtandū nō vrgente illa grauiſſima tentatione externa; attamen non fuit ſufficiens ad vincendam illam tentationem grauiſſimam,& ideo poſt præuiſionem peccati futuri voluit Deus in aliquibus oſtendere, quid poſſet noſtrum liberum arbitrium illos relinquendo cum illa gratia originali; in alijs autem quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium prædeſtinans illos ad gloriam, & ideo eis largiens donum perſeuerantiæ finalis, vt docet *Beatiſſ.P. de Cor; & Grat. c.*10; *& locis cit.de Vol. q.*6.*art.*3;vbi hanc obiectionem ſufficienter diſſoluimus. Diſt. igitur mi. Angeli boni ſtando operati ſunt bonum per appoſitam gratiam, quæ fuit effectus prædeſtinationis poſt præuiſionem peccati, ſi cum ſola gratia originali permanſiſſent,conc.aliter neg.

Ad conſ. neg. mi; nam antequam Angeli boni

boni præuisi fuerint stare, præuisi fuerunt lapsuri, si relicti fuissent cum gratia originali; & ideo cùm isti steterunt, & illi ceciderunt, iam discreti fuerant à Dei prædestinatione istos eligente, & illos relinquente, quæ prædestinatio antecessit vtique cognitionem operum bonorum in vtrisque, sed supposuit præuisionem operum malorum in omnibus, si omnes relicti fuissent cùm sola gratia originali; vnde ne tota natura Angelica periret, Clemētissimus Dominus sua gratia subuenit aliquos eligēdo, & confortādo, ac deinde confirmando, & transferendo ad regnum.

15 Obijc.3.*Rom.9.* habetur: *Antequam nati essent, aut quidquam boni, vel mali egissent; non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Maior seruiet minori; nam Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; ergo prædestinatio, & reprobatio sunt ante præuisionem operum bonorum, & malorum.

Resp.*ex Beatiss.P. Epist.105.ad Sixt*; quòd *Apostolus* loquitur de operibus personalibus supponentibus peccatum originale; nam in *Iacob* Deus dilexit gratiam delentem peccatum originale, quam donabat; in *Esau* autem odio habuit peccatum originale, quod non delebat; idem enim *Apostolus, vt superius* diximus, apertè docet ex eadem massa damnabili, quæ non est damnabilis, nisi per peccatum originale, aliquos fuisse à Deo electos in vasa misericordiæ prædestinationis, & alios in vasa iræ reprobationis.

16 Obijc.4. Si Deus prædestinaret post præuisionem peccati, esset, quia gratia post peccatum non est debita prædestinatis; sed etiā ante peccatum est indebita, quia creatura viribus naturæ non potest aquirere ius ad gratiam; ergo nulla est ista ratio.

Resp.neg.ma; hæc enim non est ratio conuincens, sed tantùm mera congruentia eò, quia magis resplendet gratia, & misericordia Dei subleuans nos à miseria peccati, quàm præseruans ab ipsa miseria; ex eo enim, quòd experti simus miseriam, magis assurgimus ad agendas gratias liberatori, quàm si talem miseriam experti non essemus; præterea si gratia data fuisset naturæ innocenti, antequam cognosceretur, vt lapsura in peccatum, potuisset à nobis existimari tanquam debita naturæ innocenti, & ideo Deo gratias agere negligeremus, & in elationem possemus incidere, sicut contigit *Lucifero*, & Angelis malis.

Cetera obiectiones vid.q.5.art.3.

QVÆST. IV.
De effectibus prædestinationis.

AD agendum de effectibus prædestinationis in creaturis receptis, seu de ipsa prædestinatione passiuè accepta recto tramite accedimus; vt plenam pro hoc statu cognitionem illius habeamus.

ART. I.
An vocatio efficax, iustificatio, seu perseuerantia finalis, & glorificatio sint effectus prædestinationis?

1 TRes effectus principales prędestinationis enumerantur ab *Apost.Rom.*8.his verbis: *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit, & quos iustificauit, illos & glorificauit*. Et ratio huius est. Nemo potest accedere ad Christum Ducem, & Regem gloriæ, nisi vocetur, si sit adultus, in se ipso, vel si sit paruulus, in Parentibus ducentibus eum per Baptismum ad fidem Christi; vocatio autem alia est efficax, qua vocatus consequitur gloriam, quæ est finis prædestinationis; & alia inefficax, qua non consequitur gloriam. *Hic* tantùm loquimur de vocatione efficaci tractaturi *in seq.* de inefficaci. Quoniam verò vocatio non sufficit ad consequendam efficaciter gloriam, iuxta illud *Matt.*20. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*; ideo præter vocationē datur iustificatio, quæ fit per gratiam Dei, qua efficimur iusti, & hæredes gloriæ per adoptionem. Cùm autem iustificatio pariter alia sit finalis, qua iustificamur in vltimo fine vitæ, & idem est, ac perseuerantia finalis; & alia temporalis, quę interrumpitur per peccatum; *hic* loquimur solùm de iustificatione finali acturi inferiùs de iustificatione interrupta. Ad iustificationem finalem tandem sequitur glorificatio, quæ est terminus, & finis illius, & nihil aliud est, nisi actualis consecutio glorię.

2 Diximus tres esse effectus principales prædestinationis; nam vltra enumeratos reperiuntur etiā vocationes inefficaces, auxilia communia prædestinatis, & reprobis, vt sunt illuminationes, inspirationes, & motiones pulsantes quidem cor, sed non emollientes ad pœnitentiam, & gratia interrupta per peccatum, qui sunt effectus minùs principales, quia non conducunt ratione sui, sed tantùm ratione horum trium ad finem prædestinationis; de quibus omnibus agemus *in seq.art.*

Hi tres effectus principales aliquando fiunt in nobis à solo Deo nobis non cooperantibus, vt in paruulis, quorum liberum arbitrium nihil illis cooperatur, & vocatio aliquando in adultis; vt *in D.Paulo*, de quo ait *Beatiss.P. de Grat. & lib. Arb. c. 5. Vt autem de Cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat sola*. Aliquando autem fiunt à Deo in nobis ipsis Deo cooperantibus; quia non fiunt, nisi volentibus nobis, vt docet

cet idem *Beatiss. P.*; iustificatio in adultis, quæ licèt principaliter fit à gratia Dei, est tamen consentientibus nobis; & glorificatio, quæ per nostra merita aquiritur. Hanc doctrinam *Beat. Patris* definiuit *Conc. Araux. II. can.* 20; vbi ait: *Multa in homine fiunt, quæ non facit homo; nulla verò bona facit homo, quæ Deus non præstat, vt faciat homo*.

3 Isti autem effectus, ita se habent, vt prior sit causa posterioris; vnde vocatio, quæ præcedit iustificationem, est causa iustificationis; & iustificatio, quę est prior glorificatione, est causa glorificationis. Ex quo sequitur prædestinationem passiuè sumptam esse causam immediatam vocationis, & mediatam iustificationis, & glorificationis.

4 Tandem ad hoc, vt aliquod sit effectus prędestinationis quatuor requirũtur. 1. Quòd sit ex meritis Christi Domini; quia Christus Dominus, vt diximus *in sup. q. art.* 3; est causa meritoria nostræ prædestinationis, & cùm Incarnatio Christi Domini decreta fuerit post præuisionem peccati originalis, effectus nostræ prædestinationis debet esse aliquid posterius peccato originali. 2. Quòd causetur à Deo; & propter hoc peccata actualia, quia non causantur à Deo, non sunt effectus prędestinationis. 3. Quòd causetur ex intentione efficaci dandi gloriam. 4. Quòd conducat efficaciter ad consecutionem actualem ipsius glorię. *His sup.*

5 Prima sententia vult solam gratiam esse effectum prædestinationis, non autem gloriam. Tribuitur *Dur. in* 1. *dist.* 41. *q.* 2.

Secunda sententia vult solam gratiam esse effectum prædestinationis, non autem gloriam. Tribuitur *Gabr. in* 1. *dist.* 41; *OKam; & alij Nominales*.

Tertia sententia arbitratur solam gloriam, & primam gratiam iustificantem esse effectus prædestinationis; non autem vocationem efficacem, nec primam dispositionem ad gratiam. Tribuitur *D. Bon.*

Vltima tamen sententia docet hæc omnia tria esse effectus principales prædestinationis. *Ita Fund. Doct. in* 1. *dist.* 40. *princ.* 1. *q.* 1. *art.* 2. *in corp; & dist.* 41. *princ.* 1. *q.* *art.* 1. *ad arg. in contr; & in Epist. ad Rom. c.* 9. *lect.* 29; & 31. Hanc sententiam sequuntur omnes nostri DD; & omnes alij communiter ita, vt pauci illam vertant in dubium, sed tanquam certam supponant.

6 Vnica concl. Vocatio efficax, iustificatio finalis, seu finalis perseuerãtia in iustitia sunt effectus prædestinationis.

Prob. 1. *ex Apost. Rom.* 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit &c*; vbi post prædestinationẽ ponit vocationem, & post vocationem iustificationem, ac deinde glorificationem; quo ordine apertè indicat hæc tria esse effectus prædestinationis, quia primũ est causa cęterorum, quæ sub primo collocantur; super quod *Beat. P. de Præd. SS. c.* 17. ait: *Electi itaq; sunt ante Mũdi cõstitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit; electi autem sunt de Mũdo ea vocatione, qua id, quod prædestinauit, impleuit. Quos enim prædestinauit, ipsos & vocauit, illa scilicet vocatione secundùm propositum. Non ergo alios, sed quos prædestinauit, ipsos & vocauit; nec alios, sed quos ita vocauit, ipsos, & iustificauit; nec alios, sed quos prædestinauit, vocauit, iustificauit, ipsos & glorificauit.*

7 Prob. 2. ratione. Primum, vt superiùs dicebamus, est causa omnium illorum, quæ essentialiter dependent à primo; dependentia enim sumitur à causalitate; sed prædestinatio est primum, à quo dependent vocatio efficax, iustificatio finalis, prout efficaciter ordinata ad consecutionem glorię; ordinatum enim essentialiter dependet ab ordinante, tanquam effectus à sua causa; & prædestinatio est ratio ordinans efficaciter ad consecutionem gloriæ; glorificatio autem est finis intentus à causa ordinante media, quę operantur consecutionem illius; finis autem in executione est effectus intentionis ipsius; ergo vocatio efficax, iustificatio finalis, & glorificatio sunt effectus prædestinationis.

8 Prob. 3. Omne medium efficaciter conducens ad consecutionem alicuius finis, & ipsa actualis consecutio finis sũt effectus ipsius intẽtionis ordinantis media, & intendentis finem; nam ordinatio mediorum est effectus causæ ordinantis, & executio finis est effectus intentionis, quia est ipsa posterior; sed vocatio efficax, & iustificatio finalis sunt media ordinata ad consecutionem gloriæ ab ipsa prædestinatione, quæ est causa, seu ratio ordinans, & actualis consecutio gloriæ est finis intentus ab ipsa prædestinatione; ergo hæc tria sunt effectus prædestinationis. Ma. patet; nam omne medium in tantùm fit medium ad aliquem finem, in quantùm ad illud ordinatur ab intentione illius finis, & executio finis in tantùm fit actu, in quantùm intendens finem, ponit actu media, quæ causant executionem finis; sed quod fit ab alio, est effectus illius; ergo media, quæ fiunt ab intentione; & executio finis, quæ fit à medijs, quatenus positis ab intentione, sunt effectus ipsius intentionis. Prob. mi. Omnia dona præparata creaturis in ordine ad consecutionem gloriæ sunt media ad illam aquirendam, & ipsa gloria est finis, quem cõsequuntur ipsa media; sed vocatio efficax, & iustificatio finalis sunt dona ordinata ad consecutionem gloriæ, & ipsa gloria est finis, ad quem ordinantur vocatio, & iustificatio; ergo vocatio, & iustificatio sunt media, & glorificatio est finis horum mediorum.

9 Conf. Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quæ sunt gratia in pręsenti, & gloria in futuro; sed nomine præparationis intelligitur causa operans omnia illa, quę præparat, vt diximus in explicatione definitionis prædestinationis

tionis *q.* 1. *art.*2; ergo prædestinatio est causa beneficiorum Dei, scilicèt gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro; sed vocatio efficax, & iustificatio finalis est gratia, quæ habetur in præsenti, & glorificatio est habitio gloriæ in futuro; ergo prædestinatio est causa vocationis efficacis, iustificationis, & glorificationis.

10 Prob. 4. ratione *Fund.Doct.* sæpe allata. Vel vocatio efficax, iustificatio, & glorificatio à Deo ordinantur, & intenduntur, vel nō? Si primū; ergo sunt effectus prædestinationis; nam omne passiuum ordinatum, & intentum est effectus ordinationis, & intentionis actiuæ, in qua consistit prædestinatio; sicuti omne causatum passiuè est effectus causalitatis actiuæ. Si secūdū; ergo vocatio efficax, iustificatio, & glorificatio eueniūt casualiter Deo, quia contingunt præter intentionē, & ordinationem illius.

11 Tandem reijciuntur singulæ sententiæ, & 1. sic. Gloria est finis prædestinationis; sed finis in executione est effectus finis in intentione, quia posterius est effectus illius, quod est prius, & ad quod consequitur; ergo nedum gratia, sed etiam gloria in executione est effectus prædestinationis. 2. sic. Gratia est medium ad cōsecutionē gloriæ; sed medium est effectus finis in intentione; in tantùm enim eligimus media, in quantùm intendimus finem; ergo gratia est effectus prædestinationis. 3. sic. Si dispositio ad primam vocationē, & ipsa vocatio nō essent effectus prædestinationis, sequeretur, quòd non essent à Deo in nobis causata, sed essent in nobis, tāquam ex nobis; sed consequens est falsum; quia vt arguit *Fundatiss. Doct. dist.* 41. *vbisup. ex Apost. Non sumus sufficiētes aliquid cogitare ex nobis, quasi ex nobis*; si sufficientia ad cogitandum est à Deo, non ex nobis, multò magis dispositio ad primam gratiam, quæ est actualis dilectio Dei super omnia, erit ex Deo, non ex nobis; quod argumentum sumptum est *ex Beatiss.P. in Suppl.cont.Iul.lib.*1.*c.*95; vbi ait: *Quemodò scientia, quæ est minor, ex Deo est, & Charitas, quæ est maior, ex nobis est*. Tum quia dispositio ad aliquam formam est in eodem ordine cum ipsa forma; sed gratia est simpliciter supernaturalis; & ex eo, quòd sit supernaturalis, nobis donatur à Deo; ergo dispositio ad gratiā est supernaturalis, & nobis donatur à Deo. *Vid. Beatiss.P.lib.*1.*ad Simpl.q.*2.*prope finem*; vbi docet nedum opera bona, sed etiam consensum, & nutum voluntatis nobis à Deo gratis donari.

12 Obijc. 1. Prædestinatio est *præparatio mediorum, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; sed glorificatio non est medium prædestinationis, cùm sit finis ipsius; ergo glorificatio non est effectus prædestinationis.

Resp. *Beatiss.P.* in illa definitione prædestinationis nō ponere illam particulam *mediorum*, sed *beneficiorum Dei*; nomine autem beneficiorum non solùm intelligit media, sed etiam finē; vt ipsemet explicat in secunda definitione, qua asserit prædestinationem esse *præparationem gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro*.

13 Obijc. 2. Prædestinatio supponit electionem efficacem ad gloriam; sed glorificatio est electio ad gloriam; ergo glorificatio non est effectus prædestinationis; alirer id, quod est prius, esset effectus illius, quod est posterius.

Resp. dist. ma. Prædestinatio supponit electionem ad gloriam in intentione, conc; in executione, neg. Et sic dist. mi. Glorificatio est electio ad gloriam in executione, conc; est electio in intentione, neg.

14 Obijc. 3. Prima vocatio, & iustificatio conuenit etiam reprobationi; ergo nequeunt esse effectus prædestinationis. Ant. patet; etenim *multi sunt vocati, pauci verò electi*; & multi reprobi iustificantur ad tempus. Prob. consēnam effectus proprius vnius causæ nequit conuenire alreri causæ.

Resp. dist. aut. Prima vocatio, & iustificatio, prout efficaciter ordinatæ ad consecutionem gloriæ, conueniunt etiam reprobationi, neg; prout non ordinatæ efficaciter, conc; sed hoc modo non sunt effectus prædestinationis.

15 Obijc. 4. Gratia iustificans non est medium influens per aliquam actionem physicam in consecutionem gloriæ; ergo non est effectus prædestinationis.

Resp. omisso antecedente; potest enim dici, quòd actus dilectionis Dei super omnia, quo iustificamur, mouet nostram voluntatem ad exercitium actuum omnium virtutum, qui pariter ordinātur ad consecutionē gloriæ, omisso tamen antecedente, neg. cons; ad hoc enim, vt aliquod sit medium ad consecutionem gloriæ, non requiritur, quòd influat in illam per aliquā actionem physicam, sed sufficit, quòd sit id, quo vltimò consequitur gloriam, & ad quod consequitur indispensabiliter gloria; illud enim, ad quod sequitur aliud, dicitur causa illius, etiamsi non influat in illud per verum influxum physicum realem, vt patet de rationalitate respectu risibilitatis.

Ceteræ obiectiones soluuntur distinguendo de effectibis mediatis, vel immediatis.

ART. II.

An vocatio inefficax, & gratia efficax interrupta sint effectus prædestinationis?

1 Gratia considerari potest tripliciter. 1. vt primò collata. 2. Vt per peccatum interrupta. 3. Vt recuperata per pænitentiam. Rursum gratia recuperata vel potest considerari, vt denuo interrūpenda per peccatum reiucidentiæ, vel vt copulatur cum perseuerantia finali. Eadem est difficultas de gratia iternm interrūpenda, ac de interrūpta. Certum est gratiam, vt recuperatam, quatenus connectitur cum perseuerantia finali, esse effectum prædestinationis, quia sic accepta conducit ad consecutio-

nem gloriæ. Item certum est ipsam interruptionem formaliter, quæ fit per peccatum, non esse effectum prædestinationis; quia interruptio peccatum est, cùm fiat per peccatum, & peccatum non est effectus prædestinationis, *vt infra* videbimus. Igitur vertitur in dubium, an gratia, vt primò à Deo collata, & postea interrupta per peccatum, sit effectus prædestinationis?

2 Prima sententia vult gratiam interruptam, & vocationes inefficaces nullo modo esse effectum prædestinationis; per eas enim non distinguũtur prædestinati à reprobis, nec ordinantur ad gloriæ consecutionem. *Ita Vasq. hic disp. 82. c. 3; quem sequitur Alarc.*

Secunda sententia docet omnem gratiam siue inefficacem, siue efficacem interruptam in prædestinato esse effectũ prædestinationis, à qua causatur, & ponitur in prædestinato. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 40. princ. 1. q. 1. art. 2; & dist. 41. princ. 1. q. 2. art. 1; & ex nostris Albiz, Bernardinus, Gibbon, Omnes Thomistæ cum D. Tho, & ferè omnes PP. Soc; & alij communiter.*

3 Supp. opera bona facta per gratiam interrupta per peccatum subsequens non destrui, aut mori, sed tantùm mortificari; quapropter resurgente peccatore per pœnitentiam ad gratiam, etiam illa merita mortificata reuiuiscunt; & illis meritis in Patria respondebit præmium, & gloria, vt docet *Fundatiss. Doct. in Opusc. sup. Salut. Angelic. fol. 14. col. 3.* Verum tamen est, quòd licèt illa merita, nõ reuiuiscant, nisi ad mensuram ipsius contritionis, quæ est dispositio ad reuiuiscentiam illorum meritorum; de quo *in 4. sent. tract. de Pæn.* videbimus, quid sit dicendum; & licèt posset dari casus, in quo contritio sit remissior intensione illorum meritorum, tunc non resurgerent merita, nisi quoad gradum remissum illius dispositionis, non autem quoad gradum intensum suæ primææ productionis; attamen hoc non obstante in Patria dabitur præmium correspondens illis meritis secundùm intensionem, in qua fuerunt producta, non autem iuxta mensuram graduum, secundùm quam reuiuixerunt; quia præmium tribuitur non solùm dispositioni, aut reuiuiscentiæ, sed merito iam posito; ergo non debet esse iuxta mensuram dispositionis, aut reuiuiscentiæ, sed iuxta mensuram graduum, quos habuit, quando fuit positum in actu.

4 Vnica concl. Vocationes inefficaces, & gratia efficax per peccatum interrupta sunt effectus prędestinationis.

Prob. 1. *ex Apost. Rom. 8. Scimus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum;* sup. quod *Beatiss. P. de Cor. & Grat. c. 9.* ait: *Vsque adeo prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiãt, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere, in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. Discunt enim in ipsa via iusta cum tremore se exultare debere, non sibi arrogando, tanquam de sua virtute, fiduciam permanendi.* Et hoc probat exemplo Dauid, qui *ps. 29.* dicebat: *In abundantia mea non mouebor in æternum.* At paulò post: *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Sup. quod ait *Beatiss. P. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior tenuit viam iam videns, & confitens in voluntate sua Deum decori eius præstitisse virtutem. Item sup. illud Io. 13. de Apost. Petro: Animã meã per te ponã. Auertit autẽ ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus* ita, vt eum ter negaret. Sup. quod ait: *Sed rursus conuertit ad eum faciem suam Dominus, & culpam lacrimis diluit. Quid est enim aliud: Respexit eum Luc. 22; nisi faciem suam, quam paululùm ab illo auerterat, reuocauit ad eum? Factus ergo fuerat conturbatus. Sed quia didicit, non de se ipso fidere, etiam hoc ei profecit in bonum, faciente illo, qui diligentibus eum omnia cooperatur in bonum; quia secundùm propositum vocatus erat, vt nemo eum posset eripere de manu Christi, cui datus erat.* Ex quibus sic arguitur. Omnia dona, quæ largitur Deus prædestinatis, cooperantur à Deo in bonum subsequens, etiam si interrumpantur per peccatum; nam ex illa interruptione consurgit maior humilitas, maior spes, & fiducia in Deum, pœnitentia &c; sed illud, quod prędestinatis cooperatur in bonum, est effectus ipsius prædestinationis, quæ aquiritur per illud bonum, quod eis Deus cooperatur; ergo omnia dona Dei etiam per peccatũ interrupta sunt effectus prędestinationis; atqui vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta sunt dona Dei; ergo sunt effectus prædestinationis.

5 Conf. In tantùm *per Aduersarios* vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta non sunt effectus prædestinationis, in quantùm non coniunguntur cum perseuerantia finali, qua prædestinatus immediatè consequitur gloriam; sed vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta coniunguntur cum perseuerantia finali mediante humilitate, maiori spe, fiducia in Deum, & pœnitentia, quæ immediatè consequuntur ad interruptionem gratiæ, & ad quas consequitur gratia per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem recuperata; ergo vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta sunt effectus prædestinationis.

6 Prob. 2. alia ratione. Omnia dona supernaturalia, quæ conceduntur hominibus, vel ordinantur à Deo in pœnam finalem ad ostensionem iustitiæ, vel ordinantur in gloriam ad ostensionem misericordiæ subleuantis à miseria peccati; nullus enim alius finis vltimus est assignabilis *ex Scripturis*, qui non sit vel gehenna, vel gloria; sed vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta in prædestinatis non ordinantur finaliter in gehennam ad ostẽsionem iustitiæ, aliter prędestinatus damnaretur; ergo ordinantur in gloriæ consecutionem ad ostensionem misericordiæ; sed quod ordinatur ad gloriæ consecutionem,

nem, est effectus prædestinationis, quia prædestinatio est ratio ordinandorum in vitam æternam, quæ est gloria; ergo vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta in prædestinatis sunt effectus prædestinationis.

7 Conf. Omnia dona, quæ tribuit Deus prædestinatis, vel sunt ordinata ad aliquem finem vltimum, vel non? Si primum; ergo sunt ordinata ad finem,ad quem electus est ipse prædestinatus; imprudenter enim aliquis prouisor tribueret media alicui conducentia ad finem,ad quē ille nō est prædestinatus;vt v.g.Si *Paterfamilias* destinaret aliquem filium ad Doctoratū, imprudenter tribueret ei media non conducentia ad Doctoratum;essent enim præter intentionem finis efficaciter intenti. Si secundum; ergo Deus casualiter ageret; non enim ordinaret illa media ad finem,ad quem elegit ipsum prædestinatum; ergo vocationes inefficaces, & gratia inefficax interrupta in prædestinatis ordinantur ad gloriæ consecutionem, qui est finis, ad quem à Deo ordinati sunt prædestinati, & per consequens sunt effectus prædestinationis.

8 Prob.4. Omnia media,quæ Pater tribuit filio in ordine ad aliquem finem, sunt effectus ordinationis ipsius Patris;quia Pater illa tribuit ex vi intentionis illius finis; quanuis filius abutatur illis medijs; & ideo filius abutendo illis medijs non consequitur efficaciter talem finem, quia pater nequit conuertere in bonum illum malum vsum; ergo vocationes inefficaces, & gratia efficax interrupta,quas Deus tribuit prędestinatis,sunt effectus ordinationis ipsius Dei, qui illas tribuit ex vi intentionis finis, ad quem ordinauit prędestinatos; & quanuis prædestinati abutantur illis donis peccando, attamen consequuntur efficaciter finem à Deo intētum;quia Deus potest cōuertere in bonum illum malum vsum; quatenus ex illo elicit occasionaliter bonum humilitatis, timoris Dei, spei, fiduciæ in Deum, & pœnitentiæ.

9 Prob.4.Gratia efficax interrupta nedum, vt recuperata per pœnitentiam, sed etiam vt primò collata,facit ad actualem consecutionem gloriæ; ergo gratia efficax interrupta est effectus prædestinationis; quia ille est effectus prędestinationis, qui conducit ad actualem consecutionem glorię. Prob. ant. Gratię, vt primò collatæ, correspondet gradus glorię in Patria super eos gradus, qui correspōdēt gratiæ, vt recuperatę; nam meritum in patria coronatur secundùm eam intensionem, secundùm quam fuit elicitum, non secundùm intēsionem, secundùm quā reuiuiscit;coronatur enim essentia, non reuiuiscentia ipsius meriti; potest autem reuiuiscere meritum secundùm minorem intensionem, vt *sup.*dictum est; ergo gratia efficax,vt interrupta, facit ad actualem consecutionem gloriæ; quia facit ad consecutionē illius maioris gradus, ad quam non facit gratia recuperata.

10 Prob. 5. Permissio peccati in prædestinatis est effectus prædestinationis,vt videbimus inferiùs; sed gratia interrupta coniungitur immediatè cum permissione peccati, ad quam sequitur gratia finalis, qua consequuntur finem prædestinationis; ergo gratia interrupta ratione talis cōnexionis est effectus prædestinationis.

11 Tum quia licèt gratia interrupta non coniungatur cum perseuerantia finali in ipso prædestinato, coniungitur tamen ratione intentionis Dei perseuerantis, & ratione ordinationis Diuinæ continuò permanentis in ipso Deo, quæ vnica, & indiuisibilis est ordinans ipsam gratiam interruptam, & gratiam finalem; ergo ratione talis ordinationis est effectus prædestinationis.

12 Prob. tandem concl. de vocationibus inefficacibus. Vocationes inefficaces,licèt non conducant immediatè ad gloriam, conducunt tamen mediatè, & dispositiuè, quatenus emolliunt cor hominis, pulsant mentem, vt recordetur beneficiorum Dei,& exurgat in feruētiorem amorem,& laudem ipsius, & operetur cum maiori desiderio, ac tremore suam salutem; ergo sunt effectus prædestinationis.

13 Obijc.1. *Beatiss.P. de Præd.SS. c.13.ait: Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, sed non ea vocatione,qua vocati sunt,qui noluerunt, venire ad nuptias*; sed vocatio, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, fuit inefficax; ergo vocatio inefficax non est effectus prædestinationis.

Resp.*Beatiss.Patrē*nihil aliud docere, quàm quòd prædestinati non vocantur tantùm vocatione inefficaci, sed etiam efficaci; non tamen propter hoc excludit à prædestinatis vocationem inefficacē;nam *de Grat.& lib.Arb.c.17.*manifestè docet Deum emollire cor priùs quibusdam auxilijs minoribus, deinde petentibus concedere maiora, & affert exemplum *de D.Petro*, qui procul dubio erat prædestinatus,& tamen habebat minorem gratiam, quando dicebat se velle mori pro Christo, nec tamē poterat,quod se velle sentiebat, potuit tamen,cùm crucifixus est pro Domino. Igitur vocatio inefficax, quæ fuit in illis, qui noluerunt venire ad nuptias, non fuit effectus prædestinationis, quia nō fuit coniuncta cū vocatione efficaci; at verò vocatio inefficax in prædestinatis,quia coniungitur cum vocatione efficaci, est effectus prædestinationis.

14 Obijc.2. Gratia interrupta, & vocationes inefficaces sunt communes reprobis, & prędestinatis;ergo non sunt effectus prædestinationis, qui ita conueniunt prædestinatis, vt non conueniant reprobis.

Resp.dist.ant. Gratia interrupta, & vocationes inefficaces, prout cōiunguntur cum perseuerantia finali, vel cum gratia electiua, sunt communes reprobis,& prędestinatis,neq;præcisa tali coniunctione, neq; præcisa autem tali con-

coniunctione non reperiuntur in prædestinatis, sed tantùm in reprobis.

15 Obijc. 3. Gratia semel amissa non reddit eadem numero, sed donatur alia numericè distincta; ergo semel amissa penitus euacuatur, & per consequens gratia,vt primò collata non habet cõnexionem cum prædestinatione. Prob. ant. Gratia semel amissa nõ restituitur per pœnitẽtiam, nisi secũdùm gradum cõtritionis,quæ est dispositio ad illam recipiẽdam;sed contritio potest esse minùs intensa, quàm gratia semel amissa; ergo illa gratia nõ restituitur quãtùm ad suam primęuam integritatem, & sic non est eadem numero gratia amissa, & rediuiua. Tum quia vnitas numerica effectus requirit idem agẽs,eãdem actionem,& idem tempus,quę omnia concurrũt ad vnitatem numericam rei,vt dicitur *in 2.Phys.* sed gratia primò collata, & postea restituta producitur per diuersam actionem, & diuersum tempus; ergo non est eadem numero gratia.

Resp.neg. ant. Ad primam prob. dicitur, quòd maior,vel minor intẽsio nõ variat entitatem, & vnitatem numericam eiusdem rei, vnus enim, & idem numero calor in ligno potest esse magis, vel minùs intẽsus; sic vna, & eadem numero albedo in eodem pariete potest esse magis,vel minùs intẽsa;& ratio est;quia vnitas numerica habetur à subiecto;sed est vnum,& idem numero subiectum caloris magis, & minùs intensi; ergo est vnus, & idem numero calor. Ad 2. prob.dicitur, quòd licèt actio agẽtis naturalis indiuiduetur à tempore eò,quia est limitata ad tale tempus, & ad talem locum, nec durat nisi pro illo tempore,& ideo effectus,qui per illam producitur,nequit pro diuerso tempore, & diuerso loco produci ab agẽte naturali; attamen quia actio Dei vna, & eadem est semper perseuerans ab antiquitate dierum vsque in finẽ,ideo potest vnum, & eũdẽ numero effectum reproducere, & per consequẽs potest eandem gratiam amissam restituere.

16 Obijc. 3. Gratia originalis amissa *ab Adamo* fuit reparata per Christum Dominum, & prout reparata est effectus prædestinationis *Ada*; at verò,prout primò collata, nõ fuit effectus prædestinationis illius, quia in statu innocẽtiæ nulla erat prædestinatio,quæ facta fuit solùm post præuisionem peccati originalis; ergo gratia, prout primò collata, & postea amissa nõ est effectus prędestinationis.

Conf. Gratiæ originali deperditę *ab Adamo* respõdet gradus gloriæ in patria, & tamen in statu innocẽtiæ, in quo fuit primò collata,nõ erat effectus prædestinationis; ergo licèt gratiæ interruptæ respõdeat gradus gloriæ; attamen prout collata non est effectus prędestinationis.

Resp.ad arg. neg.conf. Nam gratia originalis *Ada*, vt primò collata,nõ fuit effectus intẽtionis efficacis dãdi gloriam,nec pro illo statu ordinabatur efficaciter ad gloriam, quia non fuit ex meritis Christi, quorum intuitu solùm fuerũt homines ordinati ad gloriã;dicitur enim *Act.4. Non est aliud nomen sub Cælo,in quo oporteat nos saluos fieri;*sed solùm per Christum Dominum fuit efficaciter ordinata. At verò gratia interrupta in statu culpę est ex meritis Christi, & cõfertur prędestinatis ex vi intẽtionis efficacis dãdi gloriam intuitu meritorum Christi; vnde si prędestinatus mortuus fuisset in illa gratia primò collata, ex vi illius cõsecutus fuisset prædestinationem,ad quam nihil potuisset obstare; nam supposita intẽtione Dei efficaci dãdi gloriam adueniente morte ipsius prædestinati in gratia statim sequitur cõsecutio gloriæ; *Adam* verò si mortuus fuisset in illa gratia originali præcisa intẽtione efficaci dãdi gloriam, nõ fuisset illam cõsecutus ex vi illius gratiæ; aliter cõsecutus fuisset gloriam præter intẽtionem Dei efficacem; vnde adhoc, vt *Adam* per illam gratiam cõsequeretur gloriam, requirebatur aliud decretum Dei specialiter ordinãs illud ad actualem consecutionem gloriæ, nam per illam gratiam originalem ordinabatur solùm generaliter natura, nõ verò persona, vt diximus *de Vol.q.5. art.3;*ergo gratia efficax interrupta in statu culpæ est effectus prædestinationis;nõ verò gratia originalis in statu innocentię.

Ad conf. dist. ant. Gratiæ originali *Ada*, prout restitutę per Christum Dominum,respõdet gradus gloriæ, conc; prout primò collatę, neg; sic enim nõ erat effectus prædestinationis, quia si in illa pręcisè mortuus fuisset, nõ cõsecutus fuisset gloriam ex vi illius, sed ex vi alterius decreti.

17 Obijc. 5. Gratia primò collata, & per peccatum amissa nõ sufficit ad consecutionem glorię, eamque non causat, nisi vt restituta per pœnitẽtiam; ergo tãtùm,vt restituta,est effectus prędestinationis. Prob.ant. Si prędestinatus post gratiam amissam, & ante reparationem illius moreretur, nõ cõsequeretur gloriam, quia moreretur in peccato mortali. Prob. conf. Nam effectus prædestinationis debet efficaciter ad gloriam conducere.

Resp.dist. ant. Gratia primò collata,prout amissa reduplicatiuè,nõ sufficit ad cõsecutionem gloriæ,conc;nõ enim dicimus quòd amissio gratię sit effectus prædestinationis;gratia, vt primò collata,nõ sufficit ad cõsecutionem gloriæ, neg; sicut enim si prædestinatus moriatur post gratiam reparatam, cõsequitur gloriam, ita si mortuus fuisset, cùm gratia fuit primò collata, gloriam cõsecutus fuisset, & ideo tam gratia primò collata, quàm reparata est effectus prędestinationis. Ad prob.dicitur, quòd licèt si prędestinatus moreretur sine gratia,non consequeretur gloriam, quia tamen si moreretur cum gratia primò collata,consequeretur gloriã,ideo gratia primò collata est effectus prædestinationis.

Obijc.

18 Obijc. 6. Vocationes inefficaces nullo modo conducunt ad finem prędestinationis; ergo nō sunt effectus illius. Prob. ant. Si aliquo modo conducerent ad finem prædestinati onis, aliquo modo illum efficerēt, quia cōducere ad consecutionem finis est aliquo modo causare finem; ergo essent efficaces, non inefficaces.

Resp. dist.ant. Nullo modo conducūt ad finem prædestinationis immediatè, & ratione sui, conc; mediatè, & ratione gratiæ efficacis, ad quam disponunt, mouēt, & excitant cor ipsius prædestinati, neg. Ad prob.dist. eodem modo. Aliquo modo efficerēt immediatè, & ratione sui, neg; mediatè, & ratione gratiæ efficacis, conc. Dicuntur ergo inefficaces ratione sui, nō ratione alterius; sicut substātia in nostra Schola ratione sui dicitur inefficax; efficax tamen ratione accidentium.

19 Obijc.7.Nisi adueniret vocatio efficax, illæ vocationes inefficaces semper suo fine frustrarentur; ergo sola vocatio efficax est effectus prædestinationis.

Resp.dist. conf.Sola vocatio efficax est effectus prædestinationis ratione sui, conc; ratione alterius, cum quo coniungitur, neg; sic enim etiam vocatio inefficax est effectus prædestinationis, vt dictum est.

Inst. Etiam peccata commissa, vt in memoriam reuocata, imò ipsa resistentia gratiæ, vt rememorata, potest excitare cor hominis ad dolorē, humilitatem, & pænitentiam, & tamen peccata, vt rememorata, non sunt effectus prędestinationis; ergo vocationes inefficaces, quanuis possint excitare cor hominis, non tamen sunt effectus prædestinationis.

Resp. dist. ant. Peccata, vt rememorata, & detestata, possunt excitare cor hominis ad pęnitentiam, conc; vt simpliciter rememorata, neg; quando enim quis recordatur peccatorum, & illa non detestatur, tunc potiùs gaudet de illis, nec excitatur ad pænitentiam, sed ad maiorem reatum. Et sic dist. altera pars ant. Peccata, vt rememorata, & detestata, non sunt effectus prædestinationis, neg; detestatio enim peccatorum in prædestinatis cōnumeratur inter effectus prædestinationis; peccata, vt simpliciter rememorata, conc.

20 Obijc. 8. Prædestinatio est efficax; ergo ex illa nequit oriri effectus inefficax, vt sunt vocationes inefficaces; electio enim mediorum proportionatur cum intentione finis, vt supra dictum est; vnde sicuti ab intentione inefficaci nequit oriri electio, seu medium efficax; ita ab intētione efficaci, vt est prædestinatio, nequeunt oriri vocationes inefficaces, quæ sunt media inefficacia.

Conf. Prouisor intendēs aliquem finem efficaciter imprudens esset, si eligeret media inefficacia; ergo Deus prædestinans efficaciter, non eligit vocationes inefficaces, quæ sunt media inefficacia.

Resp. ad arg. dist. conf. Non potest oriri effectus inefficax immediatè, & mediatè, vt sunt vocationes inefficaces in reprobis, conc; effectus inefficax immediatè, efficax tamen mediatè, neg; & sic licèt vocationes inefficaces, prout non coniungūtur cum gratia efficaci, vt in reprobis, non commensurentur cum intentione efficaci, ipsius gloriæ; attamen commēsurantur eum illa, prout coniunguntur cum gratia efficaci, mediāte qua dicuntur efficaces.

Ad conf. dist.ant. Prouisor eligens solùm vocationes inefficaces, conc; eligens etiam efficaces, & vltra illas eligens vocationes secundùm se inefficaces, quæ coniunctæ cum medijs efficacibus plurimùm iuuant ad consecutionem finis, neg; nam ille est prudentior prouisor, qui plura eligit media conducentia ad consecutionem finis, & licèt aliqua ex istis medijs secundùm se sint inefficacia, attamen quia coniuncta cum efficacibus, ab illis sortiuntur efficaciā, per quam facilitant magis consecutionem finis, ideo prudentior est prouisor, nō imprudens, qui eligit etiam media secundum se inefficacia.

21 Obijc.9. Vocationes inefficaces, & auxilia sufficientia sunt effectus voluntatis antecedentis, vt diximus *ex Fund.Doct.de Vol.q.1.art.1*; & alibi; ergo non sunt effectus prædestinationis, quæ supponit voluntatem consequentem, à qua solùm desumitur efficacia.

Resp. dist.ant. Vocationes inefficaces, quatenus præscindunt ab efficacia, quam sortiuntur, prout coniunguntur cum vocationibus efficacibus intrinsecis, quæ sunt gratię efficaces, sunt effectus voluntatis antecedentis, conc; & sic non sunt effectus prædestinationis; quatenus ordinātur ad efficaciam, quam sortiūtur ex eo, quòd connectantur cum gratia efficaci, sunt effectus voluntatis antecedentis, neg; & sic sunt effectus prædestinationis. Neque implicat, quòd aliquod secundùm diuersam rationem sit effectus voluntatis antecedentis, & consequentis, vt patet de creatura, quæ prout ordinata generaliter ad vitam æternam, est effectus voluntatis antecedentis; prout verò ordinata specialiter, est effectus voluntatis consequentis. Vel dist.ant. Vocationes inefficaces elicitiuè sunt effectus voluntatis antecedentis, conc; imperatiuè, neg; sunt enim imperatæ à voluntate consequenti, & prout sic imperatæ, sunt effectus prædestinationis.

A R T. III.

An bonus vsus liberi arbitrij in prædestinatis sit effectus prædestinationis?

1 EAdem gratia actualis iuxta nostram sententiam, vt traditum *de Scient.Dei q.4. art.1. §. 2*; est etiam actus nostri liberi arbitrij; quapropter *Beatiss. P.* sæpissimè docet merita nostra esse dona, & munera Dei; hinc cùm iam actum sit de gratia actuali, vt est donum Dei misericorditer à Deo nobis largitum, remanet agēdum

dum de ipsa,vt est actus nostri liberi arbitrij formaliter elicitus à nobis;& quærimus, an prout elicitur à nostro libero arbitrio formaliter, sit effectus prædestinationis, sicuti prout causatur à Deo, est effectus prædestinationis, vt supra statutum est.

Hoc tamē nō intelligitur ita, vt talis actus, prout elicitur à nobis, ex vi talis elicientiæ sit effectus prædestinationis;nā prædestinatio actiuè sumpta non est in nobis,sed in Deo; vnde solùm vertitur in dubium,an talis actus,prout elicitur à nobis,ita sit ordinatus à Deo efficaciter ad consecutionem gloriæ, vt ex vi ordinationis Dei sit effectus prædestinationis?

2 Prima sententia vult nostros actus liberos supernaturales, prout procedunt à nostro libero arbitrio, non esse effectus prædestinationis;quanuis concedat eosdem actus, prout procedunt à gratia simul cooperante cum nostro libero arbitrio,esse effectus prędestinationis. *Ita Henr. Quodlib.8.q.5;Mol.hic art.5.disp.1.membro* 10; *& alij pauci.*

Secunda sententia docet omnes nostros actus supernaturales nedum,prout procedunt à gratia cooperāte,sed etiā prout procedūt à nostro libero arbitrio, esse effectus prædestinationis.Sed hęc sentētia diuisa est;aliqui enim volūt esse effectus prędestinationis prędeterminantis nostrā volūtatē per aliquod auxiliū realiter distinctū ab ipso actu;vt *recētes Thomistæ. Alij* prēmouētis nostram voluntatem solùm moraliter, seu physicomoraliter. *Alij* supponentis sciētiam mediam; vt diximus *de Scient.Dei q.4.art.1.§.1; & articulis seq;* vbi diuersitatem harum opinionum satis reiecimus,tanquam manifestè alienam à mēte *Beatiss.P.*Igitur hæc sententia sic à nobis est accipienda, vt actus supernaturales, prout eliciti à nostro libero arbitrio, sint effectus prædestinationis, quatenus immediatè secundùm se ipsos ordināntur à Deo ad cōsecutionem gloriæ, vt diximus *superiùs q.2. art. 3; & 4. Ita Fund.Doct. Aegid.in 1.dist.41.princ.1.q.2.art.1;* vbi ait: *Minimum inter opera bona est cogitatio, & tamen secundùm Apost. 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis. Totum igitur est à Deo, & collatio gratiæ, & dispositio ad gratiam; nam ipse non solùm operatur in nobis proficere, sed etiam velle pro bona voluntate. Sed cùm non disponamur, nisi volendo, etiam ipsa dispositio ad gratiam est in nobis à Deo.* Patet autem, quòd ipsa volitio, prout est dispositio ad gratiam,est actus, prout exiens à nostro libero arbitrio. Idem docet *dist.46.princ.1.q.1;*vbi habet: *Cùm benefacere nostrum dependeat ex misericordia,& voluntate Diuina, quia non est uolentis velle; nec currentis currere, sed totum miserentis est Dei.* Et inferiùs: *Collatio gratiæ requirit motum liberi arbitrij, quia nunquam datur nobis gratia, nisi velimus eam suscipere; sed huiusmodi velle mediātè nostro libero arbitrio Deus operatur in nobis.* Idem habet *in Epist. ad Rom. c. 9. lect. 29; & 30; & de Renunc. Papæ c. 6; & locis cit.de Scient. Dei vbis; & de Vol.q.5.art.2.*

Quidquid autem sit de diuersitate, quæ versatur inter *Auctores* huius sententiæ; illa enim diuersitas se habet tantùm præsuppositiuè; nam quantùm ad difficultatem,quæ *hic* formaliter inquiritur,conueniūt omnes *Thomistæ, & ex PP.Soc. Sua. de Pred.lib.3. c.5; Val; Granad; Arrub;Heric,Amic;Ariag;& Alarc.hic Tract.4. disp.4.c.6,* vbi refert alios; quibus addūtur *Salm;Ban,Cornejus,& plurimi alij.*

3 Not.id, quod diximus *Tom.1.de Inuisib. q.2.ar.4;* hāc esse differentiā inter actionē duarū causarum partialium non subordinatarum; & actionē duarū causarū totalium subordinatarū, quòd duæ causæ partiales nō subordinatæ producūt ambæ immediatè partem effectus, vt duo equi trahentes currum, nec vna agit in aliam ipsam mouendo, sed vtraque agit immediatè in effectum; at verò duæ causæ essentialiter subordinatæ ita se habent, vt causa superior subordinans producat motum,qui est ipsa actio,in causa inferiori subordinata,vt patet de prima rota horologij mouente secundam rotam, & de Angelo mouente Cælum.Creatura autem,& Deus sunt causæ subordinatæ essentialiter ita,vt Deus sit causa superior subordinans sibi creaturam, quæ est causa inferior subordinata,& ideo creatura, & Deus nequeunt esse causæ partiales;sed Deus, qui est causa subordinans sibi creaturam, producit in creatura totum motū, qui est actio, qua mouetur, & se mouet creatura; qua agitur à Deo, tanquam à causa superiori, & qua agit suos effectus.

4 Ex hoc apparet falsum esse id, quòd supponit *Mol;* scilicet gratiā, & liberum arbitrium esse duas causas partiales; sunt enim causæ essentialiter subordinatæ, & ideo nequeunt esse partiales. Tum quia si liberum arbitrium esset causa partialis,haberet virtutem partialiter proportionatam actui supernaturali; & per vires naturales posset immediatè producere saltem partialiter opus supernaturale, quod est valde proximum errori. Tum quia gratia, vel sumitur actiuè, & sic est misericordia Dei, quæ est idem, ac Deus; Deus autem nequit esse causa partialis; vel sumitur passiuè, prout est in creatura, & sic idem est, ac ipse actus creaturæ, prout inspiratus à Deo mouens ipsam potentiam ad tendendum per eundem actum in Deum; patet autem, quòd vltra istum motum, & tendentiam voluntas non potest tēdere in Deum;aliter tenderet sine tēdentia,& ageret sine actu; nō enim potest habere actum, quo tendat in Deum, nisi à Deo illum inspirante.*Hoc not.*

5 Vnica concl. Vsus supernaturaliter bonus nostri liberi arbitrij est effectus prædestinationis.

Prob.1. *ex illo Prou.8. iuxta 70.Præparatur*

tur voluntas à Domino. Et ex illo *Ezechiel. 36. Faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis,& iudicia mea obseruetis,& faciatis*. Et ex illo *Phil. 2. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle*. Super quæ *Beatiss.P. de Grat; & lib arb.c.16.* ait: *Certum est nos velle, cùm volumus; sed ille facit, vt velimus bonum*. Et deinde. *Certum est nos velle, cùm volumus; sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati*. Et *lib. 1. ad Simpl. q.2. Si enim Deus miseretur, etiam volumus, ad eandem quippe misericordiam Dei pertinet, vt velimus. Deus enim operatur in nobis & velle,& operari pro bona voluntate*. Et versus finem huius *q.2.* docet; quòd nedum ipsa opera nostra, sed etiam consensus,imò & nutus ipsius nostræ voluntatis sunt dona Dei nobis misericorditer inspirata. *Vid. de Scient.Dei q.4. art.1.* §.2. Item *de Grat; & lib.arb.c.6; & 7.* idem docet asserens: *Merita nostra esse dona,& munera sua*; non sunt autem merita nostra, nisi prout exeunt à nostro libero arbitrio. Ex quibus sic arguitur. Actus supernaturales, prout exeunt à nostro libero arbitrio, nobis donantur à Deo, & à Deo ordinantur ad consecutionem gloriæ; ergo sunt effectus prædestinationis. Ant. patet ex adductis auctoritatibus. Prob. cons. Omne id, quod producitur à Deo, ordinatur ab ipso in finem, ad quem dirigitur; aliter Deus cæco modo, & casualiter illud produceret; sed finis, in quem dirigitur actus supernaturalis, est gloria,& omne illud,quod dirigitur ad consecutionem gloriæ,est effectus prædestinationis; ergo actus supernaturalis, prout elicitur à nostro libero arbitrio, est effectus prædestinationis.

6 Conf. Vel actus supernaturalis,prout exit à nostro libero arbitrio,est ordinatus efficaciter à Deo ad consecutionem gloriæ, vel non? Si primum;ergo est effectus prædestinationis; nam prædestinatio est ratio omnium ordinandorum efficaciter ad consecutionem gloriæ; vnde omnia illa,quæ ordinantur ad consecutionem glorię efficaciter,quatenus sic ordinata,sũt effectus prædęstinationis; aliter prædestinatio non esset ratio omnium ordinandorum in vitam æternã, quia daretur aliquod ordinatum, quod non esset ordinatum à prædestinatione. Si secundum; ergo, quòd actus supernaturalis, prout exit à nostro libero arbitrio, sit ordinatus efficaciter in vitam æternam,casualiter, & fortuitò contingeret Deo, quia talis ordinatio cõtingeret præter eius ordinationem; sed nihil potest contingere casualiter Deo, quia Deus est summum prouidens vniuersalissimum; & sicut quia Deus est omnipotens,& prima causa vniuersalissima, nullus datur effectus, qui non sit productus à Deo;ita ex eo, quòd sit summum prouidẽs vniuersalissimum, nullum datur ordinatum, quod non sit ordinatum ab ipso.

7 Prob.2. Actus supernaturalis, prout exit à nostro libero arbitriò, est medium, quo efficaciter consequimur vitam æternam, conducẽs efficaciter ad consecutionem illius; sed omne medium conducens efficaciter ad consecutionem vitæ æternæ,est effectus prædestinationis, quia prædestinatio est causa omnium mediorũ conducentium ad consecutionem vitæ æternæ; ergo actus supernaturalis, prout exit à nostro libero arbitrio, est effectus prædestinationis.

8 Vid. omnes alias rationes allatas *in sup.art*; equè enim probant hanc conclusionem; nam cùm actus supernaturales, prout exeunt à nostro libero arbitrio, sint effectus Dei,& dona ipsius nobis inspirata, vt docet *Beatiss. P*; quia creatura agit per actionem Dei, cum sit causa secunda, quæ essentialiter agit per actionem causæ primæ; vt probat *Fundatiss.Doct. lib. de Causis prop. 1. per totam*; ideo sunt gratiæ Dei ordinatæ à Diuina prædestinatione in vitam æternam.

9 Obijc. 1. *Mol*. Implicat produci à Deo actus vitales creatos; sed actus supernaturales, prout exeunt à nostro libero arbitrio,sunt actus vitales formaliter creati; ergo,prout tales formaliter,non producuntur à Deo, & per consequens non sunt effectus prędestinationis. Prob. ma. Actus vitales essentialiter petunt produci à principio intrinseco vitę,vt docet *Phil*;sed Deus non est principium intrinsecum vitæ nostri liberi arbitrij,cùm se habeat tantùm, vt causa efficiens extrinseca; ergo actus creatus, vt vitalis formaliter,nequit à Deo produci. Mi. patet;nã actus supernaturales sunt liberi formaliter, & omnis actus liber essentialiter est vitalis.

Resp.neg.ma. Ad prob.dist.ma. Actus vitalis essentialiter petit esse à principio intrinseco vitæ in genere causæ formalis immanentis,conc; in genere causę efficientis, neg; cùm enim actus vitalis creatus sit à nostro libero arbitrio,tanquam à causa secunda immanenter agente, & omnis actio causæ secundę immanenter agentis essentialiter, & indispensabiliter exigat esse à causa prima,tanquam à primo mouente efficiẽter; ideo actus vitalis,prout exit à nostro libero arbitrio,essentialiter petit produci ab ipso Deo. Prętérea dicitur, quòd actus vitalis formaliter creatus est à Deo, tanquam à principio intrinseco vitę; nam Deus est nobis intimior intimo nostro,vt docet *Beatis.P*;& Deus est nobis principium viuendi, sicuti est principium essendi; equè enim Deus est causa essendi, & viuendi; aliter daretur gradus vitæ in creaturis, qui non esset à Deo; & per consequens Deus non esset causa vniuersalissima producens omne illud, quòd est in creatura.

10 Inst. Principium actus vitalis debet esse ita intrinsecum rei, vt oriatur ab illius essentia, tanquam passio; vt v.g. intellectus, & voluntas sunt principia actuum vitalium in homine,quia oriuntur, tanquam passiones ab essentia ipsius hominis;sed Deus nequit oriri ab essentia crea-

turę

turæ,tãquam passio illius, quia Deus nequit esse effectus creaturæ; ergo Deus nequit esse principium intrinsecum actus vitalis creati.

Resp. dist. ma. Principium actus vitalis debet oriri,tanquam passio,ab essẽtia,si sit principium immanenter agens secundarium, conc; si sit principium primarium transeunter agens, neg. Præterea lumen Fidei, & lumen gloriæ sunt principia actuum vitalium, nam actus credendi, & visio beata sunt actiones vitales, & tamen oriuntur à lumine Fidei, & à lumine gloriæ, quę non oriuntur ab essentia creaturæ, tanquam passiones illius,quia non sunt proprietates naturales creaturæ, sed supernaturaliter infunduntur à Deo, & creantur in intellectu creato. *Vid. de Scient. Dei q.4.art.1.§.4.& 5.*

11 Obijc.2. Gratia, & liberum arbitrium concurrunt ad opera nostra, vt duæ causæ partiales,sed effectus,prout producitur ab vna causa partiali, non producitur ab altera concausa; ergo opera nostra prout exeunt à nostro libero arbitrio,non producuntur à Deo. Prob. ma. Si gratia esset causa totalis nostræ operationis liberæ, nostrum liberum arbitrium merè passiuè se haberet, quia tantùm reciperet illam operationem in se ipso productam à gratia; non verò actiuè,quia illam nõ produceret; implicat enim eundem effectum produci à duabus causis totalibus;sed hæc est *hæresis Caluini* dãnata in *Trid*; ergo gratia,& liberum arbitrium concurrunt, vt duæ causæ partiales.

Resp.neg.ma. Ad prob. neg. ma. Quanuis enim nostra operatio tota producatur à Deo, etiam tota producitur à nobis; & licèt implicet eundem effectum produci à duabus causis totalibus eiusdem generis,& ordinis;non tamen implicat produci à duabus causis totalibus subordinatis, quæ sunt diuersi generis, & ordinis, vt patet de fructu, qui totus producitur à Sole, & totus à planta.

12 Inst.Illa potentia merè passiuè se habet, à qua remouendo alteram concausam remouetur tota ratio, & omnis virtus ad agendum; sed si gratia non esset causa partialis, esset tota virtus proxima ad agendum; & remota gratia nulla remaneret in libero arbitrio virtus ad agendũ;ergo liberũ arbitriũ merè passiuè se haberet.

Resp.dist.ma.Illa potentia merè passiuè se habet, à qua remouendo alteram concausam, remouetur tota ratio, & omnis virtus effectiuè radicalis,vel proxima, conc; virtus tantum proxima,neg;& sic dist.mi.Remota gratia nulla remanet actiuitas,seu virtus effectiua remota, quæ per actionem, & motum productum in ipso à prima causa mouente, quę est Deus, potest agere, neg; nulla remaneret virtus proxima, conc. Pręterea hæc obiectio soluitur,vt superiùs dictum est.

13 Obijc.3.Actus,prout egreditur à nostro libero arbitrio, est formaliter liber; ergo,prout talis, nequit esse à gratia Dei. Prob.conf.Actus liber est ille,qui egreditur à principio indifferẽti; sed gratia non est principium indifferens, est enim principium determinatum ad producendum actum bonum;ergo actus liber nequit esse à gratia Dei.

Resp.neg.conf.Ad prob.dist.ma. Actus liber egreditur à principio *quod* indifferenti, cõc; à principio *quo*, seu ab actu,per quẽ principium *quod* constituitur proximè potens agere,neg;nã actus primus non est quid indifferens ad actum secundum,cùm sit idem realiter cum actu secũdo,vt diximus *locis cit.*

14 Obijc.4.Actus creatus,prout egreditur à nostro libero arbitrio,respicit potẽtiam finitam, & limitatam, & refertur ad illam, vt ad causam secundam formaliter; sed Deus non est finitus, nec limitatus, nec est causa secunda; ergo actus liber, prout egreditur à nostro libero arbitrio, nequit esse effectus Dei.

Resp.dist.ma. Actus creatus,prout egreditur à nostro libero arbitrio, respicit potentiam finitam, & refertur ad illam formaliter, vt ad causam secundam tantùm,& præcisè,neg; respicit potentiam finitam, & refertur ad causam secundam,prout motam efficienter à potentia infinita,& à causa prima,conc.Imò ex eo,quòd refertur ad causam secũdam, necessariò infertur, quòd producatur etiam à causa prima; nã causa secunda reduplicatiuè,vt secunda,nequit agere, nisi actio producatur in illa à causa prima; & ita ex eo, quòd producatur à potentia finita,infertur, quòd producatur etiam à potentia infinita, à qua essentialiter dependet in agendo potentia finita.

15 Obijc.5.Quanuis supernaturalitas,& vitalitas actus identificentur, attamen actus,vt supernaturalis,ita producitur à Deo, vt non producatur à nostro libero arbitrio, à quo solùm producitur vt vitalis; ergo vitalitas, & libertas actus ita producitur à nostro libero arbitrio, vt nõ producatur à Deo.

Conf.Quanuis actus charitatis v.g.sit entitatiuè indiuisibilis,& ideo entitas illius tota producatur à gratia,& à libero arbitrio, attamen in eodem actu reperiuntur duę formalitates, scilicèt supernaturalitas, & vitalitas, seu libertas actus,quarum vna respondet gratiæ,& altera libero arbitrio; ergo actus supernaturalis,prout producitur à nostro libero arbitrio,non producitur à Deo.Tum quia in eodem actu reperiuntur duæ formalitates, scilicet ratio entis, *vt sic*, sub qua producitur à Deo; & ratio talis entis, sub qua producitur à creatura; sed repugnat Deum producere aliquod sub ratione talis entis;hic enim modus agendi est proprius solius potẽtiæ limitatæ, & determinatæ ad productionẽ aliquorũ entium tantùm; & ideo repugnat Deo,qui est agens vniuersalissimum; ergo actus, vt producitur à creatura,nequit à Deo produci.

Resp.

Resp.ad arg. neg. ant. Sicut enim vitalitas, quæ est in actu supernaturali, non est vitalitas naturalis,sed supernaturalis formalissimè,&ideo non producitur à libero arbitrio, prout separato à gratia Dei, sed vt moto,& informato à gratia Dei;ita supernaturalitas producitur à libero arbitrio, vt actuato à gratia Dei; aliter liberum arbitrium,si non produceret supernaturalitatem actus,nō esset meritorium vitę æternę; nō enim potest esse meritorium vitæ æternæ, quatenus producit actus naturales, sed tantùm,quatenus producit actus supernaturales,quibus solùm debetur vita æterna. Quare hoc argumentum destruit meritum ipsius creaturæ.

Ad conf. dicitur quòd illæ duæ formalitates ambę correspondent gratiæ, tanquam actui primo, & principio formali *quo*, & libero arbitrio,tanquam principio *quod*; vnde non possunt ad inuicem separari;vt dictum est. Ad aliud dicitur, quòd licèt modus agendi creaturæ non possit competere Deo,attamē ratio,quæ attingitur in effectu à creatura,producitur à Deo; aliter illa ratio esset à Deo independens. Deus ergo, quia producit effectum sub ratione vniuersalissima entis, & ratio vniuersalissima entis imbibit formaliter omnem rationem talis entis, ideo Deus producit omnem rationem talis entis;quamuis ratio talis entis non sit specificatiua potentię Dei,quia sic nō esset vniuersalissima. Sicut quamuis homo producat hominē sub ratione rationalitatis,nō sub ratione sensitiui, nō tamen sequitur, quòd non producat rationem sensitiui;sed tantùm,quòd ratio sensitiui non sit specificatiua potentiæ generatiuæ hominis; & sicut licèt oculus videat parietem sub ratione coloris,non sub ratione albedinis;quia albedo non est ratio specificatiua potentiæ visiuæ, aliter potentia visiua non posset videre, nisi albedinem, cùm nulla potentia possit ferri extra suum specificatiuum; attamen non sequitur, quòd non videat albedinem. Ita licèt Deus non producat actum liberum sub ratione talis entis,idèst licèt ratio talis entis non sit specificatiua omnipotentię Dei;attamen non sequitur,quòd non producat rationem talis entis;cùm enim ratio talis entis contineatur sub ratione vniuersalissima entis,*vt sic*;sicut albedo,quæ est talis color, continetur sub colore,*vt sic*; & cùm Deus producat totam rationem entis,*vt sic*,cùm omni eo, quod continetur sub ente,*vt sic*,optimè infertur,quòd producat etiam rationem talis entis. Vnde ex hac doctrina, quę traditur etiam *à Fund.Doct*; potiùs deducitur oppositum,quàm propositum.

Vid.de Scient.vbi sup; & de Vol.q.5. art.2; & in hoc Tract.q.2.art.3; & 4.

ART. IV.

An bona naturalia sint effectus prædestinationis?

1 POstquam egimus de bonis supernaturalibus quoad entitatem,sequitur agendum de bonis entitatiuè naturalibus naturaliter moraliter bonis; nam quid dicendum sit de permissione actuum malorum moraliter, & de ipsis actibus moraliter malis,inferiùs videbimus.

2 Bona autem naturalia sunt dotes corporis,& animæ,vt tēperamētum, complexio,indoles bona,diuitię,paupertas,inclinatio naturalis, ingenij procliuitas;vel casus felices,& infelices, pax temporalis, calamitas,infirmitas, & cetera huiusmodi; vel actus morales naturaliter boni, vt si quis ex motiuo misericordiæ humanæ pręcisè det eleemosinam. Et quamuis inter bona naturalia numeretur etiam ipsa substantia prædestinati;attamen de hac agemus *in seq.art.*

3 Effectus prædestinationis communiter distinguitur *à DD.* in elicitum, & imperatum. Elicitus est ille, qui producitur ex vi intentionis prędestinandi ita, vt intentio prædestinandi sit causa, cur ille producatur; nec produceretur, si non esset intentio prædestinandi;cùmque prędestinatio sit prouidentia supernaturalis, etiam effectus elicitus ab illa debet esse supernaturalis,quia effectus elicitus debet esse in eodem ordine cùm principio, à quo elicitur. Imperatus est,qui non producitur ex vi intentionis prædestinandi, sed producitur ex vi alterius intentionis,scilicet prouidentiæ generalis; omne enim, quod producitur à Deo vel in ordine naturæ, vel in ordine gratiæ, debet esse ex aliqua intentione ordinandi illud in aliquem finem; aliter Deus casualiter ageret illud producendo omnino improuisè; & ideo effectus imperatus debet esse productus ab alio principio; & per consequens potest esse etiam naturalis secundùm entitatem, ordinatus tamen per ipsam prædestinationem ad finem supernaturalem, vel ad eliciendum actum supernaturalem, qui est medium ordinatum à prædestinatione ad finem supernaturalem.

4 Prima sententia vult bona naturalia non esse effectus prædestinationis, quia nō sunt causa,vel occasio bonorum supernaturalium, quamuis possint excitare ad gratiā. *Ita Vasq.hic disp. 93.c.4.;& Mol.*addit mortem naturalem,vt v. g; cùm quis natās in fluuio suffocatur, non esse effectum prædestinationis.

Secunda sententia vult entitatem physicam bonorum naturalium non esse effectum prædestinationis, sed solùm ipsam ordinationē, qua ordinātur ad actum supernaturalem;vnde vult subiectum talis ordinationis non esse effectum prædestinationis, sed solam ipsam ordinationem. *Ita Plures Recentiores.*

Tertia sententia vult,quòd si bona naturalia conferantur iuxta exigentiam causarum naturalium,non sunt effectus prędestinationis,nec etiam imperati; si autem conferantur ex speciali prouidentia propter vitam æternam præter exigentiam naturalem,sunt effectus prędestinationis. *Ita Gonz.,Arrub,Cornejus,Suar,& alij.*Ad-

dit noster Gibb; non esse effectus prædestinationis quoad intentionem, sed quoad executionem. Ceterùm si non essent effectus intenti, eorum executio cõtingeret prçter intentionem,& ideo casualiter.Igitur dimissa hac opinione.

Vltima tandem sententia docet, quòd si dona naturalia considerentur in primo signo rationis, quo Deus decreuit creare creaturas intellectuales,non sunt effectus prædestinationis;si verò considerentur pro eo signo, quo elegit aliquas ex illis ad gloriam, sunt effectus prædestinationis imperati,nedum quoad ordinationem, sed etiam quoad entitatem; nedum quoad executionem,sed etiam quoad intentionem.*Colligitur ex Fundatiss.Doct.locis cit.art.1*;& hanc sententiam tenentur sustinere omnes, quos *illic* citauimus pro nostra sententia. *Pro cuius decis.*

5 Not; quòd ille est effectus prædestinationis,qui aliquo modo conducit ad finem prædestinationis.Tripliciter autem aliquod potest cõducere ad finem prædestinationis.1. sicut causa. 2. vt occasio. 3. vt ministrans; vt v. g; quando Petrus conuertitur ad Deum ex eo,quòd videat occisionem Pauli; tunc causa conuersionis est gratia,qua tangitur cor Petri;occasio conuersionis est mors Pauli; & oculus est ministrans ad talem conuersionem.Quanuis igitur dona naturalia non sint causa,vel occasio nostræ prædestinationis, attamen non sequitur, quòd non sint effectus illius,quia possunt ministrare alicui effectui prædestinationis; vnde non rectè arguit *Vasq*. dona naturalia non esse effectus prædestinationis ex eo,quòd non sint causa,vel effectus; insufficienter enim enumerat ea, quæ possunt conducere ad effectum prædestinationis; nam non enumerat id, quod potest ministrare. Præterquamquod dicitur, quòd causa alia est principalis, vt gratia; alia ministerialis, vt potentiæ naturales.

6 Vnica concl.Dona naturalia in primo signo, quo Deus decreuit illa creare in hominibus, non fuerunt effectus prædestinationis, neque eliciti,necimperati;benè ramē in illo signo, quo Deus decreuit aliquos prædestinare;vnde in prædestinatis, prout sunt prædestinati reduplicatiuè,sunt effectus prædestinationis, etiam secundùm entitatem,& ordine intentionis.

Prob.1. pars concl. ex ijs, quæ diximus *art.1.vbi sup*;nam prædestinatio non fuit facta in primo signo,quo Deus decreuit homines creare,sed solùm post præuisionem peccati; sed in primo signo, quo Deus decreuit homines creare,decreuit etiam illis dare dona naturalia, quæ consequuntur ad naturam iuxta exigentiam naturalem illius;nam *Adam*,& Angeli pro tempore,quo à Deo cogniti sunt perseuerare in iustitia originali,habuerunt omnia dona naturalia, nec pro eo tempore prçdestinati erant;ergo dona naturalia pro primo signo creationis non fuerunt effectus prædestinationis,quia tunc prædestinatio non erat.

7 Conf. Gratia originalis concessa *Adæ*,& Angelis in statu innocentiæ non fuit effectus prædestinationis; quia non fuit data ex meritis Christi Domini; vt *supra diximus art.1*; nam Christi Domini Incarnatio non fuit decreta,nisi post præuisionem peccati, & ideo fuit decreta, post præuisionem illius breuissimi status innocētiæ; ergo à fortiori dona naturalia pro illo signo antecedente præuisionem peccati non fuerunt effectus prædestinationis; minùs enim pertinent ad prædestinationem dona naturalia,quàm gratia originalis,quæ est donum supernaturale.

8 Vrgetur ampliùs.Donum creationis non est effectus prædestinationis;sed omnia dona naturalia sunt dona creationis; ergo non sunt effectus prædestinationis. Prob.ma. Omnis effectus prædestinationis est effectus meritorum Christi Domini; nam Christus Dominus est causa meritoria nostræ prædestinationis quoad intentionem,& per consequens est causa omnium effectuum prçdestinationis, qui oriuntur ex intentione prædestinationis,vt diximus *q.3.art.3*;sed Christus Dominus non fuit causa meritoria doni creationis; docet enim *Beatiss.P.Epist.105.ad Six. Omnino non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus,vt homines iusti essemus;ista enim est gratia per Iesum Christum Dominum nostrum, etenim Christus non pro nullis, vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est,vt iustificarentur.* Nam pro eo tunc, quo Deus intendit creationem, non intendit Incarnationem Christi Domini, quam solùm intendit post præuisionem peccati, in cuius remedium illam decreuit; ergo donum creationis non est effectus prædestinationis. Mi. patet, nam nomine doni creationis intelligimus omnia ea, quæ à Deo concessa sunt creaturis iuxta exigentiam naturæ; sed dona naturalia sunt huiusmodi; ergo concessa sunt creaturis in eo signo, quo fuit decreta creatio.

9 Prob.2. pars concl. ex illo *Rom.14. Qui manducat, Diuino manducat &c. Siue enim viuimus, siue mouemur, Domini sumus &c.* Et ex illo *Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.Sup.quod *Beatiss.P. de Grat.& lib. arb. c.17.* ait: *Quid est, omnia cooperantur in bonum, nisi etiam sæuissimæ persecutiones &c.* Ex quo sic. Illud est effectus imperatus à prædestinatione,quod est quid naturale deseruiens executioni prædestinationis; sed dona naturalia nedum quantùm ad ordinationem, sed etiam quantùm ad entitatē ponēdā, nedū quoad executionem, sed etiam quoad intentionem deseruiunt executioni prædestinationis pro eo signo, quo decernitur prçdestinatio;ergo pro eo signo sunt effectus prçdestinationis, nedum quantùm ad ordinationem, sed etiam quantùm ad entitatem;& nedum quoad executionem,sed etiam quo ad

quoad intentionem. Ma. patet; nam ad hoc, vt aliquod sit effectus imperatus à voluntate, sufficit,quòd ministerialiter deseruiat actui voluntatis,& intendatur ab ipsa voluntate, tanquam deseruiés executioni actus ipsius voluntatis; sic enim entitas illius producitur ex vi intentionis ipsius voluntatis, quatenus intendit illam entitatem deseruire executioni finis, quem intendit voluntas; ergo ad hoc, vt aliquod sit effectus imperatus prædestinationis quoad entitatem, & quoad intentionem, sufficit,quòd ministerialiter deseruiat executioni finis ipsius prædestinationis.Prob.mi.Dona naturalia,vt bona indoles,ingenium, inclinatio voluntatis deseruiunt ad eliciendos actus Fidei, & amoris supernaturalis, qui sunt actus intellectus,& voluntatis,& sic aliæ facultates naturales deseruientes generationi, nutritioni, conseruationi &c; remotè concurrunt ad conseruandas potentias,à quibus eliciuntur actus supernaturales; ergo dona naturalia deseruiunt executioni finis prædestinationis.

10 Conf. Ex eo, quòd oculus *Petri* videat mortē *Pauli*,ministerialiter deseruit ad conuersionē ipsius *Petri*,quæ est effectus prędestinationis; ergo entitas oculi secūdùm se ipsā deseruit alicui effectui prędestinationis,& per consequēs est effectus intentus à prædestinatione ministerialiter, seu imperatè.

11 Explicatur ampliùs. Si dona naturalia non essent effectus prædestinationis quoad intentionem imperati secundùm entitatem,maximè, quia dona naturalia, antequam impetentur à prædestinatione,iam intelliguntur habere suam entitatem per intentionem creationis; sed non implicat, quòd entitas alicuius rei producatur ex vi diuersarum intentionum pro diuersis signis in ordine ad diuersos fines; vt v.g.cùm quis ex intētione Doctoratus eligit studium, & postea ex intentione Episcopatus iterum eligit studium non abijciendo tamen primam intentionem, tunc positio studij est ex vi duplicis intentionis, scilicet Doctoratus, & Episcopatus; ergo licèt entitas donorum naturalium producatur à Deo ex vi intentionis creationis, attamen non implicat, quòd in sequenti signo rationis producatur etiam ex vi intentionis prædestinationis; & ideo dona naturalia secundùm entitatem via intentionis sunt effectus prædestinationis,non quidem pro primo signo, in quo intelligitur sola intentio creationis, sed pro posteriori signo, quo intelligitur prędestinatio.

12 Vrgetur denuo. Intendens aliquem finē debet intendere omnia illa, quæ aliquo modo concurrunt ad executionem illius finis,aliter si non intenderet omnia illa,quæ concurrunt ad executionem talis finis, tunc illa, quæ non intenderentur, casualiter concurrerent ad executionem talis finis; sed omnia dona naturalia in prædestinatis concurrunt ad executionem gloriæ, quæ est finis prædestinationis ministerialiter,& remotè secundùm suam entitatē; entitas enim donorum naturalium deseruit actibus supernaturalibus, vt dictum est; ergo Deus intendit entitatem donorum naturalium tanquam deseruientem effectibus prædestinationis;aliter quòd deseruirent, casualiter contingeret Deo; & per consequēs sunt effectus remoti, & ministerialiter secundùm suam entitatem intenti, & imperati à prędestinatione.

13 Prob. 2. Donis naturalibus secundùm suam entitatem correspondet gaudium accidētale in gloria, v.g. temperamento, quòd continua gaudeat sanitate; oculo, quòd impetturbabiliter videat obiecta excellētissima,& sic de reliquis, quę beabuntur glorificatione accidentali; ergo dona naturalia aliquo modo faciunt ad executionem prædestinationis secundùm suam entitatem, ministerialiter tamen, & accidentaliter,nō verò principaliter,& essentialiter.

14 Conf. Omnia bona naturalia, siue physica, siue moralia, & mala physica,vt mors temporalis,persecutiones, calamitates, infirmitates &c.sunt instrumenta charitatis in prædestinatis, quibus vtūtur ad eliciendos actus amoris Dei, & quibus correspondet præmium in patria;nam gloria datur cuilibet passioni; ergo intenduntur secundùm suam entitatem,tanquam instrumenta ad consecutionem gloriæ, & per consequens sunt effectus intētionis ipsius prædestinationis.

15 Obijc.1. Entitas actuum naturalium nō est ordinis supernaturalis,nec ad illam eleuatur, nisi per ordinationem extrinsecam; ergo sunt effectus prædestinationis solùm quoad ordinationem extrinsecam, non quoad ipsam entitatem. Prob. ant. Actus virtutis generatiuæ per ipsam prædestinationem non fit supernaturalis quantùm ad entitatem; sicut fiunt supernaturales actus intellectus, & voluntatis; ergo dona naturalia non sunt supernaturalia quoad entitatem. Prob. conf. Quia effectus prædestinationis est supernaturalis, cum ipsa prædestinatio sit prouidentia supernaturalis; ergo si dona naturalia non sunt supernaturalia quoad entitatem, nec erunt effectus prædestinationis quoad entitatem.

Resp.neg.conf.Ad prob. dist. ant. Effectus elicitus prędestinationis est supernaturalis secundùm entitatem, conc; effectus imperatus, neg, sicut enim licèt actus alicuius voluntatis sit spiritualis quoad entitatem; attamen actus imperatus potest esse sensitiuus; ita à pari.

16 Inst.Actus naturales nullam habēt connexionem cum fine supernaturali, nec eorum entitas dicit ordinem ad illum; ergo non sunt effectus prędestinationis.

Resp. dist. ant. Nullam habent connexionem,aut ordinem immediatum, & principalem, conc;mediatum,& ministeriale ex imperio,neg & sic dist.conf. Non sunt effectus eliciti præde-

ſtinationis, conc; imperati, & miniſteriales remoti, neg.

17 Obijc.2.Effectus prædeſtinationis debet eſſe ex merito Chriſti Domini; ſed actus naturales nõ ſũt ex meritis Chriſti Domini, quia ſũt ex dono creationis, & creatio nõ eſt ex meritis Chriſti Domini; cùm decretum Incarnationis Chriſti Domini, ſit poſt præuiſionem peccati originalis,& per conſequens poſt creationem; ergo non ſunt effectus prædeſtinationis. Tum quia Chriſtus Dominus non eſt mortuus, vt haberemus dona naturalia; v.g. vt fierenr generationes, vt haberemus oculos ſanos, bonum ingenium &c.

Reſp.diſt.mi. Actus naturales nõ ſũt ex meritis Chriſti Domini principaliter, & immediatè in prædeſtinatis, cõc; miniſterialiter,& remotè, neg. Ad prob. infert. diſt. aſſumpt. Dona naturalia ſũt ex dono creationis tãtùm in ſigno priori ad prædeſtinationem,conc; in ſigno poſteriori ad prædeſtinationem, neg. Ad aliud eodem modo diſt. aſſumpt. Chriſtus Dominus non eſt mortuus pro donis naturalibus, tanquam pro effectibus principalibus, & immediatis, conc; tanquam pro effectibus miniſterialibus, & remotis, neg; cùm enim non poſſint haberi effectus principales, niſi ponantur effectus miniſteriales,& remoti; ideo ſi Chriſtus Dominus mortuus eſt, & moriẽdo meruit nobis effectus principales prædeſtinationis, ex conſequenti mortuus eſt etiam pro effectibus miniſterialibus, & remotis, ſine quibus non potuiſſet haberi ædificatio ſui corporis myſtici;nam ſine actibus generationis non potuiſſent haberi prædeſtinati, qui ſunt membra eius; & ideo non potuiſſet haberi perfecta, & integra ædificatio ſui corporis myſtici; quam tamen ex integro meruit moriendo. *In Scripturis* autem dicitur mortuus ſolùm pro effectibus principalibus, non verò pro minùs principalibus.

18 Quæres, an opera virtutum facta in peccato mortali, & ideo mortua, ſint effectus prædeſtinationis.

Reſp. Poſſe dici effectus prædeſtinationis imperatiuè, quatenus per aliquod auxilium ſupernaturale diſponunt ad contritionem, quidquid dicat *hic noſter Gibbon*, qui vult opera virtutum poſſe eſſe bona ſine gratia; cuius tamen oppoſitum docet *noſter Greg.cum Beatiſſ.P.* Sed de hoc ſuo loco.

19 Collig. ex dictis omnia gaudia accidentalia, ſeu proprietates accidentales, quæ correſpondent donis naturalibus in Patria, & conſequuntur ad beatitudinem eſſentialem, eſſe effectus prædeſtinationis;aliter caſualiter,& fortuitò contingerent ipſi Deo, quia euenirent præter eius intentionem.

Ceteræ obiectiones, quæ poſſunt fieri,ſoluentur *in ſeq. art*; vbi agemus de ſubſtantia prædeſtinati.

ART. V.

An ſubſtantia prædeſtinati ſit effectus prædeſtinationis?

1 Eodem modo ſoluenda eſt hæc difficultas, ac præcedens; dona enim naturalia, & ſubſtantia naturalis ſunt in eodem ordine, & pro eodem ſigno rationis intenta fuit à Deo cornu productio,& in eodem ſigno intenta fuit eorum electio ad gloriam; ſicuti ſimul etiam conſequuntur ipſam gloriam. Igitur ſuppoſitis,quæ diximus *in ſup.art.*

2 Prima ſententia vult ſubſtantiam prædeſtinati non eſſe effectum prædeſtinationis, quia eſt ſubiectum, in quo recipitur gloria; ſeu finis, *cui* Deus vult gloriam; ſubiectum autem, ſeu finis *cui* nequit eſſe effectus prædeſtinationis; quia ſubiectum præſupponitur ad omnes effectus prædeſtinationis. Tribuitur *Gabr; Okam; Maior; Alen,Caiet.3.p.q.1.art.3; Aluar.ibid; Sot. lib.1. de Nat.& Grat. c.20; Vaſq, Arrub; Heric; Alarc; Macbin;Gonz;Cornejo, & noſtro Gibb*, qui addit ſubſtantiam prædeſtinati eſſe effectum prædeſtinationis quoad executionem;non quoad intentionem.

Secunda tamen ſententia docet ſubſtantiam prædeſtinati pro eo ſigno, quo intenditur gloria prædeſtinato,eſſe effectum prædeſtinationis imperatum;vnde Deus nedum producit ſubſtantiam prædeſtinati ex vi decreti creationis, ſed etiã ex vi intẽtionis dãdi gloriam.Collig. *ex Fundat.Doct.loeis cit.in ſup.art.& Quodl.3.q.3*; vbi docet, quòd ſubſtantia prædeſtinati ſe habet, vt quid materiale, ipſa verò prædeſtinatio paſſiuè ſumpta ſe habet,vt quid formale ad conſtitutionem finis adæquati ipſius prædeſtinationis; vt diximus *q.1.art.2.§.1*; finis autem in executione eſt effectus finis in intentione; quapropter finis in executione vocatur *finis effectus*; & finis in intentione dicitur *finis cauſa*; ſanitas enim, vt intenta, eſt cauſa ſui ipſius in executione; mouet enim potentias inferiores ad procurandam ſanitatem in actu. Per hoc reijcitur ſententia *noſtri Gibbon*; nam ſi ſubſtantia prædeſtinati eſt effectus prædeſtinationis in executione, neceſſariò eſt effectus illius in intentione; executio enim eſt effectus intẽtionis; aliter ſi in executione daretur aliquod, quod nõ eſſet effectus ipſius intẽtionis, eueniret caſualiter; quia cõtingeret præter intẽtionem. *Ita etiam ex noſtris Mendoza q.1. Quodl;& Albiz, & omnes alij in M.S.*

Hãc ſentẽtiã ſequuntur plures *Thomiſta apud Godoy hic diſp.62; Ban,Naz; Io. à S.Tho; Salm; & Gonet.* Eandem fatetur *Scot;Driedo, Sua; Valen,Granad; Tanner; Arriag. apud noſtrum Gibbon, Ruitz,& alij,pro cuius ſolut.*

3 Not; quòd non loquimur de ſubſtantia prædeſtinati præciſè ex vi decreti creationis, ſeu vt præuiſa pro eo tempore, quo durauit ſtatus

tus Innocētiæ; tunc enim non erat prædestinatio, quæ fuit solùm post præuisionem peccati originalis, vt superiùs dictum est, & ideo substantia sic considerata non erat effectus prædestinationis, quia prædestinatio non erat;imò antecedebat prędestinationem, & nullus effectus potest antecedere suam causam;sed pro eo tunc nō erat substantia prædestinati, quia nullus erat prædestinatus pro eo tempore, quo natura præuidebatur innocēs. Loquimur ergo de substantia prædestinati pro eo signo rationis, quo præuiso peccato fuit à Deo prædestinata; & inquirimus, an ex vi intentionis glorificandi substantiam prædestinati Deus illam creauerit? Nec excludimus intentionem, quam habuit Deus illam creandi cum iustitia originali,ordinando illam in vitam æternam generaliter per auxilia sufficiētia ordinata per prouidentiā supernaturalem generalem; sed quærimus, an non solùm ex vi huius intentionis generalis, sed etiam ex vi ipsius prædestinationis,quę importat intētionem specialem,Deus creauerit substantiam prędestinati eo fine,vt illam in speciali glorificet?

4 Vnica concl. Substantia prædestinati secundùm entitatem est effectus imperatus prædestinationis.

Prob.1. *ex Scripturis allatis in sup.art.* Itē *ex Beatiss.P.lib.1. Confess.c.1. Ad te nos fecisti Domine.* Et *Epist.105.Secundùm electionem,qua facit eligendos, non qua inuenit illos*; ex quibus sic arguitur. Ille est effectus prædestinationis, qui fit ex vi intentionis electiuę ad gloriam; sed substantia prædestinati fit ex vi intentionis electiuæ ad gloriam; nam intentio electiua non inuenit, idēst non supponit substantiam prædestinati; si enim supponeret, eam inueniret; ergo substantia prædestinati secundùm entitatem est effectus prædestinationis.

5 Conf. Quidquid facit ad consecutionem actualem vitæ æternæ,est effectus illius,& intenditur à Deo ex vi intentionis prædestinatiuæ; sed substantia prædestinati facit ad consecutionem actualem vitæ æternæ,quia producit actiones naturales ministrantes, & supernaturales, quibus immediatè consequimur vitam ęternam; ergo est effectus prędestinationis. Prob.ma. Si omne id, quod facit ad executionem alicuius finis, nō intenderetur ab agente propter finem, sequeretur, quòd aliquod in executione finis contingeret præter intentionem agentis,& agēs non intenderet adæquatè, & ex integro ipsum consecutionem finis, quia non intēderet omnia illa,quæ faciunt ad illam executionem; & ideo nō esset agens summè prouidēs;prętcr cuius intētionem nequit aliquid casualiter contingere; sed implicat,quòd aliquod cōtingat Deo casualiter, & improuisè in executione prædestinationis;repugnat enim eius summę prouidentiæ; ergo omne id, quod facit ad executionem prædestinationis, est effectus intentionis prędestinatinę. Mi. manifesta est.

6 Prob.2.ratione *Fund.Doct.vbi sup.* Substātia prędestinati est finis *cui*,& gloria est finis,*qui* in executione, vt diximus *q.1.art.2. §.1*, sed ex fine *cui*, & fine *qui* fit vnus finis totalis in executione,qui est effectus finis in intentione; ergo substantia prædestinati est finis imperatus ipsius prædestinationis.

7 Conf. Ex eo,quòd materia in generatione naturali sit subiectum formæ genitæ, attamen nō tollitur, quin materia simul cum forma sit effectus generantis;ergo licèt substātia prædestinati sit subiectum gloriæ;attamen non tollitur,quin substantia, & gloria sint effectus prædestinationis.Diximus *materia cū forma*, quia nec materia secundùm se,nec forma secundùm se generatur, vt dicitur *in 1.Phys.*

8 Prob. 3. Si substantia prædestinati non esset effectus prędestinationis,maximè,quia pręsupponeretur futura pro aliquo priori ad ipsam prædestinationem;sed hæc ratio non obstat,nam aliquod secundùm entitatem potest fieri ex duplici intentione, seu motiuo, vt diximus *in sup. art*; potest enim ordinari ad duplicem finem; hinc videmus,quòd natura ordinauit linguam ad duplicem finem,scilicet ad loquendum, & ad gustandū,& ideo Deus,vt Auctor naturæ ex duplici motiuo creat linguam in homine;ergo substantia prædestinati est effectus prædestinationis.

9 Prob.4.ex doctrina *Fund.Doct*;quam sæpe repetit *ex D. Dion.* Omne inferius ordinatur ad superius,tanquam imperfectum ad perfectum; in hoc enim consistit mirabilis connexio, & ordo Vniuersi; sed substantia prædestinati est inferior,quia est in ordine naturali,qui est inferior ordine supernaturali; & gloria est supremū, quod potest pertingere substantiam prædestinati,quia per ipsam perfectissimo modo possidetur Deus,qui est vltimus finis simpliciter, ergo productio substantiæ prædestinati ordinatur ad gloriam, & ideo est ex vi intentionis ordinatiuæ, quæ est prædestinatio. *Vid.* alias rationes allatas *in sup.art.*

10 Obijc.1.*Beatiss.P.Epist.105.*docet: *Christus non est mortuus pro nullis,vt homines condemnarentur;sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur*;quæ verba repetuntur *à Conc.Chartag.Epist.1*; ergo creatio non est effectus nostræ prædestinationis;nam si esset effectus nostræ prædestinationis, esset effectus gratiæ Christi Domini, qui fuit causa meritoria nostræ prædestinationis, vt *sup.* dictum est.

Resp.*Beatiss.Patrem* in illa *Epist.* agere cōtra *Pelagium*, qui postquam *in Conc. Palæst.* coactus fuit subscribere gratiæ,ne *ab illis PP.* damnaretur, vt suam conseruaret perfidiam, dixit gratiam Dei esse ipsum liberum arbitrium per creationem gratis donatum. Docet ergo, quòd gratia, quam nobis meruit Christus moriendo, non est ipsum donum creationis, quod verissimum

mum est; sed est aliquod beneficium supernaturale superadditū dono creationis, & vt hoc beneficiū acciperemus, mortuus est Christus Dominus. Hoc tamen non tollit, quin etiam ipsa substantia receptiua huius benefici ex consequenti sit intenta ex motiuo passionis Christi Domini, cùm sit finis *cui* ipsius gratiæ, vt dictum est; non ergo mortuus est Christus, vt homines simpliciter crearentur, quia decretum creationis antecessit decretum Incarnationis, & mortis Christi Domini; sed mortuus est, vt mereretur gratiam prædestinandis; & ideo substantiæ creādæ etiam ex vi intentionis prædestinationis ita, vt gratia sit effectus principaliter intētus, & substantia ex consequenti.

11 Instat *noster Gibbon*. Inter *Concilia*, & *Pelagianos* erat præcipuum dissidium; an ex parte nostra detur causa nostræ prædestinationis? Affirmabant *Pelagiani*, & *Semipelagiani*; negabant verò *PP. Conc*; atqui si substantia prædestinati esset effectus prædestinationis, nullum fuisset hoc dissidium; quia etiam *PP.* conuenissent nullam ex parte nostra esse causam prædestinationis quoad primum effectum; ergo substantia prædestinati non est effectus prædestinationis imperatus ex consequenti.

Resp. litem, quæ circa hanc materiam versauit *inter Beatiss. Patrem, & Pelagianos*, fuisse; an gratia detur ex meritis; & an merita possint haberi ex solis viribus naturæ, quibus postea retribuatur prædestinatio? Siue ergo dicatur, quòd substantia prædestinati sit effectus imperatus prædestinationis, siue quòd nō sit effectus; adhuc est quærendum, an talis substantia prædestinati possit suis viribus mereri, & consequi finem prędestinationis, qui est gloria; vel indigeat gratia Christi Domini ad merendum, & consequēdum finem prædestinationis; ergo quanuis conuenissent in hoc, quòd substantia prædestinati sit effectus imperatus ex consequenti prædestinationis, adhuc manebat dissidium, de quo principaliter, & vnicè disceptabātur, scilicet de primo effectu elicito, & principali ipsius prædestinationis.

12 Obijc. 2. *noster Gibbon*. *Apost. Rom.* 8. non enumerat, nisi tres effectus prædestinationis, scilicet vocationem, iustificationem, & glorificationem; & inter hos non enumerat substantiam prædestinati, vt patet. Præterea primus effectus prædestinations est vocatio ad Fidem, vt docet *Apost*, & *Beatiss. P.*; & vt *sup.* dictum est; ergo substantia prædestinati, quæ præsupponitur ad Fidem, tanquam illius subiectum, non est effectus prædestinationis.

Resp. *Apost.* non enumerare, nisi effectus principales, & primarios, & ideo non enumerare substantiam prædestinati. Preterea cùm *Apost.* loquitur de effectibus prædestinationis, de eis loquitur in concreto, non in abstracto, ait enim: *Quos prædestinauit, hos & vocauit*; sed prædestinatio, & vocatio in cōcreto importat etiā substātiā prædestinati, quia substātia est, quę vocatur, & prędestinatur; ergo *Apost.* saltem implicitè innuit substantiā prędestinati esse effectū prędestinationis. Ad aliud dicitur vocationē ad Fidē esse primū effectū prędestinationis in genere causę formalis; substantiam verò prædestinati esse primum effectum in genere causæ materialis; absolutè tamen primus effectus prædestinationis est vocatio; quia absolutè appellat formam, non subiectum, sicut primus effectus intentus ab agēte physico est forma inducenda in materiam; intendit enim primariò assimilare sibi passum; assimilatio autē fit in forma; & tamē materia pręsupponitur formæ in genere causæ materialis; ita à pari.

13 Obijc. 4. *idem*. Substantia prædestinati ordine intentionis pręsupponitur efficaciter volita ante intentionem efficacem dandi gloriam; ergo nō est effectus prædestinationis. Prob. ant. In Deo prius est voluntas antecedens, quàm cōsequens; sed voluntas antecedens supponit substantiam efficaciter volitam; ergo substantia prędestinati ordine intentionis præsupponitur efficaciter volita ante intentionem efficacem dandi gloriam. Tum quia voluntas efficax dandi gloriam ordine intentionis præsupponit peccatum originale absolutè futurum in præuisione; sed peccatum originale non potest præuideri, vt absolutè futurum, nisi præuideatur, vt absolutè futura substantia omnium hominum, in quibus præuidetur tale peccatum; ergo substantia prædestinati pręsupponitur efficaciter volita ante intētionem efficacem dandi gloriam.

Resp. dist. ant. Substantia prædestinati reduplicatiuè, vt prædestinati, præsupponitur efficaciter volita, neg; non enim vult Deus substantiam prædestinati, vt est prædestinatus, nisi post intentionem efficacem dandi gloriam; substantia prędestinati specificatiuè, vt nō est prędestinati, præsupponitur efficaciter volita ante intētionem efficacem dandi gloriam ex vi alterius intentionis, conc; sed sic non est substantia prædestinati, vt *hic* de ea loquimur. Ad prob. dist. mi. eodem modo. Voluntas antecedens supponit substantiam prędestinati reduplicatiuè, vt prædestinati, neg; specificatiuè, vt non prędestinati, conc; non implicat autem idem fieri ex duplici intentione, vt dictum est; & ideo secundùm diuersam rationem potest aliquod pręsupponi, vt volitum, & non pręsupponi. Ad aliud dist. conf. eodem modo. Voluntas efficax dandi gloriam præsupponit efficaciter volitam substātiam prædestinati, quatenus prędestinatam, neg; quatenus volitam ex vi alterius intentionis, conc.

14 Obijc. 4. Substantia prędestinati non procedit ex meritis Christi; nō enim Christus meruit nobis donum creationis; ergo non est effectus prędestinationis; nam omnis effectus nostræ prędestinationis est ex meritis Christi Domini, tanquam ex causa meritoria omnium effe-

effectuum prędestinationis.

Resp.dist.ant. Substantia prędestinati, vt prędestinati est reduplicatiuè, non est ex meritis Christi Domini, neq; specificatiuè, vt substantia est,conc. Ad prob.infert.distr.Christus Dominus non meruit nobis donum creationis absolutè,quatenus pręscindit à prędestinatione, conc; relatiuè, quatenus refertur ad consecutionem glorię,neg; sic enim est effectus prędestinationis.*Vid.in sup.art.n.*

15 Obijc. 5. Prædestinatio est gratię præparatio;sed substantia prædestinati non est gratia; ergo non est effectus prædestinationis. Ma. patet.Prob. mi. Substantia est ordinis naturalis, sed gratia non est ordinis naturalis, vt docet Fides *cōtra Pelagiū*; ergo substātia nō est gratia.

Resp; quòd prædestinatio est præparatio gratiæ,qua præparatur subiectum naturale,nempe substantia prædestinati in ordine ad consecutionem actualem gloriæ, & ideo licèt substātia non sit gratia, attamen est subiectum gratiæ, & per consequens tam gratia, quàm substantia est effectus prædestinationis. Gratia quidem est effectus principaliter intētus, & substantia effectus intētus ex consequenti,ac imperatè;vnde prædestinatio est præparatio gratiæ in subiecto, quod præparatur per gratiam; & ideo sicuti gratia, quæ pręparatur à Deo, & præparat substantiam ad consecutionem gloriæ, est effectus prædestinationis; ita etiam substantia, quæ præparatur per gratiam, est effectus illius.

16 Obijc.6.Si Verbum non venisset,adhuc fuisset hominum generatio,& tamen non fuisset prædestinatio;ergo substantia prędestinati non est effectus prędestinationis; nam si esset effectus prædestinationis, non poneretur, nisi posita prædestinatione, quia effectus non ponitur, nisi posita causa.

Resp.dist. ant. Fuisset generatio hominum prędestinatorum reduplicatiuè ex meritis Christi Domini, vt succedit de facto, neg; fuisset generatio hominum ex alio motiuo, conc; & neg. cons; nam non dicimus substantiam prædestinati absolutè esse effectum prædestinationis,sed tantùm reduplicatiuè,vt prędestinata est ex meritis Christi Domini,vt supra dictum est.

17 Obijc.7. Quodlibet accidens præsupponit subiectum; ergo intentio efficax accidentis præsupponit intentionem efficacem subiecti; intentio enim efficax commēsuratur cum re intenta; sed prædestinatio est accidens adueniens substātiæ prædestinati, quæ est subiectum illius; ergo substantia prædestinati præsupponitur ad prædestinationem; & per consequens non est effectus illius.

Resp. dist. ant. Quodlibet accidens præsupponit subiectum, vt reduplicatiuè componēs cum accidēte aliquod totum integrale accidentale, neg; quanuis enim paries præsupponatur ad albedinem; non tamen præsupponitur reduplicatiuè, vt constituens album, quia sic non constituit, nisi vt est sub albedine; præsupponit subiectum specificatiuè, vt non constituit totum accidentale,conc; & sic substantia prędestinati præsupponitur ad prædestinationem, nō vt constituēs totum accidētale,quod est prædestinatum, sed solùm specificatiuè,vt non constituit prędestinatum. Vel dist.ant. Accidēs præsupponit subiectum in genere causæ materialis, conc; in genere causæ formalis, neg; vt dictum est superiùs.

Ceteræ obiectiones solutæ sunt *in sup. art.*

ART. VI.

An permissio peccati in prædestinatis sit effectus prædestinationis?

1 Permissio, vt diximus *de Vol. q. 5. art. 4;* si sumatur actiuè,est actus positiuus voluntatis Diuinæ; & sic non est effectus prædestinationis, quia in Deo nihil habet causam efficientē;& ille dicitur effectus prædestinationis, qui à Deo prędestinante producitur in nobis. Si verò sumatur passiuè, importat carentiam gratiæ efficacis; & in hoc sensu *hic* sumitur permissio.

Non loquimur autem de prima permissione,qua Deus permisit peccatum originale;cùm enim talis permissio fuerit antecedens, vel saltem concomitans ipsum peccatum; & nostra prædestinatio sit post præuisionem ipsius peccati, ideo nequit esse effectus prædestinationis, quia effectus nequit antecedere suam causam. Igitur difficultas est de permissione peccati actualis, quæ consequitur ad peccatum originale,& ad ipsam prædestinationem.

2 Potest autem permissio considerari,vt est ex motiuo maioris humilitatis, patientiæ, & timoris inducēdi in ipsum prædestinatum ex peccato occasionaliter; vel etiam, vt est ex motiuo pœnitētiæ, quam aget prædestinatus post commissionem peccati commissi.

3 Prima sentētia vult carentiam gratiæ nō esse effectum prædestinationis, neque posse intēdi ex fine beatitudinis. *Ita Vasq; Arrub; Alarc. Tract. 4. disp. 4. c. 1. §. 1; Heric; Villeg; noster Cornejus; & alij.*

Secunda sententia vult permissionem peccati esse effectum prædestinationis, quatenus procedit ex motiuo humilitatis, patientiæ, & aliarum virtutum, quæ sunt media, & effectus prædestinationis; non tamen, quatenus permissio procedit ex motiuo pęnitentię; cùm pœnitētia supponat peccatum, cuius est essentialiter destructiua; & peccatum supponat permissionē, quæ essentialiter debet antecedere peccatum, propter quod permissio peccati nequit esse effectus motiui pœnitentiæ, cùm pœnitentia supponat peccatum,& peccatum supponat permissionem. *Ita Sua. lib. 3. de Præd. c. 8. n. 13.*

Tertia sententia distinguit duplicem for-

ma-

malitatem in pœnitentia; prima est, quatenus est virtus excellentissima; quæ maximè facit ad decorem Vniuersi,& ad manifestationem omnipotentiæ, & quatenus vtilis est ad consecutionem vlterioris gratiæ; secunda est, quatenus est remissiua, & destructiua peccati. Vult ergo hęc sententia, quòd permissio peccati ex motiuo pœnitentiæ primo modo acceptæ est effectus prædestinationis; nō autem secundo modo sumptæ. *Ita Io. à S.Tho. hic art.6. n.15*; quem sequitur *Godoy hic disp.73.§.4. n.67*.

Vltima sētētia docet permissionē peccati etiā ex motiuo pęnitētiæ,quatenus est destructiua,& detestatiua peccatorum,& ex motiuo omnium aliarum virtutum, quæ efficaciter conducunt ad consecutionem gloriæ, esse effectum prædestinationis. *Ita Fundat.Doct. in 1.dist.46. princip.2. q.1. ad 3*; vbi quantùm ad motiuum virtutis patientiæ ait: *Persecutio Tyrannorum non pertingit ad patientiam Martyris, sed ad cruciatum corporis, ex quo consurgit talis patientia*. Et *q.2.* ait: *Eo ipso, quòd Deus aliqua per suam prouidentiam impedire potest, & non impedit, dicuntur esse subiecta prouidentiæ ratione permissionis, quia per eius prouidentiam permittuntur*. Si autem ratione permissionis peccata dicuntur subdi prouidentiæ Diuinæ, ipsa permissio erit effectus prouidentiæ Diuinæ. Quantùm autem ad humilitatem, ait *ibid. Aliquando propter peccata præterita firmiores, & humiliores existunt*. Tandem quantùm ad pœnitentiam subdit: *Vt cùm aliquis ex peccato alterius detestando ipsum, feruentiùs in Diuinum amorem rapitur*; patet autem, quòd si Deus ordinat permissionem peccati ex motiuo detestationis ipsius peccati, vt feruentiùs rapiatur in amorē Dei,ordinat etiam ex motiuo pœnitentię, quę essentialiter est virtus detestatiua peccati. Hanc sententiam sequitur *noster Gibbon, qui refert Scot; & eius discipulos; & Amic; & Arriag. Ita etiam Gonz; Gonet; & alij Thomistæ; pro cuius decis.*

4 Not. *ex Fundatiss. Doct. q. 2. vbi sup*; quòd permissio passiuè sumpta non dicitur effectus prædestinationis eo, quia aliqualiter efficiat executionem ipsius gloriæ; cùm enim permissio passiuè sumpta importet solam carentiam gratiæ efficacis, & carentia nullius sit efficientiæ; ideo permissio nullo modo potest efficere consecutionem gloriæ, si præcisè sumatur secūdùm se ipsam. Igitur permissio passiuè sumpta secundùm se nō est effectus prædestinationis; & ideo solùm remanet,quòd possit esse effectus secundùm ordinationem, quatenus ordinatur ad aliquod bonum ex ipsa occasionaliter elicitum, quod effectiuè concurrit ad consecutionē glorię; vt v.g. permissio crudelitatis Tyranni est effectus prædestinationis Martyris, quia ex tali permissione occasionatur patiētia Martyris, qua consequitur gloriam; & permissio adulterij, & homicidij *in Dauide*, & infidelitatis *in Apost. Petro* fuit occasiò maioris humilitatis,cautelæ,& timoris Dei, quibus operati sunt consecutionē glorię; vt diximus ex *Beat.P. art.2.n.4*; vnde nedum permissio peccati in ipso prędestinato, sed etiam in reprobo est effectus prædestinationis ipsius electi.

5 Quotiescunq; autē aliqua duo, ita connectuntur, vt vnum sit destructiuum alterius, tunc id, quod est posterius in executione, est prius in intentione,& è contra; vt docet *Fundatiss.Doct. in lib. de Generat; & Corrupt.* Hinc quia generatio vnius est corruptio alterius, generationes enim fiunt à contrarijs in contraria, ideo natura ordine intentionis primò, & per se intendit generationem noui compositi, & ex consequenti intendit corruptionem alterius compositi præcedētis eo, quia nouum compositum nequit generari, nisi pręcedat corruptio alterius; at verò in executione prior est corruptio compositi antecedētis, quàm generatio compositi subsequētis, vt patet experiētia; aliter si priùs generaretur nouum compositum, quàm destrueretur vetus, sequeretur, quòd in eo instanti, in quo generatur forma noui compositi, essēt simul duæ formę in eadem materia, quia pro eo tunc non esset expulsa forma vetus, & quandiu nō est expulsa, durat in materia, quod naturaliter repugnat, vt dicitur *in Phys*; ita ergo loquendum est in pręsenti de pœnitentia, vt est destructiua peccatorum; quanuis enim pęnitētia, vt est destructiua peccatorum, supponat peccata destruenda, & per consequēs supponat permissionem peccatorum, quę essentialiter antecedit, vel saltem est simul cum ipsis peccatis; attamen ordine intētionis res è contra se habet; pęnitētia enim antecedit peccata, & permissionem eorum; peccata verò, & permissio subsequuntur ad pęnitētiam; nam cùm per pęnitētiam nouus generetur homo cælestis, & vetus destruatur homo terrenus; vocatur enim pęnitētia *à Beatiss.P. lib. de Fide ad Petrum, & à D.Hier. secunda post naufragium tabula*; idèst secundus baptismus; hinc sicuti Baptismus dicitur generatio nouæ creaturę; ita idem dicēdum est de pœnitētia, ideo sicuti loquimur de generatione corporali, ita loquēdum est de generatione spiritali, & sicuti ordine intētionis natura primò intēdit generationem,& ex consequēti destructionem; ita pęnitētia ordine intētionis intendit generationem nouę creaturę, & ex consequēti destructionem peccatorum, quanuis ordine executionis oppositum contingat. *Hoc not.*

6 Vnica concl. Permissio peccatorum in prædestinatis nedum ex motiuo humilitatis, & patientię, sed etiam ex motiuo pęnitētię, quatenus est destructiua peccatorum, est effectus prędestinationis.

Prob. 1. *ex Rom.8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sup. quod *Beatiss. P. de Grat; & lib.arb.c.17.* ait: *Quid est omnia cooperan-*

perantur in bonum, nisi etiam sæuissima persecutiones? Et *de Cor; & Grat. c. 9. Usque adeò diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, vt etiam si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis facit proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores.* Ex quibus manifestè deducitur permissionem peccati ex motiuo humiliratis, & patientiæ in prædestinatis esse effectum prędestinationis.

7 Quòd autem sit etiam ex motiuo pęnitentiæ, quatenus deletiua peccatorum, prob. *ex ps.83. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*; super quod *Beatiss. P. 14.de Ciu. c.13.* ait: *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit, & sacer psalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine; idest, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerant quærendo suum.* Ex quibus manifestè colligitur, quòd si vtile est prædestinatis cadere in peccatum, vt sibi displiceant de eo, quod commiserunt, per quam displicentiam consequuntur finem prædestinationis; & omne vtile ad executionem prædestinationis est medium ad illam, quod est effectus ipsius prędestinationis; permissio autem peccati ex motiuo displiceantiæ est ex motiuo pœnitentiæ, quatenus est destructiua peccatorum; displicentia enim formaliter destruit peccatum, quia illud vult non esse; ergo permissio peccati ex motiuo pęnitentiæ, quatenus est destructiua peccatorum, est effectus prædestinationis. Idē apertiùs docet *in Suppl.cōt.Iul.lib.2.c.97.* docēs: *Dat humiliorē pænitentiā, vt donat indulgentiā*; indulgētia autē est ad destructionē peccatorū.

8 Prob.2. ratione *Fundatiss. Doct.* Permissio peccatorum in prędestinatis, vel est ordinata ad maius bonum virtutis, vel nō? Si primum; ergo est effectus prędestinationis, quia omne positiuè intentum ab agente ordinatum ad bonum, quo cōsequimur gloriam, est effectus prędestinationis, quæ est ratio omnium ordinandorum ad gloriam. Si secundum; ergo, quòd prædestinatus ex permissione peccati aquirat maiores vires, & maiores virtutes, casualiter contingeret Deo, quia contingeret præter eius intētionem, & ordinationem quod repugnat eius vniuersalissimæ prouidentiæ.

9 Conf. Permissio peccati in prædestinato vel est ordinata ad ostensionem misericordiæ, tanquam in vltimum finem, vel ad ostensionem iustitiæ; omne enim, quod est in creatura, vel ordinatur finaliter in gloriam ad ostensionem misericordiæ, vel finaliter ordinatur in gehennam ad ostensionem iustitiæ; sed permissio peccati in prædestinatis non ordinatur efficaciter finaliter in gehennam; aliter de facto damnaretur; ergo efficaciter finaliter ordinatur in gloriam. Ma. patet; quia si permissio non ordinaretur in aliquem ex his finibus, esset quid inordinatum simpliciter, quod repugnat.

10 Prob. 2. Quod coniungitur cum aliquo medio efficaci ipsius prædestinationis, & illi aliquo modo inseruit, & est positiuè intentum à Deo, est effectus prædestinationis; sed permissio peccati in prædestinatis est huiusmodi; est enim occasio maioris humilitatis, patientiæ, pęnitentiæ &c; & positiuè est volita à Deo, quia Deus vult prædestinatum carere gratia; ergo est effectus prædestinationis. Prob. ma; nam quod coniungitur cum medio efficaci prædestinationis ordinatur ad illud, vel tanquam causa, vel tanquam occasio, vel tanquam instrumentum, ordinatio enim plurium inter se consistit in cōnexione illorum, vt docet *Fundatiss. Doct.* omne autem ordinatum ad aliquod medium conducens ad aliquem finem ordinatur mediatè ad illum finem, & quod ordinatur ad aliquem finem, & intenditur ab agente, est effectus intētionis ordinantis omnia in illum finem; ergo quod coniungitur cum medio efficaci prædestinationis, & intenditur ab agente, est effectus illius. Prob. mi. Deus prædestinauit omnia media iustorum cum omnibus suis circunstātijs ad certum gradum gloriæ, vt diximus *q.2. art. 3*; sed circunstantia, quæ cōnectitur cum martyrio, & pęnitētia, est permissio peccati in Tyrāno, & in ipso pęnitēte; nam sine peccato Tyranni nequit esse martyrium, & sine peccato ipsius pęnitētis nequit esse pęnitentia, vt deletiua peccati, neq; humilitas orta ex peccato: ergo permissio peccati coniūgitur cū aliquo medio efficaciter conducēte ad executionē prædestinationis.

11 Conf. Quamuis ipsum peccatum secundùm se sit malum, & ideo inordinatum; attamen ipsa ordinatio peccati in finem bonum est bona, vt etiam in reprobis ordinatio peccatorum in gehēnam ad ostēsionem iustitiæ est bona, quia finis, ad quem ordinantur, est simpliciter bonus; ergo carentia gratiæ, quatenus ordinata ad bonum, ex illa occasionaliter elicitum, est bona, & ideo est effectus prædestinationis.

12 Prob. 2. pars concl. Permissio peccati ex intentione pænitentię ordinatur ad bonum pęnitentię, quo pęnitens consequitur gloriam; ergo est effectus prędestinationis.

13 Prob.2. Quotiescunque plura media ita subordinantur, vt vnum sit prius altero, nō potest ordinatè dirigi aliquis actus ad posterius, quin dirigatur ad id, quod est prius; v.g. si quis omnino rudis intenderet addiscere philosophiā, inordinatè vellet logicam, nisi prius vellet linguam latinam, quæ necessaria est ad intelligendos libros Physicorum; ordo enim postulat, vt medium dirigatur priùs ad id, quod est prius, & posteà ad id, quod est posterius; sed pęnitentia

est prior omnibus alijs virtutibus, quia posita illa aufertur peccatum, quod est impedimētum fructus meritorij aliarum virtutum; ergo nequit Deus ordinatè velle permissionem ex motiuo aliarum virtutum, nisi illam velit etiam ex motiuo pœnitētię, quatenus est deletiua peccati.

14 Prob. 3. destruendo fundamentum *Aduersariorum*. Ideo nequit Deus velle permissionem peccati ex motiuo pœnitentiæ, quia pœnitentia, cùm sit essentialiter detestatiua peccati, supponit peccatum, & peccatum supponit permissionem; sed hæc ratio nulla est; ergo nullum fundamentum *Aduersariorum*. Prob. mi. ex doctrina superiùs allata; nam quanuis generatio in physicis in executione supponat destructionem formæ præcedentis; attamen ordine intentionis natura priùs intendit generationem formæ introducendæ, & ex consequenti corruptionem, & destructionem formæ præcedentis; vnde quanuis in executione forma introducēda oriatur à forma corrupta; attamen in intentione forma introducenda est causa destructionis formę expellendę, in tantùm enim natura intendit formam veterem destruere, in quantùm intendit nouam introducere; ergo quanuis pœnitentia in executione supponat peccatum, quod destruit; attamen in intentione priùs intenditur pœnitentia, quàm destructio peccati.

15 Prob. tandem *ex Fundatiss. Doct*; qui hâc doctrinam tradit *hic ex D.Dion*. Antequam Deus permittat peccata, cognoscens defectibilitatem naturæ creatæ, eius bonitas summa postulat, vt præparet remedium, antequam permittat naturam incidere in morbum; vt prouideat de medicina pro morbis, quos permittere debet consequenter, vnde ille esset sapientissimus, prudentissimus, & benignissimus medicus, qui ante morbū institueret medicinā pro omnibus morbis subsequendis; ergo volitio pœnitentię præcedit permissionem peccatorum, & per consequens permissio peccatorum ex motiuo pœnitentię est effectus prædestinationis.

16 Tertia autem sententia reijcitur ex eo, quòd pœnitentia, quatenus virtus excellentissima, non est formaliter pœnitentia, quia esse virtutem excellentissimam conuenit etiam alijs virtutibus heroicis. Tum quia pœnitentia formaliter importat destructionem peccati, & ideo illius deletionem.

17 Tandem reijcitur illis rationibus quibus probata est secunda pars conclusionis; illæ enim probant de pœnitentia formaliter sumpta, vt est detestatiua peccati subsequenter permissi ideo nedum, vt virtus est in generali; est enim nimis commune, & generale hoc motiuum, cum tollat à pœnitentia suam rationem formalem, & suam essentiam; sed etiam, vt talis virtus est formaliter secundùm rationem differentialem pœnitentiæ.

18 Obijc. 1. Prædestinatio est post præuisionem peccati originalis; sed peccatum originale supponit permissionem; ergo prędestinatio à fortiori supponit permissionem.

Resp. Nos non loqui de prima, sed de secunda permissione, vt diximus superiùs.

19 Obijc. 2. Omnis effectus prædestinationis est gratia, donum, & beneficium Dei; definitur enim prædestinatio, *præparatio gratiæ &c*; sed permissio peccati passiuè sumpta nō est gratia, donum, & beneficium Dei, cùm sit potiùs carentia gratiæ; ergo nequit esse effectus prædestinationis.

Resp. *Fund. Doct*. dist. ma. Omnis effectus prædestinationis debet esse gratia Dei absolutè, vel relatiuè, conc; absolutè tantùm, neg; nam etiam actus naturales non sunt dona Dei supernaturalia secundùm se, & absolutè; dicuntur tamen gratia, & dona Dei relatiuè, quatenus referũtur ad dona supernaturalia, quibus ministerialiter inseruiunt. Eodem modo dist. mi. Permissio peccati est carentia gratiæ, si sumatur absolutè, & secundùm se, conc; si sumatur relatiuè, quatenus respicit maiorem gratiam, humilitatem, maiorem timorem, patientiam, & pœnitentiam, quę omnia sūt dona, beneficia, & gratię Dei, neg. Vel dist. ma. Omnis effectus principalis elicitus, conc; ex consequenti, & imperatus, neg.

20 Inst. Omnis effectus prędestinationis est causatus à Deo per decretum prædefinitiuum; sed permissio peccati non est causata à Deo per decretum prędefinitiuum, aliter non esset permissio, quia permissio est tantùm per decretum permissiuū; ergo nō est effectus prędestinationis.

Conf. Permissio peccati, quatenus permissio est, non est bona, quia importat carentiam gratiæ; ergo neque est causata per decretū definitiuum; & ideo nō est effectus prędestinationis.

Resp. ad arg. eodem modo, vel dist. ma; effectus principalis elicitus, conc; simpliciter imperatus, neg. Vel omnis effectus secundùm se est causatus à Deo, cōc; ordinatiuè ad aliud, neg.

Ad conf. dicitur, quòd permissio nō est bona secundùm se, sed relatiuè ad aliud.

21 Replic. Permissio, quatenus ordinatur ad bonum subsequens, non est permissio, sed definitio; talis enim ordinatio est volita positiuè à Deo, non tantùm permissa; ergo permissio, vt permissio non est effectus prædestinationis.

Resp. dist. ant. Permissio vt ordinata ad bonum, non est permissio materialiter, neg; formaliter, conc; sic enim importat ordinationem, quæ est relatio.

22 Obijc. 4. Omnis effectus prædestinationis donatur nobis ex meritis Christi; sed permissio peccati, seu carentia gratiæ efficacis non donatur nobis ex meritis Christi; ergo nō est effectus prędestinationis. Ma. patet ex dictis *in sup. q*. Prob. mi. 1. Ex meritis Christi nobis tantùm donatur gratia; ergo non carentia gratię. 2. Christus non est mortuus, vt Deus nobis permitteret

pec-

peccatum,ſed vt remitteretur;ergo permiſſio peccati non donatur nobis ex meritis Chriſti.

Reſp.eodem modo diſt.mi. Permiſſio peccati quatenus refertur ad maius bonum ex illa eliciendum,non donatur nobis ex meritis Chriſti,neq;nam Chriſtus meruit nobis, vt illa permiſſio peccati ordinaretur ad maius bonum, humilitatis, patientiæ, pœnitentiæ &c. Permiſſio peccati ſecundùm ſe, & abſolutè ſumpta,conc. Ad 1.prob. patet reſp; quòd ex meritis Chriſti Domini donatur nobis gratia, & etiam maior gratia elicita ex permiſſione peccati.Ad 2.quoque liquet, quòd Chriſtus Dominus mortuus eſt,vt etiam permiſſio peccati, quæ eſt carentia gratiæ,nobis ordinaretur ad maiorem gratiam ex illa occaſionaliter eliciendam.

23 Inſt. Chriſtus orauit Patrem, vt nobis concedat omnes effectus noſtræ prædeſtinationis;ſed nō orauit Patrem, vt nobis denegct gratiam efficacem; ergo denegatio gratiæ efficacis, ſeu permiſſio peccati non eſt effectus noſtrę prędeſtinationis.

Reſp.adhuc diſt.mi. Non orauit Patrem,vt abſolutè nobis deneget gratiam efficacem,conc; vt ipſam denegationem gratiæ efficacis ordinet ad maiorem gratiam ex illa denegatione eliciēdā,neg;& eodem modo diſt.conſ.Permiſſio peccati,ſeu denegatio gratiæ efficacis abſolutè ſūpta non eſt effectus prædeſtinationis, conc;vt refertur ad maius bonum ex illa occaſionaliter elicitum,neg.

24 Obijc.4.Negatio gratiæ efficacis nō cōducit ad finem prędeſtinationis;ergo nō eſt effectus illius.Prob.ant.Negatio gratiæ efficacis cōducit ad finē reprobationis;ſed finis reprobationis eſt oppoſitus fini prædeſtinationis; ergo denegatio gratię efficacis non conducit ad finem prædeſtinationis; cùm idem medium non poſſit conducere ad fines oppoſitos. Prob.conſ; quia omnis effectus prædeſtinationis debet conducere ad finem prædeſtinationis,vt diximus.

Reſp. diſt. ant. eodem modo. Denegatio gratiæ abſolutè ſumpta non conducit ad finem prædeſtinationis, conc; quatenus ordinatur ad maius bonum, quod ex illa occaſionaliter e licitur, neg. Ad prob.eodem modo diſt. ma. Negatio gratiæ efficacis præciſa ordinatione ad maius bonum, quod eſt medium efficax finis prædeſtinationis,conducit ad finem reprobationis,conc; poſita tali ordinatione, neg.

25 Obijc. 5. Omnes effectus noſtræ prædeſtinationis à nobis poſſunt peti à Deo;ſed non poſſumus petere permiſſionem peccatorum, ſeu denegationem gratiæ efficacis, ad quam ex noſtra fragilitate ſequitur peccatum, aliter peteremus ipſum peccatum, quod ſequitur; ergo permiſsio peccati non eſt effectus noſtræ prædeſtinationis.

Reſp.diſt.mi. Sed non licet petere permiſſionem peccatorum, ſeu denegationem gratiæ efficacis abſolutè ſecundùm ſe, conc; non licèt petere,vt Deus dignetur ordinare permiſſionem peccatorum, ſeu denegationem gratię efficacis ad maius bonum ex illa occaſionaliter eliciendum, neg.

26 Obijc. 6. contra 2. part. concl. Non eſt prudentis Medici ex intentione ſanitatis permittere morbum, ſed potiùs poſt permiſſionē morbi parare medicinam,& velle ſanitatem;ergo ex motiuo pœnitentiæ non permittit peccata.

Reſp.*Fund.Doct.*diſt. ant. Ex intentione maioris,robuſtioris,& perfectioris ſanitatis non debet prudēs medicus permittere morbos, neq; ſecundùm ſe,& abſolutè,conc.

27 Obijc.7.Pœnitentia neceſſariò ſupponit peccatum,cuius eſt deſtructiua,& peccatum ſupponit permiſſionem; ergo permiſſio non poteſt eſſe effectus motiui pœnitentiæ.

Reſp.diſt.ant. Pœnitentia ſupponit peccatum ordine executionis,conc; ordine intētionis neg;& ad prob.infert.patet reſp.ex dictis.

28 Obijc. 8. Volitio efficax pęnitentię eſt amor virtualis peccati ; ſed Deo repugnat amor etiam vir tualis peccati; ergo & volitio efficax pœnitentiæ, Prob. ma. Volitio efficax finis eſt amor virtualis omnium,quæ concurrunt ad exiſtentiam illius; ſed peccatum neceſſarium eſt ad hoc,vt pœnitentia exiſtat,ergo volitio pœnitētiæ eſt amor virtualis peccati.

Conſ.ex volitione efficaci pœnitentiæ cōſtituitur peccatum futurum,quia pœnitentia eſſentialiter reſpicit peccatum, quod deſtruit. Tum quia quotieſcunque aliqua duo connectūtur,nō poſſumus velle vnum, niſi ſaltem virtualiter velimus alterum; atqui peccatum,& pœnitentia connectuntur, ideo non poſſumus velle pœnitentiam, niſi velimus peccatum ſaltem virtualiter; ſed conſtituens peccatum futurum cauſat illud,vt futurum ſaltem virtualiter; ergo Deus eſſet cauſa peccati ſaltem virtualiter.

Reſp.neg.ma.Ad prob.diſt.ma. Volitio efficax finis eſt cauſa omnium, quæ concurrunt effectiuè ad exiſtentiam finis,conc; occaſionaliter, neg.Cùm igitur peccata non concurrant ad exiſtentiam pœnitentiæ, niſi occaſionaliter, ideo volitio efficax pœnitentiæ non eſt amor virtualis peccati.

Ad conſ.diſt.ma. Ex volitione efficaci pœnitentiæ conſtituitur peccatum futurum permiſſiuè,conc;poſitiuè,neg.Ad 1.prob.inſer.dicitur, quòd pœnitentia reſpicit peccatum permiſſum,non autem volitum.Ad 2.diſt.Quotieſcunque aliqua duo connectuntur, nō poſſumus velle vnum, niſi velimus alterum ſaltē virtualiter, ſi cōnectantur neceſſariò,& effectiuè ita, vt vnū efficiat alterum,conc. Si cōnectantur ſolum occaſionaliter permiſſiuè, neg. Eodem modo diſt. mi. Conſtituens peccatum futurum permiſſiuè, eſt cauſa peccati permiſſiua, conc; poſitiua, neg;

Deus igitur ex eo,quòd permittat peccatum, seu velit permittere peccatum, dicitur causa permissiua peccati. Ex eo tamen,quòd non velit positiuè peccatum, dicitur non esse causa positiua peccati. *Vid.de Vol.q.5.art.5;& 6.*

29 Dices. Peccata sunt occasio boni,& ordinantur ad bonum; & tamen non sunt effectus prædestinationis;ergo nec permissio.

Hæc obiectio soluetur *in seq.*

ART. VII.

An peccata in prædestinatis sint effectus prædestinationis?

1 NOn loquimur *hîc* de peccatis secũdũ entitatem physicam substratã deformitati morali; cùm enim talis entitas sit physicè bona,& intendatur positiuè à Deo, si ab ipso ordinetur ad aliquod bonum ex illa occasionaliter elicitum, potest esse effectus prædestinationis. Loquimur ergo de peccatis secũdùm deformitatem moralem; & quærimus, an sint effectus imperati eo modo,quo diximus de permissione.

2 Ratio dubitandi est; nàm, vt dictum est superiùs, illud, quod ordinatur ad aliquod bonum, quo mediante consequitur gloria, tanquam occasio, est effectus prædestinationis; sed peccata in prædestinatis ordinantur ad bonum humilitatis,patientiæ, & pęnitentiæ, vt diximus *ex Beatiss.P.in sup.art*; ergo sunt effectus prædestinationis. Tum quia etiam peccata electorum cadunt sub Diuina prædestinatione;nam ab ipsa ordinantur ad finem, ad quem finaliter ordinantur electi;sicut peccata reproborum ordinãtur ad gehennam, ad quam ordinantur reprobi finaliter; sed omne ordinatũ à Diuina prędestinatione est effectus illius; ergo peccata sunt effectus prædestinationis. Tum quia *Fund. Doct. in Epist.ad Rom.c.8. lect.26.* docet *ex Beatiss.P. de Cor; & Grat. c. 9.* etiam peccata propria electorum ordinari ad finem prædestinationis; pro cuius decis.

3 Not.*ex Fundat.Doct.in 1.dist.46.princ.2. q.2*;vt diximus *de Prou.q.2.art.3*;tripliciter aliquod posse cadere sub Diuina prædestinatione. 1.Ratione causalitatis.2.Ratione ordinationis.3. Ratione permissionis.Illud cadit sub Diuina prędestinatione ratione causalitatis, quod positiuè producitur à Deo, vel quod ponitur ex vi intẽtionis, & volitionis positiuæ ipsius Dei, vt gratia,quæ positiuè producitur à Deo;& denegatio gratiæ, quæ est ex vi intentionis, seu volitionis positiuæ ipsius Dei; actus enim permissiuus est actus positiuus, quo Deus positiuè vult negare nobis gratiam;vt diximus *de Vol.q.5.art.6*; vnde denegatio gratiæ,quatenus ordinata ad aliquod medium prædestinationis, dicitur effectus Dei; quia Deus nedum vult positiuè ipsam ordinationem, sed etiam ipsam denegationem gratiæ. Non tamen propter hoc dicitur positiuè velle peccatum, quod consequitur ad talem denegationem; quia peccatum nõ consequitur ad illam necessariò ex vi intentionis,& ordinationis Dei, sed tantùm ex mala ordinatione ipsius creaturæ in prauum finem;vt diximus *vbi sup. art.4.* Illud dicitur cadere sub Diuina prædestinatione tantùm ratione ordinationis,quod simpliciter ordinatur,non autem causatur; & sic illud cadit sub Diuina prædestinatione tãtùm permissiuè, quod simpliciter permittitur,nõ verò causatur, neque fit ex intentione,seu volitione positiua ipsius; & hoc bonũ, scilicèt ordinatio actus permissi, licèt sit effectus prædestinationis, quia illa ordinatio est positiuè volita,& intẽta à Deo prædestinãte; non tamen ipse actus permissus, & ordinatus est effectus ipsius prędestinationis;quia ille actus nõ est positiuè volitus, & intentus à Deo; sicut est positiuè volita,& intenta ipsa gratia, & denegatio gratiæ; vt dictum est. Neque est idem subdi,& ordinari à Diuina prædestinatione,ac esse effectũ illius; sicut peccata reproborum ordinãtur à Deo in gehennam,& tamen non sunt effectus reprobationis;vt *inf.*dicemus *q.6.Hoc supp.*

4 Vnica concl. Peccata secundùm deformitatem moralem in prædestinatis non sunt effectus prædestinationis.

Prob.1.*ex Beatiss.P.lib.de Gen.ad lit.imperfect.c.5*; vbi ait: *Nam & vitiorum nostrorum non est Auctor Deus, sed tamen ordinator est*; quod habet etiam *de Gen. ad lit. lib.1.c.17*; si autem peccata essent effectus Diuinę prędestinationis, Deus esset Auctor illorum; quia Auctor dicitur per ordinem ad effectum.

Prob.autem ratione.Peccata electorum secundùm deformitatem moralem non sunt positiuè volita, intẽta,& causata à Deo,quia cùm sint nihil,& Deus non sit Auctor nihil; cùm nihilum fiat sine Deo agente iuxta illud *Io.1.Sine ipso factum est nihil*;idèst peccatum;vt exponit *Beatiss. P.sup.* hunc locum; ergo peccata secundùm deformitatem moralem in electis non sunt effectus prædestinationis.

5 Conf.1.*ex Fundat,Doct.in 1.; & in Epist. ad Rom.vbi sup.* Peccata secũdùm deformitatem moralem sunt defectus, qui solùm habẽt causam deficientem, non efficientem, vt docet *Beatiss. P.lib.12. de Ciu.c.7*; vbi ait: *Nemo enim quærat efficientem causam malæ voluntatis; non enim est efficiens,sed deficiens.* Sed Diuina prædestinatio nequit esse causa deficiens; ergo peccata secundùm deformitatem moralem non sunt effectus prædestinationis.

6 Conf.2.Effectus dicitur ab efficiendo, sicut defectus dicitur à deficiendo;sed Deus nequit efficere peccatum,quia nequit deficere à se ipso, in qua deficientia solùm consistit formaliter deformitas peccati; cùm Deus sit simpliciter indefectibilis; ergo peccatum nequit esse effectus Dei;& ideo nequit esse effectus prædestinationis; aliter esset effectus Dei.

7 Ad rationem dubitandi resp. ad 1. distma.

ma. Illud, quod ordinatur ad aliquod bonum, & fit ex intẽtione poſitiua ipſius ordinantis, eſt effectus prædeſtinationis, conc; & in hoc ſenſu neg. mi. Illud, quod ordinatur, & non fit ex intẽtione poſitiua ordinantis, eſt effectus prędeſtinationis, neg; effectus enim dicitur ab efficiẽ; illud autem, quod non fit ex intentione poſitiua alicuius, nõ dicitur effici; & ideo peccatum non eſt effectus Dei. Ad 2. diſt. ma. Peccata electorum cadũt ſub Diuina prędeſtinatione quantùm ad ſimplicem ordinationem; conc; quantùm ad intentionem poſitiuam, neg; & ſic diſt. mi. Omne ordinatum, & intentum poſitiuè à Diuina prędeſtinatione, conc; omne ordinatum, & non intentum, neg. Et ſic ad 3. dicitur, quòd *Fund. Doct.* ait peccata ſimpliciter ordinari, non tamen intendi, & ideo non eſſe effectus prædeſtinationis.

8 Obijc. 1. Omne medium conducens, vel per ſe vel per aliud, cum quo connectitur, ad cõſecutionem gloriæ, eſt effectus prędeſtinationis; ſed peccatum eſt medium conducens ratione boni eliciti occaſionaliter ex illo ad conſecutionem glorię; ergo eſt effectus prędeſtinationis. Tum quia omne ordinabile ad finem eſt medium ad illum, quia medium definitur ordinabile ad finem; ſed omne medium eſt effectus intentionis finis; ergo omne ordinabile ad gloriam eſt effectus prædeſtinationis; & per conſequens peccata, quia ordinantur à prædeſtinatione, ſunt effectus illius.

Reſp. *ex Fund. Doct.* neg. mi. Licèt enim peccata ordinentur ad gloriæ conſecutionem, attamen non ſunt propriè media, de quorum ratione eſt effectiuè cauſari ex intẽtione finis, & effectiuè cauſare ipſum finẽ, nã etſi ſint media ratione alterius, cum quo connectuntur, debent influere ſecundùm ſuam entitatem, ſaltem remotè ad productionem illius; quia debent eſſe cauſa illius, & omnis cauſa, vt cauſa eſt, debet influere; peccata autem ſecundum ſuam entitatem non influũt in finem prædeſtinationis, quia potiùs ſunt deordinationes à fine, & ſunt nihil; & ideo non poſſunt influere; ergo non habent propriè rationem medij. Vel diſt. ma. Omne medium cauſatum ex intẽtione finis eſt effectus prædeſtinationis, conc; ſed in hoc ſenſu, neg. mi; omne medium ſimpliciter ordinatum ad finem, non cauſatum, neg; nam de ratione effectus eſt cauſari, vt dictum eſt. Ad aliud reſp. eodem modo. Omne ordinabile ad finem cauſatum ex intentione illius eſt medium, conc; ſimpliciter ordinatum, neg. Et ad prob. dicitur, quòd medium definitur ordinabile ad finem cauſatum ex intentione illius. Vel diſt. mi. Omne medium cauſatum ex intentione finis eſt effectus illius, conc; ſimpliciter ordinatum, neg.

9 Obijc. 2. Permiſſio peccati nõ eſt aliquod cauſatum ex intentione finis, quia permiſſio peccati paſſiuè ſumpta eſt pura negatio, & pura negatio non cauſatur; & tamen permiſſio peccati, quatenus coniungitur cum bono occaſionaliter elicito, eſt effectus prædeſtinationis; ergo licèt peccata non cauſentur à Deo, attamen quia coniunguntur cùm aliquo bono ex illis occaſionaliter elicito, ſunt effectus prædeſtinationis.

Reſp. neg. conſ. Et diſparitas eſt; quia permiſſio paſſiuè ſumpta, licèt non cauſetur efficaciter à Deo, quia eſt non ens, attamen eſt poſitiuè volita à Deo, quia Deus vult prædeſtinatũ carere gratia pro eo tempore, quo permittit peccatum; & ideo ex vi talis volitionis poſitiuè dicitur quodammodò cauſari ipſa permiſſio paſſiua, ſeu denegatio gratię; at verò peccatum non eſt poſitiuè intẽtum à Deo, & ideo non eſt poſitiuè volitum à Deo, nec eſt effectus illius, quia effectus intẽtionis cuiuſcũq; finis debet int ndi ab ipſo agẽte propter finem; & ideo debet eſſe volitus ab ipſo.

Ceteræ obiectiones ſoluentur inferiùs *q. 6. art. 1; & 2.*

De ſignis autem prædeſtinationis agemus in fine *huius Tractatus*, vbi ſimul explicabimus ſigna reprobationis.

QVÆST. V.

De cauſis reprobationis.

HActenus de electione prædeſtinatorum ad gloriam actum eſt; modò inquirendum de electione reproborum ad pœnam; quòd dupliciter vtile erit. 1. Quia magis conducet ad intelligentiam eorum, quæ diximus, cùm enim prædeſtinatio includat voluntatem approbatiuam; & reprobatio voluntatem reprobatiuam; ideo ratione huius incluſionis opponi dicuntur: *oppoſita autem iuxta ſe poſita magis elueſcunt*, vnde ex declaratione reprobationis magis apparebunt ea, quæ diximus de prædeſtinatione. 2. Explicatio pœnæ, quam Diuina iuſtitia infligit reprobis, timorem in nobis progignet, ex quo feruentiùs excitabimur ad gloriæ amorem.

ART. I.

An ſit, quid ſit, & quot modis vſurpetur reprobatio?

1 TRia quæruntur in titulo. 1. Exiſtentia reprobationis. 2. Definitio. 3. Diuiſio. Hæc omnia breuiter declarabuntur; nullam enim difficultatem habẽt apud Theologos, ſed communiter ſtatuuntur tanquam præambula ad ea, quæ inferiùs dicenda ſunt.

2 Antequam reſpondeatur ad quæſita, *not. ex Fund. Doct. hic diſt. 40; princ. 1. q. 2*; quòd reprobatio-

probatio alia eſt ſimpliciter, alia ſecundùm quid. Reprobatio ſimpliciter eſt illa, qua creatura priuatur, & ſpoliatur omni bono, & per conſequens omni eſſe; & ſic idem eſt, ac annihilatio; & de hac reprobatione non loquimur in præſenti. Reprobatio ſecundùm quid eſt illa, qua creatura priuatur aliquo bono particulari tantùm, non autem omni bono; propter hoc damnati, quia priuantur ſolùm bono ſupernaturali, quod eſt gloria, reprobati dicuntur; & de hac reprobatione *hic* ſermo eſt. Hæc duplex reprobatio colligitur *ex Scripturis*; nam ad oſtendendum Deum nullam creaturam ſimpliciter reprobare dicitur *Sap.* 11. *Parcis autem omnibus, quia omnia tua sũt*, & 10. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti; quod Fund. Doct. hic ad* 2. intelligit de amore approbatiuo in ordine ad aliquod bonũ naturæ, quod eſt exiſtentia. Ad oſtendendum autem dari reprobationẽ ſecundùm quid ſcilicèt reiectionem à gloria; dicitur *Sap.* 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*; odium autem ſemper ordinatur ad priuationem alicuius boni, quod denegamus odio habitis; ſicut amor, qui opponitur odio, ordinatur ad exiſtentiam alicuius boni, quod rei amatę amamus, vel concupiſcimus. *Hoc not.*

4 Quoad 1. dicimus dari reprobationem, qua Deus aliquas creaturas excludit à gloria. Eſt de Fide; *nam Sap.* 5. habetur: *Talia dixerunt impij in Inferno*. Et *Matt.* 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius*. Mittere autem ad ignem eſt idem, ac deſtinare ad pęnam; & deſtinare ad pęnam importat excludere à gloria. *Et Rom.* 9. *An non licet Figulo ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam?* Sed facere in honorem eſt eligere ad gloriam, & facere in contumeliam eſt reprobare à gloria; ergo datur reprobatio. *Item Matt.* 13. habetur exemplo piſcium, *quod boni electi ſunt; & mali foras miſſi ſunt*. Item *Matt.* 7. parabola Virginum prudentum, & fatuarum, ſignificantur aliqui electi ad gloriam, & aliqui excluſi à gloria, in qua excluſione conſiſtit reprobatio negatiuè ſumpta, vt infra dicemus.

5 Prob. autem *à Fund. Doct.* duplici ratione, quarum prima eſt. Optimi eſt optima facere; ſed prædeſtinatio aliquorum, & reprobatio aliorum eſt optima; ergo ab optimo agente fit, ſed Deus eſt optimum agens; ergo Deus aliquos prædeſtinat, & aliquos reprobat. Ma. patet; nam agere ſequitur ad eſſe; ergo ad eſſe optimum, ſequitur agere optima. Prob. mi. Inducere bonum Vniuerſi eſt optimum, quia bonum Vniuerſi poſt bonum primi eſt maximum bonum; ſed aliquos prædeſtinare, & alios reprobare eſt inducere bonum Vniuerſi, quia bonum Vniuerſi conſiſtit, & conſeruatur per virtutem iuſtitiæ, quæ bonis largitur præmia, & malis ſupplicia; aliter ſi non eſſet ſpes præmij, & timor ſupplicij pęnæ, tollerẽtur omnes virtutes, & inducerentur omnia vitia, quæ penitus corrumpunt, & inficiunt Vniuerſum; vitia enim ſubuertere communitates manifeſtum eſt; ergo aliquos prædeſtinare, & aliquos reprobare optimum eſt.

Secunda ratio eſt. Ad perfectionem Vniuerſi ſpectat varietas partium ordinatarum in oſtẽſionem miſericordiæ, & iuſtitię Dei; ſed miſericordia oſtẽditur per prædeſtinationẽ aliquorum, & iuſtitia per reprobationem aliorum; ergo ad perfectionem Vniuerſi ſpectat dari prædeſtinationem aliquorum, & reprobationem aliorum.

6 Reprobatio autem actiuè ſumpta eſt in Deo, & paſſiuè in reprobo; ſicut diximus de prędeſtinatione.

7 Quoad 2. Eſt aliqua varietas inter Theologos, quę videtur incepiſſe inter *Mag. Sent. & D. Thom.*; & proceſſit ad aliquos *Thomiſtas recentes*; eorum tamen diſcrepantia faciliter tolli poteſt explicatis eorum motiuis circa rationem formalem reprobationis, quę *in ſeq. articulis* diſcutientur.

8 Not. tamen *ex B. Doct. hic*; quòd ſi volumus intelligere reprobationem, debemus imaginari omnes homines proſtratos eſſe per peccatum; ſic enim docet *Beatiſſ. P. ex Apoſt. lib. de Præd. SS*; & Deum cuilibet homini manum extendere exhibendo auxilia ſufficientia; aliquos tamen ad ſe efficaciter trahere, & eleuare; alios verò relinquere cum ſolis auxilijs ſufficientibus. Illi autem, quos efficaciter trahit, prædeſtinati dicuntur; illi verò, quos relinquit, reprobi ſunt.

9 Hęc autem eſt differentia inter actionem prædeſtinatiuam, & reprobatiuam, vt diximus *q.* 1. *ar.* 2. *n.* 3; quòd actio prędeſtinatiua efficiẽter producit, & vult omnia media, quę conducunt ad conſecutionem gloriæ, & ideo Deus prædeſtinando dicitur efficaciter trahere ad ſe; idẽſt efficere media, quibus trahantur electi. At verò actio reprobatiua non cauſat media, quibus reprobati finem conſequuntur; quia non cauſat peccata, quibus mediantibus conſequuntur gehennam; vnde reprobati dicuntur tantùm præſciri, non autẽ prędeſtinati; quia media reprobationis tantùm pręſciũtur à Deo, non autem cauſantur; vt dictum eſt. *Hoc not.*

10 Reprobatio definitur *præſcientia iniquitatis quorundam, & præparatio damnationis eorum*. Hanc definitionem *Mag. ſent.* ſumpſit *ex Beatiſſ. P.; & ex noſtro S. Doct. Fulgentio*; vt teſtatur *Fundat. Doct. Aegid. hic ſup. Lit. Mag. diſt.* 40. Dicitur *præſcientia*, quia reprobatio includit actum intellectus, vt infra videbimus. Dicitur *malitiæ*; quia reprobatio eſt ex præuiſione peccatorum, vel originalis, vel perſonalis. Dicitur *præparatio damnationis*; vt oſtendatur reprobationem importare actum, ſeu decretum efficax

Di-

Diuinę voluntatis damnandi aliquos ad ignem; quod expressè habet *Conc. Valent. can.* 3; vbi ait: *Fidenter fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem*; vbi nomine prædestinationis intelligit decretum efficax voluntatis, quo aliquæ creaturæ à Deo efficaciter destinantur ad gloriam; & aliquę ad pęnam.

11 Quoad 3. Reprobatio alia est negatiua, & alia positiua. Reprobatio negatiua est non electio ad gloriam, seu derelictio, aut desertio; quotiescunq; enim Deus aliquos eligit ad gloriam, illos, quos relinquit, dicitur non eligere, seu deserere, quod idem est, ac negatiuè reprobare, idest non approbare. Reprobatio positiua est actualis damnatio ad ignē; ex eo enim, quòd Deus non eligit aliquos ad gloriam, sed relinquit cum solis auxilijs sufficientibus, videt illos decessuros in impęnitentia finali; & ideo illos efficaciter damnat ad ignem. Quanuis autem reprobatio sumatur his duobus modis; attamen magis propriè sumitur in secundo sēsu, sic enim vsurpatur *à SS. PP. & Scripturis.*

12 Inter reprobationem negatiuam, & positiuam hoc est discrimen, quòd reprobatio negatiua habet tantùm terminum, *à quo* excludit, non autem terminum, *ad quem* ordinat, proptereà dicitur negatiua respectu termini, *à quo* excludit, quem negat illis, quos deserit, & etiam dicitur negatiua respectu termini, *ad quē* non ordinat. Reprobatio autem positiua habet terminum, *à quo* excludit, & *ad quem* ordinat; propterea dicitur positiua respectu termini, *ad quem* ordinat.

13 Ex hoc deducitur reprobationem negatiuam non consistere in pura negatione actus voluntatis, & intellectus Diuini, vt vult *noster Gibbon*; exclusio enim à gloria nequit fieri, nisi per actum voluntatis Diuinæ nolentis dare gloriam illis, quos excludit; qui actus, quanuis negatiuè explicetur, attamen secundùm rem est positiuus; cùm voluntas Dei nequeat manere suspensa à suo actu, vt diximus *de Vol. q. 2. art. 4.* Nec verum est, quòd licèt Deus pro illo signo, quo eligit, purè non omittat derelictionem, attamen nos non concipimus aliquem actum positiuum pro illo signo, vt ait *Gibbon*; non, inquā, verum est; nam nos nō possumus pro illo signo concipere voluntatem Dei, vt suspensam ergà reprobos, vt etiam ipse fatetur; ergo non possumus non concipere actum positiuum erga reprobos. Quid enim est concipere voluntatem, vt suspensam, nisi eam concipere non concepto eius actu circa aliquod obiectum? Vnde quanuis, vt dicebamus superiùs *q. 3. art. 4. n.* 18; non considerare voluntatem Diuinam in aliquo ordine, non sit illam considerare, vt suspensam ab aliquo actu in tali ordine; attamen illam considerare erga creaturas eligendas, & non eligendas, & considerare ipsam solùm cum actu positiuo circa eas, quas eligit, & sine actu positiuo circa eas, quas deserit, est ipsam considerare, vt suspensam in tali ordine.

ART. II.

An reprobatio sit actus intellectus?

1 Loquimur *hic* de reprobatione, prout includit reprobationem negatiuè, & positiuè sumptam; isti enim duo modi vsurpandi reprobationem vnam veluti formalem, totalem, & adæquatam integrant essentiam.

2 Supp; quòd sicuti prædestinatio, vt diximus *q. 1. art.* 4; plures actus includit; ita reprobatio includit in sua integritate materiali præscientiam reprobandorum, prouidentiam pœnæ eis dandæ, voluntatem permittendi peccatum, & eos in peccato derelinquendi vsque ad finem vitæ, & tandem voluntatem positiuam illos excludendi à gloria, ac damnandi ad gehennam; & quemadmodum quanuis prædestinatio illos plures actus, quasi materialiter, & identicè importet, aliquos quidem præsuppositiuè, & alios consecutiuè, vt dictum est *vbi sup*; attamen formaliter eius essentia consistit in actu ordinatiuo creaturæ rationalis in finem supernaturalem; ita nunc quærimus, in quo ex recensitis actibus ratio formalis reprobationis sita sit?

3 Prima sentētia vult reprobationem præsupponere quidē actum voluntatis Diuinæ decernentis reprobis pęnam, sed formaliter consistere in actu intellectus, qui dicitur *imperium* efficaciter ordinans media conducentia ad finem reprobationis. *Ita omnes Thomistæ*, quibus adhæret *noster Gibbon hic disp. 6. dub.* 1.

Secunda sententia docet reprobationem iuxta vocabuli proprietatem importare formaliter actum voluntatis præsupponentem tamen actum intellectus, & è conuersò se habere ad intellectum, & voluntatem, ac se habet prædestinatio. *Ita Fundatiss. Doct. hic dist. 40. princ. 2, q.* 1; quem sequitur *Greg; & omnes eius veri Discipuli*; & ex exteris *D. Bon; Aureol; Scot; Suar; Vasq; & alij.*

4 Not; quòd reprobatio non est propriè, & formaliter præscientia culpæ, & ratio *Fundatiss. Doct.* est; quia reprobatio importat ordinationē reproborum ad pænam per ablationem gratiæ efficacis, & permissionem culpę, & propositum efficax conferendi pænam; præscientia verò hos duos actus non importat; tum quia præscientia culpæ originalis est communis reprobis, & prædestinatis, cùm nedum prædestinatio, sed etiam reprobatio fiat post præuisum peccatum originale; reprobatio autem non conuenit, nisi solis præscitis; ac propterea nequit esse quid commune reprobis, & prædestinatis, & per consequens addit aliquid formaliter supra præscientiam; tum quia præscientia, licèt sit practica ex coniunctione ad decretum efficax voluntatis, attamen

tamen non habet formaliter velle, & proponere cõferre pęnam, quod importat ipsa reprobatio; ficuti ex eo, quòd voluntas coniungatur intellectui, nunquam tamen voluntas dicitur formaliter intelligere; nam sic confunderẽtur actus diuersarum potẽtiarum; & non esset ratio, cur cõfusis actibus etiam non cõfunderentur potentię.

5 Item reprobatio formaliter non est permissio, qua Deus sinit creaturas ruere in peccatum; vbi aduerte, quòd permissio triplex esse potest. 1. est illa, qua Deus permittit creaturas labi in peccatum originale. 2. est, qua post peccatum originale permittit labi in peccatum, nõ tamen finale, quia lapsus ab ipso peccato resurgit. 3. est, qua permittit perseuerare in peccato vsque in finem. Quòd reprobatio nõ sit permissio secunda, & tertia, patet; quia secunda, & tertia est effectus reprobationis, vt infra dicemus; & ideo non potest in ea formaliter consistere, cùm effectus essentiam causæ completam supponat. Quòd autem nõ sit permissio prima, manifestum est propter rationem allatam; quia permissio, qua Deus permittit ruere in peccatum, cõuenit nedum reprobis, sed etiam prædestinatis; nam tam isti quàm illi in peccatum originale prolapsi sunt; ergo nequit esse formaliter reprobatio, quæ conuenit solis præscitis. An autem illa permissio sit radix, fons, & origo reprobationis *in sequentibus* declarabitur. Restringitur ergo difficultas ad duos actus, quos importat reprobatio, scilicet ad actus non ordinationis ad gloriam, & ordinationis ad pænam; ac ad propositum efficax non ordinandi ad gloriam, & ordinandi ad pænam.

6 Sicuti autem prædestinatio, licèt formaliter sumpta secundùm huius vocabuli proprietatem importet ordinationem mediorum in finem, quę est actus intellectus, aliquando tamen trahitur, vt etiam importet propositum efficax miserendi, quod est actus voluntatis; & hoc materialiter, & completiuè; quotiescunque enim aliqua duo connectũtur in eodem subiecto, tunc vnum aliquando trahitur ad significãdum alterum; atqui ordinatio mediorum in finem, & propositum efficax mediorum simul coniungũtur in eodẽ actu prędestinationis integraliter, & cõpletiuè sũptæ, vt *superiùs* diximus; ideo ordinatio in finem aliquando trahitur ad significandum propositum efficax Diuinæ voluntatis, & per consequens actum Diuinæ voluntatis; quapropter *in Scripturis, & à SS.PP.* prædestinatio vocatur *electio, & propositum miserendi*; quæ pertinẽt ad voluntatem; cùm misericordia sit virtus existens in voluntate. Ita de reprobatione est dicendum; reprobatio nanque secundùm proprietatem vocabuli importat refutationem, & reiectionem, quæ refutatio, & reiectio non potest prouenire, nisi ex quadam displicentia; reijcimus enim, & refutamus id, quod nobis displicet; sicuti acceptamus, & approbamus id, quod nobis placet; sed displicentia est actus formaliter voluntatis; ideo reprobatio secundùm proprietatẽ vocabuli formaliter importat actum voluntatis; quia tamen refutatio, & reiectio semper coniungitur, cum nõ ordinatione ad finem, à quo reijcitur, & cùm ordinatione ad pænam, ad quam destinatur; ideo reprobatio aliquando trahitur ad significandam etiam ipsam ordinationem, quæ est actus intellectus; hoc tamen materialiter, non formaliter.

7 Vnica concl. Reprobatio formaliter sumpta consistit in actu voluntatis.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Ep.* 105; vbi ait Deum reprobare, *non iniquitate, sed veritate vindictæ*; vindicta autem, cùm sit species iustitiæ, quæ est virtus voluntatis, pertinet ad voluntatem. Et *lib. 3. cont. Iul. c.* 18. *Non potest Deus sine malis meritis damnare, quia iustus est*; vbi damnationẽ refert ad iustitiam, tanquam ad propriam virtutem, à qua elicitur.

8 Prob. 2. ratione *Fund. Doct.* Reprobatio formaliter importat reiectionẽ, & refutationẽ creaturæ à gloria, nec nõ propositũ efficax cõferendi pænam, vt dictum est; sed reiectio, & refutatio est actus voluntatis formaliter; postquam enim intellectus repręsentat voluntati aliquod obiectũ, voluntas illud reijcit, & refutat; tum quia reiectio est actus potentiæ formaliter dominæ, quæ propter suum dominium potest eligere, & reijcere; ergo reprobatio secundùm proprietatem vocabuli est actus voluntatis.

9 Prob. 3. *ad hominem*. Oppositorum eadem est ratio, & potentia secundùm *Aduersarios*; sed reprobatio opponitur approbationi, & acceptationi; acceptatio autem, & approbatio est actus voluntatis, vt fatentur *Aduersarij*; ergo & reprobatio.

10 Conf. Reprobatio displicentiam quandam importat; id enim reprobamus, quod nobis displicet; sicuti id approbamus, in quo nobis complacemus; sed displicentia est actus voluntatis formaliter; est nanque circa malum formaliter, & disconueniens, cuius dumtaxat displicentiam habemus; ergo est actus voluntatis formaliter.

11 Obijc. 1. Reprobatio respicit falsum formaliter; sed in falsum tendit tantùm intellectus illi dissentiendo; ergo reprobatio est actus intellectus, non voluntatis. Prob. ma. In tantùm dicimur reprobare aliquam sententiam, in quantùm falsa est; ergo reprobatio respicit falsum formaliter. Prob. mi. Illa potentia tendit in falsum, quę tendit in verum; sicuti eadem est potentia visiua, quæ tẽdit in lucem, & tenebras; sed potentia tẽdẽs in verum formaliter est intellectus; ergo potentia tendens in falsum est intellectus.

Resp. dist. ma. Reprobatio latè sumpta tendit in falsum formaliter, cõc; strictè sumpta, neg. Ad prob. dicitur, quòd in tantùm dicimur reprobare aliquam sententiam, in quantùm illi dissentimus; vnde tunc reprobatio sumitur lato modo prout

ptout idem est, ac dissensus; reprobatio autem stricte sumpta est idem, ac non approbatio, seu refutatio cum displicentia, quæ non est idem, ac dissensus; cùm dissensus sit actus intellectus, & refutatio displicens sit actus voluntatis.

12 Obijc. 2. Reprobatio est refutatio displicens, vt dictum est, sed refutatio displicens est tantùm de malo, quia bonum displicere non potest; ergo reprobatio est tantùm de malo; sed reprobatio Diuina nequit esse de malo, quia est de voluntate permissiua peccati; volūtas autem permissiua peccati non est mala, sed bona, vt superiùs dictū est; ergo reprobatio Diuina nequit esse refutatio displicens; & per consequens nequit esse actus voluntatis; quòd si non est actus voluntatis, erit *à sufficienti* actus intellectus.

Resp. neg. mi. Ad prob. insert. dicitur, quòd reprobatio non est de voluntate permissiua; hæc enim non displicet Deo, quia bona est, & est ipse Deus; aliter Deus reprobaret seipsum; sed est de peccato, quod sequitur ex permissione Diuina propter deordinationem creaturæ.

13 Obijc. 3. *Oppositorum eadem est ratio, & disciplina*; sed prædestinatio, & reprobatio sunt opposita; ergo eadem est ratio vtriusque; atqui prædestinatio est actus intellectus; ergo & reprobatio.

Resp. dist. mi. Prædestinatio, & reprobatio sunt opposita formaliter ratione sui, neg; materialiter ratione alterius; quatenus prædestinatio inuoluit approbationem, quæ opponitur reprobationi, conc. Prædestinatio ergo est disparata ad reprobationem, si sumatur secundùm se, quia prædestinatio dicit ordinationem in vnum finē, & reprobatio est reiectio ab illo fine.

14 Obijc. 4. Ideo prædestinatio est actus intellectus, quia est formaliter ordinatio mediorū in finem supernaturalem, & ordinatio formaliter est actus intellectus; sed etiam reprobatio est ordinatio creaturarum per media ad finem oppositum, qui est ignis æternus; ergo reprobatio essentialiter est actus intellectus, non voluntatis.

Resp. dist. mi. Reprobatio est ordinatio creaturarum in finem oppositum, qui est gehenna, materialiter, conc; formaliter, & secundùm proprietatē vocabuli, neg; nam reprobatio formaliter importat tantùm reiectionem cum displicentia, vt dictum est.

ART. III.

An reprobatio negatiua sit ante præuisionem peccati originalis?

1 Diximus reprobationem negatiuam nihil aliud esse, quàm non electionē ad gloriam; in eo etenim signo, in quo Deus aliquos eligit, cùm non omnes eligat, aliquos non eligit, sed derelinquit; vnde illa non electio, seu derelictio illorum, qui non eliguntur, reprobatio negatiua nuncupatur. Quærimus modò, an peccatum originale sit causa, seu motiuum ex parte nostra, cur Deus nō eligat, quos derelinquit?

2 *Aliqui Thomistæ* censent reprobationem negatiuam, seu exclusionem à gloria, tanquam à beneficio indebito creaturæ, fuisse ante peccatum originale, nullamque habuisse causam ex parte nostra, sed totam, & adæquatam causam illius esse Dei voluntatem, quæ gratis voluit aliquos eligere ad donnm omnino gratuitum, & alios excludere, vt à beneficio indebito; non tamen propter hoc voluit eos reprobare ad pænam. Arbitrantur autem, præcipuè *Io. à S. Tho. hic art. 2. n. 20*; quòd illi, qui censent nostram prædestinationem fieri ante præuisionem meritorum, teneantur etiam substinere reprobationē negatiuam fieri ante prȩuisionem demeritorum.

Sed non videmus, quomodo patētem contradictionem *hi Auctores* possint effugere; cùm enim, vt supra diximus, nobiscum cēseant prȩdestinationem factam fuisse post prȩuisionem peccati originalis, quia facta fuit post decretum Incarnationis, quod fuit post prȩuisionem peccati *Adæ*, & in eodem signo, in quo facta fuit prædestinatio aliquorum, facta fuerit reprobatio aliorum; videtur repugnare, quòd prȩdestinatio supponat peccatum originale; & reprobatio negatiua, quȩ est coeua, & simultanea prȩdestinationi, illud non supponat.

3 Propter hoc *Aliqui*; inter quos *Io. à S. Tho. n. 28*; aiūt, quòd, licèt præcesserit peccatum originale, & potuerit esse motiuum reprobationis, non tamen fuisse causam adæquatam; & de facto Deum non fuisse vsum hoc motiuo. Et sic explicant auctoritates *Beatiss. P. inf.* afferendas. Et quia *in hac 10. disp. art. 1. n. 13.* docet primam permissionem, qua Deus permisit peccatum originale, esse effectum reprobationis, ideo vult reprobationem formaliter sumptam consistere *in prouidentia Diuina circa creaturas defectibiles ab æterna vita cum voluntate permittendi culpā, & præparandi pænam.* Ibi tamen loquitur de reprobatione Angelorum; & *art. 2.* docet reprobationem hominum factam fuisse post permissionem peccati originalis.

4 Addit *Godoy hic disp. 69. §. 6.* sententiam *Beatiss. Patris* communiter *à Theologis* derelinqui propter sui difficultatem; quæ verba, quàm sint *hoc Auctore* indigna, quis non videat? Quæ enim difficultas in defendenda sententia, quæ nititur *tot Scripturarum testimonijs* docentibus Deum solùm *reprobare malum*, quia iustus est; *eligere bonum*, quod donat, quia bonus, & misericors est? *Vid. Epist. 105*; quæ plena est hisce auctoritatibus. Difficultas ergo nulla est in sententia *Sanctiss. Doctoris*, sed tota est penes ipsos, qui assumunt aliqua contradicentia illius doctrinæ, quæ nequeunt substinere salua illius sententia, quam tamen se sequi profitētur. Id autem, quod contradicit huic sententiȩ est; quia asserunt Deū excludere aliquos à gloria, vt à beneficio indebito, quod assertum nullum habet fundamētum in

in Scripturis docentibus Deum neminem excludere, niſi propter peccata; vt patet ex illo *de Virginibus fatuis* excluſis propter fatuitatẽ, quę *in omnium SS.PP.* ſententia peccatum eſt. Igitur difficultas eſt ſolũ penes ipſos, nõ *penes Beat.P;* & *veros illius Diſcipulos*. Quod autem hæc ſententia à *Theologis* communiter non deſeratur, ſed doceatur à pleriſque doctioribus, patebit *ex cit. Auctorum* pro noſtra ſententia.

5 Noſtra igitur ſententia docet peccatum originale fuiſſe antecedẽs motiuũ reprobationis negatiuæ ita, vt ſi nullum fuiſſet peccatum, nullus fuiſſet reprobus excluſus à gloria. *Ita Fund. Doct. in 1. diſt. 40. princ. 2. q. 2;* vbi docet *cum Apoſt; & Beatiſſ. P.* prædeſtinationem, & reprobationem fuiſſe factam ex maſſa damnabili; non eſt autem damnabilis, niſi per peccatum. Idem docet *in Epiſt. ad Rom. c. 9. lect. 31. dub. 3; & 4.* Idem docet *noſter Greg; Argentin; Bernardin. Hiſpaniarum cognomẽto Theologus celeberrimus; & M. Conſon. Italiæ præſtantiſſimus Doctor; Cornejus.* Et *ex Thomiſtis Dur; Caiet, Ferrar; Viguerius, Sot; Gundizaluus apud Bernardin, Gonet, apud quem alij; Zum; Scot. cum ſuis; & ex PP. Soc. Sua. lib. 5. de Reprob. c. 9; Bellarm. lib. 2. de amiſſ. gratiæ c. 12; Arrub; Arriaga, et alij plurimi.*

6 Not. *hic* nos non quærere; an peccatum originale ſit cauſa effectiua reprobationis; patet enim hanc eſſe ſolam voluntatem Dei, quæ effectiuè aliquos reijcit à gloria in gehennam. Quærimus ergo ſolùm de cauſa motiua, vel quaſi motiua; an ſcilicet peccatum originale præſupponatur reprobationi, tanquam cauſa motiua reprobationis negatiuæ?

7 Motiuum autẽ aliud eſt neceſſitans, aliud non neceſſitans. Neceſſitans eſt illud, quod ita mouet voluntatem, vt non poſſit ei diſſentire; non neceſſitans autem eſt illud, quod ita mouet, vt poſſit voluntas liberè diſſentire. *Hic* ſermo eſt de motiuo ſecundo modo accepto.

8 Dupliciter autem poſſumus loqui de reprobatione negatiua, vt docet *Beatiſſ. P. de Dono Perſen. c. 8;* & *ex eo Fundat. Doct. hic diſt. 41. princ. 1. q. 2. art. 1;* & *in Epiſt. ad Rom. c. 9. lect. 31. dub. 3; & 4;* ſcilicèt abſolutè, & comparatiuè. Tunc conſideratur reprobatio negatiua abſolutè, quando quæritur ſolùm, an reprobatio eorum, qui relinquuntur, ſit propter peccatum originale ita, vt ſi non eſſet peccatum originale, illi, qui reprobantur, non reprobarentur. Tunc conſideratur reprobatio comparatiuè, quando præſuppoſito peccato originali, quod eſt motiuum æquale reprobationis omnium; quęritur, cur aliqui non reprobentur, alij verò reprobentur; cùm peccatum originale reperiatur tam in illis, qui reprobantur, quàm in illis, qui non reprobantur. Difficultas procedit in primo ſenſu; nam ratio, ob quam Deus reprobat aliquos infectos peccato originali, & alios non reprobat, non eſt niſi voluntas Diuina; vt *innumeris in locis* docet *Beatiſſ. P;* vt infra videbimus. Quæritur ergo in præſenti; an reprobatio negatiua ita ſupponat peccatum originale, vt, ſi illud non eſſet, Deus neminem reprobaret; an verò poſſet Deus aliquem reprobare nullo præſuppoſito peccato in eo, quem reprobat, & hoc ſine præiudicio ſuæ iuſtitiæ?

9 Vnica concl. Quanuis reprobatio negatiua comparatiuè ſumpta nullam ſupponat cauſã ex parte noſtra, ſed tota cauſa ſit voluntas Diuina miſericorditer liberans, & iuſtè relinquens; attamen reprobatio abſolutè ſumpta ſupponit præuiſionem peccati originalis, tanquam motiuum.

Prob. 1. pars concl. *ex pſ. 17;* vbi habetur: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Vbi illa particula *quoniam* denotat cauſam, cur aliquem ſaluet, & alterum non. Item *ex Beatiſſ. P. de Dono Perſener. c. 8;* vbi referens *Vineæ* parabolam, *Matt. 20.* ait: *Recolamus igitur illos operarios in Vinea, qui tota die laborauerunt; & eos, qui hora vna; nempe cauſa diuerſa eſt impenſi laboris; & tamen idem iudicium in redditione mercedis. Nunquid & hic audierunt murmurantes à Patrefamilias, niſi hoc: Volo? Ita quippe eius erga alios fuit largitas, vt erga alios nulla eſſet iniquitas. Et iſti quidem vtrique in bonis ſunt; veruntamen quantùm ad iuſtitiam ſpectat, & gratiam, poteſt & de Reo, qui liberatur rectè dici: Volo; poteſt & de eo, qui damnatur: Tolle, quod tuum eſt, & vade; huic autem volo, quod non debetur, donare. An non licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Hic ille ſi dicat: Cur non & mihi? Meritò audiet? O' homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo? Quem certè in vno veſtrum benigniſſimum largitorem, in te verò exactorem iuſtiſſimum, in nullo tamen cernis iniuſtum.* Idem habet *Epiſt. 105;* & *in Enchir. c. 98.*

10 Et *c. 9. Ex duobus itaq; paruulis originali peccato pariter obſtrictis cur iſte aſſumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate iam grandibus impijs cur iſte ita vocatur, vt vocantem ſequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem non ſequatur: Inſcrutabilia ſunt iudicia eius. Ex duobus autem pijs cur huic donetur perſeuerantia vſque in finem, illi autem non donetur: Inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* Idem habet *in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 35; 38; & 39;* vbi ait: *Ecce duo paruuli iacent; vnus baptizatus, alter non baptizatus expirat. Cui eorum dicis Deum fuiſſe clementem? Si vni? Doce alterius meritum malum, qui negas originale peccatum. Si ambobus? Oſtende in baptizato bonum meritum, qui negas gratiam.*

Ex quibus ſic arguitur. Quotieſcunque plura æqualiter ſe habent in ordine ad aliquem finem, tunc quòd vnum illorũ eligatur, & aliud non eligatur ad eum finem, nulla datur cauſa ex parte electi, & non electi, ſed tota cauſa eſt vo-

voluntas eligentis, quæ ita eligit iſtud, & non eligit illud, vt potuerit illud, non iſtud, vel nullum eligere; ſed omnes homines in illo ſigno electionis ad gloriam æqualiter ſe habuerunt; quia in omnibus erat peccatum originale, & meritum malum; & in nullo illorum præſupponebatur meritum bonum; quia electio facta fuit ante præuiſionem meritorum; ergo cauſa, cur iſti homines electi fuerint comparatiuè ad alios, eſt ſola voluntas Dei, non autem ex parte noſtra.

11 Conf. *ex Fund. Doct. in Epiſt. ad Rom. vbi ſup.* Artifex ideo æqualiter reprobat virgas æqualiter tortuoſas, ne ex illis fiant ſagittæ; quia tortuoſitas auertit ſagittam à fine; ſi autem poſſet Artifex, & vellet tollere tortuoſitatem ab aliquibus virgis, & ab alijs non tollere, nulla eſſet ratio, cur eam tolleret ab iſtis potiùs, quàm ab illis; ſed omnes homines ſunt myſticæ virgæ iuxta illud *pſ.* 73. *Redemiſti virgam hæreditatis tuæ*; & iſtæ virgæ in eo ſigno, in quo facta fuit prædeſtinatio, erant omnes æqualiter tortuoſæ propter peccatum originale, quod auerterat omnes à Deo, qui eſt vltimus finis; nam *antequàm, quidquam boni, vel mali egiſſent &c.* ergo ex eo, quòd Deus tollat per ſuam gratiam tortuoſitatem peccati ab iſtis eligendo eos in virgas hæreditatis æternæ directas efficaciter in finem ſupernaturalem, & eos relinquat cum ſua tortuoſitate, nulla cauſa eſt aſſignabilis ex parte noſtra, ſed ſolùm ex parte voluntatis Dei.

12 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. Epiſt.* 105. *ad Sixt*; vbi ait: *Sed ſi ſunt vaſa iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionem, quæ illis debita redditur, ſibi hoc imputent, quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter vnius peccatum, in quo omnes peccauerunt, meritò Deus, iuſtèque damnauit.* Igitur ſi Deus damnauit propter ſolum peccatum *Adæ*, ſequitur, quòd cauſa reprobationis negatiuæ ſit peccatum originale. Et inferiùs: *Quia vniuerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit iuſtitia, honorem donat indebitum gratia.* Et deinde: *Quærimus cauſam prædeſtinationis, & inuenire non poſſumus; quærimus cauſam derelictionis, & inuenimus*; idèſt peccatum originale; ſed derelictio idem eſt, ac reprobatio negatiua; ergo reprobatio negatiua ſupponit peccatum originale, tanquam motiuum ad negatiuè reprobandum. Idē docet *de Dono Perſeu. c.* 8; vbi ait: *Tam multos liberat miſericors Deus, tam debita perditione; vt ſi inde neminem liberaret, non eſſet iniuſtus.* Et *in Enchir. c.* 98. loquens *de Iacob, & Eſau* ait: *Ambo itaque gemini natura filij iræ naſcebantur, nullis quidem operibus proprijs, ſed originaliter ex Adam vinculo damnationis obſtricti.* Et *lib.* 3. *cont. Iul. c.* 8. *Bonus eſt Deus, iuſtus eſt Deus. Poteſt ſine bonis meritis liberare, quia bonus eſt; non poteſt ſine malis meritis damnare, quia iuſtus eſt.* Et idem habet *in Suppl. conſ. Iul. lib.* 2. *c.* 119.

13 Ex his ſic arguitur. Reprobatio negatiua eſt actus iuſtitiæ punitiuæ; ſed iuſtitia punitiua eſſentialiter ſupponit culpam punibilem; & pro eo ſigno, quo facta eſt reprobatio, nulla erat culpa præuiſa præter peccatum originale; ergo reprobatio negatiua ſupponit peccatum originale. Prob. ma. Reprobatio negatiua formaliter infligit pęnā damni, quia excludit à viſione beata, in qua excluſione conſiſtit pęna damni; ſed inflictio pęnæ, quæcunque illa ſit, eſt actus iuſtitiæ punitiuæ; ergo reprobatio negatiua eſt actus iuſtitiæ punitiuæ. Tum quia reprobatio negatiua non eſt actus miſericordiæ, vt patet; neque eſt actus iuſtitiæ diſtributiuæ; quia hæc diſtribuit tantùm dona, vel ex debito retributionis, vel ex dono gratuito; ergo eſt actus iuſtitię punitiuæ; quia præter has ſpecies iuſtitiæ nulla alia reperitur in Deo; vt diximus *de Iuſt. Dei.* Quòd ſi non eſſet actus iuſtitiæ, Deus non diceretur iuſtè reprobare, vt docet *Beatiſſ. P. Mi.* patet; pęna enim eſſentialiter ſuppouit culpam, vt docent communiter *Legiſtæ*; & in hoc diſtinguitur iuſtus iudex à Tyrāno iniuſto; quòd ille ſupponit delicta, quæ punit; iſte verò torquet innocētiam nulla culpa maculatam.

14 Conf. Electio ad gloriam ſupponit peccatum originale, vt diximus *q.* 3. *art.* 5; ſed reprobatio negatiua facta fuit in eodem ſigno rationis, in quo facta fuit electio; ex eo enim, quòd elegit aliquos, non omnes, reprobauit eos, quos non elegit; ergo reprobatio negatiua ſupponit peccatum originale.

15 Prob. 2. Reprobatio negatiua eſt actus Diuinæ voluntatis explicatus per modum odij; dicitur enim: *Eſau autem odio habui*; ſed actus odij formaliter eſt circa malum culpæ; nam dicitur: *Odio eſt Deo impius, & impietas eius*; & *Beatiſſ. P. lib.* 1. *ad Simp. q.* 2; ait: *Deum odio habere non Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem.* Tum quia odium eſt actus per modum fugæ; ſicut amor eſt actus per modum proſecutionis; fuga autem eſſentialiter eſt circa malum; ſicut proſecutio eſt circa bonum; ergo reprobatio eſſentialiter ſupponit peccatum originale; nulla enim alia culpa aſſignari poteſt pro illo ſigno; in quo conſiderantur homines: *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſet*; vt dicitur *de Eſau, & Iacob.*

16 Prob. 3. Deus ante præuiſionem peccati originalis ordinauit omnes homines per voluntatem antecedentem ad finem ſupernaturalem; ergo antecedenter ad præuiſionem peccati non potuit aliquos excludere à gloria, tanquam à beneficio indebito; quia ex vi illius ordinationis generalis gloria debetur omnibus generaliter; ſicut ex vi ordinationis ſpecialis gloria debetur aliquibus ſpecialiter; & ideo ſi Deus ante præuiſionem demeriti originalis excluſiſſet aliquos à gloria, iam excluſiſſet à beneficio debito ex vi ordinationis generalis, non autem indebito.

17 Conf. Si omnes homines per auxilia ſufficientia conceſſa per voluntatem antecedētem perſeueraſſent in iuſtitia originali, non niſi iniuſtè potuiſſet Deus illos excludere à fine ſupernaturali, ad quem ordinati ſunt per voluntatem antecedētem; ergo finis ſupernaturalis ex vi voluntatis antecedētis eſt generaliter debitus omnibus hominibus; aliter ſi non eſſet debitus, citra iniuſtitiam poſſet Deus illum negare, etiam ſuppoſita voluntate generali illum concedendi.

18 Prob. 4. *ex Conc. Valent. c. 3.* vbi habetur: *In electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei pracedere meritum bonum; in damnatione verò perituroum meritum malum pracedere iuſtum iudiciū Dei.* Quod habetur etiam *in Conc. Araux. II. contra Prædeſtinatianos*; aſſerentes Deum prædeſtinare æquè ad bonum, & ad malum; & *in Trid. Seſſ. 6. Can. 6. contra Caluin.* parem facientem electionem, & reprobationem, & aſſerentē vtranque ſine vlla cauſa ex parte noſtra procedere ex mero beneplacito Dei ad manifeſtandā ſuam iuſtitiam, & miſericordiam.

19 Nec poteſt dici, quòd *hæc Concilia* loquantur de reprobatione poſitiua; nam loquuntur de reprobatione, quæ fuit facta in eodem ſigno, in quo fuit facta electio aliquorum, quæ reprobatio nequit eſſe niſi negatiua.

20 Tandem. Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur; vt docet *Beatiſſ. P.* & habetur *in Conc. Trid. & alijs Concilijs*; ſed ante præuiſionem peccati originalis creatura non intelligitur deſerere Deum, quia creatura non deſerit Deum, niſi per peccatum; ergo Deus ante præuiſionem peccati originalis nullam deſerit creaturam; & ideo nullam reprobat negatiuè, quia reprobare negatiuè idem eſt, ac deſerere.

21 Inſtant 1. *Aduerſarij* auctoritates *Beatiſſ. P.* intelligi de reprobatione poſitiua, quę eſt damnatiua ad penam, non autē de reprobatione negatiua, quæ eſt excluſiua à gloria, vt à beneficio indebito. 2. *Beatiſſ. Patrem* loqui de reprobis, qui decedunt ſine baptiſmo ante vſum rationis; non autem de omnibus generaliter etiam adultis. 3. Loqui *de Eſau* peccatore indefinitè, non autem determinatè pro peccato originali, vel perſonali; vnde poteſt intelligi, quòd Deus odit *Eſau* peccatorē peccato conſequenti; non quòd ante intentionem reprobandi *Eſau* eſſet peccator; vel ſi erat peccator Deus non vſus fuit illo peccato ad ipſum reprobandum. 4. Culpam originalem fuiſſe quidem præuiſam à Deo ante reprobationem, vt cauſam, & motiuum ſufficiens ad excludendum à gloria; Deum tamen non fuiſſe vſum hoc motiuo.

Reſp. has inſtantias friuolas eſſe. Ad 1. dicitur *Beatiſſ. Patrem* loqui *de Eſau, & Iacob, antequam quidquam boni, vel mali egiſſent*; ergo non loquitur de reprobatione poſitiua, quæ eſt poſt præuiſionem peccatorum perſonalium; vt fatentur etiam *ipſi Aduerſarij*. Ad 2. dicitur loqui *de Eſau*, qui vixit ad multum tempus poſt vſum rationis, vt patet *ex Scripturis*. Ad 3; dicitur ipſum expreſsè loqui de peccato originali præſuppoſito; ait enim *cum Apoſt*; quòd ex eadē maſſa damnabili Deus alios elegit in vaſa honoris, & alios in vaſa contumeliæ; non eſt autem maſſa damnabilis, niſi per peccatum; ergo ſi reprobatio ſupponit maſſam damnabilē, iam ſupponit peccatum originale. Ad aliud, & ad vltimum dicitur, quòd *Beatiſſ. Pater* docet iuſtè aliquos fuiſſe derelictos in pænam ſuæ damnabilitatis, quam incurrerunt propter peccatū originale; ſed iuſtitia damnatiua ad pænā ſupponit culpam, tāquam motiuū illius; ergo Deus in reprobatione vſus eſt culpa originali, tanquam motiuo. Tum quia gratis dicitur, & ſine fundamento Deum non fuiſſe vſum hoc motiuo, cùm oppoſitum potiùs nobis conſtet *ex Scripturis*.

22 Obijc. 1. *Godoy* Deus eſt ſupremus Dominus gratiæ, & gloriæ; ergo poteſt excludere à gloria ante præuiſionem peccati originalis citra iniuſtitiam; nam in tantùm poteſt denegare gratiam alicui, in quantùm gratia nulli eſt naturaliter debita; eſt enim beneficium indebitum; ſed etiam gloria eſt beneficium indebitum creaturæ, & Deus eſt Dominus gloriæ; ergo illā poteſt negare ante prǽuiſionem peccati originalis.

Reſp. neg. conſ; & ad prob. infert. dicitur, quòd gratia eſt beneficium indebitum abſolutè, quia abſolutè nulli debetur creaturæ; eſt tamen debitū ex ſuppoſitone voluntatis Diuinę ordinātis creaturam ad gloriam; vnde ſuppoſita ordinatione creaturæ ad gloriam gratia debetur creaturæ; quia illud debetur rei, quod eſt neceſſarium ad conſecutionem alicuius finis, ad quē ordinata eſt; ſed gratia eſt neceſſaria ſimpliciter ad conſecutionem gloriæ; ergo ſuppoſito, quòd creatura fuerit ordinata ad gloriam, ei debetur gratia; ſic etiam gloria nulli creaturæ debetur abſolutè, ſuppoſito tamen, quòd Deus per volūtatem antecedentem ordinauerit creaturas ad gloriam, gloria ex vi talis ordinationis debetur creaturæ, quæ non poteſt ammittere ius, quod aquiſiuit ex vi talis ordinationis, niſi per peccatum, per quod demeretur, & gratiam, & gloriā. Sicut executio gloriæ nulli debetur creaturæ, eſt enim donum merè gratuitum, & beneficium indebitum non minùs, ac gratia, & electio; & tamē ſuppoſita ordinatione efficaci ad gloriā, & ſuppoſitis meritis inſpiratis à Deo executio glorię debetur creaturę ſecūdū debitū, iuxta illud *Apoſt. Quā reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex*, vt diximus *de Iuſt. Dei art. 2. n. 10*; ita à pari.

23 Inſt. Ex eo, quòd Deus velit omnium ſalutem, non ſequitur, quòd non ſit potens negare gloriam, cui voluerit; quia voluntas antecedens non eſt efficax, & ad ſummum gloria debetur naturæ vagè ſumptæ; ergò ex vi ordinationis factę per voluntatem antecedentem non colligitur, quòd gloria, & gratia ſit debita.

Reſp.

Reſp. neg. ant; & ad prob. inſert. dicitur, quòd voluntas antecedēs eſt efficax in ordine ad ordinationem naturæ in vniuerſali; non autem in ordine ad ordinationem indiuiduorum ipſius naturæ in particulari. Quamuis autem indiuidua non ſint efficaciter ordinata, ſicut ordinata eſt natura; attamen ſunt ſufficienter ordinata, quia ex vi ordinationis naturæ omnia indiuidua habent auxilia ſufficientia, quibus ſufficienter ordinantur ad gloriam; ergo ex vi talis ordinationis generalis debetur indiuiduis gloria, niſi propter aliquod eorum demeritum illa priuentur; nam per voluntatem antecedētem decreuit Deus omnes homines ſaluandos eſſe, & verè ordinauit omnes homines ad gloriam, in ordine ad quam tribuit illis auxilia ſufficientia, quibus ſi omnes bene vſi eſſent, iniuſtè negaſſet eis gloriam; quia gloria tunc eſſet merces debita bono vſui illorum auxiliorum ſufficientium; ſicut de facto executio gloriæ eſt merces debita bono vſui auxiliorum efficacium, & ſicuti Deus, ſi negaret modò gloriam iuſtis, eſſet iniuſtus; vt diximus *ex Beatiſſ. P. de Iuſt. Dei art. 2. n. 11.* ita à pari. Per voluntatem ergo antecedētem natura in communi ſumpta, eſt efficaciter ordinata; indiuidua verò ſunt ordinata in ſpeciali per auxilia ſufficiētia ſufficiēter non efficaciter; ordinantur autem efficaciter per voluntatem conſequētem, quam inuoluit prædeſtinatio, vt ſupra diximus; ergo ſicuti Deus reddit gloriam bono vſui auxiliorum efficacium, quia *eſt iuſtus Iudex*; ita redderet gloriam bono vſui auxiliorum ſufficiētium; quia *eſt iuſtus Iudex* retribuēs omni merito creaturæ, & negans retributionem ſoli demerito.

24 Obijc. 2. *idem.* Si gloria ex vi ordinationis generalis deberetur hominibus, vel deberetur de condiguo, vel de congruo? Non primum; quia nullum debitum de condigno poteſt intercedere inter Deum, & creaturas. Non ſecundum; quia quòd Deus neget gratiam efficacem alicui, nulla eſt incongruentia; ergo nec quòd Deus ei neget gloriam. Tum quia licèt congruum ſit aliquē hominem vagè ſaluari, non tamen congruum eſt talem hominem in particulari ſaluari.

Reſp. quòd licèt gloria nulli creaturæ debeatur de condigno, attamen debetur ſuppoſito pacto inter Deum, & creaturam, quod pactū expreſsè habetur *Matt. 24. Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit, dabo vobis*; & quòd ſuppoſito tali pacto merces debeatur de condigno meritis creaturæ, quamuis ipſa merita ſint dona Dei, habetur 1. *Tim. 5. Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Et quòd ſit debita de congruo, conſtat ex eo, quòd iuſtitiæ congruit reddere mercedem meritis; ſicut ei incongruit illam negare; ergo ſuppoſito pacto inter Deum, & creaturam ex vi ordinationis creaturæ in vitam æternam, etiam per auxilia ſufficientia generalia gloria debetur creaturæ ratione illorum auxiliorum ſufficientium ſupernaturalium, ſi benè creatura illis vſa fuiſſet; vnde ſi *Adam* tentatus non fuiſſet, & ideo manſiſſet in illis auxilijs ſufficientibus acceptis à Deo, non niſi iniuſtè ei negata fuiſſet gloria, ſeu electio efficax ad gloriam; modò autem quibus negatur, pęna peccati eſt; vt docet *Beatiſſ. P. de Cor; & Grat. c. 11.*

25 Obijc. 3. *idem.* Permiſſio peccati perſonalis nunquam remittendi ſupponit efficacem voluntatem excludendi à gloria, quia illa permiſſio eſt effectus reprobationis; ſed Deus ante præuiſionem peccati permiſit aliquod peccatum nunquam remittendum, vt in paruulis; ergo Deus poteſt excludere à gloria ante præuiſionem peccati. Tum quia collatio gratiæ ſupponit intentionem gloriæ; ergo permiſſio peccati, quæ importat negationem gratiæ, ſupponit excluſionem à gloria.

Reſp. diſt. ma. Prima permiſſio primi peccati ſupponit excluſionem à gloria, neg; ſecunda permiſſio, quæ eſt poſt præuiſionem primi peccati, conc; & hæc ſolùm ſecunda permiſſio eſt effectus reprobationis. Ad 2. diſt. ant. Collatio gratiæ ex meritis Chriſti Domini ſupponit intentionem gloriæ, conc; collatio gratiæ originalis, quæ non fuit ex meritis Chriſti Domini ſupponit intentionem gloriæ, neg. Et ita negatio gratiæ poſt peccatum originale ſupponit excluſionē à gloria, non autem negatio gratiæ ante peccatum originale. Sicut ergo *Aduerſarij* concedunt gratiam originalem datam *Adæ*, nō eſſe effectum prædeſtinationis, quia prædeſtinatio facta fuit poſt præuiſionem peccati originalis; ita tenentur concedere negationem gratiæ actualis perſeuerantiæ in ſtatu originalis iuſtitiæ non fuiſſe poſt excluſionem à gloria; eadem enim eſt ratio vtriuſque; in quo ſibi contradicere videntur.

26 Obijc. 4. *idem.* Finis permiſſionis peccati, quæ eſt primus effectus reprobationis, eſt oſtenſio iuſtitiæ punitiuæ; atqui ad iſtum finem non concurrit permiſſio peccati immediatè, nec mediante excluſione à gloria, vt eſt negatio beneficij indebiti, ſed vt habet rationem pænæ; ergo reprobatio, prout eſt excluſio à gloria, tanquam à beneficio indebito, eſt ante præuiſionē peccati. Tum quia volūtas excluſiua à gloria eſt efficax; ſed volūtas efficax terminatur ad rē, prout eſt exequenda in tēpore cū omnibus circumſtantijs; ergo voluntas excluſiua à gloria terminatur ad reprobum, etiam vt puniendum, quia in tempore eſt puniendus. Tum quia voluntas eligens ad gloriam non ſolùm reſpicit gloriam, vt beneficium indebitum, ſed etiam, vt præmium, & coronā ante omnia merita; ergo voluntas excludēs à gloria nedū terminatur ad reprobationē, vt eſt excluſio à gloria; ſed etiam, vt eſt pæna.

Reſp; quòd ipſa excluſio à gloria, vt excluſio eſt, formaliter eſt pęna; eſt enim pæna damni, quæ

quæ est maxima pæna, & maior omni pæna sensus; vt asserunt communiter *SS.PP*; quæ pæna nō incurritur, nisi propter culpam. Vnde sic retorq. arg. Finis permissionis peccati, quæ est primus effectus reprobationis, est ostensio iustitiæ punitiuæ; sed iustitia punitiua necessariò supponit culpam; vnde qui torquet innocentem, est iniustus Tyrannus; ergo finis permissionis peccati, quæ est primus effectus reprobationis, supponit culpam originalem. Ad 2. dicitur, quòd voluntas exclusiua à gloria efficaciter supponit culpam, vt dictum est. Ad 3. neg. cons; & disparitas est, quia voluntas eligens ad gloriam est mera gratia, & ideo nullum meritum supponit, quod tolleret rationem gratiæ; at verò voluntas exclusiua à gloria est actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ necessariò supponit culpam.

27 Obijc. 5. *Fund. Doct. dist.* 41. *princ.* 1. *art.* 1. ait: *Non est alia ratio, quare hos damnat, & non illos, nisi voluntas eius*; ergo ex parte nostra nulla est assignabilis causa reprobationis negatiuæ.

Resp. *B. Doct.* loqui de reprobatione comparatiuè, scilicet comparando reprobatos ad electos, vt *sup.* diximus, non autem absolutè; & hoc modo loquitur etiam *D. Tho.*

28 Obijc. 6. Angeli non fuerunt reprobati negatiuè propter peccatum originis; ergo neq; homines. Prob. ant. Quando Deus elegit Angelos bonos ad gloriam, in illis, quos reliquit, non supposuit peccatum, quia peccatum subsecutum est ad illam derelictionem; ergo Angeli mali non fuerunt reprobati propter peccatum. Prob. cons; nam eodem modo loqui debemus de reprobatione Angelorum; & hominum.

Resp. dist. ant. Angeli mali non fuerunt reprobati negatiuè propter peccatum præuisum, neq; propter peccatum commissum, conc; postquam enim Deus creauit omnes Angelos, vidit aliquos eorum conuertēdos esse ad contēplandam propriam celsitudinem, & alios permansuros esse in contemplatione Dei; & ideo vidit illos lapsuros in peccatum, quia contemplatio propriæ celsitudinis erat motiuum, & fomētum superbiæ; quapropter statuit illis denegare maiorem gratiam, & eos relinquere; istos verò eligere ad gloriam, & per consequens magis adiuuare.

29 Obijc. 7. Prima permissio peccati est effectus reprobationis, sed prima permissio peccati antecedit peccatum originale, quod est primum peccatum, circa quod datur prima permissio; ergo reprobatio negatiua antecedit peccatum originale. Prob. ma. Prima permissio peccati nequit esse effectus prouidentiæ generalis; quia prouidentia generalis respicit tantùm effectus communes reprobis, & prædestinatis, permissio autem peccati originalis in reprobis est permissio peccati irremissibilis, quia in paruulis decedentibus sine baptismo peccatum originale est irremisibile, & permissio peccati irremissibilis non conuenit prædestinatis, in quibus omne peccatum remittitur; ergo prima permissio est effectus reprobationis.

Resp. neg. ma. Ad prob. neg; quòd prima permissio non sit effectus prouidentiæ generalis, & quòd non sit communis reprobis, & prædestinatis; nam tam reprobi, quàm prædestinati permissi sunt peccare, cùm de facto omnes homines *in Adam* peccauerint. Ad id, quod additur, quòd permissio peccati in reprobis est peccati irremissibilis dicitur, quòd in eo signo nullum peccatū est irremissibile, sed sit tantùm irremissibile post reprobationem, quæ denegat gratiam in vltimo instanti vitæ. Tum quia peccatum originale in reprobis baptizatis remittitur; ergo illa prima permissio in reprobis non est permissio peccati originalis irremissibilis; permissio autē peccati personalis irremissibilis, vel derelictio in peccato originali, vsque ad vltimum instans vitę, non est prima, sed secunda permissio, quatenus Deus permittit permanere in illo peccato, quod permisit in omnibus. Permissio autem secunda est effectus reprobationis, vt infra videbimus.

30 Obijc. 8. Licèt peccatum originale in paruulis decedentibus sine baptismo sit causa reprobationis, attamen in reprobis baptizatis non est causa reprobationis; ergo conclusio non est vniuersaliter vera. Prob. ant. Velle excludere aliquem efficaciter à gloria propter peccatum originale; & velle illud remittere sunt duæ voluntates incompossibiles; ergo in reprobis baptizatis peccatum originale non est causa reprobationis.

Conf. Si peccatum originale in reprobis baptizatis esset causa reprobationis, sequeretur, quòd ablato peccato per baptismum, tolleretur reprobatio; nam *remota causa remouetur effectus*; sed sequela est falsa; quia reprobatio est infallibilis; ergo peccatum originale non est causa reprobationis. Prob. ma. Si non tolleretur causa reprobationis, remaneret aliquid damnationis in reprobis baptizatis, quod est *cont. Trid. Sess.* 5. *Can.* 5; vbi ait: *Nihil damnationis remanet in his, qui per baptismum renouantur.*

Resp. ad arg. neg. ant. Ad prob. neg. ant; illæ enim duæ voluntates sunt pro diuersis signis rationis, quia vna est in ordine intentionis; alia verò in ordine executionis; nam quando relinquit propter peccatum originale, tunc non decernit illud remittere; sed solùm decernit, quando ordinat executionem reprobationis illius adulti, cuius vult remittere peccatum originale.

Ad conf. neg. ma; peccatum enim originale tantùm tollitur in executione; & ideo peccatum originale remissum non est causa executionis reprobationis; vt dicemus *art.* 5; at verò in intentione præcedit præuisio illius, & ideo est causa reprobationis negatiuæ; quę est solùm in or-

or-

ordine intentionis. Et hoc probat nostram sententiam; nam sicuti peccatum originale ablatum per baptismum non est causa executionis reprobationis; & non remissum in paruulis est causa executionis reprobationis; ita si præuisio peccati non antecederet reprobationem negatiuam in intentione, non esset causa in intentione reprobationis negatiuæ; & ideo nulla esset reprobatio negatiua. Igitur cùm peccatum originale non tollatur ordine intentionis, quia tollitur tantùm per baptismum, qui, vtpote medium, datur solùm quoad executionem, ideo non tollitur reprobatio negatiua, quæ est solùm in ordine intentionis. Nihil ergo in baptizatis remanet damnationis, quia tollitur omne peccatum siue originale, siue personale, quod via executionis est causa damnationis positiuæ; non tamen ex hoc probatur peccatum originale ordine intentionis non esse causam reprobationis negatiuę. *Conc.* autem statuit peccata non tegi; vt dicebant *Hæretici sæculi elapsi*; sed omnino deleri, quod confitemur. *Sed de hoc inf. art. 5.*

31 Inst. Executio in tempore fit eodē modo, ac fuit ab æterno intenta; ergo si peccatum originale remissum non est causa reprobationis executiuè, neq; erit causa intentiuè.

Resp. dist. ant. Executio in tempore fit eodem modo, idèst eodem ordine, neg; patet enim, quòd Deus ab æterno intendit dare gloriam sine meritis, & tamen illam in tempore non dat adultis sine meritis; & ratio est, quia *quod est primum in intentione, est vltimum in executione*; & ideo intentio, & executio seruant ordinem oppositum. Executio in tempore fit eodem modo, idèst, per illa media, quibus fuit decreta ab æterno, conc.

32 Colligitur ex dictis sententiam *recentiorum Thomistarum* asserentium exclusionem à gloria, tanquam à beneficio indebito, exaltare Dei dominium in creaturas; sed deprimere Dei iustitiam, & misericordiam; quæ tamen maximè manifestant Dominij omnipotentiam; ideo ab illa est abstinendum, sicut abstinet *Beatiss. P.*; quod magis patebit *in seq. art.*

ART. IV.

An reprobatio negatiua sit ante præuisionem peccatorum actualium?

1 Decisio huius difficultatis maximè pēdet ex dictis *in sup. art. 3. & q. 3. ar. 1. & 2*; viso enim, quòd Deus derelinquat solùm post peccatum originale, sicut eligit post ipsum peccatum. Et ex alia parte statuto, quòd eligat ad gloriam ante præuisionem operum; cùm reprobatio negatiua, quæ nihil aliud est, quàm derelictio eorum, qui non eliguntur, fit simul pro eodem signo rationis cum ipsa electione ad gloriam, manifestè sequitur reprobationem negatiuam antecedere præuisionē peccatorum actualium; sicuti electio ad gloriam antecedit præuisionem operum bonorum.

2 Supponimus autem, quòd per peccatum actuale, seu per demeritum personale intelligitur illud peccatum, quod patratur ab ipsa persona in se ipsa; & dicitur actuale, prout contradistinguitur à peccato originali; quod non committitur ab ipsa persona in se ipsa, sed in alio; omnes enim homines contraxerunt peccatum originale, illudque commiserunt non in se ipsis, sed in voluntate *Adæ*, in quo omnes descendentium filiorum voluntates adunabantur.

3 Hæresis fuit *Caluini, eiusque discipulorum*, qui dixerunt Deum ante præuisionem peccati siue originalis, siue actualis decreuisse excludere aliquos à gloria efficaciter, & illos impellere, necessitare, & cogere ad committenda peccata, ac propterea illos damnasse ad pœnam æternam. Hæc sententia multa includit, & non fuit damnata quo ad omnia; asserit enim primò, quòd ante præuisionem peccati originalis, & actualis Deus decreuit aliquos excludere à gloria, & hoc dictum non est damnatum, vt patet *ex Concil. Trid. sess. 6. can. 12*; vbi damnatur tātùm *Caluinus* eo, quia dixit Deum cogere ad malum, & impellere homines ad peccata. 2. ait Deum necessitare homines ad peccata, & hoc fuit damnatum. 3. addit Deum ante præuisionē peccatorum actualium damnare ad ignē. Sed de hoc *in seq. art.* differemus.

4 Prima sententia vult reprobationem negatiuam fuisse factam post præuisionem peccati originalis, & personalis. *Ita Catharin*; qui oppositam sententiam impiam appellat; quam priùs *Faustus Rhegien*; vt notat *Gonet, gentilitiæ superstitionis impietatem vocauerat.* Hanc sententiam sequuntur *illi*, qui docent electionem ad gloriam factam fuisse post prȩuisa merita; & eùm sententia de electione post prȩuisa merita sit contra *Beatiss. P.*; vt diximus *q. 3. art. 2*; apertè sequitur etiam hanc sententiam, quæ illi innititur esse deformem illius doctrinæ.

Secunda sententia docet, quòd licèt reprobatio positiua sit post præuisa demerita personalia, vt videbimus *in seq. art.*; attamen reprobatio negatiua est solùm post præuisionem peccati originalis, non post præuisionē peccatorum personalium. *Ita Fundatiss. Doct. hic dist. 41. q. 2. art. 1*; vbi docet *ex Beatiss. P. & Apost.* Deum ex massa damnabili per peccatum originale solùm aliquos elegisse, & alios deseruisse. Hanc sententiam docet *nostra Schola, & Thomistica*, & omnes illi, quos retulimus *q. 3. art. 2.*

5 Notanda est differētia *inter nos, & Thomistas* in hac substinenda sententia; illi enim volunt Deum posse excludere à gloria, tanquam à beneficio indebito, etiam carētem peccato originali; vt diximus *in sup. art*; nos autem *cum Beatiss. P.* fatemur gloriam esse beneficium indebitum soli peccatori, seu habenti peccatum; habenti enim gratiam, quæ est meritum bo-

bonum, cui debetur merces, quæ eſt gloria, debetur gloria *iuxta Apoſt.Rom.*4. docentem: *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Vnde ſolùm per peccatum gloria fit indebita creaturæ; habenti autem gratiam, quę vertitur in meritum creaturæ ex cooperatione liberi arbitrij, gloria eſt debita; quanuis hoc debitum etiam ex gratia ſit, quia ipſa merita gratia Dei ſunt; vt docet *Beatiſſ.P.de Grat.& lib.arb. c.*8. Igitur ſoli habenti peccatum, quod eſt demeritum, eſt indebita gloria, & debita pœna, hinc ait *Beatiſſ.P. Epiſt.*105. *Quia vniuerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit iuſtitia, honorem donat indebitum gratia. Hoc not.*

6 Vnica concl. Reprobatio negatiua eſt ante præuiſionem peccatorum actualium perſonalium. Prob. ex illo *Rom.* 9. *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni, vel mali feciſſent, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quam Auctoritatem licèt *Aduerſarij* explicent de electione, & priuatione hereditatis tēporalis, non autem de electione, & reprobatione à gloria, & hæreditate æterna; attamen non ſunt audiendi, quia *Apoſtolus teſte Beatiſſ.P.* expreſsè loquitur de electione, & reprobatione ad gloriam; non enim dicitur Deus odiſſe eos, quos ſubdit miſerijs, & infelicitatibus temporalibus, cùm vt plurimùm ſuos Sanctos, & Electos pauperes cruciatibus, & tormentis obnoxios eſſe voluerit, vt eis abundantiorem gloriam concederet; ideòque *Amoris ſigna ſunt flagella; talia Deus dedit Filio ſuo,* vt docet *Beatiſſ.P.*; quanuis enim Deus ſuum Filium omni hæreditate temporali ſpoliatum pauperem eſſe voluerit, nullo modo tamen eum dicitur odiſſe. Igitur, quos priuat bonis temporalibus, vt ditet cæleſtibus, non odiſſe, ſed diligere dicitur; ergo ſi prædicta auctoritas intelligeretur tātùm de ſpoliatione hereditatis temporalis (volunt enim *aliqui Eſau* ſaluatum fuiſſe), iam nō diceretur Deus *Eſau* odiſſe, ſed dilexiſſe. Quare ommiſſa hac *Aduerſariorum* explicatione tanquam omnino vana firmum ſtat *Apoſtolum* loqui de electione ad gloriam, & excluſione negatiua ab eadem, quam docet fuiſſe factam, antequàm quidquid mali, vel boni cognoſceretur in ipſis, & ante opera ipſorum, & per conſequens ante peccatorum actualium præuiſionem. Prob. deinde auctoritatibus *Beatiſſ.P. allatis in ſup.art.*

7 Prob. 2. ratione *Fund.Doct.vbiſ.* Gloria eſt beneficium, & donum indebitum maſſę damnabili per peccatum originale; quod Deus liberè concedit, cui vult; ergo illud liberè poteſt negare abſque iuſtitiæ læſione. Ant. patet ex dictis. Prob.conſ. Libertas cōcedēdi aliquod beneficium conſiſtit in hoc, quòd illud ita concedat, vt poſſit illud de facto negare; & ſicut illud concedit nulla interueniente cauſa ex parte noſtra, quia donum, & gratia eſt, quę omne meritum excludit, imò ſupponit demeritum; ita illud negat nulla interueniente cauſa ex parte noſtra, ſcilicet actuali peccato.

8 Conf. ratione *Beatiſſ.P.* Potuiſſet Deus iuſtè negare omnibus hominibus gloriam, quia peccatum originale fuit ſufficiens motiuum illam negādi, vt patet in paruulis; ergo & ſi Deus aliquos excludat à gloria ante peccatorū actualium præuiſionem, propterea iuſtiſſimus eſt.

9 Prob. 3. Reprobatio negatiua facta fuit ſimul cum prædeſtinatione, quia reprobatio negatiua nihil aliud eſt, quàm derelictio eorum, qui non fuerunt electi; non potuit autem fieri electio ſine derelictione eorum, qui non fuerunt electi; ſed prædeſtinatio facta fuit ante præuiſionem bonorū operū; ergo & reprobatio negatiua ante præuiſionem peccatorum. Ma. patet. Mi. probata eſt ſuperiùs. Conſeq. prob. Si reprobatio negatiua facta fuiſſet poſt præuiſionē peccatorū actualium, maximè poſt præuiſionem peccati finalis, quod eſt cauſa noſtræ damnationis connexa cum ipſa damnatione, ſed poteſt dari caſus, vt in Iuda, quòd peccatum finale præceſſerint multa opera meritoria; & ex alia parte repugnat, quòd Deus cognoſcat opera poſteriora, & non videat anteriora; aliter eius cognitio ordinem non haberet; ergo ſi Deus non præcognouit merita, neque demerita præuidit.

10 Conf. Aliquando peccatum actuale finale alicuius reprobi eſt, ita coniunctum cum merito finali alterius hominis electi; vt patet in illis Tyrannis, qui occidentes aliquem Martyrem ſtatim mortui ſunt; vt nequeat vnum ſine altero cognoſci; ſed quando Deus elegit illum Martyrem non præuidit meritum finale illius; ergo quando dereliquit illum Tyrannum, non præuidit demeritum finale ipſius.

11 Prob. 4. Paruuli decedentes ſine baptiſmo à Deo derelicti ſunt, & reprobati abſque iniuſtitia, & tamen nullum peccatum actuale perſonale habuerunt; quia decedunt cum ſolo originali; ergo etſi Deus adultos derelinquat ſine antecedēti præuiſione peccatorū actualium cum ſolo peccato originali, attamen nullius iniuſtitiæ eſt accuſandus.

12 Prob. tandem. Si Deus pro eo ſigno, quo elegit aliquos ad gloriam, pro quo non præuidebat peccata actualia, nō reprobaſſet negatiuè derelictos, voluntas Diuina manſiſſet ſuſpenſa circa prędeſtinationem, & reprobationem derelictorum; non enim pro eo tunc eſſent electi, nec reprobati; ſed implicat voluntatem Diuinam manere ſuſpenſam; ergo pro illo ſigno, quo non prǽuidebat peccata actualia, negatiuè reprobauit, quos non elegit.

13 Obijc. 1. Quanuis Deus abſolutè poſſit negare aliquibus gloriam; tamen, ſuppoſito quòd illos ad gloriam ordinet, nequit illis gloriam negare, niſi interueniente aliquo deffectu actua-

actuali ex parte ipſorum; ſicut licèt Rex poſſit negare abſolutè magiſtratum decē hominibus, tamen ſuppoſito, quòd illos ordinauerit ad Magiſtratum, iniuſtè negaret aliquibus ex ipſis, niſi inſpecto aliquo demeri to ipſorum; ſed Deus per voluntatem antecedentem ordinauit omnes homines ad gloriam; ergo nequit illam negare, niſi inſpecto aliquo demerito ipſorum.

Reſp. ommiſſa reſponſione *Thomiſtarum recentium* aſſerentium, quòd quia Deus per voluntatem antecedētem ordinauit naturam, non perſonas, ideo poteſt negare perſonis gloriam, non naturæ. Reſp. inquam, cum *Beatiſſ. P. de Cor. & Grat. c. 6.* docente: *An verò prauitas iſta corripienda non eſt in homine; quia non eius propria, qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? Imò verò corripiatur, & in ſingulis, quod eſt omnium. Non enim propterea cuiuſquam non eſt, quòd ab ea nullus immunis eſt. Peccata quidem iſta originalia, ideo dicuntur aliena, quòd ea ſinguli de Parentibus trahunt; ſed non ſine cauſa dicuntur, & noſtra; quia in illo vno omnes, ſicut dicit Apoſtolus, peccauerunt; & in Suppl. cont. Iul.* ait de peccato originali: *Noſtrū eſt, quia paternum eſt.* Igitur diſt. ma. Niſi interueniente aliquo peccato vel perſonali, quod committitur in ſe ipſo per proprium voluntatis arbitrium, vel originali, quod contrahitur per carnis contagionem, conc; tantùm perſonali, neg. *Vid. Beatiſſ. P. in Suppl. lib. 1. c. 57; & lib. 4. c. 97; & 98.*

14 Obijc. 2. Poſt peccatum originale Deus habuit voluntatem generalem ſaluandi omnes; ergo non potuit habere voluntatem reprobandi aliquos, ſeu excludendi à gloria; iſtæ enim duæ voluntates pugnant inter ſe, & nequeunt in eodem ſubiecto vniri. Ant. patet; quia vt ſupra diximus, poſt peccatum originale Deus decreuit Chriſtum venturum; & Chriſtus mortuus eſt pro omnibus etiam reprobis; volebat enim voluntate antecedenti omnes ſaluos fieri, vt dictum eſt *de Vol. Dei q. 4. art. 1.*

Reſp. neg. conſ. & ad prob. inſert. dicitur, quòd voluntas generalis ſaluandi omnes, & particularis reprobandi aliquos non pugnant inter ſe, quia fuerunt in diuerſis ſignis; voluit enim Deus ſalutem omnium per Chriſtum; deinde ex vi oblationis meritorum Chriſti Domini facta efficaciter ſolùm pro aliquibus voluit ſolùm aliquos efficaciter ſaluare.

15 Obijc. 3. Deus non deſerit, niſi priùs deſeratur, vt ſæpius docet *Beatiſſ. P.* ergo non derelinquit aliquos, niſi priùs præuideat ipſos eſſe deſerturos Deum per peccatum actuale; & per conſequens reprobatio negatiua ſuppoſuit præuiſionem peccati actualis.

Reſp. diſt. ant. Deus neminem deſerit, niſi priùs deſeratur vel per peccatum actuale, vel originale, conc; actuale tantùm, neg; cùm ergo Deus deſerit reprobos, ſufficit, quòd ab illis deſertus fuerit per peccatum originale, quo omnes Deum deſeruere.

16 Obijc. 4. Reprobatio pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam; ſed iſta præſupponit culpam propriam, quam punit; ergo reprobatio negatiua præſupponit præuiſionem peccatorum actualium.

Conf. Si aliquis puniret ſuum ſubditum ſine culpa propter peccata parentum, eſſet crudelis, & iniuſtus; ergo ſi Deus reprobaret etiam negatiuè aliquos homines ante præuiſionem peccatorum actualium, crudelitatem, & iniuſtitiam incurreret; ſicuti ſi Rex proſcriberet in exilium aliquem ſuum ſubditum ſine delicto, crudelis eſſet, & iniuſtus Tyrannus.

Ad hæc, & ſimilia argumenta reſpondetur ſufficere peccatum originale ad hoc, vt Deus iniuſtus non ſit; eſt enim delictum ſufficiens ad damnationem etiam poſitiuam, vt patet in paruulis. Hinc videmus propter peccata quædam enormia parētum iuſtè puniri *à Principibus* etiā filios; peccatum autem originale fuit enormiſſimum, quia infecit totam naturam.

Reſp. 2. diſt. mi. Iuſtitia vindicatiua præſupponit culpam, prout punitiua eſt, conc; prout negatiua alicuius beneficij aliàs indebiti, neg.

Ad conf. dicitur, quòd exilium conſideratum, vt pœna, præſupponit culpam, non acceptatio tamen perſonarum in ſuo Regno, quod dici poteſt exilium negatiuum, nullam poteſt præſupponere culpam propriam actualē, quia eſt in libera voluntare Regis aliquos acceptare, vel non acceptare in ſuo Regno.

17 Obijc. 5. Si Deus reprobaret ante præuiſionem peccatorum actualium, ſicuti prædeſtinat ante prҿuiſionem meritorum, ſequeretur, quòd Deus æqualiter prҿdeſtinaret, & reprobaret; & æquali ſtudio vellet ſalutē aliquorum, & aliorum damnationem; ſed hoc dici nequit; ergo neque primum. Prob. ſeq. Deus ex intentione gloriҿ cauſat media ad illam aquirēdam; ergo ex intentione pœnæ cauſaret media ad pœnam conſequendam; ſed media ſunt peccata; ergo cauſaret peccata, quod eſt *Caluiniſticum.*

Reſp. neg. ſeq. Ad prob. neg. 1. conſ; hæc enim eſt differētia inter prҿdeſtinationem, & reprobationem; quòd Deus prædeſtinans poſitiuè cauſat gratiam efficacem, & merita, quæ ſunt media prædeſtinationis; at verò reprobans permittit peccata, quæ ſunt media ad damnationem conſequendam, nullo modo tamen illa poſitiuè cauſat, vt blaſphæmabat *Caluinus.*

18 Obijc. vltimò plura alia inconuenientia, quæ ſequi videtur ex poſitione efficacis prædeſtinationis, & reprobationis ante præuiſa merita, & demerita actualia, vt tolli ſpem reprobis, ſtudium benè operandi, libertatem &c.

Sed iſtæ omnes obiectiones *à Pelagianis* olim *Beatiſſ. P.* obiectæ fuerunt; vt oſtendimus *de Vol. Dei q. 5. art. 2.*

ART. V.

An reprobatio positiua supponat præuisionem peccatorum actualium?

1 Peccatum in reprobis duplex est; aliud finale, aliud non finale. Peccatum finale est illud, quod coniungitur cum morte ipsius reprobi, & quod non deletur. Peccatum non finale est illud, quod non coniungitur cum morte ipsius reprobi, sed deletur per gratiam subsequentem, licèt post illam gratiam denuò reprobus ruat in aliud peccatum. Quæritur modo quodnam ex his peccatis sit causa reprobationis positiuę?

2 Genus autem reproborum, prout spectat ad præsens, triplex est. *Alij* enim sunt reprobi, qui moriuntur cum solo peccato originali, vt sunt pueri decedentes sine baptismo. *Alij* sunt reprobi baptizati, quibus remissum est peccatum originale, & damnantur solùm propter peccatum actuale. *Alij* tandem sunt reprobi non baptizati, qui moriuntur in peccato originali, & in peccato actuali. De his omnibus quæritur in præsenti.

3 Vnica concl. Causa motiua reprobationis positiuæ, seu damnatiuæ vltricis, vindicatiuæ, & inflictiuæ pœnarum, est peccatum finale; in paruulis quidem decedentibus sine baptismo est solum peccatum originale; in adultis verò baptizatis est peccatum actuale, non originale; in infidelibus verò actuale simul, & originale.

4 Hęc conclusio est communis *inter Catholicos contra vnicum Caluinum, & Bucerum* docētes Deum ita condidisse quasdam creaturas ad pœnam, vt sola sua voluntate damnauerit ad ignē, & illas fecerit malas, ac propterea Deum esse causam peccatorum, quæ reprobi committunt, & Deum solum esse causam reprobationis punitiuę. Eam docet *Fundat. Doct. in 1. dist.40. princ.2.q.2.* his verbis: *Tenenda est inconcussa hæc disputationis ratio, quòd peccatores in malis proprijs, antequam essent in Mundo, præscitos esse tantùm, non prædestinatos: pœnam autem eis esse prædestinatam, secundùm quòd præsciti sunt*; quibus docet reprobos, antequam cognoscantur eorum peccata, esse vtique derelictos, non autem prædestinatos ad pœnam, idèst damnatos; esse tamen damnatos ad pœnam, postquam cognoscuntur eorum delicta; & hanc ait esse doctrinam *Beatiss. P. lib. de Præd. SS.* Idem docet *in 2. dist.36. q.2. art. 2*; vbi docet nullam pœnam posse esse sine culpa.

5 Prob. 1. *Beatiss. P. lib. de Nat. & Grat. c. 26. Non prior Deus est vltor, quàm homo sit peccator*. Et *Epist.105. Quærimus meritum indurationis, & inuenimus, meritò namque vniuersa massa damnata est; quærimus autem meritum misericordiæ, & gratiæ, & non inuenimus, ne gratia euacuetur, idèst ne gratis donetur*. Idem docet *lib. 3. contr. Iul. c. 8; & in Ezechiel. c.98; & 99; & alibi.*

6 Prob.2. *Ex Conc. Valent. c.3.* habetur: *In electione saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem peccatorum meritum malum præcedere iustum iudicium.*

7 Nec valet, quòd *Concil.* loquatur de damnatione quantùm ad executionem, quia si loquamur de electione, & damnatione quoad executionem nullum est discrimen; nam executionem electionis, & damnationis merita, & demerita semper præcedunt.

8 Prob. 3. ratione. Reprobatio positiua, vltrix, punitiua, & inflictiua pœnarum pręsupponit culpam, quæ non remittitur, aut absoluitur, sed punitur; sed peccatum finale originale in paruulis, actuale in adultis baptizatis, & vtrunque in infidelibus est culpa, quæ non remittitur, aut absoluitur; ergo reprobatio positiua pręsupponit peccatum originale in paruulis, actuale in adultis baptizatis, & vtrunque in infidelibus. Prob. ma. Pœna essentialiter præsupponit culpam, aliter pœna tyrannicè infligeretur. Mi. autem patet; quia peccatum originale non remittitur, nisi per baptismum; paruuli ergo decedentes sine baptismo moriuntur in peccato originali non remisso; & ita adulti moriuntur in peccato actuali, & infideles in vtroque; ergo in ipsis nō remittuntur talia peccata, sed remanent punienda; atqui id, quod supponitur, est motiuum, & causa illius, quod sequitur; quotiescunque illud, quod sequitur, ita ponitur, vt ratione illius tantùm ponatur; & illud, quod præsupponitur, est ratio, cur tantùm ponatur id, quod sequitur; vt in casu est culpa respectu pœnæ; ergo motiuum, seu causa reprobationis vltricis positiuę est peccatum originale in paruulis decedentibus sine baptismo; sicuti peccatū actuale finale in adultis baptizatis; & vtrunque in infidelibus.

9 Conf. 1. Peccata non finalia remittuntur per gratiam; sed peccatum remissum nequit esse causa pęnæ æternę; quia in remissione peccatorum remittitur culpa, & pœna æterna, & sic peccata non finalia essent remissa, & non remissa; ergo solum peccatum finale est causa reprobationis vltricis; sed peccatum finale in paruulis non baptizatis est originale, in adultis baptizatis est actuale, & in infidelibus adultis est vtrunque; quia nullum ex ipsis remissum est; ergo est causa vltricis reprobationis illorum.

10 Conf.2. In statu vitæ innocentis nulla erat pęna, aut temporalis, aut ęterna; in illa enim fruebantur quadam beatitudine naturali primi Parētes, & Angeli, vt communiter docēt *SS.PP*; sed hoc propter aliud nō erat, nisi quia tūc nulla erat culpa, quę est occasio, & motiuū pęnę; ergo in statu naturę peccatricis ideo datur pęna, quia datur culpa; & culpa est occasio, seu motiuū pęnæ;

næ; ſed reprobatio vltrix eſt inflictiua pœnæ æternę; ergo eius motiuum, & cauſa eſt culpa puniẽda; atqui culpa punienda eſt culpa, quę non remittitur, ſed remanet punienda; ergo peccatum finale, quod non remittitur, eſt cauſa, ſeu motiuum reprobationis vltricis.

11 Prob.3. Reprobatio poſitiua eſt ad certum gradum pœnæ iuxta *Apoc. 13. Quantùm ſe in delicijs glorificauit, tantùm ei tormentum, & luctum date.* Sicut diximus de prædeſtinatione, quę eſt ad certum, & determinatum gradum gloriæ; ſed certus gradus pęnę nequit determinari, niſi præuideantur peccata finalia, ad quorum menſuram datur pæna; ergo reprobatio poſitiua ſupponit præuiſionem peccatorum finalium.

12 Obijc.1. *Apoſt. Rom.9.* Cauſam reprobationis poſitiuæ refert in ſolam Diuinam voluntatem. *Cùm nondum nati eſſent, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui &c.* Vbi affert indurationem *Pharaonis*, illamque refert in Diuinam voluntatem, & concludit, *ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat*; quibus docet cauſam electionis, & reprobationis eſſe ſolam Diuinam voluntatem ſic diſponentem; ergo datur cauſa reprobationis vltricis ex parte noſtra.

Reſp. diſt. ant. *Apoſt.* refert in Diuinam voluntatem cauſam reprobationis comparatiuè ſumptæ, conc; abſolutè, neg; vnde ratio, quare Deus non miſertus ſit *Pharaoni*, ſicut miſertus eſt *Nabuchodonoſor*, eſt ſola voluntas Dei; ratio tamen, quare abſolutè reprobat ad ignem, eſt peccatum finale præuiſum.

13 Inſtabis. Si daretur aliqua cauſa ex parte noſtra noſtræ reprobationis poſitiuæ, *Apoſt.* tantùm non laboraret in ſaluando Deo ab iniquitate, & iniuſtitia; potuiſſet enim reſpondere hos damnare, quia moriuntur in peccato, & ideo ex illorum culpa; alios verò ſaluare, quia moriuntur in gratia; hoc autem non dixit *Apoſt*; ſed retulit in Diuinam voluntatem iuſtè facientem, quidquid illi placet, & affert exemplum *Figuli* ſine iniuſtitia facientem aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam; ergo peccatum non eſt cauſa, aut motiuum reprobationis poſitiuæ.

Reſp. quòd ſi *Apoſt.* ſic reſpondiſſet, adhuc fuiſſet ſoluendum, quare Deus tollat per gratiam ſuam peccatum ab iſtis, & ab alijs non; & ideo vt quæſtionem finaliter ſoluat, ait hoc omnino dependere ex beneplacito voluntatis Dei.

14 Obijc. 2. Peccatum originale eſt ſufficiens motiuũ ad damnandos reprobos ad ignẽ; ergo motiuum, & cauſa reprobationis poſitiuæ eſt peccatum originale, non actuale.

Reſp. diſt. ant. Peccatum originale finale, conc; non finale, neg; nam peccatum originale non finale eſt peccatum remiſſum per baptiſmum; culpa autem remiſſa puniri non debet; aliter eſſet remiſſa, & non remiſſa, vt dictum eſt.

15 Inſt. Ergo ſaltem in infidelibus, in quibus peccatum originale non eſt remiſſum, erit cauſa, & motiuum reprobationis poſitiuæ, & per conſequens non erit peccatum actuale; ergo non vtrunque.

Reſp. neg. conſ. Quia ſicuti electio ad gloriam eſt ad certum, & determinatum gradum gloriæ, ita damnatio ad pęnam eſt ad certum, & determinatum gradum pęnæ; vnde ſicuti maiori gratiæ, & meritis debetur maior gloria, ita maioribus peccatis debetur maior pęna; cùm ergo peccatum originale, & actuale ſimul reddant magis reum peccatorem, ideo illum reddunt dignum maiori pęna; atqui maior pæna non infligitur niſi ex motiuo maioris culpæ; ergo reprobatio vltrix infidelium eſt ex motiuo peccati originalis, & actualis ſimul.

16 Obijc.3. *Oppoſitorum eadem eſt ratio*; ſed prædeſtinatio, & reprobatio ſunt oppoſitæ; ergo earum eſt eadem ratio; atqui prædeſtinationis ex parte noſtra nulla datur ratio; ergo neque reprobationis.

Reſp. diſt. ma. *Oppoſitorum eſt eadem ratio* generica, conc; ſic albedo, & nigredo conueniunt in ratione coloris; & ſic prędeſtinatio, & reprobatio conueniunt in ratione ordinationis, *vt ſic.* Eadem ratio ſpecifica, neg; aliter non eſſent oppoſita. Sicut ergo oppoſitorum oppoſitę ſunt rationes ſpecificæ, ſecundùm quas ſumitur oppoſitio; vt diſgregatio, & congregatio viſus, quæ competunt albedini, & nigredini; ita ſi reprobatio opponitur prædeſtinationi eo modo, quo diximus *art.2. n.13*; ſicut prædeſtinatio, cùm gratia ſit, eſt ante præuiſa merita; ita reprobatio, quia pæna eſt, eſt poſt præuiſa demerita.

17 Obijc.4. Reprobatio negatiua antecedit præuiſionem peccatorum actualium; ergo & poſitiua; cùm reprobatio poſitiua idem ſit, ac reprobatio negatiua, & ſimul cum ipſa exiſtat.

Reſp. neg. conſ; & ad prob. infert. dicitur; quòd licèt reprobatio negatiua, & poſitiua ſint idem realiter, & ſint ſimul natura, non tamẽ ſunt idẽ, aut ſimul ratione, vt patet ex dictis.

18 Obijc.5. Permiſſio peccati finalis eſt effectus reprobationis; ergo ipſum peccatum ſequens ad illam permiſſionem nequit eſſe cauſa reprobationis, quia poſterius nequit eſſe cauſa prioris.

Reſp. diſt. ant. Permiſſio peccati finalis eſt effectus reprobationis negatiuæ, conc; vltricis, & poſitiuæ, neg. Et ſic diſt. conſ. Peccatum ſequẽs ad illam permiſſionem nequit eſſe cauſa reprobationis negatiuæ, conc; poſitiuæ, neg. Sed de hoc *in ſeq. quæſt.*

19 Collig. ex dictis, quòd ſicut Chriſtus eſt cauſa extrinſeca meritoria noſtræ prædeſtinationis; ita *Adam* fuit cauſa demeritoria ſufficiens ad hoc, vt Deus omnes homines iuſtè reprobaret à gloria; dicitur enim *Rom.5. Sicut per*

vnius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem. Quanuis tamen per gratiam Christi Domini efficaciter applicatam aliquibus salui facti sint aliqui.

20 Dæmones autem, & homines inducentes aliquem ad peccatum finale dicuntur causę morales extrinsecę reprobationis illius.

QVÆST. VI.

De Effectibus Reprobationis.

SVperest agendum de effectibus reprobationis, vt plenam huius Tractatus notitiam habeamus quod porrò præstabimus in hac quæstione, ea, quæ sunt in Scholis controuersa, breuiori, ac faciliori, quo poterimus, stylo explanantes.

ART. I.

An peccatum, vt culpa, vel vt pœna alterius peccati, sit effectus reprobationis?

1 NOn loquimur *hic* de entitate materiali peccati; cùm enim entitas materialis peccati physicè producatur à Deo, vt aliàs ostendimus, & cùm ad finem reprobationis conducat, & cum ipso coniungatur, certum est, esse reprobationis effectum; difficultas ergo procedit de peccato secundùm desformitatem formalem moralem, secundùm quam non producitur à Deo, sed tantùm à voluntate creata.

2 Prima sententia *est Vuicleffi, & Caluini* dicentium peccatum, vt culpam, esse reprobationis effectum, quia Deus impellit, & necessitat homines ad peccãdum; vnde sicuti Deus ex eo, quòd hominem prædestinati, causat omnia merita, quæ sunt media, & effectus prædestinationis; ita ex eo, quòd hominem reprobat, causat omnia peccata, quæ sunt media, & effectus reprobationis.

Secunda sententia vult, quòd licèt peccatum, vt culpa, non sit effectus reprobationis; attamen vnum peccatum, vt pęna alterius, est reprobationis effectus; quia licèt peccatum, vt culpa, non sit à Deo, attamen vt pęna alterius peccati est à Deo. *Ita Caiet. 2. Reg. c. 12; & 16.*

Tertia tandem docet, quòd peccatum neque vt culpa, neque vt pęna, est effectus reprobationis, & per consequens neutro modo à Deo causari; vnde licèt sit medium ad finem reprobationis consequendum, nullo modo tamen est effectus reprobationis. *Ita Aeg. hic dist. 46 princ. 2. q. 2. in princ. corporis*, vbi docet, quòd licèt peccata à Deo ordinentur in pœnam æternam, & ab ipso permittantur, & per consequẽs subdantur prouidentiæ Diuinæ quantùm ad ordinabilitatem, & permissionem; attamen à Deo non causantur, ac propterea non sunt effectus reprobationis. Hanc sententiã docẽt omnes alij communiter; pro qua.

3 Not. 1. quòd sicuti ad hoc, vt aliquod sit effectus prædestinationis requiritur, quòd causetur à Deo, quòd ad finem prædestinationis efficienter conducat, & quòd sit à Deo positiuè volium, & præpara tum in ordine ad talem finẽ consequendum; ita dicendum est de effectibus reprobationis; vnde licèt aliquod, vt peccatum, ad finem reprobationis conducat, & ad illum à Deo ordinetur; attamen, quia non est à Deo volitum, & causatum, non potest dici reprobationis effectus; quare quanuis, quatenus ad finem reprobationis conducens, possit habere impropriè rationem medij; attamen, quia à Deo non causatur, nec positiuè intẽditur, ideò nequit habere rationem effectus reprobationis.

4 Not. 2; quòd vnum peccatum habere rationem pœnæ respectu alterius; nullò modo potest explicari, aut intelligi, quòd Deus secũdum peccatum producat in pœnam primi peccati, sic enim Deus esset causa peccati; sed. 1. intelligitur, quòd Deus vult positiuè negare auxilium efficax ad euitandum secũdum peccatum in pęnam primi peccati. 2. intelligitur ita, vt nedum permittat secundum peccatum in pęnam primi peccati, sed etiã positiuè faciat aliquod, ex quo sumant homines occasionẽ peccandi; illud enim, quod facit Deus, non est peccatum, nec à Deo ordinatum ad peccatum, sed potiùs ordinatur ad eorum conuersionem; quanuis ex mala hominum voluntate ad peccatum ordinetur ab ipso homine, vt patet ex illo *Matt. 12*; vbi Christus Dæmonia eiecit; ex quo Pharisæi sumpserunt occasionem blasphemãdi dicentes; quòd in Principe Beelzebub eijciebat Dæmonia; & bona mulier sumpsit occasionem laudandi, & benedicendi Deum dicens: *Beatus venter, qui te portauit*; Sicuti sol eodem calore liquefacit ceram, induratque glebas. 3. intelligitur, quòd licèt secũdum peccatum, prout efficienter producitur, nõ possit esse pęna alterius peccati; & sic nequeat esse volitum à Deo; attamen, prout recipitur in voluntate peccante, est pœna; & sic potest Deus velle non quidem efficienter peccatũ, aliter causaret peccatum, quod est absurdum, vt docet *Beatiss. P. Aug. in lib. de Grat; & lib. arb*; & alibi; attamen potest velle, quòd peccatum productum à voluntate creata in pęnam alterius peccati passiuè recipiatur in ipsa; sic enim propriè peccatum habet rationem pœnæ, non culpæ. 4. intelligitur, & forsan conformiùs ad mentem *Beatiss. P. Aug*; quòd cùm peccatum admixtam habeat rationem voluntarij, & inuoluntarij; rationem quidem voluntarij, quatenus habet delectabilitatem, & rationem inuoluntarij propter damnum, quod consurgit ex peccato, scilicet ammissionem Dei, & gloriæ, corruptionem naturæ

turę,& inhabilitatem,difficultatem ad reſurgendum,& facilitatem ad relabendum in peccatum; ratione delectabilitatis eſt peccatū, ratione verò damni non eſt peccatum, ſed pœna; ratione 1.eſt volitum; ratione 2. eſt non volitum, & inuoluntarium,& ideo nō eſt peccatum, quia omne peccatum eſt voluntarium; peccator enim licèt velit delectationem,non tamē vult damnum ex ea conſurgēs;ſic Deus vult peccatum ſecūdo modo,non primo:*Vide Aeg.loco infra cit.*Primus modus intelligendi traditur *à D. Damaſc.* 4. *de Fide c.*20;*Euthim.in Io. c.*5; *& à B.P. Aug.lib.de Præd.SS.c.*20. Secundus modus traditur *ab Iræneo* 4.*cont. hæreſes c.* 48. Tertius,& quartus modus traditur *ab Aeg. in* 2. *diſt.*36.*q.*1. *art.*1;2; *&* 3. Firmiter tamē ſemper tenendum peccatū formaliter, vt peccatum,neque vt culpam,neque vt pęnam effici à Deo, quia Deus nullo modo eſt cauſa peccati.*His not.*

5 Vnica concl. Peccatum, vt peccatum formaliter,neq; vt culpa,neq; vt pęna eſt effectus reprobationis; licèt, non quatenus eſt peccatū,ſed quatenus pœna, & damnum, poſſit eſſe effectus reprobationis. Fūdamentū eſt.Effectus reprobationis debet eſſe efficaciter volitus, & cauſatus à volūtate Dei reprobantis;in tantùm enim dicitur effectus, in quantùm eſt efficaciter cauſatus, vt dictum eſt;ſed peccatum formaliter ſiue conſideretur vt culpa,ſiue vt pęna pręcedentis peccati,nullo modo à Deo reprobante eſt volitum, & cauſatum;ergo peccatum neque vt culpa,neque vt pęna eſt effectus reprobationis;ma. patet ex doctrina primi Not; mi. prob.1.*ex B.P.Aug.* qui in toties decantatis libris aſſignans diſcrimen inter Diuinam prædeſtinationem, & reprobationem docet; quòd Deus prædeſtinans efficaciter cauſat opera meritoria, & gratiā efficacem,quę ideo,quia cauſantur,ſunt effectus prædeſtinationis;at verò Deus reprobās præſcit tantùm peccata, non autem cauſat; quapropter opera meritoria dicuntur opera ſua, peccata verò non dicuntur opera ſua,ſed opera noſtra. 2. prob.eadem mi. *ex Concil.Trid.ſeſſ.6.can.*13; *& vlt*;vbi ſtatuit *cont.Vuicleffum,& Caluinum* peccata nullo modo à Deo cauſari.3.prob.ratione. Deus eſt ſummè bonus, & ſummè rectus; ſed ſi cauſaret peccatum, vt pęnam alterius, non eſſet ſummè bonus, & ſummè rectus; non quidem ſummè bonus, quia tenderet in malum formaliter,cùm peccatum ſit formaliter malum, aliter ſi non eſſet malum,non eſſet peccatum;nec ſummè rectus, quia cauſare peccatum eſt deuiare à rectitudine, & bonitate; ergo non poteſt cauſare peccatum, neque vt culpam, neque vt pęnam. *Vid.Aeg. in* 2.*diſt.* 37. *q.*1. *art.*2.

Secunda pars concl. patet *ex doctrina Aegid*; nam peccatum, quatenus damnum peccatoris, non eſt peccatum, eſt enim inuoluntarium peccatori, cùm peccator non velit damnum conſurgens ex peccato; ergo eſt pęna à Deo cauſata;quæ cùm conducat,& coniungatur cum fine reprobationis,ideo inter effectus reprobationis numerari poteſt. Dat exemplum de actione, & paſſione,quæ eſt eadem entitas,& prout eſt actio, non eſt paſſio, & è contra; ſic peccatum prout volitum eſt peccatum,prout inuoluntariū non eſt peccatum,ſed pęna; & quod non eſt peccatum eſt à Deo volitum, & cauſatum; Deus enim omnia cauſat excepto peccato. Item dat aliud exemplum de proijciente merces in mare metu naufragij, quatenus enim vult ſaluare vitam, voluntariè proijcit, & quatenus vellet ſaluare merces inuoluntariè proijcit; ſic peccator,quatenus vult delectationē,voluntariè agit, quatenus nō vult damnū emergēs,inuoluntariè; & ideo ſecundùm hanc rationem non eſt peccatum,& conſequēter cauſatum à Deo. Stat tamen ſemper, quòd peccatum formaliter nequit eſſe effectus reprobationis,licèt damnum ex peccato cōſurgens ſit effectus illius. *Vid.art.* 2.*cit.B.Doct.*

Dices peccatum vt pęna pręcedentis peccati non eſt malum,ſed bonum; ergo cauſatur à Deo. Prob.ant peccatum, vt pœna alteriùs peccati eſt quid iuſtum; iuſtè enim infligitur, ſed quod eſt iuſtum, eſt bonum; ergo peccatum, vt pœna præcedentis peccati, non eſt malum, ſed bonum.Conſequentia patet; nam quod bonum eſt cauſatur à Deo; ſed peccatum, vt pœna, eſt bonum,ergo cauſatur à Deo, & per conſequens eſt effectus reprobationis.

Reſp.neg.ant;nam peccatum vt pœna pręcedentis peccati reddit hominem magis peccatorem, & ideo peccatum etiam vt pęna eſt malum,& propterea non cauſatur à Deo. Ad prob. diſt.ma; peccatū vt pęna alterius peccati eſt iuſtum efficienter,ſeu formaliter,neg; ſic enim declinat,& deuiat à iuſtitia, & rectitudine; eſt iuſtum occaſionaliter, idèſt eſt occaſio, vt Deus exerceat ſuam iuſtitiam.cōc.ma;nam ſi non eſſet peccatum, Deus non poſſet manifeſtare ſuam iuſtitiam vindicatiuam; & eodem modo diſt. mi;& neg.conſeq.

6 Obijc.1.*Beatiſſ.P.Aug.lib.*5.*cont. Iulianum c.*3;*& de Grat;& lib.arb.c.*22.ait,quòd peccata, quæ ſunt in pęnam aliorum peccatorum, ſunt à Deo,non tātùm vt à permittente, ſed vt à volēte,& agente; vnde vocat illa peccata non ſolùm permiſſionis, ſed Diuinæ potentiæ; iuxta illud *Rom.9.In hoc excitaui te,vt oſtendam in te virtutem meam.* Tum quia ibidem ait: *Deus operatur in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit,ſiue ad bona pro ſua miſericordia,ſiue ad mala pro meritis eorum*; ergo peccata,vt pęna aliorum peccatorum, ſunt à Deo volita, & cauſata; & per conſequens ſunt effectus reprobationis.

Reſp.*Beatiſſ.P.Aug.*explicandum eſſe vno ex quattuor modis allegatis in 2.Not;vel occaſionaliter,faciendo aliquod,ex quo homines ſu-

munt

munt occasionem ruendi in aliud peccatum; vel passiuè operando, quòd peccatum productum à voluntate creata recipiatur in ipsa; vel positiuè volendo negare auxilium efficax; vnde primum peccatum committitur quidē Deo permittente ex sua mera voluntate, non tamen in pœnam præcedentis peccati, quia nullum peccatum præcedit; secundum verò committitur, nedum Deo permittente ex mera sua voluntate, sed etiam volente illam permissionem alio titulo, scilicet in pœnam prioris peccati; nullo modo tamen peccatum, vt pęna, à Deo causatur, vt docet alibi *idē Beatiss.P*; vel tandē ratione damni emergētis; sed hoc modo non est peccatū, vt acutissimè ostendit *Aeg.* vbi supra. Sic explicatur *Caiet*; qui *Beatiss. Patris* sentētiam secutus nō ita benè illum explicauit, sicut explicauit *Aeg.*

7 Obijc. 2. peccatum ordinatur à Deo in finem reprobationis, & ad ipsum conducit; ergo est effectus reprobationis.

Resp; quòd ad hoc, vt peccatum sit effectus reprobationis, nedum debet ordinari ad finem reprobationis, sed etiam debet esse causatus à voluntate reprobante; vnde cùm peccatum non sit causatum à voluntate Dei reprobantis, sed tantùm ordinetur, vt causatum à volūtate creata deficiente; ideo quamuis aliquo modo habeat rationem medij, impropriè tamē; quia medium propriè est effectus intentionis finis, & ab illa causatur; non tamen habet vllo modo rationem effectus; quia non causatur. *Vide art. seq*; eadem enim omnino res agitur.

ART. II.

An perseuerantia in peccato vsque ad mortem, induratio, et excæcatio sint effectus reprobationis.

1 EX dictis *art. ant.* faciliter soluitur præsens difficultas; cùm enim perseuerantia formalis in peccato; de qua solùm loquimur; induratio, & excæcatio inuoluant aliquid malitiæ, & deformitatis peccaminosæ; vt videbimus; nec non aliquid bonitatis, quod est obiectum iustitiæ Diuinæ vindicatiuæ; quapropter ista tria habent rationem culpæ, & pęnæ; ideo ex illa parte, qua habent rationem culpæ, non sunt à Deo volita, & causata; ex illa verò parte, qua habent rationem pęnæ, non culpæ, sunt à Deo volita, & causata; & per consequēs secūdùm primā acceptionē non sunt effectus reprobationis, iuxta secūdam verò sūt illius effectus; vt subtilissimè docet *Aeg. loc. cit. art. ant.*

2 *Beatiss. P. lib. 1. ad Simpl. q. 2.* ait de illa sententia *Apost. Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*; quòd sic debet intelligi; *vt obduratio Dei sit nolle misereri; vt non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior; sed tantùm, quo sit melior, non irrogetur.* Igitur pro maiori intelligentia.

3 Not. 1. *ex Aeg. vbi s; & in Ep. ad Rom. c. 9. lect. 29; & 31. n. 3; & 4; & c. 5. lect. 5*; quòd perseuerātia finalis in peccato (de perseuerātia enim ad tēpus, post quā scilicèt peccator in fine vitæ resurgit à peccato, nō est sermo; quia hæc reperitur aliquādo in prædestinatis, vt patet in *B. Latrone*, qui vsque ad finem vitæ perseuerauit in peccato, & in fine vitæ conuersus est) duo importat; vnum ex parte Dei, & est derelictio in peccato, subtractio gratiæ efficacis, per quam liberaretur à peccato, seu permissio remanendi in peccato vsque ad finem vitæ; aliud ex parte peccatoris, scilicet continuata conseruatio malitiæ, & difformitatis peccaminosæ in anima, & in corde; quæ continuatio est defectuosa, & peccaminosa, reddit peccatorem magis reum, & magis peccatorē, ac magis dignum pęna, & maiori pęna, ideo auget illius culpam; conseruatio enim est continuata productio, vt docet *Phil*; vnde si productio peccati est formaliter mala, & à Deo nequit esse, qui nequit esse Auctor, & causa peccati; ita conseruatio peccati, quatenus conseruatio est, nequit esse à Deo, quia vt talis nequit esse à Deo; cùm vt talis sit formaliter mala, est enim causa maioris malitiæ, & deformitatis; vnde perseuerantia finalis in peccato secundùm id, quod importat ex parte peccatoris, nequit esse causata à Deo, & consequenter nequit esse effectus reprobationis; benè tamen secundùm id, quod importat ex parte Dei.

4 Not. 2. *ex eod. vbi sup. dist. 36. q. 4. art. 2*; quòd induratio specialis; sicuti est induratio peccatorum, de qua loquimur in præsenti; dicitur translatiuè, & similitudinariè à duritie corporum; quemadmodum igitur ad duritiem corporis sequitur 1. inhabilitas ad recipiendas impressiones factas ab extrinseco; 2. stabilitas ad persistendum; 3. fortitudo ad resistendum; 4. difficultas ad emoliendum; 5. facilitas ad tēdendum deorsum. Ita contingit similitudinariè in cordibus induratis peccatorum. Primò enim induratio reddit inhabilem naturam ad recipiēdam gratiam, & impetus à Deo factos in corde; 2. reddit peccatorem immobilem à peccato, stabilem, & perseuerantem, & firmiter adhærentem suis peccatis; 3. facit peccatorem impugnare Deum, resistere eius gratiæ, & oppugnare illius mandata; 4. reddit difficilem resurrectionem à peccato; 5. facit, vt sit pronus, & facilis ad relabendum in vlteriora peccata; induratio enim causat habitum quēdam prauum, & vitiosum peccandi aquisitum ex multitudine, & frequentatione peccatorum.

Hi autem effectus indurationis, vt docebamus *art. ant*; possunt considerari dupliciter. 1. vt dicunt deformitatem peccaminosam auertentem peccatorem à Deo, & conuertentem ipsum ad creaturas. 2. vt important damnum sequens ad ipsam deformitatē. Primo modo sunt peccata formaliter, & vt talia à Deo esse non possunt, nec volita, nec causata, sed tantùm eorum permissio est à Deo volita; vnde vt

vt talia nequeunt esse effectus reprobationis, sed tantùm eorum permissio effectus reprobationis dici debet; vt infra dicemus; aliter Deus esset causa deformitatis moralis, & per consequens peccati. Secundo modo non sunt peccata, sed pęnæ peccatorum; dicuntur autem pęnæ peccatorum septépliciter, vt docet *Fund. Doct*; tripliciter quidem ex parte auersionis; & quadrupliciter ex parte conuersionis. 1. Quia induratio tollit à peccatore optimum bonum, quod est Deus; separatio autem boni, & conuenientis à voluntate est pęna, & dolor; sicuti vnio, & cõiunctio bonitatis conuenientis cum ipsa est maximum gaudium. 2. Quia tollit gratiam, & quia gratia est maximũ inter bona creata; ideo subtractio gratiæ propter eandem rationem est pęna, & dolor. 3. Quia inficit, & corrumpit naturã, & inhabilem reddit ad recuperandum Deum, & gratiam; nam quantò plura peccata peccator committit, tantò inhabilior redditur ad recuperandum bonum, quod perdidit, quod est Deus, & gratia; omnis autem corruptio, & infectio sine poena, & dolore esse non potest. Ex parte autem conuersionis ad creaturam induratio dicitur poena. 1. Quia reddit peccatorem facilem ad recidendum, casus autem tristitiam gignit, poenam, & dolorem. 2. Quia generat quendam angorem, qui est passio vniuersaliter sequens ad peccatum. 3. Quia parit laborem, & difficultatem poenosam; quapropter dicitur *Sap. 5. Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulauimus vias difficiles*. Tandem quia etiam ipsa deformitas peccati est poena; nam sicuti ex coniunctione conuenientis cum conuenienti oritur delectatio; ita ex coniunctione disconuenientis cum conuenienti oritur dolor; id autem, quod est deforme, est maximè disforme, & disconueniens. Quæ omnia vno verbo restringi possunt ad hoc, quòd induratio quantùm ad deformitatem moralem delectantẽ peccatorem non est effectus causatus à Deo, sed tãtùm est effectus Dei quantùm ad disconuenientiam, & poenalitatem affligentem peccatorem. Sed de his magis diffusè agemus in *Tractat. de peccatis*. Et sic optimè explicatur *à B. Doct. Beatiss. P. doctrina* asserentis peccata, quæ sunt pęnæ aliorum peccatorum, esse à Deo, non solùm vt à permittente, sed vt à volente, & agente; vnde talia peccata vocat Diuinæ potentiæ, non permissionis.

Ex his habetur, quòd perseuerantia in peccato vsque ad mortem est veluti effectus, & proprietas indurationis sequens ad ipsam; ex eo enim, quòd aliquis sit induratus, dicitur perseuerare, & permanere in peccato; & si sit induratus ad mortem, dicitur perseuerare finaliter vsque ad mortem.

5 Pręterea, vt ait *idem Fund. Doct. in 2. sent. dist. 21. q. 2. ar. 4. ad* 1; sicuti ratiocinati sumus de induratione, ita loquendũ est de excæcatione; excæcatio namq; potest sumi dupliciter. 1. Prout dicit quẽdam habitũ prauum peccandi ad malum semper inclinantem, obuersantem semper circa tenebras, quæ sunt peccata, radicatum altè, & infixum in corde peccatoris, difficillimè separabilem ab ipsis peccatoribus excæcatis; dicitur enim *Ierem. 13. Si potest Aethiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas; ita, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum*. 2. Prout importat subtractionem lucis spiritualis, qua posset videre; ducta enim est metaphora à cæcitate corporali; vnde sicuti dupliciter quis potest dici manere in cæcitate. Primò quia habet humorem malignum, prauum, inficientem pupillam. 2. Quia lumen amisit; ita excæcatio cordis importat duplicem rationem; scilicet rationem habitus praui inclinantis semper, & obuersantis circa tenebras, quæ sunt peccata; & subtractionem ipsius lucis internæ, qua videret bonũ, quod est sibi agendum. Primo modo non dicitur Deus excæcare peccatores, esset enim causa peccati, vt dictũ est. Secũdo modo dicitur excęcare, quatenus subtrahit lumen Diuinũ, quo viderent opera bona supernaturalia peragẽda.

6 Igitur hęc est differẽtia inter ista quatuor, scilicet permissionẽ, indurationẽ, excæcationẽ, & obstinationem, quòd permissio dicitur de quolibet peccatore, etiam non indurato, excęcato, aut obstinato; cùm nullum committatur peccatum, nisi permittente Deo; vnde permissio dicitur etiam de *Dauide, & Petro Apostolo*, quibus permissum est peccare, & tamen non erant indurati, nec excæcati, aut obstinati; quia statim cognouerunt delictum commissum, quod fleuerunt, ac detestati sunt. Induratio autem, & excæcatio conuenit tantùm peccatoribus, qui manent diu in peccatis, qui ex mala consuetudine peccandi contraxerunt duritiem in voluntate, ne moueantur ad bonum; & cæcitatem in intellectu, ne illud cognoscant; vnde induratio dicitur ex parte voluntatis; excæcatio autem ex parte intellectus; non tamen excæcati, & indurati dicũtur obstinati, quia licèt non habeant gratiam efficacem, per quam frangere possint suam duritiem, & illuminare suam cæcitatem; habent tamen gratiam sufficientem, per quam possunt illam habere; tamen propter malã inclinationem ipsius voluntatis nunquam illam actu habebunt; vnde induratio, & excæcatio dicitur tantùm propriè de solis peccatoribus viatoribus perseuerantibus finaliter in suis peccatis; obstinatio verò dicitur propriè de solis Dæmonibus, qui sunt in termino, in statu, non in via; qui nec habent gratiam efficacem, nec sufficientem, qui non flectuntur, nec possunt flecti ad bonum, cùm ab illis ablata sit omnis potestas ad resurgendũ, vt docet *Fund. Doct. cõtra Origenem* dicentẽ: *quòd Angeli mali aliquando resurgent, & fient Beati; sicut quòd Angeli boni aliquando cadent, & fient damnati*; quem erro-

errorem redarguit *Beat. P. Aug. de Ciu. Dei c. 17. apud Fund. Doct. in 2. sent. dist. 7. q. 1. art. 2;* vbi refert errores *Origenis*, illiusq; damnationem. *His notatis.*

7 Vnica concl. Perseuerātia finalis in peccatis, induratio, & excæcatio quantùm ad deformitatem peccaminosam defectuosam, quam important, non sunt effectus reprobationis, bene tamen quantùm ad pœnalitatem adiunctam illi deformitati. Est *contra aliquos* suppresso nomine *ab Auctoribus* citatos.

Prima pars cōcl. prob. iisdē rationibus, quibus prob. Deū nō esse causam peccati, quod quidē *à Fūd. Doct. in 2. sent. dist. 37. q. 1. ar. 2.* quadruplici ratione prob. 1. Defectuositas peccati *ex Beat. P. 12. de Ciuit. Dei*, cùm sit defectus, non habet causam efficientem, sed deficientē: sed Deus nullo modo potest esse causa deficiens, cùm nulla deficiat perfectione; est enim congregatio omnium perfectionum; ergo Deus nullo modo potest esse causa peccati. 2. Defectuositas peccati est elongatio à Deo, quæ explicatur *Luc. 15.* parabola *filij Prodigi* figurantis peccatorem, qui viuendo luxuriosè abijt in regionem lōginquam, idest longè à Deo; sed Deus non potest nos elongare à se ipso, cùm Deus sit omnibus rebus præsens, & magis intimus, quàm ipsæ res sibimetipsis; ergo Deus nequit causare in nobis defectuositatem peccaminosam. 3. Defectuositas peccati est dissimilitudo Dei; sed Deus nequit causare hanc dissimilitudinem; ergo nequit causare hanc defectuositatem. Ma. patet; nam *Prouerb. 15.* habetur *Cor stultorū dissimile erit.* Mi. prob. Agens semper intendit assimilare sibi passum; ergo Deus in tantùm agit in nobis, in quantùm intendit assimilare nos sibi; ergo nequit nos dissimiles sibi facere. 4. Defectuositas peccati est punibilis à Deo; sed Deus nequit punire, quod ipse facit in nobis; aliter esset Iudex iniustus puniens sua propria delicta in alijs; ergo nequit causare illam defectuositatem peccati. Hæc ratio est *nostri D. Fulgētij.* Tādē optimi est optima facere; sed defectuositas peccati nec est optima, nec est bona, sed mala; ergo Deus, qui est optimus, nequit causare peccatum. Tandem hæc veritas definita est *in Concil. Trid. sess. 6. can. 13; & vlt;* & habetur tanquam inconcussa apud *Beatiss. P.* ferè innumeris in locis.

Secunda pars concl. prob. eadem ratione, qua probata fuit 2. pars *in sup. art.* nam pœnalitas adiuncta deformitati peccaminosæ est volita, & causata à Deo, quia nō est mala, sed bona; est enim pęna illius defectuositatis; coniūgitur cum fine reprobationis; ad illum cōducit, & aliquo modo cooperatur; & ad illum à Deo est ordinata, aliter casualiter, & fortuitò contingeret respectu Dei; ergo est effectus reprobationis. Prob. 1. pars ant. Omnis pœna est inflicta, & causata à supremo Iudice, & in tantùm est causata, in quantùm est volita; causa enim causans per intellectū non causat, nisi volens, & intelligens; ergo illa pœnalitas est à Deo causata, & volita. 2. pars ant. patet; quia illa pœnalitas nō est defectuosa, cùm ad defectuositatem sequatur, sed est punitio defectuositatis; punitio autem mali bona est; sicut pręmiatio mali mala est; ergo illa pœnalitas non est mala, sed bona. 3. pars ant. prob. Illa pęnalitas est finalis, vt supponimus; sed quod finale est, coniungitur cum fine; qui finis est pœna æterna, quæ est finis reprobationis; ergo illa pęnalitas coniūgitur cū fine reprobationis. 4. pars ant. prob. Illa pęnalitas tollit Deum, & gratiam; infirmat naturam, difficultat resurrectionem à peccato, & facilitat ad lapsum, qui est causa consecutionis pœnæ æternæ, quæ est finis reprobationis; sed esse facilitās consecutionem alicuius rei dicitur ad illam conducere, adiuuare, & cooperari; ergo illa pœnalitas conducit, & cooperatur ad finē reprobationis. Vltima tandem pars est manifesta; quia illa pœnalitas, cùm non contingat casualiter respectu Dei, respectu cuius nihil est fortuitum; nec ab ipso ordinetur efficaciter ad finem prædestinationis, qui est gloria æterna; superest, quòd ordinetur ad finem reprobationis. Nec potest dici, quòd sit effectus prouidētię generalis, quia illa pęnalitas est effectus illius prouidentiæ, quæ respicit illum finē, ad quem illa pęnalitas cōsequitur; sed finis, ad quē consequitur illa pęnalitas, est pœna æterna; quæ est finis reprobationis; ergo illa pœnalitas est effectus reprobationis, non prouidentiæ generalis.

8 Conf. concl. *ex Beat. P. Aug;* qui *Epist. 106.* de induratione loquens super illud *Apost. Rom. 9. Cuius vult, miseretur, et quem vult, indurat;* habet sequētia verba: *Non impertiendo malitiā, sed denegando gratiā,* quod etiā habet *in Enchir.* Ex quo sic arguitur. Si Deus causaret defectuositatē indurationis, & excęcationis in peccatoribus, ipsis impertiret malitiā, quia defectuositas ipsa est malitia; ergo solū indurat, & excæcat denegādo gratiā, ex qua denegatione cōsequuntur omnes pœnalitates supradictæ, scilicet amissio Dei, infirmatio naturæ, difficultas ad resurgendum, facilitas ad relabendum; deficiente enim gratia, quæ est spiritualis medicina omnium morborū animæ, corrumpitur, & inficitur natura; deficiūt vires ad resurgendum; & accrescit facilitas ad declinandum in morbos vlteriores, & læthaliores; & tandem sequitur ipsa mors, quæ est consecutio pœnæ æternæ; ergo defectuositas indurationis, excæcationis, & perseuerantiæ finalis in peccato non est effectus reprobationis, sed tantùm pœnalitas ipsarum.

9 Prob. 2. Deo Auctore nulla creatura fit mala, peior, aut pessima; Deus enim esset causa illius malitiæ, sed tantùm Deo Auctore omnis culpa punitur; sed defectuositas moralis, quæ est in induratione, excæcatione, & perseuerantia in peccatis facit peccatorem malum, peiorem, &

pes-

pessimum;propter quod peccator induratus,excæcatus,& perseuerans habitualiter in peccatis redditur magis dignus pœna, quã peccator nõ perseuerans,non induratus,aut excæcatus;& ex alia parte illa defectuositas meretur pœnã etiã in hoc Mundo, quæ consistit in illo dolore consequente ad talem defectuositatem; vt diximus *ex Fundat.Doct*; ergo Deus causat tantùm illam pœnalitatem,non autem defectuositatem, & per consequens tantùm illa pœnalitas est effectus reprobationis,non autem defectuositas.

10 Obijc.1.*Isaia* 6.habetur:*Excæca cor populi huius,vt non videat*. Et *Io.*12. *Domini sententia fuerat,vt indurarentur*. Et *de Pharaone* legitur:*Indurau i cor Pharaonis*. Et *Rom.*1.*Tradidit eos in reprobum sensum,vt faciant &c.*;ergo Deus est causa excæcationis,& indurationis quãtũ ad defectuositatẽ:quia illa excæcatio,& induratio est peccaminosa,& defectuosa,& per consequens digna punitione.

Resp; quòd in his, & similibus locis Deus dicitur indurare, & excæcare quantùm ad defectuositatem permissiuè; quantùm verò ad permissionem, & pænalitates consequẽtes,positiuè; sic ergo explicatis illis auctoritatibus neg.cons; ad cuius prob.infert.dist.assumptũ. Illa excæcatio,induratio erat peccaminosa quantùm ad defectuositatem, & quantùm ad defectuositatem non erat à Deo positiuè,sed permissiuè;à creatura verò erat positiuè, conc;quantùm ad pœnalitatem erat peccaminosa,neg;& ideo poterat esse à Deo nedum permissiuè, sed etiam positiuè.

11 Obijc. 2. Illa defectuositas moralis sequitur ad denegationem gratię;ergo si Deus est causa denegationis gratiæ, est etiam causa illius deformitatis moralis; quia quod est causa prioris, est etiam causa posterioris iuxta illud.*Quod est causa causæ,est causa causati.*

Hæc difficultas dissoluta fuit *in Tract.de Vol. Dei q.*5. *art.*6. *n.*11. vbi *vid.* duplicem responsionem. Neg. ergo cons; ad cuius prob. dist. Si quod est causa prioris, habeat etiam aliquem influxum in posterius, conc; si nullum influxum habeat in posterius, neg; de ratione enim causæ est influxus,vnde cùm Deus nullum influxum habeat in peccatum, ideo non est causa peccati.

12 Obijc.3.Illa defectuositas formalissimè, vt defectuositas est, potest esse pœna reprobi; sed Deus est causa pœnæ;ergo potest esse causa illius defectuositatis formaliter.Prob.ma.Ex reflexione illius defectuositatis moralis possunt reprobi torqueri,& cruciari; ergo illa defectuositas formalissimè potest esse pœna.

Resp.dist.ma. Illa defectuositas potest esse pęna formaliter,vt defectuositas est formaliter, neg;potest esse pœna,seu causa pœnę ita,vt pœna formalis sit aliquod sequens ad ipsam defectuositatem, conc; ad cuius prob.dicitur,quòd licèt defectuositas sit causa pęnæ ipsius reprobi, quia facit, quòd cognitio sequens ad illam defectuositatem sit pœnalis reprobo, non tamen ipsa defectuositas est pœna; cùm pęna præsupponat defectuositatem, & sic defectuositas præsupponeret se ipsam. Est igitur pęna quantùm ad id, quòd sequitur ad defectuositatem, & Deus causat illam reflexionem, & cognitionem defectuositatis, quæ reflexio, & cognitio est pœna, non autem causat ipsam defectuositatem, quæ semper est culpa; vnde ex illa defectuositate oritur pœna,& dolor;non autem ipsa est pœna, aut dolor, vt optimè obseruat *Fundatiss. Doct.*

13 Obijc.4. *Reg.*16. præcepit Deus *Semei*, vt malediceret *Dauid*,sed Deus vult,quæ præcipit;ergo voluit illam maledictionem; atqui maledictio est peccatum;ergo voluit peccatum.

Resp.1,quòd Deus præcepit, idèst permisit, vt malediceret; sic enim explicant hunc *textũ* plures SS.PP.2. quòd Deus tũc dispensauit in illo precepto;in peccatis enim,quę sũt cõtra proximum,potest Deus dispensare; vnde illa maledictio,quæ erat pœna debita *Dauid*,non erat peccatum *Semei*;& licèt *Semei* punitus fuerit,non propter illam maledictionem, sed propter alia peccata punitus fuit; & si propter illam maledictionem,hoc fuit,quia non maledixit, vt purè Deo obediret,sed etiam ex passione, quia *Dauidem* odiebat;propter quod illa maledictio, quæ,vt præcepta à Deo,non erat peccatum, ex propria passione *Semei*,& odio peccatum euasit; & ideo dignum pœna *Semei* reddidit. *Vid*;quæ diximus *de Vol.q.*4.*art.*5.

14 Obijc. vlt. Ex defectuositate peccaminosa finali arguimus à posteriori ipsam reprobationem;ergo defectuositas peccaminosa indurationis, excæcationis, & perseuerantiæ in peccato est effectus reprobationis.Ant.patet;quia valet:*Pharao* fuit induratus,excæcatus,& perseuerãs finaliter in peccatis; ergo est reprobatus. Prob.cons;quia probatio à posteriori est probatio causę per effectũ; ergo si ex defectuositate indurationis,excæcationis,& perseuerantiæ finalis in peccatis arguitur à posteriori reprobatio, defectuositas indurationis, excæcationis, & perseuerantiæ finalis in peccatis est effectus reprobationis.

Resp.dist. ant. Ex defectuositate peccaminosa finali arguitur à posteriori reprobatio tanquam à signo infallibili, conc; tanquam ab effectu,neg.Ad prob.dicitur,quòd probatio à posteriori alia est ab effectu,alia à signo,vt dicitur *in Logicis*;vnde licèt defectuositas moralis indurationis,excæcationis,& perseuerantiæ finalis in peccatis sit signum infallibile reprobationis,non tamen est illius effectus; sicuti quanuis ramus ante tabernã sit signum vini vendibilis, non tamen est effectus causatus, & productus à vino.

15 Colligitur ex dictis,quòd peccatũ,vt pęna,est effectus reprobationis,si hij,*vt pœna*,redu-

plicet pœnalitatem sequentem, vel adiunctam deformitati morali, non tamen esse effectum reprobationis, si ly, vt pœna, reduplicet deformitatē moralē, & faciat sensum, quòd deformitas formalis reduplicatiuè vnius peccati, vt pœna alterius deformitatis, sit effectus reprobationis; sic enim deformitas nequit habere rationem pœnæ; cùm semper habeat rationem culpæ, ad quam sequitur pœna; aliter idem esset culpa, & pęna formalissimè, & sic idem esset conceptus culpæ, & pœnæ, & conceptus formalis pœnæ; & culpæ confunderentur, quòd est falsum, quia pęna, & culpa habent diuersos conceptus formales, vt est manifestum apud omnes.

ART. III.

An permissio peccati, seu denegatio gratiæ efficacis in reprobis sit effectus Reprobationis.

1 Loquimur de permissione peccati, prout est in reprobis; nam cùm effectus reprobationis ad finem, qui est pœna æterna, efficaciter conducat, cùmque soli reprobi pœnam æternam efficaciter consequantur; prædestinati enim nullo modo damnantur æternaliter; ideo permissio peccati, prout in solis reprobis reperitur, potest esse effectus reprobationis; nec potest esse dubium de permissione peccati, prout præscindit à reprobis, & prædestinatis; quia cùm hæc præscindat etiam à fine reprobationis, vel prædestinationis, ideo præscindit etiam ab esse effectum reprobationis, & prædestinationis.

2 Permissio autem peccati in reprobis triplex est. Alia, qua Deus permisit illos primò cadere in peccatum originale; & hęc, quia antecedit reprobationem, & prædestinationem, quia reprobatio, & prædestinatio facta fuerit post peccatum originale, non est effectus reprobationis, aut prædestinationis, cùm causa nequeat esse posterior effectu. Alia est permissio peccati remittendi per gratiam datam ad tempus, & hęc non est effectus reprobationis, quia connectitur cum peccato remisso, quod penitus euacuatur, & destruitur per gratiam; & ideo mediante ipso, quod nō est, nequit coniungi cū pecato finali; & per consequens nequit conducere ad finem reprobationis, cùm ab ipso omnino discontinuetur. Alia tandem est permissio peccati irremissibilis, & finalis; & de hac quærimus, an sit effectus reprobationis, quia mediante peccato finali coniungitur cum fine reprobationis, & ad illum conducit. Priorem permissionem vocāt Theologi primam permissionem; duas posteriores permissiones vocant communi nomine secundam permissionem, quatenus sunt post primam.

3 Certum est permissionem peccati finalis nullo modo posse esse effectum reprobationis positiuæ vltricis, & vindicatiuæ; quia cùm reprobatio vltrix positiua supponat peccatum finale, quod est eius causa, & motiuum, vt dictum est *in sup. q. art.* 5; & cùm peccatum finale supponat permissionem sui; ideo sicuti peccatum finale antecedit ipsam reprobationē positiuam vltricem; ita permissio eiusdem antecedit ipsam reprobationem positiuam vltricem; quod autem aliud antecedit, effectus illius esse non potest, quia effectus nequit esse prior sua causa; & causa posterior suo effectu. Quæritur ergo in præsenti, an permissio peccati finalis sit effectus reprobationis negatiuæ; quod est idem, ac quærere; an Deus ideo permittat reprobos perseuerare vsque ad mortem in peccato siue originali, siue actuali, siue in vtroque eo, quia illos dereliquerit, vel non elegerit ad gloriam?

4 Prima sententia vult neutram permissionem esse effectum reprobationis. Hanc sententiam tenentur substinere, qui negant reprobationem negatiuam, & docent reprobationem positiuam supponere peccatum. Tribuitur *Sua; & alijs*, qui putant permissionem peccati reduci ad generalem prouidentiam.

Secunda sententia vult permissionem nedum secundam, sed etiam primam esse effectum reprobationis negatiuæ, non autem positiuæ. *Ita aliqui Thomistæ.*

Tertia tandem sententia docet solam permissionem secundam, seu permissionem perseuerantiæ in peccato vsque ad mortem; siue illud peccatum sit originale, siue actuale, esse effectum reprobationis negatiuæ, non autem positiuæ. Hæc sententia procul dubio est *Fundatiss. Doct*; cùm enim superiùs *q.* 5. *art.* 5. ex eodem ostenderimus reprobationem negatiuam supponere peccatum originale, quia supponit naturam damnabilem, quæ non est damnabilis, nisi per culpam; ideo in eius sententia reprobatio negatiua supponit permissionem primam peccati originalis; & cùm permissio, seu derelictio in peccato vsq; ad mortem sequatur ad reprobationem negatiuam, & antecedat reprobationem positiuam, vt superiùs ostensum est; ideo iuxta illius doctrinam sola permissio secunda, non prima, est effectus reprobationis negatiuæ, non positiuæ. Idem docet *in Epist. ad Rom. loc. sup. cit.* Hanc sententiam sequuntur *Thomistæ* paucis exceptis.

5 Vnica concl. Prima permissio peccati originalis, & permissio peccati actualis posteà per gratiam deleti, non est effectus reprobationis; secunda tamen permissio eiusdem peccati originalis, idest derelictio in peccato originali vsque ad mortem; & permissio peccati actualis finalis non deleti per pęnitentiam est effectus reprobationis negatiuæ, non autem positiuæ.

Prima pars patet ex dictis *q.* 5. *art.* 4; vbi ostendimus *ex Beatiss. P.* causam motiuam reprobationis negatiuę fuisse peccatum originale, ex quo formatur hæc ratio. Peccatum originale antecedit reprobationem negatiuam, & per

per consequens reprobationem positiuam, quæ est posterior reprobatione negatiua;sed prima permissio eiusdem peccati originalis antecedit ipsum peccatum originale; ergo permissio peccati originalis antecedit reprobationem negatiuam,& positiuam; sed id,quod antecedit,nequit esse effectus illius, quod sequitur;ergo prima permissio peccati originalis non est effectus reprobationis negatiuę,vel positiuę.

Prætereà prima permissio peccati originalis antecedit nostram prædestinationem, quia nostra prædestinatio, vt superiùs ostensum est, supponit peccatum originale, & per consequẽs illius permissionem; ergo antecedit etiam reprobationem negatiuam, quę vel simul facta est cum prædestinatione, vel consequenter ad illam se habuit; ergo non est illius effectus.

6 Prob.2.pars.Peccatum deletum per gratiam non connectitur cum fine reprobationis, nec ad illum conducit, quia destructum est, & nullo modo est, cùm non redeat per peccatum subsequẽs;ergo non est effectus reprobationis.

7 Prob.3. pars. Secunda permissio peccati originalis non deleti,& permissio peccati actualis finalis à Deo est volita positiuè,quia est bona, vt probauimus *de Vol.Dei q.5.art.5*; coniũgitur cum fine reprobationis, & ad illum conducit; ergo est effectus illius.

8 Prob.vlt.pars. Secunda permissio peccati originalis non deleti, & permissio peccati actualis finalis antecedit ipsam reprobationem positiuam,quia antecedit peccatum finale,quòd est causa, & motiuum reprobationis positiuæ, & ex alia parte sequitur ad reprobationem negatiuam; ergo est effectus reprobationis negatiuę, non autem positiuæ.

9 Obijc. 1. Prima permissio peccati originalis non est effectus prædestinationis; ergo reprobationis. Ant. patet. Prob. cons. Reprobatio, & prædestinatio adæquatè diuidunt Diuinam prouidentiam; ergo si prima permissio non est effectus prædestinationis, erit effectus reprobationis.

Resp.neg.ant.Ad prob.etiam neg.ant;nam vltra prædestinationem, & reprobationem datur prouidentia naturalis, qua naturalia in suos fines naturales diriguntur, & datur generalis prouidentia supernaturalis, qua suauiter naturalia ordinantur secundùm modum suæ naturæ per suauem Dei dispositionem disponentis omnia secundùm modum proprium, & exigentiam naturę creatæ; cùm autẽ modus proprius naturæ creatę sit posse deficere, quia creatura defectibilis est;& cũ non possit deficere,nisi permittatur defectus, ideo illa prima permissio est effectus generalis prouidentiæ, non autem reprobationis.

10 Obijc. 2.Quidquid in prædestinato conducit ad finem prædestinationis,est effectus prędestinationis;ergo quidquid in reprobo conducit ad finem reprobationis,est effectus reprobationis; sed illa prima permissio in reprobo conducit ad finem reprobationis, quia ex illa sequitur peccatum originale, quod in paruulis non baptizatis coniungitur cum fine reprobationis; ergo est effectus reprobationis.

Resp.1. dist.ant. Quidquid in prædestinato conducit ad finem prædestinationis,& subsequitur ad ipsam prædestinationem, est effectus pędestinationis, conc;& antecedit prædestinationem, est effectus prædestinationis,vt est gratia originalis, quæ antecedit ipsam prędestinationem, neg. ant; & cons; nam prima permissio antecedit, non subsequitur ad ipsam reprobationem, & ideo nequit esse illius effectus.

Resp.2. neg. cons; & assignatur disparitas; nam quidquid conducit ad finem prędestinationis, est causatum, & volitum ab illa; at verò quidquid conducit ad finem reprobationis,non est causatum à reprobatione;peccata enim conducunt ad finem reprobationis, & tamen non sunt causata à reprobatione, aliter Deus esset causa peccati, & ideo non omne, quod conducit ad finem reprobationis, est effectus reprobationis; sicut omne, quod conducit ad finem prædestinationis, est effectus prædestinationis. Ad mi.subsumptam dicitur,quòd prima permissio non conducit ad finem reprobationis, sed tantùm peccatum subsequens ad primam permissionem conducit ad finem reprobationis;cuius ratio est; quia si ad illam primam permissionem non sequeretur peccatum, quòd quidem liberè sequitur, iam illa prima permissio non conduceret ad finem reprobationis.Prętereà illa prima permissio est communis reprobis, & prædestinatis;non enim per illam distinguuntur reprobi, & prædestinati; & ideo pro illo tunc non possunt concipi reprobi, & prædestinati distincti, qui tantùm distinguuntur per secundam permissionem peccati finalis; ergo illa prima permissio nõ est effectus reprobationis,sed prouidentię generalis.

11 Obijc.3. contra 2.part. concl. Gratia, & merita interrupta per peccatum sunt effectus prędestinationis in prędestinatis, vt superiùs ostensum est; & tamen non coniunguntur cum fine prædestinationis;ergo permissio peccati interrupta, & deleta per gratiam in reprobis,licèt non connectatur cum fine reprobationis, est tamen effectus reprobationis.

Resp.neg. cons;& disparitas est;quia merita, & gratia interrupta per subsequentem pœnitentiam redeunt, & reuiuiscunt; vnde moraliter connectuntur cum fine prædestinationis; at verò peccata interrupta per gratiam, cùm penitus annihilentur, & non redeant,ideo nec physicè, nec moraliter connectuntur cum fine reprobationis, & per consequens nec eorum permissio cum fine reprobationis connecti potest; quia nequit connecti cum illo, nisi ratione

peccati, quod ſequitur ad illam, peccatum autē eſt penitus deſtructum, ideo nequit mediante ipſo, quod non eſt, connecti.

12 Inſtabis. Permiſſio peccati in prædeſtinatis eſt effectus prędeſtinationis, vt dictum eſt ſuperiùs, & tamē nō coniungitur cū fine prædeſtinationis, quia per gratiam interrumpitur; ergo permiſſio peccati deleti in reprobis eſt effectus reprobationis, quamuis non connectatur cum fine reprobationis.

Reſp. diſt. 2. part. ant. Et tamen non coniungitur cum fine prædeſtinationis mediante peccato, quod ad illam ſequitur, conc; mediante motiuo maioris humilitatis, patientiæ, & pœnitentiæ, neg. Permiſſio ergo peccati in prædeſtinatis, quia procedit ex intentione, qua Deus vult maiorem humilitatem, patientiam, & pœnitentiam in prędeſtinatis, ideo ratione talis intētionis coniungitur cum pœnitentia finali, quę connectitur cum fine prædeſtinationis. At verò quando Deus permittit peccata delēda per pœnitentiam in reprobis, non intendit illa permittere ex intentione peccati finalis, quod connectitur cum fine reprobationis, aliter Deus intēderet peccatum, ideo nullo modo coniungitur cum fine reprobationis.

13 Replicabis. Permiſſio peccati delendi, licèt non connectatur mediante peccato deleto cum fine reprobationis, quia peccatum deletum non eſt, attamen connectitur cum permiſſione peccati finalis, quę permiſſio coniungitur cum fine reprobationis; ergo ſaltem mediante permiſſione peccati finalis poteſt permiſſio peccati delēdi eſſe effectus reprobationis; ſicut permiſſio peccati in prædeſtinatis, licèt non connectatur mediante peccato cum fine prędeſtinationis, attamen cum ipſo coniungitur mediante motiuo, & intētione maioris humilitatis, pœnitētię &c.

Reſp. neg. ant; nam permiſſio peccati delēdi nullo modo ordinatur ad permiſſionem peccati finalis; ordinatur enim ad oſtenſionem miſericordię volentis omnes ſaluari.

14 Obijc. 4. contra vlt. part. Permiſſio peccati finalis antecedit ipſum peccatum finale; ſed peccatum finale eſt cauſa reprobationis; ergo non eſt effectus reprobationis.

Reſp. diſt. ma. Peccatum eſt cauſa reprobationis poſitiuę, conc; negatiuę, neg.

A R T. IV.

An omnis pœna æterna, & temporalis in reprobis ſit effectus Reprobationis?

1 Poena reproborum duplex eſt; alia temporalis, alia æterna. Temporalis eſt illa, quam patiuntur reprobi in hac vita; vt ſunt omnes miſeriæ, calamitates, morbi, anguſtiæ, fames, bellum, aliјque defectus corporales, vt malum temperamentum, durum ingenium, propēſio ad iraſcibilem, & concupiſcibilem, & tandem mors in ſtatu peccati. Pœna æterna duplex eſt, ſcilicet pœna damni, quæ eſt priuatio gloriæ; & pœna ſenſus, quæ eſt damnatio ad ignem, & alia tormenta, quæ ſunt in inferno. De pęna æterna apud nullum eſt dubium, quòd non ſit effectus reprobationis, eſt enim finis reprobationis; & ſicut glorificatio, quæ eſt finis prædeſtinationis, eſt effectus prædeſtinationis; ita damnatio ad pęnam æternam, quæ eſt finis reprobationis, eſt effectus reprobationis, cùm executio finis ſit effectus intentionis finis. De pęna temporali eſt aliquod dubium, & maximè de morte in ſtatu peccati.

2 Prima ſententia vult mortem temporalē reprobi, malum temperamentum, durum ingenium, aliosque defectus corporales non eſſe effectus reprobationis regulariter loquendo; ordinariè namque Deus reprobat poſt præuiſam mortem reprobi ex aliqua cauſa naturali contingentem; quanuis extraordinariè loquēdo aliquos aliquando reprobet ex intentione efficaci excludendi à gloria; & ex vi talis intentionis efficacis cauſet illorum mortem in ſtatu peccati, vt accidit *in Dathan, & Abyron. Ita Sua. lib. 5. de Reprob. c. 7. n. 11; & Villeg. contro u. 16. diſp. 2. c. 2.*

Secunda ſententia docet omnes pœnalitates generaliter in reprobis, & per conſequens etiam mortem in ſtatu peccati, eſſe effectus reprobationis. *Ita Fundatiſſ. Doct. in 2. diſt. 36. q. 2. art. 2*; vbi ait pœnas, quas patiuntur reprobi in hac vita, eſſe quandam inchoationem pœnæ æternæ, quam pati debent in alia vita. Hæc ſententia communis eſt inter Theologos; pro cuius deciſione.

3 Not. 1. id; quod ſupra diximus de prædeſtinatione, ſcilicet, quòd eſſe effectum reprobationis ſtat dupliciter. 1. elicitiuè. 2. imperatiuè. Ille eſt effectus reprobationis elicitiuè, qui eſt immediatè à voluntate reprobante, nec ſit ab alia potētia. Ille eſt effectus reprobationis imperatiuè, qui non eſt immediate à voluntate reprobante, ſed eſt ab alia potentia ſubordinata, imperatur tamen à voluntate ex intentione efficaci reprobandi. Quando quęrimus, an mors, & aliæ pœnalitates reproborum ſint effectus reprobationis, loquimur de effectu imperato, non autem elicito.

4 Not. 2. *ex Fundatiſſ. Doct. loco cit*; quòd mors poteſt conſiderari dupliciter. 1. vt quidam defectus naturalis corporis animati ſenſibilis; ex eo namque, quòd corpus animatum ſenſibile conſtat ex primis quatuor qualitatibus contrarijs, eſt alterabile; ex eo, quòd eſt alterabile, eſt corruptibile; ex eo, quòd eſt corruptibile, ſequitur corruptio, quæ eſt mors corporis animati. Mors ſic conſiderata eſt quidam naturalis defectus communis reprobis, & prædeſtinatis, neque eſt effectus reprobationis. Et quanuis in ſtatu Innocentiæ ex dono eſus ligni vitæ homines nō fuiſſent morituri, vt docet *Beatiſ. P. in Supp. cont. Iul. lib. 1. c. 67; & 78*; (de quo alibi) attamen in pęnam

pœnam peccati originalis subtractum fuit donum originalis iustitiæ, & mors naturalis, quæ à tali dono impediebatur, restitura fuit. 2. Potest cōsiderari mors, vt coniūgitur cum subtractione gratiæ efficacis, & cum peccato mortali finalis impænitentiæ commisso à voluntate creata, & quatenus mediante tali peccato mors temporalis coniungitur cum morte æterna, quæ est damnatio ad ignem; & sic dicitur *à Fundatiss. Doct.* quædam inchoatio damnationis æternæ, quatenus mediante peccato finali continuatur cum æterna damnatione; & sic non est communis reprobis, & prędestinatis, sed conuenit solis reprobis, & est effectus reprobationis propter rationes infra adducendas.

5 Defectus autem naturales corporis, vt propēsio ad iram, duo importāt; scilicet aliquam deformitatem moralem, quæ est peccaminosa, & hæc nullo modo est effectus voluntatis Diuinæ reprobantis; Deus enim non est causa deformitatis peccaminosæ, & importāt pœnalitates consequentes ad talem deformitatem; & istæ pœnalitates (cùm non sint deformes, consequuntur enim ad deformitatem, quam supponunt) quatenus coniunguntur cum pæna ęterna, possunt dici effectus imperati ipsius reprobationis. *His not.*

6 Vnica concl. Pęna æterna, & temporalis in reprobis, quæ coniungūtur cum æterna damnatione, sunt effectus reprobationis.

Prob. 1. pars concl. Pœna ęterna est finis in executione ipsius reprobationis, sed finis in executione dicitur finis effectus finis in intentione, qui dicitur finis causa ipsius finis in executione, vt dictum est de glorificatione, quę est finis effectus prædestinationis; ergo pęna æterna est effectus reprobationis.

7 Prob. 2. Deus reprobat ex intētione conferendi pœnam æternam; sed quæ fiunt ex intētione alicuius, sunt effectus intentionis illius; ergo pœna æterna est effectus reprobationis.

8 Prob. 2. pars *ex Beatiss. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 2. c. 98. & 99;* vbi docet, quòd si non fuisset peccatum originale, nulla fuisset mors corporis, quia mors corporalis est pœna peccati *iuxta Apost.* docentem: *Pœna peccati mors*; quod nequit intelligi de morte animæ, quia mors animę est ipsum peccatum; sed peccatum originale est causa reprobationis; ergo mors corporalis, quæ sequitur ad peccatum, in reprobis est effectus reprobationis.

9 Prob. 2. *ex Fundat. Doct.* Mors reprobi in statu peccati, & omnes aliæ pœnalitates, quatenus coniunguntur cum æterna damnatione, inchoant damnationem, & sunt initium illius; sed quod est causa finis alicuius rei, est causa etiam initij, & inchoationis illius rei; ergo mors reprobi in statu peccati, & omnes aliæ pęnalitates, quatenus coniunguntur cū ęterna damnatione, sunt effectus reprobationis.

10 Præterea mors reprobi in statu peccati conuenit solis reprobis, conducit ad finem reprobationis, quia coniungitur cum ipso, & ex ipsa morte sequitur æterna damnatio, est volita à Deo, nullam enim deformitatem moralem importat; ergo est effectus reprobationis.

11 Conf. specialiter de morte. Ad Iudicem spectat nedum decernere supplicium reo, sed etiam eductionem è carcere tali hora; vt ducatur ad patibulum; vnde nedum ipsum suppliciū, sed etiam eductio à carcere est effectus decreti Iudicis; sed per mortem corporalē reprobi anima educitur è corporis carcere; ergo nedum supplicium ęternum, sed etiam ipsa mors reprobi in statu peccati est effectus voluntatis Diuinæ reprobantis.

12 Diximus de pęnalitatibus, quæ coniunguntur cum fine reprobationis; nam de illis pœnis, quę nullo modo coniunguntur cum tali fine, dicendum, quòd non sunt effectus reprobationis, quia ad finē illius non conducunt. Dici ergo debent effectus prouidentiæ generalis, sicut diximus de prima permissione peccati, & de gratia originali.

13 Obijc. 1. Mors est quidam defectus naturalis omnis corporis animati sublunaris; ergo non est pœna, & per consequens non est effectus reprobationis; cùm omnis effectus reprobationis sit pœna inflicta à voluntate reprobāte.

Resp. dist. conf. Non est pœna, si consideretur secundùm se pręcise, transeat; si consideretur, vt aduenit naturę immortalizatę per gratiā, neg.

14 Obijc. 2. Si mors reprobi in statu peccati esset effectus reprobationis, Deus esset causa deformitatis moralis, quæ coniungitur cum tali morte; ergo non est effectus reprobationis. Prob. ant. Deus causaret illam mortem cum deformitate peccaminosa; ergo esset causa deformitatis moralis.

Resp. negando ant. Ad cuius prob. dist. ant. Causaret illam mortem cum deformitate morali causata à volūtate creata, conc; à voluntate Diuina, neg; ex eo enim, quòd Iudex decernat aliquam reum mori in proprio delicto; non sequitur, quòd causet illud delictum ex eo, quòd causat mortem rei, imò sequitur, quòd puniat illud delictū pœna mortis, quæ est pęna illius.

ART. V.

An substantia reprobi sit effectus Reprobationis?

1 HAec difficultas breuiter expeditur ex dictis *q. 4. art. 5.*

2 Not. id, quod sæpius diximus, scilicet, quòd adhoc, vt aliquod sit effectus reprobationis, non est satis, quòd ordinetur ad finem reprobationis; nam etiam peccata ordinantur à Deo ad pęnam æternam, quæ est finis reprobationis, & tamen non sunt effectus reprobationis. Requiritur ergo vltra hoc, quòd ex intentione finis reprobationis à Deo causetur, & fiat.

3 Vnica concl. Substātia reprobi non est effe-

effectus reprobationis.

Prob. 1. Nullam Deus creauit creaturam intentione illam reprobandi, & damnandi ad gehēnam; ergo substantia reprobi non est effectus reprobationis. Prob. ant. 1. ex *Beatiss. P. Ioseis cit. q. 4. art. 5.* dicente: *Ad te fecisti nos Domine*; quibus nos instruit creaturas intellectuales creatas esse ex intentione, vt tenderent ad Deum; sed intētio reprobandi est intētio repellēdi à Deo; ergo nullam Deus condidit creaturam ex intētione illam reprobandi. 2. Deus non intēdit reprobare, nisi propter peccatum puniēdum; sed non condidit creaturam ex intētione peccati puniendi, quia in creatione substantiæ creatę sola relucet bonitas Dei, & misericordia, non autem iustitia; ergo nullam condidit creaturam ex intentione illam reprobandi.

4 *Et in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 121.* ait: *Agnosce ibi etiam, quod ipse non facit; peccatum quippe ipse non fecit; alius autem similiter, vt vos, alius vanus posset dicere Deum desiderio creandarum miseriarum etiam eos creare, quos damnaturum se esse ignorare non potuit*. Et *c. 130. Non abstinet Deus bonum formationis suæ etiam ab stirpe damnata. Sed si tibi displicet Deum creare, quos damnet; contradic ei, si potes, ne creet eos, quos futuros, & in malignitate vsque in finem perseueraturos, & ob hoc sine dubitatione damnandos esse præsciuit*. Et *inf. Cùm enim te inuidiosè dicere putaueris Deum creare, quos damnet, cogita, quantò inuidiosiùs possit dicere alius similiter vanus Deum regenerare, quos damnet*. Ex quibus sic. Deus nullum creat intētione conferendi illi miseriam, quia nullum recreat, seu regenerat intētione illū damnandi; nam Christus mortuus est pro omnibus, vt saluentur, non vt damnentur aliqui; ergo substantia reprobi non est effectus reprobationis.

5 Conf. Illud est effectus reprobationis, quod est obiectum odij, seu abominationis; reprobatio enim *in Scripturis* vocatur *odium*, & *abominatio*; sed substantia reprobi non est huiusmodi, quia obiectum odij solùm est malum, vel culpæ, vt peccatum, quod non causatur à Deo, & ideo non est effectus reprobationis; vel malum pœnæ, quod causatur à Deo, & ideo est effectus reprobationis; vnde sola mala pœnæ sunt effectus reprobationis; substantia autem prædestinati non est mala moraliter, vt patet; neque physicè, quia non est pœna; & eius productio est communicatio bonitatis, & amoris Dei, non iræ, aut odij; ergo nō est effectus reprobationis.

6 Prob. 2. Maior perfectio, & dignitas reperitur in fine, quàm in medijs, vt docet *B. Doct.*; nam media participant suam perfectionem à fine; vnde si media sunt perfecta propter finem, multò magis ipse finis est perfectus, quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; sed pœna æterna non est magis perfecta, quàm substantia reprobi, nec ratione entitatis, quia pœna est accidens, entitas verò reprobi est substantia; nec ratione ordinis, quia vtraque est ordinis naturalis; ergo substantia reprobi non est effectus reprobationis.

7 Obijc. 1. Glorificatio, quæ est finis prædestinationis, est imperfectior substantia prædestinati; & tamen substantia prædestinati est medium glorificationis, & effectus prædestinationis; ergo secunda probatio ruit. Prob. ant. Glorificatio est accidens, & entitas prædestinati est substantia; sed accidens est imperfectius substantia; ergo glorificatio est imperfectior substantia prędestinati.

Resp. dist. ant. Glorificatio est imperfectior substantia prædestinati in ratione entitatis, cōc; in ratione ordinis, neg; glorificatio enim est supernaturalis ordinis, & substantia est ordinis naturalis; at verò damnatio, & substantia reprobi sunt eiusdem ordinis naturalis; per quod patet ad prob.

8 Obijc. 2. Substantia reprobi est subiectum damnationis, & est finis *cui* ipsius; sed subiectū, & finis *cui* est effectus intentionis, vt dictum est de substantia prędestinati *loc. cit*; ergo substantia reprobi est effectus reprobationis.

Resp. dist. ma. Subiectum, & finis *cui* est effectus talis intentionis, si causetur ex tali intentione, conc; si tantùm ordinetur, vt in casu, neg; nam ratio effectus sumitur ex causalitate, non ex ordinatione simplici.

9 Obijc. 3. *Prou. 16.* habetur: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Deus*; *impium quoque ad diem malum*; sed dies mala interpretatur damnatio; ergo Deus operatus est substantiam reprobi ex intentione illam reprobandi.

Resp; quòd *Septuaginta* legunt: *Impij autem in die mala peribunt*; & *Paraphrasis Chaldaica*: *Impius seruatur in diem malum*. Sensus ergo illorum verborum est; quòd licèt Deus omnia creauerit propter gloriam suam, peccatores tamen propter illorum malitiam damnabuntur; ex quo non colligitur, quòd Deus eo fine creauerit reprobos, vt eos damnaret.

10 Obijc. 4. Deus nedum creauit aliquas substātias, vt manifestaret suam misericordiam, sed etiam aliquas, vt manifestaret suam iustitiam; sed suam iustitiam manifestat Deus in damnatione; ergo creauit substantiam reproborum, vt ipsam damnet.

Resp. dist. ma. Vt manifestaret suam misericordiam intentione antecedente, & iustitiam intentione consequente, conc; vtranque intentione antecedente, neg. Quando ergo creauit substantias, illas condidit ex mera intentione manifestandi gloriam suam; quia tamen aliquæ substantiæ iam determinatæ in esse erant defecturæ à rectitudine per peccata, ideo post talem præuisionem, & consecutiuè Deus efficaciter intendit manifestare in aliquibus suam iustitiam vindicatiuam; ac propterea predestinatio an-

antecedit omnia merita nostra; reprobatio verò supponit demerita nostra; propter quod intentio electiua ad gloriam manifestatiua misericordiæ antecedenter se habet; intētio verò damnatiua ad pœnam, & manifestatiua Iustitiæ ex consequenti se habet.

ART. VI.

An Deus deneget aliquibus auxilia sufficientia ad salutem; & an talis denegatio sit effectus Reprobationis?

1 CErtum est 1. iuxta doctrinam *Beatiss. P*; vt vidimus *in sup. q. art. 3*; Deum iustè potuisse negare omnibus hominibus omnē gratiam siue efficacem, siue sufficientem propter solum peccatum originale; quia peccatum originale, cùm infecerit omnes homines, qui in *Adam* peccauerūt, demeruit omnibus omnia dona Dei.

2 Certum est. 2. Deum post peccatum originale instituisse remedium salutis pro omnibus hominibus, eisque præparasse, & obtulisse auxilia sufficientia; nam Christus pro omnibus mortuus est, vt ostendimus *de Vol. q. 4. art. 1; & 4.*

3 Certum est. 3. omnes actu non recipere auxilia efficacia, quibus conuertantur ad Fidem, & actu saluentur; quia plures sunt infideles, qui carent Fide; & aliqui ex fidelibus damnantur.

4 Certum est. 4. Deum non actu conferre auxilia sufficientia omnibus hominibus pro singulis momentis, vt patet de dormiētibus, vel ita distractis, vt ne quidem cogitent de sua salute.

5 Certum est. 5. omnibus hominibus non recipere actu concessa fuisse auxilia sufficientia, saltem in suis causis remotis, quia primis parentibus collata fuit lex, & auxilia ad legem implendam.

6 Modò in dubium vertitur, an omnes homines, siue paruuli, siue adulti actu recipiant in se ipsis, vel proximè possint recipere in suis causis proximis auxilia sufficientia ad salutem?

7 Prima sentētia vult non omnibus reprobis etiam adultis dari auxilia sufficientia, neque in se ipsis, neq; in suis causis proximis illis proximè applicabilia; quod à fortiori affirmat de paruulis decedentibus in vtero matrum. *Ita Aluar. disp. 112. de Aux. concl. 3; Bann; Gonz; Io. à S. Thō; & alij.*

Secunda sententia vult omnibus actu conferri auxilia sufficientia, saltem in suis causis proximis per humanam diligentiam proximè applicabilia; siue sint paruuli, siue adulti. *Ita noster Gibb. hic disp. 6. dub. vlt; apud quem Bellarm. lib. 2. de Grat; & lib. arb. c. 5; Sua. lib. 4. de Prouid. c. 4; Val. 1. 2. disp. 8. q. 3. puncto 4; Less. de Præd. disp. 6. sect. 1; Arrub; Petrus Corneio, Herie; Arriag.* Refertur autem *Caiet. 3. p. q. 68. art. 11.* dicens pueros morientes in vtero matrum, si à matre offerantur Deo, & Deus inuocetur; & pueros natos ante vsum rationis, si defectu aquæ, vel ministri baptizari nō possint, si crucis signo muniantur, saluari. Sed hæc sententia expressè reijcitur *Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c; de quo suo loco.*

Tertia sententia docet Deum aliquibus paruulis decedentibus in vtero matrum denegare actualem receptionem auxiliorum sufficiētium per causas proximas quantacumque adhibita diligentia iusto quidem iudicio, sed occulto; omnibus tamen adultis concedere aliqua auxilia sufficientia, non omnia, nec omnibus æqualia. Hanc putamus esse mentē *Beat. P*; vt infra patebit; & colligitur manifestè *ex Fund. Doct. loc. cit. de Vol. q. 4. art. 4.* Idem docet *noster Greg; Gabr; Sot; Vasq; hic disp. 46. c. 2; Alarc; & alij.*

8 Not. *ex Fund. Doct. loc. cit. de Vol. vbi sup.* auxilia sufficiētia esse multiplicia; alia enim sunt extrinseca, vt præcepta, prædicatio legis, vocatio externa, calamitates, euentus portentosi, quibus potest voluntas excitari in Deum. Alia interna, vt illuminatio mentis, emollitio cordis, excitatio, & motio voluntatis, inspiratio &c. Hæc autem auxilia dicuntur sufficientia, non quidem, quia ipsa sufficiant per se sola ad actualem conuersionem ad Fidem, sed quia si ipsis homines bene vtantur, conuertentur; vt docet *Beatiss. P. lib. 19. de Ciu. c. 13*; vbi ait: *Deus rerum sapientissimus ordinator hominibus dedit quædam bona ad societatem generis sui accomodata, hoc pacto æquissimo, vt quicunque talibus bonis rectè vsus fuerit, accipiat ampliora ad fruendum Deo; qui autem perperam, neque hæc accipiet, & illa amittet. Et lib. 3. de lib. arb. c. 22. Quòd ergo ignorat, quid sibi agendum sit, ex eo est, quòd nondum accepit, sed hæc quoque accipiet, si hoc, quod accepit, bene vsus fuerit. Accepit autem, vt piè, & fideliter quærat, si volet.* Quod habet etiam *de Grat; & lib. arb. c. 17; & lib. 1. ad Simpl. q. 2; & in Enchir; & alibi.*

9 Igitur licèt Deus deneget actualem receptionem aliquorum auxiliorum, non tamen denegat receptionem omnium; vt v.g. induratis denegat actualem emollitionem cordis; aliter si illam concederet, non essent indurati, sed emolliti; quod dicitur per oppositionem ad induratū; sic excæcatis denegat illuminationē internam, aliter non essent excæcati; illuminatum enim dicitur per oppositionem ad excæcatum. Hæc auxilia Deus denegauit *Pharaoni*; qui tamē habuit auxilia extrinseca; nam *à Moyse* ei fuerunt intimata præcepta Dei, vt dimitteret populum, vidit signa, & miracula, fuit flagellatus plurimis plagis; quibus omnibus vocabatur exteriùs ad conuersionem in Deum operantem talia prodigia, & per consequens vocabatur ad Fidem; quam vocationem *si Pharao* non despexisset, Deus dedisset ei maiora auxilia, scilicet illuminationem mentis, & emollitionem cordis, nec permisisset ipsum indurari, & excæcari. Aliquando autem denegat hæc omnia auxilia, vt patet de infidelibus, quibus non concedit actualem prædicationem legis, neque operatur miracula,

vt

vt conuertantur, neque illuminat eorum mentem, neque cor emollit; attamen multa operatur in ordine naturæ tam portentosa, & magna, vt possint cognoscere ea non posse fieri à creatura, & ex hac cognitione deuenire in cognitionem veri Dei iuxta illud *Apost. Inuisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*; & ex tali cognitione potest excitari voluntas ad quærendum ipsum Deum, quæ excitatio est auxilium inspiratum ab ipso Deo, quo si voluntas non abutatur, Deus illam magis adiuuat, donando ei vires supernaturales, vt possit petere à Deo gratiam ad se conuertendum. Ex hoc ortum habuit illud axioma: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*; idest bene vtentibus prioribus auxilijs, quibus excitamur in Deum, Deus non denegat maiorem gratiam; bene autem vti prioribus auxilijs est quærere ipsum Deum, ad cuius cognitionem, & amorem excitamur; quærere autem Deum est petere ab eo vires, quibus illum inuenire possumus. *His not.*

10 Vnica concl. Deus actu denegat aliquibus paruulis actualem receptionem auxiliorum sufficientium ad salutem, adultis verò licèt deneget aliqua auxilia, non tamen denegat omnia; & talis denegatio est effectus reprobationis.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiss. P. de Dono Perseu. c. 12*; vbi ait: *Neque enim Fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire, cùm sit vtriusque causa communis, aut res humanas in paruulis non Diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cùm rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in Cælis est; aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quòd paruuli sine baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia; tanquam ipsi, qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint. Quid dicam, quod paruulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hac vita non tenuit, vt daretur*. Ex quibus sic arguitur. Paruuli moriuntur sine baptismo nedum ob negligentiam parentum, sed etiam adhibita omni diligentia, & festinatione, ergo Deus illis denegat actualem receptionem auxiliorum sufficientium ad salutem, etiam in causis proximis.

11 Conf. Aliqui paruuli moriuntur in vtero matris, non ex aliqua actione libera ipsius matris per humanam diligentiam euitabili, sed ex aliqua infirmitate naturali, vel ex aliquo accidente fortuito ipsius matris, quod ipsa mater non potest naturaliter præuidere, & euitare, v. g. si ignoranter inuincibiliter degluriat cibum veneno infectum, vel dormiens suffocetur ab aliqua ruina, vel ab aliquo fulgure in cinerem redigatur, vel à terremotu absorbeatur; & similibus casibus, quos nequit præuidere, & etiam præuisos nequit auuertere; ergo aliquando Deus denegat actualem receptionem auxiliorum sufficientium, & proximam applicabilitatem in suis causis proximis.

12 Resp. *noster Gibb. Beatiss. Patrem* loqui discursiuè, admiratiuè, & interrogatiuè; non autem determinatiuè, & resolutiuè. Addit Deum in casibus prædictis inspirare matribus, vt talia pericula effugiant, quibus inspirationibus si rectè vsæ fuissent, liberatæ fuissent ab illis infirmitatibus, & casibus inopinis.

Sed contra est; nam *Beatiss. P.* in illo capitulo loquitur *contra Pelagium* probans gratiam dari aliquibus sine meritis, & alijs iustè negari ob demeritum vnius *Adæ*, in quo omnes peccauerunt; & assumit exemplum duorum paruulorum, quorum vnus expirat sine baptismo, qui non potuit etiam adhibita humana diligentia applicari solùm, quia Deus noluit; ergo non loquitur interrogatiuè, aut admiratiuè; aliter non probasset id, quod intendit; quis enim probare potest interrogationibus, aut admirationibus, quæ veritatem non habent? Præterea, vt patet ex textu, loquitur assertiuè; vt patet ex illis verbis: *Plerumque fit*; non enim ait: *Forsan possibile est, vt fieret; vel nunne potest esse, vt fiat?* Sic enim loqueretur interrogatiuè, & discursiuè. Præterea idem confirmat, & repetit pluribus alijs in locis, vt *inf.* videbimus; ex quo deducitur hanc esse eius certam, ratamque sententiam. Nec aliud dicitur non constare *ex Scripturis*, neque ex rationibus, neque ex testimonio ipsarum matrum, quòd Deus illas taliter inspiret; constat tamen experientia multas earum inopinatè interire simul cum suis fœtibus in vtero. Quòd si Deus eas sic inspiraret, non est credibile, quòd bene non vterentur illis inspirationibus, non solùm ad euitandam mortem paruuli, sed ad euitandam propriam mortē, quam naturaliter vnusquisq; cupit effugere.

13 Prob. 2. Vel Deus vult efficaciter actualem receptionem, & actualem applicationem auxiliorum sufficientium omnibus paruulis; vel solùm inefficaciter? Non primum; aliter omnes paruuli baptizarentur; nam voluntas Dei efficax simpliciter infrustrabilis est; dicitur enim efficax, quia facit, quod vult, iuxta illud *ps. 113. Omnia, quæcunque voluit, fecit*; vt fusè arguit *Beatiss. P. in Enchir. à c. 96.* Si secundum; ergo actualis receptio, & actualis applicatio per nullam humanam diligētiam vnquam potest actu fieri; aliter fieret actu, quòd voluntas Dei efficaciter non facit, & non vult; & ideo talis efficientia actualis contingeret fortuitò ipsi Deo, vt arguit *Beatiss. P. de Dono Perseu. vbi sup.* quia accideret præter eius intentionem efficacem; non enim vellet efficaciter ipsam actualem applicationē; & ideo nec illam efficeret; nam quæ actu efficit

Deus,

Deus, efficaciter vult, cùm efficiat per voluntatem; implicat autem, quòd eius volitio efficiat aliquid, & non ſit efficax; cùm denominatio efficacis ſumatur ab actuali efficientia; & ideo talis applicatio actualis nedum effugeret Dei voluntatem, ſed etiam omnipotentiam.

14 Tandem euertitur fundamẽtum *Aduerſariorum*. In tantùm paruulis eſſent actu applicabilia remedia ad ſalutem, in quantùm Chriſtus mortuus eſt pro omnium ſalute etiam paruulorum; & eſt Redemptor, ac Saluator etiam illorum, vt docet *Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 112; & lib. 2. c. 30*; quod ſæpe repetit in his libris; ſed Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus efficaciter applicatiuè, nec eſt Redemptor omnium efficaciter omnibus applicando pretium ſui ſanguinis; aliter omnes ſaluarentur à tam debita damnatione, in quam omnes iuerunt propter peccatum originale; ergo quanuis remedia ad ſalutem non ſint omnibus actu applicabilia proximè, attamen Chriſtus mortuus eſt pro omnibus, & obtulit ſuam mortem vniuerſaliter pro omnibus, quanuis ſolùm pro aliquibus efficaciter eam obtulerit, & alios reliquerit cum ſola inſtitutione vniuerſali ipſius remedij abſque actuali applicatione. Sicut enim licèt reprobis adultis non applicuerit ſuam mortem efficaciter, vt ſaluentur, attamen non tollitur, quin ſit Redemptor illorum, quia ſufficit, quòd fuderit ſanguinem pro omnibus; ita licèt non applicuerit remedia ſufficientia efficaciter paruulis; attamen non tollitur, quia ſit Redemptor illorum; quia ſufficit oblatio generaliter facta, & inſtitutio generalis remedij pro omnibus, quanuis tale remedium omnibus non applicetur; non enim minùs dicitur Redemptor, quia parauerit auxilia efficacia, quàm quia parauit ſufficientia; nam auxilia efficacia magis conducunt ad redemptionem, quàm ſufficientia; & tamen licèt aliquibus reprobis non applicuerit actu efficaciter auxilia efficacia, attamen non tollitur, quin ſit Redemptor illorum; ergo quanuis non applicuerit efficaciter paruulis auxilia ſufficientia, non tollitur, quin ſit eorum Redemptor; ſufficit enim, quòd generaliter obtulerit pretium ſui ſanguinis pro omnibus, & quòd inſtituerit remedium. Sicut ſi Medicus inſtitueret remedium pro omnibus hominibus alicuius Ciuitatis, & illud omnibus offerret; quanuis aliquibus actu non applicaretur, non tamen tolleretur, quin ille eſſet Medicus omnium illius Ciuitatis. Ita à pari.

15 Hoc etiam docet *Beatiſſ. P. de Grat. & lib. arb. c. 22; & de Nat. & Grat. c. 8; & Epi. 105. poſt medium; & 107*; ex quibus apparet hanc eſſe eius firmam, ratamque ſententiam. Ipſum ſequitur *noſter D. Proſper lib. de Ingratis c. 20; & 21. apud Vaſq. vbi ſup.*

16 Prob. 2. pars concl. *ex Rom. 1. Reuelatur ira Dei de Cælo ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent, quòd notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtauit; inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas ita, vt ſint inexcuſabiles.* Ex quo ſic. Omnis homo, quantumuis rudis, & barbarus perueniẽs ad vſum rationis poteſt cognoſcere Deum naturaliter, quia Deus à nullo poteſt inuincibiliter ignorari, vt oſtendimus *To. 1. de Subſt. Dei q. 1. art. 5*; qua cognitione ſi bene vſus fuerit, poteſt à Deo ſupernaturaliter illuminari ad ipſum cognoſcendum, & amandum, vt eſt auctor ſupernaturalis; ergo omnis adultus habet auxilia ſaltem remota ſufficientia ad ſalutem.

17 Conf. 1. *Beatiſſ. P. de Grat. & lib. arb. c. 11; 16; & 27; & lib. 2. de peccat. merit; & remiſſ. c. 17; & de Nat. & Grat. c. 69*; vbi docet dari omnibus adultis quantumuis barbaris, & rudibus quædam auxilia extrinſeca illos vocantia ad Deum, ac propterea Deum non iubere impoſſibilia, quia omnia fiunt poſſibilia per eius gratiam, ſi bene vtamur primis auxilijs, etiam ſi ſint naturalia; non quòd auxilia naturalia aliquo modo diſponant ad gratiam; hoc enim falſum eſt; nam diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam diſponit; ſed quia hoc ordine diſpoſuit Deus æquiſſimè noſtram ſalutem, vt *ex eodem* diximus ſuperiùs; ex quibus ſic. Omnes homines, quantumuis indurati, excæcati, & rudes, videntes mortes improuiſas, terremotus deglutiẽtes integras ciuitates, contagiones depopulantes regna, fulgura in cinerem redigentia, tempeſtates, tonitrua, & cetera huiuſmodi poſſunt ex illis erigi ad cognoſcendum verum Deum, qua cognitione ſi bene vtantur perſiſtentes in ea, Deus infundet ſuam gratiam, vt Deum quærant, & ab ipſo perant auxilia ad conuertendum; ergo omnibus induratis, & barbaris Deus concedit actualem receptionem auxiliorum ſufficientium ſaltem in ſuis cauſis proximis.

18 Conf. 2. ex illis *Scripturis*, in quibus Deus dicitur *nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat*; & ex illo *Matt. 23. Quoties volui congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos &c*; ſed gallina congregat pullos eos vocitando; ergo Deus congregat peccatores eos vocando externè ad pœnitentiam; ſed vocatio eſt auxilium ſufficiens; ergo Deus nulli adulto negat auxilia ſufficientia. Et ex illo *Apoc. 3. Sto ad oſtium, & pulſo*; ſed pulſationes ſunt auxilia ſufficientia; nam ſi illis bene vtamur, Deus non denegat maiorem gratiam; ergo Deus concedit omnibus adultis auxilia ſufficientia. Tandem ex illo *Pharaonis*, qui licèt eſſet induratus, & excæcatus, attamen Deus extrinſecè eum vocauit per *Moyſem* tot ſignis, plagis, & flagellis, quibus ſi bene vſus fuiſſet, illuminatus fuiſſet à Deo, ſicuti illu-

illuminatus fuit *Eunuchus Regina Candacis per Philippum Apostolū* eo, quia bene vsus fuerat lectione *Isaiæ prophetæ*; *et Nabuchodonosor* eo, quia oculos ad Cœlum leuarat; ergo Deus nulli negat auxilia sufficientia ad salutem.

19 Conf. 3. Instante obligatione præcepti Deus non negat auxilium sufficiens ad illud implendum; sed præcepta naturæ obligant omnes etiam rudes, & barbaros, quia præcepta naturæ data sunt vniuersaliter omnibus naturā rationalē, & lumē rationis habētibus; natura autē rationalis, & lumen rationis conueniūt omnibus hominibus, quantunuis induratis, excæcatis, rudibus, & barbaris; aliter non essent homines, & cū dicitur, quòd lumen rationis in illis est omnino extinctum, sensus est, quòd ita est debilitatum per peccata, quæ excæcant animam vt videatur pene extinctum, non autem, quòd sit ab illis penitus ablatum; nam intellectus est proprietas inseparabilis à natura rationali; ergo Deus dat omnibus adultis auxilia sufficientia ad implenda præcepta; quibus si bene vtantur, concedit maiora: scilicet dat auxilia externa, quibus possūt externè excitari, & quibus bene vtēdo recipiunt à Deo auxilia interna, nempe illuminationem supernaturalem mentis, & emollitionem, ac motionem cordis in Deum.

20 Tum quia in hoc distinguūtur peccatores in via à damnatis existentibus in termino, quòd damnati priuantur omni auxilio, & potentia ad bene agendum; isti autem non priuantur; ergo Deus non negat omnia auxilia peccatoribus, dum sunt in via.

21 Tandem inexcusabilitas peccatorum, vt docet *Apost*; nequit saluari, nisi quilibet peccator posset recipere auxilia sufficientia ad salutem; cùm enim vires naturales non sufficiant, vt Ecclesia definiuit *contr. Pelagium*; ideo necessaria sunt auxilia Dei; ergo Deus nulli adulto negat auxilia sufficientia ad salutem.

22 Tertia pars concl. patet ex dictis *ar. 3*; nā denegatio gratiæ est iustè volita à Deo in pœnam peccati vel originalis, vel personalis, & coniungitur cum fine reprobationis; ergo est effectus reprobationis. *Vid. vbi sup.*

23 Obijc. 1. noster *Gibb. cont. 1.* part. concl. *Beatiss. Pater lib. 4. cont. Iul. c. 8.* ait: *Nunquid Paruuli homines non sunt, vt non pertineat ad illos, quod dictum est: Vult omnes homines saluos fieri*; quod sæpe repetit *in Suppl. lib. 1. & 2*; vbi docet Christum esse Saluatorem, & Redemptorem paruulorum; ergo ex vi voluntatis antecedētis, & mortis Christi Domini Deus concedit etiam paruulis decedentibus in vtero matrum actualem receptionem, & applicationem proximam auxiliorum sufficientium. Tum quia adhoc, vt Christus sit Redemptor omnium non sufficit, vt valor operum Christi sit sufficiens pro salute omnium; aliter esset mortuus etiam pro Dæmonibus; cùm valor operum Christi, vtpotè infinitus, sit sufficiens etiam ad redimendos Dæmones. Tum quia auxilia sufficientia sunt omnibus communia, vt diximus *de Vol. q. 4. art. 1. ex Fundatiss. Doct. cont. Iansenium*; ergo conueniunt etiā paruulis morientibus in vtero matrū.

Resp. hæc omnia fuisse superiùs soluta; dicitur enim ad 1; quòd ad hoc, vt Christus sit Redemptor paruulorum, sufficit obtulisse Patri suam mortem generaliter pro omnibus etiam paruulis; vt docet *Apost. Hebr. 9*; vbi ait: *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manufactum, idest non huius creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta æterna redemptione inuenta.* Et paulò post. *Qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Et *c. 10. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Et *1. Tim. 2. Vnus enim Deus, vnus mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionē semetipsum pro omnibus.* Ad 2. dist. assumpt. Valor operum Christi oblatus non est sufficiēs ad constituendum Christum redemptorem, neg; non oblatus, conc. Cùm ergo valor operum Christi fuerit oblatus tantùm pro hominibus, nō pro Dæmonibus, ideo est Redēptor hominum, non Dæmonum. Ad 3. dicitur, quòd auxilia sufficientia sunt communia oblatiuè, quia omnibus generaliter oblata sunt; non autem receptiuè, quia non omnes illa recipiunt.

24 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. asserentē Deū omnibus adultis cōcedere aliqua auxilia. *Matt. 12.* habetur: *Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*; ergo illis Deus denegat auxilia sufficientia ad salutem, aliter per illa posset remitti illud peccatum.

Conf. Multi peccatores propter præcedētia peccata à Deo obdurantur, & excæcantur; sed induratio, & excæcatio consistit in negatione nedum gratiæ efficacis, sed etiam auxiliorum sufficientium, dicitur enim *Io. 12. Propterea non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum*; posse autem credere constituitur per auxilia sufficientia; quia gratia sufficiens dat posse. *Et Beatiss. P. in Epist. ad Rom. de Pharaone* ait: *Non fuisse imputatum illi, quòd tunc non obediret, quia obdurato corde obedire non poterat; sed quia propter peccata præcedentia dignum se fecerat, cui cor obduraretur*; ergo Deus negat aliquibus omnia auxilia sufficientia. *Et de Cor. & Grat. c. 11.* ait auxilium datum *Adæ* nunc aliquibus denegari in pœnam peccati; sed auxilium datum *Adæ* erat auxilium sufficiens; ergo Deus negat aliquibus auxilia sufficientia.

Resp. ad arg. neg. conf. & ad prob. infertam dicitur, quòd licèt per auxilia sufficientia extrinseca possit remotè remitti peccatum, quatenus illis bene vtendo Deus concedit maiorem gratiam,

tiam,per quam proximè remittitur peccatum.; attamen per illa proximè nequit remitti peccatum;vnde cùm Deus deneget maiorem gratiam in pœnam præcedentium peccatorum,nunquam potest illud peccatum remitti.

Ad conf. neg. 1. pars mi; scilicèt, quòd induratio,& excæcatio consistat in negatione omnium auxiliorum sufficientium etiam extrinsecorum; consistit enim in negatione solius illuminationis internæ, emollitionis cordis,quæ intrinsecè fit, vt patet ex dictis. Ad illud *Io.* dicitur, quòd non poterant credere intrinsecè, & proximè;poterant autem extrinsecè, & remotè; quia licèt Deus illis negauerit auxilia intrinseca,& proxima, nō tamen negauit auxilia extrinseca, & remota, vt patet *de Pharaone*, qui non poterat obedire per auxilia intrinseca, & proxima,quia illis carebat; poterat tamen per auxilia extrinseca;& sic intelligendus est *Beatiss.P.* conformiter ad eius doctrinam. Ad aliud dicitur, quòd licèt admittamus adiutorium *Adæ* esse auxilium sufficiens,quod non concedimus,vt diximus *de Scient.Dei q.4.art.*1.§.2;attamen ex hoc non probatur Deum negare omnia auxilia sufficientia intrinseca, & extrinseca ex eo, quòd negat auxilium datum *Adæ*, quod proculdubio erat intrinsecum.

25 Obijc. 3. Fides est initium iustificationis *ex Trid.sess.6.c.8;& sine Fide est impossibile placere Deo ex Hebr.*11; ergo infidelibus non dantur auxilia sufficientia, quæ essent initium salutis, antequam habeatur Fides; sine qua possemus placere Deo.Tum quia si ante Fidem Deus cōferret auxilia sufficiētia ad salutem, sequeretur, infideles, quibus non est prædicata lex, non habere ignorantiam inuincibilem,& ideo nō excusari à peccato infidelitatis negatiuæ, quæ tamen non est peccatum, vt docet communiter Theologi *ex Beatiss.P.lib.qq.Noui Testam.q.*67;*et D. Tho.*22.*q.*10.*art.*2.

Resp.Fidem aliam esse in voto;aliam in re. Fides ergo in voto est initium aliquorum operum bonorum,v.g.eleemosinæ, orationis &c;vt patet *in Centurione Act.*10.Et sine illa est impossibile placere Deo. Ad aliud de ignorantia inuincibili dicemus inferiùs.Interim dicitur,quòd ante Fidei promulgationem non sufficiunt auxilia sufficientia extrinseca ad agnoscenda mysteria Fidei. Requiruntur ergo auxilia intrinseca,scilicet illuminatio mentis,& emollitio cordis; quæ,quia Devs negat infidelibus, ideo excusantur à peccato infidelitatis. Hoc tamen intelligendum est ante Fidei promulgationem, vt infra videbimus.

26 Inst. Bene vtentibus prioribus auxilijs Deus non negat maiora,vt dictum est; ergo bene vtentibus auxilijs extrinsecis Deus non negat intrinseca, quibus possunt illuminari; & per consequēs malè vtendo auxilijs extrinsecis dāt causam suæ ignorantiæ; & sicut per ebrietatem dans causam fornicationi reddit fornicationem inexcusabilem, quæ propterea peccatum est; ita dans causam suæ ignorantiæ reddit illam inexcusabilem; ac propterea esset peccatum. Tum quia si *Gentilis* in vltima vitæ periodo solùm bene vteretur auxilijs extrinsecis, non posset sine miraculo instrui in vnico instanti in omnibus Fidei mysterijs; ergo ille non haberet auxilia sufficientia.

Resp. ad 1. dist. 2. conf. Dant causam suæ ignorantiæ sine vlla prorsus cognitione, quòd dent talem causam, conc; cum cognitione, neg. Fornicatio ergo est peccatum ponenti ebrietatem,quia potest cognoscere ebrietatem futuram esse motiuum ad fornicandum. At verò negligens auxilia extrinseca nequit vllo modo cognoscere illuminationem supernaturalem non secuturam esse ex tali negligentia;quia si posset illuminationem supernaturalem cognoscere, iam esset supernaturaliter illuminatus, quia nullum supernaturale sine illuminatione supernaturali potest cognosci; & ideo talis ignorantia non est illi peccatum. Ad aliud resp. *Ripalda illum Gentilem* in tali casu saluandum esse sine Fide Theologica. Hanc responsionem reprobat *noster Gibb*; quia *sine Fide impossibile est placere Deo.* Resp.ergo *idem Gibb.* in tali casu Deum fore obligatum ex vi suæ prouidentiæ ordinariæ prorogare vitam *ei Gentili*, vt posset instrui in Fide.Sed neutra responsio placet;nullum enim videtur motiuum talis prorogationis vitæ; cùm possit quis in instanti edoceri per inspirationem à Deo mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quæ sufficiunt ad salutem, vt docet *Fundatiss.Doct. in Opusc.de Art. Fidei ex Beatiss. P.Sed de hoc in Tract.de Fide.*

27 Obijc. 4. Amentes priuantur omni vsu rationis in pœnam præcedentium peccatorum; ergo multò magis peccatores indurati, obstinati, ac infideles barbari à Deo priuantur omnibus, & quibuscunque auxilijs sufficientibus ad salutem tam intrinsecis, quàm extrinsecis. Ant. patet; quia dantur amētes, qui nullo temporis momento rationis compotes sunt. Prob. cons;nam nō minùs vsus rationis competit amētibus;quàm illis conueniant auxilia sufficientia; ergo in pœnam præcedentium peccatorum,peccatores indurati, & infideles possunt à Deo priuari omnibus auxilijs sufficiētibus ad salutem.

Resp.hoc arg.nimis probare; quāuis enim probet Deum posse priuare omnibus auxilijs sufficientibus, & efficacibus in pœnam peccati; peccatum enim demeretur omne donum Dei; non tamen probat, quòd de facto priuet. Neg. igitur cons; & disparitas est, quia vsus rationis nō debetur homini ad hoc,vt obseruet aliquod, quod est supra eius vires; si enim homo careat vsu rationis, non tenetur aliquem actum rationalem exercere; imò quicunque actus, etiam si sit peccaminosus,illi non imputatur,vt commu-

niter docēt Theologi. At verò peccatores indurati, & barbari tenentur saltem adimplere præcepta naturæ, quod præstare nequeunt sine auxilijs sufficientibus. Vnde si Deus ipsos priuaret auxilijs sufficientibus, non posset eos punire, sed excusabiles essent.

28 Obijc. 5. Auxilium sufficiens consistit in pia motione voluntatis ad assensum Fidei, & in cognitione supernaturali ipsius Fidei, vel in prædicatione legis, & propositione præceptorum Dei; sed peccatores indurati nec internè mouētur ad assentiendum Fidei, nec ad cognoscenda mysteria Fidei; quia cæci sunt, & indurati; & barbaris, rudibus, ad quos non peruenit notitia Fidei, nec prædicatum est Euangelium, nec proposita Diuina præcepta, negata sunt hæc omnia; ergo Deus aliquibus peccatoribus negat omnia auxilia sufficientia ad salutem.

Resp. dist. ma. Auxilium sufficiens consistit in omnibus superenumeratis adæquatè, neg; inadæquatè, conc. Ex eo ergo, quòd peccatores indurati, & obstinati nec illuminentur, nec emolliantur, sequitur, quòd non habeant auxilia intrinseca. Et ex eo, quòd barbari rudes non audiant prædicationem Euangelicam, sequitur, quòd careant vocatione ad Fidem; non tamen sequitur, quòd careant alijs auxilijs, quibus possunt excitari, & illuminari, vt sunt calamitates, & miseriæ, de quibus diximus supra.

29 Inst. Si Deus non negaret barbaris rudibus omnia auxilia sufficientia ad salutem, sequeretur, quòd infideles barbari, quibus non est prædicata lex Euangelica, & qui prædicationē illius audire non potuerunt, peccantes peccato infidelitatis, idest non credentes mysteria Fidei, non excusarentur ab ipso peccato infidelitatis; sed hoc est falsum; tum quia in talibus infidelibus datur infidelitas negatiua, quę non est peccatum iuxta communem sensum Theologorum; tales enim infideles non credētes mysteria Fidei non peccant, quia ignorantia inuincibilis eos excusat à peccato. Tum quia hoc expressè docet *Beatiss. P. Epist. 105. In illis, qui non audierunt, neque potuerunt audire, pœna peccati est non credere, non autem peccatum*; ergo illis Deus negat omnia auxilia sufficientia ad salutem. Prob. seq. ma. Habenti aliquod auxilium sufficiens ad credendum imputatur ad culpam, si non credat; habet enim in sua libera potestate elicere actum credendi, quem omittit; ergo non credentes peccarent peccato infidelitatis; tum quia primus actus in ordine supernaturali est actus Fidei, vt docet *Concil. Trid. sess. 6. c. 8*; ergo primum auxilium sufficiens supernaturale est auxilium ad credendum; ergo si infideles barbari haberent hoc auxilium, non credendo peccarent.

Resp. Theologi recentes communiter infidelitatem negatiuam non esse peccatum. Ceterùm dicendum est, quòd licèt ante prædicationem legis Euangelicæ non esset peccatum; attamen postquam sufficienter promulgata est per totum mundum, est peccatum; & colligitur ex verbis Christi Domini *Io. 15. Si non venissē, & locutus fuissem eis; peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Sup. quòd *vid. Beatiss. P. loc. cit. de Vol. q. 4. art. 4. n. 22*; vbi soluitur hæc obiectio.

30 Obijc. 6. Peccatum est mors spiritualis animæ; sed mors priuat omni principio effectiuo actus vitalis; ergo peccatum priuat omni auxilio sufficienti siue extrinseco, siue intrinseco, quòd est effectiuum actus supernaturalis; auxilia namque sufficientia dantur ad posse supernaturaliter operari.

Resp. hoc arg. probare per quodlibet peccatum tolli etiam gratiam sufficientem; & ideo nimis probat. Dicitur ergo, quòd sicut per mortē non tollitur à corpore potentia obedientialis ad reuiuiscendum respectu Dei; ita per peccatum non tolluntur ab anima auxilia sufficientia, quæ conceduntur à Deo, vt reuiuiscat.

Ceteræ obiectiones, quæ fieri possunt contra hanc partem concl; soluendæ sunt dicendo, quòd procedunt de aliquibus auxilijs sufficientibus, non autem de omnibus.

31 Obijc. 7. Pro sententia concedente auxilia sufficientia omnibus, & singulis. *Io. 1.* dicitur: *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Item illud: *Ego sto ad ostium, & pulso*; sed illuminatio, & pulsatio cordis est auxilium sufficiens intrinsecum; ergo Deus nulli negat actualem receptionem auxiliorum sufficientium intrinsecorum.

Resp. facilem esse solutionem harum, & similium auctoritatum. Dicitur enim 1. hoc intelligi de oblatione, & exhibitione ex parte Dei, qui, quantùm est ex se, offert, & exhibet omnibus auxilia sufficientia; non tamen omnes illa recipiunt; sicut Sol, quantùm est de se, exhibet omnibus suum lumen, vt omnes videant, non tamen omnes illud recipiunt, quia cæci lumen Solis non recipiunt. 2. Intelligi secundùm distributionem accommodam ita, quòd omnes illi, qui intrinsecè illuminantur, à Deo illuminentur, sic illas explicat *Beatiss. P.* 3. Intelligi de omni homine, qui est membrum Ecclesiæ; ita explicat *Origenes*; & sic omnes aliæ auctoritates *SS. PP.* exponendæ sunt.

32 Obijc. 8. Quilibet puer perueniens ad vsum rationis tenetur conuerti ad Deum conuersione iustificatiua ita, vt si non iustificet se tali conuersione, manebit in peccato actuali, si sit baptizatus, & in originali, si non sit baptizatus; ergo cuilibet puero siue fideli, siue infideli datur præceptum de tali conuersione; sed præceptum connumeratur inter auxilia sufficiētia; ergo cuilibet homini dantur auxilia sufficientia ad salutem. Tum quia non potest quis se conuertere in Deum conuersione iustificatiua, nisi

ſi habeat auxilia ſufficientia ad talem conuerſionem; ergo quilibet adultus habet auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Reſp. *Gonet* ſententiam *D. Tho.* de obligatione conuerſionis in Deum, dum peruenitur ad vſum rationis, intelligendam eſſe de conuerſione naturali in Deum, vt in Auctorem naturalem, ad quam ſufficit lumen rationis naturalis, nõ autem de conuerſione ſupernaturali in Deũ, vt Auctorem ſupernaturalem, ad quam requiritur auxilium ſufficiens ſupernaturale. Vel dicitur puerum teneri ad ſe conuertẽdum in Deum colendo illum, & acceptando implicitè totam legem; difficile enim eſt in illa ætate perfectè callere totam legem. *Sed de hoc alibi.*

33 Obijc. 9. Damnati, quia nullum habent auxilium ſufficiens, non peccant; ergo ſi infidelibus barbaris negarentur auxilia ſufficientia, nec peccarent committentes aliquod opus contra virtutes morales v.g. occidendo, furando, nec eſſent ampliùs viatores; quia eſſent in termino ſuæ iniquitatis; nõ enim poſſent vlteriùs procedere; ergo illis nõ denegantur auxilia ſufficiẽtia.

Reſpondent *aliqui Thomiſtæ* infideles barbaros, quibus denegantur auxilia ſufficientia, nullum peccatum committere, & manere cum ſolo peccato originali. Cæterùm hæc reſp. non placet; tum quia eſt contra *Beatiſſ. P. lib 5. contr. Iul. c. 4*; vbi loquens de peccatoribus deſertis à Deo, ait *Reos fieri, ac verè peccare eos, qui deſerti à Deo ſuis cupiditatibus ſeruiunt*; patet autem, quòd nullus eſt magis deſertus à Deo, quàm infidelis barbarus rudis, ad quẽ nõ peruenit notitia Fidei. Tum quia *Thomiſtæ* concedũt damnatos, qui ſunt in termino, peccare in ſingulis actibus, vt habet *D. Tho. q. 1. de malo art. 5.* apud *Gonet hic §. 2. in fine*, quia in talem ſtatum deuenerunt ex propria culpa; poſtea negant infideles barbaros non peccare, cùm tamen deuenerint in talẽ ſtatum ex propria culpa. Tum quia infideles barbari habent vſum rationis, & lumen naturale, quo poſſunt cognoſcere præcepta naturalia. *Quod tibi vis, alteri feceris. Et quod tibi non vis, alteri ne feceris*; & ideo agentes contra hæc præcepta peccant, quia agunt contra dictamen rectæ rationis.

Præterea aſſignatur diſparitas inter damnatos, & infideles barbaros; nam damnati nec habent, nec poſſunt habere auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam, quia ſunt in morte æterna; at verò infideles barbari, licèt talia auxilia non habeant, attamen ſi illis non ponant impedimẽta, illa poſſent habere. Tandẽ dicitur, quòd licèt infideles rudes careant auxilijs internis, & aliquibus externis, non tamen carẽt omnibus prorſus externis, vt dictum eſt.

34 Obijc. 10. Infidelibus barbaris dantur Angeli cuſtodes, vt cõmuniter dicitur *in Tract. de Angelis*, ſed Angeli cuſtodes à Deo dãtur cuilibet homini, vt poſſint eum ſupernaturaliter illuminare, & excitare ad bonum ſupernaturale; ergo infideles barbari ſupernaturaliter illuſtrantur, & per conſequens habent auxilia ſufficiẽtia; aliter fruſtranea eſſet Angelorũ cuſtodia.

Reſp. diſt. mi. Angeli cuſtodes illuminant ſupernaturaliter, & excitant ad bonum illos, qui intrinſecè per gratiam à Deo illuminati ſunt, & excitati, conc; illos, qui à Deo illuminati non ſunt, nec excitati, neg; iuxta illud *pſ. 126. Niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eã*, nõ tamẽ eſt fruſtranea illorum cuſtodia, quia Angeli cuſtodes cuſtodiũt à malis corporis, & à malis naturalibus animi ob conſeruationem Vniuerſi.

35 Obijc. 11. Si Deus negaret auxilia ſufficientia infidelibus, maximè propter peccata; ſed dantur multi hæretici, & etiam Catholici, qui grauiora peccata, & ſceleſtiores enormitates committunt, quàm infideles, & per conſequens maiora ponunt impedimẽta auxilijs ſufficientibus, & tamen non denegantur, ſed conceduntur; ergo à fortiori dicendum eſt, quòd concedantur infidelibus, qui minora ponunt impedimenta.

Reſp. diſt. ma. Si Deus negaret auxilia, maximè propter peccata ex parte noſtra; & ex parte Dei propter placitum ipſius voluntatis, quæ ſic voluit negare, vt potuiſſet concedere, etiam ſi grauiora fuiſſent delicta, conc; propter peccata ex parte noſtra, & non propter beneplacitum ex parte voluntatis Dei, neg; peccata enim, licèt ſint motiuum denegandi auxilia, non tamen ſunt motiuum neceſſitans Deum ad illa deneganda, cùm Deus pro ſua libertate adhuc ſtante tali motiuo poſſit illa concedere.

36 Obijc. 12. Chriſtus eſt caput omnium hominum etiam infideliũ barbarorum, ad quos non peruenit notitia Fidei; ſed de ratione capitis eſt influere in omnia membra; ergo Chriſtus, vt caput, influit etiam in infideles; ſed influxus, quem habet Chriſtus in ſua membra, eſt gratia ſaltem ſufficiens; ergo infideles habent auxilia ſufficientia.

Reſp. diſt. mi. De ratione capitis eſt influere in omnia membra, vel actu, vel potentia offerendo auxilia omnibus membris, conc; actualiter applicando, & cauſando receptionem talis influxus in membris, neg; ad rationem enim capitis ſufficit, quòd, quantùm eſt ex ſe, influat generaliter in omnia membra; quòd autem talis influxus non recipiatur in aliquo membro, poteſt prouenire ex aliqua indiſpoſitione illius membri, quod ponit impedimẽtum ad receptionem talis influxus, & ex libera voluntate ipſius capitis, quæ non vult tollere tale impedimentũ.

37 Obijc. 13. Omnis homo, quandiu eſt in hac vita, poteſt ſaluari; nullus enim eſt peccator, quantumuis excæcatus, & induratus, qui nõ poſſit agere pœnitentiam iuxta illud. *In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatem eius ampliùs non recordabor*; vt ſtatutum eſt ab Eccle-

ſia

sia contra Montanum, Armacanum, & Nouatum in Decret. dist. 1. de pænit. c. 1; vbi habetur: *Deus autem nullum crimen excipit;* aliàs homo esset extra statum salutis, & viæ, & esset in termino; sed non potest saluari, nec pœnitere, nisi mediãtibus auxilijs sufficiẽtibus; ergo quilibet homo, dum est in hac vita, habet auxilia sufficientia.

Resp. dist. ma. Quilibet homo potest saluari, & pœnitere per auxilia sufficientia, quæ habet, proximè, & immediatè, neq; remotè, & mediatè, conc. Quanuis ergo infideles barbari non habeant auxilia sufficientia intrinseca; & aliqua extrinseca, habent tamen aliquod auxilium extrinsecum, scilicet calamitates temporales, quibus possunt vocari ad conuersionem, cui vocationi, si non ponant impedimentum, recipient à Deo maiora auxilia ad conuersioné. *Vid. de Vol. q. 4. art. 4.*

ART. VII.

De signis prædestinationis, & Reprobationis.

1 Quanuis *prædestinatio nostra non in nobis facta sit, sed in occulto apud Deum in eius præscientia;* vt docet *Beatiss. P. in ps. 150;* & ideo nullam certitudinem de ipsa possimus habere, vt diximus *q. 2. art. 8;* attamen *à Theologis* aliqua signa adducuntur, ex quibus possumus aliqualiter coniectare prædestinationem, vel reprobationem alicuius, licèt fallibiliter, & merè coniecturaliter. Plura autem afferuntur signa prædestinationis *à SS. PP; & DD;* quæ latè refert *Viualdus;* nos autem solùm aliqua principaliora afferemus.

2 Primum signum prædestinationis est nasci de Parentibus Catholicis in gremio Ecclesiæ Dei; vbi statim eruditur ad Fidem, quæ est initium nostræ salutis. Signum autem reprobationis est nasci de Parentibus Gentilibus, barbaris, & rudibus extra Ecclesiam, vbi Fidei nomen ægrè, vel nullo modo auditur.

3 Secundum signum prædestinationis est tranquillo animo tolerare pro Christi nomine sæuissimas persecutiones, & afflictiones iniustissimas iuxta illud *Matt. 5. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Signum autem reprobationis est, vel de illis vindictam quærere, vel in desperationem, & impatientiam declinare. *Vid. Matt. vbi sup;* vbi sæpè alia signa prædestinationis adducit; vt misericordiam facere, lugere, pauperem esse, mundum corde &c.

4 Tertium signum prædestinationis est renunciare Mundo, & pompis eius, ac religionem nouere; dicitur enim *Matt. 19. Qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* E contra verò signum reprobationis est Mundum sequi, pompis eius delectari, illecebrisq; libenter detineri; Religionem, & Christi seruos despicere, & irridere iuxta illud *Io. 15. Si de Mundo fuissetis, Mundus, quod suum erat, diligeret, quia verò de Mundo non estis, sed ego elegi vos de Mundo, propterea odit vos Mundus.*

6 Quartum signum prædestinationis est libenter audire verbum Dei, & valde delectari sermonibus spiritualibus. E contra verò signum reprobationis est verbum Dei despicere, negligere, & blasphæmare iuxta illud Christi Domini *Io. 10. Qui ex Deo est, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

6 Quintum signum prędestinationis est sũma humilitas, & demissio spiritus; quapropter Christus Dominus *Luc. 12.* appellat prædestinatos *pusillum gregem* propter humilitatem. Signum verò reprobationis est superbia, & arrogantia spiritus, iuxta illud *ps. 110. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.*

7 Sextum signum prædestinationis est spes firma in Deum iuxta illud *ps. 39. Beatus vir, cuius est spes nomen Domini.* Signum autem reprobationis est desperatio iuxta illud *Ephes. 4. Qui desperantes semetipsos tradiderunt.*

8 Septimum signum prædestinationis est perseuerantia in gratia accepta, & subita post peccatum confessio iuxta illud: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Signum verò reprobationis est permanentia in peccato, & dilatio pœnitentiæ iuxta illud *Prou. 10. Qui autem stertit æstate, filius est confusionis.*

9 Octauum signũ prædestinationis est candor spiritus, & consciẽtię nitor iuxta illud *Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei; si autem filij, & hæredes.* Signum verò reprobationis est turbulentia spiritus, & conscientiæ timor, & fœditas iuxta illud *Sap. 17. Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; semper enim præsumit sæua perturbata conscientia.*

10 Nonum signum prædestinationis est ardentissima in Deum charitas, & amor proximi, qua agimur, vt agamus opera virtutum iuxta illud *Rom. 8. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Signum verò reprobationis est odium Dei, & proximi; & exercitium vitiorum iuxta illud *Prou. 8. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.*

11 Decimum signum prædestinationis est singularis deuotio erga SS. Virginem iuxta illud *Prou. 8. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Signum verò reprobationis est nulla deuotio erga Deiparam iuxta illud *ibid. Qui autem in me peccauerit, lædet animam suam.*

12 *Alij* addunt alia signa prædestinationis, vt libenter audire musicam, repręsentationes spirituales, & alia huiusmodi, de quibus *vid. Viualdus;* quæ tamen omnia non habent, nisi certitudinem moralem merè coniecturalem.

DE

DE LIBRO VITAE.

Librum Vitæ frequēter legimus *in Sanctis Scripturis*, in quo sunt descripta nomina electorum, vt habetur *ex ps.68. Deleantur de Libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Et *ps.39. In capite Libri scriptum est de me.* Post Tractatum igitur de prædestinatione de Libro Vitę agendū est.

QVÆST. VNICA

De his, quæ pertinent ad cognitionem Libri Vitæ.

Vnica hac in quæstione omnia, quæ pertinent ad notitiam Libri Vitæ, explanabimus, nihil enim controuersiæ secum afferunt *apud Doctores*; & ideo *noster Fundatiss. vnico art.* ab hac se expedit.

ART. I.

Quid sit Liber Vitæ, & quomodò definiatur.

1 Fundatiss. *Doct. dist. 40. princ. 1. q. 1. art. 3.* docet, quòd liber Vitæ tripliciter sumi potest. 1. prout modum viuendi annunciat, & docet; sic sacra scientia, quæ nobis modum Christianè viuendi demonstrat, liber Vitæ appellari potest. 2. Liber Vitę pro cuiuslibet hominis conscientia sumitur, quia in ea qualiter homo viuit, scriptum est. 3. sumitur pro Diuina cognitione, quam habet Deus de creaturis intellectualibus ordinatis ad vitam æternam; Vita namque æterna solùm nuncupanda est propriè Vita: quæ morti nullo modo obnoxia mortis nihil habet admixtum; vita verò temporalis, quæ labente tempore continuò dilabitur, & commoritur, mors potiùs dicenda est, quàm vita, vt optimè docet *Sanctiss. P.* In præsenti non sumitur liber vitæ nec. 1. aut 2. sed solùm 3. modo.

2 Liber Vitæ 3. modo sumptus adhuc dupliciter dici potest. 1. quia ipsa cognitio Diuina, quæ est actio Diuini intellectus, vita est, nam vita formaliter, vt docet *Phil. 12. Met*; est operatio potentię vitalis immanentis, quemadmodum est intellectus; & in hoc sensu non accipitur in pręsenti; sic enim non solæ creaturæ intellectuales essent scriptæ in libro vitæ, sed etiam irrationales, & inanimatæ; nam prout sunt in Diuina cognitione, sunt in vita, & vita sūt; propterea dicitur *Io. 1. Quod factum est, in ipso vita erat.* Super quem locum *Beatis. P.* ait; quòd etiam non viuētia, prout in Deo contenta, vita sunt; quia quidquid recipitur, ad modū recipientis recipitur. 2. dicitur, in quātū in ipso scribūtur illi, quos Deus sua misericordia elegit ad vitam, idēst ad gloriā æternam, quæ propriè solum est vita, & in hoc sensu sumitur in præsenti.

3 Creatura autem dicitur scribi in libro vitæ dupliciter. 1. secūdùm pręsentem iustitiam, & idem est, quod alij dicunt in sua causa, & secundùm quid; & hoc modo quilibet iustus pro eo tempore, quo est iustus, dicitur scriptus in libro vitę, quia per gratiam, quę est vita animę, sicut anima est corporis, est in numero viuentiū supernaturaliter: tum quia gratia, quæ est causa gloriæ, dicitur causa vitæ, & ideo qui viuit in gratia, dicitur viuere in causa vitæ, seu secundùm quid. 2. dicitur scribi in libro vitæ secundùm æternam dispositionem, & simpliciter; & sic soli prædestinati dicuntur scribi in libro vitæ secundùm æternam dispositionem, & simpliciter. Hic sumitur liber vitæ non. 1. sed 2. modo.

4 Vnica concl. Liber vitæ optimè definitur *à Fund. Doct. hic ad 4.* sic. *Est firma cognitio eorum, quibus Deus misereri proposuit.* Fundamendum eius est. Ille propriè dicitur liber, in quo registratur notitia aliquorum, qui fit, vt memoriter teneamus eos, quos elegimus ad aliquod opus; sed in firma cognitione Dei registratur ęternaliter memoria eorū, quos Deus elegit ad gloriam: ergo firma cognitio eorū, quibus Deus misereri proposuit, est liber vitę. Ma. prob. exemplo Ducis, qui priùs eligit milites ad pugnam, & postea illos scribit in libro, vt eorum semper recordetur. Mi. patet; quia cùm cognitio Dei sit æterna, & nullam patiatur mutationem; ideo firmiter repræsentat eos, quibus misereri proposuit, seu quos ad gloriam elegit.

5 Obijc. 1. *Exod. 32. Moyses* loquens ad Deum ait: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*: ergo liber vitæ non benè definitur, quòd sit firma cognitio, cùm possit mutari.

Resp. *D. Hier. Moysem* illa verba protulisse ad ostendendum ardentissimum amorem, quo prosequebatur *Populum Israeliticum*, quando enim desideramus aliquam rem, solemus dicere: *Da mihi hoc, aliter moriar.*

Resp. *Alij*, quòd *Moyses* loquebatur de libro viuentium corporaliter, ita vt sensus esset; aut dimitte Populo tuo hoc peccatum, aut fac me mori, non autem loquebatur de libro viuentium supernaturaliter. *Vid. Zum. & Trig.*

6 Obijc. 2. Illud *ps. 68. Deleantur de libro viuentium, & cum Iustis non scribantur*; ergo si nomina descriptorum in libro vitæ possunt deleri, non est firma eorum cognitio.

Resp. Prophetam loqui de libro vitæ secūdùm præsentem Iustitiam, non autem secundùm æternam dispositionem, secundùm quam *hic* definitur liber vitæ.

7 Obijc. 3. *Rom. 9. Apostolus* habet: *Optabam ego anathema* (idēst separatus) *esse à Christo pro fratribus meis*; ergo scriptus in Libro Vitæ potest deleri.

Resp.

Resp. ipsum quoq; sicut dictum est de *Moyse*, emphaticè loqui, vt *sup.* dictum est.

ART. II.

An Liber Vitæ differat à prædestinatione?

1 Librum Vitæ, vt notat *B.Doct.hic*, translatiuè dicitur de Deo ductu metaphora à creaturis; sicut enim Dux Milites fortiores priùs eligit ad bellum, & postea, vt eos memoriæ mandet, scribit in libro; ita Deus similiter priùs aliquas creaturas eligit ad gloriam; & posteà eas in sua firma, & stabili cognitione, tanquam in Libro scribit, vt earum semper habeat memoriam. Prædestinatio verò propriè, & formaliter dicitur de Deo, vt vidimus *in sup. Tract. q.1. art.1. §. 2*; quia in Deo est formaliter, & propriè actus immanens ordinans creaturas intellectuales in finem supernaturalem, qui est vita æterna.

2 Vnica concl. Liber vitæ non est idem, ac prædestinatio, sed ratione differt ab ipsa. Prob. 1. Liber vitæ pertinet ad intellectum speculatiuum; importat enim simplicem memoriam descriptorum in ipso; prædestinatio verò est actus intellectus practici, quia simul integraliter includit actum voluntatis Diuinæ, cùm importet propositum efficax miserendi; sed actus speculatiuus, & practicus non sunt idem; ergo Liber vitæ, & prædestinatio non sunt idem.

3 Prob.2. Quotiescunque inter aliqua duo datur ordo prioris, & posterioris, datur inter ea aliqua diuersitas saltem rationis; sicut enim quando vnum est prius alio realiter, non identificantur realiter, aliter idem realiter esset realiter prius, & posterius se ipso; ita quotiescunque vnum est prius alio ratione, non sunt idem ratione; sed Liber Vitæ est prior prædestinatione, & prædestinatio est posterior; ergo non sunt idem formaliter.

4 Prob.3. Liber Vitæ aliquando sumitur, etiam pro libro, in quo scribuntur aliqui secundùm præsentem iustitiam, vt dictum est *in sup. art.* Prædestinatio verò conuenit illis tantùm, qui gloriam infallibiliter consequuntur; ergo idem formaliter esse non possunt.

5 Prob. tandem. Liber Vitæ tantùm metaphoricè, & translatiuè dicitur de Deo; prædestinatio verò est in ipso formaliter, & propriè; ergo non sunt idem formaliter. Has omnes rationes videte apud *B.Doct*; à quo afferuntur aliquę obiectiones, quę soluũtur faciliter ex dictis.

ART. III.

An in Deo sit Liber Mortis?

1 Vasq.q.24.D.Tho. in expositione art.2. vult in Deo esse Librum Mortis, in quo sunt scripta nomina reproborum; sicut in ipso est Liber Vitæ; quia cùm Liber Vitæ nihil aliud sit, quàm cognitio firma descriptorum electorum ad gloriam; ita Liber mortis nihil aliud est, quàm firma, & stabilis cognitio reproborum damnatorũ ad pœnam; cùm ergo Deus habeat cognitionem firmam nedum electorum ad gloriam; sed etiam damnatorum ad pœnam, ideo in ipso nedum Liber Vitæ, sed etiam Liber mortis existit.

2 Nostra tamen sententia concedit vtique in Deo esse Librum Vitæ, negat tamen in ipso esse Librum mortis. Hæc sententia, quanuis expresse apud *B.Doct. hic* non legatur, attamen ex eius dictis implicitè colligitur; pro cuius ref.

3 Not. *ex eodem ibid*; quòd quia Liber sumitur translatiuè à creatura, ideo de ipso philosophandum est, sicuti philosophamur de Libro, quem sibi format creatura. Videmus ergo, quòd Dux eligens aliquos homines ad bellum, & alios minùs idoneos relinquens; scribit vtique eos, quos eligit in libro, quem apud se retinet; alios autem, quos relinquit, non scribit in alio libro; sed ex eo, quòd non sunt scripti in libro electorum, sufficienter intelliguntur ab ipso reiecti, derelicti, & reprobati. Vnde liber videtur importare aliquam dignitatẽ, gratiam, fauorem, & excellentiam, quapropter antiquitus *apud Romanos* illi, qui scribebantur in libro publico, dicebantur honoris causa *Patres conscripti*; cùmque illi, qui relinquũtur, reijciũtur, & reprobantur; relinquãtur, reijciantur, & reprobentur in ignominiam, ideo libri dignitate donari non solebant.

4 Vnica concl. Non datur in Deo Liber mortis. Deducitur *ex doctrina B. Doct.* asserentis electos ad bellum vtique scribi in libro, non tamen scribi non electos relictos. *Ita etiam D.Tho.de Verit.q.7.art.8. ad 2.*

Prob.1. *ex illis Scripturis*, in quibus Deus dicitur nescire peccatores; imò non habere scripta nomina eorum.

5 Prob. 2. *ex B. Doct.* Liber importat dignitatem, honorem, & excellentiam eorum, qui in ipso sunt conscripti; sed reprobis nullus honor, nulla dignitas, aut excellentia competere potest, cùm sint à Deo reprobati in contumeliam, & ignominiam; ergo eis non competit scr ibi in Libro mortis.

6 Conf. *ex B.Doct.* Dux non scribit in libro illos, quos relinquit, nec de ipsis facit librum derelictionis, sed solos electos scribit in libro, quem apud se retinet; atqui liber in Deo est à creatura translatus; ergo Deus reprobos, quos relinquit, non scribit in aliquo libro, qui sit dicendus liber mortis; propterea Deus Reproborum dicitur quasi obliuisci; habetur enim: *Peccatores nescit Deus*. Et de electis. *Memorabor Iustitiæ tuæ solius*; non quia Deus non cognoscat reprobos; sed quia reprobi, sicut electi, non sunt scripti in eius libro.

Ad *Vasq.* dicitur, quòd reprobi non scribuntur in contumeliam; sicut electi scribuntur ad gloriam, & dignitatem.

DE

DE SS. TRINITATIS MYSTERIO.

SAcratissimũ mysteriorũ mysteriũ,inscrutabile SS.Trinitatis ænigma perscrutandũ, explicãdũq; suscipimus. Neque enim,quoniam ratio hæret, natura stupescit, à proposito nos debemus auertere; quandoquidem magistra est Fides; quæ rationem regit, & corrigit; eleuat, instruitque naturam. Imò minus errandi extat periculum, cùm ea, quæ naturæ ordinem superant, tractare satagimus; Diuinis enim *Scripturarum Sanctarum* testimonijs,quibus error, aut falsitas subesse non potest, rationem fideli captiuantes mancipio per viam veritatis incedimus. Mediterranei ad oras, vbi Mare Romana alluit littora Diuinus ille paruulus, qui se se *Beatiss.Patri* hoc mysterium meditanti ostendit,rem sensibili declarauit miraculo.Nedum enim angustę concha fosciculæ aquas maris faciliùs concludi, quàm ineffabilis huius arcani intelligentia humanæ mentis sinu posse capi monstrauit; sed altiorem innuens sensum posse docente Deo,ac loquente *in Scripturis* incomprehensibile paruula creatæ mentis capacitate apprehendi; vt in quo stupescit natura, stuporem auferat Fides, & gratia. *Moysis* linguam naturæ tarditate impeditam verba Domini fecerunt disertam;vt habetur *Exod.4. Ieremias* loqui nesciens Dei magnalia Deo loquente eloquentissimus fuit; *Sapientia enim Dei linguas infantium fecit disertas*; *Sap.10.*Quæ omnia quid aliud innuũt,quã quòd paruula humani cordis fossicula Deo inspirante, & vel ipsa magis incomprehẽsibilia mysteria posse comprehendi? Diuinarum igitur *Scripturarum* vocibus loquentes ineffabile hoc Triuitatis mysterium effabimur, inscrutabile hoc arcanum scrutabimur, Fide Magistra addiscemus, & Deo docente edocebimur.

QVÆST. I.
De existentia Mysterij Trinitatis.

EXistẽtia Trinitatis à triplici nefariorum genere negatur; scilicet *Gentilibus Paganis; Iudæis; & Hæreticis*; ideo vt sciamus; quomodò cõtra quoslibet illorum sit nobis specialiter procedendum, priùs videndum est, an hoc mysterium possit naturaliter probari,vel improbari?

ART. I.
An naturaliter possit probari Trinitas?

1 NOster intellectus tripliciter potest arguere circa existentiam mysterij Trinitatis. 1. ex principijs merè naturalibus, seu ex effectibus creatis per lumen naturale seclusa omni reuelatione. 2. supposita reuelatione ex parte obiecti tãtùm ita, vt proposito Trinitatis mysterio alicui *Philosopho Gentili*, possit illud naturaliter probare. 3. per lumen Fidei illud probando per propositiones reuelatas.

2 Trinitatis Mysterium duo essentialiter importat, scilicet Vnitatem naturæ Diuinæ existẽtis in Tribus personis Diuinis realiter distinctis, & Trinitatem personarum Diuinarum habentium eandem naturam Diuinam; ita vt distinctio realis personarum identitatem formalissimam naturæ Diuinæ non lædat; neque identitas ipsissima naturæ Diuinæ reali distinctioni Diuinarum personarum præiudicet. In hoc consistit Altissima huius sacri Aenigmatis ratio iuxta illud *Io.5. Tres sunt,qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, et hi tres vnum sunt*; & iuxta *D.Athan.in Sym. Fides autem Catholica hæc est, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur neque confundentes personas, neque substantiam separantes; alia est enim persona Patris, alia Filij, alia SS. Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti vna est Diuinitas &c.* Quæritur autem in præsenti, an intellectus creatus siue humanus, siue Angelicus per lumen naturale possit demõstrare hanc vnitatem naturæ Diuinæ in tribus personis, & hanc Trinitatem personarum in vnitate naturæ, vel solùm hoc præstet lumen supernaturale Fidei?

3 Et ratio dubitandi est; quia sicuti per rationem naturalem potest demonstrari saltem à priori vnitas Diuinæ naturæ, vt diximus superiùs *To.1. de Vnit.Dei*; ita videtur posse naturaliter ostendi Trinitas; vtraque etenim mysteriũ est; & eadem da vnaquaque videtur difficultas; nã tantùm sonat vnitas in tribus, quãtũ Trinitas in vna; nec differunt nisi per simplicem conuersionem. Ea autem, quæ dicuntur ad conuertentiam, habent eosdem conceptus, & cognito vno cognoscitur & aliud saltem quoad *an est*. Pręterea in creatura rationali est imago, & vestigium Trinitatis; sed creatura rationalis, imago, & vestigium possũt naturaliter cognosci, quia sunt ordinis naturalis; ergo naturaliter potest cognosci existentia Trinitatis.

4 Prima sententia vult rationem naturalem posse euidẽter demõstrare mysterium Trinitatis etiam ipsis infidelibus omni Fide carentibus. *Ita censetur sensisse Raymund. Lullius apud Vasq; & Sua*; qui tamen ipsum excusare nituntur.

Secunda sententia asserit, quòd supposita aliqua reuelatione extrinseca, scilicet propositione obiecti reuelati, intellectus creatus potest per lumen naturale inuenire rationes demonstrantes hoc mysterium. Ita docuerunt, vt fertur, Ric.

Ric. à S.Vict. Henr, & Io.Gersonius.

Tertia sententia vult solùm in Angelo posse dari euidentem cognitionem Trinitatis per lumen naturale, & per rationem simplicem naturalem sine discursu, dummodò Deus speciem intelligibilem illi proportionatam velit donare; quæ species sit ordinis naturalis, vtpotè proportionata actiuitati naturali intellectus Angelici; & quia ex ipsa elicitur actus merè naturalis, qui est cognitio Trinitatis; quæ cognitio, quia est in specie, & fit per speciem; non autem per causam, aut per effectum, ideo dicitur cognitio simplex. *Ita Scotus apud Sua. lib. 1. de Trin. c. 11. n. 4.*

Quarta sententia vult mysterium Trinitatis non solùm esse supra, sed etiam extra rationem naturalem ita, vt per rationem naturalem possit potiùs probari repugnantia, quàm existentia huius mysterij. Ita fertur sensisse *Holkot. in 1. dist. 3*; quanuis *teste Sua. vbi sup. n. 2.* rem non ita explicet.

Nostra tandem sententia docet non posse ratione probari, aut improbari euidenter possibilitatem, vel impossibilitatem mysterij Trinitatis; facta autem reuelatione ex parte obiecti posse solùm persuaderi; vnde solùm ex propositionibus Fidei potest conuinci. *Ita B. Doct. in 1. dist. 2. princ. 2. q. 1; & 2; & dist. 3. p. 1. princ. 1. q. 4; & Quodl. 5. q. 7; Argent; Ger; Gibb*; apud quem *Mendoz, et Bernard*; & communiter *nostra Schola*. Ita etiam *D. Tho*; & omnes *eius Discipuli*; & *Mol, Sua; Vasq, Val; Ripalda, & alij.*

5 Supp. nos *hic* non loqui de probatione verè, & rigorosè demonstratiua; patet enim ex dictis *To. 1. de Subst. Dei q. 1. art. 4.* demonstrationem rigorosè sumptam esset probationē alicuius passionis, seu proprietatis per aliā passionem priorem, si sit à priori; vel posteriorem, si sit à posteriori; existentia autem Trinitatis non est passio illius, quia est prędicatū essentialiter constituens, vt diximus *vbi sup. q. 2. art. 3; & inf.* magis patebit; nec potest naturaliter nobis innotescere aliqua proprietas Trinitatis, quæ sit medium ad demonstrandam ipsius existentiam; hæc enim proprietas esset supernaturalis, quia proprietas commensuratur cum sua essentia; & ideo non posset naturaliter cognosci. Procedit ergo difficultas de probatione infallibili conuincente eo modo, quo diximus probari vnitatem Dei per creaturas.

6 Not. autem *ex B. Doct. dist. 3. p. 1. princ. 2. q. 2. art. 2*; quòd cognitione *quia* perfecta possumus à posteriori euidenter probare vnitatem Dei, quia ex effectibus quantumuis inadæquatis, imperfectis, & improportionatis possumus euidenter ostendere dari vnum primum ens, quòd est prima causa omnium creaturarum; & ideo ostēdere existentiam vnitatis Dei. At verò Trinitatem Diuinarum personarum cognitione *quia* perfecta non possumus euidenter demonstrare, cùm nullus detur effectus Trinitatis immediatus; omnia enim, quæ creata sunt extra Deum, sunt à Deo, prout vnus est in essentia, nō prout Trinus est in Personis; *actiones* nam*que Dei ad extra sunt indiuisæ*, vt dicitur *Io. 5. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*; super quod *Beatiss. P. de verbis Domini serm. 11.* ait: *Si autem hæc ita dicuntur, vt tamen inseparabilia sint opera Patris, & Filij, quid credendum est de Spiritu sancto, nisi quia & ipse pariter operatur?* Item *tract. 20. in Io; & in Epist. 99. Sed quid facit Filius sine Spiritu sancto, vel sine Patre, cùm inseparabilia sint omnia opera Trinitatis?* Idem docent communiter *SS. PP; & DD*; sed actiones indiuisæ sunt à causa indiuisa; & causa indiuisa est formaliter vna, cùm vnitas definiatur *indiuisio in se*; ergo nullus datur effectus immediatus Trinitatis, per quem possimus ipsam euidenter arguere.

7 Verùm licèt nullus effectus reperiatur in creaturis, qui ita propriè sit à Diuina Trinitate, vt ex ipso possimus euidenter ostendere existētiam Trinitatis; attamen in creatura datur duplex motiuum cognoscendi Trinitatem; quia in creatura datur *illius vestigium, & imago*; ratio tamen vestigij, & imaginis repertæ in creatura, non est ratio cognoscēdi perfectè, & euidenter ipsam Trinitatem; tum quia ratio imaginis, & vestigij non est immediatus, & proprius effectus Trinitatis, vt supra dicebamus, cùm sit effectus vnitatis Dei; est enim producta à Deo, vt vnus est. Tum quia ratio imaginis, & vestigij in pluribus deficit à Trinitate Diuina, vt ex *Beatiss. P.* colligit *B. Doct.* in hac *dist. 3. par. 1. princ. 1. q. 4.* Tandem quia vestigium ducit in cognitionem euidentem solius essentiæ, in cognitionem autē confusam personæ; vt si videamus vestigium hominis impressum à pede ipsius in puluere, vtique cognoscimus euidenter tale vestigium non esse vestigium equi, vel canis, sed hominis; non tamen cognoscimus, an sit vestigium *Petri*, vel *Pauli*, &c. Quanuis ergo cognoscamus in confuso tale vestigium esse alicuius personæ humanæ; non cognoscimus tamen distinctè, cuiusnam personæ sit in particulari? Ita à pari dicendum in casu. Cognitio autem confusa est cognitio *quia* omnino imperfecta; & ideo ex motiuo vestigij, & imaginis Trinitatis non habemus cognitionē Trinitatis nisi imperfectam, & coniecturalem, fallibilemq; sicut ex vestigio humano impresso in puluere possumus tantùm coniecturare, quòd sit huius, vel illius hominis; & ex imagine omnino imperfecta, & deficiente à repræsentato non possumus, nisi fallibiliter habere cognitionē rei, & personæ, cuius est illa imago.

8 Quòd autem etiam imago Trinitatis reperta in creaturis sit imperfecta, & deficiat ab infallibili repræsentatione Trinitatis Diuinæ, *B. Doct. in hac dist. 3. par. 1. princ. 1. q. 4. in corp.* docet tripliciter *ex Beatiss. P. 15. de Trin. c. 6; & 7.*

Quia

Quia Trinitas in homine nõ eſt homo; eſt enim intellectus, memoria, & voluntas; quæ realiter differunt ab eſſentia hominis, cùm ſint accidétia realiter diſtincta, & ideo Trinitas in homine nõ eſt homo; At verò Trinitas in Deo eſt Deus, & à Deo realiter non differt. 2. Quia Trinitas in homine eſt in vna perſona; Trinitas autem in Deo eſt in tribus perſonis. 3. Quia actus, ſecundum quos accipitur Trinitas in homine, non ſunt communes Trinitati, quæ eſt in ipſo homine; Trinitas namque in homine accipitur ſecũdùm actus intelligendi, volendi, & reminiſcendi; & omnes iſti actus nõ ſunt cõmunes intellectui, voluntati, & memoriæ; nõ enim intellectus, ſicut intelligit, ita vult, & meminit; ſicut voluntas non intelligit, & meminit; At verò intellectus, voluntas, & memoria, ſecundùm quæ accipitur Trinitas in Diuinis, ſunt cõmunes ſingulis perſonis; Filius enim; & Spiritus Sanctus, ſicut & Pater habent intellectum, voluntatem, & memoriam. His tribus differentijs, ratione quarum Trinitas creata deficit à ratione perfectæ imaginis Trinitatis Diuinæ, 4. addi poteſt ex *B. Doct*; quòd ſcilicèt memoria, & intellectus non diſtinguuntur realiter inter ſe, quia memoria eſt conſeruatiua ſpecierum productarum ab intellectu, patet autẽ, quòd eadem eſt potentia producẽs, ac conſeruãs, vt docet. *Fũd. Doct. in lib. de Anima*; at verò tres perſonæ Diuinæ omnes diſtinguuntur realiter inter ſe propter relationem originis; vnde *Beat. P. de Gen. ad lit. imperfect.* ait: *Illa imago ad imaginẽ Dei facta non eſt æqualis.*

9 Vnica concl. Ratio naturalis ſine reuelatione ex parte obiecti nequit euidenter probare exiſtentiã, vel poſſibilitatem, aut impoſſibilitatẽ myſt. Trinitatis; facta autẽ reuelatione ex parte obiecti tantùm per rationes perſuaſiuas illud poteſt oſtendere; vnde ſolùm *ex Scripturis* illud poteſt conuincere.

Prob. 1. pars concl. 1. ex illo *Matt. 11. Nemo nouit Filium, niſi Pater; neque Patrem quis nouit, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*; idèſt *Spiritus Sanctus*, cui communicat Filius ſcientiam naturaliter; & creaturæ, quibus communicat hanc cognitionem per gratiam.

10 Prob. 2. ex *Beatiſſ. P. ſerm. 189. de temp.* vbi ait: *Curioſè quærit ſcire de myſterio Trinitatis, quod Angeli in Cælo ſcire non poſſunt*; & infra. *Quid eſt Deus, & quæ eſt ratio Trinitatis? Nobis ſufficiat credere, quia eſt; & non temerè rationem quærere Trinitatis.* Ex quo deducere potuiſſent *Zum; Ban. & Naz.* id, quod aſſerunt, ſcilicet ſententiam aſſerentem naturaliter poſſe probari Trinitatem temeritatis notam incurrere; à qua tamen cenſura abſtinemus.

11 Prob. autem *ab eod. Sanctiſſ. P. lib. 6. de Trin. c. 10. ſic.* Si myſterium Trinitatis eſſet naturaliter cognoſcibile, hoc eſſet per effectus naturales, qui ſunt creaturæ, in quibus reperitur veſtigium, & imago Trinitatis; ſed veſtigiũ, & imago, quæ ſunt in creaturis, non niſi imperfectè, & confusè ducunt in cognitionem illius, vt ſupra dictum eſt; ergo nequit naturaliter euidenter cognoſci.

12 Conf. Trinitas, quæ eſt in creatura, non dicit triplicitatem indiuiduorum, ſuppoſitorũ, ſeu perſonarum realiter diſtinctarum habentiũ eandem naturam ſine multiplicatione ipſius naturæ, ſed dicit tantùm triplicitatem accidentium, ſeu proprietatum exiſtentium in eadem anima; & idem dicendum de veſtigio, quod non ſumitur ſecundùm tres perſonalitates, ſed ſecundũ tres rationes repertas in eadẽ perſona; ſed trinitas accidentium, & proprietatum nequit eſt ratio manifeſtans triplicitatem perſonarum, nulla enim eſt ſimilitudo, vniformitas, & connexio, ſeu illatio; ergo per imaginem, ſeu veſtigium trinitatis exiſtens in creatura nequit euidenter probari Trinitatis Diuinæ exiſtentia.

13 Prob. 3. Quælibet cognitio euidens vel habetur à priori per cauſam; vel à poſteriori per effectum; vel in ipſa re immediatè, vel in ſpecie illam repræſentante euidenter; ſed nullo ex his modis poteſt haberi cognitio euidens exiſtentiæ Trinitatis; ergo ratio naturalis nequit per ſua naturalia probare exiſtentiam Trinitatis. Mi. quoad 1. partem patet; quia Trinitas non habet cauſam, cùm ſit independens, & increata, ideo nequit per cauſam cognoſci. Prob. 2. pars. Quælibet creatura eſt creata à Deo, quatenus vnus eſt formaliter, & ab ipſo dependet ſub ratione vnitatis; ergo per ipſam creaturã nequit cognoſci, niſi vnitas Dei; nam effectus non notificat cauſam, aut manifeſtat, niſi ſub ea ratione, qua ab ipſa dependet; vnde ſtatua, quæ eſt effectus Statuarij, non notificat talẽ Statuarium eſſe muſicum &c; ſed tantùm habere artem ſtatuariam. 3. pars conſtat; quia Diuinæ perſonæ nequeunt in ſe ipſis naturaliter videri, vt aiebãt *Anomæi*. Prob. vlt. pars. Si Trinitas eſſet cognoſcibilis per ſpeciem, vel illa ſpecies eſſet ſupernaturalis infuſa à Deo, vel naturalis accepta à creaturis? Si primum; ergo & cognitio eſſet ſupernaturalis, non naturalis. Si ſecundum; ergo in creaturis eſſet vna natura exiſtens in tribus perſonis realiter diſtinctis; aliter ſi in creaturis non reperitur hæc natura eum identitate in tribus perſonis, ab illis nequit ſumi ſpecies Trinitatis; ſicut quia in lapide nõ eſt intellectualitas, ab ipſo nequit ſumi ſpecies repræſentans naturã intellectualẽ. *Vid. To. 1. de Subſt. Dei q. 1. ar. 1.*

14 Inſt. In creaturis reperitur imago Trinitatis; ergo ab illa poteſt deſumi ſpecies.

Reſp. diſt. ant. Eſt imago imperfectiſſima penes accidẽtia, nõ penes perſonalitates, conc; perfecta neg; imperfecta autẽ imago nequit emittere ſpeciẽ euidenter probantem illud, cuius eſt imago.

15 Replic. Vnitas, quæ eſt in creatura, eſt imperfecta reſpectu vnitatis Dei; & tamen ab illa accipitur ſpecies repræſentans Deum; ergo à pari.

Reſp.diſt. ant. Vnitas creaturæ eſt imperfecta materialiter, conc; formaliter ſecundùm conceptum explicitum vnitatis,neg;eſt enim *indiuiſio in ſe*, *& diuiſio à quolibet alio*; ſicut formaliter eſt vnitas Dei ſecundùm ſuum conceptum formalem.

16 Prob.4. *à B.Doct.ex D.Dion. lib.1. de Diuinis nomin.*docente: *Ea, quæ nobis ex ſanctis eloquijs ſunt expreſſa,ſunt ſupra ſcientiam, rationem,& intellectum*;ſed myſterium Trinitatis eſt nobis ſolùm reuelatū in *in ſanctis Scripturis*; ergo eſt ſupra rationem naturalem. Ex quo ſic. Illud, quod eſt ſimpliciter ſupernaturale, nequit per lumen naturale, & per motiuum, ſeu medium naturale naturaliter cognoſci, etiam facta reuelatione ex parte obiecti; ſed myſteriū Trinitatis eſt ſimpliciter ſupernaturale; non enim inuenitur in ordine creaturarum, nec inueniri poteſt; ergo nequit naturaliter cognoſci per lumen,& medium naturale, etiam facta reuelatione ex parte obiecti. *Vid.* hanc rationem *To.1.de Subſt.Dei art.1.§.2.n.17;& 18; & de Inuiſibil.q.1.art.2.n.8.*

17 Dices. Vnitas Dei eſt ſupernaturalis,& tamen cognoſcitur eius exiſtentia per creaturas naturales;ergo à pari.

Reſp.diſt. ant.Vnitas Dei eſt ſupernaturalis, prout eſt in Deo, conc; ſecundùm conceptū formalem analogicè communem Deo, & creaturis, neg; Vnitas Dei non primo, ſed ſecundo modo cognoſcitur à nobis, & ideo, vt quid naturale,non vt quid ſupernaturale attingitur. At verò Trinitas,cùm non ſit communis creaturis, nullo modo naturaliter poteſt cognoſci.

18 Prob. 5. Per effectum nequit cognoſci cauſa,niſi quātùm ad illam rationē,quæ eſt productiua effectus, & quantùm ad illas rationes, quæ reperiuntur in ipſo effectu; quia omne, quod eſt in effectu,reperitur in cauſa;vt per ſtatuam cognoſcimus eſſe in Artifice artem ſtatuificam, quæ eſt ratio faciēdi ſtatuam, non tamen cognoſcimus muſicam, quia muſica nec eſt in ipſa ſtatua producta ab Artifice;vnde cognoſcimus Deum eſſe potentem, quia potentia eſt ratio producendi; & eſſe ſapientem, quia producit ſapientiam;ſed Trinitas nec eſt ratio productiua creaturarum,quæ ſunt à Deo, vt vno,non vt trino, vt dictum eſt; nec reperitur in creaturis; ergo nequit cognoſci per creaturas; ex quibus ſolùm ſumitur cognitio naturalis.

19 Dices *cum noſtris Mendoza*, *& Bernardin*; quibus non placet hæc ratio. Perſonæ Diuinæ non concurrunt per accidens ad productionem creaturarum, ſicut aqua ad calefactionem, ſed per ſe; quia *actiones ſunt ſuppoſitorū*;ergo per creaturas poteſt cognoſci Trinitas.

Reſp.diſt.2.par.ant.Perſonæ Diuinæ concurrunt ad productionem creaturarum per ſe identicè, conc; per ſe formaliter, neg. Ad illud axioma dicitur,quòd *actiones ſunt ſuppoſitorum*, *vel ſubſiſtentium*; vnde cùm Diuina eſſentia etiam præciſis perſonis ſit ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta, vt diximus *To.* 1; ideo ſi per impoſſibile non eſſent perſonæ, vel ſi eſſet tantùm vna perſona, adhuc poſſet producere creaturas.

20 Quòd autem naturaliter nequeat probari poſsibilitas, aut impoſsibilitas, ſic oſtenditur.*Oppoſitorum eadem eſt ratio*, ſed exiſtentia Trinitatis, & eius impoſsibilitas ſunt oppoſita; ergo ſi ratio naturalis nequit euidenter demōſtrare exiſtentiam Trinitatis, nec eius impoſsibilitatem poteſt euidenter oſtendere.

21 Conf. Si ratio naturalis poſſet demonſtrare impoſsibilitatē,ſeu repugnātiam exiſtentiæ Trinitatis,ratio naturalis poſſet aliquo modo cognoſcere obiectum ſupernaturale,& circa illud aliquo modo verſari, & negotiari; quia verſaretur, & cognoſceret impoſsibilitatem rei ſimpliciter ſupernaturalis;ſed hoc eſt falſum;ergo ratio naturalis nequit euidenter oſtendere impoſsibilitatem myſterij Trinitatis.

22 Conf.2.Id,quod nullo modo poteſt cognoſci, nullo modo poteſt probari, vel improbari, quia probatio eſt cognitio; ſed Trinitas nullo modo poteſt cognoſci naturaliter, quia eſt ſupernaturalis;ergo nullo modo poteſt probari,vel improbari.

23 Quòd verò ſuppoſita reuelatione ex parte obiecti poſsit probari per rationes perſuaſiuas, patebit ex obiectionibus, quæ probabiliter perſuadent myſterium Trinitatis.

24 Tandē quòd ex propoſitionibus Fidei poſsit cōuinci,ſic oſtenditur.Ex vna propoſitione Fidei poſſumus aliam probare contentā explicitè, vel implicitè in illa; ſed multæ ſunt propoſitiones reuelatæ, in quibus continetur explicitè, & implicitè myſteriū Trinitatis; vt v. g. in his: Pater generat Filium; & Pater, & Filius ſpirāt Spiritum ſanctū;ergo ex propoſitionibus Fidei poſſumus infallibiliter probare myſteriū Trinitatis; vnde hoc myſterium nedum nobis innoteſcit immediatè per Fidem, quia in ſe ipſo immediatè reuelatum eſt; vt patet *ex Symb. D. Athan*;ſed etiam per Theologiam Fidei innitentem; quia poteſt deduci ex alijs veritatibus Fidei. *Vid. To.1. q. 2. proem. art. 2.* Sed de hoc *inf. art.2.*

25 Obijc. 1. *Plato* pluries deſcribit myſterium Trinitatis; quod etiam fecerunt *nonnullæ Sybillæ*;& aliqui antiqui *Phil. apud Com. narrat. in 12.tex.com.39 & Ariſt.lib.1. de Cælo,& Mūdo* ait; quòd *ſecundùm numerum ternarium habemus laudare Deum*; ſed iſti omnes fuerunt præditi ſolo lumine naturali; ergo naturaliter poteſt cognoſci myſterium Trinitatis.

Reſp.*B.Doct.ad 3*; quòd *Plato* deſcendens *in Aegyptum* legit libros *Moyſis*, & ideo *ex illis Scripturis*,quæ ſunt reuelatę,probabiliter oſtendit myſterium Trinitatis. *Ad Sybillas* dicitur *ex eodem* illis hoc myſterium fuiſſe reuelatum,

quod

quod pariter dicendum est *de alijs Phil. Gentilibus*;vnde quamuis illis nulla facta fuerit reuelatio ex parte intellectus, quia nullum eis fuit à Deo infusum lumen supernaturale; attamen aliqua reuelatio facta fuit ex parte obiecti. Ad *Arist.* resp. *B. Doct*; quòd redarguebat (vt ait *Com.ibid.*) aliquos Antiquos, qui negabant munera triplicata esse Deo offerenda, non tamen probabat Trinitatem personarum esse in Deo. Ad *Trimegistrum* dicitur sicut *ad Platonē*.

26 Obijc.2. Ex eo, quòd homo intelligat, & amet, possumus euidenter ostendere Deum intelligere, & amare; intelligere enim, & amare est perfectio simpliciter simplex, & ideo si ponitur in creatura, est quoque in Deo formaliter ponenda; sed per intellectionē producitur Verbum, & per voluntatem amor; & Verbum in Diuinis est Filius, sicuti amor est Spiritus sanctus; ergo ex naturali cognitione hominis possumus deducere euidenter mysterium Trinitatis.

Resp. *B.Doct.* ad 1; quòd cùm intelligere, & velle ponantur in Deo etiam essentialiter; nam etiam Filius intelligit, & tamen non producit Verbum; & Spiritus sanctus intelligit, & vult; & tamen nec producit Verbum, nec spirat se ipsum, aut alium Spiritum sanctum; ideo ex hoc non arguitur Trinitas personarum in Deo. Præterea homo per intellectionem, & amorem non producit aliquam personam; ergo ex intellectione, & amore hominis nullo modo potest argui productio Diuinarum personarum. Hoc argumentum sibi proponit *Beatiss. P. 15. de Trin.c.6*; cui respondet *c.7.* ostendens ex intellectione, & amore hominis defectu trium non posse argui Diuinam Trinitatē, vt diximus *sup.*

27 Obijc. 3. Potest naturaliter ostendi vnitas Diuinæ naturæ, vt diximus *sup.* in ratione dubitandi; ergo, & Trinitas. Ant. patet. Prob. cons; quia tantùm valet Trinitas personarum in vna natura, quātùm vnitas naturæ in tribus personis; ergo si potest ostendi vnitas naturæ, poterit etiam ostendi Trinitas personarum.

Resp. dist.ant. Potest ostendi vnitas Diuinæ naturæ secūdùm se absolutè, & præciso omni respectu ad pluralitatem personarum, conc; potest ostendi vnitas naturæ, vt est existens in tribus personis,neg. Ad prob-cōs.dicitur,quòd licèt vnitas naturæ,prout existens in tribus personis, conuertatur cum Trinitate personarum habentium eandem naturam; tamen vnitas naturæ præcisis personis, & absolutè non conuertitur cum Trinitate personarum;ideo argumentum æquiuocat.

28 Obijc.4. In creaturis reperitur vestigiū, & imago Trinitatis,quod vestigium, & imago, cùm sint ordinis naturalis, possunt naturaliter cognosci; ergo ex hoc vestigio, & imagine potest naturaliter ostendi Trinitas. Ant. ins.ostendetur. Prob. cons; quia in creaturis reperitur existentia, quæ est ordinis naturalis; ideo ex ipsa naturaliter ostenditur existentia Dei; ergo quia in creaturis reperitur Trinitas,naturaliter Trinitas Diuina potest demonstrari.

Resp. hoc fuisse solutum superiùs. Præterea dist.a. pars ant.Vestigium,& imago sunt ordinis naturalis formaliter, prout manifestatiua Trinitatis, neg; materialiter, prout quædam res sunt,conc. Ad prob.cons. iam dictum est supra.

29 Obijc.5. Naturaliter cognoscimus bonum esse sui ipsius diffusiuum, & bonum infinitum esse diffusiuum sui communicatione infinita, sicut bonum finitum communicatione finita; sed communicatio infinita nequit esse, nisi in operatione spirituali,quæ duplex est,scilicet intellectio, & volitio, cùm actio materialis sit finita; *quodlibet enim finitur per materiam*, vt habet *Phil*;ergo possumus cognoscere communicationem substantialem infinitam per actum intellectus, & voluntatis; sed in hoc consistit mysterium Trinitatis; ergo naturaliter potest cognosci Trinitas.

Conf. 1.Naturaliter cognoscimus in Deo esse omnes perfectiones simpliciter simplices; sed generare sibi simile in natura est perfectio simpliciter simplex, sicuti Patrem, & Filium vicissim se amare; ergo naturaliter potest cognosci Pater, Filius, & Amor Diuinus. Ma. patet; quia naturaliter cognoscimus Deum esse summè bonum,primum bonum, à quo omnes bonitates proueniunt;ex quo deducitur in ipso esse omnes bonitates,& perfectiones;quia *nemo dat, quod non habet*. Mi.etiam constat; nam generare sibi simile, & amare suam prolē cum mutuatione amoris sunt formaliter in Deo, non eminenter; sed quod est formaliter in Deo,est perfectio simpliciter simplex; ergo generare sibi simile, & amare sunt perfectiones simpliciter simplices.

Conf.2. Possumus naturaliter cognoscere nullum esse iucundum sine societate, vt habet *B.Doct. in 1.dist.2.princ.a.q.1.ex Boetio*;sed societas non est sine distinctione personarum; ergo potest naturaliter cognosci distinctio personarum,& per consequens ipsa Trinitas.

Resp. dist. ma. Naturaliter cognoscimus bonum esse sui ipsius diffusiuū cōmunicatione infinita ad extra ita,vt illa cōmunicatio ad extra sit infinita nō solùm,quia potest producere effectus finitos in infinitum syncathegorematicè,sed etiam sit infinita ex parte modi communicandi, quamuis non ex parte rei communicatæ, vt diximus *To.1.de Infinit.Dei art.1.§.a*; conc; cōmunicatione ad intra per identitatem naturæ, neg;nam cùm naturaliter videamus, quòd quælibet productio sit semper cum distinctione,diuisione, & multiplicatione naturę,ideo naturaliter non possumus cognoscere communicationem infinitam ad intra, quæ est cum identitate, & sine

fine diuifione, diftinctione, & multiplicatione naturæ. Eodem modo dift. mi. Communicatio infinita nequit effe, nifi per intellectum, & voluntatem ita, vt hęc folùm fit ad intra per identitatem naturæ, & non ad extra ex parte modi communicandi; & ratione effectuum, quos in infinitum poteft producere, neg. ita, vt fit ad extra modo fupradicto, conc.

Ad 1. conf. dift. mi. Generare fibi fimile, & fpirare amorem mutuum cum identitate naturæ funt perfectiones fimpliciter fimplices, & funt nobis notæ lumine naturali, neg; & nobis tantum notificantur fupernaturaliter, conc. Quanuis ergo naturaliter cognofcamus omnes perfectiones fimpliciter fimplices effe in Deo, non tamen naturaliter nobis eft notum actiones generandi, & fpirandi effe in Deo, quia naturaliter non cognofcimus effe in eo, nifi perfectiones, quę funt in nobis; vnde cùm iftæ non fint in nobis, non poffumus eas naturaliter cognofcere. Imò naturaliter cognofcimus fubftantias fpirituales non poffe generare fibi fimile, vt funt Angeli, & ideo per hoc nobis cęlatur hęc veritas.

Ad 2. Conf. eod. modo refp. Sine focio diftincto in natura, conc; identificato in natura, neg. Ad concipiendam ergo naturaliter iucuditatem focietatis Dei fufficit cognofcere creaturas ab ipfo diftinctas. Præterquamquòd focietas tunc eft iucunda, & tūc fine ipfa eft meftitia; quando perfona nō eft omne effe, & omne bonum in fe ipfa, & ideo iucundatur in bono, quod non habet in fe, & eft in alio. Cognofcitur autē naturaliter Deum effe omne effe, & omne bonum, & ideo non cognofcitur habere neceffitatem focietatis.

30 Obijc. 6. Poffumus naturaliter oftendere Trinitatem nō effe impoffibilē; ergo poffumus naturaliter oftēdere Trinitatem effe poffibilem; fed omne, quod eft poffibile in Deo, neceffariò exiftit in Deo; nam poffibilitas in Deo non dicit potentialitatem ad effe, fed dicit fummam neceffitatem exiftendi, cùm poffibilitas in Deo arguat tantùm non repugnātiam, quæ non repugnantia non dicit potentiam ad effe, vel non effe, fed fummam neceffitatem exiftendi; nam vt docet *B. Aeg. in Hexam. p. 1. c. 8. ex Phil. 3. Phyf. t. 32. In æternis non differunt effe, & poffe. Perpetua quidem, vt perpetua funt; & qualibet incorruptibilia, vt incorruptibilia funt, non differunt quantùm ad effe, & poffe, quidquid enim poteft ibi effe; totum ibi eft actu; quia fi aliquid poffent habere, quod actu non haberent, quantùm ad illud, non effent perpetua, fed corruptibilia*; & temporanea; daretur enim in illis fucceffio de non effe ad effe, & per cōfequēs mutatio; ergo naturaliter poffumus cognofcere exiftentiam Trinitatis. Prob. ant. Omnes nanque *Theologi* cōcedunt, quòd poffumus defendere Fidem naturaliter ab omnibus obiectionibus *Aduerfariorum*; fed in Fide continetur myfterium Trinitatis; ergo poffumus defendere myfterium Trinitatis; fed non defēditur myfterium Trinitatis, nifi oftendendo illud non effe impoffibile; ergo naturaliter poffumus oftendere myfterium Trinitatis non effe impoffibile. Itē vt dictū eft, impoffibilitas myfterij Trinitatis nō poteft naturaliter argui; ergo poteft oftēdi nō effe impoffibile; nā folutio dubiorū eft manifeftatio veritatis, vt habet *Phil. 4. Met. t. c. 11. 2.* Non impoffibile ęquipollet poffibili, cùm duæ negationes faciant affirmationem, vt communiter traditur *in Summulis c. de æquipollentia*; ergo fi naturaliter poffumus oftendere myfterium Trinitatis non effe impoffibile, naturaliter poffumus conuincere Trinitatē effe poffibilem.

Refp. cum *B. Doct*; qui fibi objicit hoc arg. in fine corporis *q. 4. vbi*; neg. ant; vt enim dictum eft, naturaliter nequit oftendi poffibilitas, vel impoffibilitas huius myfterij, cùm circa rē fupernaturalem nullo modo poffit verfari ratio naturalis. Ad prob. dift. ma. Poffumus defendere Fidē fuppofita reuelatione faltem obiectè, conc; pręcifa reuelatione, neg; cùm enim præcifa reuelatione ea, quæ sūt Fidei, vtpotè fupernaturalia, nobis nullo modo innotefcant, ideo illa nullo modo poffumus defendere, vel improbare, cùm ad illa nullo modo ratio naturalis queat pertingere, cogitare, aut imaginari, vt fupra dictum eft. Quomodò enim ea, quæ funt nobis penitus incognita, poffumus defendere, vel improbare? Hoc certè omnino ridiculum eft. Ad aliud refponfum fuit *To. 1. de Inuifib. q. 1. art. 2. n. 16.*

31 Obijc. 7. Idæatum, & exemplatum ducit in cognitionem fuæ ideæ, & exemplaris; fed Paternitas creata eft exemplata, & idæata à Paternitate Diuina; ait enim *Apoft. Ephef. 3. Flecto genua mea ad Patrem Domini noftri Iefu Chrifti, à quo omnis Paternitas in Cælis, & in Terra nominatur*; ergo ex paternitate creata poffumus arguere paternitatem Diuinam; fed Paternitas Diuina nequit effe fine Filio; ergo poffumus ex Filiatione creata arguere Filiationem Diuinam, nec non ex mutuo amore Patris, & Filij creati arguere amorem Diuinum, & per confequens oftendere Trinitatem.

Refp. neg. mi; nam idæa creaturarum eft Diuina effentia, vt fubfiftēs fubfiftētia abfoluta, & vt principium operandi ad extra. *Apoft.* autem nihil aliud docet, quàm quòd Pater eft primum principium omnium emanationum ad intra, & ad extra, quia eft princium Filij, & Spiritus fancti, & fimul cum illis eft principium omnium creaturarum.

32 Inft. Paternitas creata participatur à paternitate increata, eamque imitatur; nam ficut paternitas increata eft incommunicabilis, ita paternitas creata; fed imitatum eft idæa imitantis; ergo paternitas increata eft idæa paternitatis creatæ.

Refp. dift. ma. Paternitas creata imitatur paternitatem increatam, tanquam principium

quo

quo actiuè productiuum sui, neq; omne enim, quod producitur ad extra, est ab essentia, vt à principio *quo*; & ideo sola essentia est idea; imitatur per simplicem similitudinem non causariuam, transeat, & sic distincta minori, neg.conf.

33 Obijc. 1. cont. 2. part. concl. Mysterium Trinitatis destruit plura principia naturalia; ergo lumine naturali potest probari eius impossibilitas; nam ex eo, quòd chimæra destruat hoc principium naturale: Naturæ rerum sunt impermixtæ; naturaliter arguitur impossibilitas chimæræ. Prob. ant. Mysterium Trinitatis destruit hoc principium naturale. *Duo contradictoria nequeunt de eadem re simul verificari*; nam mysterium Trinitatis ponit eandem entitatem Patris esse communicabilem in ratione naturæ, & incommunicabilem in ratione personæ; quæ sunt contradictoria, & simul verificantur de eadem re.

Resp. neg. ant. Ad prob. neg. assumptum; illud enim principium naturale debet intelligi etiam in creaturis secundùm idem, & secundùm eandem rationem. Vnde si sit diuersa ratio, non est contradictio, quamuis sit eadem res realiter; licèt enim in homine eadem entitas sit rationalis, & sensitiua; attamen, prout rationalis, est discursiua, & prout sensitiua, non est discursiua; ergo licèt eadem res in Patre realiter sit secundùm rationem essentiæ communicabilis, & secundùm rationem paternitatis incommunicabilis; attamen quia istæ duæ rationes distinguuntur virtualiter, ideo nulla est contradictio. *Vid. To.1. de Attr. in com. q.2. art.2.*

34 Obijc. 2. Mysterium Trinitatis destruit hoc aliud principium. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*; nam tres personæ Diuinæ sunt idem cum Diuina essentia; & tamen non sunt idem inter se; ergo naturaliter potest probari eius impossibilitas.

Resp. neg. ant. nam illud axioma explicatur, quòd illa, quæ sunt eadem vni tertio secundùm eam rationem, secundùm quam sunt eadē, sunt etiam eadem inter se; non autem sūt eadem inter se secundùm illam rationem, secundùm quam non sunt eadē cum tertio; v. g. quia homo, & equus secundùm rationem animalis sunt idem in animali, bene stat, quòd secundùm istam rationem genericam homo, & equus non diuersificentur; at non sequitur, quòd secundùm rationem specificam sint idem inter se, quia secundùm rationem specificam non sunt idem in animali. Igitur cùm personæ Diuinæ sint idem cum essentia Diuina solùm in esse absoluto, non in esse volitiuo; ideo sunt idem inter se solùm in esse absoluto, non in esse relatiuo. 2. Dicitur illud principium esse verum, si sint eadem vni tertio adæquatè, & simpliciter, & secundùm omnem rationem, non autem inadæquatè, & secundùm vnam rationem tantùm; sicut enim lineæ ductæ ab vno puncto sunt idem in eodem puncto, quia idem punctum indiuisibile est principium, à quo ducuntur tres lineę, & tamen tres lineæ non sunt idem inter se, quia punctum non adæquatur ita ab vna linea, vt non possit etiam ab altera adęquari secundùm aliam positionem loci: vt v. g. si ducatur à puncto linea versus Orientem, non ita adæquatur punctum secundùm omnes positiones loci, vt non possit etiam adæquari ab altera linea versus Occidentem; quòd si punctum secundùm omnes respectus esset adæquatus ab vna linea, non posset adęquari ab alia linea distincta, sed secunda linea esset idem cum prima. Cùm ergo Diuina essentia non ita adæquetur à paternitate, vt non possit etiam adæquari à filiatione, & spiratione passiua; ideo non sequitur, quòd illi respectus fundati in Diuina essentia sint idē inter se. 3. Dicitur tale principium verificari, si ea, quę sunt eadem vni tertio, sint idem re, & ratione ita, vt illud tertium sit idem secundùm rem, & secundùm rationem, idêst formaliter cum illis duobus; non valere autem in casu, quo Diuina essentia, licèt sit idem secundùm rem cum paternitate, filiatione, & spiratione passiua, non est tamen idem virtualiter, cùm virtualiter ab illis distinguatur, vt dicemus. 4. Dicitur illud principium verificari, nisi obstet aliqua oppositio inter se; si autem obstet oppositio est fallum. Tandem conceditur illud principium in rebus finitis propter suam limitationem, non autē in ente infinito propter suam illimitationem, secundùm quam habet sibi identificare omnia absoluta, & respectiua; ratio enim identificationis, vt diximus *To.1. de Attr. in com. q.2. art.5*; est infinitas.

35 Obijc. 3. Principium naturale est: *Idem est constitutiuum, & distinctiuum*; sed mysterium Trinitatis destruit hoc principium; nam constitutiuum Diuinarum personarum est Diuina essentia, siue entitas Diuina; præter enim entitatem Diuinam, nihil aliud datur realiter distinctum, & tamen per essentiam Diuinam non distinguuntur personæ, cùm essentia Diuina sit illis communis; ergo naturaliter probari potest eius impossibilitas.

Resp. neg. mi; & ad prob. infert; dicitur, quòd constitutiuum personæ Diuinæ adæquatum est essentia non præcisè in genere absoluto considerata, sed est essentia sub esse relatiuo, constitutiuum verò formale est ipsa relatio, vt infra dicemus.

36 Obijc. 4. Mysterium Trinitatis destruit hoc aliud principium: *Vbi est ordo processionis vnius ab alio, ibi non potest esse simultas naturæ*; nam Diuinæ personæ, licèt procedant, & originentur, attamen sunt simul natura; ergo naturaliter potest probari eius impossibilitas.

Resp; quòd tale principium debet intelligi de procedentibus absolutis, non de relatiuis; patet enim lumine naturæ, quòd relatiua sunt simul

simul natura, & ideo mysterium Trinitatis, quod constituitur per relationes, non destruit illud principium.

37 Obijc. 5. Mysterium Trinitatis destruit hoc aliud principium: *Nulla res potest producere suum esse*; nam Pater producendo Filium illi dat suum esse, & per consequens suum esse producit; ergo naturaliter potest improbari.

Resp. neg. ant; & ad prob. infert. dicitur, quòd illud agens dicitur producere esse, quod dat effectui, quando illi dat esse distinctum, non tamen quando communicat esse proprium; vnde cùm Pater non det esse absolutum distinctū à suo esse absoluto, sed communicet Filio suam essentiam, neque producat paternitatem in Filio, illæsum manet allegatum principium.

38 Obijc. 6. Mysterium Trinitatis destruit illud principium. *Relatio supponit entitatem absolutam, supra quam fundatur, & sequitur ad suum fundamentum*; nam paternitas Diuina cōstituit personam Patris, & personaPatris supponitur constituta ante generationem substantialem Filij, cùm generatio substantialis sit actio personæ, non naturæ; persona enim est illa, quæ generat, nec valet dicere, quòd natura generat, vt dicemus inferiùs; sed actio generatiua est fundamentum relationis; ergo relatio paternitatis præcederet suum fundamentum; ergo naturaliter potest probari Trinitatis impossibilitas.

Resp. neg. ant, & ad prob. infert. dicitur, quòd paternitas habet plura munera; habet enim munus proprietatis personalis, subsistentiæ incommunicabilis, & relationis ad Filiū. Secūdū munus proprietatis personalis, & subsistētiæ incommunicabilis paternitas habet constituere personam Patris, & secundùm hoc munus præcedit generationē actiuā. Secundùm munus autem relationis habet referre ipsum Patrem ad Filiū, & secundùm hoc munus sequitur ad actionem generatiuam, & sic etiam relatio Diuina semper supponit suum fundamentum.

39 Obijc. 7. Trinitas destruit aliud principium: *Multiplicatis suppositis multiplicatur natura*; nam multiplicantur Diuinę personæ sine multiplicatione naturæ Diuinæ; ergo naturaliter potest improbari.

Resp. *B. Doct. dist. 2. princ. 2. q. 1*; quòd illud principium verum est de natura, quæ, cùm non sit suum esse, aquirit esse in supposito; vnde si multiplicantur supposita, multiplicārur etiam esse, quæ aquiruntur in talibus suppositis, & per consequens multiplicantur naturæ recipiētes talia esse; falsum verò esse illud principium de natura, sicuti est Diuina, quæ, cùm sit suum esse, non aquirit esse in suppositis, sed dat esse ipsis suppositis, & ideo non multiplicatur.

40 Obijc. 8. Trinitas videtur destruere formam syllogismi expositorij, quam tradit *Phil. 1. Post. c. 23*; nam non valet: *Hæc essentia est Pater; hæc essentia est Filius; ergo Pater est Filius.*

Resp. terminos in syllogismo expositorio sumendos esse ita, vt medium non excedat aliquod extremorum, sed illis tantùm conueniat; nam non valet hic syllogismus: *Pontifex est Clemens X; Paulus V. est pontifex; ergo Paulus V. est Clemens X*; non valet, quia pontifex qui est medius terminus, non supponit tantùm pro *Clemente X*; & ideo non est bene singularizatus; ita à pari quando dicitur: *Hæc essentia est Pater*, tūc essētia, quæ est mediū, nō supponit tātùm pro *Patre*; sed etiam pro *Filio*, & ideo hic syllogismus non est verè expositorius, ac propterea hoc mysterium non destruit illud principiū naturale. *Vid. B. Doct. hic dist. 2. princ. 2. q. 1.*

Ceteræ obiectiones solutæ sunt *To. 1. de Subst. Dei, & de Inuisi. vbi sup.*

41 Quæres, an de potentia Dei absoluta, possit communicari Viatori extra visionem beatam cognitio euidens huius Mysterij?

42 Resp. cùm *B. Doct.* posse communicari supernaturaliter cognitionem euidētem quoad *an est*, non quoad quid est, propter rationes assignatas. *To. 1. de Subst. Dei q. 1. art. 1*; nam cognitio quoad *quid est*, seu quiditatiua vel esset per ipsam Diuinam essentiam immediatè, & sic non esset extra visionem, vel esset per speciem creatam quidditatiuè repręsentantem Diuinas personas; & hęc repugnat, vt ostensum est *vbi sup. & de Inuisib. q. 3. art. 1.*

ART. II.

An vestigium Trinitatis reperiatur in omni creatura; quid repræsentet; & secundùm quod accipiatur; & quorum sit cognoscere Deum per vestigium?

1 Diximus *in sup. art.* per vestigium Trinitatis impressum in creatura, supposita reuelatione cognosci aliquo modo Trinitatem; superest, vt *hic* de vestigio agamus; sic enim magis apparebūt, quę superiùs dicta sūt.

2 Quatuor igitur quęruntur in titulo. 1. An vestigium Dei sit impressum in omni creatura? 2. An tale vestigium propriè repræsentet vnitatem Dei, vel Trinitatem Diuinarum personarum? 3. Secundùm quas partes creaturæ accipiatur vestigium Trinitatis? 4. A quibus cognoscatur Deus per vestigium? Igitur.

§. I.

An vestigium Dei reperiatur in omni creatura?

3 Duplicem sensum habere potest difficultas proposita. Primus est; an in creaturis sit impressum vestigium Dei? Secundus est; an supposito, quòd vestigium Dei sit in creaturis, ita sit in illis, vt sit in omnibus, non in aliquibus tantùm; sicuti imago Trinitatis verè reperitur in creaturis, non tamen reperitur in omnibus; vt videbimus *in seq. art.* In primo sensu eam agitat *B. Doct. hic q. 1. art. 1*; & secundum sensum expedit *q. 3.* Nos vtrumque simul resolu-

uenius; ad eundem enim locum videtur spectare habere esse, & habere vniuersale esse; cùm vniuersalitas, vel particularitas sit imbibita in quocumque ente.

4 Quoad 1. *not. ex B. Doct. hic q. 1. art. 1;* quòd vestigium Dei translatiuè dicitur à vestigio, quod relinquit creatura in aliquo subiecto,& propriè vestigium creaturæ dicitur de impressione pedis relicta in aliqua materia molli. Cùm autem pedes competant tantùm animalibus, ideo vestigium Dei sumitur translatiuè à vestigio,quod relinquit pes animalis in puluere,vel in aliqua alia materia. Illa autem, quæ translatiuè dicuntur, debent habere inter se aliquam similitudinem;vt habet *Phil. 6. Top;* propterea risus translatiuè dicitur de prato; quia sicut homo, cùm ridet, aperit os,& ostendit plures dentes,ita flores aperientes,& explicantes sua folia, ostendunt plura granula, quæ sunt veluti dẽtes florum; & ideo propter hãc similitudinem dicitur risus translatiuè de pratis. Vt igitur ostendamus, an vestigium Dei reperiatur in creaturis, videndum est, an sicuti pes animalis relinquit vestigium sui in puluere, vel luto &c; ita Deus condens creaturas relinquat in illis aliquod, quod habeat similitudinẽ eum vestigio animali.

5 Vestigium autem,vt docet *in eadem dist. 3. p. 2. princ. 1. q. 1;* in hoc differt ab imagine, quòd vestigium repræsentat speciem animalis, nõ autem tale indiuiduum; nam vestigium *Herculis* v. g. repræsentat esse vestigium hominis,non tamen esse vestigium talis hominis determinatè. Imago enim nedum repræsẽtat speciem, sed etiam indiuiduum determinatum illius speciei; cùm imago *Herculis* repræsentet nedum *Herculem* esse hominem, sed etiam esse talem hominem ita, vt veniamus in cognitionẽ, illam esse imaginem *Herculis*,non *Vlyssis.*

6 Cùm enim cuilibet rei conueniant quædam prædicata generica, & omnino confusa, vt sunt ea, quæ conueniunt v.g. *Petro* ratione animalis;quædam specifica;vt quæ conueniunt *Petro* ratione naturæ humanæ, vt esse rationale, discursiuum,&c;quædam omnino particularia, vt ea,quæ illi conueniunt ratione talis indiuiduationis. Prædicata specifica dicuntur distincta per comparationem ad prædicata generica; habent enim distinguere genus; sed ratione prædicatorum indiuidualium dicuntur cõfusa; quia in prædicatis specificis non cognoscuntur prædicata indiuidualia distinctè. Prædicata verò indiuidualia dicuntur omnino distincta. Vestigium ergo repræsentat rem quo ad prædicata non solùm omnino confusa, idẽst generica; sed etiam quoad prædicata specifica, quæ sunt distincta respectu generis, & confusa respectu indiuiduorum; non tamen quoad prædicata omnino distincta,scilicet indiuidualia naturæ; quia vestigium hominis,licèt repræsentet illum esse animal,& esse hominem,& indiuiduum humanũ vagè,& indeterminatè sumptũ,nõ tamen repræsentat esse talem hominem determinatè, & in singulari. Imago verò repræsentat etiam quoad prædicata omnino distincta,vt dictum est.Ita se habet in Diuinis;nam quædam prędicata cõueniunt Deo, & sunt omnino communia tribus personis,vt sunt prædicata essentialiter non appropriata alicui personæ Diuinæ, v.g. Aeternitas,Diuinitas,Actus purus,Infinitas, &c; quædã conueniunt Diuinis personis medio quodam modo, scilicet partim communiter omnibus personis,& partim determinatæ tali personæ in singulari,quia scilicet licèt sint communia, cùm sint essentialia, attamen appropriantur alicui personæ in particulari;vt sunt potentia,quæ appropriatur Patri,Sapientia Filio,& Charitas,seu Clementia Spiritui sancto; quanuis enim hæc, vtpotè essentialia,sint omnibus communia;attamen à nobis per quandam appropriationem attribuuntur vni, & non alteri. Tandem quædã prædicata conueniunt personis Diuinis omnino distinctè specialiter,& determinatè ita,quòd vni, & non alteri cõueniant, & huiusmodi sunt prædicata personalia: vt Paternitas, Filiatio, & spiratio passiua. Vestigium ergo Dei debet repræsentare Trinitatem quoad prædicata appropriata, non quoad personalia distincta.

7 Vestigium autem Dei, quod est in creatura, est *mensura,numerus,& pondus;* vt ex *Sap. 11.* colligit *Beatiss. P. 4. sup. Gen;* quòd licèt ab alijs alio modo explicetur, in idem tamen redit; vt cum *B. Doct.* ostendemus §. 3; fecit enim Deus omnes creaturas *in mensura, numero, & pondere*, propter quod dicitur impressisse vestigium Trinitatis in creaturis. *Mensura* designat potentiam, quæ appropriatur Patri, *à quo* cuncta procedunt. *Numerus* designat Ideã, seu causam exemplarẽ,quæ appropriatur Filio, per quem omnia facta sunt;numerus enim designat speciem, cùm species sint,sicuti numeri, vt dicitur *in Met;* species autem, cùm sit forma, respicit, & dicit ordinẽ ad causam formalem Diuinam,quæ nõ est nisi causa exemplaris,& idealis. *Pondus* verò designat bonitatem, & clementiam, quæ appropriatur Spiritui sancto, quia pondus dicit tendentiam in finẽ, finis autem est bonitas;quapropter pondus dicitur amor boni, iuxta illud *Beatiss. P. Põdus meũ amor meus.* Hæc tria,quæ constituunt vestigium,vocantur à *Beatiss. P. Modus, species, & ordo;* vt diximus *To. 1. de Bonit. art. 1. n. 2. n. 4. sup. Gen. ad lit. c. 3; & seq.* His notatis.

8 Dicẽdum in creaturis esse vestigium Diuinæ Trinitatis. Prob. 1. *à B. Doct. in hac 3. dist. p. 1. princ. 2. q. 4. art. 1.* tripliciter. 1. Vestigium ducit in cognitionem rei secundùm prædicata appropriata, non secundùm prædicata personalia, & indiuidualia; sed ex mensura, numero, & pondere creaturæ deuenimus in co-

gnitionem personarum Diuinarum quoad prædicata appropriata,nō personalia; ergo in creaturis est vestigium Diuinę Trinitatis.O mnia patent ex dictis.

9 Prob.2.Vestigium reprę̨sentat rem quoad prædicata medio modo se habentia,idest nec indiuidualia determinata,nec omnino confusa; sed in creaturis reprę̨sentatur Deus quoad prędicata medio modo se habentia,vt supra dictum est;ergo in creaturis est Trinitatis vestigium.

10 Prob. 3. Vestigium participat in se formam vestigiati diminutè,& imperfectè; nam pes imprimit vestigium in puluere, sicut sensibile in in sensu, vt docet *Phil. in 2. de Anima*; patet augem, quòd sensibile habet in se formam perfectè,& substantialiter,quæ recipitur in sensu tantùm diminutè accidentaliter, scilicet per speciem;sed in creatura recipitur imperfectè, & diminutè forma Trinitatis Diuinæ, quæ perfectissimè est in Deo; ergo in creatura est vestigium Trinitatis.

11 Prob. 4. *ex eodem q.2.* Quælibet perfectiones, quæ sunt in creatura,designant Potentiam,Sapientiam, & Bonitatem,seu Clementiam Dei; ergo in creaturis est vestigium Trinitatis Diuinæ.Prob.ant.Quælibet perfectiones,quę sunt in creaturis, sunt depēdenter à Deo receptæ; dependet autem creatura à Deo in triplici genere causę,scilicet efficientis,formalis,& finalis; cùm Deus non sit causa materialis creaturarum; quia causa materialis dicit imperfectionē, cùm importet recipere,sed perfectiones,quę ordinantur ad Deum,tanquam ad causam efficientem,explicant potentiam Dei, quæ est causa efficiēs omnium creaturarum;& perfectiones,quæ ordinantur ad Deum, tanquam ad causam formalem,explicant Diuinam Idæam,ad cuius similitudinem sunt factæ; & perfectiones, quæ ordinantur ad Deum tanquam ad causam finalem, explicant Diuinam bonitatem,quæ est finis omnium creaturarum; ergo perfectiones, quæ sunt in creaturis,explicant Diuinā potentiam,sapientiam,& bonitatem. Cōs.patet;quia vestigium,vt dictum est, explicat rem quoad prædicata appropriata,non quoad personalia.

12 Obijc.1.Quod non est vestigabile,non habet vestigium; sed Deus non est vestigabilis; ergo non habet sui vestigium in creatura.

Resp.*B.Doct.ad 2.* dist. mi. Deus non est vestigabilis perfectè,cōc;imperfectè,neg; per vestigium autem res vestigatur imperfectè, non perfectè,vt superiùs dictum est.

13 Obijc.2.Vestigium est rerum mobilium, & habentium quantitatem; sed Deus est immobilis,& indiuisibilis;ergo non habet vestigium.

Resp. *ad 2.* dist. ma. Vestigium propriè est rerum mobilium, & habentium quantitatem, conc;vestigium translatiuè,& transumptiuè,neg; sic enim est etiam rerum immobilium, & spiritualium,vt est Deus.

14 Quoad 2; an in omni creatura reperiatur vestigium?

Not.*ex B.Doct.in eadem princ.2.q.3*;quòd pręsens difficultas potest dupliciter intelligi. 1. an in omni creatura per se existente adęquatè sumpta reperiatur vestigium Trinitatis? 2. an in omni re creata, etiā si non sit per se existens, nec ens per se completum ex suis partibus, sed aliquod entis completi, reperiatur vestigium Trinitatis, v. g; an in homine adæquatè sumpto secundùm omnia, quæ illi competunt, considerato sit vestigium Trinitatis; an verò etiam in omnibus partibus ipsius hominis, & singulis per se præcisè sumptis, puta risibilitate præcisè sumpta,& sic de reliquis?

15 Et ratio dubitandi est, quia cùm *Phil.1. de Cælo,& Mundo t. c.2.* reducat partes vestigij *ad substantiam, virtutem, & operationem* ita, vt per *mensuram* intelligatur *substantia*, quæ est mensura omnium,quæ in ipsa fundantur; per *numerum virtus*,quę cum sui vnitate numerat plures effectus,& *per pondus* intelligatur *operatio*;nā agens veluti per suum pondus quiescit; & cùm ex alia parte *substantia* distinguatur *à virtute*,& *operatione*; & *virtus à substantia*; *operatio* verò *à virtute*, videtur, quòd non in omni re creata sit vestigium Trinitatis; quia *in operatione* præcisè sumpta non *est ratio substantia*, & *virtutis*; nec *in virtute* ratio *operationis*, & *substantia* &c; propter quod.

16 Aduertit *B.Doct.vbisi* quòd tres partes vestigij possunt dupliciter considerari. 1. prout important tres entitates realiter distinctas, & sic non omnis entitas realis est adæquatum vestigium Trinitatis; aliter vna res esset triplex res realiter.2.vt important tres rationes,seu tres respectus rationis,& sic in omni re creata realiter indiuisibili reperitur vestigium Triuitatis.Quod dupliciter explicat *Beatiss.P.4.sup.Gen;ad lit.c.3; & seq;et in qq.ad Oros.1.*ex parte Dei,quatenus Deus constituit omnia in se ipso,qui,vt ait *Beatiss.P.vbisup; est pondus sine pondere,numerus sine numero,& mensura sine mensura.*2. Quatenus omnia creata à Deo sūt ponderata,numerata,& mensurata. Hoc autem sic exponitur *à B.Doct.* Quælibet entitas creata primò participat esse actuale à Deo; prout autem participat esse,tantùm partem capit ipsius esse;nam participare est quasi *partem capere*; partem verò capere est recipere esse secundùm mensuram, & limitationem, & sic in omni re creata est ratio *mensura*. 2.Participat vniuersalem rationem generis,cùm quælibet res creata sit in aliqua prædicamento, quod est genus; & sic in creatura est ratio *ponderis*; nam sicut per pondus res locantur in suis locis; ita per genus quælibet entitas creata locatur in suo prædicamento. 3. Participat esse specificum; cùm omnis entitas creata sit in determinato genere, & specie, propter quod illi competit ratio *numeri*; non solùm quia species

sunt

sunt, sicuti numeri; nam quemadmodum numerus constat ex pluribus partibus;ita species constat ex genere,& differentia,quæ sun t quantitas ipsius;sed etiam quia sicuti in numero adunantur plures vnitates, quibus numerus est perfectior;ita in specie adunantur perfectiones generum,quibus species est perfectior;propter quod ex parte creaturæ datur in qualibet entitate creata vestigium Trinitatis.

17 Ex parte Dei datur vestigiũ,quia Deus, participat alteri, non participat esse ab alio;ideo Deus sine mensura sui esse est mẽsura esse,quod communicat creaturæ; propter quod dicitur *mensura sine mensura*. 2. Deus non clauditur in aliquo genere, & claudit in se omne genus; ideo est *pondus sine pondere*. 3. Deus non est in aliqua specie, & continet perfectiones omnium specierum;& ideo *sine numero numerus* est creaturarũ. & sic sumitur vestigium ex parte Dei. *His supp*

18 Dicendum vestigium Diuinæ Trinitatis, prout dicit partes secundùm diuersos respectus rationis,esse in qualibet entitate creata. Fundamentum est. Quælibet res creata recipit à Deo esse limitatum, & mensuratum,propter quod illi competit ratio mensuræ,quæ explicat *potentiam* Diuinam; quæ est appropriatum attributũ Patris; est in aliquo genere;propter quod illi competit ratio *ponderis*; quæ explicat Diuinam *bonitatem*, quæ appropriatur Spiritui sancto;est in aliqua speci e determinata; propter quod illi competit ratio *numeri*; quæ explicat *Ideam*, quæ est appropriata Filio; ergo in qualibet entitate creata reperitur vestigiũ Diuinę Trinitatis.Omnia cõstãt ex dictis.

19 Ad rationẽ autem dubitandi resp;quòd *Phil.* sumit vestigium, prout dicit partes reales; non autem prout dicit partes tantùm secundùm diuersos conceptus rationis distinctos; secundùm quos magis propriè sumitur vestigium; vt dicemus §. 3.

20 Obijc.Imago, & vestigium opponuntur; quia repręsentatiuum diuiditur in imaginem,& vestigium; membra autem diuidentia debent esse opposita;sed opposita nequeunt esse in eodem subiecto;ergo vbi est imago, ibi non reperitur vestigium; sed in aliquibus creaturis est imago,vt infra dicemus; ergo in aliquibus creaturis non est vestigium.

Resp. *B. Doct.* neg. ma; vestigium enim se habet,vt genus; & imago, vt species; propter quod reperiuntur simul in aliquibus creaturis; in omnibus verò reperitur solùm vestigium; quod est genus generalissimum trãscendens per omnes creaturas;& hoc colligitur *ex Beatiss. P. 11. de Trin. c. vlt*; vbi docet, quòd mensura appropriatur memoriæ; numerus intellectui, & pondus voluntati.

21 Quæres, an vestigium Trinitatis æqualiter reperiatur in omnibus creaturis?

Resp. *B. Doct. hic q. 1. art. 3*; quòd si loquamur de partibus vestigij extensiuè, in omnibus æqualiter reperitur vestigium;quia in omnibus rebus creatis reperiuntur istæ tres partes; scilicet *mensura*, *numerus*, *& pondus*. Si lÿ autem æqualiter sumatur intensiuè, ratio vestigij magis perfectè reperitur in creaturis perfectis,quã in imperfectis; & ratio est, quia quantò magis res est perfecta,tantò magis habet de esse,à quo sumitur perfectio; & per consequens illi competit ratio perfectionis mensuræ; & quãtò magis habet de simplicitate, tantò maiores vnitates congregantur in ipsa; nam *quæ sunt diuisa in inferioribus, vniuntur in inferioribus*; propter quod illi cõuenit ratio maioris *numeri*; & quãtò magis est perfecta, tantò magis illi competit de quiete; & per consequens maior ratio *ponderis*. Ideo *Beatiss. P. 4. sup. Gen. ad li. c. 4.* ait. *Tantò magis accipere ista in superioribus cara sunt, quantò ipse minus est in inferioribus caro*; ergo intensiuè loquendo ratio vestigij non est æqualiter in omnibus creaturis; sed in creaturis perfectis perfectiori modo, & in imperfectis imperfectiori modo.

22 Dices. Vestigium dicit imperfectam cognitionem Dei; sed creatura magis imperfecta magis imperfectam Dei cognitionem generat; ergo ratio vestigij magis reseruatur in creaturis imperfectis,quàm in perfectis.

Resp. *B. Doct. hic §. ad illud.* dist. ma. Vestigium dicit imperfectam cognitionem Dei absolutè,conc; comparatiuè ita, vt vbi magis imperfecta est cognitio Dei,ibi sit potior ratio vestigij, neg; sicuti non valet. *Scientia creata dicit imperfectionem;ergo qui magis imperfectè cognoscit;magis perfectè habet scientiam creatam.*

§. II.

An vestigium repræsentet vnitatem essentiæ Diuinæ,vel Trinitatem personarum?

23 Hæc difficultas ex dictis clarè patet, ideo breuiter expeditur.

Supp. igitur *ex B. Doct. hic*,quòd illud directè repræsẽtatur per vestigium, quod cognoscitur ineuidenter,confusè, & obscurè; vestigiũ enim,vt supra dictum est, repræsẽtat indiuiduũ, seu personam vagè, & confusè secundùm prædicata appropriata. Vnitas autem Diuinæ essẽtiæ per ea, quæ sunt in creatura,repræsentatur, & cognoscitur cognitione *quia* clara, & euidẽti,quia per creaturas demonstratur;demonstratio autem est cognitio clara,& euidens;propter quod vnitas essentiæ Diuinæ non est id, quod repræsentatur, & cognoscitur per vestigiũ existens in creatura. *Hoc supp.*

24 Vnica cõcl. Vestigiũ Dei existẽs in creaturis repræsẽtat directè Trinitatem personarũ.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. 6. de Trin. c. 10.* dicente. *Per ea,quæ facta sunt,possumus cõspicere Trinitatem,cuius in creatura dignũ apparet vestigiũ.*

25 Prob. 2. *ex B. Doct.* Vestigium directè re-

repræsentat id, quod confusè, & vagè cognoscitur; ergo vestigium directè repræsentat Trinitatem Diuinarum personarum. Ma. patet ex dictis; in hoc enim vestigium distinguitur ab imagine, quòd vestigium propriè repræsentat confusè,& vagè indiuiduum illius naturæ, cuius est vestigium; imago verò repræsentat clarè indiuiduum,& personam.Mi.etiam constat; nam exiſtentia vnitatis Dei per creaturas clarè, & euidenter cognoſcitur.

26 Conf.*ex eod.* Per vestigium nequit euidenter demonstrari id, quod cognoscitur; sed per creaturas euidenter demonstratur existentia vnitatis Dei; ergo per vestigium non repræsentatur directè vnitas Diuinæ essentiæ, sed Trinitas personarum Diuinarum.

27 Diximus *directè*; quia indirectè repræsentat etiam essentiam Diuinam ex eo, quòd repræsentet personas Diuinas, in quibus est essentia Diuina; sicut vestigium alicuius hominis repræsentat directè aliquod indiuiduum humanum, & quia tale indiuiduum habet naturam humanam; ideo indirectè repræsentat etiam naturam humanam.

28 Obijc.Vestigium est effectus Dei, quatenus vnus, non quatenus trinus est; ergo repræsentat directè vnitatem,nõ Trinitatem.Ant. patet; quia omnia opera ad extra sunt effectus essentiæ,quatenus vna est.Prob.conſ. quia effectus repræsentat suam causam sub ea ratione, qua ab ipsa dependet; sed vestigium dependet à Deo directè, quatenus vnus est,non quatenus Trinus;ergo repræsentat directè vnitatem, non Trinitatem.

Resp.*B.Doct.*dist. conſ. Vestigium, quatenus effectus Dei, repræsentat directè vnitatem, conc; quatenus vestigium formaliter est, neg. Vestigium ergo potest dupliciter considerari, quatenus creatura est, & sic repræsentat vnitatem,& quatenus vestigium formaliter est, & sic directè repræsentat Trinitatẽ. Sic pictura, quatenus effectus Artificis, repræsentat Artificem, à quo facta est, propter quod dicitur pictura *Apellis,Prothogenis,Parrhasij,&c*;quatenus imago est,repræsẽtat rẽ, ad cuius imaginẽ facta est.

§. III.

Secundùm quæ accipiatur in creatura vestigium Trinitatis?

29 PHilosophi Gentiles sola ducti naturali ratione assignauerunt Dei vestigium aliter, ac Theologi, qui Fide duce profundiùs scrutati sunt hoc arcanum. Varias ergo refert *B.Doct. hic q.* 2. vestigij assignationes, quæ tamen, licèt secundùm diuersas rationes sumantur, in idem tamen redire contendit.

30 *Pythagoras* dixit partes,secundùm quas sumitur vestigium Dei in creatura, esse *principium,medium,& finem.*

31 *Arist.lib.*1.*de Cælo,& Mundo c.*2. dixit esse *substantiam,virtutem, & operationem*; asserens secundùm hæc tria esse laudandum Deum.

32 *Beatiss.P.*4.*sup.Gen.ad lit.c.* 4; *&* 8. docet partes vestigij esse *modũ, speciẽ, & ordinem.*

33 *Sacra Scriptura* docet esse *numerum, pondus,& mensuram*; dicitur enim *Sap.* 11. *Omnia constituisti in numero,pondere, & mensura.* Quòd autem istæ acceptiones in idem redeant.

34 Not. *ex B. Doct*; quòd partes vestigij possunt accipi confusè, quando non ostenditur, quid per eas significatur;vel distinctè,cùm ostẽditur,quid significatur.

35 Partes vestigij distinctè acceptæ adhuc dupliciter sumi possunt. 1. materialiter pro subiecto,in quo sunt.2. formaliter pro ipsis partibus constituentibus ipsum vestigium.

36 Partes vestigij formaliter acceptæ adhuc dupliciter sumi possunt, vt superiùs diximus; scilicet ex parte Dei, qui omnia in se ipso constituit in *numero,pondere, & mensura*; & ex parte creaturæ, prout sunt, & recipiuntur in creatura.*His not.*

37 Vnica concl. Prædictæ acceptiones partium vestigij in idem redeunt hoc ordine,vt acceptio *Pythagora* reducatur ad acceptionem *Aristotelis* tanquam confusum ad distinctum;acceptio autem *Aristotelis* reducatur ad acceptionem *Beatiss.P.* tanquam materiale ad formale; acceptio verò *Beatiss. P.* reducatur ad acceptionem *Scripturæ* tanquam aliquod se tenens ex parte creaturæ ad aliquod se tenens ex parte Dei. Declaratur hoc *à B.Doct.* sic. *Principium* reducitur *ad substantiam*, quæ est primum principium omnium operationum. *Medium* reducitur *ad virtutem*, quæ est media inter substantiã, & operationem.*Finis* reducitur *ad operationem*, quæ est finis motus substantiæ; sed *Pythagoras* non expressit,quid intelligeret per *principium, medium, & finem*; sicut clarè explicuit *Arist*;ergo acceptio partium vestigij tradita *à Phytagora* reducitur ad acceptionẽ partium vestigij traditã *à Phil*; tanquam obscurum,& confusum ad clarum, & distinctum.

38 Prob. 2. pars. *Substantia* reducitur ad *modum*; ex eo enim, quòd creatura ab omnipotentia Diuina recipiat substantiam limitatam,& idcirco mensuratam (quod enim illimitatum est,est immensum) ideo recipit substantiam modificatam; mensura enim, & limitatio substantię est quidam modus adueniens ipsi substantiæ, per quem substantia collocatur in aliquo prædicamento,quòd dicitur *modus essendi rerum.Virtus* reducitur *ad speciem*; nam sicut virtus est perfectio substantiæ,ita species est perfectio rei; *operatio* reducitur *ad ordinem*; nam in tantùm aliquod ordinatur in finem, in quantùm exit in operationem mediante virtute, quod, expressè tradit *Beatiss.P.*6. *de Trin.c.*10;vbi docet *Modũ esse tantùm rerũ,speciem esse qualitates,doctrinas, & artes; ordines verò esse amores; & delectationes.*

nes. Patet autem, quòd *modus* ſubſtantiæ fundatur ſupra *ſubſtantiam*, tanquam formale in ſuo materiali; *perfectio* in *virtute*, quæ dicitur *diſpoſitio perfecti ad optimum*; *& ordo* in actuali *operatione*; ergo acceptio partium veſtigij tradita *à Phil.* reducitur ad acceptionem partium veſtigij traditam *à Beatiſſ. P*; tanquam materiale ad formale.

39 Prob.3. pars. *Modus* reducitur *ad menſuram*; quia vt docet *Beatiſſ.P. lib. 4. c. 3. ſuper Gen. ad lit.* Menſura omni rei præfigit modum; *ſpecies* reducitur *ad numerum*; quia *vt ibid.* ſubdit: *Numerus omni rei ſpeciem præbet*; cùm numerus formalitatem importet; quæ eſt modus proprius ſpeciei, propter quod dicitur, quòd *eſſentiæ rerum ſunt, ſicut numeri*; *& ordo* reducitur *ad pondus*; quia ſicut ordo reſpicit finem, ad quem dirigit; ita pondus reſpicit finem, ad quem trahit; & in quo quieſcit; propter quod *ibid.* concludit: *Pondus omnem rem ad quietem, & ſtabilitatem trahit*; ſed *modus, ſpecies, & ordo* ſunt in creaturis modificatis, ſpecificatis, & ordinatis; menſura verò, pondus, & numerus ſunt in Deo ſine menſura menſurante creaturas, ſine pondere ponderante, ac ſine numero numerante; ergo acceptio partiũ veſtigij allata *à Beatiſſ. P.* reducitur ad acceptionem partium veſtigij traditam *à ſacra Scriptura*, tanquam aliquod ſe tenens ex parte creaturæ ad aliquod ſe tenens ex parte Dei.

40 Collig. 1. ex dictis non eſſe audiendos illos, qui dicunt acceptiones partium veſtigij traditas *à ſacra Scriptura*; *& à Beatiſſ. P.* reduducẽdas eſſe ad acceptionem traditam *à Phil*; tũ quia, vt docet *B. Doct*; inconueniens eſt reducere aliquod dictum *Theologorum, & Diuinarum Scripturarum*, ad dictum alicuius prophani; tum quia acceptio *Phil.* eſt materialis, vt patuit, & ideo imperfecta; ſed imperfectum reducitur ad perfectum, tanquam ad ſuum complementum; non verò è contra; ergo acceptio *Phil.* reducẽda eſt eo modo, quo dictũ eſt; non autẽ è contra.

41 Collig. 2. alios aſſignare partes veſtigij alio modo; nam omnis creatura eſt quid vnum; & ſic repręſentat *Patrem*. Eſt quid verum; & ſic repręſentat *Filium*. Eſt quid bonum, & ſic repræſentat *Spiritum ſanctum*. Iſtę tamen, & omnes aliæ conſimiles reducuntur ad prædictas; vel ſi non reducuntur, ſunt incompetentes, & ideo ſunt dimittendæ.

42 Obijc. 1. In creatura non eſt, niſi actus, & potentia, cùm ens creatum diuidatur adęquatè in actum, & potentiam; ergò in creatura nequeunt ſumi partes veſtigij.

Reſp. *B. Doct. ad* 1; quòd actus, & potentia habent plures partes; nam virtus eſt actus reſpectu ſubſtantiæ, & potentia reſpectu operationis; ideo ſubdiuiduntur in tres partes, ſecundùm quas ſumitur veſtigium ex parte creaturæ.

43 Obijc. 2. In creatura præter ſubſtantiam, virtutem, & operationem reperitur etiam eſſe; ergo quatuor partes ſunt in creatura.

Reſp. *eſſe* reduci ad operationem, quæ importat actuale exercitium rei; vel ad virtutem, quæ eſt actus ipſius ſubſtantię.

44 Obijc. 3. *Beatiſſ. P.* ait: *Senarius numerus perfectus, ſecundùm quem ordo creaturarum currit*; ergo partes veſtigij ſunt ſex.

Reſp; quòd ſumit partes veſtigij actiuè, & paſſiuè, prout ſunt in Deo, & in creatura.

§. IV.

Quorum ſit cognoſcere Deum per veſtigium?

45 TRia ſunt cognoſcentia, ſcilicet Deus, beati, & viator ſiue homo, ſiue Angelus; quæritur, quinam ex his cognoſcat Trinitatem per veſtigium?

46 Supp. eſt id, quod ſuperiùs diximus, nẽpè veſtigium importare cognitionem imperfectam, obſcuram, & confuſam; quia importat cognitionem quoad prędicata communia appropriata, non propria.

47 Vnica concl. Soli homini viatori, & Angelo conuenit formaliter cognoſcere Diuinam Trinitatẽ per veſtigiũ. *Ita B. Doct. hìc q.* 4. Fund. eſt. Propriũ eſt ſolius intellectus præditi ſolo lumine naturali cognoſcere obſcurè, & confuſè Trinitatẽ Diuinarum perſonarum; ſed ſolus homo, & Angelus viator eſt vtens lumine naturali; ergo proprium eſt ſolius hominis, vel Angeli viatoris obſcurè, & confuſè cognoſcere Trinitatem Diuinarum perſonarum; ſed hoc eſt cognoſcere per veſtigium; ergo ſolius hominis, & Angeli viatoris eſt proprium cognoſcere Deũ per veſtigium. Ma. patet; quia intellectus præditus lumine ſupernaturali; ſicut eſt intellectus beatus, & Diuinus clarè cognoſcit Trinitatem Diuinarum perſonarum.

48 Obijc. Deus cognoſcit veſtigium Trinitatis eſſe in creatura; ergo cognoſcit Trinitatem per veſtigium; ſicut ſi quis videret faciem *Petri* in ſpeculo, diceretur *Petrum* cognoſcere per ſpeculum. Hoc idem eſt dicendum à fortiori de beatis; ergo etiam Deus, & beati cognoſcunt Trinitatem Diuinarum perſonarũ per veſtigiũ.

Reſp. *B. Doct.* tripliciter cognoſci veſtigium Trinitatis 1. Quando cognoſcitur ipſum veſtigium, non tamen in veſtigio, nec per veſtigium; quia veſtigium non eſt ratio formalis cognoſcendi ipſum repręſentatum per veſtigium. 2. Quando cognoſcitur ipſum veſtigium, & in veſtigio, quia non repugnat cognoſci in veſtigio ipſum repræſentatum per veſtigium; aliunde tamen cognoſcit, quia clarè cognoſcit etiam veſtigiatũ. 3. Quando cognoſcitur veſtigium, & in veſtigio, & per veſtigiũ. Sicuti aliquis 1. poteſt cognoſcere ſpeculũ; nõ tamẽ in ſpeculo, nec per ſpeculum; quia ſpeculũ non poteſt eſſe ratio cognoſcendi ea, quę cognoſcit; cùm talem cognitionem habeat aliunde, & repugnat habere

in ſpeculo, quia licèt de facto cognoſcat in ſpeculo, attamen aliunde cognoſcit; vt ſi quis faciē Petri extra ſpeculum cognoſcat, & poſteà illam intueatur in ſpeculo, tunc ſpeculum non eſt ratio cognoſcendi Petrum, quia illum aliunde cognoſcit. 3. Quia videt ſpeculum, & in ſpeculo, & per ſpeculum; quia ſpeculum eſt ratio cognoſcēdi id, quod repræſentatur. Deus videt veſtigiū primo modo, nō tamē videt aliquod in veſtigio; nam repugnat videre aliquod extra ſe, nec per veſtigiū; quia veſtigiū nō eſt ei ratio cognoſcēdi Trinitatem. Beati ſecundo modo vident veſtigium, & Trinitatem in veſtigio, non tamen veſtigium eſt ratio cognoſcendi Trinitatem, quia illam aliunde cognoſcunt per lumen gloriæ; viatores verò cognoſcunt veſtigium, in veſtigio, & per veſtigium.

49 Obijc. 2. Viator cognoſcit per imaginem; ergo non per veſtigium; nam adueniente cognitione clara cedit obſcura; cognitio autem per imaginem, vt dictum eſt, eſt clara, & cognitio per veſtigium obſcura.

Reſp. B. Doct. ad vlt. diſt. ant. Cognoſcit per imaginem ſuppoſita Fide, conc; præcisè per rationem naturalem, neg.

60 Collig. ex hoc, quòd proprium eſt Philoſophi naturalis cognoſcere per veſtigium; fidelium per imaginem, & beatorum, Deique per eſſentiam.

ART. III.

In quibus creaturis reperiatur imago Trinitatis, & ſecundùm quæ deſumatur?

1 POſtquam egimus de veſtigio, ſupereſt agendum de imagine diſtinctè repræſentante Diuinas perſonas; cùm enim, vt ſupra dictum eſt, veſtigium ſe habeat ad imaginem, veluti commune ad ſpeciale; ideo poſt veſtigij cognitionem imaginis explicationem inſerimus. Quia tamen duo quæruntur in titulo, idcirco hunc art. in duos §. maioris claritatis gratia ſecabimus.

§. I.

An in omnibus creaturis reperiatur imago Diuinæ Trinitatis?

2 DIximus in ſup. art. veſtigium ſanctiſſimæ Trinitatis reperiri in omnibus creaturis; conſequenter inquirimus, an etiam imago in omnibus reperiatur, vel ſolùm in aliquibus, & ſi ſolùm in aliquibus, quænam ſint hę creaturæ, videndum eſt.

3 Imago, vt notat B.Doct.diſt.3.p.2.princ.1.q.1; habet repræſentare etiam prædicata perſonalia, quibus indiuidua diſtinguuntur, vt diximus in ſup.art. Ratio ergo imaginis Diuinę Trinitatis, quæ eſt in creatura, debet ſumi per ordinem ad prædicata perſonalia notionalia, quibus perſonæ Diuinæ conſtituuntur, & notificantur. Perſonæ autem Diuinæ, cùm ſint relatiuæ non conſtituuntur, & notificantur, niſi per actus notionales relatiuos; qui actus non ſunt, niſi duo, vt inferiùs oſtendemus; ſcilicèt intelligere, & velle, ſed intelligere, & velle Diuinum ſunt actus conuerſiui, & reflexiui ſupra ſe ipſos; quia Pater intelligendo ſe generat Filium; & Pater, ac Filius amando ſe ſpirant Spiritum ſanctum; ideo ratio imaginis Trinitatis reperitur tantùm in illis creaturis, quæ ſunt conuerſiuæ ſupra ſe ipſas, & per conſequens quæ ſunt intellectiuæ, & volitiuæ, iſtæ autem non ſunt, niſi naturæ ſpirituales, quia materia ob ſui groſſitiem impedit conuerſionem, vt ſupra diximus To. 1. de Subſt. Dei q.2.art.2.§.1.n.7; ex quibus patet ſolas naturas intellectuales creatas poſſe repræſentare Trinitatem quoad perſonalia; quia ipſæ ſolùm poſſunt habere actiones intellectiuas, & volitiuas, quæ ſunt expreſſiuæ intellectionis, & volitionis notionalis Dei, quibus conſtituuntur perſonæ Diuinæ, & per conſequēs ſolas naturas intellectuales habere rationem imaginis Diuinæ Trinitatis.

4 Natura autem ſpiritualis intellectiua duplex eſt; alia, quæ elicit actionem intellectiuam, & volitiuam ſimpliciter independenter à corpore ita, vt in intelligendo, & volendo nec per ſe, nec per accidens cum corporę communicet; & hęc eſt Angelus, qui eſt forma purè ſpiritualis completa. Alia, quæ licèt per ſe non eliciat actionem intelligendi, & volendi mediante ipſo corpore, illas tamen elicit per accidens ratione ſtatus, in quo reperitur; & hæc eſt homo, qui licèt eliciat actiones ſpirituales eſſentialiter, & formaliter, attamen pro hoc ſtatu, in quo anima rationalis eſt vnita corpori, vt forma, non intelligit ſine phantaſmate materiali, & ideo non elicit ſuas actiones ſpirituales, niſi dependenter à corpore.

5 Vnica concl. Imago Diuinæ Trinitatis reperitur ſolùm in creatura intellectuali, idèſt Angelica, & humana. Prob. 1. ex Beatiſ.P.in principio lib.15. de Trinitate docente: Imago eſt in eo, in quo homo excellit pecus; ſed id, in quo homo excellit pecus, eſt eſſe intellectuale, in quo attingit Angelos; ergo imago Trinitatis Diuinæ reperitur ſolùm in natura intellectuali; hæc autem non eſt niſi duplex, ſcilicet Angelica, & humana; ergo imago ſanctiſſimæ Trinitatis reperitur ſolùm in natura Angelica, & humana.

6 Prob. 2. ratione. Illi ſoli competit imago Trinitatis, cui competit repræſentare actus notionales, quibus conſtituuntur perſonæ Diuinæ, qui actus ſunt intelligere, & velle; ſed huiuſmodi actus cōueniunt ſoli naturæ intellectuali Angelicæ ſcilicet, & humanæ; ergo imago Trinitatis Diuinæ reperitur ſolùm in creatura intellectuali, idèſt Angelica, & humana. Prob. ma. In hoc diſtinguitur imago à veſtigio, vt dictum eſt, quòd imago repræſentat perſonalia diſtinctè, & determinatè; veſtigium verò illa non repræſentat,

tat,nisi confusè,vagè, & obscurè; actus autem, quibus constituuntur personæ Diuinæ, sunt intelligere,& velle Diuinum notionale,vt infra videbimus; ergo illi creaturæ tantùm conuenit esse imaginem Trinitatis,cui conuenit intelligere, & velle; nam cùm repræsentare importet similitudinem; propter quod intelligere non repræsentatur, nisi per intelligere; & velle, nisi per velle; non enim velle repræsentatur per intelligere; nec intelligere per velle; ideo solùm illi creaturæ conueniet esse imaginem Trinitatis constitutæ per intelligere,& velle,cui conuenit habere intelligere, & velle creatum, per quod repræsentatur intelligere,& velle Diuinum.

7 Obijc. 1. Trinitas Diuina constituitur ex tribus personis realiter distinctis, quarum vna procedit ab alia;sed in natura humana, vel Angelica tres potentiæ intellectuales non ita se habent, vt vna procedat ab alia, quia intellectus non producit voluntatem, nec voluntas memoriam; ergo in homine, vel in Angelo non datur imago Trinitatis.

Resp.*B.Doct.ad* 3; quòd vnam personam Diuinam oriri ab alia per accidens se habet ad rationē imaginis,licèt enim imago *Herculis* oriatur ab *Hercule*;attamen non repræsentat *Herculem* oriri *à Sorte*;nec tollitur,quin sit vera imago *Herculis*;vnde quāuis imago Trinitatis,quę est in creatura,non repręsentet personas Diuinas quātū ad modū procedendi; quia tamen repræsētat ipsas quantùm ad prædicata personalia,ideo habet veram rationem imaginis,

Resp.2. *ex eod.dist.3.p.2.princ.3.q.2.art.3*; quòd etiam potentiæ intellectuales habent oriri inter se saltem consecutiuè per naturalem sequelam, & resultantiam, licèt non per veram productionem; nam ad intellectum naturaliter sequitur voluntas, quæ est appetitus rationalis essentialiter sequens formam apprehensam.

Resp.3.*ex Beatiss.P*; vt diximus *art*.1;imaginem Trinitatis,quę est in creatura intellectuali, esse valdè imperfectam, & deficientem; ac propterea non repræsentare Diuinas personas quantū ad omnia,quæ illi conueniunt,sed solùm quantùm ad aliqua, scilicet quātùm ad proprietates personales relatiuas, quæ constituuntur per intelligere,& velle.

8 Obijc.2.Trinitas Diuina nō repręsētatur,nisi in natura intellectuali;sed homo nō est natura intellectualis;ergo in homine nequit dari imago repræsentans Diuinam Trinitatem.Ma.patet ex dictis.Prob.mi;nam homo est natura rationalis; ergo non est intellectualis.

Resp.neg. mi. Ad prob. dicitur *ex B.Doct*; quòd rationalitas non tollit per omnem modum intellectualitatem, sed tantùm illam modificat, & constituit in infimo gradu vitæ intellectualis; rationalitas enim importat naturam intellectualem per modum discursus dependenter à phantasmate; propter quod rationalitas non addit intellectualitati, nisi gradum imperfectum intelligendi. Quia verò Angelus intelligit sine discursu,& independenter à phantasmatibus, ideo habet naturam intellectualem perfectiori modo. *Vid.B.Doct..de Caus.prop.25.lit.O.*

Ex hac responsione deducit *B. Doct*; quòd imago Trinitatis est perfectiori modo in Angelo,quàm in homine; quia in Angelo est natura intellectualis perfectior, quàm in homine.

9 Obijc.3. Mulier non est imago Dei; sed mulier est homo; ergo falsum est, quòd in omni homine sit imago Trinitatis. Prob.ma.*ex Apost.* 1.*Cor*.11.*Vir est imago Dei,mulier autem Viri.*

Resp.neg.ma;cùm enim inter virum, & mulierem non detur distinctio specifica; ideo tam vir,quàm mulier habent eandem naturam intellectualem, & ideo habent eandem imaginem Trinitatis. Ad *Apost*.ait *B.Doct.hìc*,quòd Vir est imago Dei, mulier autem viri; quia sicut homo factus est propter Deum, ita mulier facta est propter virum; & sicut Deus nō est propter hominem, sed è contra; ita vir non est factus propter mulierem, sed è contra. Hæc autem omnia accidentaliter se habent ad imaginē,vt diximus.

§. II.

Secundùm quæ prædicata in creaturis sumatur imago sanctissimæ Trinitatis?

10 Status difficultatis est,in quanam parte hominis impressa sit imago Diuinæ Trinitatis; cùm enim, vt *ex Beatiss.P.* colligit *B. Doctor*,in quolibet homine sint nouem Trinitates,seu nouem numeri ternarij, potest esse difficultas, an secundùm quenlibet istorum ternariorum, seu Trinitatum desumatur imago Trinitatis,an solùm secundùm aliquam?

11 Ratio autem dubitandi esse potest varius modus loquendi *Beatiss.P*;nam *in libris de Trin.* assignans has nouem Trinitates, quæ sunt in homine, modò vnam, modò alteram docere videtur imaginem dici debere Diuinæ Trinitatis. Porrò 15.*de Trin.c.*22. docet totum hominem esse imaginem Diuinæ Trinitatis; & 14.*de Trin.c.*8.dixerat imaginem Trinitatis in potiori parte animæ esse requirendam, quibus verbis negat totum hominem esse imaginem Diuinæ Trinitatis.Itē 4.*de Trin.c.*2.ait,quòd anima non propterea est imago Dei, quia sui meminit, & intelligit, & diligit se;sed quia meminit,intelligit,& amat Deum, à quo facta est. Et *eodem lib. c.*7.docuerat,quòd ex eo,quòd anima semper se intelligit, semper est imago Trinitatis. Insuper *in eodem lib.c.*4. docet, quòd nulla deformitas tollit imaginem, propter quod videtur, quòd etiam in parte sensitiua,ex qua oriturdeformitas, impressa sit imago Trinitatis; & *in eodem lib.c.*2. docet, quòd in inferiori parte rationis inuenitur Trinitas, sed non imago; quibus negare videtur id, quod superiùs dixerat. Tandem aliquando ait partes, secundùm quas desumitur Trinitas, esse

esse intellectum,memoriam, & voluntatem; aliquando verò esse mentem,notitiam,& amorem; vt igitur hæc concordentur.

12 Not.1.*ex B.Doct.in hac dist.3.p.2.princ. 2.art.3*; quòd homo diuiditur in exteriorem, & interiorem. Homo exterior est homo secundùm partem sensitiuam animalem consideratus. Homo interior est homo secundùm partem intellectiuam rationalem acceptus; vt docet *Beatiss.P. in princip.11.de Trin.* In homine ergo,siue sumatur secundùm partem sensitiuam, siue secundùm partem intellectiuam, reperiuntur plures Trinitates. In homine quidem secundùm partem sensitiuam accepto reperiuntur tres Trinitates, & secundùm partem intellectiuam reperiuntur sex Trinitates.

13 Primum, quòd scilicèt in hom ine secūdùm partem sensitiuam accepto reperiantur tres Trinitates, sic ostendit *B.Doct.*; nam ex obiecto sensibili exteriori,à quo gignitur species immissa in oculum, & ex ipsa specie recepta in oculo genita ab obiecto, & ex ipsa intentione connectente speciem in oculo existentem cum suo obiecto consurgit prima Trinitas exterior, scilicèt in oculo. Præterea ex specie existente in oculo,quasi ex parēte,gignitur secunda species, quæ informat memoriam, & ex specie genita in memoria, quasi ex prole, & ex intentione connectente tales species, consurgit secunda Trinitas exterior,scilicet in memoria sensitiua. Tandem ex specie existente in memoria, quasi ex parente gignitur tertia species, quæ informat potentiam cogitatiuam; & ex specie existente in cogitatiua, quasi ex prole,nec non ex intentione ambas illas species connectente consurgit tertia Trinitas exterior;idèst in cogitatiua. Sūt autē ibi tres speciesTrinitatis,vt habitū est. Et quāuis *ibid.* doceat esse quatuor species, hoc dicit, quia ibi sumit obiectum sensibile exterius faciens vnam speciem cum duabus visionibus, nempe visione existente in oculo,& visione existente in potētia cogitatiua. In memoria autem nulla visio existit,quia memoria nullo modo dicitur videre, sed tantùm species conseruare, cùm definiatur *Thesaurus,siue Archiuium specierum*; quia tamen sensibile exterius non est intrinsecè in homine, ideo solùm tres species intrinsecæ, de quibus tantùm *hic* loquimur, sunt assignandæ.

14 Secundum autem, scilicet, quòd in homine interiori, idèst secundùm partem intellectiuam accipiantur sex Trinitates,sic ostenditur. Homo secundùm partem intellectiuam importat formaliter esse intellectu præditum, & dotatum; homo autem per intellectum potest comparari ad tria obiecta.1.Ad aliquod obiectum, quod est supra seipsum,nempe ad Deum; vt est, quando intelligit,meminit,& amat Deum; & ex hoc sumitur prima Trinitas.2.Potest comparari ad seipsum,vt quando intelligit,meminit, & diligit seipsum; ex quo habetur secunda Trinitas. 3. Ad ea, quæ sunt infra seipsum, vt quando intelligit,meminit, & diligit tēporalia;ex quo cōsurgit tertia Trinitas. Quia tamen intellectus, memoria,& voluntas in homine sunt habitualiter, seu potentialiter per modum excludentis actus; non enim homo semper intelligit, meminit,& diligit actu Deum,seipsum,& temporalia; & aliquando actu intelligit, meminit, & diligit prædicta obiecta,ideo istæ tres Trinitates in homine possunt sumi habitualiter, & actualiter; ex quibus patet Trinitates existentes in homine secundùm partem intellectiuam rationalem consideratο esse sex; tres scilicèt habituales, & tres actuales.

15 Trinitas autem sumpta habitualiter est Trinitas sumpta secūdùm potentias rationales, quę sunt intellectus, memoria, & voluntas, vt docet *B.Doct.in ead.dist.p.2.princ.2.art.1.* Et ratio est; quia cùm anima secundùm se ipsam non possit actu intelligere (nulla enim substantia est immediatè operatiua) ideo requiritur virtus intellectiua superaddita realiter ipsi substātię animę,quę virtus vocatur intellectus.Pręterea cùm noster intellectus non possit actu intelligere aliquod obiectum, nisi coniungatur cum ipso, & ab ipso determinetur ad talem intellectionem; *ex obiecto enim, & intellectu pariter notitia*, vt docet *Beatiss.P*; & quia obiectum exterius nequit immediatè coniungi cum intellectu, vel ob sui grossitiem, & materialitatem, quæ impedit penetrare intellectum; vel ob distantiam, quæ tollit vnionem intellectus cum obiecto, ideo necesse est dare speciem,quæ gerat vicem ipsius obiecti. Et quia nisi talis species conseruaretur, statim periret, & euanesceret, ideo debet dari conseruatiuum talium specierum, quod conseruatiuum vocatur *memoria intellectiua*. Tandem quia intellectus informatus specie per memoriā conseruata non habet durare in tali intellectione,nec connecti cum tali specie,nisi voluntas nectat speciem cum intellectu, & imperet, seu intendat talem speciē durare in intellectu, ideo necesse est admittere vltra potentiā intellectiuā etiam voluntatem;ergo secundùm has tres partes desumitur Trinitas habitualis.

16 Trinitas trium potentiarum sumpta, prout dicebamus, est tantùm in ordine ad obiecta extra se existentia; in ordine ad quæ solùm ponitur memoria, cùm in ordine ad illa tantùm ponatur conseruatiuum specierum, quod non est,nisi memoria.Et ratio huius est;quia conseruatiuum specierum ponitur tantùm ad supplēdam absentiam obiecti;cùm enim obiectum semper non sit præsens, ideo non semper potest generare speciem sui; etenim nullum agens potest agere in distans;propter hoc ponitur memoria, quæ cōseruat species rerū etiā absentibus obiectis ita,vt quādo anima excitatur ab obiectis exterioribus ad intelligendum aliquod obiectum alias

alias cognitum per speciem, quam apud se habet conseruatam in memoria, potest illud intelligere; sed substantia animæ est præsens suo intellectui, cui immediatè coniungitur, ideo non est necessarium cōseruatiuum speciei ipsius animæ in ordine animam intelligendam (loquendo tamen de anima respectu proprij intellectus, nō autē respectu alieni intellectus, cui nō est præsens) sed ad hoc, vt intellectus propriam animā intelligat, sufficit, quòd ab his obiectis exterioribus excitetur ad actu intelligendum; præsens enim est anima, quæ illico speciem sui emittit in intellectum. Ipsa igitur substantia animæ in hoc casu facit id, quod faceret memoria in absentia obiecti. Tum quia ipsa substantia animæ habet durare, cùm sit ens per se existens coniunctum semper intellectui, ideo ipsa substantia animæ habet facere id, quòd facit memoria; cùm proprium sit memoriæ facere, quòd duret, & perseueret ipsa species. Quando ergo anima per intellectum intelligit seipsam, vel consideratur, vt potens intelligere, tunc loco memoriæ stat ipsa substantia animæ, & in hoc sensu Trinitas, quæ sumitur secundùm partem intellectiuam in ordine ad seipsam, consurgit ex intellectu, substantia animæ, & voluntate, & in hoc sensu *Beatiss.P. 14.de Trin. c.6.* docet Trinitatem in ordine ad seipsam esse mentem, notitiam, & amorem: Vbi mens sumitur, prout idem est, ac substantia animæ. Quia tamen intellectus non semper actu intelligit suam animam, licèt anima semper illi actu sit præsens, non enim semper excitatur ab his obiectis exterioribus ad intelligendam ipsam, nec mouetur à volūtate ad actu intelligendum; ideo mens, seu substantia animæ, notitia, & amor aliquando sumuntur habitualiter pro potentijs carentibus suis actibus, & aliquando sumuntur actualiter pro ipsis actibus potētiarum. *Vid.B.Doct.etiam Quodl.2.q.15.*

17 Not.2. *ex eodem art. 3. cit. §. Hoc viso* imaginem sumi posse quadrupliciter. 1. subiectiuè pro illo subiecto, in quo impressa est talis imago, & sic tabula, vel tela, vel gypsum, & cæmentum dicitur imago. 2. Imago dicitur ex eo, quòd aliquo modo dat intelligentiam illius, cuius est imago. 3. Dicitur ex eo, quòd materialiter repræsentat id, cuius est imago. 4. Tandem dicitur ex eo, quia formaliter; & per imitationē repræsentat id, cuius est imago. Imago primis tribus modis accepta non est imago propriè, & formaliter, sed impropriè, & largo modo, quia, vt docet *Phil.6.Top.c.1; Imago est, cuius generatio est per imitationem*. Imago igitur propriè, & formaliter sumitur tantū 4. modo. Ex hoc habetur explicatio varietatis locutionū *Beatiss. P.* supra insinuatæ. Nam quando ait totum hominem esse imaginem, loquitur de imagine subiectiua remotè ad eum modum, quo tabula dicitur imago; in homine enim, sicuti in tabula, recipitur imago Trinitatis. Quando autem negat hominem totum esse imaginem, loquitur propriè, & formaliter. Item quando docet 12. *de Trin.c.vlt.* in homine exteriori esse imaginem Trinitatis, tunc loquitur de imagine secundo modo accepta, prout scilicet per hominem exteriorem aliquo modo repræsentatur Trinitas; non autem loquitur de imagine propriè, & formaliter, prout imago similitudinem, & imitationem importat. Quando autem hoc negat, loquitur de imagine strictè sumpta. Insuper quando ait, quòd imago Trinitatis est in anima, cùm intelligit temporalia, tunc loquitur de imagine tertio modo sumpta, prout materialiter repræsentat ipsam Trinitatem; sicuti v.g. lineæ ductæ super aliquam tabulam absque colore aliquo, formant imaginem imperfectam, quæ imago dicitur tantùm materialiter imago, cùm sit apta nata recipere imaginem formaliter. Ita quandò anima intelligit temporalia, non habet formaliter, & propriè imaginem Trinitatis, sed tantùm materialiter, quia habet tantùm quasdam veluti lineas, scilicèt intellectum, memoriam, & voluntatem, quæ possunt recipere imaginem formaliter Trinitatis, quia possunt intelligere, meminisse, & diligere Deum, in quo consistit formalis, & propria imago Trinitatis, & secundùm hanc acceptionem nulla deformitas tollit imaginem, quia nullus actus deformis tollit intellectum, memoriam, & voluntatem, quæ sunt imago materialis Trinitatis. Quando autem negat animam respectu temporalium esse imaginem Trinitatis, tunc loquitur de imagine strictè, formaliter, & propriè. Tandem quando ait animam, cùm se intelligit, meminit, & diligit, nō esse imaginem Trinitatis, tunc loquitur immediatè, & simpliciter, ac per omnem modum, non autem mediatè. Anima ergo, quando intelligit seipsam, quia ipsa est imago Dei, aliquo modo imitatur ipsum Deum, quia imitatur eius imaginem imitando seipsam, quæ est imago Dei; sicuti dicimus, quòd pictura ducta ex alia pictura Italicè *copia* dicitur imitari originale, cuius est imago, sed tantùm mediatè; quia imitatur ipsam imaginem ipsius originalis; ita dicendum in casu. Postremò cùm docet animam esse imaginem Trinitatis, quando intelligit, meminit, & amat Deum, tūc loquitur de imagine strictè, propriè, formaliter, simpliciter, & per omnem modum. *His not.*

18 Vnica concl. Quamuis in homine sint nouem Trinitates, seu numeri ternarij, tres secundùm partem sensitiuam, & sex secundùm partem intellectiuam, attamen imago Trinitatis Diuinæ sumitur ab anima, prout intelligit, meminit, & diligit Deum; prout verò intelligit, meminit, & diligit seipsam, potest dici imago Trinitatis formaliter quidem, sed mediatè, prout verò intelligit, meminit, & diligit creaturas temporales, dicitur imago materialiter, non formaliter; secūdùm partem autem sensitiuam nul-

lo modo sumitur ratio imaginis Trinitatis. Hæc concl. quoad omnes suas partes fuit sufficienter explicata. Potest autem sic iterum ostendi. Imago, prout patet ex eius definitione allata *ex 6. Top. est illa, quæ fit per imitationem illius, cuius est imago*; sed anima tunc solùm imitatur Diuinam Trinitatem, quando illam intelligit, meminit, & diligit, non quando intelligit seipsam, aut alias creaturas temporales; ergo anima est solũ formaliter, & immediatè imago Diuinæ Trinitatis, quando intelligit, meminit, & diligit ipsam Diuinam Trinitatem. Ma. patet. Mi. ostenditur. Anima intelligens semper assimilatur rei intellectæ, eamque imitatur, cùm intellectus sit omnia fieri, & ideo intellectus tantùm habet assimilare intelligentem obiecto intellecto, vt infra ostendemus; ergo tunc solùm anima assimilatur, & imitatur Diuinam Trinitatem, quando ipsam intelligit, meminit, & diligit; sed quando intelligit, meminit, & diligit seipsam, prout est imago Trinitatis, non intelligit, nisi mediatè ipsam Trinitatem; ergo neque illi assimilatur, aut eam imitatur, & per consequens non est illius imago perfecta, sed tantùm vel mediata, vel imperfecta.

19 Diximus, quòd anima, prout intelligit, meminit, & diligit Deum, est imago perfecta Trinitatis, loquendo de perfectione possibili *in via*; nam loquendo de perfectione imaginis repræsentantis ipsam Trinitatem in Patria, patet quòd imago, quæ repræsentat Trinitatem in via, est imperfecta; illa verò, quæ repræsentat Trinitatem in Patria, est magis perfecta; & ratio est; quia cùm imago desumatur penes intellectionem, memoriam, & amorem, cùm in Patria intellectio sit perfectior, quia est per lumen clarum, & gloriosum; sicuti conseruatio ipsius intellectionis perfectior existit, quæ est per Diuinam essentiam indefectibiliter; & amor perfectior quoque extat, quia est per charitatem cõsumatam inseparabiliter coniungentem animã cum Deo; ideo anima, prout intelligit, meminit, & diligit Deum in Patria, est imago perfectior quàm prout intelligit, meminit, & diligit Deum *in via*.

20 Obijc. 1. Memoria respicit transitoria, & præterita; est enim respectu præteritorum, cũ respectu futurorum sit prævidentia; & respectu præsentium intelligentia; sed *ex Beatiss. P. 14. de Trin. c. 3.* imago Dei quærenda est in eo, quod semper erit, non in transitorio; ergo memoria non pertinet ad rationem imaginis.

Resp. *B. Doct. princ. 2. cit. art.* 1. dist. ant. Memoria sensitiua, conc; memoria intellectualis, neg; prout namque spiritualis, non circũcernit tempus, nec subditur tempori, quod solum habet mensurare temporalia; dicitur autem esse præteritorum, vel præsentium, vel futurorum ratione ipsorum obiectorum, quæ possunt habere rationem præsentis, præteriti, vel futuri.

21 Obijc. 2. Voluntas nullo modo potest pertinere ad rationem imaginis; ergo imago Trinitatis non bene assignatur. Prob. ant. Volũtas nullo modo habet assimilare, aut imitari; aliter Spiritus sanctus procedens per voluntatem esset genitus, quia procederet, vt similis; & esset imago Patris, & Filij, quod tamen est falsum; ergo voluntas nullo modo pertinet ad imaginem.

Resp. *ex Beatiss. P. ibid.* dist. ant. Voluntas per se sola comparatiuè ad vnam tantùm personam nequit esse imago, conc; sic enim Spiritus sanctus procederet, vt imago, quia formaliter procedit per solam voluntatem. Voluntas simul cùm intellectu, & memoria comparatiuè ad tres personas Diuinas, neg; tunc enim per coniunctionem, & consortium intellectus, & memoriæ aquirit rationem imaginis.

22 Obijc. 3. contra rationem traditam, in qua dicitur Trinitates in homine esse nouem; videtur namque hoc esse falsum, nam sicuti multiplicantur Trinitates secundùm partem intellectualem in habituales, & actuales; ita possunt multiplicari Trinitates sensitiuæ, quæ sumuntur secundùm hominem exteriorem; ergo in homine erunt duodecim Trinitates, & non tantùm nouem.

Resp. neg. paritatem; nam ad exercendum actum visionis sensitiuæ, non datur habitus, vt patet; qui tamen datur ad exercendum actum visionis, & volitionis.

23 Quæres 1; an imago Trinitatis perfectiùs repræsentetur per potentias ipsius animæ, scilicèt per intellectum, memoriam, & voluntatem; an verò per habitus, scilicèt per scientiam actualem, vsum speciei, & per ipsam charitatem; vel tandem per ipsos actus, scilicèt per actualem intellectionem, memorationem, & actualem dilectionem ipsius Dei?

Resp. *B. Doct. in eadem dist. 1. p. 2. princ. 3. q. 2. art. 4*; quòd in Trinitate tria cõsiderari possunt; scilicèt vnitas naturæ Diuinæ in tribus personis, perpetuitas, & actualitas. Si consideretur Trinitas quantùm ad vnitatem naturæ Diuinæ existentis in tribus personis, perfectiùs repræsentatur per ipsas potentias animæ, quàm per habitus, & actus; & ratio est; quia potentiæ animæ immediatè insunt, & inhęrent essentiæ animæ; habitus verò inhærent animę tantùm mediantibus potentijs; nam scientia v. g. inest animæ nostræ mediante potentia intellectiua, in qua immediatè fundatur, & actus immediatè fundantur in habitibus, & mediantibus habitibus in principijs, & tandem mediantibus principijs fundantur in essentia animæ; sed vbi est minor pluralitas, ibi est maior vnitas; ergo per potentias, quæ important minorem pluralitatem, quàm habitus, & actus, perfectiùs repræsentatur vnitas essentię Diuinæ in tribus personis. Quantùm verò ad perpetuitatem perfectiùs repręsentatur Trinitas per potentias, quàm per ha-

habitus,& actus;& perfectiùs per ipsos habitus, quàm per actus; nam potentię semper sunt in anima, non autem habitus,& actus, qui aquiruntur, & deperduntur in tempore, & habitus diutiùs durant in potentijs quàm actus; cùm *habitus sit qualitas difficilè mobilis à subiecto*; actus verò citò transeunt. Quantùm verò ad actualitatem, siue ad actualem imitationem patet, quòd perfectiùs imago Trinitatis desumitur ab actibus, quàm ex habitibus, & potentijs; nam intellectus, & memoria fœcunda Patris, per quam procedit Filius, & voluntas, per quam procedit Spiritus sanctus, non sunt in natura Diuina per modum potentiæ excludẽtis actum, vt sępius diximus, sed per modum actus purissimi; ergo perfectiùs repræsentatur Trinitas quantùm ad actualem imitationem per ipsos actus,quàm per ipsos habitus,& potentias.

14 Queres 3; an intellectus agens pertineat ad rationẽ imaginis existentis in creatura?

Resp. *B. Doct. Quodl.5.q.8.* affirmatiuè; cùm enim imago Trinitatis sumatur secundùm actus potentiarum intellectualium, vt dictum est; cùmque intellectus nequeat elicere actum visionis, nisi sit illustratus lumine intellectus agentis,quia,vt habitum est *To.1.de Inuisib*;implicat intellectum cęcum videre, ideo intellectus agens faciens, quòd intellectus possibilis eliciat actum intellectionis actualis, pertinet ad actum intellectionis; sed secundùm actum intellectionis desumitur Trinitas; ergo intellectus agẽs aliquo modo pertinet ad rationẽ imaginis.

ART. IV.

Quomodò probetur existentia Trinitatis; vbi Deitas Filij,& Spiritus sancti ostenditur.

1 Diximus tres esse classes negãtium existentiam mysterij Trinitatis; qui quidem eo, quia diuersis innixi principijs, diuersis etiam argumentis sunt iugulandi.

2 Prima classis est *Paganorum Gentilium*, qui naturali lumine suffulti vnitatẽ Dei agnouerunt, sed Trinitatem negarũt; & quãuis multi numerum ternarium, vt *Trimegistus, Plato, Aristoteles,& alij* maximè commẽdauerint, non tamen veram Diuinarum personarum Trinitatem confessi sunt, sed tantùm in confuso, & per Fidem merè humanam, quam pręstabant libris *Iudæorum*,quos legerant.

3 Secunda est *Iudæorum*,quorum licèt *Antiqui PP.* per Fidẽ supernaturalẽ infusam,& per reuelationem Trinitatem confessi fuerint; attamen post Christum Dominum Fide supernaturali expoliati, & reuelationibus Diuinis priuati constanter negant Diuinarum pluralitatem personarum, peruicaciter contendentes hanc esse *sacra Scriptura* doctrinam, & perseuerans *Patriarcharum, & Prophetarum* dogma. Hunc errorem scripsit *Rabbi Moyses apud B.Doct. in fine 2.sent.in Elencho errorum Philosophorum.*

4 Tertia est plurium *Hæreticorum*,qui in huius mysterij veritatem plurima eructarunt diuersis quidem vijs, sed blasphęmijs ęqualibus. *Alij* namque Diuinitatem concedentes Patri, Filio, & Spiritui sancto negauerunt esse tres personas realiter distinctas, asserentes tantùm esse vnam personã tribus nominibus insignitã secũdùm diuersa munera,officia,& rationes; & isti etiam diuersi sunt; nam *Praxeas apud Tertull; Hermogenes in Aphrica apud Beat.P.de hæres.41.* docent Patrem, & Filium non esse duas personas distinctas, sed eundem, qui creauit Mundum, in tempore assumpsisse naturam humanã, & propterea cognominatum esse Christum, & verè passum, ac mortuum fuisse; propter quod *Patripassiani* appellati sunt; quem errorẽ secuti sunt etiam *Noethes, & Noetiani* apud *D. Epiphan.hæres.57*; & apud *Beatiss.P. hæres. 36.* Hic tamen error, vt notat idem *Beatiss. P. hæres.26*; viguit etiam inter *Montanistas,Cataphriges* dictos, qui paulò ante *Praxeam* fuerunt.

5 *Sabellius Noethi Discipulus*, vt ex *Beatiss. P. hæres.41. notat B.Doct.dist.6.princ.2.q.2.in corp*; voluit vnam, & eandem personam Diuinam, prout principium creandi, Patrem nominari; prout incarnatam, dici Filium; & prout sanctificantem creaturas,dici Spiritum sanctum. *Sabellium* sequuti sunt *quam plures Discipuli*.

6 *Alij* per extremum *Sabellianis* oppositi concesserunt vtique pluralitatem personarum, sed negauerunt vnitatem essentię asserentes, quòd Filius non habeat eandem essentiam, quã habet Pater, ac propterea non esse illi consubstantialẽ. *Ita Arius*; cuius tamen sententiam deriuasse *à quodam Dionysio*, qui *fons Arianæ impietatis* dictus est *à Beatiss.P.lib.de Ecclesiast.dogmat.c.3*; vbi habet: *Nihil creatum,aut seruiens in Trinitate accedamus, vt vult Dionysius Arij fons.D. Epiphan.* verò *hæres. 51.* vult *hæresim Arianam* deriuasse ab *Alogis,seu Alogianis*,sic dictis, quia negabant Verbum esse in Deo; *logos* enim,vt obseruat *Beatiss.P.hæres.30.Græcè* Verbum dicitur; vnde *Alogiani censentur quasi sine Verbo*. Tandem *S. Tho.* sentit hanc *Arij* sententiam originem duxisse *ab Origene*. Hæc hæresis adeò plausibilis fuit, vt oppositam *Sabellij* sententiam ferè extinxerit.Verùm damnatus *Arius in Conc. Alex.à S. Alexandro Patriarcha* suam sententiã aliquantulùm correxit; nam vbi priùs dicebat Verbum esse factum in tempore, habere dissimilem naturam propriè creatam, incepit admittere Verbum esse coæternum,& esse creaturam immutabilem inalterabilem similẽ Deo, non tamen illi consubstantialem. Ex quo *Arij Discipuli*, qui *Ario Constantinopoli* extincto visceeũ profusione eius doctrinã secuti fuerũt *Semiariani* dicti sũt; *Arium* secuti sunt *Eusebius,& Eusebiani*, qui consubstantialitatẽ Filij cum Patre negabant; Verbum enim *Omousion*, quod significat consubstantialem, legebant *Omiousion*,

quod significat similem substantiæ Patris.

7 Ex *Arianis* prodijt *Aetius*, à quo *Aetiani*; qui voluit Filium esse omnino Patri dissimilem, Socium habet *Eudoxium*, à quo *Eudoxiani*.

8 *Ab Aetio* prodijt *Eunomius*, qui, vt notat *B.Doct. ex Beatiss.P. hæres.54*; aiebat Filium gigni de substantia Patris accedente noua voluntate; propter quod faciebat Deum mutabilem. Hic Dialectica præualens multos genuit *Discipulos* dictos *Eunomianos, seu Anomæos*.

9 Successit *Macedonius Constantinop.Episc*; vt ait *Beatiss.P.hæres.57*; qui, vt vitaret anathema latum *in Arianos, & Semiarianos*, docuit cõsubstantialitatem Filij, sed negauit Diuinitatem Spiritus s. dicẽs ipsum esse ministram creaturã.

10 Deinde fuit *Mahometes*, qui hæresim *Macedonij, & Arij* coniunxit dicens Deum esse vnum in personis; & Spiritum s. & Verbum esse creaturas; & hunc fuisse magnum Prophetam; quem, cùm *Iudæi* voluissent crucifigere, Deus rapuit in Cœlum, & vmbram illius affixerunt.

Petrus Abaylardus successit, qui dixit tres personas Diuinas esse inæquales docens potentiam competere tantùm Patri; sapientiam soli Filio; & benignitatem soli Spiritui sancto, non quidem appropriatè, sed per veram inexistentiam. Dixit etiam Spiritum s. procedere à Patre, & Filio, non tamen de substantia Patris, & Filij. *Vid.D.Bern.Epist.190. ad Innoc. II.*

12 Erupit etiam error *Græcorum*, qui negabant processionem Spiritus sancti à Filio; de quibus inf. *q.4.* Habuit ortum hæc hæresis ex *Theodoro Mopsuestiæ Episcopo*.

13 Tempore *Caluini* fuit quidam *Michael Seruetus*, qui *Sabellium* excitare conatus est, negando triplicitatem personarum Diuinarum; Hic fuit combustus *Geneuæ instante Caluino*. Reliquit *aliquos* sequaces in *Transsiluania*.

14 Quidam *Valentinus Gentilis Italus*, qui *Arianis* adhærens admisit tres personas distinctas Patrem essentiatorem longè Filio, & Spiritu sancto eminentiorem, & excellentiorem; Filium autem, & Spiritum sanctum essentiatos; Filium quidem minorem Patre, & Spiritum sãctum Filio minorem.

15 Istis omnibus peiores, & nefandiores hæretici fuerunt *Templarij*, qui dixerunt Christum non esse Deum, neque Prophetam, mortuum fuisse non pro nostris peccatis, sed pro suis sceleribus, ac propterea conspuendum esse in Cruce. Adorabant autem Idola, res creatas, Solem, & Lunam, imò ipsum Diabolum in specie *Felis*, vulgò *Gatto*, propter quod destructus est iste ordo; ita refert *B.Doct. lib.contra Exempt. c.21.* Dicebãtur autem *Exempti*, quia non erant subditi iurisdictioni Episcopi.

16 De his omnibus, & alijs hæresibus circa Mysteriũ Trinitatis euulgatis vide *Bellarm. lib.de Christ; & Sander.lib.3. de visib. Monarch.*

17 Vnica concl. Verè, & realiter datur in Diuinis Mysterium Trinitatis, quòd consistit in identitate eiusdem omnino naturæ existentis realiter in tribus personis realiter distinctis, & in triplicitate personarum habentium eandem omnino naturam. Hæc concl. est de Fide declarata *in pluribus Concilijs*.

18 Contra *Gentiles* euidenter probari non potest, quia cùm hoc mysterium sit supernaturaliter reuelatum in *sanctis Scripturis*, quas *Gentiles* non admittunt, ideo per principia supernaturalia, quæ sunt propositiones reuelatæ, probari non potest euidenter, & conuincenter. Possumus tamen per lumen supernaturale Fidei inuenire aliquas rationes probabiles, quibus probemus Diuinas processiones, quibus suppositis potest postea euidenter probari Trinitas. v.g; possumus ratione fœcunditatis naturę Diuinæ, quæ summo modo, & infinito nequit communicari nisi ad intra per actiones intellectuales; quæ sunt perfectiores actionibus transeuntibus; istæ autem non nisi duæ esse possunt, scilicèt intellectio, & volitio, cùm tantùm duæ sint potentiæ vitaliter agentes ad intra; cùmque istæ actiones sint infinitè perfectæ, necessariò debent habere terminos ad intra infinitè perfectos; sed terminus infinitè perfectus exhaurit totam potentiam infinitam; & potentia exhausta alium terminum producere nequit; ergo nõ dantur nisi duo termini; & per consequens tres personæ Diuinæ realiter distinctæ, quia duæ productæ, & vna improducta; patet autem; quòd producens, & productum realiter debet distingui, quia nihil potest se ipsum producere. Item probari potest ex infinita bonitate Dei, quæ sui ipsius est diffusiua diffusione infinita, quæ nequit esse nisi per communicationẽ identicam naturæ; cùm infinitũ simpliciter nequeat multiplicari, propter quod duæ infinita tes simpliciter nequeunt dari, quia infinitas est ratio probans vnitatem ipsius Dei; & quamuis tres personæ Diuinæ realiter distinctæ sint infinitæ, attamen sunt infinitæ per vnam, & eandem infinitatem essentiæ, quam imbibunt; sicuti sunt substantiæ per vnam, & eandem substantiam, in quam transeunt. Insuper potest suaderi ratione amicitiæ hoc modo. Amicitia dicit perfectionem simpliciter simplicem; ergo in Deo est summo, & perfectissimo modo ponenda; cùm Deus, vtpotè ens omnium entium, sit thesaurus omnium perfectionum creatarum; sed summa amicitia esse non potest, nisi admittantur personæ Diuinæ; nam amicitia summa est inter æquales, nulla autem creatura est æqualis Deo, & per consequens inter Deum, & creaturam nequit esse summa, & perfecta amicitia; ergo debet esse inter personas Diuinas realiter distinctas; nam amicitia essentialiter est ad alterũ, vt docet *Phil.5.Eth.c.3; & 5; & Cic.lib. de Amic.* Hoc idem dicendum est de sociabilitate; *nullius enim sine socio est iucunda possessio*; sociabilitas

autem

autem exigit distinctionem personarum. Has rationes affert *Fund.Doct.hic dist.2.princ. 2. q. 1.§.In contrarium.*

19 Item probari potest hæc concl. contra *Gentiles* non quidem immediatè, sed mediatè, ostendendo scilicet nostram Fidem esse veram, & de necessitate tenendam rationibus, quæ adducuntur in 2.*sent.Tract. de Fide*; & postea ostendere, quòd hoc mysterium est vnum ex principalibus traditis à nostra Fide,& ideo esse à nobis tenendum firmiter,& inconcussè. Præcipuè autem sunt persuadendi miraculis,& prodigijs nostræ Fidei; vt quòd *corpora Sanctorum* tot sæculis remaneant incorrupta, sanguis martyrum ebulliat, Dæmones obsidentes hominū corpora illam fateantur,contremiscant, fugiāt, &c. Præterea persuadendi sunt ex creaturis,in quibus adest vestigiū Trinitatis; maximè enim commendant numerum ternarium, vt diximus *art.2; & 3. Vid.Beatiss.P.lib.de Ciu.lib.11.c.24; & 25.Et de quinque hæresibus c.6.*

20 Tandē potest persuaderi soluendo omnia argumenta,quæ contra hoc mysterium fieri possunt,ostendendo ipsum non esse impossibile, sed possibile. Quod autem possibile est Deo, intrinsecè, realiter, & de facto est in Deo, quia possibilitas Dei non dicit potentialitatem ad esse,& non esse, sicut potentialitas creaturæ, quæ importat meram potentialitatem passiuam; sed dicit summam necessitatem existendi ita, vt omne, quod possibile est Deo, valeat arguere, quòd actu,& de facto sit in Deo; vt si possibilis est Deo scientia,valet arguere,quòd actu, & de facto sit in Deo;vnde si in virtute luminis Fidei possumus ostendere *Gentilibus* Trinitatem non esse impossibilem,sed possibilem, possumus etiā ipsis persuadere actualem illius existentiam.

21 Contra *Iudæos* dupliciter possumus quoque procedere ad ostendendum Trinitatis mysterium.1. mediatè persuadēdo ipsis nostram Fidem solam esse veram Catholicam vniuersaliter ab omnibus recipiendam;ipsam principaliter docere hoc mysterium, cùmque ei falsitas subesse nequeat, ideo Trinitatem Diuinarum personarum in vnitate naturæ infallibiliter, & ineluctabiliter esse credēdā.2. immediatè cōtra ipsos procedendum est *Scripturis veteris Testamenti*, quas confitentur; non noui testamenti auctoritatibus,quibus peruicaciter refragantur.

22 Prob.1 *ex Fundatiss.Doct. in Hexam.p. 1.c.23. ex illo Gen.In principio creauit Deus Cælum,& Terram*;cui statim subditur:*Spiritus Domini ferebatur super aquas*; vbi per ly *Creauit Deus*,intelligitur *Pater*;cui appropriatur potentia; per ly *in Principio* intelligitur *Verbum*, per quod Deus Pater omnia produxit;per ly autem *Spiritus Domini* intelligitur *Spiritus sanctus*,quo sibi complacuit in suis creaturis productis. Verba eius sunt hæc.*In eo,quòd dicitur Deus, intelligitur Pater;in eo,quòd dicitur in principio, significatur Filius;in eo, quòd subditur Spiritus Domini ferebatur super aquas,datur intelligi Spiritus sanctus,vt vult Aug.1.sup. Gen. Deus ergo Pater, in eo,quòd dicitur in principio*,idēst in Filio *suo,creauit Cœlum, & Terram*; & *in Spiritu sancto ferebatur super aquas,quia in Spiritu sancto complacebat sibi in reproducta*.Idem docet *Beat.P.etiam lib.9.de Gen.ad lit.c.3; & seq; & de Ciu. Dei lib. 11. c. 24.*

23 Prob.2 *ex eod.ibid.*In operibus creationis habētur hęc tria:*Deus dixit,& vidit,quòd esset bonum*;sed per hęc sufficiēter insinuatur Trinitas personarum Diuinarum; ergo *ex sacra Scriptura* sufficienter probatur mysterium Trinitatis.Ma.patet.Prob.mi. Per illud verbum *dixit* significatur persona *Patris*; dicere enim est actio prouenIens ab aliqua persona loquente, & significatur *Verbum* prolatum; dicere nāque est idē,ac verbum formare,& proferre, seu producere;& per illa verba:*Vidit, quòd esset bonum*; significatur amor; bonum enim est obiectum amoris;sed persona dicens est Pater,Verbum est Filius,& amor est Spiritus s;ergo sufficienter assignatur Trinitas Diuinarum personarum.

24 Dices.In opere 2.diei non habetur: *Vidit Deus, quòd esset bonum*; sed per ista verba significatur Spiritus s; & tamen omittuntur; ergo *ex hoc textu* non colligitur Trinitas.

Resp.*Fundat. Doct*;quòd nominato Patre, & Filio, etiamsi non nominetur Spiritus s; attamen necessariò intelligitur Spiritus s; vt nexus vtriusque; ex eo enim;quòd Pater, & Filius sint infinitæ boni, necessariò sequitur, quòd Pater amet Filium, & è contra; quia Pater, & Filius optimi non possunt non amare infinitam bonitatem, quę est omnis bonitas; ergo ex eo,quòd intelligatur Pater, & Filius, intelligitur amor vtriusque,qui est Spiritus s.

25 Prob. 3. *ex eodem princ.* 1. *q.* 1. *dupliti alio textu.*

26 Primus textus habetur *Isaiæ 66. Nunquid ego,qui alios parere facio,ipse non pariam,& qui alijs generationes tribuo,sterilis ero*? Ex quibus hæc formatur ratio. Parturire idem est, ac de sua substantia Filium emittere;sed hoc non potest competere productioni creaturarum,quę non de propria substantia Dei, sed ex nihilo eruūtur;ergo intelligitur de æterna generatione Filij consubstantialis.

27 Nec est audiendus *Sua; qui lib.1.c.2. de Trin.* §. *Hac autem* ait talem textum intelligi de spirituali generatione Filiorum adoptiuorū; hæc enim est responsio *Arianorum*, vt notat *Io. à S. Tho.art.2.n.22.*

Nam contra est; verba enim *Scripturæ*, quando non repugnant rationi, aut alijs auctoritatibus,sunt literaliter intelligenda; vt docēt *communiter SS. PP*; aliter nihil literaliter esset accipiendum; posset enim vnusquisque pro suo libito mysticè intelligere,quod vellet;& sic omnino

nino gratis,ficut intelligit hunc textum *Sua*; cũ enim omnia, quæ sunt in creatura, reperiantur etiam in Deo demptis imperfectionibus, & cũ fæcunditas communicatiua propriæ naturæ reperiatur in creatura,non videtur, cur etiam in Deo fæcunditas communicatiua naturæ Diuinæ pluribus suppositis (demptis tamen imperfectionibus, idêst sine multiplicatione, & diuisione naturæ) per identitatem reperiri non possit; & hoc literaliter sonat prædictus *textus*.Tum quia *Cõc.II.Hispal.c.*13. ipsum literaliter accipit. Tum quia generatio spiritualis vocatur *in Scripturis regeneratio*, *reparatio*, *restauratio* iuxta illud *Io: Filioli mei, quos iterum parturio*. Et de Christo Domino:*Regenerauit nos in sanguine suo*.Tandem quia ficuti ex eo,quòd Deus faciat alios facere,& generare spiritualiter sibi Filios, ipse quoque spiritualiter parit, & generat sibi Filios adoptiuos; ita ex eo, quòd physicè Deus facit alios parere, & generare filios naturales per communicationem naturæ per veram, & propriam generationem;ipse quoque parit, & generat Filium naturalem, consubstantialem per communicationem simplicem suæ naturæ sine diuisione, & multiplicatione; vtrobiq;enim videtur par ratio.

28 Propter has rationes *Iudæi* negant talem *textum* dicentes additum fuisse *à D. Hier. in versione*; & ex alia parte ab aliquibus exemplaribus *Hebraicis* illum vel abraserunt, vel adulterauerunt.

29 Secundus *textus* est *ps.*2. *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*. Ex quo sic. In tali *psalmo* apertè loquitur *Dauid* de Christo Domino;habet enim superiùs: *Conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius*; per quod inducit Deum loquentem ad proprium Filium: *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*; quia genuit in æternitate, quæ est, sicuti vna dies semper præsens, nunquam labens. Præterea quando *Scriptura* loquitur de productione creaturarũ, appellat eam semper creationem, non generationem: *In principio creauit Deus &c.* Item appellat factionem:*Vidit cuncta,quæ fecerat*; non tamen generationem; ergo quando loquitur de generatione, nequit intelligi de creatione creaturarum; sed de vera, & reali generatione Verbi Diuini per simplicẽ cõmunicationẽ naturæ.

30 Hoc posset confirmari *ex ps.*109;in quo *Dauid* appellat Dominum,à cuius dextris sedet alius Dominus, & cui loquitur alius Dominus; non enim idem potest sedere à dextris sui ipsius, & loqui sibimetipsi, & esse Dominus Domini; & ideo debent esse duæ personæ realiter distinctæ. Attentè legatur totus *ps. Dixit Dominus Domino meo;sede à dextris meis*;in quo Dominus de Domino dicitur genitus;habetur enim infra: *Ante Luciferum genui te*; generatio verò importat distinctionem realem suppositorum; cùm idem nequeat se ipsum generare.

31 Vbi notari debet illa verba: *Ante Luciferum*; idêst ante creaturam perfectiorem, & nobiliorem; & alibi legitur:*Ego de ore Altissimi prodiui primogenita ante omnẽ creaturam*; quod de creatura nequit intelligi; non enim creatura dici potest genita ante omnem creaturam; aliter genita esset etiam ante se ipsam, quod est omnino ridiculũ. Præterea hoc confirmat illud sacratissimum *Trisagium Isaiæ 6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum* in Ecclesia perpetuò vsitatum; per quod exprimitur Trinitas Diuinarum personarum. Alias auctoritates vide *apud DD.*

32 Tandem potest conuinci *Iudaismus* ostendendo *Messiam*, qui secundùm ipsos adhuc venturus est, esse verum Deum missum ad reparandum genus humanum; sed persona missa coexigit personam mittentem, quæ debet distingui; cùm idem nequeat propriè dici mittere se ipsum; ergo *ex Scripturis* ostenditur mysterium Trinitatis.

33 Contra *Hæreticos* facilius est negotium; nam præterquamquod omnes doctrinæ contra *Gentiles,& Iudæos* allegatę etiam hęreticos impetunt; attamen clariores extant auctoritates in nouo Testamento, quas confiteri tenentur. Et quidem contra *Sabellium* habetur expressè *Matth.vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; patet autem,quòd vna, & eadem persona nequit esse Pater generans,& Filius genitus; sicut nec suppositum spirans, & suppositum spiratum; ergo istæ tres personæ sunt realiter distinctæ. Quod *Io.* 14. confirmat Christus Dominus dicens: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; vbi istæ particulæ: *Ego, Patrem, & alium Paraclitum* habent vim excludendi identitatem, & ostendendi distinctionem realem. Præterea *Isaia* 42. habetur: *Dedi te in lucem gentium*; & *Io.* 8. *Pater misit me*; quibus *Beatiss.P.lib.de quinque hæres.c.6. prope finem* probat distinctionem Diuinarum personarũ; nullus enim potest generare, & mittere se ipsum. Propter hoc *Hæretici* expunxerunt ab Euangelio has auctoritates; agnoscentes vim illarum non posse vllo modo effugere.

34 Impugnatur 2. *Sabellius* ratione *Fund. Doct.* allata *dist.* 2.*princ.*2.*q.* 2; quæ potest sic efformari. Personę Diuinæ constituuntur per relationes originis eo, quòd secunda oriatur à prima, & tertia ab vtraque; sed relationes originis realem inferunt distinctionem; nam signũ distinctionis realis est relatio realis; ergo personæ Diuinæ realiter distinguuntur,& ideo non sunt vna tantùm persona secundùm diuersa officia; sed sunt tres personæ secundùm rem distinctæ eo, quòd vna oriatur ab alia, & referatur ad illam, idem enim nequit à se ipso oriri,& ad se ipsum referri; cùm de ratione relationis realis, vt dicitur in *Logica*, sit esse inter duos terminos reales realiter distinctos; ergo quamuis per

per rationem naturalem, vt dictum eſt, non poſſimus probare euidenter diſtinctionem realem Diuinarum perſonarum, attamen ſuppoſitis Diuinis proceſſionibus, quæ expreſsè traduntur in Euangelijs: *Ego exiui à Patre*; item loquens de Spiritu ſancto: *Ille de meo accipiet*; efficaciter conuincitur contra *Sabellianos* diſtinctio realis Diuinarum perſonarum.

35 Contra *Arianos* aſſerentes Chriſtum eſſe creaturam, non Deum, ſic proceditur. t. *Io. 5. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, & hi tres vnum ſunt.* Et c.10. *Ego, & Pater vnum ſumus*; ſuper quod *Beatiſſ. P. ſerm.56. de verbis Domini* ait: *Quod ait vnum, audiant Ariani; quod ait, ſumus, audiant Sabelliani; & nec illi æqualem, nec illi alterum negando ſint vani*; & ibidem paulò ante: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt*; ſed ſi non dediſſet eſſentiam Diuinam, non dediſſet illi, quod eſt maius omnibus; ſola enim eſſentia eſt id, quod omnibus maius eſt; ergo ſunt vnum in eſſentia.

36 Nec valet, quòd reſpondent *Ariani*, ſcilicèt quòd Chriſtus loquatur de vnione ſecûdùm affectum, non autem de vnione ſecundùm naturam; ſicuti loquitur *infra Io. c.17. Charitatē, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus*; Diſcipuli etenim nequiuerunt eſſe vnum, niſi per vnionem ſecûdùm affectū, vt patet; ideo & Chriſtus cum Patre non erat vnū, niſi ſecundùm voluntatem, & affectum.

Contra namq; eſt. In Chriſto erat duplex natura, & vtraque vniebatur cum Patre; Diuina quidem ſecundùm identitatem naturę, & voluntatis Diuinæ; humana verò ſecundùm affectum, & conſignationem voluntatis humanę ad Diuinam; quando ergo comparat vnionem *Diſcipulorum* ad vnionem ſui cum Patre, loquitur de vnione tantùm ſecundū naturā humanā.

37 Euangelium *Io.* ferè totum confirmat hanc veritatem: *Verbum erat apud Deū, & Deus erat Verbum.* Et infra: *Et Verbum caro factum eſt.* Quod Euāgelium putat *D. Hier. lib. de Script. Eccleſiaſt.*; & *Iren. lib.3. c.11*; & *Epiph. Hær.51. ſcriptum fuiſſe cont. Cherintbum, Ebionem, & Carpocratem* negantes Filij Diuinitatem; & *ex Epiſt. 1. Io.* prope finem: *Vt ſimus in vero Filio eius; hic eſt verus Deus.* Quo textu teſtatur *D. Athan. in Conc. Nic.* conuictos fuiſſe *Arianos*; & *Iob c.19. Videbo Deum Saluatorem meum.* Et paſſim habetur *ex Apoſt. c.1. ad Heb*, & 2. *ad Tit*; vbi dicitur. *Et aduentum gloriæ magni Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Et 9. *ad Rom. Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.* Tandem ex confeſſione *Apoſt. Thomæ*; vt habetur *Io. 20. Dominus meus, & Deus meus, & c.*; ergo Chriſtus eſt verus Deus, non creatura.

38 Arguit autem ſic *Beatiſſ. P. lib.5. de Trin. c.3. contra Arianos* aſſerentes Filium eſſe diuerſę ſubſtantiæ à Patre, quia eſſe ingenitum, & eſſe genitum dicitur ſecundùm ſubſtantiam; nihil enim in Deo eſt per accidens; Filius autem, & Pater differunt ſecundùm eſſe genitum, & ingenitum, & ideo differunt ſecundùm ſubſtantiam; arguit, inquam, ſic *Beatiſſ. P. Si quicquid de Deo dicitur, ſecundùm ſubſtantiam dicitur; ergo quod dictum eſt Io. 10. Ego & Pater vnum ſumus, ſecundùm ſubſtātiam dictum eſt. Vna eſt igitur ſubſtantia Patris, & Filij.*

39 Contra *Macedonianos* verò aſſerentes Spiritum ſanctum eſſe creaturam ſunt allegatæ auctoritates. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſāctus, & hi tres vnum ſunt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Item *Act.5. Petrus dixit ad Ananiam. Cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto? Non es mentitus hominibus, ſed Deo*; quo nihil clariùs. *Et 1. Cor. 6*; vbi poſtquam dixit *Apoſtolus* nos eſſe templum, in quo habitat Spiritus ſanctus, ſubdit, *Glorificate, & portate Deum* (idèſt Spiritum ſanctum) *in corpore veſtro.* Tandem ſoli Deo conuenit immenſitas replens totum orbem, hæc autem tribuitur Spiritui ſancto; *Spiritus Domini repleuit orbem Terrarum.* Inſuper ex verbis Chriſti Domini dicentis: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitū dabit vobis*; vbi per alium Paraclitum intelligit aliam perſonam Diuinam. Itē *Dan.28. Eſt Deus in Cœlo reuelans myſteria*; reuelans autem myſteria eſt Spiritus ſanctus; vt habetur paſſim *in ſacra Sriptura*; & præſertim 1. *Cor.14. Spiritus loquitur myſteria.* Tandem penetrare arcana Dei Patris eſt proprium ſolius Dei docēte Chriſto Domino: *Nemo nouit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius reuelare*; patet autem, quòd 1. *Cor. 2.* Spiritus ſanctus comprehēdit arcana Dei, dicit enim: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Item viuificare, & ſuſcitare à mortuis eſt proprium Dei, dicitur autem: *Spiritus eſt, qui viuificat*; ergo Spiritus ſanctus eſt verus Deus, non creatura. Et *Beatiſſ. P. lib.3. contra Maximin. c.23.* ait *contra Macedonium: Trinitas quippe ſecūdùm veram Fidem, idèſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, in cuius nomine baptizamur, & vnus Dominus Deus noſter eſt.*

40 Prob. tandem à *B. Doct. diſt.3. prin.2. q.1.* ratione oſtendente vnitatem, & identitatem eſſentiæ Diuinæ in omnibus tribus perſonis Diuinis, ſcilicèt in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto. In tantùm multiplicatur natura in pluribus ſuppoſitis, in quantùm aquirit diuerſum eſſe in illis ſuppoſitis, quod eſſe eſt actus naturæ terminans, finiens, & complens naturam; & actus eſt qui diſtinguit, & multiplicat *ex Phil*, ſed natura Diuina non aquirit eſſe in perſonis Diuinis; ergo nullo modo in illis multiplicatur. Ma. oſtenditur, nam & natura in ſuis ſuppoſitis non aquirat, niſi relationem, relatio non multiplicat naturam; quia in vna, & eadem natura poſsūt eſſe plures relationes, vt in eadem natura humana *Petri* eſt relatio Filiationis in ordine ad ſuum pa-

patrem; & est relatio paternitatis in ordine ad suum Filium,nisi ergo natura aquirat esse absolutum in diuersis personis, non potest realiter multiplicari.Prob.mi.Natura Diuina est suum esse, quia est actus purus, & nullo modo distinguitur à sua existentia,aliter esset in potentia ad existendum; & posset esse, & non esse,& sic esset creatura; ergo nequit aquirere suum esse in suppositis, in quibus tantùm aquirit tres relationes, quæ nullo modo multiplicant, aut diuidunt ipsam naturam,sed illam indiuisam, vnam, & immultiplicatam omnino relinquunt. Ex his remanet sufficiẽter probata contra omnes *Schismaticos* existentia actualis mysterij Trinitatis, quia optimè ostenditur vnitas Diuinæ naturæ in tribus personis realiter distinctis; & Trinitas personarum Diuinarum realiter distinctarum habentium naturam Diuinam omnino eandem, indistinctam, & indiuisam; in qua vnitate naturæ, & Trinitate personarum consistit sacratissimum Aenigma Diuinarum personarum nobis supernaturaliter reuelatum per *sanctas Scripturas*,quibus falsum subesse non potest, & ideo infallibiliter credendum.

41 Obijc. 1. *Ariani* Christum appellari Deum, & Dei Filium *in Scripturis* vel ratione creationis, quia à Deo creatus est; vel ratione iustificationis eo prorsus modo,quo iusti appellantur *Filij Dei,vt ps.*81. *Ego dixi, Dij estis, & Filij excelsi omnes*; sed iusti hoc non obstante habent naturam creatam,non Diuinam;ergo adhuc hoc non obstante Christus est creatura, non Deus.

Resp.neg.ma;nam Christus, vt dictum est, appellatur *verus Deus;Dominus omnium creaturarum,superior ad omnem creaturam; omnipotẽs, & æqualis Patri*, quæ omnia apertè ostendunt Christum esse verum Deum, & Filium naturalẽ;*propterea Apost.ad Heb.*1.loquens de Filiatione naturali ait: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu; ego hodie genui te?* Quod non potest intelligi de Filiatione adoptiua; cùm Angeli sint Filij Dei adoptiui; & illis dictum sit: *Ego dixi,Dij estis,& Filij excelsi omnes*;quod explicari non potest, nisi quòd sint Dij per Filiationem adoptiuam, qua adoptantur in Filiationem Dei. Propterea *Matt.6.Simon* laudatur à Christo eo, quia alijs sentientibus ipsum esse *Eliam*,aut *Hieremiam*, aut alium ex prophetis; qui tamen erant *Filij Dei* per adoptionem, ipse per reuelationem didicit à Patre, quòd esset Filius Dei,non per adoptionem; nam si per adoptionem, etiam alij hoc senserant, quia dixerant eum esse prophetam, quod est esse Filium Dei per adoptionem, sed non per naturam. Dicitur ergo Christus Filius Dei per naturam,iusti verò per adoptionem,& ideo *Scripturæ* non loquuntur eodem modo de Christo,& alijs Sanctis.

42 Obijc.2.plura loca,in quibus dicitur solus Pater verus Deus; ergo Christus non est Deus;nã *Io.*17.habetur: *Hæc est vita æterna,vt cognoscant te solum Deum verum;& quem misisti Iesum Christum.*

Resp.hæc,& similia loca tripliciter intelligi.1. Ita, vt *ly solùm* accipiatur aduerbialiter, & faciat sensũ,quòd Pater tantùm est Deus;Christus verò secundùm naturam est simul Deus, & homo.2. Ita,vt sumatur adiectiuè, & faciat sensum, quòd Pater, & Filius sint solus, seu solitarius,ac vnus Deus,non duo Dij. 3. Ita,vt faciat sensum,quòd solus Pater habet Deitatem à se, non sibi communicatam ab alio;Filius autem illam habeat communicatam à Patre; & Spiritus sanctus à Patre, & Filio; non tamen per hoc sequitur,quòd Filius,& Spiritus sãctus nõ sint solus,idèst vnus,& verus Deus;quia habent vnam, & eãdem naturam Diuinam, à qua denominantur Deus; quapropter dicitur solus ad excludẽdum *Polytheismum*, idèst pluralitatem Deorum, vt apertè explicant SS. *PP*; præcipuè *D. Athan. in disp.cum Ario;Naz.or.4.de Theologia*; nõ autẽ dicitur solus ad excludendas alias personas.

43 Obijc.3.*Io.*14. habetur: *Pater maior me est*; & 1.*Cor.* 11. *Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*;& 1.*Eccli.Prior omnium creata est Sapientia;*& c.24.*Creator omnium,et qui creauit me; & Io.*14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater,sic facio.*Et *ad Philip.*1.*Factus obediens vsque ad mortem.*Et *Io.*12.*Pater clarifica Filium tuum; & Matt.vlt. Data est mihi omnis potestas in Cœlo;& ps.*2.*Ego hodie genui te*;sed minoritas,subiectio,obediẽtia, clarificatio,perceptio potestatis, & generatio in tempore non conueniunt, nisi creaturæ; ergo iuxta has *Scripturas* non potest substineri,nisi quòd Christus sit creatura.

Resp. *Beatiss. P.* 1. *de Trin. c.*7; & 11; & *lib.*3.*contra Maximin.c.*24.has,& similes auctoritates verificari de Christo Domino secundùm naturam humanam, secundùm quam est minor Patre, subiectus, & obediens ipsi, clarificatus ab ipso ea *claritate*, quam habuit secundùm naturamDiuinam,*priùsquam Mundus fieret*;à quo natura humana recepit potestatem iudiciariam in Cœlo, & in terra. Ad vlt. dicitur, quòd per ly *hodie* designatur æternitas, quæ, cùm sit vnicum *nunc* semper stans, optimè explicatur per tempus præsens.

Resp. 2; quòd,quamuis istæ auctoritates, quæ videntur innuere maioritatem, vel minoritatem, explicentur de Christo Domino secundùm naturam Diuinam,sũt tamẽ intelligendę de maioritate originis, prout denotant modum habẽdi naturam Diuinam, non prout denotant prioritatem naturæ, vel dignitatis; sic intelligunt multi *SS.PP.Græci D.Athan;& D.Basil.*

44 Obijc.4.Vera Diuinitas non patitur defectum, vel augmentum sapientiæ; sed de Christo dicitur, quòd eius sapientia augeatur; habetur enim: *Puer Iesus proficiebat sapientia,& ætate,*

te; & *Marc.*13. *De die autem illo,vel hora nemo scit, nec Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater*; ergo in eo non fuit natura Diuina,sed creata.

Resp. hoc intelligi de Christo secundùm naturam humanam, secundùm quam crescebat in sapientia aquisita. Ad 2. dicitur, quòd Christus nesciuit, quatenus homo, diem iudicij ex vi scientiæ aquisitæ, bene tamen ex Diuina reuelatione. Vel quod nesciuit diem Iudicij non quidem formaliter, sed effectiuè; non enim ita sciuit, vt alios faceret eum scire; sicuti *Gen.*22. dicitur: *Nunc cognoui, quòd timeas Deum*; idest feci, vt alij cognoscerent; vt explicat *Beatiss. P. de Essentia Diuinit*; & 1. *de Trin.c.*13;& *lib.*83. *qq. q.* 60.

45 Obijc. 5. Verbum in *Scripturis* dicitur instrumentum creationis, & Minister Dei Patris; nam dicitur *Io.* 1. *Omnia per Verbum facta sunt*; particula autem *per* denotat causam instrumentalem, & ministerialem; sed causa instrumentalis, & ministerialis importat inferioritatem respectu causæ principalis; ergo Christus secundùm naturam Diuinam est minor,& inferior Patre.

Resp. neg. ma; & ad prob. infert. dicitur, quòd illa particula *per* denotat causam formalem idealem, quæ per appropriationem attribuitur Filio. Vnde illa particula *per* sumitur appropriatiuè,non propriè.

46 Obijc.6. In *Scripturis* ponitur omnimoda vnitas, & solitudo Dei, quæ stare non potest cum pluralitate personarum; ergo non datur nisi vna persona. Prob.ant.*Deut.*5. habetur:*Audi Israel Dominus Deus noster Dominus unus est*; & c.32. *Videte,quòd ego sim solus,& non sit alius Deus præter me.*

Resp.*Beatiss.P.lib.*5.*de Trin.c.*11. neg.ant. Ad prob.dicitur,quòd illę auctoritates probant vnitatem naturæ, & Deitatis ad excludendam pluralitatem Deorum, non autem probant vnitatem personalem ad excludendam pluralitatem personarum.

47 Obijc.7. *Beatius est dare, quàm accipere*, vt habetur *Act.*20; sed Pater dat Filio, & Filius accipit à Patre, vt habetur *Matt.*28.*Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in terra*; ergo Pater maior est Filio,& Filius minor Patre.

Resp. dist. ma. Si *accipere* sit ex indigentia recipientis, & ex libera voluntate dantis, conc; sed neg.mi; non enim Filius accipit à Patre naturam ex libera voluntate Patris, sed ex communicatione omnino necessaria prouenientè ex infinita fæcunditate naturæ Diuinæ; si accipere, & dare sit ex fæcunditate naturæ,neg.

48 Obijc.8.Vel generatio Filij est consummata, vel non? Si secundum; ergo est imperfecta, & ideo Filius est imperfectior Patre secundùm naturam.Si primùm;ergo habet finem; sed quod habet finem,habet initium;& quod habet initium, est creatura; ergo Christus est creatura secundùm naturam Diuinam.

49 Resp.neg. supp;cùm enim generatio Filij secundùm naturam Diuinam sit æterna,& æternitas careat principio, & fine,ideo de ipsa non verificantur verba,quæ sunt de præterito; nam præteritũ finem importat. Dicitur ergo ad arg; quòd generatio Filij neque est consummata, neque non,sed semper est perfecta, semper præsens,nunquam fluens; cùm hoc sit proprium eorum,quæ mensurantur æternitate, quæ definitur vni cum nunc,semper stans,nunquam fluens.

50 Obijc.1.*Macedoniani*.De Verbo legitur *Io.*1.*Omnia per ipsum facta sunt*, sed quod factũ est per Verbum,est creatura;quia factum idem est,ac creatum; ergo Spiritus sanctus est creatura,non Deus. Prob.consiquia omne nihil excludit;ergo si omnia facta sunt per Verbum, etiam Spiritus sanctus per ipsum factus est.

51 Resp;quòd maior intelligitur sic.Omne factibile, quòd factum fuit, per Verbum factum fuit; Spiritus sanctus autem non est factibilis, quia de ipso dicitur: *Non factus, nec genitus, sed procedens*;& ideo per Verbum factus non est.*Ly omnia* ergo nõ comprehendit vniuersaliter omne ens siue creatum,siue increatum; aliter etiam Pater, qui est ens increatum, factus esset per Verbum; sed comprehendit sola entia factibilia creabilia;& pro illis tantùm distribuit.

52 Obijc.2.*Amos* 4.dicitur: *Ego formans tonitru, & creans Spiritum*; ergo Spiritus sanctus est creatura; quod enim creatũ est, creatura est.

Resp; quòd spiritus *hic* sumitur, prout idem est, ac ventus, qui in *Scripturis* appellatur spiritus; vt *ps.*148. *Spiritus procellarum*. Ita *D. Hier.sup. hunc locum.*

53 Obijc.3.*Ioelis* 2. dicitur: *Effundam de Spiritu meo*;sed effusio non fit,nisi per processionẽ ad extra, & processio ad extra est creatio; ergo Spiritus sanctus est creatus.

Resp;quòd licèt Spiritus sanctus procedat ad intra per internam processionem, attamen per ipsum diffunditur ad extra gratia, & charitas per appropriationem tamen, vt dictum est. Quamuis ergo id,quòd diffunditur ad extra, scilicet gratia & charitas, sit quid creatum; non tamen id, à quo, vel per quod diffunditur, est creatura. Sicut licèt id, quòd diffunditur ad extra per creationem, sit creatura, non tamen Diuina essentia,à qua diffunditur creatura,est creata,vel creatura.

54 Obijc.4. *Rom.* 8. dicitur: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; sed postulare, & gemere est proprium solius creaturæ;ergo Spiritus sanctus est creatura.

Resp.*Beatiss.P. de Cor;& Grat. c.*15; & *lib.* 1. *contra Maximin*; quòd Spiritus sanctus postulat effectiuè, non formaliter; quia scilicèt facit nos postulare, & gemere; sicut etiam Christus, quatenus Deus, dicitur orare, & interpellare pro nobis;quia docet orare,& nos orantes facit.

Vid. Fund.Doct.in Epiſt.ad Rom.lect.26.S.Ponit ſecundum auxilium.

55 Obijc. 5. Spiritus ſanctus dicitur miſſus *Io.* 15. *Spiritus veritatis, quem ego mittam vobis à Patre*; ſed miſſio eſt ſeruorum, & miniſtrorum facta per imperium mittentis; ergo Spiritus ſanctus eſt creatura ſerua ipſius Dei.

Reſp. diſt. mi. Miſſio eſt ſeruorum facta per propriam voluntatem, neg; facta per alienam voluntatem ſuperioris mittentis,conc.Miſſio ergo Spiritus ſancti,ſicut miſſio Filij eſt facta per voluntatem abſolutam Diuinarum perſonarum, quæ eſt communis etiam ipſi Spiritui ſancto, cùm omnes actiones ad extra ſint indiuiſæ; quanuis miſſio Spiritus ſancti terminatiuè ſit ad Spiritum ſanctum; ſicut miſſio Filij terminatiuè eſt ad Filium; cùm igitur ſit eadē voluntas, quæ imperat, & quæ exequitur,ideo idem nequit eſſe ſeruus,& Dominus, quia eſſet inferior, & ſuperior;Dominium enim importat ſuperioritatē, ſicut ſeruitus inferioritatem.

56 Obijc.6. Spiritus ſanctus non procedit per modum naturæ, ſed per voluntatem; ergo liberè procedit à Deo; ſed quòd procedit liberè,eſt creatura; ergo Spiritus s. eſt creatura.

Reſp.diſt. ma. Procedit per voluntatem neceſſariò, conc; liberè,neg.

57 Obijc.7. Etiam Pater, & Filius poſſunt vocari Spiritus ſancti, quia ſunt perſonæ omnino ſpirituales,omnino expertes materia,& ſunt ſancti, quia ſunt per exceſſum perfecti,& boni; ergo Spiritus ſanctus non diſtinguitur à Patre, & Filio.

Reſp. *Beatiſſ.P.*5.*de Trin.c.*11.diſt.ma.Pater,& Filius ſunt Spiritus eſſentialiter, & abſolutè,conc;notionaliter,& relatiuè,neg.

58 Obijc.8.*Io.*16.de Spiritu ſancto dicitur: *Quæcunque audierit,loquetur, & annunciabit vobis*; ſed qui indiget audire, & inſtrui, vt alijs loquatur, non eſt Deus, qui perfectiſſimè omnia comprehendit; ergo Spiritus ſanctus nō eſt Deus: hoc patet *de Moyſe*,qui inſtructus à Deo loquebatur *Pharaoni*.

Reſp.*Beatiſſ.P.Tract.*99. *in Io*; quòd Spiritus ſanctus dicitur audire per communicationem identicam, non per illuminationem,& inſtructionem; ex eo enim, quòd Pater,& Filius communicant naturam Diuinam Spiritui ſancto,illi communicant etiam,quę ſunt identificata cum natura, & quę ad naturam conſequuntur;cùm autem intellectus,& ſcientia ſint conſequentes ad naturam Diuinam, ideo communicando illi naturā Diuinam,dicuntur etiam communicare ſcientiam.

ART. V.

Afferuntur rationes B.Doct. probantes in Deo eſſe tantùm tres perſonas.

1 Diximus *art.*1.*n.*24; quòd ſuppoſita Fide poſſumus probare poſſibilitatem, imò actualitatem Myſterij Trinitatis; in præſenti aſſerenda eſt ratio,qua vtitur *B.Doct.*

2 Ratio dubitādi eſt;quia cū in Diuinis, vt *inf.*dicemus,ſint quatuor relationes,ſcilicèt Paternitas,Filiatio,ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua; & quinque notiones reales,ſcilicet Innaſcibilitas,Paternitas;Filiatio,ſpiratio actiua,& Spiratio paſſiua; & cùm perſonæ Diuinæ multiplicentur per relationes, quia per ipſas conſtituūtur; *idem enim eſt diſtinctiuum,& conſtitutiuum.* Inſuper quia idem eſt notificatiuum, diſtinctiuum,& conſtitutiuum, videtur, quòd perſonæ Diuinæ ſint plures,quàm tres.

3 Ex hoc oritur alia difficultas, quænam ſcilicèt ſit ratio rectè probans perſonas Diuinas eſſe tantùm tres,non plures,aut pauciores?

4 Supp.1. *ex B.Doct.in* 1.*diſt.*10.*princ.*5. *q.*3; quòd perſonæ Diuinæ non diſtinguuntur per abſolutum,aliter non eſſet vnus Deus. Remanet ergo diſtingui per relationes,cùm in Deo non ſit,niſi abſolutum,& relatiuum. Relatio autem triplex eſt,vt docet *Phil.*5.*Met*; ſcilicèt relatio *potentiæ,numeri, & menſuræ.* Patet autem, quòd relatio menſuræ non poteſt diſtinguere, quia non eſt mutua,diſtinctio autem debet eſſe in vtroque extremo.

5 Relationes igitur mutuæ,quæ diſtinguūt, aliæ ſunt *potentiæ*, quæ vocantur etiam relationes originis,quia reperiuntur inter cauſam, & effectum: inter producens,& productum.Et iſtæ important oppoſitionem relatiuam,quæ reperitur inter principium productiuum,& terminum productum. Aliæ ſunt relationes *numeri*, & ſecundùm iſtas deſumuntur relationes æquiparantiæ, æqualitatis, & ſimilitudinis,nec non relationis diſquiparantiæ,inæqualitatis,& diſſimilitudinis;quæ vocātur etiā relationes diſparatæ.

6 Præterea relatio, vt aduertit *B.Doct*; importat duplex eſſe,ſcilicèt eſſe *in*, & eſſe *ad*. Secundùm eſſe *in* reſpicit fundamētum,à quo non diſtinguitur, præſertim loquendo de relatione Diuina, quæ per ordinem ad eſſentiam tranſit in identitatem illius, vt docent *SS. PP*; *& Conc*; Secundùm eſſe *ad* reſpicit terminum, ad quem refertur,& à quo diſtinguitur.

7 Hęc autem eſt differentia inter relationes *originis,& numeri*, quòd iſtæ diſtinguuntur ſecundùm eſſe *in*,illæ verò ſecundùm eſſe *ad*.

8 Ratio 1. eſt. Nam relationes *numeri* vel ſunt æquiparantiæ, & ſimilitudinis,vel diſparatæ, & diſſimilitudinis. Si primum; ſecundùm ſuam rationem formalem *ad* ita reſpiciunt ſuum correlatiuum, vt poſſint eſſe vnum ſecundùm tale eſſe *ad*; vt v.g.ſi duo alba vniantur,puta duplex lac fiat vnum, tunc definit eſſe ſimilitudo, quæ eſſentialiter eſt inter duo, ad idem enim non datur ſimilitudo,nec relatio,nec diſtinctio; quòd autem duæ relationes ſimilitudinis poſſint fieri vnum, patet, quia fundantur in conuenientia, quæ nihil aliud eſt, quàm *cum alio in*

vnum

vnum venientia; ergo relationes similitudinis, vel æqualitatis, non distinguuntur formaliter secundùm esse *ad*; sed si distinguuntur, ratio formalis illas distinguēs est tantùm esse *in*, quapropter si deficiat diuersum esse *in*, seu diuersū esse fundamenti, illæ relationes nullo modo distinguuntur, vnde relationes æqualitatis, similitudinis, quæ sunt inter prædicata absoluta Diuina, non sunt reales, sed rationis, quia vnum, & idem earum esse est essentia Diuina. Et Paternitas creata in eodem Patre non plurificatur ad plurificationem Filiorum; sicuti plurificantur filiationes in pluribus Filijs, quia in eodem Patre est idem esse; vbi in diuersis Filijs est diuersum esse. Si relationes sunt disparatæ, seu disquiparantiæ, inæqualitatis, & dissimilitudinis, non distinguuntur formaliter, nisi penes diuersum esse *in*; vnde si sit idem esse *in* ex eo, quia fundantur in eodem, & habent idem fundamentum, non erunt distinctæ relationes; secus si habeant diuersum esse *in*, seu diuersum fundamentum, v. g. animalitas in cane, & rationalitas in homine dicunt relationes disparatas, & distinguuntur realiter, quia sunt in fundamētis realiter distinctis; at verò animalitas, & rationalitas in homine non dicunt relationes distinctas realiter, quia habent idem esse hominis pro fundamento; & si rationalitas, & irrationalitas possent esse in eodem, non distinguerentur realiter, quia non essent duæ res, sed duæ formalitates. Ita Paternitas, & spiratio actiua in Patre non distinguuntur realiter, quia habent idem esse *in*, cùm sint in eadem persona; ergo in tantùm distinguuntur secundùm esse *ad*, in quantùm habent diuersa esse *in*.

9 Relationes verò *originis* distinguuntur formaliter secundùm esse *ad*, quia secundùm esse *ad* ita dicunt oppositionem, vt nullo modo possint vniri; cùm idem nequeat producere se ipsum; vnde etiamsi habeant idem esse *in*, vt est in Diuinis relationibus, quæ in eadem essentia Diuina fundantur, attamen realiter distinguuntur propter oppositionem producentis, & producti.

10 Hanc fundatissimam *B.Doct.* doctrinam, per quam euertitur funditus sententia *Scoti* sentientis Spiritum sanctum distinguēdum à Filio, etsi non procederet ab illo, tangit *Io. à S. Tho. hìc sup. q. 27. disp. 11. art. 4. n. 9*; licèt minùs sufficienter.

11 Hinc deducitur, quàm sapienter *Fund. Doct.* non distinguat *in Logica* esse relationis ab esse fundamenti; nam esse relationis in ordine ad fundamentum est esse *in*, non esse *ad*; cùm esse *ad* sit tantùm in ordine ad terminum, non ad fundamentum. Quæcunque autem non distinguuntur, nequit vnum plurificari, nisi plurificato alio. Sicut quæ distinguuntur, potest vnū plurificari alio non plurificato; vnde si relationes distinguerentur realiter ab esse fundamenti, non videtur, cur non possent plurificari relationes non plurificato fundamento, & sic in eodem fundamento esse plures relationes similes, aut disparatas.

12 Item deducitur prima propositio supposita *à B. Doct.*; quòd scilicèt relationes in Diuinis non plurificentur, nisi sint oppositæ inter se oppositione originis, qua vna persona oriatur ab alia.

13 Supp. 2; quòd actus, secundùm quos vna persona Diuina oritur ab alia, nō sunt nisi duo, scilicèt intelligere; & velle; & ratio est, quia cùm personæ Diuinę sint termini intrinseci immanentes intra Diuinam essentiam, non enim exeunt in aliam naturam diuersam à Diuina essentia, aliter non essent Diuinæ, nec Deus; ideo procedunt per actus intrinsecos immanentes; sed actus immanentes sunt tantùm duo; ergo duæ tantùm sunt potentiæ, à quibus exeunt, scilicèt intellectus, & voluntas; ergo actus, secundùm quos vna persona oritur ab alia, sunt tantùm duo; scilicèt intelligere, per quod procedit Verbum; & velle, per quod procedit Spiritus s.

14 Per intelligere autem Diuinum non producitur, nisi vnicum Verbum, & per velle nō spiratur, nisi vnicus Spiritus sanctus; nam vt docet *B.Doct. dist. 7. princ. 2. q. 4*; Verbum, vtpotè infinitè perfectum, gignitur de tota scientia Patris; ergo per Verbum ita exhauritur intellectus Diuinus, vt non possit aliud Verbum producere vt docet *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 14. Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia*; totū enim ęquatur toti; quod etiam dicitur de Spiritu sancto, qui spiratur de tota bonitate Patris. Aliam rationē tradit *dist. 10. princ. 2. q. 2*; quia plura Verba, & plures Spiritus s. nō haberēt, per quod distinguerentur; non enim vnum Verbum potest produci ab alio, quia Verbum nequit formare Verbum. *His supp.*

15 Vnica concl. Personæ Diuinæ sunt tantùm tres, non plures, aut pauciores; & ratio *B. Doct.* optima est. 1. pars cōcl. est de Fide; habetur enim *in Conc. Lat. c. Dānamus de summa Trin. & Fide Catholica*; vbi dicitur: *In Deo solummodò trinitas est, non quaternitas; & locis cit. in sup. arts & ex Beat. P. 6. de Trin. c. 5. Persona Diuinæ non excedunt numerum ternarium.*

16 Ratio autem *B.Doct.* sic efformatur. In Diuinis non est nisi vna persona improducta, & duæ personę productæ; ergo sunt tantū tres personæ Diuinæ. Prob. 1. pars ant; quia si essent duæ personę improductę, non haberent, per quod distinguerentur; neutra enim diceret relationem originis, quia neutra produceretur; & ideo non haberēt, per quod distinguerētur; cùm sola relatio originis sit distinctiua Diuinarum personarū, vt habitum est. 2. pars ant. constat ex dictis; nā tot sūt personę productę, quot actus notionales, quibus producitur, qui actus, cū nō multiplicētur numero, vtpotè infinitè perfecti, ita faciunt,

quòd neque perſonæ per illas productæ numero multiplicentur; ſed iſti actus ſunt tãtùm duo, ſcilicet intelligere,& velle;ſicut ſũt duę potētię, idèſt intellectus,& voluntas; ergo perſonæ Diuinæ productæ non ſunt, niſi duæ;ſed ſi addatur vna perſona improducta duabus perſonis productis,facit Trinitatem;ergo non datur, niſi trinitas in Diuinis perſonis.

17 Obijc. 1. Tres ſunt potentiæ immanenter agẽtes,ſcilicet intellectus, memoria,& volũtas; ergo tres ſunt actus immanentes, & per conſequens tres perſonæ per ipſos immanentes productæ.

Reſp.diſt.ant.Tres ſunt potentiæ immanẽter agentes realiter diſtinctæ in creaturis, neg; duæ ſolùm,ſcilicet intellectus,& voluntas, realiter diſtinctæ, & memoria realiter indiſtincta ab intellectu,conc; & eodẽ modo diſt.conſ.& neg. ſubſumptum;quia à duobus actibus diſtinctis nõ poſſunt procedere, niſi duæ perſonæ realiter diſtinctæ.Sicut ergo intellectus, & memoria non diſtinguuntur, vt ſuperiùs dictum eſt; ita actus intellectus, & memoriæ ſunt idem realiter, quia memoratio alicuius actus nihil aliud eſt, quàm repetitio,vel cõſeruatio eiuſdem intellectionis; patet autem,quòd intellectus Diuinus ſecũdùm ſe conſeruat ſuam intellectionem, quia illam immutabiliter,& inamiſſibiliter elicit.

18 Obijc.2.In Diuinis ſunt quatuor relationes originis,quia vltra paternitatẽ, filiationẽ, & ſpirationẽ paſſiuã datur ſpiratio actiua, quæ originatiuè refertur ad ſpirationem paſſiuã; ſed ad multiplicationem relationum originis multiplicantur perſonæ,vt dictum eſt;ergo quatuor erũt perſonæ Diuinæ,non tres.

Reſp.diſt. ma. In Diuinis ſunt quatuor relationes originis viciſſim oppoſitæ,neg;tantùm reſpectu vnius, non reſpectu alterius oppoſitæ, conc;& eodem modo diſtincta mi.neg.conſ.nam perſonæ non multiplicantur, niſi ad multiplicationem relationum viciſſim oppoſitarum; non autem relationum aliqua ex parte diſparatarũ. Quamuis ergo reſpectu ſpirationis paſſiuæ ſpiratio actiua ſit oppoſita; quia tamen reſpectu paternitatis,& filiationis non eſt oppoſita,ideo nõ conſtituit perſonam diſtinctam à Patre,& Filio, & per conſequens non plurificat Trinitatem.

19 Per hoc patet ad rationem dubitandi. Ad id autem,quod additur de notionibus, dicitur;quòd innaſcibilitas nõ opponitur paternitati, ſed filiationi; quia opponitur naſcibilitati, quæ idem eſt, ac filiatio; & ideo non conſtituit perſonam diuerſam à Patre, vt infra videbimus *ex Beatiſſ.P.*

20 Inſtat *Scot.*Filiatio,& ſpiratio paſſiua,ſicut paternitas,& ſpiratio paſſiua ſunt relationes diſparatæ,& tamen diſtinguuntur realiter; ergo adhuc relationes diſparatæ conſtituunt, & diſtinguunt Diuinas perſonas.

Reſp. *B.Doct.diſt.13.princ.1. q.2.§.Aduertendum* diſt.ant. Filiatio, & ſpiratio paſſiua ſunt relationes diſparatæ realiter diſtinctæ immediatè,& ratione ſui,neg;mediatè,& ratione alterius, cum quo coniunguntur,conc. Filiatio ergo non diſtinguitur ratione ſui à ſpiratione paſſiua, ſed diſtinguitur, quia identificatur cum ſpiratione actiua Filij, quæ realiter diſtinguitur à ſpiratione paſſiua Spiritus ſancti; & ſic ſpiratio actiua non conſtituit perſonam Filij, ſed ſupponit ipſam conſtitutam per filiationem;& ideo eſt proprietas perſonalis non conſtituens, ſed ſequens ad perſonam.

21 Repl. Eſſentia Diuina realiter identificatur cum filiatione, & tamen eſſentia Diuina non diſtinguitur realiter à ſpiratione paſſiua, à qua tamen diſtinguitur realiter filiatio; ergo ratio identificationis non eſt cauſa ſufficiens diſtinctionis realis;& per conſequens ratio diſtinctionis realis erit ipſa relatio, vt relatio eſt,etiã diſparata. Ant.eſt certum; quia ſpiratio paſſiua realiter identificatur cum Diuina eſſentia,vt infra dicemus. Prob. conſ; eodem modo enim diſtinguuntur eſſentia Diuina,& Filiatio,ac ſpiratio actiua, & Filiatio; quia vtrinque datur diſtinctio virtualis.

Reſp.diſt.ant.Eſſentia Diuina realiter idẽtificatur cum Filiatione, & ipſi coniungitur per modum alicuius proprij, & perſonalis, ſeu tanquam proprietas perſonalis ſequens ad perſonam Filij, neg; per modum abſoluti communis omnibus tribus perſonis,conc; & eodem modo diſt.conſ.Ratio identificationis,& coniunctionis per modum proprietatis conſequẽtis ad perſonalitatem non eſt ratio ſufficiens diſtinctionis realis, neg; per modum communis, & abſoluti, conc. Ad prob. dicitur, quòd quamuis virtualis diſtinctio detur inter vtranque,attamen ſpiratio actiua eſt proprietas perſonalis ſequens ad perſonalitatem Filij, & Patris, & quia proprietas, dicitur ad conuertentiam cùm quiditate, cuius eſt proprietas, ideo ſi ipſa ſpiratio actiua realiter diſtinguitur à ſpiratione paſſiua, realiter etiam diſtinguitur ipſa filiatio, & paternitas; à quibus profluit ſpiratio actiua, tanquam proprietas. Hoc autem non eſt idem de eſſentia Diuina,quę non eſt proprietas perſonalis.

22 Vrgeb. denuo. Spiratio actiua eſt proprietas paternitatis, & filiationis, & coniungitur cum filiatione, & paternitate, & tamen ſpiratio actiua Filij non diſtinguitur realiter à paternitate, ſicut realiter diſtinguitur à paternitate filiatio, cui coniungitur ſpiratio actiua in Filio; ergo ratio identificationis, & coniunctionis per modum proprietatis perſonalis non eſt ratio ſufficiẽs diſtinctionis realis, & per conſequens ſi filiatio,& ſpiratio paſſiua diſtinguuntur realiter, diſtinguuntur ſe ipſis, non autem ratione alterius.

Reſp.diſt.ant. Spiratio actiua eſt proprietas paternitatis,& filiationis, quibus coniungitur

tur tanquam notio communis Patri, & Filio, conc; tanquam notio propria, & particularis Filij, neg; nam cùm Pater, & Filius spirent, quatenus vnū, idêst per eandem virtutem spirariuam; ideo spiratio actiua coniungitur paternitati, & filiationi, tanquam notio communis vtrique; & per consequens non distinguitur realiter à paternitate, aut à filiatione. At verò filiatio in Filio coniungitur spirationi actiuæ tanquam notio propria Filio, non autem tanquam communis Filio, & Spiritui sancto; ideo filiatio distinguitur realiter à spiratione passiua. Sed de hoc fusiùs *q.4.art.3.*

23 Obijc. 3. Generatio in creaturis procedit ex fœcunditate naturæ; ergo in Deo præter duas processiones intellectus, & voluntatis admittéda est processio per modum naturæ. Prob. cons. Non minùs distinguitur in Deo natura à voluntate, quàm intellectus, & voluntas; sed intellectus, & voluntas sunt principia sufficientia ad multiplicandas processiones; ergo & natura.

Resp. *B. Doct. ad* 1. dist. ant. Immediatè, neg; mediatè, conc; natura enim nullam habet operationem immediatam, cùm ipsa tantùm ordinetur ad operari mediantibus suis principijs; intellectus verò, & voluntas sunt potentiæ ordinatæ ad immediatè operari, cùm sint principia sufficientia ad multiplicandas actiones.

24 Dices. Ideo intellectus, & voluntas multiplicant processiones, quia distinguuntur virtualiter; sed omnipotentia Diuina, & cetera attributa distinguuntur virtualiter; ergo per ipsa possunt procedere totidē personæ Diuinæ.

Resp. dist. ma. Quia distinguuntur virtualiter, & sunt potentiæ vitales immanenter agentes, conc; præcisè quia distinguuntur virtualiter, neg. Omnipotentia autem, & cetera attributa, licèt distinguantur virtualiter, attamen, quia non sunt potentiæ imanenter agentes, ideo non multiplicant processiones Diuinas, quæ sūt essentialiter actiones immanentes, vt dictum est.

25 Obijc. 4. Si per impossibile tres proprietates personales fluerent ab essentia absque eo, quòd vna persona oriretur ab alia, adhuc distinguerentur realiter; ergo ratio originis non est ratio formalis distinctionis. Prob. ant. Personæ constituuntur per proprietates, prout sunt incommunicabiles, quia persona *est incommunicabilis naturæ indiuidua substantia*; non prout sunt ad alterum; ergo adhuc distinguerentur.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Personæ (loquendo tantùm de personis relatiuis) constituuntur per proprietates incommunicabiles dicentes oppositionem relatiuam ad suum conterminum; proprietas enim non est incommunicabilis, nisi quatenus dicit oppositionem relatiuam, vt patet de spiratione actiua, quæ est est communis Patri, & Filio, conc; non dicentes talem oppositionem, neg; in hoc enim distinguitur persona absoluta à relatiua, quòd absoluta, constituitur per subsistentiam incommunicabilem absolutam ab omni respectu opposito; persona verò relatiua constituitur per proprietatem incōmunicabilem formaliter importantem oppositionem relatiuam, quæ consequitur ad processionem, sine qua oppositione relatiua periret ratio personæ relatiuæ, & per consequens fine, illa personæ Diuinæ distinguerentur secundùm absoluta, quæ non essent communia, quod est erroneum.

Ceteræ obiectiones soluuntur *inf. q.4. art. 3*; vbi ostendemus, quòd nisi Spiritus sanctus procederet à Filio, non distingueretur ab eo.

QVÆST. II.

De processionibus Diuinis in communi.

DIximus *in sup. q. cum B. Doct.* existentiam Trinitatis, quamuis non possit probari ratione naturali, attamen suppositis processionibus Diuinis euidenter ostendi. Vt igitur hæc veritas Fidei manifestetur, *hic* de processionibus agendum est.

ART. I.

An in Deo sit processio.

1 DVplex processio in Deo communiter distinguitur, scilicèt processio ad intra, & processio ad extra. Processio ad intra est, qua Diuinæ personæ per actionem merè immanentem originantur. Processio ad extra est, qua creaturæ per actionem trāseuntem extra Deum producuntur. De processione creaturarum agemus *in 2. sent; hic* autem de processionibus Diuinarum personarum, quæ sunt actiones ad intra, merè immanentes, est agendum.

2 Circa propositam difficultatem potest esse quæstio vel de re proposita, an scilicet re vera detur processio realis ad intra in Diuinis; & potest esse quæstio, an ratio *B. Doctoris* rectè probet?

3 Aduertit *B. Doct. in 1. dist. 13. princ. 1. q. 1*; quòd in Deo ponitur ratio speciei sine ratione generis, quod idem est, ac quòd ponitur perfectio sine imperfectionibus; cùm enim perfectio sumatur ab *actu secundùm Phil*; & cùm species sit actualitas generis ipsum determinans, & perficiens; cùmque in Deo ponatur perfectio sine imperfectionibus, quia est perfectissimum, ens ab omni depuratum imperfectione, ideo in Deo ponitur ratio speciei, idêst actualitas, seu perfectio absque eo, quòd in ipso ponatur ratio generis, idêst potentialitas, seu imperfectio: sic ponitur in Deo sapientia, bonitas absque eo, quòd in ipso ponatur qualitas, quæ est genus

ad

ad genus ad huiusmodi. Genus autem, quod contrahitur à processione, est motus; cùm motus diuidatur in substantialem, & accidentalem; qui pariter subdiuiditur in motum localem alterationis, & augmentationis; motus autem substantialis in creaturis (in quibus solùm reperitur motus, quia solæ creaturæ mobiles sunt,) est ille, secundùm quem generatur substantia creata, secundùm quam generationem sumitur processio in esse, prout de processione *hic* loquimur. In creaturis ergo, in quibus accipitur simul ratio generis, & speciei, processio substantialis, seu secundùm esse duo importat; vnum secundùm rationem speciei, & est communicatio ipsius esse, quod dicit perfectionem; alterum secundùm rationem generis; & est transitus de non esse ad esse, quod dicit imperfectionem; cùm enim creatura non sit suum esse, ideo priùs intelligitur sub non esse, quàm sub esse; & cùm illi communicetur esse, intelligitur transire de non esse, sub quo priùs erat, ab esse, sub quo non erat. Quamuis igitur in Deo, in quo est omnis perfectio, ponatur processio secundùm rationem specificam, secundùm quam dicit perfectionem; idest prout importat communicationem esse; non tamen propter hoc ponitur secundùm rationem genericam, idest prout dicit motum, secundùm quem imperfectionem importat. Quæcunque itaque conueniunt processioni ratione generis, in Deo non ponuntur; quæcunque autem illi conueniunt ratione perfectionis specificæ, quæ puram perfectionem importat, in Deo poni necesse est.

4 Emanatio autem verbi creati ab intellectu creato in hoc distinguitur secūdùm *D. Dam. lib. 1. c. 6.* ab emanatione Verbi Diuini, quòd verbum creatum distinguitur ab intelligente secundùm naturam; quia natura intelligentis creati est substantia; natura autem Verbi creati est accidens; non tamen distinguitur secundùm hypostasim, quia Verbum creatum, cùm sit accidens, nequit constituere hypostasim, seu personam, quæ est substantia. At verò Verbum Diuinum distinguitur ab intelligente secundùm hypostasim, quia cùm procedat ab intellectu Patris, qui est substantialis, substantiale est; non tamen distinguitur secundùm naturam, quia eadem natura Diuina communicatur Verbo Diuino. Quod autem dicitur de Verbo Diuino cōparatiuè ad Verbum creatum, id ipsum prorsus est dicendum de Spiritu sancto comparatiuè ad amorem creatum; quia voluntas Diuina, vtpotè substantialis (nil enim accidentale datur in Deo) producit amorem substantialem, qui est Spiritus sanctus; nostra verò voluntas, cùm sit accidens, producit amorem, qui est accidens; & ideo Amor Diuinus est hypostasis distincta habens eandem naturam; amor verò creatus est accidens distinctam habens naturam, sed non personam diuersam. *His not.*

5 Vnica concl. In Deo necessariò ponenda est aliqua processio realis ad intra; & ratio *B. Doct.* est optima. Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Io. 6. & 8.* habetur: *Ego ex Deo processi*; & *c. 7. Ego scio eum, quia ab ipso sum*; & *Eccli. 24. Ego ex ore Altissimi prodiui*; qui *textus* de processione Verbi expresè loquuntur. De processione autē Spiritus sancti habetur *Io. 15. Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis, spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Hæc veritas expressè habetur *in Conc. Constantinop. I.* dicente: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & viuificantem, & ex Patre procedentem.* Et *Nicæno*; vbi habetur de Filio; *Et ex Patre natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; & *in Lat. sub Innoc. III*; & *Lugd. sub Greg. X*; & tandem *Flor.* vbi de spiritu sancto dicitur: *Qui ex Patre, Filioque procedit.*

6 Prima ratio *B. Doct.* est. In Deo datur distinctio realis Diuinarum personarum, quæ est tantùm per relationes originis, vt probatum est *in sup. art*; ergo dantur processiones, ad quas consequuntur relationes, quibus distinguuntur personæ Diuinæ. Prob. cons; quia relatio originis naturaliter sequitur ad actualem productionem, seu processionem substantialem; paternitas enim sequitur ad actualem generationem, cùm Pater referatur ad Filium ex eo, quia Filium generat; propter quod relatio originis à *Phil.* dicitur relatio *potentiæ* sequens ad potentiam actu producentem.

7 Neque obstat, quòd ex processionibus probetur relationes distinctiuas personarum esse in Deo, vt dictum est *in sup. art*; suppositis enim processionibus Diuinis euidenter probatur Trinitas; & modò ex ipsis relationibus probantur processiones Diuinæ; vnde videtur circulus.

Non obstat, inquam; nam processiones, & relationes Diuinæ se habent, veluti prius, & posterius; cùm relationes sequantur ad processiones, & processiones antecedant relationes; patet autem *ex lib. Post*; quòd per id, quod est prius, optimè probatur posterius probatione prioristica; & per id, quod est posterius, optimè probatur id, quod est prius probatione posterioristica.

8 Secunda ratio sumitur *à B. Doct. ex Beatiss. P. 15. de Trin. c. vltim.* dicente: *Ad intelligendam illam summam, & ineffabilem Trinitatem nunquam meliùs acies humanæ mentis se exercet, quàm in eo, quod ipse homo in sua natura cæteris animalibus meliùs habet.* Cùm autem id, quo homo superat cetera animalia, sit intellectualitas; ideo ex ipsa intellectualitate hominis optimè intelligitur Diuina processio. Ex quibus sic efformatur ratio. Quæcunque procedunt in natura intellectuali creata accidentaliter, & distincta secundùm naturam; in Deo procedunt substantialiter, & distincta secundùm hypostasim,

iden-

identificata ſecundùm naturam, ſed in natura intellectuali creata dantur proceſſiones verbi, & amoris, quæ ſunt accidentia diſtincta ſecundùm naturam, non ſecundùm hypoſtaſim; ergo in Deo dantur proceſſiones Verbi, & Spiritus ſancti; quæ ſunt ſolùm diſtinctæ ſecundùm hypoſtaſes, non ſecundùm naturam. Ma. patet ex dictis;in Deo enim nullum datur accidens,quia Deus non eſt capax mutationis; ideo ſapientia, potentia,iuſtitia &c;quæ in nobis ſunt accidentia,in Deo ſunt ſubſtantia. Prob.2. pars; nam in Deo nulla diſtinctio realis eſt ſecundùm naturam, vt diximus *de Vnit. Dei*; aliter eſſent plures Dij; ergo,quæ in nobis diſtinguuntur ſecundùm naturam,in Deo diſtinguuntur tantùm ſecundùm perſonalitatem,ſeu ſecundùm hypoſtaſim. Hoc tamen intelligendum eſt tantùm de ijs,quæ dicunt perfectionem ſimpliciter ſimplicem,quæ ſolùm formaliter reperiuntur in Deo; non autem de ijs, quæ important ſolam perfectionem ſimplicem,quæ ſolùm eminenter eſt in Deo; patet autem, quòd intelligere, & amare ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, & per conſequens productio verbi,& amoris, quæ eſt per intelligere,& amare, pertinet ad perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

9 Mi; quæ graues patitur inſtantias (non enim homo per quancunque intellectionem format verbum, nec Beati videntes Deum intuitiuè; nec Filius, & Spiritus ſanctus intelligēdo ſe ipſos formāt verbum,explicatur *à B.Doct.* de natura intellectuali per ordinem ſolùm ad actionem fœcundam; non verò vniuerſaliter de quacunque intellectione; quòd expreſsè docet *Beatiſſ.P.*15. *de Trin.c.*7; *&* 10; vbi dicit: *Verbum gigni ex memoria fœcunda Patris*. Ad hoc autem, vt aliqua actio ſit fœcunda, duo requiruntur; ſcilicet virtus proportionata ad producendum talem terminum; quapropter homo, licèt poſſit producere filium hominem, quia habet virtutem proportionatam ad illum producendum; non tamen poteſt producere canem, quia virtus productiua hominis non eſt proportionata productioni paſſiuæ canis; actiuo enim debet correſpondere principium paſſiuum, vt docet *Phil*. Præterea terminus debet eſſe producibilis; quia ſi ſit productus, non poteſt amplius produci; illud enim eſt producibile, quod eſt in potentia paſſiua ad produci, & quod eſt productum,non eſt amplius in potentia paſſiua, ſed in actu; & ideo eſſe producibile importat non eſſe productum.Defectu 1. Beati per viſionem non producunt Verbum Diuinum;defectu 2. Filius,& Spiritus ſanctus, licèt habeant eandem virtutem intellectiuam, & volitiuam; attamen Filius nequit generare alium Filium, nec Spiritus ſanctus ſpirare alium Spiritum sāctum; quia alius Filius, & alius Spiritus ſanctus ſunt impoſſibiles. At verò intellectus Diuinus in Patre eſt virtutis infinitæ,ſummæ immaterialitatis, & actualitatis, ex quibus deſumitur fœcunditas actionis; cùm *agens in tantùm agat, in quantùm actu eſt*. Inſuper intellectus Diuinus in Patre non ſupponit Verbum aliunde productum; ſicuti intellectus in Filio,& Spiritu ſancto ſupponit Verbum productum per intellectum Patris; ergo actio intellectiua Patris eſt maxima fœcunda, & ideo producit Verbum Diuinum; ſicut actio fœcunda intellectus creati producit verbum creatum; & per conſequens optimè per iſtam rationem explicat *Beatiſſ.P.in lib.de Trin; & Fund.Doct.* dari in Deo proceſſionem Verbi,& Amoris.

10 Conf. hæc ratio.Potentiæ perfectiſſimæ debet concedi perfectiſſima actio; ſed intellectus, & voluntas ſunt perfectiſſimæ potentiæ; vita enim intellectualis eſt ſupremus, & perfectior gradus eſſendi; ergo intellectui, & voluntati eſt tribuenda actio perfectiſſima; ſed productio Verbi,& Amoris eſt perfectior actio ſaltem ratione ordinis, quia eſt in ordine intellectuali,qui eſt perfectior ordine entitatiuo;ergo productio Verbi,& Amoris eſt concedenda intellectui, & voluntati; ſed in Deo eſt intellectus, & voluntas; ergo Deo eſt concedenda productio Verbi,& Amoris.Prob.ma; nam quò perfectior eſt potentia, eò perfectior eſt eius actio; cùm actio, & potentia commenſurentur; vnde ſi in creaturis potentiæ generatiuæ, quæ eſt potentia in genere entitatiuo, & per conſequens inferior ad potentiam intellectiuam, quæ eſt in genere ſupremo,tribuitur producere ſuum terminum ita tamen,vt illum non producat, niſi per actionem fœcundam, vt ſupra dictum eſt, non autem per quamlibet actionem; vt patet in animalibus,quæ non per omnes ſuas actiones producunt ſuos terminos; nam ſi fœmina iam ſit prægnans, nulla actio poſt conceptum fœtum producit; ergo multò magis potentiæ intellectiuæ eſt attribuēda productio actualis; cùm ſit perfectior in genere potentiarum; & quanuis potētia generatiua in creatis producat ſubſtantiam, & intellectiua producat accidens;ſubſtantia autem eſt ſuperior ad accidens; attamen hoc euenit,quia potentia intellectiua, vt in creaturis, eſt accidens; & ideo producit verbum,quod eſt accidens;at in Deo eſt ſubſtātia, ideo producit verbum ſubſtantiale.

11 *Thomiſtæ* tribus alijs modis conantur explicare hanc propoſitionem: *Omne intelligens ex eo, quòd intelligit,format verbum*; quam deſumpſit quoque *D.Tho.ex Beatiſſ.P.*

Primus modus explicandi hanc propoſitionem eſt, quòd intelligatur de intellectione connaturali;qua quis intelligit ſe ipsū;propter quod Beati videntes Deum non faciunt Verbū. *Ita Gonetdiſp.*2.*art.*1.§.1.Verbo:*Vt autem*.

12 Secundus modus eſt, quòd ly *omne* diſtribuat ſolùm pro generibus ſingulorum ita, vt faciat ſenſum; quòd omne intelligens formet Ver-

Verbum per aliquam cognitionem; non tamen pro singulis generum ita, vt per omnem intellectionem formet Verbū. *Ita Io. à S. Tho. hic disp. 12. art. 10. n. 25; & Gonet vbi sup.*

13 Sed primus modus explicandi insufficiēs est; tum quia intellectio essentialis est connaturalis Filio, & Spiritui sancto; nihil enim superat naturam Filij, & Spiritus sancti; & ideo nihil est illis supernaturale, & talis cognitio non est præter eorum naturam; & tamen Filius, & Spiritus sanctus per intellectionem essentialem, quà se ipsos intelligunt, non producunt Verbū; aliter essent tria Verba in Diuinis; & illa Verba producerent alia Verba; & sic in infinitum. Tum quia Verbum formatur etiam in cognitione supernaturali de obiecto supernaturali obscurè viso, vt *idem* fatetur paulò *infra*. Tandem quia sicut cognitio naturalis est connaturalis intellectui naturali; ita cognitio supernaturalis intellectui supernaturali; ergo sicut intellectus naturalis per cognitionem sibi connaturalem potest verbum efformare; ita intellectus supernaturalis per cognitionem supernaturalem sibi connaturalem verbum efformare poterit; relicto ergo hoc modo explicandi tanquam insufficienti.

14 Secundus modus etiam est insufficiens; si enim quæratur, cur potiùs ista intellectio producat verbum, quàm illa, vel altera; non videtur alia ratio, quàm ea, quæ recurrit ad fæcunditatem, ad quam cogitur recurrere *n. 26. idem Io. à S. Tho*; qui adhuc insufficienter probat; nisi quantùm ad distinctionem, & vnitatem naturæ, & suppositi à contrario procedat, vt diximus supra; & quantùm ad accidentalitatem, & substantialitatem proportionaliter arguat à principijs, quæ in creatis sunt accidentia, ad principia, quæ in Deo sunt substantia. Posset enim quis instare, quòd in creatis verbum, & amor sunt accidentia habentia indistinctam hypostasim, & distinctam naturam; ergo ex his non colliguntur duæ processiones intellectuales, quæ important tres res substantiales habentes eandem naturam, & distinctam hypostasim.

15 Tertius modus affertur *à Io. à S. Tho. ibid. n. 19.* afferente, quòd hæc propositio: *Omne intelligens ex eo, quòd intelligit, producit Verbum*; sic debet intelligi: *Omne producens Verbum in tantùm illud producit, in quantùm intelligit*; ita, vt verbum nō producatur, nisi per intellectionem.

Sed hic modus pariter non placet, quia conuertit propositionem *S. Tho*; vt patet; quæ tamen non potest conuerti; licèt enim omne producens verbum intelligat; quia verbum producitur per intellectionem, non tamen omne intelligens producit verbū; vt patet; vnde non benededuceret *S. Tho.* ex prima propositionem secundam. His igitur omissis.

16 Obijc. 1. Actiones intellectus, & voluntatis non sunt veræ, & propriæ actiones de genere actionis productiuæ, sed sunt de genere qualitatis explicatæ per modū actionis grāmaticalis, quia non sunt productiuæ sui termini; nō enim intellectus intelligens Cœlum Cœlum producit; ergo secundùm ipsas nequit probari processio realis in Deo, quæ importat veram actionem, per quā producitur persona Diuina.

Conf. *Ex Phil.* nostrum intelligere est quoddam pati; ergo nequit esse productiuum, & per consequens secundùm ipsum nequit desumi aliqua processio actiua.

Resp. neg. ant; nam actiones intellectus dicuntur actiones grāmaticales solùm per ordinē ad obiectum extrinsecum, quod non producunt, nō autem in ordine ad obiectū intrinsecum, idèst verbū, quod producunt, vt *inf. art. 3. Ita B. Doct. dist. 10. q. 1. art. 2. ad 3.*

Ad conf. dicitur, quòd nostrum intelligere est quoddam pati, nō tamen est purum pati; nam (vt docet *Fundatiss. Doct. in lib. de Anima*) in hoc distinguitur intelligere à sentire, quòd sentire consistit in pura passione, idèst in receptione speciei sensibilis; at verò intelligere dicit quandam passionem, quia recipit speciem intelligibilem; sed supra ipsam passionem dicit actionem; nam recepta specie intelligibili intellectus per ipsam actiuè tendit in obiectum producendo ipsum Verbum, si illa actio sit fæcunda, vt supra dictum est.

17 Obijc. 2. Tunc ponitur verbum in intellectu, quando obiectum cognitum non habet intelligibilitatem actualem per modum termini in actu secundo; sed Diuina essentia, cū sit actus purissimus, est summè intelligibilis in actu secūdo; ergo ex productione verbi, quæ fit in nobis, efficaciter non ostenditur productio Verbi Diuini. Prob. ma; quia verbum est species expressa, & sicuti in tantùm ponitur species impressa, in quantùm obiectum non est actu intelligibile, neque vnitum potentiæ intellectiuæ; quando autem obiectum per se est vnitum potentiæ intellectiuæ, & est intelligibile in actu secūdo ab ipso intellectu, tunc non ponitur species impressa, quæ propter hoc dicitur vicaria obiecti, cùm solū habeat supplere absentiā illius; ergo à pari.

Resp; quòd verbum nedum ponitur, vt obiectum absens fiat præsens; sed etiam, vt Intelligēs manifestet ad extra suum conceptū formatū, qui est in mēte; vt patet de verbo vocali. Verbū primo modo sumptū est ex indigentia; secūdo modo autem est ex fęcunditate intellectus. Primus modus competit verbo per accidens, vt patet de verbo vocali, quod nō ponitur, vt obiectum fiat præsens, vt patet. Secundus modus ei competit per se. Dist. igitur ma. Tunc ponitur Verbum ex indigentia, & per accidens, conc; ex fæcunditate, & essentialiter, neg. Ad prob. neg. paritas; nam species impressa ponitur solùm ex indigentia intellectus; verbum autem ponitur ex necessitate manifestationis conceptus formati in intellectu, vt dictum est.

18 Obijc.

18 Obijc.4.Processio verbi,& amoris in nobis est cum distinctione naturæ, & cum vnitate personæ; ergo ex processione Verbi, & amoris creaturarum efficaciter non arguitur duplex processio Diuina.

Resp.cum *B.Doct.dist.conf.* Non arguitur demptis imperfectionibus, quę sunt in creatura, neq;cum iisdem imperfectionibus,conc.

19 Obijc. 5.Enti à se repugnat ab alio procedere, sicuti primo principio repugnat esse ab alio,aliter non esset primum; sed qualibet persona Diuina est ens à se,& primum principium; ergo repugnat ab alia procedere.

Resp.dist.ma. Per distinctionem naturæ, & dependentiam in esse,conc; per identitatem naturæ,& independentiam in esse, neg.

20 Obijc.6.Quòd procedit ab alio,aliquod recipit ab eo,à quo procedit;sed recipere est indigentis naturæ, quod tribuitur materiæ, quæ omni actualitate indiget;& nulla indigentia potest supponi in personis Diuinis;ergo nulla persona Diuina procedit ab alia.

Resp.dist. mi. Recipere cum distinctione rei receptæ, & priuatione illius rei, quæ recipitur, quæ priuatio antecedat ad ipsam actualem receptionem, est indigentis naturæ, conc; per identitatem rei receptæ sine vlla priuatione ante ipsam actualem receptionem,neg;indigentia enim propriè dicit carentiam illius rei, qua indigemus.

21 Obijc.7. Procedere idem est, *ac procul cedere*, vt sonat nomen; sed personæ Diuinæ nō sunt procul, cùm in natura vniantur; ergo in ipsis non est processio.

Conf.Processio non est sine motu;sed motus non est in Deo; quia Deus non est mobilis; ergo neque processio.

Resp.dist.ma. Ac procul cedere à natura, vel à persona,conc;à natura tantùm,neg; personæ autem Diuinę sunt procul, idèst distinctę in proprietate,non in natura.

Ad conf. dicitur, quòd motus competit processioni ratione generis; ponitur autem in Deo species sine genere, vt superiùs dictum est.

22 Obijc.8.Per amorem in creatis nihil producitur;ergo illa ratio non probat.

Resp.*B.Doct.in 1.dist.10.princ.1.q.2.* neg. ant; per amorem namque creatum producitur aliquod,quod communi nomine dicitur amor.

Colligit *B.Doct.hic*, quòd processiones magis propriè sunt in Deo, quàm in nostro intellectu,quia illud magis propriè dicitur procedere,quod habet diuersam hypostasim, procedens autem in Deo habet diuersam hypostasim, non verò in creatura.

ART. II.

An processiones in Deo sint tantùm duæ?

1 NOn quærimus in præsenti, quænam sit radix Diuinarum processionum;de

hoc enim inferiùs. Neque loquimur de processionibus actiuè sumptis; patet enim; quòd processio Filij actiuè sumpta est intellectio, & processio Spiritus sancti est volitio, quæ in Patre non distinguuntur realiter,& ideo sunt vna tantùm realis processio actiua. Igitur sermo est de processionibus passiuè sumptis, prout recipiuntur in terminis per ipsas productis.

Processiones autem Diuinas multiplicari,vt notat *Fundat. Doct.hic dist.13. princ.11.q.3*;stat dupliciter.1.quasi specificè.2.quasi numericè.Tunc multiplicantur quasi specificè, quando pertinent ad diuersam potentiam;vt intellectio,& volitio.Tunc verò multiplicantur numericè;quando pertinent ad eandem potentiam.

Certum est in Deo non esse vnam tātùm specificè processionem passiuam, quia de Fide esse Filium procedere per intellectum;cùm procedat,vt Verbum;& Spiritum sanctū procedere per voluntatem,quia procedit,vt amor est.

2 Dices.1.In Diuinis est vna tantùm virtus, & actio realis;ergo tantùm vna processio realis. 2.Vna processio realis, vtpotè infinitè perfecta, exigit, quòd per illam procedat,quidquid realiter in Deo potest procedere.3.In vnaquaque natura non est, nisi vnus modus illam communicandi docente *Com. 8. Phys. quòd si essent plures modi communicandi, eadem species posset esse à natura,& à casu.*

Resp.ad 1; quòd est vna virtus virtualiter diuersa, & ideo sufficit ad producendos plures terminos veluti specificè diuersos; quia non requiritur tanta distinctio in principijs,quāta in principiatis; vt idem calor Solis indurat lutum, & liquefacit cerā. Ad 2. dicitur,quòd licèt per vnicā processionē actiuè sumptā infinitè perfectam procedat,quidquid potest procedere,attamen id, quod procedit,non est vnum, quia admittit relationem originis,etiam inter ipsa procedentia. Ad 3.ait *B.Doct.ad 3.* verum esse in creaturis, in quibus virtutes sunt accidentia realiter distinctę à substantia,& ideo nō possunt communicare, nisi esse accidentale; at verò in Diuinis intellectus, & voluntas sunt substantia, & ideo communicant substantialiter. Tum quia licèt natura creata propter finitatem sit determinata ad vnum modum se communicandi; natura tamen Diuina propter infinitatem habet diuersum modum se communicandi. Ad *Com.* ait *Ger*; quòd nihil aliud vult, nisi quòd vna natura nequit communicari pluribus suppositis,quorum vnum sit à natura,& aliud à casu.Igitur *hoc supp.*

3 Vnica concl. Intra Diuinam naturam sunt tantū duæ processiones,inter se specificè diuersæ,non numericè; quarum vna est per intellectum, per quam procedit Filius; altera per voluntatem,per quam procedit Spiritus sanctus.

Concl.est de Fide; & *prob.1. ex Io.c.8; &* 15; vbi dicitur Filius procedere à Patre; & Spi-

 ritus

ritus s. à Patre, & Filio; & *in Symb. Conc. Nic*; & *D. Athan*; in quo dicitur: *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius à Patre solo est non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*; & *Beatiss. P. lib. 3. contra Maximin. c. 14. De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; tamen ille genitus, iste procedens; ideo ille est Filius Patris, de quo est genitus; iste autem Spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit*.

4 Prob. *ex B. Doct. 1. pars concl*; quòd scilicèt tantùm duę sint processiones veluti specificè diuersæ sic. Diuinæ processiones non desumuntur, nisi penes actiones immanentes; sed actiones immanẽtes naturæ purè spiritualis, vt est Deus, non sunt, nisi duæ, scilicet actio intellectus, & voluntatis; ergo processiones Diuinæ sunt tantū duæ. Mi. patet. Prob. ma; nam *Io. 8; et 15; in Symb; & à SS. PP.* processiones Diuinæ non assignãtur, nisi penes actiones immanẽtes; & ratio est; quia processiones Diuinæ desumi debent secundùm perfectissimum ordinem, cùm & ipsæ perfectissimæ sint, perfectissimus autem ordo est ordo intellectualis, cuius est proprium immanenter agere, vt patet; tū quia Diuinæ processiones debent esse secundùm identitatem naturæ; processiones autem secundùm actiones transeuntes, sunt per distinctionem naturæ; quia transeunt extra naturam agentis; ergo processiones Diuinæ sumi debent penes actiones immanentes.

5 Prob. 2. pars concl. *ex Fundatiss. Doct.* Multiplicatio numerica repugnat Diuinis processionibus ex parte principij *quo*, ex parte modi procedendi, & ex parte terminorum procedentium; ergo processiones Diuinæ non multiplicantur numero in Deo. Prob. 1. pars ant. Si ab eodem principio *quo* procederent plura secundùm numerum, vel illa procederent ab vna, & eadem persona, & non ad inuicem, & sic illa plura procedentia non haberent, per quod distinguerentur; vt diximus *in sup. art; & q. 1. art. 5*; vel vna persona producta produceret alterã; & hoc implicat; quia persona producens non communicat personæ productæ terminum propositum, scilicet paternitatem, quæ est conditio necessaria ad generandum, vt *inf. q. 3. art. 2*; communicat enim personæ productæ terminum oppositum, scilicet filiationem, cum qua nequit stare paternitas; ergo implicat actione principij. Prob. 2. pars ant; modus enim procedendi, cùm sit perfectissimus, debet adæquare totam perfectionem speciei, & virtutis; ergo secundùm eundem modum nequeunt plures personæ numero procedere; & sic prob. 3. pars; quia cùm qualibet persona Diuina, vtpotè perfectissima, sit terminus adæquatus actionis adæquatæ vnius virtutis, exhaurit totam actionem, totamque virtutem ita, vt per vnam actionem adæquatam, & per vnam virtutem adæquatè sumptam nequeat procedere, nisi vna persona; aliter si procederent plures personæ, illę essent inadęquatę tali actioni, & virtuti, & per consequens imperfectę; nam omne inadæquatum imperfectum est; tum quia illæ plures personæ procederent, vt similes secundùm eundē modum procedendi, & sic distinguerētur per relationes similitudinis, & relationes similitudinis essēt relationes reales, non rationis, quod tamē est falsū, vt diximus *q. 1. art. 5*.

Conf. *ex eodem dist. 10. p. 1. q. 1. §. Causa autem*. Si multiplicarentur termini secundùm numerum, deberent multiplicari actiones productiuæ illorum terminorum secundùm eandem virtutem, v. g. si multiplicarentur Spiritus sancti, haberent multiplicari volitiones productiuæ illorum; sed hoc est impossibile; ergo & id, vnde sequitur. Prob. mi; nam ratio, cur in nobis multiplicantur actiones numero, est vel, quia multiplicantur virtutes numero; vt duo intellectus *Petri, & Pauli* habent duplicē actionem numero distinctam; vel quia per eandem actionem non volumus omne obiectum; vel tandem, quia prima volitio interrumpitur, & alia succedit, nullo autem horum modorum potest in Deo multiplicari volitio, & intellectio, vt pat.

6 Obijc. 1. Non minùs est de essentia Dei potentia, quàm intellectus, & voluntas; ergo sicuti per intellectum, & voluntatē habentur processiones Diuinæ; ita & per potentiam. Idem dicitur de ceteris attributis, per quæ habent procedere personæ iustæ, potentes &c; ergo processiones Diuinæ sunt plures, quàm tres.

Resp. dist. ant. Non minùs est de essentia Dei potentia, & cetera attributa, ac est intellectus, & voluntas, & sunt potentiæ immanenter agentes habētes terminum ad intra, neg; & sunt potentiæ transeunter agentes habentes terminum ad extra, conc.

7 Inst. Pater per potentiam producit Filium potentem, sicuti per intellectum producit Filium intelligentem; ergo sicuti ex eo, quòd Pater producit Filium intelligentem, datur processio ad intra per intellectum; ita ex eo, quòd producit Filium potentem, datur processio ad intra per potentiam.

Resp. Filium, vt potentem, non produci à Patre, quamuis Pater communicet Filio potentiam; talis enim communicatio nequit vocari productio, cùm productio necessariò importet relationes producentis, & producti; inter potentiam autem Patris, & Filij nulla datur relatio realis; aliter essent duo potentes realiter distincti, quòd est *cont. Symb. D. Atha.* vbi dicitur: *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, & tamen non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens.*

8 Obijc. 2. Paternitas Diuina emanat ab essentia; ergo vltra emanationem Filij à Patre, & Spiritus sancti à Patre, & Filio datur etiam emanatio paternitatis à natura Diuina; sed emanatio-

tiones sunt processiones; ergo dantur plusquam duæ processiones.

Resp. dist. ant. Paternitas emanat ab essentia Diuina emanatione reali importante realem, & personalem distinctionem, neg; emanatione virtuali importante distinctionem virtualem, conc. Et sic dist. mi. subsumpta. Emanationes reales per distinctionem sunt processiones, conc; virtuales, neg.

ART. III.

An Diuinæ processiones sint veræ actiones?

1 Ratio dubitandi est; quia videtur, quòd actio mutationem, causalitatem, & dependentiam importet in persona producta; quòd denominet agens ipsum producens; quòd subiectetur in termino, & ideo ipsum denominet actum; quòd sit via ex non esse ad esse; quòd dicat factionem alicuius rei ad extra, & per consequens diuersitatem in natura; hæc autem omnia repugnāt personis Diuinis; & de mutatione, causalitate, & dependentia constat; quia mutatio pugnat cum Dei immutabilitate; causalitas, & dependentia cum esse à se. Quòd pariter persona producens non denominetur agens, patet tum ex vsu loquendi *SS.PP; & DD.* nusquam hoc nomen *agens* Deo attribuentium in ordine ad Diuinas processiones; recedere autem ab vsu *SS.PP.* maximè in hac materia nefas est; tum quia agens respicit actum, seu effectum, quod idem est; vnde sicuti non datur ratio effectus, ita non datur ratio agentis; prætereà agens, & causa conuertuntur. Quòd autem actio Diuina non subiectetur in termino, patet, quia generatio actio est in Patre; sicut generatio passio est in Filio, vt infra dicemus. Tandem quòd processio Diuina non sit via ex non esse ad esse, & non importet factionem rei ad extra, manifestū pariter est; aliter persona procedens non esset simpliciter necessaria; sed contingens, quia procederet ex non esse, & non haberet Diuinam naturam, quia transiret ad aliam naturam. Accedit, quòd cùm processiones Diuinæ sint actus intellectus, & voluntatis; & huiusmodi actus non sint veræ actiones, sed sint de genere qualitatis explicatæ, per modum actionis gramaticalis; ideo propter has, & alias rationes videtur, quòd Diuinæ processiones non sint veræ actiones, sed simplices resultantiæ, seu emanationes; propter quod *à DD. emanationes* vocantur.

2 Ex alia parte cū illa, quę emanāt, & resultāt verā productionē effugiāt; nō enim producūtur per verū influxum, qui est communicatio esse substantialis; sic passiones animæ dicuntur emanare per simplicem resultantiam ab anima; & vna ex illis, quæ est posterior, dicitur resultare ex altera priori, v.g. voluntas ex intellectu; nam posita anima propter naturalem, & essentialem colligationem, quam habet cum suis potentijs ministrantibus, resultant per quandam redundantiam, & exuberantiam naturalem suæ potētiæ, non quod anima verè, & propriè per veram generationem illas producat illis esse communicando; aliter substantia esset immediatè operatiua, quod negant *Fund. Doct; & D. Tho.* Prętereà attributa Diuina dicuntur emanare ab essentia, & tamen non producuntur. Dicere autem, quòd sic personæ Diuinæ emanent; sicut voluntas emanat ab intellectu, & attributa ab essentia est tollere veras, & proprias origines; & productiones ad intra in Diuinis personis; quòd est contra Fidem, vt superiùs diximus. Tum quia inter producens, & productum; gignens, & genitum videtur, quòd necessariò debeat intercedere actio; quæ nihil aliud est, quàm communicatio esse substantialis, quod producēs tribuit producto; ideo propter has, & alias rationes videtur Diuinas processiones esse veras, & reales actiones, non autem emanationes simplices, seu resultantias.

3 *Sua. lib. 1. de Trin. art. 8. n. 9.* vult illas esse tantùm simplices emanationes, seu resultantias, nō veras actiones. Hanc sententiam amplectitur *Mol. hìc disp. 1.*

Io. à S. Tho. hìc disp. 12. art. 5. n. 7. vult actiones immanentes esse actiones tantùm eminenter, non formaliter eo, quia existimat actionem dicere formaliter imperfectionem; hanc contēdit esse sententiam *D. Tho;* & omnium *Thomistarum.* Subscribunt *Gonet; & alij Thomistæ.*

Docet tamen *Fund. Doct.* esse veras actiones purissimas demptis omnibus imperfectionibus; quæ actionem creatam circunstant, & imperficiunt. *Ita dist. 5. princ. 1. q. 2. §. His visis; & dist. 10. princ. 1. q. 1. §. Propter hoc.* Et *dist. 32. princ. 1. q. 1. §. Sciendum igitur; & princ. 2. q. 1. §. Vtrum autem generare;* & ferè infinitis alijs in locis, vbi actus intellectus, & voluntatis vocat veras actiones.

4 Vt ergo dissoluatur hæc difficultas vidēdum est, an actio possit denudari salua remanēte actionis formalitate ab omnibus imperfectionibus allegatis; & an actiones intellectus sint veræ, & propriæ actiones reales; ostenso etenim, quòd actio sumpta secundùm id, quod formaliter importat, dicit purā perfectionē simpliciter simplicē, statim sequitur esse ponēdā in Deo, in quo ponitur formaliter omnis perfectio realis; & habito, quòd intellectui communicare possit propriè actio, manifestum fiet processionem Verbi, quæ est per intellectum, & processionem Spiritus sancti, quæ est per voluntatem, esse veras, & proprias actiones.

5 Not. igitur *ex B. Doct. dist. 5. cit. princ. 1. q. 2; & dist. 32. princ. 1. q. 2;* quòd, vt diximus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 6. §. 2;* vbi hanc difficultatem resoluimus, actio formaliter hæc importat. 1. Egressionem alicuius termini à suo principio producente, & communicationem esse substantialis termino producto; egressio autem potest esse

esse vel à solo supposito per identitatem naturę;vel à natura per distinctionem in esse.2.Quòd sit quid medium inter producēs,& productum. 3. Quòd ad ipsam necessariò sequatur relatio realis inter producens,& productum.Quòd autem mutationem, causalitatem,& dependētiam effectus importet; quòd sit transitus de non esse ad esse,& sit media inter priuationē,& formā; quòd sit accidēs realiter distinctum à substātia producētis, & producti, hoc cōuenit actioni tātùm materialiter,& subiectiuè,quatenus reperitur in creatura; quæ nō sit nisi per mutationem; cùm sit contingēs in ordine ad esse, & nō esse; per causalitatem, cùm sit inferior, & posterior sua causa in esse; per depēdentiam;cùm accipiat esse ab esse suæ causæ vtcunque diuersum; per transitum de nō esse ad esse, cùm fiat ex sui nō esse; fit enim ex nihilo,& ideo actio, per quā fit, est quid medium inter non esse, & esse; inter priuationem, & formam. Tandem cùm nulla substantia creata sit immediatè operatiua,sed operetur tantùm medijs accidentibus; sequitur,quòd actio,quæ est medium, quo creatura agit, sit accidens, non substantia. Quòd si actio reperiatur in aliqua substantia, quæ propter suam immutabilitatem non admittit accidentia, illa actio erit substantia,non accidens, nec aliquam mutationem secum deferet; si reperiatur inter ea, quæ propter suam infinitatem in esse, & propter suum esse summè actuale,& necessarium; illa non trahunt secum causalitatem, aut dependentiam; nec est transitus ex non esse ad esse, aut ex priuatione ad formam; sed est simplex communicatio eiusdem esse alteri personæ;seu egressio vnius personæ ab altera.Actio hoc modo sumpta reperitur in Diuinis personis; vna enim persona verè egreditur ab alia; & vna alteri communicat esse substantiale, & distinguitur realiter ab illa, vt dictum est; & saluatur ratio formalis actionis absque vlla imperfectione.

Hæc igitur est differentia inter actionem creatam, & Diuinam; quòd illa habet rationem egressionis,quia actio est;& egredientis, quia distinguitur secundùm entitatem à sua potētia; quod ei competit materialiter ratio subiecti finiti, & limitati; ista verò tantùm est egressio, non egrediens, quia est in subiecto,cui propter infinitatem repugnat distinctio secundùm esse.

6 Insuper actio immanens dicitur actio grāmaticalis explicata per modum actionis per comparationem ad actionem transeuntem prædicamentalem; non autem, quòd secundùm se non sit vera actio; prout actio dicit egressionem à potentia; actio enim intellectualis verè egreditur à potentia, à qua elicitur; propterea dicit veram egressionem; secundùm quam est vera actio, & in hoc distinguitur à simplici qualitate, quæ non egreditur actiuè à subiecto; vt patet de albedine,quæ non producitur à pariete, sed à *Dealbatore*. Sicut causa finalis dicitur causa moralis intentionalis, non quia non sit vera causa realis physica, aliter causæ physicæ non essent quatuor;sed per comparationem ad causam efficiētem,quia scilicèt non agit cum motu physico,sicut agit causa efficiēs. Vel actio immanens dicitur grammaticalis, cùm non est productiua sui termini, sed simpliciter tendit in illum; vnde intellectio productiua Verbi dici non debet actio grāmaticalis, cùm verè ipsum producat,& ideo est vera actio.

7 Præterea licèt Pater non denominetur agens respectu Filij, non tamen sequitur, quòd productio Filij non sit vera actio; nam hoc nomen *agens* communiter vsurpatur solùm pro causa efficiente, & ideo solùm actio effectiuè habet denominare agens. Et propter hoc non denominat Filium actum, aut effectum; quia esse actum, aut effectum denominatur solùm à causa efficiente. Sicut licèt principium denominet principiatum, attamen Pater dicitur principium Filij, & tamen Filius non dicitur principatus à Patre, vt infra videbimus, non ob aliā rationem, nisi quia principiatum secūdùm vsum vocabuli dicitur solùm per ordinem ad principium effectiuum; non autem per ordinem ad principium communicatiuum ipsius esse per simplicissimam identitatem. Modus autem loquendi maximè seruandus est in hoc mysterio, ne ex mala vsurpatione aliquis error subrepat.

8 Tandem ex eo, quòd actio non sit productiua, non tollitur, quin sit vera actio; nam ignis agens in carbones iam ignitos non producit ignem in illis, & tamē habet veram actionem; quia si apponatur lignum, ignis agens eodem modo se habens per eundem motum producit ignem; & animal conueniens cum fœmina iam pręgnante habet veram actionem, & tamen non producit, quia fœtus iam productus est.Sic licèt concedamus in Filio potentiam generandi, non tamen potest generare, quia alius Filius non est generabilis,vt infra patebit; ergo ex eo,quòd actio intellectus non sit productiua, non tollitur, quin sit vera actio secundùm se; quanuis per ordinem ad actionem productiuam dicatur actio grammaticalis.

9 Hæc autem est differentia inter actionem productiuam, & non productiuam, vt notat *B. Doct*; quòd illa necessariò infert distinctionem realem inter producens,& productum eo, quia nulla res potest producere se ipsam;ista verò infert distinctionem solùm per accidens, & materialiter, scilicet ratione subiecti, quod quia finitum est, habet distinguere principium, actionem,& terminum;vt infra videbimus *q.3.art.1*.

Ex his patet resolutio rationis dubitandi ab initio propositæ.Igitur.

10 Vnica concl. Diuinæ processiones sunt veræ,& propriæ actiones vitales purissimę,non autem simplices emanationes.

Prob-

Prob. 1. *ex illis Scripturis*, in quibus Filius verè dicitur *Filius*, & *genitus*; *vt ps.* 2. *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*; & Spiritus sanctus verè dicitur procedens; vt in *Symb. Qui à Patre, Filioque procedit.* Et *Beatiss. P.* 5. *de Trin. c.*14. ait: *Quod enim de Patre natum est, ad Patrem solùm refertur, cùm dicitur Filius, & ideo Filius est Patris.* Idem docuerat de Spiritu sancto *c.*11; & 12. ex quibus sic. In Diuinis datur vera generatio passio, à qua Filius verè dicitur genitus, & datur vera generatio actio, à qua Pater verè dicitur generans, & datur spiratio passio, à qua Spiritus sanctus dicitur spiratus, & spiratio actio, à qua Pater, & Filius dicuntur spirare; ergo Diuinæ processiones sunt veræ actiones; nam generatio est vera actio substantialis, vt docent communiter *Philosophi*; tum quia generatio actio idē est, ac generatio passio; tum quia quælibet vera productio est vera actio, licèt non omnis actio sit productio, vt dictum est.

11 Conf. Diuinæ processiones fundant veram relationem realem originis; sed fundamentum proximū relationis realis originis est actio; ergo Diuinæ processiones sunt veræ actiones. *Vid. de subst. Dei vbi sup.*

12 Prob. 2. Actus intellectuales sunt veræ, & propriæ actiones; sed processiones Diuinæ sunt actus intellectuales; ergo sunt veræ, & propriæ actiones. Prob. ma. 1. *ex Phil.* 3. *de An. t.*24. dicente, quòd *intellectus est, quo anima operatur, & intelligit*; sed operatio est vera actio; ergo actus intellectuales sunt veræ, & propriæ actiones. 2. In hoc distingitur vera actio à simplici qualitate, quòd actio dicit egressionem à potentia, in qua recipitur, qualitas verò non egreditur actiuè à subiecto, in quo est, vt patet de albedine, quæ actiuè non egreditur à pariete, sed extrinsecè inducitur à *Dealbatore*; sed actiones intellectuales dicunt veram egressionem à potentia, quia sunt actus vitales; & actus vitales essentialiter formaliter habent oriri actiuè à potētia intrinseca, in hoc enim distinguūtur ab actu non vitali; ergo sunt veræ, & propriæ actiones.

13 Prob. 3. Processiones Diuinæ dicunt veram egressionem personæ procedentis à persona producente, & communicationem esse substantialis termino producto; nec nō relationem realem inter producens, & productum; ergo sunt veræ, & propriæ actiones; actio enim formaliter importat hæc tria, vt superiùs ostensum est.

14 Prob. 4. Si processiones Diuinæ essent simplices emanationes, prout emanatio est idē, ac resultantia, sequeretur, quòd personæ procedentes non essent verè, & formaliter productæ; sed tantùm resultarent ex naturali sequela, qua vna persona consequeretur ad aliam; sed consequens est falsum secūdū Fidē; ergo & ant. Prob. seq. Id, quod resultat ex alio, non dicitur verè, & formaliter productum ab illo per veram, & realem communicationem esse, & per verum influxum communicatiuum entitatis productæ; voluntas enim, quæ naturaliter resultat ad intellectum, non dicitur verè, & formaliter producta ab intellectu ita, vt intellectus per veram, & realem productionem communicet esse ipsi voluntati, & influat existētiam in voluntatem, & hoc de quacumque proprietate consequente, & resultante ad substantiam, cuius est proprietas, est dicendū. Item attributa dicuntur resultare à Diuina essentia, & tamen non dicuntur produci, nec realiter distingui; ergo si processiones Diuinę essent simplices resultantiæ, non essent verè, & propriè productæ, aut distinctæ.

15 Prob. 5. Id, quod secundùm suum conceptum explicitum nullam inuoluit imperfectionem, est formaliter in Deo; sed actio formaliter sumpta nullā inuoluit imperfectionem, vt dictū est, ergo est formaliter in Deo.

16 Conf. Actio, quæ est in creatura, duplex est, scilicèt transiens, & immanēs; & actio immanens est perfectior actione transeunte; pertinet enim ad ordinem superiorem, cùm sit ordinis intellectualis; sed actio transiens verè, & propriè ponitur in Deo, quia in ipso ponitur actio productiua creaturarum, quæ est actio transiens; ergo à fortiori debet in ipso poni vera actio immanens, vtpotè perfectior; sed processiones Diuinæ sunt actus immanentes, quia sunt actus intellectus, & voluntatis; ergo sunt veræ, & propriè actiones.

17 Obijc. 1. *Fund. Doct. dist.* 4. *princ.* 1. *q.* 4. *S. Ad cuius euidentiam* habet: *Generare nihil aliud est, quàm proprietas Patris significata per modum actus*; sed quod habet modum actionis non est actio; ergo generare, quod est processio Filij, non est vera actio; propterea *dist.* 29. *princ.* 2. *q.* 1. vocat processiones Diuinas *emanationes*. Item *dist.* 7. *princ.* 2. *q.* 3. habet *generare, & generari in Diuinis propriè non dicunt actionē, & passionē, significant tamen per modum actionis, & passionis*. Hoc idem tradit pluribus alijs in locis, quod pariter docet *Ger. Argent; & Toletan*; ergo processiones Diuinæ non sunt propriè actiones.

Resp. ad 1; quòd cùm proprietates personales Diuinę habeāt plura munera, habent enim munus cōstitutiuum personæ, & munus productiuum alterius personæ, vt in Patre, & Filio; & habent munus productionis passiuæ, vt in Filio, & Spiritu sancto; tandem habent munus relationis distinctiuæ personarū; quando ait *B. Doct.* quòd generare nihil aliud est, quàm proprietas Patris significata per modum actus, vult, quòd ipsa proprietas Patris secundùm, quod habet munus actionis, non distinguitur à se ipsa, prout habet munus proprietatis cōstituētis personam; non tamen negat, quòd sit vera actio; nā *ibid.* subdit: *In Patre est generatio actio*; quibus innuit proprietatem Patris, prout generatio est, esse veram actionē. Ad 2. dicitur ibi sumi actionem, & passionem prædicamentalem, quæ dicit mo-

motum,vt patet ex textu; & in hoc ſenſu negat generationem Diuinam eſſe actionem. Ad 3.dicitur, quòd *ibid.* ſumit *emanationem*, prout dicit veram productionem,non autem prout dicit reſultantiam; vocat enim etiam productionẽ creaturarum *emanationem*, quæ tamen eſt vera actio productiua,vt patet.

18 Obijc.2.Proceſſiones Diuinæ ſunt actus intellectuales immanentes; ſed iſti non ſunt veræ actiones, cùm ſint qualitates, ſiue tendentiæ explicatæ per modum actionum grammaticalium; ergo proceſſiones Diuinæ non ſunt veræ actiones.

Reſp.diſt.mi.Actus intellectuales non ſunt veræ actiones prædicamentales,conc; tranſprædicamentales, neg.Vel actus intellectuales per ordinem ad obiectum extrinſecum, quod non producunt,ſed in quod ſimpliciter tendunt, sũt actiones grammaticales, conc; per ordinem ad verbum,quod verè producunt, neg; in tantùm enim communiter dicitur illos non eſſe veras actiones, in quantùm non producunt obiectum; ergo in ordine ad verbum,quod verè producũt, ſunt veræ actiones.

19 Obijc.4. Actio importat motum, viam, & fluxum; ſed hæc omnia dicunt imperfectionẽ; ergo proceſſiones Diuinæ non ſunt formaliter actiones.

Reſp.diſt.ma.Actio materialiter ſumpta, conc.formaliter,neg.

20 Inſt.Actio formaliter ſumpta,vt dictum eſt, dicit egreſſionem à principio, ſeu à potentia productiua; ſed egreſſio dicit diſtinctionem realem, & actus intellectiui Diuini non diſtinguuntur realiter ab intellectu, & voluntate Diuina,aliter poneretur intellectus, & voluntas in Deo per modum potentiæ paſſiuæ realiter à ſuo actu diſtincta; ergo actio verè, & propriè non ponitur in Deo.

Reſp.diſt.ma. Actio dicit egreſsionem termini producti,qui verè egreditur à perſona producente,conc; dicit egreſsionem ipſius actionis ab ipſo principio producente, neg; nam ipſa actio eſt egreſsio,vt *quo*;non *vt quod*;quia eſt id, quo aliud egreditur; vnde cùm Verbum verè egrediatur à Patre iuxta illud *Io. 16. Ego exiui à Patre*; ideo datur vera actio. Vel diſt. *cum B. Doct.diſt.* 10.*princ.*1.*q.*2.*in corp.*Egreſsio diſtinguitur realiter à principio talis egreſſionis in illis,in quibus actio eſt accidens,conc;in illis,in quibus actio eſt ſubſtantia,vt eſt in Deo,neg.

21 Obijc.5. Per proceſſiones Diuinas non producuntur,niſi relationes Diuinæ;ſed relationes Diuinæ nõ producuntur per veras actiones, cùm relatio tantùm reſultet; ergo proceſſiones Diuinæ non ſunt veræ actiones, ſed reſultantiæ.

Reſp.1.neg.ma; nã per proceſſiones Diuinas non producuntur relationes præciſè, nec eſſentia Diuina præciſè,ſed producitur ipſa perſona, quæ completur ex eſſentia,& relatione;ſicut nõ producitur materia,nec forma, ſed totum compoſitum.2.*diſt.ma.* Relationes Diuinæ non producuntur,ſed reſultant,quatenus relationes sũt, conc;quatenus proprietates perſonales sũt,neg; relationes enim Diuinæ, prout habent munus proprietatis perſonalis,ſe habent,ſicuti eſſe in ſuppoſitis abſolutis; vnde ſicuti in abſolutis producitur eſſe;ita in relatiuis producitur proprietas perſonalis.

22 Obijc.6. Si actio intellectiua eſſet productiua alicuius termini, vel formaliter intelligeret terminũ per ſe ipſam, vel per aliam actionem,quidquid dicatur,eſt falſum; ergo & id,ex quo ſequitur.

Reſp. hoc eſſe diſſoluendum *in ſeq.art*; dicitur autem,quòd intellectus per eandem actionem,per quam producit,intelligit; vnde eadem actio ſecundùm diuerſa munera producit, & intelligit; licèt è contra non valeat,ſcilicet,quòd actio,quæ intelligit,producat.

23 Obijc. 7. Quamuis actio poſſit denudari ab imperfectione motus,attamen neceſſariò ſupponit potentiam paſſiuam, in qua recipitur, & per veram elicientiam ab agente procedit;ergo nequit poni formaliter in Deo, ſed tantùm eminenter.

Reſp.neg. ant; quòd enim actio recipiatur in potentia paſſiua, & ab illa realiter diſtinguatur,hoc euenit, quia illa actio non eſt puriſſima ſubſtantia,ſed accidens,quod indiget recipi in alio;ergo ſi actio eſt actus purus,& pura ſubſtantia,ſicut eſt actio Dei, neq; recipitur in alio, nec diſtinguitur realiter à ſuo principio.

24 Obijc. 8. Licèt actio denudetur ab imperfectionibus in ſuo principio,attamen ſemper dicit mutationem in termino; vt patet de actione creatiua, quæ licèt ſit ſine motu in principio agente, eſt tamen cum mutatione effectus producti; ſed in termino proceſſionis Diuinæ nulla poteſt dari mutatio;ergo nõ eſt formaliter actio.

Reſp.neg.ma.Ad prob.infert.dicitur,quòd actio creatiua non ponit imperfectionem in termino;Deus enim nullam cauſat imperfectionẽ, ſed illa imperfectio reſultat ex natura rei creatæ, quæ exigit recipere perfectionem à Deo cum defectu, cùm non ſit capax perfectionis ſine imperfectione.

25 Obijc. 9. Si in Deo daretur actio propria,Pater eſſet agens, & Filius eſſet actus; nam actio denominat principium agẽs, & terminum actum;ſed ſecundũ nequit dici;ergo neq; primũ.

Reſp.neg.ma;ſicut enim ex eo,quòd ponitur principium in Deo,in ipſo tamen non ponitur principiatio,& principiatus, quia principiatio, & principiatus ſonant quandam imperfectionem, quàm non ſonat principium; ita ponitur actio in Deo abſq;eo,quòd dicatur agẽs, & actus propter eandem rationem. Ad prob.dicitur, quòd actio effectiua,non autem ſimpliciter communicatiua denominat agens, & actum vt

vt supra dictum est.

26 Dices. Actio substantialis, quæ resultat ex alteratione accidentali præcedente, non est vera actio; sed processiones Diuinæ sunt actiones substantiales; ergo non sunt veræ actiones, sed resultantiæ.

Resp. dist. ma. Actio substantialis non est vera actio successiua continua, conc; instantanea, neg; quādo enim comparatur actio substantialis ad alterationem, actio substantialis non est vera actio, sicut alteratio; quia non est successiua, sicut alteratio, attamen secūdùm se sumpta est vera actio instantanea.

ART. IV.

An intellectio essentialis differat à notionali?

1 Certum est intelligere in Deo sumi essētialiter, & notionaliter; cōtrouertitur autē, an intelligere essentiale, & notionale sint duæ intellectiones diuersæ; vel an sit vna tantùm intellectio, quæ, vt modificata à relatione paternitatis, dicitur notionalis, & est propria solius Patris; & vt non modificata, dicitur essentialis, & est communis omnibus personis.

2 Prima sententia vult *dicere*, seu intelligere notionale, per quod procedit Verbum, esse actionem formaliter diuersam ab intelligere essentiali. Idem dicendum de velle. *Ita Scot. in 1. dist. 2. q. 7; & dist. 27. q. 1; & 2; & Quodl. 2.* Ipsum sequuntur *Scotistæ*.

3 Secunda sententia distinguit duplex intelligere, & duplex velle, vnum absolutum essentiale, & aliud notionale, & sentit Diuinas processiones esse formaliter intelligere, & velle notionale, non essentiale. In hoc differt hæc sententia à sententia *Scoti*, quòd hæc sententia vocat vtranque actionem nomine communi intellectionis, sed vnam nomine intellectionis essentialis, alteram verò nomine intellectionis notionalis; *Scotus* verò actionem, quæ est productio Verbi, nullo modo censet esse vocandam intellectionem, sed ab illa omnino distingui. Tribuitur *Henr; Marsil; Ricard; Mol; Val;* & etiā *nostro Argent. in 1. dist. 10. q. 1. art. 2. ad 1 primæ positionis Dur.* Ceterùm quanuis *iste Auctor* ibi asserat intellectionem Diuinam sumi posse notionaliter, & essentialiter; non tamen ait intellectionem Diuinam essentialem distingui secundùm entitatem à cognitione notionali; & ideo illi falsò tribuitur hæc opinio.

4 Tertia sententia docet intelligere Diuinum essentialiter, & notionaliter esse vnicam tantùm actionem intellectus, quæ actio, vt non modificata, dicitur *intelligere essentiale*, vt modificata, dicitur *intelligere notionale. Ita B. Doct. in 1. dist. 32. princ. 2. q. 1. §. Vtrum autē generare &c;* vbi habet: *Intelligere dicit actionem in se, & dicere nominat eam, prout Pater consequitur habitudinem quandam ex eo, quòd producit Filium;* & *in sup. §. Quæstio est;* docet, quòd actio intellectus Diuini potest dupliciter considerari. 1. In se, & sic huiusmodi actio nominat intelligere; nam intelligere dicit actum intellectus in se acceptum. 2. Prout terminatur ad Verbum, quod per eam constituitur, & sic actio intellectus dicitur formatio; nam intellectus intelligendo Verbum format; ex quibus patet, quòd si est eadem actio, qua Pater intelligit se ipsum essentialiter, & qua producit Verbum, vna tantùm, non duæ intellectiones distinctæ sunt in Deo. Hoc idem docet *princ. 1. q. 3. in corp;* vbi insinuat rationem infra afferendam. Idem docent *noster Argent. vbi sup; Ger; Greg; Antolin; Bernardin; Gamboa apud nostrum Gibb. hic disp. 9; & ex exteris omnes Thomistæ, & alij.*

5 Not. *ex B. Doct. hic dist. 7. princ. 2. q. 1;* quòd actio productiua duo essētialiter respicit, scilicet formam, quæ est ratio agendi, & ipsam suppositalitatem, seu existentiam indiuiduam; & defectu vnius, vel alterius nunquam sequitur actio. Aliter tamen, & aliter respicit vtrunque; formam enim respicit in recto, tanquam rationem formalem agendi, à qua formaliter prouenit ipsa actio; quia actio formaliter prouenit à natura, quæ est *principium formale operandi;* vt docet *Phil;* suppositalitatem verò, seu existentiā respicit solùm, vt est conditio necessaria ad agēdū; sicut enim se habet existētia in suppositis absolutis; ita relatio in relatiuis; vt *inf.* dicemus *q. 3. art. 2. n. 5; & seq.*

6 Diximus, quòd defectu vtriusque non potest sequi actio productiua, & exemplum affert *B. Doct. ibid.* de calore; nam si deficiat alicui agenti essentia caloris, illi deficit ratio formalis productiua caloris; & nunquam potest calefacere; si tamen aliquod agens habeat essentiam caloris in potentia, non autem habet esse calidum actu, seu existentiam caloris, habebit vtique rationem formalem agendi, quia habebit essentiam caloris, quæ est virtus productiua caloris, non tamē actu vnquam calefaciet; quia deficit actualis existentia caloris; quæ est conditio necessariò exigita ad ipsam actionem; propter hoc ait *B. Doct;* quòd in Filio est potentia generatiua actiua, quia in ipso est natura Diuina, quæ est ratio formalis productiua Filij; nunquam tamen actu generabit Filium defectu relationis paternitatis, quæ nequit esse in Filio; nam omnia, quæ sunt in Filio, sunt ipsi communicata à Patre; Pater autem omnia communicat Filio præter paternitatem, quæ est incommunicabilis; sed de hoc inferiùs.

7 Ex his patet; quòd *dicere* formaliter respicit naturam Diuinam, quæ est ratio formalis dicendi ipsum Verbum; natura autem Diuina constituitur per ipsum esse intellectuale, & actus, qui respicit formaliter esse intellectuale constitutiuum naturæ Diuinæ, est intelligere essentiale, vt patet; ergo ipsum dicere formaliter importat ipsum intelligere essentiale. Quia tamen dicere

dicere est productiuum Verbi, & productio importat relationem, tanquam conditionem *sine qua non*; ideo dicere importat ipsum intelligere essẽtiale modificatum à relatione paternitatis.

8 Vnica concl. *Dicere* est formaliter intelligere essẽtiale modificatum à relatione paternitatis; & spirare est velle essentiale modificatum à spiratione actiua.

9 Prob. 1. *Isaiæ 40. Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*; ex quo sic. Verbum procedit formaliter per locutionem intellectualem Patris; & Spiritus sanctus per amorem vtriusque; sed locutio intellectualis est formaliter intellectio, quia est actus intellectus; omnis autem actus intellectus est intellectio; sicut omnis actus visionis corporeæ est visio; & amor est formaliter volitio; ergo processio Verbi est formaliter intelligere essentiale modificatum à relatione paternitatis. Idem dicendum de spirare.

10 Conf. 1 *ex Beat. P. lib. 15. de Trin. c. 14*; vbi de Verbo ait: *Quidquid in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est*. Et paulò post: *Nouit itaque omnia Deus Pater in se ipso, nouit in Filio; sed in se ipso, tanquam se ipsum, in Filio, tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in se ipso. Omnia similiter nouit, & Filius, in se scilicet, tanquam ea, quæ nata sunt de ijs, quæ Pater nouit in se ipso; in Patre autem, tanquam ea, de quibus nata sunt, quæ ipse Filius nouit in se ipso. Sciunt ergo inuicem Pater, & Filius; sed ille gignendo, iste nascendo*; ex quibus sic. Verbum procedit per eam cognitionem, qua Pater intelligit se ipsum in se ipso, & Filium in Filio; & qua Filius cognoscit se ipsum in se ipso, & in Patre; quia Filius est sapientia Patris, idest habet eandem cognitionem sibi communicatam à Patre, qua Pater noscit se in se ipso, & in Filio; sed cognitio, qua Pater cognoscit se ipsum in se ipso, est essẽtialis, quia est absoluta, cùm communicetur Filio; tum quia cognitio in ordine ad se est absoluta, nam cognitio relatiua est ad aliud; & cognitio, qua Filius cognoscit seipsum, est essentialis, non enim generat se ipsum, quia deficit ei terminus propositus; ergo *dicere* non distinguitur ab intelligere essentiali.

11 Conf. 2. Si *dicere* non esset actus intellectus formaliter, qui est intellectio, sequeretur, quòd Pater dicendo Verbum formaliter non intelligeret se, nec Verbum formaliter procederet, vt sapientia genita à Patre, quia dictio esset distincta ab intellectione, & per consequens dictio non esset intellectio; sed hoc est falsum; quia Pater intelligendo se producit Filium; qui modus loquendi est communis SS. DD; ergo hæc sententia recedit à communi modo dicendi Ecclesiæ.

12 Prob. 2. *ex B. Doct.* Quælibet actio productiua respicit naturam, quæ est ratio formalis agendi; sed natura Diuina formaliter sumpta est vita intellectualis, & actus vitæ intellectualis est intelligere essentiale; ipsa enim natura Diuina secundùm se, & præcisè sumpta non habet nisi actum essentialem, vt patet; ergo ipsum *dicere* est ipsum intelligere essentiale modificatum per ipsam relationem.

13 Conf. 1. *ex eodem hic dist. 32. princ. 1. q. 2. prope finem.* Si *dicere* non importaret actum essentialem intelligendi, essentia Diuina non esset ratio formalis, & principium *quo* producendi ipsum Verbum; & per consequens Verbum non esset genitum, quia non procederet formaliter per naturam Diuinam, secundùm quam attenditur similitudo formalis; quomodò enim aliquid dicitur procedere per aliud, quod in productionem illius non influit? Si igitur productio Verbi non importaret actum essentialem naturæ Diuinæ, iam natura Diuina non influeret in productionem Verbi; cùm omnis actus naturæ Diuinæ nõ sit, nisi essentialis; ideo Verbum non diceretur formaliter procedere per naturam, nec esset Filius; sed hęc omnia repugnant tum philosophiæ, quæ docet rationem formalem agendi esse ipsam naturam, secundùm quam fit assimilatio geniti, & generantis; tum Fidei, quæ docet Verbum esse verè, & propriè Filium Dei Patris; ergo *dicere* importat ipsum intelligere essẽtiale modificatum per relationẽ.

14 Conf. 2. *ex eodem ibid.* Si *dicere* non importaret actum essentialẽ, sequeretur, quòd importaret tantùm actum relatiuum; sed actus relatiuus nequit esse, nisi à relatione Patris, sicuti ab essentia non est, nisi actus essentialis; ergo principium talis actus esset sola paternitas, seu relatio paternitaris; sed secundùm relationem attenditur dissimilitudo in Diuinis personis; nam Filius est dissimilis Patri per Filiationem, quæ est dissimilis paternitati; ergo Filius formaliter procederet ex vi suæ processionis, vt dissimilis Patri, & per consequens procederet, vt non genitus.

15 Prob. 3. Si *dicere* esset actio distincta ab intelligere essentiali, vel esset distincta numericè, & indiuidualiter; vel specificè, & virtualiter; non primum; quia illæ actiones non essent adæquatæ, & perfectæ; nam illa vocatur actio adæquata, quæ exhaurit totam potentiam; neutra autem illarum actionum exhauriret totam potentiam intellectiuam, cùm potentia exhausta sit illa, quæ nequit elicere aliam actionem distinctam. Non secundum; quia si illæ duæ actiones adæquatè virtualiter distinguerentur, virtualiter etiam distinguerentur potentiæ, à quibus elicerentur; cùm ab actionibus adæquatis sumant potentiæ suam specificationem, & distinctionem; & sic darentur duæ potentiæ virtualiter distinctæ, à quibus procederent hæ duę actiones; & sicuti *dicere*, non esset intelligere essentiale virtualiter; ita potentia, à qua eliceretur *dicere*, non esset intellectus, à quo elici-

tur

tur intelligere essentiale; ergo Verbum non procederet formaliter per intellectum,& sic vera esset sententia *Dur*; quam *Scot.* impugnat.

16 Conf. 1. Actus,& potentia habent eandem denominationem, quia habēt eandem specificationem; sed *dicere per Scotum* non denominatur intelligere; ergo neque potentia eliciua dictionis est intellectus; & ideo Verbum non est formaliter per intellectum. Ma. patet; nam à visione potentia dicitur visiua.

17 Conf. 2. Dictio formaliter tendit in verum, tanquam in obiectum, quia tendit in Verbum, quod est quasi *verum boans*; sed omnis actio tendens in verum esse intellectio; sicuti potentia tendens in verum esse intellectus; ergo dictio essentialiter importat intellectionem.

18 Si distinguat *Scotus* mi. sic: Omnis actio tendens in verum productiua veri est intellectio, neg; non productiua, conc.

Contra est; nam ex eo, quòd intellectus producat verum non sumit denominationem diuersam ab illa, quam habet, prout verum dūtaxat contemplatur; ergo neque actio intellectus ex eo, quòd sit productiua veri, sumit denominationē diuersā ab illa, quam habet, vt est contēplatiua veri; sed prout est cōtemplatiua veri, dicitur intellectio; ergo etiam, prout est productiua, intellectio nominatur. Quod potest confirmari de scientia Dei respectu creaturarū; nam ex eo, quòd sit illarum productiua, non amittit rationem scientiæ; ergo à pari.

19 Prob. 4. Si *dicere* non importaret formaliter actum essentialem intelligendi, importaret puram relationem; consequens est falsum; ergo & antecedens. Ma. patet; quia in Diuinis vltra essentialia non dantur, nisi relatiua. Prob. mi. 1. Relatio in Diuinis habet rationem termini; ergo nequit habere rationem actionis, quæ est tendentia ad terminum. 2. Actio dicit essentialiter communicationem naturę Diuinæ; sed relatio non importat communicationem, imò dicit repugnantiam ad communicationem, quia importat incommunicabilitatem, cùm sit ratio formalis constitutiua personæ Diuinæ, & persona est incommunicabilis formaliter; ergo nequit esse formaliter actio. 3. Relatio consequitur ad actionem; nullius est efficientiæ, aut productiuitatis; ergo nequit in ipsa formaliter consistere ratio formalis actionis. 4. Relatio etiam per *Scotum* distinguitur formaliter ex natura rei ab actione, quia illa, quæ pertinent ad diuersa prædicamenta, distinguuntur saltem formaliter; relatio autem, & actio pertinent ad diuersa prædicamenta; ergo distinguuntur saltem formaliter.

20 Prob. 5. *cont. Auct. 2. sent.* Si dicere esset actio distincta ab intelligere essentiali, esset maximè, quia *dicere* habet annexam relationem, quæ non annectitur intellectioni essentiali; sed hæc ratio non sufficit ad multiplicandas actiones; ergo *dicere* non distinguitur ab actu essentiali. Ma. patet. Prob. mi; nam Diuina essentia in Patre est annexa paternitati; in Filio filiationi; & in Spiritu sancto spirationi passiuę; & tamen nullus dixit in Diuinis personis esse tres essentias virtualiter distinctas; ergo à pari.

21 Conf. 1. Eadem cera sigillata, & non sigillata nō distinguitur in duplicē ceram, sed est vna, & eadem modificata, & non modificata per sigillationem; ergo actus essentialis nō modificatus per relationes, & modificatus per relationem est idem actus coniunctus cum aliqua modificatione, vel non coniunctus.

22 Conf. 2. In Deo non datur vnus intellectus absolutus, & alter relatiuus, siue vnus intellectus essentialis, & alter notionalis, sed vnus, & idem intellectus, prout separatus à relatione, est absolutus, & essentialis, & essentialiter intelligit, vt patet de intellectu Filij, & Spiritus sancti, qui vtpotè separatus à paternitate, quæ est conditio necessariò exigita ad generandum, habet solùm intelligere essentialiter; prout autem coniunctus cum paternitate in Patre, intelligit notionaliter; ergo vna, & eadem actio, prout absoluta à relatione exigita ad productionem, est essentialis; prout verò coniuncta cum tali relatione, est notionalis. Ant. patet; nam aliter in Deo non essent tantùm duæ potentiæ immanentes vitaliter agētes virtualiter distinctæ, sed essent quatuor, scilicet duo intellectus, & duæ voluntates; & qui potentiæ, quæ in Deo virtualiter tantùm distinguuntur, in nobis distinguuntur realiter, vt alibi dictum est, ideo in nobis potentiæ animæ essent plures, quàm tres; quod est *cōtra omnem philosophum*. Prob. consinam eodem modo philosophādum est de actione intellectus, ac philosophamur de ipso intellectu, cùm ad inuicem commēsurentur, & proportionentur.

23 Quòd autem *dicere* importet ipsam relationem, tanquam conditionem necessariò exigitam ad actionem productiuam, prob. ex doctina *Fund. Doct. sup.* allata; actio enim productiua in suppositis absolutis requirit esse, seu existentiam, tanquam conditionem necessariam ad agendū; *actiones nanque sunt existentium*; sed in suppositis relatiuis relatio pręstat id, quod pręstat existētia absoluta in absolutis; ergo relationes importātur tanquā cōditiones necessarię ab actionibus productiuis Diuinarum personarum; sed *dicere*, *& spirare* sunt actiones productiuæ; ergo *dicere*, *& spirare* important relationes tātùm, vt conditiones necessatias ad producendū.

24 Obijc. 1. *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 7.* ait. *Licèt in Patre sit memoria, intelligentia, & voluntas, Pater tamen non gignit Filium intelligentia, aut voluntate, sed memoria. Et Fund. Doct.* passim diuidit actiones Dei in essentiales, & notionales; sed membra diuidentia ita se debent excludere, vt vnum non includatur in alio; ergo actio notionalis, ita distinguitur ab intelligere essentiali,

li,vt illud formaliter non includat.Idem dicendum de velle essentiali,& notionali.

Resp.*Beat.Patrē loco cit*;nedum non habere verba allegata ; probat enim in toto illo capite Patrem non intelligere per intelligentiam Filij, nec Filium per sapientiam,quæ non sit in se ipso sibi communicatam à Patre, nec Spiritum sanctum per sapientiam sibi non communicatam ab vtroque,tanquam dicantur intelligere solùm per Patrem eo , quia accipiunt sapientiam communicatam à Patre, per quam solus Pater intelligit,& idem dicit de memoria,& voluntate,sed etiam expresſè docet nostram sententiam ; ait enim: *Etsi hoc est Deo esse,quod sapere, & ea illi essentia est,quæ sapientia*: Et paulò post: *Est ergo Deus Pater sapiens ea , qua ipse sua est sapientia, Filius sapientia Patris de sapiētia,quod est Pater, de quo genitus est Filius . Quocirca consequenter est,& intelligens Pater, & quia ipse est sua intelligentia;neque enim esset sapiens, qui non esset intelligens ; Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus , quod est Pater, hoc & de memoria non inconuenienter dici potest* . Ex quo deducitur,quòd si Verbum gignitur ex sapientia, quæ est essentia,& sapientia, quæ est essentia,est communis Patri, & Filio, rectè infertur , quòd producatur per intellectionem essentialem, & hoc etiam de memoria dici potest.Ad *Fundat. Doct.*dicitur,quòd non diuidit actiones Diuinas in essentiales, & notionales , tanquam in duas actiones virtualiter diuersas , sed tanquam in vnam actionem cum modo, & sine modo ; sicut si quis distingueret ceram in sigillatam, & non sigillatam .

25 Inst.*Beatiss.P. vbi sup.* præter sapientiam ingenitam admittit sapientiam genitam ; ergo præter intellectionem essentialem, quę est ingenita,admittenda est sapientia notionalis,quæ est genita. Tum quia si productio Verbi esset intellectio,Pater intelligeret solùm in Verbo, & fieret sapiens per sapientiam genitam ; quod est *cont.Beatiss.P.vbi sup.*

Resp;quòd *Beatiss.P.*nihil aliud vult, quàm quòd eadem sapientia in Patre est ingenita; in Filio autem est genita,idest communicata à Patre.Ad aliud dicitur *ex eodem* , quòd Pater non intelligit per sapientiam acceptam à Filio , sed per sapientiam,quæ est in ipso . Neg; ergo ant.

26 Obijc.2.*Scot; & Dur.* Intelligere essentiale est commune omnibus personis; *dicere* verò est proprium solius Patris ; sed proprium distinguitur virtualiter à relatiuis; ergo *dicere* , & intelligere essentiale virtualiter distinguuntur. Prob.mi. 1. quia proprietates virtualiter distinguuntur ab absolutis.2.quia prædicata communia,& vniuersalia virtualiter distinguūtur à specialibus;vt patet de animalitate,& rationalitate.

Resp. dist. ma. *Dicere* est proprium Patris secundùm entitatem formalem actus, quam importat in recto , neg; ratione modificationis annexæ,conc;& eodem modo dist.mi. Propria secundùm entitatem distinguuntur virtualiter à communibus , conc; propria secundùm modificationem,neg. Ad 1.prob.patet;nam proprietates secundùm suam entitatem formalem relatiuam dicuntur propriè,non secundùm aliquam modificationem. Ad 2.dist.eodē modo. Si communia, & specialia importent plures entitates virtuales,conc; si autem importent solùm vnam entitatem formalem,secundùm quam sunt communia,& modum, secundùm quem sunt specialia,neg; vt patet de essentia , quæ prout modificata à paternitate,est in solo Patre,prout modificata à filiatione,est in Filio,& prout modificata à spiratione passiua,est in Spiritu sancto;& tamē non sunt tres essentiæ formales virtualiter distinctæ,sed vna cum tribus modificationibus.

27 Obijc.3.Intelligere non est actio productiua;ergo *dicere* non est formaliter intelligere. Prob. ant; tum quia non omne intelligens producit;Filius enim,& Spiritus s.intelligunt, & nō producunt;tum quia intelligere dicit simplicem tendentiam in obiectum ; ergo non dicit productionem obiecti.

Resp.dist.ant.Non est actio productiua defectu conditionis, conc; posita conditione, neg. Ad 1.prob.dist. Non omne intelligens habens conditionem exigitam ad productionem , neg; non habens conditionem,vt Filius,& Spiritus s; conc;& sic ad 2.neg.ant.

28 Obijc.4.Intellectio rei supponit productionem rei intellectæ;ergo productio Verbi nō est formaliter intellectio Verbi,sed est quid necessariò præsuppositum ad illam . Prob. ant. *Cognosci sequitur ad esse ex Phil*;sed quod sequitur ad aliud,illud supponit,& quod supponit esse,à fortiori supponit actionem , per quam productum est tale esse , cùm actio præcedat terminum productum ; ergo intellectio rei supponit productionem ipsius.

Resp. *Sua.* actionem productiuam Verbi inchoatiuè præsupponi ad actionem intellectus; actio verò intellectus se habet ad illā cōpletiuè.

Ceterū hęc responsio non placet, quia vnā purissimam, & simplicissimam actionem ex duabus semiactionibus , quasi ex duabus partibus, componit. Pręterea vel illa formatio inchoatiuè esset formaliter ab intellectu,vel nō?Si primum; ergo esset formaliter intellectio ; omnis enim actio procedēs ab intellectu intellectio est.Si secūdū;ergo verbū formaliter non inchoat suā intellectionem formalem à potentia intellectiua , & sic formaliter eius productio non esset generatio saltem inchoatiuè . Omissa igitur hac responsione .

Resp.dist. ant. Intellectio rei productæ per intellectum supponit esse productum ipsius rei , vt est Verbum , quod essentialiter producitur per intellectum,neg;intellectio rei nō productæ per intellectum,conc;sic res artefacta,quia produci-

ducitur per intellectum, non supponit suum esse, antequã cognoscatur, sed producitur per sui cognitionem. Ad prob. dicitur, quòd cognosci sequitur ad esse, quãdo esse distinguitur à cognosci; tunc autem non sequitur, quando esse constituitur per cognosci, vt est esse Dei.

29 Dices. Terminus actionis est distinctus à termino intellectionis, quia terminus actionis est esse productum, & terminus intellectionis est esse cognitum; ergo actio productiua, & intellectio virtualiter distinguũtur, distinctio enim virtualis actionum habetur à terminis.

Resp. neg. absolutè ant; nam verbum producitur per eandem actionem, per quam intelligitur; quamuis aliquando hæc distinguantur.

30 Obijc. 5. Pater distinguitur à Filio actu toto, quo producit Filium; actus enim ille est indiuisus, & simplicissimus; ergo actus, quo Pater producit Filium, non est essentialis, quia per ipsum non distinguitur à Filio.

Resp. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd ille actus est indiuisibilis in duas formalitates, est tamen diuisibilis in formalitatem, & modum.

Ceteræ obiectiones diluentur *in seq. ar; & art. 8. Vid. vbi sup. art. 1.*

ART. V.

An processiones Diuinæ sint immediatè à natura?

1 EX dictis *in duabus sup. art.* patet solutio huius quæsiti; si enim processiones Diuinæ sunt veræ actiones indistinctæ ab intelligere, & velle, cùm intelligere, & velle, non sint à natura, vt distincta ab intellectu, & voluntate, vt patet, sequitur processiones Diuinas non esse immediatè à natura.

2 Supp. *cont. Nominales* duplex assignari principium cuiusuis actionis, scilicet remotum, & proximum. Remotum est natura, quę est principium vniuersale omnium actionum; vt natura hominis est principiũ commune intellectionis, volitionis, visionis, ambulationis &c. Quia tamẽ natura non potest habere actiones specie diuersas, nisi habeat diuersas virtutes; *idem* enim *manens idem semper facit idem*; ideo dãtur virtutes, quæ sunt principia actionum naturæ.

3 *Dur. in 1. dist. 2. q. 2.* voluit processiones Diuinas esse immediatè à natura, vt distincta ab intellectu, & voluntate; processionem tamen Filij appropriari intellectui, & processionem Spiritus sancti voluntati, quia sicut processio per intellectum in creatis est prior processione per voluntatem; ita processio Filij est prior processione Spiritus s. Tribuitur etiam *nostro Greg. à Val*; sed falsò; nam docet solùm Patrem esse principium *quod*; negat autem omne principium *quo* siue sit natura, siue intellectus.

Secunda sententia docet processionem Filij, & Spiritus s. esse immediatè ab intellectu, & voluntate, tanquã à principio *quo* proximo; à natura verò, tãquã à principio *quo* radicali remo-

to. *Ita B. Doct. in 1. dist. 3. p. 2. princ. 1. q. 2; et dist. 4. princ. 2. q. 2. ad 3; & q. 3; & dist. 10. princ. 1. q. 1. & 2; & dist. 7. princ. 2. q. 4; Ger. dist. 10. q. 1. art. 1; Argent. dist. 10. q. 1. art. 2; Toletan. dist. 11. ibidem. cõcl. 3; Putean. 1. 2. q. 27. art. vlt; M. Conson. in M. S; Gibb. hìc disp. 9. dub. 1. n. 7;* & ex exteris *D. Bon; D. Tho; Scot; & omnes alij*, qui censurant *Dur.*

4 Not; quòd licèt intellectus nec etiam virtualiter distinguatur à natura Diuina, quia est formale constitutiuum illius, & ideo Filius procedens per intellectum immediatè procedat per naturam, vt identificat sibi intellectum; non tamen ex hoc sequitur, quòd procedat per naturam, vt distinctam ab intellectu.

5 Præterea notanda est differentia, quæ est inter prædicata propria, & appropriata; nam propria non conueniunt omnibus personis, sed illi tantùm, cui sunt propria, vt paternitas Patri; at verò appropriata conueniunt omnibus personis, licèt per quandam congruentiam attribuantur vni tantùm, vt potentia conuenit tribus personis *iuxta D. Athan. in Symb. Omnipotens Pater omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus*; & tamen potentia attribuitur Patri *ab Ecclesia in Symb. Credo in Deum Patrem omnipotentem*; quia potentia est illa, à qua aliud procedit; Pater autem est ille, à quo procedit Filius, & ab illo simul, & à Filio procedit Spiritus s; vnde Pater dicitur *fons totius Diuinitatis. His not.*

6 Vnica concl. Processiones Diuinæ sunt immediatè, & proximè ab intellectu, & voluntate Diuina, tanquam à principio formali proximo *quo*, & à Diuina essentia non sunt, nisi remotè, & radicaliter.

Prob. 1. *ex sacris Scripturis*, quæ Filium appellant propriè *Verbum*, & Spiritum sanctum *Charitatẽ*, de Filio habetur *Io. 1. In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum*; & de spiritu Sãcto *c. 4. Deus charitas est*; quæ verba *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 17.* explicat de Spiritu sancto. Similia habemus in eodem Euangelio *Io.* ferè per totum; locutiones autem *Scripturæ* sunt accipiẽdæ cum proprietate, quando non obstat aliqua ratio opposita; sed Verbum propriè procedit per intellectum, sicuti charitas, seu amor per voluntatem immediatè, & proximè; ergo negare Filium procedere per intellectum immediatè, & Spiritum sanctum per voluntatem est contra modum loquendi *Scripturæ*; nam negare Filium procedere per intellectum, & Spiritum sanctum per voluntatem est negare Filium esse propriè Verbum, quia vt docet *Fund. Doct. dist. 10. princ. 1. q. 2. ex Beatiss. P*; nomine *Verbi* nihil aliud intelligimus propriè, quàm terminum productum ab intellectu, & nomine *amoris* aliquod productum à voluntate.

7 Conf. Negare Filium esse propriè Verbum est hæresis *Alogianorum*, qui teste *Beat. P. hær. 30.* dicuntur *Alogi*, idẽst *sine Verbo* eo, quòd negabant Verbum in Diuinis; propter quod re-

spuebant *Euangelium, & Apocalypsim Io*; quia in illis expressè habetur hæc veritas. *Alogianos* secuti sunt *Gregales Sabellij, Patripassiani, Eunomiani, & Ariani*; sed dicere, quòd *Scripturæ* non loquantur propriè, sed appropriatè est fauere sententiæ horum *Hæreticorum*; ergo *Dur.* sententia non est conformis *Scripturæ*.

8 Prob.2. *ex Beatiss. P. t. 5. de Trin. c. 7*; vbi ait: *Filius autem intelligentia Patris de intelligentia genitus*; & *lib. 7. c. 1. Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius, & non eo Verbum, quo sapientia*. Et paulò post. *Sapientia verò eo, quo essentia*. Ex quo sic. Natura Diuina, prout distincta, non est intelligentia; sed Filius est de intelligentia Patris; ergo non est à natura, vt distincta ab intellectu.

9 Præterea Filius eo est Filius, quo est Verbū; sed Verbum propriè, non appropriatè, est ab intellectu; ergo Filius, vt Filius, est ab intellectu.

10 Præterea si Verbum esset solùm per intellectum appropriatè, esset Verbum solùm appropriatè, quia Verbum dicitur per ordinem ad intellectum; sed Filius eo dicitur Filius, quo Verbum; ergo esset solùm Filius appropriatè, non propriè. Tandem Filius non esset Verbum eo, quo est sapientia, quia sapientia est essentia; ergo Filius non est immediatè ab essentia; aliter esset etiam à sapientia, quæ idem est, ac essentia; sapientia autem *hic* sumitur *à Beatiss. P.* essentialiter, quia sumitur, prout idem est, ac essentia; non autem sumitur notionaliter; nam quando notionaliter accipit sapientiam, ait, quòd Filius est *sapientia de sapientia*.

11 Prob. 3. Si Filius, & Spiritus sanctus procederent verè, & propriè immediatè per naturam, & tantùm per appropriationem procederent per intellectum, & voluntatem, sequeretur, quòd vterque, vel neuter verè, & propriè esset Filius, sed solùm per appropriationem Spiritus sanctus non esset Filius; sed consequēs est contra Fidem docentem *in Symb. D. Athan. Spiritus sanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*; ergo immediatè non procedunt per naturam, sed per intellectum, & voluntatem. Prob. ma. nam quæ per appropriationem tribuuntur alicui personę Diuinæ, verè, & propriè formaliter conueniunt personis Diuinis; vt patet de omnipotentia, quæ attribuitur Patri per appropriationem; & tamen formalitre conuenit omnibus personis Diuinis; ergo si vtraque processio verè, & propriè esset per naturam immediatè, & tantùm per appropriationem attribueretur intellectui, & voluntati, vtraque esset eodem modo verè, & propriè generatio; at vtraque esset spiratio, & per consequens vterque esset Spiritus sanctus verè, & propriè, sed vnus esset tantùm Filius per appropriationem, & alter non; quod est negare veram rationem Filij esse solùm in secunda persona, & veram rationem Spiritus sancti esse solùm in tertia persona Diuina; & sic nullus propriè esset Filius, aut Spiritus sanctus, quòd est alienum à Fide.

12 Conf. 1. Vel Verbū diceretur Filius eo, quia eius processio est per naturam, vel quia appropriatur intellectui? Si primum; ergo etiam processio Spiritus sancti, quæ est per naturam, eodem modo immediatè denominaret verè, & proptiè Spiritum sanctum Filium. Si secundum; ergo etiam Spiritus sanctus esset Filius verè, & propriè, quia ea, quæ tribuuntur alicui personæ per appropriationē, conueniunt omnibus personis verè, & propriè; vt dictum est *de Omnipot*; & per consequens filiatio esset communis verè, & propriè duabus personis procedētibus. Idem dicēdum est de Spiritu sancto.

13 Conf. 2. Quæ procedunt per idem principium formale, & immediatum communicatiuum naturæ formaliter viuentis, sumunt denominationem Filij; sicuti plures Filij procedētes ab eadem potentia generatiua, quæ formaliter proximè est communicatiua naturæ viuentis, omnes dicuntur Filij; sed Verbum, & Spiritus sanctus per eandem actionem communicatiuam naturæ Diuinæ procederent ab eodem principio formali, quod est natura Diuina; ergo ambo essent Filij.

14 Explicatur. Quæ procedunt ab eodem principio formali proximo, sortiuntur modum procedēdi vniuocum, quia vnum, & idem principium formale non habet, nisi vnicum modum procedendi; vt patet de pluribus intellectionibus creatis, de pluribus auditionibus, de pluribus visionibus corporeis &c; quæ non distinguuntur specie inter se, cùm non pertineāt ad diuersam virtutem, sed vniuocè conueniunt in specie; ergo si processio Filij, & Spiritus sancti essent ab eodem principio formali proximo, haberent eundem modum procedendi vniuocum specie; ergo vtraque esset generatio solùm numericè distincta, non specificè.

15 Nec potest dici, quòd vna est generatio, quia est prior; altera verò non est generatio, quia est posterior.

Contra enim est 1. Ex eo, quòd Filius natu maior in creatis præcedat minorem, non fit, quòd natu minor non sit Filius, & quòd eius productio non sit generatio; ergo à pari. 2. Prioritas, & posterioritas processionum adæquatarum supponit prioritatem, & posterioritatē virtualem in principijs proximis; quia per idem principium proximum nequit procedere, nisi vnus terminus adæquatus; in natura autem Diuina, vt distincta ab intellectu, & voluntate, est imperceptibilis prioritas, & posterioritas.

16 Dices. Ab eadem potentia generatiua creata procedūt plures filij, quorū vnus est prior alio; ergo hæc ratio ruit.

Resp. neg. cons. nam potentia creata non agit adæquatè; quia communicat tantùm partem

sui

sui esse;& ideo potest communicare partem esse vni,& partem alteri;verùm si communicaret totum suum esse vni,non posset posteriùs communicare esse alteri,quia per primam communicationem esset penitus exhausta,vt euenit in Deo.

17 Prob. 4. Si vtraque processio esset immediatè à natura, non esset ratio, cur sint duæ processiones; & cur vna processio sit ab vna, & alia à duabus personis; sed SS. PP. docent processiones esse tātū duas, quia sūt duo principia agētia immanenter,idēst intellectus, & volūtas; & Spiritum sanctū procedere à duabus personis mutuò se amātibus,quia procedit, vt amor perfectissimus, & amor perfectissimus est mutuus, qui essentialiter est nexus duorum; ergo hæc ratio SS.PP.esset nulla. Ma.patet; quoniam idem esset principium,nēpe natura Diuina, vtriusque processionis.Et sicut natura Diuina per seipsam haberet duas processiones,posset habere plures. Item nullum prædicatum essentiale pertinens formaliter ad lineam naturæ exigit,quòd natura producat aliquem terminum, qui sit à duabus personis; ergo nulla posset reddi ratio, cur processiones Diuinę sint tantùm duæ,& non plures, & cur vna pocessio sit ab vna tantùm persona,& altera à duabus.

18 Conf.Si Filius,& Spiritus sanctus procederent per idem principium formale, & immediatum, nulla posset reddi ratio, cur Filius procedat,vt imago,& sapientia Patris, non Spiritus sanctus;& cur Spiritus sanctus procedat,vt donum,non verò Filius;ergo Filius, & Spiritus sanctus non procedunt per idem principium, quod est natura Diuina.

19 Prob.5.*ex Fund. Doct.dist.*13.*princ*.1.*q*.1. Omnis productio substātialis fit per operationē accōmodatam tali naturę,secundū quam fit productio; sed Deus est naturæ purè intellectualis, & natura intellectualis non habet,nisi duas operationes,scilicet intellectus, & voluntatis; ergo processiones Diuinæ non fiunt, nisi per intellectum,& voluntatem, tanquam per principia immediata,& proxima. Ma.patet; nam natura est principium operandi; quęliber autem actio debet conformari cum suo principio.Mi.etiam cōstat; quia Deus est in supremo gradu vitæ, qui est vita intellectualis, & vita intellectualis non habet nisi duas potentias intellectuales distinctas operatiuas, quæ sunt intellectus, & voluntas,vt alibi ostensum est.

20 Conf. Processiones Diuinæ sunt perfectissimæ;ergo debent esse actiones perfectissimę; sed actiones perfectissimæ sunt actiones vitales spirituales immanentes; ergo processiones Diuinæ debent esse actiones vitales spirituales immanētes; atqui actiones vitales spirituales immanentes non sunt, nisi duæ, quia tantùm duo sunt principia vitaliter spiritualiter immanenter agentia; scilicet intellectus, & voluntas; ergo sunt immediatè per intellectū, & voluntatē.

21 Obijc.1.SS.PP.docent Filium procedere à Patre natura, siue per modum naturæ; ergo nō procedit per intellectum immediatè;nam procedere per intellectum non est procedere per modum naturæ;cùm non natura,sed intellectus sit principium formale *quo* processionis.

Resp.SS.PP. docere Filij processionem esse per modum naturæ quadrupliciter.1.vt ostēdant ipsum esse Filium naturalem, non adoptiuum;per essentiam, non per gratiam. 2. vt insinuent eius processionem non esse liberam, sed necessariam. 3. vt ostendant Filio communicari naturam similem ex vi suæ processionis.4. quia cùm natura Dei sit ipsum intelligere actuale, si procedit per ipsum intelligere actuale,procedit formaliter per naturam; vt quia rationalitas est constitutiuum formale naturæ hominis, quod procedit per rationalitatem ab homine, procedit formaliter per naturam ipsius hominis. Dist, ergo ant. Docent procedere *natura*, vt distincta ab intellectu, neg; docent enim procedere, vt Verbum,& ideo per naturam, vt identificatam cum intellectu;docent procedere *natura*,vt identificata cū intellectu,conc. Ex hoc tamen nō sequitur, quòd Verbum procedat per naturam Diuinam, prout contradistinctam ab intelligere, sed potius prout natura Diuina est idem formalissimè,ac intelligere.

22 Obijc. 2. Ex infinitate Diuinæ naturæ prouenit;quòd eadem natura sit communicabilis tribus personis Diuinis; sed communicatio est idem,ac processio; ergo processio Diuina est immediatè à natura Diuina.

Resp.dist.ma. Ex infinitate naturæ Diuinæ prouenit, quòd eadem natura Diuina sit communicabilis tribus personis radicaliter remotè, conc;proximè, neg.

23 Obijc. 3. In creaturis intellectualibus, v.g.in homine,generatio non est immediatè per actum intellectus, sed per actum ipsius naturæ procedentem ab ipsa natura immediatè; principium enim *quo* generationis creatæ est forma physica; & forma est natura,vt dicitur *in* 2.*Phys*; ergo etiam si Deus sit natura intellectualis; attamē principiū *quo* generationis Diuinæ nō est intellectus Diuinus, sed est ipsa natura Diuina, prout ab intellectu contradistincta.

Resp. neg.conf; & disparitas est, quia generationes creatæ fiunt per actiones transeuntes extrinsecas, non autem per actiones immanentes intrinsecas; nam generationes creatæ fiunt per diuisionem, & distinctionem naturæ; non possunt autem fieri per talem diuisionem, & distinctionem naturæ, nisi transeant ad aliam numero naturam,& ideo fiunt per actiones trāseuntes, & extrinsecas. Ratio autem,quare generationes creatæ fiant per distinctionem naturæ, est propter finitatem naturæ creatæ, cùm finitas sit ratio distinctionis, sicuti infinitas est ratio identitatis. Propter hoc generationes crea-

creatæ nequeunt immediatè fieri per actum intellectus, neque tamen immediatè fiunt per naturam, sed per potẽtiam generatiuam transeunter agentem, quæ est superaddita naturæ. At verò generatio Diuina ob infinitatem naturæ Diuinæ fit per identitatem, & ideo sine distinctione, & per consequens non potest fieri per actionem transeuntem ad aliam numero naturam, sed necesse est, vt fiat per actionem immanentem in eadem natura, aliter persona genita haberet distinctam naturam à persona generante; & per consequens debet fieri per intellectum, qui est potentia immanenter agens. Idem dicitur de spiratione.

24 Obijc. 4. Actionibus intellectus repugnat fœcunditas, quia per actiones immanentes *secundùm Phil. 9. Met.* nihil producitur; ergo processio Verbi nequit esse per actũ intellectus.

Resp. neg. ant; teste enim *Phil. 2. Eth.* ex actibus intellectus frequentatis generatur habitus, sicuti generatur Verbum. Quando ergo *Phil.* ait per actiones immanẽtes nihil produci, intelligitur nihil produci extra intellectum immediatè, non autem ad intra.

25 Obijc. 5. Intelligere est actus essentialis communis omnibus personis Diuinis; productio autem Verbi non est communis, sed propria solius Patris; aliter omnes personæ producerent ipsum Verbum, & sic Verbum produceret se ipsum, quod est contra Fidem; ergo intellectio non est productio Verbi, & per consequens intellectus non est principium *quo* immediatum processionis Verbi.

Propter hoc argumentum *Scotus* docuit processionem Verbi esse quidem actionem elicitam ab intellectu, non tamen esse formaliter intellectionem. Nos tamen distinguimus ma. Intelligere est actus essentialis, & actus essentialis est communis, si sumatur absolutè, & secundùm se, conc; si sumatur, prout modificatus per relationem paternitatis, quæ est conditio necessariò exigita ad generationem, neg. Quando dicimus, quòd productio Verbi est intellectio, loquimur de intellectione sumpta secundo modo, non primo.

Potest etiam retorqueri hoc arg; nam essentia Diuina est communis tribus personis; sed non omnes tres personæ generant; ergo generatio non est actus immediatus naturę Diuinę.

26 Obijc. 6. Natura Diuina est prior intellectu, & voluntate, quia essentia saltem prioritate emanationis virtualis est prior suis passionibus; ergo actus essentiæ Diuinæ est prior actibus intellectus, & voluntatis; sed per actum priorem, qui concipitur in Deo, nequeunt produci, nisi personæ Diuinæ; aliter creaturæ producerentur priùs, quàm personæ Diuinæ; quod est *contra SS. DD.* asserentes emanationes ad intra esse causam emanationum ad extra; ergo per actum naturæ Diuinæ, prout antecedentem actiones intellectus, & voluntatis, procedunt personæ Diuinæ.

Resp. dist. cons. Actus essentiæ, qui est veluti forma ipsius, & est existentia, conc; qui est operatio, neg; natura enim Diuina, sicut quæcunque alia natura, nullam habet operationem secundùm se ipsam præcisis suis proprietatibus, quæ sunt virtutes actiuæ, quibus mediantibus ipsa natura agit, & licèt natura actiuè concurrat, tanquam principium radicale ad omnem actum suarum potentiarum, attamen non concipitur habere aliquem actionem ante suas potentias, sed tantùm simul cùm illis; & ratio est, quia natura præcisis suis potentijs est tantùm principium essendi, mediantibus autem suis potẽtijs est principium operandi; principium namque operandi sequitur ad principium essendi.

27 Obijc. 7. Si naturæ Diuinæ non conueniret se immediatè communicare, ei deficeret aliqua perfectio, quia careret potentia ad se communicandum immediatè, quæ est perfectio simpliciter simplex; ergo non esset infinitè perfecta.

Resp. neg. ant; nam communicare se immediatè non est perfectio debita naturę Diuinę secundùm se consideratæ; cùm naturæ Diuinæ secundùm se consideratæ tantùm illi debeatur dicere ordinem ad esse, non autem ad operari.

28 Obijc. 8. Si intellectus esset principium *quo* Diuinæ generationis immediatum, & volũtas spirationis, sequeretur, quòd intellectus Diuinus generaret, & voluntas spiraret; sed consequens est absurdum; ergo & ant. Prob. ma; nam quia calor est principium immediatum *quo* calefactionis, ideo valet: calor calefacit; ergo à pari. Mi. patet; quia intellectus est communis omnibus personis; ergo ei non potest attribui actio propria alicuius personæ tantùm.

Resp. dist. ma. Si intellectus Diuinus esset principium *quo* immediatum per se præcisè sũptus, posse dici, quòd generaret, conc; si non esset, vt in casu, principium immediatum *quo* generationis secundùm se præcisè sumptus, sed tantùm prout importat modificationem paternitatis, quę est conditio necessaria ad generationem, neg; tunc enim actio non potest attribui intellectui, nisi prout modificato per talem relationem, quapropter potest dici: *Intellectus Patris generat*. Ad prob. neg. cons; & ratio disparitatis est, quia ad calefactionem concurrit tantùm calor immediatè sine aliquo alio superaddito, ideo calefactio immediatè potest tribui calori absolutè sumpto; at verò ad generationem Diuinam concurrit intellectus, prout modificatus per relationem paternitatis, ideo generare nequit attribui intellectui Diuino absolutè, sed tãtũ prout modificato per paternitatẽ.

29 Obijc. 9. Productio Verbi est immediatè per intelligere Diuinum; sed intelligere Diuinum est formalissimè natura Diuina, cùm sit

vltimò

vltimò constitutiuum formale illius; ergo processio, seu productio Verbi est immediatè per naturam.

Resp.dist.cons. Processio Verbi est formalissimè per naturam Diuinam, prout contradistinctam ab intelligere, vt vult *Dur*; neg; prout formaliter virtualiter identificatam cum intelligere,& secundùm munus intelligendi,conc.

30 Objic. vlt. Est commune axioma inter Theologos,quòd *essentialia sũt priora notionalibus*;sed actus essentiales sunt cōmunes omnibus personis Diuinis,& ab omnibus eliciuntur;ergo si Verbum, & Spiritus sanctus producerentur per actus intellectus notionales,qui sunt *dicere*, & *spirare*,Verbum,& Spiritus sanctus,antequam producerentur,intelligerent,& vellent essentialiter,quod est omnino absurdum.

Resp.*noster Ger.dist.6.q.1.art.1*;quòd illud axioma est intelligendum subiectiuè,in ratione scilicet fundamenti, & fundati; cùm enim fundamentum concipiatur,vt prius refundata,ideo essentialia,quæ sunt absoluta,& sunt fundamentum relationum, sunt priora notionalibus, quæ sunt relatiua,non autem est intelligendum actiuè in ordine ad actionem elicitam;sic enim concipiuntur simul;essentiale quidem, tanquam ratio formalis agendi;relatio verò tanquam conditio necessariò exigita ad agendum, vt supra dictum est;sed de hoc *inf.art.8*.

31 Secunda pars concl;quòd scilicet essentia sit principiũ *quo* remotum; *vid.inf.q.3.ar.2*.

ART. VI.

Vnde oriatur distinctio realis inter Diuinas processiones?

1 Loquimur in præsenti de processionibus Diuinis passiuè sumptis, prout scilicet reperiuntur in personis productis, quæ sunt Filius,& Spiritus sanctus; nam certum est tales processiones actiuè sumptas realiter non distingui. Et loquimur tantùm de processionibus Diuinis,prout ad inuicem comparãtur, non autem prout comparantur ad essentiam Diuinam,à qua tantùm virtualiter distinguuntur, vt inferiùs dicemus.

2 Certum est apud omnes processiones Diuinas passiuè sumptas realiter distingui, quia processiones passiuè sumptæ sunt filiatio, & spiratio passiua,quæ realiter distinguuntur.

Prima sententia vult has duas processiones realiter distingui ratione diuersi modi procedẽdi, quia vna est per intellectum,altera verò per voluntatem.*Ita Aliqui*, quos suppresso nomine citat *B.Doct*.

Secunda sententia vult illas distingui realiter,quia vna est ab vna tantùm persona, altera verò à duabus personis. Hanc pariter refert *B.Doct*.suppresso nomine.

Tertia vult distingui ratione ordinis,quem istæ duæ processiones habent inter se, quia scilicet processio Spiritus sancti, quæ est formaliter velle,habet ordinem ad processionem Verbi, quæ est intelligere;& hic ordo est posterioris ad prius,quia voluntas nequit velle, & amare, nisi quòd est priùs intellectum, & cognitũ.Hanc sententiam pariter refert *B. Doct*; quam *plures ex Thomistis* volunt esse *D.Tho. 1.p.q.27.art.3. ad 3*;& eam sequitur *Zum.hic art.9.disp.2.concl. 2;& Ban.disp.2*; *Caiet.* tamen super hunc locum vult *S.Tho*; docere distinctionẽ realem sumi ex rationibus terminatiuis; secundùm quas opponuntur oppositione originis.

Quarta sententia vult realiter distingui ratione terminorum,quia processiones Diuinę important quendam motum; motus autem specificatur,& distinguitur à termino,& ideo huiusmodi processiones distinguuntur realiter ex terminis. Hanc sententiam refert *B.Doct*; & reijcit *ibidem* §.*Ideo idem*; *Vasq*.tamen *ex Scoto disp. 148.n.2*.eam *B.Doct*.attribuit.

Quinta sententia vult processiones Diuinas distingui seipsis,ac se totis. *Ita D.Bon.hic art.1*; quem sequuntur *Scot.q.1*;*Dur q.2*;*Aureol.art.2*; *Okam*; *& alij*.

Vltima sententia docet, quòd diuersitas virtualis principiorum, & modorum procedendi est ratio inchoatiua distinctionis Diuinarum processionum;relationes verò oppositionis personarum productarum, cum quibus identificantur processiones Diuinæ, sunt ratio formalis completiua distinctionis illarum. *Ita Fundatiss. Doct.hic dist. 13. princ. 1. q. 2; & 3; & dist.10. princ.2.q.2; Arg.q.1.art.2; Ger.q.1. art.4*; & *D. Tho*; vt videre est *apud Caiet.loco cit; Sua. de Trin.lib.1.c.9.n.3;Vasq.cit.disp.148.n.2; & alij*. Sed antequam nostram sententiam explicemus, & probemus, placet cum *B.Doct*. aliorum opiniones,tanquam insufficientes reijcere.Igitur.

3 Prima sententia est omnino deficiens; nã intellectus, & voluntas solùm virtualiter, non realiter distinguuntur in Deo, & ideo non possunt causare per se solùm distinctionem realem personarum procedentium; aliter si sufficerent per se solùm, etiam actus essentiales procedentes vitaliter ab intellectu, & voluntate distinguerentur essentialiter. Diximus completè, & vltimatè; nam quòd diuersitas personarum, & diuersus modus procedendi etiam requiratur ad initiandam, & inchoandam distinctionem realem,*inf*.ostẽdemus; ex eo tamen,quòd diuersitas potentiarum inchoet distinctionem realem personarum,non arguitur, quòd sit sufficiens ad ipsam vltimandam completè,nisi illi addatur oppositio relatiua, quæ intercedit inter Filium, & Spiritum sanctum,quatenus Spiritus sanctus per modũ originis procedit à Filio;ergo nõ obstante distinctione virtuali potentiarum, quæ est initium distinctionis realis personarum procedentium, adhuc personæ procedentes non distinguerentur realiter.

4 Se-

4 Secunda sententia pariter est deficiens; nam procedere ab vno, & à pluribus per modũ vnius idem est omninò; ergo vnam personam procedere ab vno, & à pluribus per modum vnius non facit distinctionem realem in procedente. Quanuis autem Spiritus sanctus procedat à duabus personis, quia tamẽ procedit per modum vnius principij; sicuti Filius procedens ab vna persona procedit per modum vnius principij; ideo non infert distinctionem realem procedere ab vno per modum vnius, & procedere à pluribus per modum vnius.

5 Tertia sententia pariter insufficiens est; nam ordo, quem dicit velle ad intelligere, non infert essentialiter distinctionem realem, quia velle essentiale dicit ordinem ad intelligere essentiale, & tamen ab ipso non distinguitur realiter; ergo neque ordo, quem dicit velle notionaliter sumptũ ad intelligere nationaliter sũptum, præcisa relatione oppositionis infert distinctionem realem; nam si Spiritus sanctus procederet à solo Patre, à quo solùm procedit Filius; tunc ordo, quem dicit velle notionale, per quod procedit Spiritus sanctus, ad intelligere notionale, per quod procedit Filius, non inferret distinctionem realem inter Filium, & Spiritum sanctum; quia inter Filium, & Spiritum sanctum nulla daretur relatio originis; vt videbimus *q.*4.

4 Quarta quoque sententia futilis est; nam vel loquimur de termino formali *quo*, vel de termino totali quod. Si primum; patet, quòd terminus formalis *quo* vtriusque processionis est natura Diuina simpliciter indiuisa, vt infra ostendemus; sed ab indiuiso nequit sumi diuisio, & distinctio; ergo à termino formali *quo* nequit sumi distinctio processionum. Si secundum; falsum est, quòd ab ipso sumatur distinctio specifica motus; nam *Petrus*, *& Paulus* sunt duo termini totales *qui*; & tamen ab ipsis non desumitur generatio specificè diuersa, quæ solùm sumitur à diuersa forma, seu specie; vt *ab Equo, & Petro*; sed Spiritus sanctus, & Filius habent eandem speciẽ naturam; ergo ab ipsis nequit desumi distinctio specifica processionum.

7 Quinta sententia nihil pariter concludit; nam relationes disparatæ non distinguuntur seipsis; quia in Patre est relatio spirationis actiuę, & relatio paternitatis, quæ sunt duæ relationes disparatæ, & tamen non distinguuntur realiter seipsis; sed processiones Diuinæ secundùm seipsas sumptæ sunt relationes disparatæ; ergo non distinguuntur seipsis. Tum quia falsum est, quòd distinguantur se totis, nam, vt dictum est *art.*4; processiones Diuinæ adæquatè sumptę secundùm suam totalitatem important intelligere, & velle essentiale cum modificatione relatiua; sed intelligere, & velle essentiale non distinguuntur; ergo processiones Diuinæ non distinguuntur se totis. Igitur.

8 Vnica concl. Diuersitas virtualis intellectus, & voluntatis inchoat distinctionem realem Diuinarum processionum passiuè sumptarum; & oppositio relatiua illam complet.

Prob. 1. pars concl. *ex Beat. P.* 15. *de Trin. c.*14; vbi docet: *Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia.* Ex quo sic. Per idem principium, & eandem potentiam, & eundem modum procedendi nequit procedere, nisi vnus terminus adæquatus; nam ab vna, & eadem potentia, seu virtute non possunt procedere plures termini producti distincti numero; aliter nõ essẽt æquales, sed inadæquati tali virtuti, & potentię, & per cõsequens imperfecti, & deficiẽtes à perfectione totalitatis; ergo nequit dari distinctio realis processionũ, & personarũ procedentiũ, nisi illæ processiones sint à potẽtijs, & virtutibus virtualiter diuersis. Quia tamẽ diuersitas virtualis potẽtiarum non sufficit ad ponendam distinctionem realem terminorum, nisi ponatur oppositio relatiua originis inter terminos procedentes, ideo diuersitas potentiarum dicitur inchoatiua distinctionis realis processionum, non autem completiua. *Vid. sup. art.* 2.

9 Conf. Distinctio, quę intercedit inter Diuinas processiones, est, quia vna est generatio, & altera non est generatio, vt inferiùs videbimus; sed duæ processiones, quarum vna est generatio, altera non est generatio, exigunt esse à potentijs diuersis virtualiter secundùm diuersos modos procedendi; nam quæ procedunt ab eadem potentia eodem modo, eandem sumunt denominationem, vt patet de pluribus personis humanis, quę, quia procedunt ab eadem potentia generatiua hominis, omnes dicuntur Filij, & geniti; ergo distinctio realis processionũ Diuinarũ exigit diuersitatem virtualem potẽtiarum inchoantium talem distinctionem.

10 Prob. 2. pars concl. Relationes disparatæ distinguuntur tantùm secundùm esse *ad*; nam secundùm esse *in* transeunt in essentiam Diuinam, cum qua identificantur, vt diximus *q.* 1. *art.* 5; sed secundùm esse *ad* respiciunt terminum oppositum, qui est terminus relationis originis; nulla enim alia oppositio realis in Diuinis esse, aut excogitari potest, quàm originis, quæ est inter producens, & productum; ergo relationes disparatæ non distinguuntur realiter, nisi per relationem originis; sed processiones Diuinæ dicunt relationes disparatas, vt patet; ergo non distinguuntur realiter, nisi per relationes originis. *Vid. q.* 1. *vbi sup. & inf. q.* 4. *art.* 3.

11 Ex his clarè constat, quàm longè aberrent *Vasq. & Scot.* à mente *B. Doct.* qui nedum non approbat sententiam, quam ei falsò impingunt; sed eam reijcit ex professo, tanquam inutilem; & alteram ab ea diuersam refert, & probat.

12 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Distinctio rationis non potest facere distinctionem realẽ; sed intellectus, & voluntas Diuina distinguuntur

tur ratione;ergo non possunt causare distinctionem realem inter processiones Diuinas. Prob. ma.Ita se habet distinctio rationis ad distinctionem realem, sicut ens rationis ad ens reale; sed ens rationis nequit causare ens reale, alias daretur eausa ignobilior suo effectu; ergo distinctio rationis nequit causare distinctionem realem. Ant. patet; nam inter absoluta pertinentia ad diuersas lineas in Diuinis non datur distinctio realis,sed tãtùm virtualis, quæ est distinctio rationis eum fundamento.

13 Conf. Oppositio relatiua est causa omnis distinctionis in Diuinis, vt supra dictum est; sed inter intellectum, & voluntatem non datur oppositio relatiua; quia non datur vera productio realis, quæ requiritur ad oppositionem relatiuam; sed tantùm resultantia rationis; ergo intellectus, & voluntas Diuina nequeunt causare distinctionem realem inter Diuinas processiones.

14 Resp. ad arg. dist. ma. Nequit facere distinctionem realem inchoatiuè, neg; completiuè, conc. Et neg. mi; ad cuius prob. dicitur, quòd distinctio virtualis non est rationis, sed realis æquiualenter, & ideo potest inchoare distinctionem realem. *Vid.To.1. de Attr.in comm. q.2.art.4;&* 8.

Ad conf. eodem modo dist.ma. Oppositio relatiua est causa distinctionis realis completiuè,conc; inchoatiuè,neg.

15 Objic.2. cont. 2.part. concl. Processiones Diuinæ antecedunt terminos productos; ergo illarum distinctio nequit desumi ex terminis productis. Ant.patet; quia per processiones Diuinas procedunt termini producti; illud autem, per quod aliud procedit, antecedit illud. Prob. conf; quia prius, sicut non potest specificari à posteriori, sic non potest distingui; cùm distinctio,& specificatio ab eodem sumantur.

Resp.dist. ant. Processiones actiuè sumptæ antecedunt prioritate originis *à qua* terminos productos, conc; passiuè sumptæ,neg;sunt enim ipsi termini producti per processiones actiuè, nõ passiuè sũptas;aliter procederẽt per se ipsos.

16 Objic. 3. Relationes originis resultant ex ipsis processionibus;resultant enim ad actiones; ergo processiones nequeunt per relationes distingui; quia quod resultat ad aliud,illud supponit habere esse,& distinctum esse.

Resp. dist. ant. Relationes originis resultant ex processionibus Diuinis distinctis antecedenter ad ipsas relationes, neg; resultant per modum distinguẽtis completè, & causantis distinctionem in ipsis processionibus, conc. Et licèt in suppositis absolutis supponant distinctionem,quia supponũt distinctum esse, & naturam diuisam; non tamen illam supponunt, sed causant in suppositis relatiuis, quia habent idem esse,& eandem naturam.

ART. VII.

An distinctio processionum, & Personarum Diuinarum magis assimiletur distinctioni specificæ, quàm numericæ?

1 CErtum est processiones, & personas Diuinas non distingui distinctione verè, & formaliter specifica, aut generica, vel numerica; quia in Deo non datur species, aut genus; aliter Deus componeretur ex genere, & differẽtia; tũ quia distinctio specifica propriè est illa, quæ datur inter supposita habentia diuersam naturam; processiones autem, & personæ Diuinæ non habent diuersam naturam,vt docet Fides. Quòd autem nec distinctio numerica propriè detur in Deo, constat; numerus enim non fit,nisi per diuisionem naturæ, cùm sit quãtitas discreta. Quæritur ergo, an distinctio, quæ intercedit inter Diuinas processiones, & personas, potiùs assimiletur distinctioni specificę, quàm numericę?

2 Supp; quòd non incongruit aliquas res distingui numero secundùm personas, seu secũdùm supposita, & earum productiones esse diuersæ speciei; nam distinctio specifica personæ, vt dicebamus, sumitur à diuersitate naturæ; cùm persona definiatur: *Intellectualis naturæ indiuidua substantia.* Distinctio autem specifica productionum sumitur ex distinctione formali terminorum,& potentiarum;quapropter illæ productiones dicuntur specificè diuersæ, quæ sunt à diuersis potentijs, & habent pro obiecto terminos formaliter diuersos. Potest ergo dari casus, quòd duæ personæ habeant eandem naturam; & ideo non differant specie; & tamen earum productiones sint diuersæ specie, quia sunt à diuersis potentijs, & habent terminos formaliter, & specificè diuersos; vt patet de *Adam, & Abele*, qui sunt eiusdem speciei, cùm habeant eandem naturam humanam, & tamen eorum productiones sunt diuersæ speciei; nam productio *Adæ* est à potentia creatiua; productio verò *Abelis* à potentia generatiua. Insuper productio *Adæ* habet pro termino, à quo *nihil*, quòd solùm pręsupponit;productio verò *Abelis* pro termino ens transmutabile,quod præsupponit.

3 Prætereà eodem modo philosophandum est de distinctione specifica, & numerica relationum; sicut philosophamur de distinctione specifica, & numerica naturarum; relationes enim habent quodammodò suas naturas, prout natura idem est, ac essentia, seu quiditas. Illæ igitur relationes, quæ habent eundem modum referendi, solo numero distinguuntur, quia sunt eiusdem rationis. Huiusmodi sunt rationes æquipatantiæ, seu similitudinis; nam eandem habent rationem referendi, seu respiciendi. Illæ autem, quæ habent diuersam rationem referendi, dicuntur specie distingui,huiusmodi sunt rationes disquiparantiæ, siue dissimi-

litudinis; plus eteni m differunt inter se paternitas, & filiatio, quæ sunt relationes dissimiles dissimilitudine oppositionis, quàm duæ filiationes, quæ sunt relati ones similes, & conuenientes inter se sub vna ratione specifica communi pluribus filijs; sed plures filiationes differunt solo numero; ergo paternitas, & filiatio specie debent differre.

4 Prima sententia vult tam Diuinas personas, quàm processiones solo numero distingui. *Ita Aliqui apud Ban.hic q.27.c.9. dub.2. concl.2. §. Propter hæc.*

Secunda sententia huic opposita, licèt fateatur Diuinas personas habere eandem numero naturam, tamen asserit processiones Diuinas, & personas ratione relationum specificè distinctarum specie distingui. *Ita Henr. in Summa art.70.q.4; Zum.hic q.27.art.4.disp.2.in.resp.ad arg; Ban.vbi sup.concl.1. ad 2.*

Tertia sententia docet distinctionem Diuinarum personatum assimilari potiùs distinctioni numericæ, quàm specificæ; distinctionem verò processionum, & relationum potiùs specificæ, quàm numericę. *Ita Fundatiss. Doct.dist.4. princ.2. q.1; & dist.9. princ.1.q.2. ad 1*; processionum verò distinctionē assimilari potiùs distinctioni specificæ docet *dist. 10.princ. 2. q.2; & dist.13.princ.1. q.3, Ger.dist.9.q.1.art.2. ad 1; & 2; & dist.13.q.1.art.1; Argent.ibid.q.1.art.3.ad 1; & 5; & dist.3.q.1.art.3.*

5 Vnica concl. Distinctio Diuinatum personarum propriè loquēdo assimilatur potiùs distinctioni numericæ, quàm specificæ; & distinctio Diuinarum processionum assimilatur potiùs distinctioni specificæ, quàm numericæ.

Prob.1.*ex Beatiss.P.5.de Trin.c.5*; vbi docet: *Quamobrem quanuis diuersum sit Patrem esse, & Filium esse, non est tamen diuersa substantia, quia hæc non secundùm substantiam dicuntur, sed secundùm relatiuum*. Ex quibus sic. Distinctio specifica personarum sumitur ex diuersitate naturæ, & distinctio processionum sumitur ex diuersitate specifica relationum; sed personæ Diuinæ non habent diuersam naturam; & processiones important diuersas relationes, scilicet filiationem, & spirationem passiuam, ergo distinctio personarum assimilatur distinctioni numericæ, & distinctio processionum distinctioni specificæ.

6 Prob.1. pars concl. 1. Distinctio specifica processionum non sufficit ad distinguendas personas specie, vt patet de *Adam* producto per creationem, & de eius filijs productis per generationem; ergo licèt Diuinæ personæ procedāt per actiones specie diuersas, attamen earum distinctio non assimilatur distinctioni specificæ, sed numericæ.

7 Conf. Distinctio specifica sumitur à diuersa specie, vt patet ex ipso nomine; sed species idem est, ac natura; ergo distinctio specifica sumitur à diuersitate naturæ, non autem à diuersitate productionum; sed personæ Diuinæ non distinguūtur in natura; ergo earum distinctio assimilatur potiùs distinctioni numericæ.

8 Prob.2. Quæ magis sunt vnum in natura, multò minùs specie distinguuntur; sed personæ Diuinæ sunt maximè vnum, quia non potest dari maior vnitas, quàm identitas in natura; ergo maximè, & in supremo gradu sunt vnum specie; sed si illis conueniret aliqua distinctio specifica similitudinaria, nō essēt maximè, & in supremo gradu idem specie, quia posset cōcipi idētitas specifica aliquarum personarum, quæ nullo modo haberent diuersitatem specificam, nec etiam similitudinariam; ergo distinctio Diuinarum personarum assimilatur potiùs distinctioni numericæ, quàm specificæ.

9 Prob.2. pars concl. Diuinæ processiones sunt à principijs, & virtutibus formaliter, & specificè diuersis, & respiciunt terminos specificè diuersos; ergo earum distinctio assimilatur potiùs distinctioni specificæ, quàm numericæ. Prob. ant; nam processio Filij est ab intellectu Patris; & terminatur ad filiationem, quæ est terminus illius; & processio Spiritus s. est formaliter à voluntate, tanquam à principio *quo* immediato, & proximo, & terminatur ad spirationem passiuam; sed intellectus, & voluntas; filiatio, & spiratio passiua sunt formaliter, & specificè diuersa inter se; ergo Diuinæ processiones sunt à principijs specificè diuersis, & respiciunt terminos specie distinctos. Prob. conf. nam distinctio processionum habetur ex distinctione potentiarum, & terminorum, vt dictum est.

10 Conf. In creaturis processio Verbi, & amoris specie distinguuntur, quia pertinent ad potentias specie distinctas; illa enim, quæ solo numero distinguuntur, sunt ab eodem principio formali *quo* proximo, vt patet de pluribus filijs procedentibus ab eodem patre; sed processiones Diuinæ assimilantur processioni verbi, & amoris creati; ergo earum distinctio assimilatur potiùs distinctioni specificę, quàm numericæ.

11 Obijc.1. Filius, & Spiritus sanctus constituuntur per relationes specificè diuersas; ergo persona Filij, & Spiritus s. specificè distinguuntur. Ant. patet; quia persona Filij constituitur per filiationem, & persona Spiritus s. constituitur per spirationem passiuam, quæ specie distinguuntur, vt dictum est. Prob. conf. Tale est constitutum, quale est constitutiuum; quia enim rationalitas, quæ constituit hominem in natura humana, differt à latrabilitate, quæ constituit canem in natura canina, ideo homo, qui est constitutus per rationalitatem, differt specie à cane; sed constitutiuum personæ Filij differt specie à constitutiuo personæ Spiritus s; ergo persona Filij differt specie à persona Spiritus s.

Resp. dist. ant. Filius, & Spiritus s. constituuntur per relationęs specie diuersas in esse spe-

ciſico,ſiue in eſſe naturæ, neg; in eſſe perſonali, ſiue indiuiduali, conc. Ad prob.dicitur,quòd in quacunque re duplex eſt principium conſtitutiuum, & duplex conſtitum; vnum eſſentiale,quod conſtituit rem in tali natura,& hoc vocatur conſtitutiuum ſpecificum,& de hoc valet, quòd ſi ſit diuerſum conſtitutiuum eſſentiale,eſt diuerſum conſtitutum ſpecie, vt in exemplo allato de homine, & cane. Aliud eſt principium conſtitutiuum perſonale,ſiue indiuiduale; quod non conſtituit in tali natura,ſed in tali perſona, & indiuiduo;& de hoc non valet, quòd ſi eſt diuerſum conſtitutiuum perſonale,ſeu indiuiduale,ſit perſona ſpecie diuerſa; hoc enim,cùm tantùm conſtituat perſonam, ſeu indiuiduum, ideo cauſat tantùm diſtinctionem perſonalem,ſeu indiuidualem; diſtinctio autem perſonalis, & indiuidualis eſt diſtinctio numerica, non ſpecifica, vt patet.

12 Obijc. 2 Proceſſiones diſtinguuntur ex terminis; ſed terminus *quo* Diuinarum proceſſionum eſt natura Diuina, vt infra videbimus; ergo vel dicẽdum eſt, quòd Diuinæ proceſſiones ſpecie non diſtinguantur eo,quia natura Diuina ſine ſui diſtinctione terminat vtranque proceſſionem;vel quòd ſi ſpecie diſtinguuntur, hãc diſtinctionẽ ſpecificam habent à natura Diuina, quæ eſt illarum terminus;& ideo ſi proceſſiones Diuinæ ſpecie diſtinguuntur,ſequitur,quòd etiã ſpecie diſtinguantur perſonæ.

Reſp. diſt. ma. Proceſſiones Diuinæ diſtinguuntur ex terminis eſſentialibus abſolutis, & aſſimilatiuis ſuo principio,neg; diſtinctiuis à ſuo principio,conc.Et eodem modo diſt.mi.Eſſentia Diuina eſt terminus *quo* eſſentialis, ſecundùm quem attenditur aſſimilatio, conc; eſt terminus diſtinctiuus,ſecũdũ quẽ attẽditur diſtinctio,neg. Igitur in perſonis Diuinis duplex eſt terminus, vt *inf.*videbimus; aſſimilatiuus, quem agens intendit ſibi aſſimilare,& hic eſt idem in Diuinis; & cùm ſit terminus ſpecificus, cauſat identitatem ſpecificam; & terminus diſtinctiuus, quia agens ſemper intendit producere alium à ſe; & hic,cùm non ſit terminus ſpecificus, & eſſentialis,ſed tantùm perſonalis, ideo non cauſat, niſi diſtinctionem perſonalem, quæ eſt numerica,non ſpecifica.

13 Quæres,an Diuinæ proceſſiones conueniãt in aliqua ratione vniuoca, ſeu an diſtinguãtur ſecundùm ſe totas?

Reſp.negatiuè cũ *B.Doct.diſt.25.princ.1.q.1;* & *2;* nam cùm per rationem vniuocam intelligatur ratio vniuerſalis cõſtitutiua generis, quia propriè negatur ratio generis, & ſpeciei in Diuinis;ideo proceſſiones Diuinæ in hoc ſenſu nõ conueniunt in aliqua ratione vniuoca; ratio cõmunis tamen proceſſionis imbibita in ipſis proceſſionibus Diuinis impræſcindibilis ab ipſis conceditur quidquid dicat *Caiet. hic q. 27.art. 4;* & *Sua.lib.1.de Trin.*Additur,quòd ſicuti per-

ſona non dicitur vniuocè, ſed analogicè in Diuinis,vt habet *B.Doct.diſt.25.princ.2.q.2;* nam vniuoca ſunt illa, quæ ſunt ſub eodem genere, vel ſub eadem ſpecie; in Deo autem non datur ſpecies,aut genus;inſuper vniuocum eſt vniuerſale;vniuerſale autem dicit naturam multiplicatam,& eſſe diuiſum; perſonæ autem Diuinæ habent eandem naturam, & idem eſſe indiuiſum; ita dicendum eſt de proceſſionibus Diuinis, per quas conſtituuntur perſonæ. *Sed de hoc inf.q.6.*

ART. VIII.

An inter proceſſiones,& perſonas Diuinas poſſit aſſignari aliqua prioritas, & poſterioritas in qua?

1 Docet *Fund. Doct. diſt.9. princ.2.q.2.§. Aduertendum*; quòd in creatis tria conſequuntur ad productionem creatam, ſcilicet diſtinctio, ordo, prioritas, & poſterioritas. Quia ergo ex rebus creatis conſurgimus ad cognoſcendas res Diuinas, ideo ad cognoſcendas Diuinas proceſſiones,ex ijs, quæ ſunt in productionibus creaturarum, argumentari debemus. De diſtinctione ſatis diximus *in ſup. art;* nunc dicendum de prioritate,& poſterioritate,an cõſequãtur ad proceſſiones Diuinas;ſicuti conſequuntur in creaturis;dicturi *in ſeq.*de ordine.

2 Supp.autem.1.*ex B.Doct. diſt.14. princ. 2.q.3;* quòd, vt dicitur *in Poſtprædic;* & *ex Phil. 5.Met;* multi ſunt modi prioritatis. 1. Aliquid dicitur prius alio entitate;ſic Deus eſt prior creaturis.2. Dicitur prius tempore; ſic flos præcedit fructum.3.Dicitur prius dignitate, ſic Princeps præcedit plebeium.4.Dicitur prius loco;ſic ea, quæ ſunt propinqua, dicuntur priora illis, quæ ſunt diſtantia.5.Dicitur prius natura, & ſic omne id,quod habet rationem cauſæ, ſiue rationis, à qua aliud dependet, quamuis ſint ſimul tempore, attamen dicitur prius natura. 6. Dicitur prius logicè ſecundùm vniuerſalitatem, in quo ſenſu vniuerſalia ſunt priora ſingularibus;& magis vniuerſalia minùs vniuerſalibus;& ſic genus eſt prius differentia.7.Dicitur prius cognitione, & ſic omne id,quod primò cognoſcitur, dicitur prius eo,quod poſteriùs cognoſcitur.8. Dicitur prius origine, & eſt illud, quod habet aliud producere. Tandem dicitur prius ratione; vt quando vnum concipitur altero prius.

3 Certum eſt primum, & ſecũdum modum prioritatis non eſſe in Deo; neque enim vna perſona, vel vna proceſſio eſt altera prior æternitate, quia altera non eſt temporalis, cùm omnia in Deo ſint æterna. Neque tertium;quia in Diuinis eſt æqualitas perfectionis, & dignitatis. Neque quartum; quia Deus ſua immenſitate replet æqualiter omnia loca immediatè.Neque quintum; quia in Deo non datur dependentia vnius ab alio.Neque ſextum;quia in Deo non datur ratio generis,& differẽtię.Neq;ſeptimum, quia cognoſci ſequitur ad eſſe; & ſicuti in eſſe

entis vnum in Deo non est prius alio; ita nec in cognosci.Est igitur difficultas de prioritate originis,& rationis.

4 Supp.2,quòd tam prioritas originis,quæ est prioritas realis, quàm prioritas rationis duplex est,alia vocatur prioritas à qua;alia prioritas in *qua*. Prima est illa,qua vnum procedit ab alio ita, vt illud, à quo aliud procedit,dicatur prius;illud autem,quod procedit ab alio, vocetur posterius, & hæc prioritas non denotat, aut significat,nisi diuersum modum habendi Diuinā naturam;ceterùm omnimodam simultatem importat,propter quod non est propriè, & formaliter prioritas. Secunda est illa, qua illud,quod est prius in vno signo reali(si sit prioritas originis)vel in vno signo rationis (si sit prioritas rationis)habet esse,vel cōcipitur habere esse in eo signo,in quo non habetesse,vel nō cōcipitur habere esse id,quod est posterius. Hæc autem duo signa realia sunt simul in eodem instanti naturæ; sicut duo instantia naturæ sunt simul in eodem instanti temporis, & duo instantia temporis in vnico instanti æternitatis. Quod pariter dicendum est de duobus signis rationis, quæ sunt simul in vno,& eodem instanti reali.

5 Quæritur itaque in præsenti,an inter Diuinas personas consideratas intra eandem processionem,v.g.inter Patrem,& Filium;& aninter Diuinas processiones,scilicet generare,& spirare,aut inter personas spectantes ad diuersam processionem,v.g.inter Filium, & Spiritum sanctum,detur prioritas originis *à qua*, *& in qua*; aut saltem prioritas rationis *à qua*, *& in qua*?

6 Prima sententia vult inter Diuinas personas, quarum vna est principium processionis, & altera est terminus eiusdem, v. g. inter Patrē, & Filium esse prioritatem originis,*à qua*, *& in qua*, quod à fortiori substinet de Diuinis processionibus inter se,& inter terminos earundē, scilicet inter Filium,& Spiritum sanctum. *Ita Scot. in 1. dist. 28. q. 3. §. Ad quæstionem*; *& Quodl.4.art.*1;quem sequuntur *Mastr, Vasq.1. p.disp.167.à.n.5;& alij apud à nostrum Toletan.*

Secunda sententia negat omnem prioritatem in *qua* siue realem,siue rationis, & solùm admittit prioritatem *à qua*; inter Diuinas quidem personas spectantes ad vnam, & eandem processionem admittit prioritatem *à qua* directè;inter Diuinas autem processiones, aut inter personas spectantes ad diuersam processionem, v.g.inter Filium, & Spiritum s. admittit prioritatem *à qua* solùm indirectè, quæ prioritas *à qua* siue directè, siue indirectè sumpta non est verè, & propriè prioritas, sed est prioritas tantùm abusiuè, & impropriè,quatenus noster modus concipiendi exigit, quòd priùs concipiatur vnum,quàm aliud. *Ita Fundatiss.Doct.hic dist.9. princ.2.q.2; & dist.12.princ.1.q.1; & 2; & dist. 14.princ.2.q.3;& dist.18.princ.2.q.1;& dist.20. princ.2.q.1; & Quodl.5.q.2; & in Opusc.lib.cont.* *Exempt.c.16; Greg. dist.9. q.1. concl. 2; Toletan. ibid.art.2; Ger.q.2. art.2; Argent.ibid.q.1.art.4; Lusit. To.1.de Beat. lib.5.q.2.art.4.n.42; & tota nostra Schola*. Ita communiter *Thomistæ*, vt testatur *Io.à S.Th.1.p.disp.16.art.4.n.6;& ex alijs Sua.lib.4.de Trin.c.15.n.7;& in Met.disp.1.sect. 1*;& ferè omnes Theologi *extra Scoti scholam*.

7 Not. *ex B.Doct.dist.9.cit.§. Aduertendum tamen*,quòd quanuis in creaturis, hæc tria, scilicet,distinctio,ordo,& prioritas, & posterioritas se concomitentur; attamen ex diuersa radice,& principio oriuntur, à qua sumunt suam diuersitatē; quapropter si vna natura sit radix, & principium vnius,& non alterius,v.g.sit radix,& principium distinctionis,& ordinis,non autem prioritatis, & posterioritatis, tunc in eadem reperitur vnum,non alterum. Distinctio igitur in Diuinis oritur ex productione;in tantùm enim vna persona Diuina realiter distinguitur ab altera, in quantū vna nequit se ipsam realiter producere; & si producit, necesse est, quòd alteram personam produeat; ergo productio est radix,& principium distinctionis realis. Ordo oritur ex distinctione personarum;ordo nanque nil aliud est, quàm quidam respectus, quo vna persona respicit aliam;vna autem persona Diuina non respicit aliam, nisi quatenus illam prodncit; & non producit, nisi vt distinctam; ergo ordo immediatè respicit distinctionem; distinctio verò productionem.Tandem prioritas, & posterioritas respicit ipsum esse , in ordine ad quod res dicitur prior, & posterior; nam illud, quod habet esse aute aliud,dicitur prius illo . Prioritas igitur, & posterioritas inter Diuinas personas, vel inter Diuinas processiones(si aliqua reperitur)attendenda est secundùm esse Diuinum per aliquod prius siue reale, siue rationis conueniēs vni personæ,non alteri.

Hæc autem differentia est inter prioritatem *à qua*, & *in qua*, quòd illa dicit tantùm modum diuersum habendi esse; ista autem dicit essentialiter successionem secundùm esse, quia dicit esse post non esse .

8 Vnica concl.In Diuinis personis, & processionibus nulla penitus datur prioritas, & posterioritas *in qua* siue realis, siue rationis; & licèt concedatur prioritas *à qua*, hæc tamen non est prioritas propriè sumpta, sed tantū impropriè abusiuè abutendo significatis vocabulorum, & translatiuè secundùm nostrum modum intelligendi.

Prob.1.*ex Beatiss.P.lib.3.contra Maximin.* docentem.*Inter Patrem ingenitum,& Filium genitum est ordo naturæ,non quo alter est prior altero,sed quo alter est ab altero*;vbi negat ab ordine productionis Diuinæ vllam sumi posse prioritatem,aut posterioritatem in esse.

9 Prob.2.*ex Fundat.Doct.*Si in Diuinis daretur prioritas, & posterioritas *in qua*, vel esset ratione *esse* absoluti,vel ratione *esse* relatiui;sed neu-

neutrum dici potest; ergo nullo modo datur in Diuinis prioritas *in qua* siue realis, siue rationis. Ma. patet; quia prædicata, quæ sunt in Diuinis personis, adæquatè diuiduntur in absoluta, & relatiua. Prob. mi. Non ratione esse absoluti; quia secundùm esse absolutum in Deo omnia sunt vnum, & omnino simul, simultas autem opponitur prioritati, & posterioritati. Neque ratione *esse* relatiui, quia relatiua sunt simul tempore, natura, & cognitione; sed ea, quæ sunt simul, nequeunt habere rationem prioris, & posterioris; cùm simultas opponatur prioritati, & posterioritati; ergo neque secundùm esse absolutum, neque secundùm esse relatiuum potest sumi in Diuinis prioritas.

10 Prob. 3. Si in Diuinis esset prioritas, & posterioritas *in qua*, sequeretur, quòd ibi esset successio vel realis, vel rationis; sed ponere in Deo successionem siue realiter, siue ratione repugnat, quia successio ab intrinseco, & formaliter dicit imperfectionem; ergo non datur in Deo prioritas, & posterioritas *in qua* siue realis, siue rationis. Ma. patet. Prob. mi. Successio formaliter sumpta dicit transitum de non esse ad esse, seu aquisitionem ipsius esse post non esse; sed enti simpliciter necessario, sicuti est Deus, repugnat simpliciter transire de non esse ad esse siue realiter, quia hoc conuenit enti simpliciter contingenti siue ratione; aliter si Deus sic conciperetur, conciperetur pro aliquo signo non esse, & ideo conciperetur, vt quid contingens, ac propterea, vt creatura, nō vt Deus; cùm Deus sit formalissimè ens simpliciter necessarium; ergo successio siue realis, siue rationis omnino repugnat Deo.

11 Prob. 4. Si Pater pro aliquo signo reali, vel rationis *in quo* esset prior Filio, vel pro eo signo conciperetur Pater sub esse relatiuo, vel sub esse absoluto; neutrum est dicendum; ergo neque primum. Ma. patet. Prob. mi. Non sub esse relatiuo; quia pro eo signo non esset Filius; relatiuum autem essentialiter exigit existentiam sui correlatiui; sed in casu non existeret correlatiuum; ergo neque relatiuum. Si sub esse absoluto; vel Pater sub tali esse esset persona supposita, vel esset sola essentia? Si primum; ergo daretur persona, & suppositum absolutum in Diuinis, & sic essent quatuor personæ. Si esset sola essentia, iam non esset Pater, quia sola essentia non est Pater, nec Filius, nec Spiritus s; ergo neutrum dici potest.

12 Prob. 5. *à nostro Greg. ex Beatiss. P. lib. 1. de Diuinit. & Incarnat. Verbi* circa initium docente: *Nos semper Deum Patrem nouimus vnigeniti Filij sui ex ipso quidem nati, & quod est, ab ipso trahentis sine vllo tamen initio non solùm eo, quòd aliquibus temporum spatijs distingui potest, sed nec illo quidem, quod sola apud semetipsam mens intueri solet, & nudo, vt ita dixerim intellectu, atque animo conspicari. Extra ergo omne, quod dici, vel intelligi potest, initium generatam esse sapientiam credendum est*. Ex quibus sic arguit *Greg.* Si Pater esset prior Filio prioritate originis, vel *rationis in qua*, daretur aliquod signum, vel originis, vel rationis, *in quo* non esset Filius; ergo Filius haberet initium essendi vel reale, vel rationis; sed hoc est *contra Beatiss. P.* negātem Filio omne initium siue reale, siue rationis, quod mens potest imaginari; ergo nō datur hæc prioritas. Prob. ant. Vel in illo signo, *in quo* Pater intelligitur prior Filio, Filius habet esse, vel non? Si primum; ergo Pater non est prior Filio, & sic est prior, & nō prior; quia prioritas, & posterioritas sumitur secundū esse vnius, & non esse alterius. Si secundum, ergo daretur aliquod signum vel reale, vel rationis, *in quo* non esset Filius. Prob. conf. Illud habet initium essendi vel reale, vel rationis, quod pro aliquo signo, vel reali, vel rationis est sub non esse, quia illa dicūtur incipere, & initiari, quæ habent esse post nō esse; potest enim designari inceptio, & initium illius, quod est post non esse dicendo, quòd incipit eius initium immediatè post illud non esse; ergo Filius haberet initium essendi vel reale, vel rationis; & sicut quod habet initium reale essendi, non est ens simpliciter necessariū, sed contingens, & quod habet initium reale essendi potest habere finem saltem de potentia absoluta, quia initium, & finis sibi correspondēt; ita quod per intellectum concipitur, vt habens initium essendi, concipitur, vt quid contingens, non vt simpliciter necessarium, & per consequēs concipitur nō vt Deus, sed vt creatura, ac propterea propter eandem rationem per intellectū potest concipi, vt habens finem; quod omnino repugnat personis Diuinis.

13 Prob. 6. *ab eodem. Per Scotum* illud dicitur prius origine, quod communicat esse alteri; illud verò posterius, quod recipit esse ab altero, sed Pater in primo signo concipitur potēs generare, non tamen actu generans; & in secūdo signo admisso *à Scoto*, concipitur actu generās *per eundem Scotum*; ergo Pater in secūdo signo, in quo cōcipitur actu generās, accipit esse ab alio; nam *per Scotum* idem est esse posterius in Diuinis, ac recipere esse ab alio; sed hoc est contra *eundem Scotum dist. 12. q. 1.* confitētem nobiscum, quòd omnia, quæ habet Pater, habet à se ipso; ergo ex communicatione, & acceptione esse nequit sumi prioritas, & posterioritas propriè dicta.

14 Conf. Pater priùs generat Filium, & posteriùs spirat Spiritum sanctum *per Scotum*; sed illud est posterius, quod accipit esse ab alio; ergo si Pater posteriùs spirat Spiritum sanctum, prout spirat, accipit esse ab alio, quod est erroneum; Pater enim à nullo accipit nec virtutem generatiuam, nec spiratiuam.

15 Conf. 2. Vel per hoc prius, & posterius intelligit *Scotus* aliquā durationem etiam ima-
gina-

ginabilem, in qua sit Pater,& non sit Filius, aut Spiritus sanctus, vel intelligit solùm esse ab alio, & non esse ab alio? Primum dici non potest docente Fide *in Symb. Nihil prius, aut posterius esse in Trinitate.* Si secundum; præter inconueniens adductum vlteriùs sequitur, quòd Pater priùs spiret Spiritum sanctum, quàm spiret Filius, quia Pater spirat à se,idest per virtutem spiratiuam ab alio non receptam,Filius verò spirat per virtutem spiratiuam acceptam à Patre; sed hoc est cōtra *eundem Scotum dist.* 12. *q.*2. docentem Patrem non spirare priùs, quam Filius; aliter Filius spiraret Spiritum sanctum iam spiratum,& produceret iam productū;& sic Filius vel non spiraret, si Spiritus sanctus esset iam spiratus, & productus à Patre; vel si spiraret, iam Spiritus sanctus non esset spiratus, aut productus à Patre; ergo nulla penitus prioritas, & posterioritas propriè dicta datur in Diuinis personis.

16 Vrgetur magis. Filius *per Scotum* non spirat posterior Patre, sed æquè primò spirant; sed illud per eundem dicitur priùs spirare,quòd spirat à se; ergo Filius, si prout spirans dicitur prior Spiritu sancto,iam spirat per virtutem spiratiuam, quatenus illam habet à se,non autē quatenus habet illā acceptam à Patre; quod est falsum;nā omnia, quæ habet Filius, habet à Patre teste ipso Filio *Matt.* 11: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; ergo nulla prorsus datur prioritas propriè dicta.

17 Prob.7. *ex Toletan.* Si pro aliquo signo daretur Pater sine Filio, Pater pro aliquo signo esset sine virtute, & sapientia; nam *secundum Apost: Filius est virtus, & sapientia Patris*; sed consequens est absurdum;ergo & ant. Hoc arg. est *Beatiss.P. de Trin.lib.*6. *c.*8. dicentis *contra Arianos: Si Dei Filius virtus, & sapientia Dei est, nec vnquam Deus fuit sine virtute,& sapientia, coæternus est ergo Deo Patri Filius.* Ex quo infertur, quòd Deus Pater vel nunquam concipi potest sine Filio; vel si concipitur sine Filio, concipitur sine sua virtute, & sapientia; quod est falsum.

18 Prob. tandem. Ibi ponitur prioritas, & & posterioritas *in qua*, vbi poni potest esse, & non esse; sed in Deo nec poni, nec concipi potest non esse pro quocunque signo, etiam imaginario; ergo in Deo nequit poni prioritas, & posterioritas *in qua*. Prob.ma; nam prioritas de qua loquimur (loquimur enim de prioritate, quę intercedit inter gignens, & genitum, quæ non importat nisi esse, quod gignens communicat genito) nihil aliud dicit,nisi pręcedentiam esse; & posterioritas dicit idem, ac post non esse; ergo ibi ponitur prioritas, & posterioritas; vbi poni,vel concipi potest esse,& non esse. Mi. patet; nam Deo, qui est ipsum esse, nihil magis repugnat, quàm non esse; & sic si Deus est ipsum esse, ipsum non esse erit non Deus;ergo implicat, quòd concipiatur Deus sub non esse; nam pro quocunque signo siue reali, siue rationis, si concipimus non esse, iam concipimus non Deum.

19 Prob.2. pars concl; quòd scilicèt abusiuè abutendo proprietate vocabulorum per nostrum modum concipiendi possit in Deo admitti prioritas,quod est id,quod habet *Fund.Doct. loco cit.* Prioritas in nobis conuenit principio productiuo, & posterioritas termino producto; non tamen formaliter ratione producentis, & producti, sed ratione esse post non esse; abutimur autem vocabulo, quando ipsum à propria, & formali significatione transferimus ad significādum aliquod,quod proprie,& formaliter nō significat; sed in Deo est principium productiuum, & terminus productus, non tamen est esse post non esse; ergo cùm noster modus intelligēdi Deum sit per creaturas, applicando nomen prioritatis principio productiuo Diuino, & posterioritatis termino producto, à quibus propriè non sumitur ratio prioris, & posterioris, abutimur proprietate vocabulorum.

20 Conf. Prioritas *à qua*, quam solùm admittunt nostri *Doctores*, solùm denotat diuersum modum habendi Diuinam essentiam, scilicet quòd Pater illam habet à se; Filius à Patre; & Spiritus sanctus à Patre,& Filio; sed hæc non est propria, & formaliter prioritas, & posterioritas, quia prioritas, & posterioritas propriè, & formaliter importat esse post non esse, vt supra ostensum est; ergo est prioritas impropriè abusiuè,metaphoricè,& translatiuè.

21 Propter hoc plurimi *SS.PP*; vt *Beat. P. apud Fund.Doct.* admittunt in Deo prioritatem sine posterioritate; quod est idem, ac admittere prioritatem impropriè,& abusiuè.

22 Obijc.1. Plures *SS.PP.* appellant Patrē causam Filij, vt *Beatiss. P. lib.* 83. *qq. q.*16; vbi habet: *Deus suæ sempiternæ sapientiæ causa est sempiterna*; & *D.Chrisost.sup.Epist.ad Hebr. Intueris sine initio Filium, non quia non habet causam; hoc enim est impossibile, habet namque Patrem, alioquin quomodò Filius? Sed quia non habet initium vitæ, neque finem*; sed causa verè, & & propriè est prior causato, vt dicitur *in Phys*; ergo Pater verè, & propriè est Filio prior; & Filius Patre posterior.

Resp. *ex Greg*;quòd causa duplic iter accipi potest. 1. cōmuniter, prout idem est,ac principium. 2. strictè,& propriè, prout dicitur illa, *ad cuius esse sequitur aliud*; sic enim definitur *à Phil.*2.*Phys. SS.PP.* accipiunt causam, prout est idem, ac principium communicans naturam siue eandem, siue multiplicem. Igitur dist. mi. Causa strictè, & specialiter sumpta est prior causato, conc; communiter, & impropriè sumpta, neg.

23 Obijc.2. *Beatiss.P.in lib.de Triplici Habitac.* ait: *Cùm iusti fuerint in Patria, videbunt, quid*

quid intereſt inter generationem, & proceſſionem, & videbunt, quòd Pater præcedit Filium, non natura, ſed origine; & *lib. de Immortalit. Animæ* ait: *Nulla res ſe facit, & gignit; alioquin erat, antequā eſſet*; ergo datur vera prioritas in Deo.

Reſp. has locutiones eſſe intelligendas de prioritate, & poſterioritate translatiuè, vt dictum eſt; aliter ſibi contradiceret *in textibus ſup.* allatis, quòd non eſt dicendum.

24 Obijc. 3. *Phil. 1. Poſt. c. 2.* ait: *Idem eſt primum, & principium*; ſed Pater eſt principium Filij; ergo eſt Filio prior. Inſuper 12. *Met.t.c. 16. Phil; & Com.* hanc differentiam conſtituunt inter cauſas efficientes, & formales; quòd cauſæ efficientes præcedunt res, quarum ſunt cauſæ; formales verò non præcedunt, ſed ſunt ſimul cum illis; ſanitas enim non præcedit ſanum; ſed Pater non eſt cauſa formalis Filij, cùm ſit producens actiuè Filium; ergo Filium præcedit.

Reſp. *ex B. Doct.* quòd in creatis, quæ habent eſſe poſt non eſſe, valent illæ auctoritates; non verò in Diuinis perſonis, quæ habent idem ipſiſſimum eſſe, *vt ſup.* dictum eſt.

25 Dices *B. Doct. diſt.* 12; *& Quodl. 6. cit.* docet inter Diuinas proceſſiones dari poſterioritatem rationis, quòd ſæpe repetit; ergo admittēda eſt prioritas, & poſterioritas rationis *in qua.*

Reſp. *B. Doct.* loqui de prioritate rationis *à qua*, non *in qua*; quia loquitur de ea prioritate, qua vnum diſtinctum ratione oritur ex alio, ſic dicit eſſentiam eſſe priorem relationibus, & actibus, quæ prioritas non eſt, niſi *à qua.*

26 Obijc. 4. Quodlibet genitum habet eſſe poſt non eſſe; ſed Filius eſt genitus; ergo habet eſſe poſt non eſſe; quod autem habet eſſe poſt non eſſe, eſt verè, & propriè poſterius; ergo Filius eſt poſterior Patre. Prob. ma. Generatio eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe; ſed genito competit generatio, ergo competit tranſitus de non eſſe ad eſſe.

Reſp. *Greg.* ad 2. neg. ma. Ad prob. diſt. ma. Generatio, quæ eſt mutatio, eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe, conc; quæ eſt ſimplex communicatio naturæ ſine mutatione, & per identitatem, ſicut eſt generatio Verbi, neg.

27 Obijc. 5. Omne producens præintelligitur ſuæ actioni productiuæ, & termino producto, qui non habet eſſe, niſi per talem actionem productiuam; ſed Pater eſt producens Filium; ergo præintelligitur productioni Filij, & per conſequens eſt prior Filio. Prob. ma. Agere præſupponit eſſe, quia ſequitur ad illud; ergo omne producēs præintelligitur ſuæ actioni productiuę, & termino producto.

Conf. Habitudo naturæ ad ſuam ſuppoſitalitatem, & ad actum primum, qui eſt diſtinctio, eſt prior habitudine ad actum ſecundum, qui eſt actualis operatio; ſed habitudo naturæ ad actum primum dicit eſſe, quod recipit; & habitudo naturæ ad actum ſecundum dicit actualem operationem, ad quam refertur; ergo eſſe eſt prius operari; ergo Pater prius intelligitur eſſe, quàm producere Filium, & per conſequens eſt prior Filio. Idem dicitur proportionaliter de Filio reſpectu Spiritus ſancti.

Reſp. ad arg. diſt. ma. Omne producens præintelligitur ſuæ actioni productiuæ, & termino producto, ſi diſtinguatur ab actione productiua, & à ſuo termino in eſſe, conc; ſi non diſtinguatur, vt in caſu, neg. Ad prob. diſt. ant. Agere præſupponit eſſe in agentibus æternis, quorum actio eſt ſua ſubſtantia, neg; nam in ipſis idem eſt eſſe, & poſſe, idèſt ſubſtantia, & potentia actiua identificantur; in agentibus temporaneis, quorum actio realiter diſtinguitur à ſua ſubſtantia, cùm ſit accidens, agunt enim medijs ſuis accidentibus; & cùm accidens præſupponat ſubſtantiam, in qua fundatur, ideo agere in creaturis præſupponit eſſe, conc.

Ad conf. eodem modo diſt. ma. Habitudo naturæ ad ſuam ſuppoſitalitatem eſt prior habitudine ad actum ſecundum in his, in quibus eſſentia, & exiſtentia, ſeu ſuppoſitalitas diſtinguuntur inter ſe, & à ſua actione, quæ eſt accidēs, conc; in his, in quibus identificantur cum ſuo eſſe, neg.

28 Obijc. 6. Vbicunque eſt verus, & realis ordo, ibi eſt vera, & realis prioritas, & poſterioritas *in qua*; ſed inter Patrem, & Filium eſt verus ordo; ergo eſt vera, & realis prioritas, & poſterioritas; nemo autem diceret, quòd Filius eſt prior Patre; ergo dicendum eſt Patrem eſſe priorem Filio. Prob. ma. Ordo productionis, de quo loquimur in præſenti, ſumitur ſecundùm aliquod principium, & terminum productum; ſed vbi ſunt omnia ſimul, ibi non poteſt eſſe vnum, quod habeat rationem principij, & aliud, quod habeat rationem termini; ergo vbicunq; eſt verus, & realis ordo, ibi eſt vera, & realis prioritas, & poſterioritas.

Conf. 1. Quotieſcunq; aliqua duo ſunt omnino ſimul, non poteſt aſſignari ratio, cur potiùs vnum, quàm aliud habeat rationem principij, & aliud habeat rationem termini, niſi eo, quòd principium ſit prius, & terminus poſterior; ergo vbi eſt ordo principij, & termini, ibi eſt vera, & realis prioritas, & poſterioritas.

Conf. 2. Vbi eſt ſimultas durationis, ibi nullus eſt ordo durationis; nam inter ea, quæ ſunt omnino ſimul duratione, nullus ordo durationis eſſe poteſt, qui reperitur ſolùm inter ea, quorum vnum minùs durat, quàm aliud; ergo à pari vbi eſt ſimultas originis, ibi nullus eſt ordo productionis; ſed ſed inter Diuinas perſonas eſt ordo productionis; ergo non eſt ſimultas originis, & ideo eſt prioritas.

Reſp. ad arg. neg. ma. Ad prob. diſt. mi. Vbi ſunt omnia ſimul, ibi nequit eſſe vnum, quod habeat rationem principij durationis, conc; productionis, neg; productio enim poteſt eſſe cum ſimul-

ſimultate durationis,vt patet de quocunque effectu coæuo ſuæ cauſæ.

Ad 1. conf. neg. ant; nam ad cognoſcendum,cur vnum potiùs, quàm aliud habeat rationem principij, & aliud habeat rationem termini, quotieſcunque aliqua duo ſunt ſimul duratione,ſufficit,quòd vnum communicet eſſe alteri,& alterum recipiat eſſe ab illo; in hoc enim conſiſtit formaliter ratio principij,& termini;nō autem requiritur prioritas, & poſterioritas, niſi in his, quæ important ſucceſſionem ſecundùm diuerſum eſſe.

Ad 2. neg. paritas; nam ordo durationis neceſſariò exigit nedum diſtinctionem ſuppoſitorum, ſed etiam diuerſum eſſe, & ideo ſucceſſionem, quæ ſumitur ſecundùm diuerſa eſſe; & ideo ibi neceſſariò eſt prioritas,& poſterioritas, quæ ſumitur ex diuerſitate ipſius eſſe ſucceſſionem habentis. At verò ordo originis non reſpicit formaliter, niſi diſtinctionem ſuppoſitorum, in quibus ſi ſit formaliter idem eſſe ſubſtātiale ſtante diſtinctione reali ſuppoſitorum ſine diuerſitate eſſe,& ſucceſſione,ibi erit verus ordo abſque prioritate,& poſterioritate.

29 Poteſt etiam reſp. ad hæc omnia diſt.de prioritate *in qua* ſtrictè ſumpta, neg. de prioritate *à qua* latè ſumpta, conc.

30 Obijc.7.Vbi datur primum,& ſecūdum, ibi datur prius,& poſterius;ſed in Diuinis datur primum,& ſecundum; quia Pater dicitur perſona prima,Filius ſecunda, & Spiritus ſanctus tertia; ergo in Diuinis datur prioritas, & poſterioritas.Prob.mi; nam *in Conc.Flor.Seſſ.*20. expreſsè dicitur locutiones illas, ſecundùm quas Pater eſt perſona prima,Filius ſecunda,& Spiritus ſanctus tertia, non eſſe recipiendas,& exponendas ſola voce,& appellatione, ſed realiter, & ſecundùm ordinem naturæ, idèſt propriè, & formaliter; ergo in Diuinis propriè,& formaliter datur ratio primi,ſecundi,& tertij. Præterea inquit *Vaſq.n.*8; quòd ſi ſola voce, & per intellectum ratio primi,ſecundi,& tertij apearetur perſonisDiuinis,poſſet variari ab ipſo intellectu iſta acceptio;& ſic Pater vocari tertia Perſona,Spiritus ſanctus ſecunda, & Filius prima; ergo ratio primi,ſecundi,& tertij ita conuenit perſonis Diuinis ex eorū natura, quòd aliter eſſe nō poteſt.

Reſp; quòd primum, & ſecundum poteſt ſumi penes modum habendi eſſe ita, vt illud ſit primum,quod habet eſſe à ſe;& illud ſecundum, quod habet eſſe ab alio,& in hoc ſenſu,neg.ma; & conc. mi. Vel poteſt ſumi penes ipſum eſſe ita,vt illud,ſit primum, quod habet eſſe indepēdenter,& priùs alio;& illud poſterius, quod habet eſſe dependenter, & poſteriùs alio. In hoc ſenſu,conc.ma; ſed neg. mi; nam Filius non dependet à Patre, nec habet eſſe poſt eſſe Patris. *Conc. Flor.* loquitur in primo ſenſu. Et ſic *ad Vaſq.*dicitur quòd ratio primi, & ſecundi aptatur ſecundùm rem quantùm ad modum habendi naturam,non autem quantùm ad prioritatem, & poſterioritatem ipſius eſſe. *Vid.Fundat.Doct. diſt.9.cit.vbiſ,& Ger.in 1.reſp.ad* 4; *& in* 2.*reſp.*

31 Obijc. 8. Vbi eſt verè, & propriè originans,& originatum,ibi eſt vera, & propria prioritas,& poſterioritas originis;ſed in Diuinis perſonis eſt verè, & propriè originans, & originatum;ergo eſt vera,& propria prioritas,& poſterioritas originis.Prob.ma;quia vbi eſt originans diſtinctum tempore ab originato, ibi eſt prioritas,& poſterioritas temporis,& vbi eſt originās diſtinctum ſola natura ab originato, ibi eſt prioritas,& poſterioritas naturæ; ergo vbi originans eſt diſtinctum non tempore, nec natura, ſed ſolùm origine ab originato,ibi reperitur ſola prioritas,& poſterioritas originis propter eandem rationem.Prob.mi; nam in Diuinis perſonis datur generatio,quæ formaliter eſt origo viuentis, vt infra; ſed origo eſt inter originans, & originatum; ergo in Diuinis datur verè, & propriè originans,& originatum.

Conf.Prius, & poſterius ſecundùm naturā poſſunt ſtare ſimul in eadem duratione, quia quæ ſunt in diuerſis ſignis realibus naturæ, ſunt in eodem inſtanti temporis;ſicut quæ ſunt in diuerſis temporibus ſtant ſimul in eadem æternitate; & tamen non obſtanre ſimultate æternitatis adhuc datur prioritas, & poſterioritas temporis; ſicut non obſtante ſimultate temporis datur prioritas,& poſterioritas naturæ; ergo prius, & poſterius ſecundùm originem poſſunt ſtare ſimul cum ſimultate naturæ; & non obſtante ſimultate Diuinarum perſonarum adhuc ſaluatur vera,& propria ratio prioritatis,& poſterioritatis originis.

Reſp. ad arg.neg. ma. Ad prob. neg. conſ; & diſparitas eſt; nam vbi eſt originans diſtinctū tempore, aut natura ab originato, ibi datur diuerſum eſſe, ſecundùm quod poteſt ſumi ſucceſſio,& ideo prioritas,& poſterioritas,quæ importat ſucceſſionem;nec ſimultas temporis tollit diuerſitatem ipſius eſſe, ſicut ſimultas æternitatis non tollit diuerſitatem eſſe temporaneorum, quia plura temporalia diſtincta realiter ſecundū eſſe ſubſtantiale exiſtunt ſimul in æternitate; & plures naturæ diſtinctæ realiter ſecundùm eſſe, vt duo gemelli, exiſtunt in eodem tempore; & ideo poteſt eſſe ſucceſſio ſecundùm durationem in temporaneis;& ſecundùm naturam in coæuis, vt patet de Sole, & illuminatione; ac propterea ſaluatur vera prioritas, & poſterioritas. At verò originans, & originatum, quæ ſunt idem in natura, & eſſe, non habent diuerſum eſſe, ac proptereà ſucceſſionem habere non poſſunt, nec proinde prioritatem, & poſterioritatem. Et per hoc ad conf.

32 Obijc. 9. Si eſſet aliqua ratio, quare Pater non ſit prior Filio, & Filius Spiritu ſancto, maximè, quia perſonæ Diuinæ ſunt relatiuæ, & *relatiua ſunt ſimul natura,tempore, & cognitione*

ſed

ſed hæc ratio non obſtat,quia prius,& poſterius ſunt relatiua, & tamen hoc non obſtante prius eſt priùs ſuo poſteriori; ſicut. cauſa, & effectus ſunt relatiua, & tamen cauſa eſt prior ſuo effectu; ergo non obſtante, quòd perſonæ Diuinæ ſint relatiuæ, attamen vna eſt prior alia.

Reſp.neg.mi.Ad prob.infert. diſt. aſſumpt. Prius antecedit poſterius, & cauſa antecedit effectum,ſi conſiderentur in eſſe abſoluto,conc;in eſſe relatiuo, neg; cùm enim id, quod eſt prius, habeat diuerſum eſſe abſolutum, vt dictum eſt, ideo ſecundùm tale eſſe poteſt antecedere eſſe poſterioris. At verò Diuinæ perſonæ, cùm habeant vnum,& idem eſſe abſolutum, in quo vna nequit aliam antecedere, quia ſecundùm eſſe abſolutum nequit eſſe ſucceſſio: & ex alia parte ſecundùm eſſe relatiuum nulla poteſt eſſe prioritas, & poſterioritas, quia relatiua, prout talia, ſunt ſimul;ideo in Diuinis perſonis nulla poteſt eſſe prioritas, & poſterioritas. *Ita Toletan. ad 4. Mayr.*

33 Obijc. 10.Inter generationem Verbi, & ſpirationem Spiritus ſancti datur vera prioritas, & poſterioritas;ergo in Diuinis poteſt dari vera prioritas. Prob.ant. Inter prædicatum eſſentiale conſtitutiuum alicuius eſſentiæ, & proprietatẽ aduenientẽ; ſeu reſultantem ad eſſentiam datur prioritas,& poſterioritas; ſed generatio actiua conſtituit Patrem formaliter in eſſe Patris, & ſpiratio actiua aduenit Patri iam conſtituto; ergo inter generantem, & ſpirantem datur vera prioritas,& poſterioritas.

Conf.Vbicunque eſt ordo immediationis, & mediationis,ibi eſt vera prioritas,& poſterioritas correſpondens mediationi, & immediationi;ſed in Diuinis proceſſionibus eſt ordo mediationis,& immediationis; ergo eſt vera prioritas, & poſterioritas.Ma. patet;quia prius *ſecundùm Phil. 5. Met. c. de Priori* eſt illud,*quod eſt primo propinquius*; ergo vbicunque eſt ordo mediationis,& immediationis; qui idem eſt, ac ordo propinquitatis, & non propinquitatis, ibi eſt vera prioritas,& poſterioritas.Prob.mi;quia Spiritus ſanctus non eſt à Paternitate immediatè, ſed mediante ſpiratione actiua.

Reſp.ad arg.neg. ant; & ad prob. diſt. ma. Inter eſſentiale conſtitutiuum, & proprietatem datur prioritas,& poſterioritas, ſi habeant idem eſſe,neg;ſi habeant diuerſum eſſe,conc. Quanuis igitur ſpiratio actiua non conſtituat Patrem, & concipiatur à nobis per modum proprietatis aduenientis, attamen quia ſpiratio actiua non habet diuerſum eſſe accidentale, vt habet proprietas in nobis, ſed habet idem eſſe ſubſtãtiale, quod habet paternitas, quia ſecundùm eſſe *in omnia tranſeunt in diuinam ſubſtantiam*, in qua identificantur;ideo nulla datur ſucceſſio,nullaq; vera prioritas, & poſterioritas; aliter ſi pro aliquo priori Pater eſſet Pater, & non eſſet Spirator, daretur aliquod ſignum, in quo non eſſet *Spiritus ſanctus*; nam Spiritus ſanctus nequit eſſe ſine ſpiratore, cuius eſt correlatiuum.

Ad conf.diſt.eodem modo ma. Vbi eſt ordo mediationis, & immediationis cum diuerſo eſſe,conc;cum eodem eſſe,neg.Ad prob. dicitur, quòd *Phil.* vocat prius,quod eſt propinquius ſecundùm eſſe diuerſum,à qua diuerſitate ſumitur ſolùm prioritas,& poſterioritas.

34 Dices. Perſonæ Diuinæ habent diuerſũ eſſe perſonale, & relatiuum; ergo ſecundùm illud poteſt deſumi prioritas,& poſterioritas.

Reſp. neg. ant; non enim dantur in Deo tres exiſtentiæ relatiuæ (vt infra videbimus).Eſt ergo in Deo vnum eſſe abſolutum modificatum triplici relatione.

35 Collig; quòd quantùm ad modum loquendi, quem ſeruare debemus in hoc; non eſt concedenda in Diuinis prioritas,& poſterioritas abſolutè,& ſimpliciter, benè tamen cum aliquo additamento iuxta ſententiam noſtræ Scholæ. Eſt contra *Zum; Sua.vbi ſup;Vaſq.à n. 5. vſque ad 9;& noſtrum Luſit.à n.41. vſque ad 63.* Traditur tamen *à noſtris*,vt patet ex dictis; *& Caiet; Ban.& pluribus alijs.*Ratio autem huius eſt. In rebus Fidei imitari debemus modum loquendĩ *SS.PP; Conc;& Canonum*;ſed apud *SS. PP; Conc; & ſacros Canones* non inuenitur abſolutè, quòd Pater ſit prior Filio;imò potiùs ab ipſis negatur hæc prioritas;nam *D. Athan.in Symb.*ait:*Et in hac Trinitate nihil prius,aut poſterius*; & *Beatiſſ. P. vbiſup.Eſt ordo naturæ,non quo alter eſt prior altero,ſed quo alter eſt ab altero.* Et licèt aliquando videantur admittere prioritatem cauſalitatis,ſeu originis, attamen ſe ſe explicant per hãc prioritatem non intelligere ſucceſſionem in eſſe, in qua conſiſtit vera prioritas, ſed ſolùm communicationem eiuſdem eſſe, quæ ſolet appellari prioritas abuſiuè,& translatiuè.

ART. IX.

An inter Diuinas perſonas, & proceſſiones reperiatur verus, & proprius ordo?

1 Remanet inquirendum,an inter Diuinas perſonas,& proceſſiones detur aliquis verus ordo, quanuis non detur prioritas, & poſterioritas.

2 Et ratio dubitandi eſſe poteſt. Ordo importat habitudinem principij ad ſuum terminũ; hoc autem non videtur vniuerſaliter verum, quia Deus eſt primum principium omnium creaturarum; & tamen non dicit ordinem realẽ ad creaturas,cùm ad illas non referatur realiter. Quanuis ergo videatur verum, quòd terminus ordinatur ad ſuum principium, non tamen è cõtra;propter quod non videtur ordo mutuus ponendus in Diuinis perſonis.Præterea ideo Deus non refertur realiter ad creaturas,quia Deus nõ eſt quid ordinabile ad iſtas, aliter Deus nõ eſſet quid vltimum;ſed eſſet quid medium; ſed Diuinæ perſonæ non poſſunt habere rationem me-

dij, cùm ratio medij conueniat solùm creaturis; ergo nequeũt dicere ordinem mutuum inter se. Vt igitur hæc dissoluantur.

3 Not. *ex B. Doct. in 1. dist. 20. princ. 2. q. 1. ad 4; & ex Ger. q. 2. art. 1;* quòd ordo dupliciter sumi potest. 1. communiter prout idem est, ac relatio in communi; & sic importat habitudinem ad suum correlatiuum, quod respicit. 2. specialiter, & sic importat habitudinem duarum rerum, quarum vna habet rationem principij, altera rationem termini, & sic ordo sumitur propriè. Ordo propriè sumptus adhuc duplex est; vt tradit *B. Doct. hìc, & alibi;* alius ratione partiũ quãtitatiuarum, secundùm quem quãtitas, quæ est principium illas ordinans, vel illas ordinat ad totum secundùm se, & sic dicitur positio situalis, quæ est differentia quãtitatis; vel illas ordinat ad locum, & sic dicitur situs, qui est octauum prædicamentum: & sic *Beatiss. P.* definiuit ordinem; *lib. 19. de Ciu. c. 13.* dicens: *Ordo est parium, dispariũque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.* Alius est ratione alicuius causę, quę, cũ quadruplex sit, vt dicitur *in 2. Phys;* ideo quadruplicem ordinem importat. Non loquimur *hic* de ordine quantitatis, aut materiæ ad formam, aut formæ ad materiam, aut medij ad finem; quia certum est in Deo non esse quantitatem molis, aut materiam, aut formam, aut rationem medij ad finẽ.

4 Insuper ordo triplex est, vt docet *B. Doct. in Opusc. cõtra Exempt. c. 16.* Alius est ordo prioritatis, & posterioritatis; alius est ordo maioritatis, & minoritatis, & alius est ordo simplicis productionis. Non loquimur *hìc* de ordine prioritatis, & posterioritatis, vel de ordine maioritatis, & minoritatis; statutum enim est hos duos ordines non esse in Diuinis; de ordine igitur productionis est sermo.

5 Sicut autem aliquod potest esse producens quadrupliciter, vt notat *B. Doct. dist. 20. cit;* ita quadruplex ordo inter producens, & productum potest assignari. 1. Aliquod est productiuũ alterius rei ex nihilo, & hæc productio vocatur creatio, & secundùm hoc non sumitur ordo in Diuinis personis, quia personæ Diuinæ non fiunt ex nihilo. 2. Aliquod dicitur productiuum alterius de aliena substantia, non de propria; & hæc productio dicitur factio, vt quando Artifex ex gypso facit statuam; & secundùm hanc productionem non est ordo in Diuinis, quia personæ Diuinæ non sunt factæ. 3. Dicitur productiuum alterius de sua substantia, sed non de tota sua substantia, cùm solùm decidatur à producente pars seminalis ipsius producentis; & hæc productio dicitur generatio; & neque secundùm hanc productionem accipitur ordo inter personas Diuinas, cùm recipiant totam substantiam producentis. 4. Dicitur aliquod productiuum alterius de sua tota, & omnino eadem substantia; & hæc productio dici potest simplex communicatio esse substantialis sine partitione, diuisione, aut distinctione eiusdem; & secundùm hanc productionem sumere debemus ordinem in Diuinis personis, & processionibus, qui ordo vocatur ordo originis.

6 Tria ergo requiruntur ad rationem ordinis. 1. Distinctio realis, quia idem nequit ordinari ad seipsũ. 2. Dissimilitudo, quia vt docet *Beatiss. P; ordo est rerum disparium.* 3. quòd vnum habeat rationem principij, & alterum termini. Tãdem hæc est differentia inter principium productiuum alterius per idẽtitatem, & per distinctionem naturæ; quòd principium productiuum per identitatem ordinatur ad terminum solùm in ratione producentis, non autem in ratione causæ finalis; quia causa finalis est propter aliud; aliud autem dicit diuersitatẽ in esse, & per consequens in natura; vt *vid. q. 3. art. 13. n. 11;* vbi dicemus, quòd licèt Filius sit alius à Patre, non tamen est aliud à Patre; & ideo quanuis in Patre sit ordo realis producentis ad Filium, non tamen est ordo in genere causæ finalis, & per consequens nõ ordinatur ad illum, vt medium ad finem. At verò causa producens aliud diuersum in esse ordinatur ad illud in genere causæ finalis, vt docet *Phil;* & cùm terminus producens sit aliud à causa, idèst habeat aliud esse ab esse causæ, ideo ordinatur ad illam in genere causæ finalis, quæ essentialiter est propter aliud; vnde cũ Deus nequeat ordinari ad creaturam, vt ad finem, ideo licèt sit causa creaturæ, non tamen dicit ordinem realem ad creaturam. Per hoc soluitur ratio dubitandi.

8 Vnica concl. Inter Diuinas personas est directè, & realis ordo originis, & inter Diuinas processiones est ordo tantùm indirectè. *Ita Fund. Doct. vbi sup;* & *d. 13. princ. 2. q. 1; & d. 33. princ. 1. q. 3. §. Propter; & dist. 31. princ. 2. q. 3. §. Nam licèt; & dist. 9. princ. 2. p. 2; & Ger. ibid;* & communiter *eius discipuli;* & omnes alij communiter.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. 3. contra Maximi;* vbi ait: *In Diuinis est ordo naturæ, non quo alter est prius altero, sed quo alter est ab altero.* Vid. auctoritates adductas *in sup. art.*

9 Prob. autẽ *ex B. Doct.* Vbi datur plura realiter distincta, quorum vnum habet rationem principij, & alterum termini, ibi datur verus, & realis ordo; sed in Diuinis personis vna habet directè rationem principij alterius; & vna processio indirectè, vt dictum est *art. 2;* scilicet ratione alterius proprietatis, cui annectitur, est principium alterius; ergo datur verus, & realis ordo directè inter personas; & indirectè inter processiones.

10 Conf. 1. Ordo verè, & propriè nihil aliud est, quàm relatio producentis, & producti; sed in Diuinis datur vera, & realis relatio producentis, & producti; ergo datur verus, & realis ordo.

11 Conf. 2. Ordo in Diuinis nequit formaliter importare Diuinam substantiam, quæ est omnino vna, & indistincta; ergo formaliter importat relationem; Prob. cõsequia quidquid est in Deo, vel est quid relatiuum, vel quid absolutũ. Prob. ant.

ant. Ordo formaliter importat distinctionem realem extremorum, quæ ordinantur; sed Diuina natura non diuiditur in duas naturas realiter distinctas, & ordinatas; ergo nequit formaliter cõsistere in substantia naturæ Diuinæ.

12 Conf. 3. *ex B.Doct.dist.20. cit. §.In contrarium.* Vbi non est ordo, ibi est confusio, quæ directè opponitur ordini; sed in Diuinis personis, & processionibus non est confusio, vt diximus *cont.Sabellium q.1.art.* 5; ergo ibi est ordo. Tandem ordo dicit maximam perfectionem sine imperfectione, sicut confusio dicit maximam imperfectionem; sed omnis perfectio est in Deo; ergo & ordo.

13 Obijc. 1. Quando vnum ordinatur ad aliud, illud, ad quod ordinatur, est melius eo, quod ordinatur; sed in Diuinis vna persona, vel processio non est melior altera; ergo in Diuinis non est ordo.

Resp. *B.Doct.ad* 1. dist.ma. Quando ordinatur ad aliud, tanquam mediũ ad finem, conc; nam bonitas finis est melior bonitate mediorũ; tanquam principium ad terminum productum per simplicem communicationem naturæ sine multiplicitate, neg.

14 Obijc. 2. Si in Diuinis esset ordo, daretur vna notio communis tribus personis; sed non datur hęc notio communis omnibus tribus personis, aliter notiones Diuinæ essent plures, quàm quinq; ergo non datur ordo realiter.

Resp. *B.Doct.ad* 4; quòd ordo potest considerari, prout dicit rationem communem omnibus relationibus; & sic est impropriè ordo, & prout dicit rationem veluti differentialem talis relationis, v.g. quantitatis; & sic est verus ordo. Neg. igitur ma. de ordine propriè, & specialiter sumpto; & conc. de ordine communiter sumpto; & neg.mi; nam ordo non distinguitur ab ipsis relationibus, sed est idem cum illis, & ideo non facit numerum cum illis.

15 Obijc. 3. Vbi est ordo naturæ, ibi est distinctio in natura; sed in Diuinis nulla est distinctio in natura; ergo nullus est ordo.

Resp. dist.ma. Vbi est ordo naturæ per diuisionem naturæ, conc; per identitatem, neg.

16 Obijc. 4. Vbi est verus ordo, ibi est vera prioritas, & posterioritas; sed in Deo non est prius, & posterius; ergo nõ est verus ordo in ipso.

Resp. neg.ma. absolutè; nam ordo sumitur ex distinctione; prius verò, & posterius sumitur ex diuersitate, & successione ipsius esse; cùm ergo in Deo detur distinctio, non successio, ideo in ipso datur ordo, non verò prioritas, & posterioritas.

17 Obijc. 5. Vbi est ordo, ibi est disparitas; ordo enim solùm est rerum disparium, prout definitur *à Beatiss. P. vbi sup*; sed in Diuinis nulla est disparitas, quia datur summa æqualitas; ergo non est ordo.

Resp. *ex Ger.* dist.ma. Ibi est disparitas similitudinis, conc; inæqualitatis, neg. In Diuinis autem, licèt non detur disparitas inæqualitatis, quia omnes personæ sunt æquales; datur tamen disparitas dissimilitudinis, quia filiatio non est similis Paternitati &c.

18 Collig. ex dictis ordinem, & distinctionem absolutè, & simpliciter concedi posse in Diuinis, quia formaliter nullam inuoluunt distinctionem; non sic autem dicendum est de prioritate; & ratio est, quia hìc est modus loquendi *SS.PP*; vt patet ex dictis.

QVÆST. III.

De processione Filij in speciali.

QVælibet productio, seu processio tria essentialiter importat, scilicet principium, seu potentiam producentem, actionem productiuam, & terminum productum; quanuis autem hæc tria non exigãt distingui, nec etiam virtualiter, vt videbimus; sed solùm possint distingui secundùm diuersa munera; ideo agentes de processione Verbi Diuini in speciali ipsam considerabimus secũdùm hæc tria munera, prius agentes de ipsa, vt potentia; deinde, vt actio; tandem de subiecto, & termino, ac obiecto illius.

ART. I.

An in Deo sit potentia generandi?

1 SOlet in creaturis communiter (exceptis *Nominalibus*) distingui duplex principium, *quod*, & est ipsum suppositum operans; & principium *quo*, & est ipsa ratio agendi, quæ pariter duplex est; scilicet remota, & proxima. Ratio agendi, seu principium *quo*, vel potentia remota est ipsa forma substantialis, secundùm quã fit assimilatio inter producens, & productum. Quia tamen substantia creata non est immediatè operatiua, vt supponimus; ideo præter formã substantialem danda est virtus accidentalis, qua mediante substantia operatur; hinc dicitur, quòd substantia operatur medijs suis accidentibus.

2 Sic dicimus in Deo principium *quod* generationis esse personam Patris; principium *quo* remotum esse ipsam naturam, secundùm quam fit assimilatio inter Patrem, & Filium; & principiũ *quo* proximum esse intellectum. Non quærimus *hic* de principio *quod*, nec de principio *quo* proximo; de hoc enim egimus *in sup. q. art.* 5; sed quærimus solùm de principio *quo* remoto.

3 Prima sententia vult in Deo Patre verè, & propriè non esse potentiam; Filium tamen generari, & Spiritum sanctum spirari per non-

repugnantiam terminorum essentialiũ ita, vt nō detur in Deo alia potentia ad generandum, & spirandum, quàm potentia logica, seu obiectiua, quæ est non repugnantia terminorum. *Ita Aureol. apud nostrum Greg. in 1. dist. 7. q. 1. art. 2*; & tribuitur etiam *Henr. à nostro Ger.*

Secunda sententia vult in Deo Patre esse veram, & realem potentiam respectu termini producti; non tamen respectu ipsius productionis. *Ita noster Tol. dist. 4. art. 2. concl. 4*; quem sequitur *Gibb. hic disp. 9. dub. 1. n. 3; & Greg. noster in seq. art; & ex alijs Caiet; Canarien; Io. a S. Tho. 1. p. q. 1. disp. 16. art. 2; & alij.*

Tertia tandem sententia docet in Deo esse veram, & realem potentiam tam generatiuam, quàm spiratiuam, nedum respectu termini producti, sed etiam respectu productionis. *Ita Fundatiss. Doct. dist. 7. princ. 1. q. 1; Ger. ibid. q. 1. art. 2; Arg; & Put. p. 1. q. 41. dub. 3; Michael de Massa q. 2. art. 2*; & ex exteris *D. Tho. p. 1. q. 41. ar. 2; et plures eius Discipuli; Scot; & ceteri Theologi communiter*; pro cuius decisione.

4 Not. *ex nostris Ger; & Tol. vbi sup*; quòd multa conueniunt potentiæ generandi per se, & formaliter; & multa illi conueniunt per accidẽs, & materialiter, scilicet ratione subiecti, in quo est, ex cuius imperfectione trahit potentia generatiua multas imperfectiones. 1. Per se, & formaliter conuenit potentiæ actiuæ, quòd constituat in actu ipsum producens; agens enim non potest aliud producere, nisi sit in actu secundùm illam formam, quam producit (loquendo præsertim de generatione vniuoca) 2. quòd determinet ipsũ producẽs ad hanc potiùs productionem, quàm ad aliam; nam si constituit in actu, etiam ipsum determinat; quia *actus est, qui determinat ex Phil*; sic forma ignis determinat ignem potiùs ad productionem ignis, quàm ferri. 3. quòd necessitet ipsum ad talem actum; cùm enim talis actus sit naturalis; & id, quod est naturale, sit necessarium; ideo potentia actiua determinans producens ad talem productionem ipsum necessitat ad talem actionem. 4. quòd assimilet ipsum productum producenti, quantũ potest assimilare ita, vt si posset etiam identificare, quod est omnino assimilare sine vlla dissimilitudine, id præstet, vt contingit in generatione Diuina. Per accidens verò, & materialiter conuenit potentiæ generatiuæ. 1. quòd eius actio sit exitus de potentia ad actum, per quem terminus, qui producitur, transit de non esse; nam cùm potentia generatiua est in subiecto, quod agit ex præsuppositione materiæ, ex cuius potentia passiua agens educit formam; tunc actio est exitus de potẽtia ad actum. 2. quòd eius actio sit realis mutatio propter eãdẽ rationem. 3. quòd distinguatur realiter à sua actione, & à termino producto. Cùm enim potentia generatiua est in aliquo subiecto, quod propter suam limitationem non est sua virtus, tunc non est sua actio, neque suus terminus, qui producitur per illam actionem; virtus enim est magis proxima substantię generãtis, quàm actio elicita à virtute, aut terminus productus per illam actionem, vt patet; & quod distat ab aliquo proximo, multò magis distat ab aliquo remoto; vnde si substantia non est sua virtus, quia non est suum esse, multò magis erit sua actio, aut terminus per actionem productus.

5 Nec est eadem ratio de termino genito, & de actione generatiua; nam cùm terminus sit idem, quod per generationem producitur, & idẽ nequeat se ipsum producere; ideo inter principium, quod generat, & terminum genitum debet necessariò dari realis distinctio; at verò potentia generatiua non est id, quod generat, sed id, quo generans potest generare, & ipsa actio est id, quo generans actu generat; ergo sicuti id, quo potest generare, propter summam identitatem, & infinitam perfectionem nõ distinguitur realiter ab ipso generante, cùm sit eius forma, seu natura; ita id, quo actu generat, non distinguitur ab ipso generante, cùm sit illius formalitas, qua agit. Hæc autem est differentia inter potentiam generandi, & actionem generatiuã notionaliter sumptam; quòd actio generatiua, quia importat relationem ad terminum; ideo ratione relationis distinguitur realiter à suo termino; at verò potentia generandi, cùm non importet relationem, nisi mediante ipsa actione; ideo præcisa relatione potentia generandi non distinguitur realiter à suo termino; cùm illa potentia generãdi sit principium elicitiuum actionis, & termini; attamen ipsa secundùm se considerata non distinguitur realiter à sua actione, & à termino; quamuis actio generatiua, & suppositum Diuinum, quod per ipsam constituitur, realiter à termino distinguatur. Tum quia potentia generatiua habet tantùm communicare esse termino producto, & actio ipsius est actualis communicatio ipsius esse; communicatio autem potest esse cum distinctione, & cum identitate ipsius esse; certum enim est *apud omnes*, quòd in Diuinis communicatur natura per identitatem, & in nobis per distinctionem; sed communicatio naturæ per identitatẽ importat indistinctionem inter potentiam generatiuam, actionem, & terminum; aliter non esset communicatio per identitatem, sed per distinctionem; tum quia etiam in creatis albedo, quæ est causa formalis esse albi per identitatem cum illo, communicat se ipsam, & se communicando causat esse album; & ideo non distinguitur realiter à communicatione, aut à termino formali communicato; ergò potentia generatiua per communicationẽ identicam, sicuti est potentia generatiua in Diuinis, non distinguitur realiter à sua actione essentialiter sumpta, & à termino; quamuis persona generans distinguatur realiter à genito; & actio generatiua notionaliter sumpta, quia includit relationẽ, realiter distinguitur à termino.

actio

6 Vnica concl. In Deo eſt vera,& realis potentia generandi, nedum reſpectu termini producti,ſed etiã reſpectu actionis elicitę.

Prob.1.pars concl.1.*ex Beatiſſ.P.lib.7.de Trin.c.1. Sic ſe habet potentia ad poſſe, vt eſſetia ad eſſe,& ſapietia ad ſapere*;ſed ex eo,quòd Deus eſt, arguitur in ipſo eſſe verè, & realiter eſſentiam; & ex eo, quòd ſapit, arguitur in ipſo eſſe verè,& realiter ſapientiam; quanuis eſſe,& eſſentia;ſapere,& ſapientia,in Deo non diſtinguantur realiter; ergo ex eo, quòd Deus actu generat,vt docet *Fides*,arguitur in ipſo eſſe verè,& realiter potentiam generandi, quanuis realiter indiſtinctam.

7 Conf.1.*ex eod. lib.5. de Trin.c.14. Si gignens ad id,quod gignit, principium eſt; Pater ad Filium principium eſt, quia genuit eum.* Et *lib.4. c.12. ait: Pater eſt totius Diuinitatis, vel ſi melius dicitur, Deitatis principium*; idèſt principiũ Filij, & Spiritus ſancti; ex quo hæc formatur ratio. Potentia generatiua nihil aliud eſt, quàm principium productiuum Filij; per potentiam enim generatiuã nihil aliud intelligimus, quàm principium productiuum aſſimilatiuum formaliter in natura; ſed in Deo eſt verè, & propriè principium productiuum Filij; vt *ex Beatiſſ. P.* docet *Conc.Flor.ſeſſ.*8; vbi definitur,quòd *Pater eſt principium generatiuum Filij;& in lib.Vnionis Decreto de Proceſſ.Spiritus s*;vbi legitur Patrem, & Filium eſſe vnum principium Spiritus ſancti. Et *ſeſſ.vlt. in* 1. *Confeſſ. Latinorum*, vbi dicitur: *Credimus Patris, & Filij vnam eſſe communem poteſtatem producendi Spiritum ſanctum*; conſtat autem, quòd *Conc.* loquitur de vero, & reali principio,de vera, & reali poteſtate, ſeu potentia; aliter non excluſiſſet errorem *Hæreticorum*, qui dicebant Spiritum ſanctum verè,& realiter non procedere à Filio; ſi enim *Conc.* decreuiſſet in Patre, & Filio eſſe principium rationis, ſeu per intellectum, nihil contra ipſos decreuiſſet, qui negabant Spiritnm ſanctum procedere à Filio verè,& realiter; quidquid ſit,an procedat ratione,vel per intellectum; ergo in Deo eſt vera, & realis potentia.

Cõf.2. Implicat,quòd aliquod actu generet ſine potẽtia generatiua;ſed Deus Pater actu generat, vt docet *Fides*; ergo in Deo Patre eſt potentia generatiua,per quam actu generat. Prob. mi. Implicat, quòd aliquod ſciat,intelligat, velit &c. ſine ſapientia, intellectu, voluntate &c; ergo implicat, quòd actu generet ſine potentia generatiua; eſt enim eadem ratio. Præterea ſi poſſet dari aliqua actio ſine ſua virtute, & potentia,non poſſet aſſignari ratio, cur aqua non calefaceret, ignis non frigefaceret; auris non videret,voluntas non intelligeret, & cetera huiuſmodi, quæ dicuntur non poſſe habere tales actiones, quia carent virtutibus, & principijs propr ijs, à quibus tales actiones propriè eliciuntu r;ergo implicat,quòd aliquod actu generet ſine potentia generatiua; ita enim ſe habet actio generatiua ad potẽtiam generatiuam; ſicut actio viſiua ad potentiam viſiuam.

8 Conf.3. *ex eodem.* Sicut ſe habet eſſe reſpectu eſſentiæ; ita ſe habet actio reſpectu potentiæ actiuæ; nam ſicut eſſe eſt vltima actualitas, & vltimum complementum eſſentiæ; ita actio eſt vltima actualitas, & complementum potentiæ actiuæ; ſed non obſtante, quòd Deus ſit ipſum eſſe, & actus puriſſimus, adhuc ponitur in Deo vera,& realis potentia; ergo à pari.

9 Conf.4. Vbi eſt verè generans, vera generatio, & verè genitum, ibi eſt vera potentia generatiua; ſed in Deo verè ſunt huiuſmodi; ergo & potentia generatiua. Prob.ma; quia generans nõ conſtituitur formaliter tale, niſi per potentiam generatiuam; nec generatio elicitur,niſi à potentia generatiua; & genitum non generatur,niſi à potente generare, quia ab impotente non generatur; nec conſtituitur potens, niſi per potentiam; ſicut non conſtituitur ſapiens, niſi per ſapientiam. Tum quia ſi negatur illa maior, nulla ſupereſt via ad probandum in aliquo agente eſſe veram potẽtiam generatiuam, vt optimè obſeruat *noſter Toletan.*

10 Prob. 2.*ex noſtro Greg.* Vel Filius eſt à Patre rantùm illatiuè, vel verè productiuè? Primum dici nequit; tum quia non minùs ex Patre infertur Filius, quàm ex Filio Pater, cùm relatiua ſe inuicem inferant; & tamen ex eo, quòd Pater inferatur ex Filio, non dicitur eſſe à Filio, nec generari ab illo. Tum quia vnum attributum infertur ex alio; & tamen vnum attributum non dicitur generari ex alio; ſicut Filius dicitur ſecundùm *Fidem* generari à Patre. Si ſecundum; ergo in Patre eſt verum principium productiuum Filij; ſed principium productiuum eſt potentia actiua productiua per generationem;nomine enim potentię actiuæ generatiuæ nihil aliud intelligimus, niſi principium actiuè generatiuum; ergo in Deo Patre eſt potentia actiuè generatiua.

11 Prob. 3. Si potentia generatiua, per quam gignitur Filius,nihil aliud eſſet, quàm potentia logica, ſiue non repugnantia terminorum eſſentialium, vel aptitudo, quam habet Filius ad eſſendũ,ſequeretur. 1.quòd etiã Pater,& Spiritus s. generarẽtur; habent enim non repugnantiam ad eſſendum;non enim repugnant eſſe, & ſic omnes perſonæ Diuinæ per hanc potentiam denominarentur Filij; nec poſſet aſſignari ratio, cur in Filio eſſet non repugnantia ad generari, non in Patre, aut Spiritu ſancto; in nullo enim illorum diceret potentiam actiuam productiuam ex parte ſui principij productiui realiter diſtincti; ergo in omnibus tribus perſonis poſſet dici eſſe talẽ nõ repugnãtiam logicam ad generari; vel ſi non in omnibus, non poſſet aſſignari ratio,cur eſſet in vna, & non in alijs duabus. 2.Si potentia generatiua Fi-

Filij nihil aliud esset, quàm non repugnantia ad generari, cùm talis non repugnantia sit in Filio, Filius diceretur potens generare se ipsum,& sic verè non generaretur à Patre; nam quia homo habet non repugnantiã ad essendum animal rationale; ideo non per aliquod aliud distinctum ab homine, sed per se ipsum,idest per suã essentiam est animal rationale; quia cùm animal rationale sit essentia ipsius hominis, non potest formaliter constitui per aliquod distinctum ab homine; aliter constitutiuum essentiale, quod nihil aliud est, quàm essentia ipsius rei, esset extra rem constitutam; ergo si potentia generatiua nihil aliud esset, quàm non repugnantia, siue aptitudo ad generari; cùm hæc non repugnantia,& aptitudo sit in Filio, sequeretur, quòd Filius constitueretur in esse geniti per se ipsum,& per consequẽs à se ipso esset genitus,nõ à Patre.

3. Non repugnantia ad essendum duo importat,vt diximus *To. 1. de Omnipot. art. 4*; scilicèt connexionem terminorum essentialium intrinsecam ipsi rei, quæ non repugnat esse; & ordinem ad potentiam productiuam, per ordinem ad quam solùm potest esse, cùm nihil possit producere se ipsum, quapropter res impossibilitaretur, nedum per defectum connexionis terminorum essentialium,sed etiam per defectum potentiæ productiuæ,cùm in ordine ad ista duo dicatur non repugnare; vnde creatura nedum esset impossibilis, si repugnaret connexio suorum terminorum essentialium; v.g. homo, si repugnaret connexio animalis,& rationalis; sed etiam esset impossibilis,si repugnaret potentia creatiua, à qua essentialiter dependet; ab impossibilitate enim causæ arguitur à priori impossibilitas effectus; ergo à pari si in Filio est potentia, siue non repugnantia ad generari, arguitur, quòd dicat ordinem ad potentiam actiuam, à qua generatur;& impossibilitata tali potentia actiua impossibilitatur etiam potentia passiua ad generari; sicuti posita potentia ad generari, necessariò debet poni potentia actiua generatiua.

12 Prob. 2. pars concl. *ex B. Doct. §. Respondeo*; vbi habetur: *Secundùm rei veritatem ipsa natura potest dici potentia generandi, & id cuius virtute fit generatio*; ex quo apertè sequitur, quòd natura, quæ est potentia generatiua, est principium elicitiuum etiam ipsius actionis generatiuæ;& eius ratio sic potest efformari. Potentia productiua nedum est principium elicitiuum termini producti, sed etiam ipsius actionis, quã producitur terminus; sed potentia generatiua Filij est potentia productiua; ergo est etiam elicitiua ipsius actionis generatiuæ.

13 Prob. 2. eadem pars. Verè genitum nonminus exigit veram, & realem potentiam generatiuam,quàm veram,& realem actionem generatiuam;quia sicut potentia generatiua est principium, quo genitum generatur; ita actio generatiua est id, quo genitum generatur à generante; aliter genitũ non generaretur à potentia generatiua per veram,& realem generationem, & sic non esset verè genitum; sed actio generatiua essentialiter elicitur à potentia generatiua; quia actio,vt docet *B.Doct*, nihil aliud est,quàm egressio, qua terminus egreditur à suo principio; ergo potentia generatiua in Deo Patre nedum est principium termini producti, sed etiam ipsius actionis generatiuæ.

14 Prob.3. Quotiescunque aliqua essentialiter inter se ordinantur,primũ semper est principium, seu ratio ceterorum, vt docet *Phil*; sed potentia generatiua, actio, & terminus genitus ita inter se ordinantur saltem ordinatione essentiali, non relatiua, vt potentia sit primum istorum trium;ergo potentia generatiua dicitur elicitiua nedum termini producti, sed etiam ipsius actionis generatiuæ.

15 Prob.4. Destruendo fundamentum *Aduersariorum*. In tantùm per ipsos potentia generatiua in Diuinis non est elicitiua actionis generatiuæ, in quantùm per ipsam actionem generatiuam constituitur Pater in esse Patris; Pater autem, vtpotè innascibilis, & improductus, nequit formaliter constitui in esse Patris per aliquod productum,& elicitum,vt arguit *Toletan*; tum quia id,quod elicitur debet distingui realiter ab eliciente; sed istæ rationes deficiunt, & nihil probant; ergo potentia generatiua est elicitiua etiam actionis generatiuæ. Prob.mi.quoad 1. partẽ; nam licèt in Patre nihil sit productum, *vt quod*, per veram,& realem productionem,quæ dicit distinctionem realem inter producens,& terminum productum, attamen in ipso est aliquod, quo mediante aliud producit; quia in Patre est ipsa actio,qua generat Filium, qui est terminus *qui* productus;actio autem formalis non est necesse, quòd realiter distinguatur à principio formali eliciẽte,vt *sup.* diximus; nec talis actio verè dicitur producta,quanuis sit elicita; non enim est idẽ esse elicitũ,ac esse productum;nam intellectio Diuina,& volitio essentialis sunt veræ actiones elicitæ, quia sunt veri actus vitales; de ratione autem actus vitalis est esse elicitum, & oriri à sua potentia vitali, vt habetur ex definitione ipsius actus vitalis; & tamen non sunt productæ; quia non distinguuntur ab intelligente,& volente realiter; nec aliquis diceret, quòd actio sit id, *quod* producitur, sed id, *quo* producitur; id autem, *quo* aliud producitur, potest esse in producente absque eo, quòd producens dicatur productum; ergo quanuis potentia generatiua sit elicitiua actionis generatiuæ, per quam constituitur Pater in esse Patris; attamen Pater non dicitur constitui per aliquod productum,& receptum ab alio.

Prob. 2. pars mi. *ex nostro Michaele de Massa*; nam quanuis id, quod actiuè elicitur, vt *quod*,ab aliqua potẽtia actiua, sit realiter distinctum

ctum ab eliciente, non tamen id, quod elicitur, vt quo; sicut licèt id, quod egreditur ab aliqua Domo, sit realiter distinctum à domo; non tamen ianua, qua egreditur à domo, est distincta ab ipsa domo, cùm ianua sit pars ipsius domus; ergo falsum est, quòd actio sit realiter distincta ab eliciente. Tum quia actio formalis causæ formalis non est distincta realiter à causa formali, vt dictum est de albedine; & patet etiam de forma respectu actuationis materiæ; sed actio generatiua in Diuinis est in genere causæ formalis vitalis; ergo non est necesse, quòd distinguatur realiter à suo eliciente.

16 Conf. hæc ratio. Si actio generatiua non esset elicita à potentia generatiua, quia ab ipsa non distinguitur realiter, sequeretur, quòd nec etiam terminus productus esset verè, & realiter productus; sed hoc ab *Aduersarijs* non admittitur; ergo neque primum admitti debet. Prob. seq. Potentia generatiua non distinguitur realiter à termino producto; nam per *Aduersarios*, & præcipuè *Toletan.* potentia generatiua est essentia Diuina præcisa relatione, quæ sic considerata non distinguitur à Filio realiter; & tamen terminus productus ab ea verè, & realiter elicitur; ergo etiamsi potētia generatiua non distinguatur realiter ab actione; attamen non sequitur, quòd nō sit principiū elicitiuū actionis.

17 Conf. 2. Si actio generatiua non esset elicita à Patre, tanquam à principio elicitiuo, sequeretur, quòd non posset Pater denominari actu generans; quia suppositum non denominatur actu generans, nisi per actionem; nam per potentiam generatiuam non denominatur actu generans, sed tantùm potens generare; actio autem essentialiter dicit egressionem à potentia ita, quòd, qui tollit egressionem à potentia, tollit actionem; sed hoc est contra *Fidem*; ergo potētia generatiua est principiū elicitiuū actionis.

18 Tandem prob. Si actio non eliceretur à potentia generatiua, non daretur in Deo vita in actu secundo; quæ essentialiter consistit in actu secundo elicito à potentia; hoc autem est contra illud *Io. 14. Ego sum vita*, & Deus non esset formaliter, sed tantùm eminēter intelligēs, nec Pater produceret Filiū formaliter intelligēdo, sed tātùm eminēter; nec intelligeret se ipsū formaliter, & creaturas; quæ omnia sunt *contra Diuinas Scripturas*, & contra rationem; nam intellectio est actio elicita, est perfectio simpliciter simplex, & ideo in Deo est admittenda formaliter; ergo in Deo datur potentia generatiua etiam respectu actionis elicitæ. *Vid. de Subst. Dei vbi sup.*

19 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Vbi est potentia iuxta *Phil. 2. Met. t. c. 24. & 43*; ibi est eductio de potentia ad actum, mutatio realis, distinctio, & cæteræ imperfectiones assignatæ superius; sed in Deo non dantur istæ imperfectiones; ergo neque in ipso datur verè, propriè, & formaliter potentia generatiua.

Resp. dist. ma. Vbi est potentia impura, seu admixta alicui potētialitati, vt est in creatura, conc; vbi est potētia purissima sine vlla potētialitate, neg; *Phil. autem, & Com.* definiuerunt potētiam generatiuam, vt reperitur in creaturis; non autem, vt præscindit ab imperfectionibus, quas habet in creaturis.

20 Obijc. 2. *Phil. 12. Met. t. c. 30.* ait; quòd non omne agens habet potentiam, qua potest agere; quod exponens *Com.* ait; quòd *omne æternum est actio pura, & omne, quod est actio pura, non habet potentiam*; sed Deus est agens æternum; ergo in ipso non est potentia.

Resp; quòd *Phil; & Com.* nihil aliud volunt negare in agente æterno, nisi potentiam distinctam à sua vltima actualitate; sic enim, quando actu ageret, moueretur, & mutaretur ad aliquam perfectionem, quam priùs non habebat; & sic illa perfectio non esset æterna; aquireretur enim in tempore posteriori; & ideo non esset mouēs æternum immobile, non tamen intendunt negare potentiam summè actualem; aliter negassent ipsum esse agens, & mouens actu, cùm agens non dicatur potens, nisi per potentiam agendi.

21 Obijc. 3. Ad posse esse Patrē non datur alia potentia generatiua, quàm connexio essentialis terminorum; ergo ad posse esse Filium non datur alia potentia generatiua, quàm connexio terminorum, per quam secunda persona Diuina potest esse Filius.

Resp. Ad retorquendo argum. Esse creatorem non est produci in esse creatoris, sed est tantùm connexio horum terminorum, scilicet: *Deum esse Creatorem*, ergo in Deo non est vera potentia creatiua. Dicitur ergo, quòd ad posse esse Patrem requiritur potentia generatiua actiua, non passiua.

22 Obijc. 3. Si potentia generatiua esset in Deo formaliter, deberet esse perfectio simpliciter simplex; sed cons. est falsum; ergo & ant. Prob. ma; quia omne, quòd est in Deo formaliter, dicit perfectionem simpliciter simplicem. Prob. mi. Si potentia generatiua esset perfectio simpliciter simplex, sequeretur, quòd personæ Diuinæ non essent æquales in perfectione; nam Filio, & Spiritui sancto deesset perfectio, quam dicit potentia generatiua, quæ tamen perfectio esset in Patre; sed hoc non potest dici; nam æqualitas perfectionis Diuinarum personarum communiter asseritur *à Theologis contra Hæreticos*; ergo cons. est falsum.

Resp. neg. mi. Ad prob. dicitur, quòd potētia generatiua quantùm ad id, quod dicit perfectionis, est in omnibus personis Diuinis, vt videbimus *art. 3*; licèt quantùm ad modificationē relatiuam sit solùm in Patre. Vel dicitur, quòd sufficit omnes perfectiones esse in omnibus personis per circuminsessionem, *vt inf.*

Obijc.

23 Obijc. 6. Si in Patre esset potentia generatiua, sequeretur, quòd Pater esset potentior Filio, vt dicebat *Valentinus Gentilis Hæreticus*; quia talis potētia non esset in Filio, aut Spiritu sancto; non enim Filius, aut Spiritus sanctus possunt generare sibi alium Filium; ergo potentia generatiua non est in Patre.

Resp. neg. seq; nam cùm potentia generatiua dicat essentiam Diuinam cum modificatione relatiua, vt videbimus *in seq*; & essentia Diuina cōueniat omnibus tribus personis, ideo in ipsis est æqualis potentia, per quod optimè confunditur *Hæreticus*.

24 Obijc. 6. Illud, cuius negatio non est negatio potentiæ, non est formaliter potentia; sed negatio potētiæ generatiuæ in Filio non est negatio potentiæ formaliter dictæ; sed tantùm impossibilitatis, quia dicere: *Filius non habet potentiam ad generandum Patrem*; est idem omnino, ac asserere: *Impossibile est Patrem generari à Filio*; ergo in Deo non est potentia formaliter.

Resp. neg. mi. Ad prob. infert. dicitur, quòd Filium non posse generare Patrem, non importat defectū potētiæ generatiuæ simpliciter; quia Filio deficeret essentia Diuina, quod est *Arianū*; sed importat tantùm defectū modificationis relatiuæ, & defectum respectus ad terminum oppositum; quia Pater non est terminus oppositus potentiæ relatiuæ generatiuæ, qui terminus est solus Filius, vt patet.

25 Obijc. 7. Si potentia generatiua esset in Deo formaliter, vel esset essentia, vel paternitas; neutrum dici potest; ergo neque primum. Prob. mi. Nō essentia; quia essentia Diuina non distinguitur realiter à Filio, qui est terminus productus; potentia autem generatiua à termino genito distinguitur realiter. Non paternitas; quia paternitas est relatio consequens ad actionem generatiuam, & ex consequenti ad potentiam; tum quia paternitas non distinguitur realiter à Patre; potentia autem generatiua distinguitur realiter à generante; ergo neutrum dici potest.

Resp; quòd potentia generatiua nec est sola essētia, nec sola relatio, sed est essētia cum modo relatiuo, quem aquirit, prout comparatur ad actū generationis; vt videbimus *art. seq.* Ad 1. prob. neg. assumpt; *vt sup.* dictum est.

26 Inst. Essentia Diuina cum modo relatiuo est modificata per relationem paternitatis, & supponit ipsam paternitatem, à qua modificatur; sed potentia generatiua in Diuinis ex concessis est essentia Diuina cum modo relatiuo; ergo potentia generatiua supponit paternitatem; hoc autem est falsum; quia relatio sequitur ad actionem, & ideo ad potentiam.

Resp. *B. Doct. Quodl.* 5. *q.* 2; quòd paternitas potest cōsiderari dupliciter. 1. vt proprietas primæ personæ dans illi subsistentiam incommunicabilem, & ipsam constituens in esse personæ. 2. Vt relatio ipsam referens ad Filium. In forma igitur dist. conf. Essentia Diuina, vt modificata, supponit paternitatē consideratā, prout est proprietas tribuēs incōmunicabilitatem personalē, conc; prout relatio referens Patrē ad Filiū, neg.

27 Obijc. 8. Si potentia generatiua in Deo esset elicitiua generationis actiuæ, daretur in Deo potentia pro modum determinabilis, & perfectibilis per suam actionem; sed determinabile, & perfectibile, cùm dicat potentialitatem, importat imperfectionem; ergo non datur in Deo potentia generatiua elicitiua actionis generatiuæ. Tum quia daretur compositio saltem accidentalis; nam compositio fit ex potētia, & actu vnitis, per quod tolleretur sūma simplicitas Dei.

Resp dist. 1. part. ma. Si potentia generatiua in Deo esser elicitiua actionis generatiuæ cum distinctione reali, daretur potentia determinabilis, & perfectibilis, conc; cum idētitate reali, neg. Et sic ad aliud.

28 Obijc. 9. Actio generatiua non est quid reale realiter in Deo existens; ergo potentia generatiua; non est verè, & realiter elicitiua actionis generatiuæ. Prob. ant. Actio generatiua non distinguitur à potentia generatiua realiter; quia in Deo nihil realiter distinguitur ab essentia Diuina; nec virtualiter, quia potentia, & actio pertinent ad eandem lineam, sed distinguitur tātùm ratione; ergo est quid rationis; & ideo non est ens reale.

Resp. dist. ant. Actio generatiua nō est quid reale realiter in Deo existens, & distinctum realiter ab ipso Deo, conc; non est quid reale realiter in Deo existens indistinctum realiter à Deo, neg; ex eo nanque, quòd actio generatiua non distinguatur realiter à Deo, non arguitur; quòd nō sit in ipso realiter; sicùti licèt paternitas non distinguatur realiter à Diuina essentia, non arguitur, quòd prima persona Diuina verè, & realiter non sit Pater.

29 Obijc. 10. Si actio generatiua eliceretur à potentia generatiua, iam supponeret potentiā generatiuam; ergo supponeret personam Patris iam constitutam in esse Patris; *cùm actiones sint suppositorum*; sed hoc est falsum, quia actio generatiua, cùm sit idem, ac paternitas, est cōstitutiuū formale personæ Patris; constitutiuum autem nequit supponere constitutum; aliter causa formalis supponeret suū effectū formalē; ergo actio generatiua non est elicita à potētia generatiua.

Resp. sicut dictum est ad inst. superiùs allatam *num.* 26.

30 Obijc. 11. Formale constitutiuum personæ Patris debet esse aliquod formaliter improductū; Pater enim est prima persona formaliter improducta, vt superiùs dictum est; sed Pater cōstituitur formaliter in esse Patris per actionem generatiuam; ergo actio generatiua non potest esse elicita, quia esset producta; elicitum enim, & productum idem est.

Hoc arg. fuit solutum *n.* 15. Additur, quòd actio

ratio generatiua constituit personam Patris, vt est proprietas subsistens incommunicabiliter, nõ prout est actus elicitus; & sic formale constitutiuum non est quid elicitum. Prætereà esse elicitum, & esse productum valde distant inter se, vt diximus *n.* 15. *vbi*.

Cæteræ obiectiones solutæ sunt *q.* 2. *art.* 3; *& de Subst. Dei vbi*.

ART. II.

Quid importet formaliter Diuina potentia generatiua?

1 Prima sententia vult potentiam generatiuam in Diuinis importare formaliter solam relationem paternitatis. *Ita Dur. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *ar.* 2; *Garro in* 1. *dist.* 7. *apud nostrum Greg; inf; D. Bon. dist.* 7. *q.* 1; *Aestius, & alij*.

Secunda sententia vult potentiam generatiuam in Diuinis importare solam Diuinam essentiam præcisè sumptam. *Ita noster Toletan. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 2; 3; *&* 4; & tribuitur etiã *Gabr. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1; 2; *&* 3; *Sua. de Trin. lib.* 6. *c.* 5; *Mol.* 1. *p. q.* 41. *art.* 2; & *à Vasq.* citatur etiam *Scotus*.

Tertia sententia vult importare formaliter Diuinam essentiam simul, & relationem paternitatis. Ita censetur sensisse *D. Tho.* 1. *p. q.* 41. *art.* 5; *Caiet. ibid; Canar; Ban; Zum; Vasq. disp.* 164. *c.* 3; *Capr. dist.* 7. *q.* 1. *art.* 1. *concl.* 2; *&* 3; *Marsil. q.* 11. *art.* 2. *concl.* 3; *&* 4; *Ferrar.* 4. *cont. Gent. c.* 13; *Val. de Trin. c.* 15. *puncto* 2. *conc.* 2; *&* 3; *& ex nostris Argent. in* 1. *dist.* 6. *q.* 1 1. *art.* 1. *conc.* 2; *&* 3; *& Putean.* 1. *p. q.* 41. *dub.* 3; *Antolinez; Petrus Cornejus; & Gibb. hic disp.* 9. *dub.* 2. *S.* 3; & cõmuniter *omnes Thomistæ*; qui tamen in modo explicandi maximè discordant.

Aliqui enim volunt potentiam generatiuam formaliter importare principaliùs relationem, quàm Diuinam essentiam.

Alij importare essentiam principaliter, & in recto; in obliquo tamen connotare paternitatem. *Ita plerique Thomistarum apud Io. à S. Tho. q.* 39. *disp.* 16. *art.* 3; *Gibb. &c.*

Alij tãdem importare essentiam Diuinam, & relationẽ æquè in recto. Ita *Putean; & Valen.*

Quarta sententia vult potentiam generatiuam in Diuinis non esse essentiam Diuinam, nec relationem; concedit enim solum principium *quod*, & negat omne principium *quo*. *Ita noster Greg. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 2; *Aureol. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 2; *& alij*.

Vltima tandem sententia docet potentiam generatiuam in Diuinis importare formaliter Diuinam essentiam cum modo relatiuo, quem importat respectu actus generationis, atque adeo importare aliquod relatiuum *secundùm dici*, non autem *secundùm esse*; quanuis ad hoc, vt hæc potentia generatiua exeat in exercitium actualis generationis, sit necessaria proprietas Patris constitutiua tanquam conditio necessariò exigita. Ita *B. Doct. in* 1. *dist.* 7. *princ.* 2. *q.* 2; *et dist.* 11. *princ.* 2. *q.* 3; *& sæpe alibi; Ger. ibid. q.* 1. *art.* 1; *&* 3; *M. Conson; Gamboa, & omnes veri Fundatiss. Doct. alumni*; quibus adhæret *Sua; Mol; & Alarc. de Trin. Tract.* 4. *disp.* 6. *c.* 2. *n.* 11; *& seq. Io. à S. Tho*; & hanc vult esse mentem *D. Tho*; quanuis aliter explicet illum modum relatiuum.

2 Ex dictis *in sup. art.* patet in Diuinis esse admittendam potentiam generatiuam, seu principium *quo* remotum Diuinæ generationis. 1. Quia principium *quo* remotum est illud, secundùm quod fit assimilatio in natura inter generans, & genitum; vt docet *Phil*, sed in Diuinis datur principium assimilans in natura generans, & genitum; ergo datur principium *quo* remotum Diuinæ generationis. 2. Quia *Agens in tantùm agit, in quantùm est in actu secundùm illam formam, secundùm quam agit*, v. g. homo generat hominem, quia actu habet in se animam rationalem; & ignis calefacit, in quantùm habet in se formam caloris &c; sed forma, secundùm quam agens agit, est principium *quo* talis actionis; ergo omne agens habet in se principium *quo* agendi; sed ita se habet generans ad generare; sicut agens ad agere; ergo generans in tantùm generat, in quantùm habet in se principium *quo* generandi. 3. Quia, vt arguit *noster Toletan*, si non daretur potentia generatiua in Diuinis, maximè, quia non distinguitur à paternitate, & ideo paternitas, & essentia solùm sunt vnum principium *quod* adæquatum, vt ait *Greg*; sed quanuis essentia, & paternitas sint idem realiter, attamen aliquid realiter competit Patri ratione essentiæ, quod ei nõ competit ratione relationis, vt quòd sit cõmunicabilis; ergo licèt esẽtia, & paternitas sint idẽ; attamẽ ratio potẽtię generatiuę ei potest competere ratione essentiæ, non ratione relationis. Tandem quia potentia generatiua non exigit ex suo conceptu essentiali distingui ab actione, & à termino, vt dictum est *sup.*

3 Non loquimur *hic* de potentia generatiua specificatiuè sumpta, seu quasi materialiter, prout potest esse potentia, seu prout potest fundare respectum requisitum ad generandum; de hoc enim dicemus inferiùs *art.* 4; sed sermo est de potentia generatiua reduplicatiuè, & formaliter sumpta, prout est potentia formaliter generatiua secundùm omne id, quod requiritur ad rationem formalem potentiæ generatiuæ.

4 Certum est 1. secundùm omnes meram conditionem non ingredi constitutionem formalem rei, ad quam exigitur; vt approximatio, quæ est conditio requisita, vt ignis agat, non cõstituit formaliter potentiam actiuam ignis.

5 Certum est 2. Existentiam esse vtique conditionẽ requisitam ad agendum, quia *actiones sunt existentium*, vt docet *Phil*; non tamen esse rationem formalem, seu virtutem constituentem formaliter agens potens agere; nam existẽtia est communis omnibus rebus; virtus autem est specialis, quia existentia conuenit alijs rebus ab ho-

homine, quibus tamen non conuenit potentia generatiua hominis, vt patet; sic existentia conuenit aquæ, cui tamen non conuenit ignefacere; quamuis adhoc, vt ignis ignefaciat, requiratur, quòd sit existens. Si autem existentia esset ratio formalis constitutiua potentiæ generatiuæ; vbicunq; reperitur existentia, ibi reperiretur potẽtia generatiua; quia vbicunque reperitur constitutiuum, ibi reperitur constitutum; vt patet de rationalitate, quæ vbi est, ibi est homo; sed multa existunt, quæ non habent potentiam generatiuam; ergo existentia non est ratio formalis cõstitutiua potentiæ generatiuæ; sed requiritur solùm, vt conditio.

Præterea docet *Phil. Naturam esse principium operandi*; patet autem, quòd existentia non est natura ipsius rei; quia existentia est communis omnibus substantijs; quæ tamen habent diuersam naturam propriam cuilibet substantiæ, vt patet; ergo existentia non est principium, sed conditio tantùm ad operandum.

6 Sicuti autem se habet existentia in suppositis absolutis; ita se habet relatio, seu proprietas personalis in suppositis relatiuis, seu in personis Diuinis, vt diximus *q.1.art.4.n.*40; *& q.2.art.4.n.* sicut enim existentia indiuidua est ratio constitutiua suppositi absoluti, quia est ratio, in qua differunt; Petrus enim non differt *à Paulo* in ratione naturæ, & essentiæ, sed in ratione talis existentiæ indiuiduæ; ex qua simul cum natura constituitur suppositum; vt diximus *To. 1. de Subst. Dei q.1.art.3.§.3.n.23*; ita relationes Diuinæ constituunt supposita Diuina, quia sunt rationes, in quibus differunt, & non communicant. Igitur sicut existentia in creaturis non est, nisi conditio requisita ad agendum, ita se habẽt relationes in Diuinis.

7 Cùm igitur in Diuinis personis præter relationem nõ reperiatur nisi essentia, superest, quòd si relatio non est ratio constitutiua potentiæ generatiuæ, constituatur per essentiam. Verùm quia potentia constituitur per ordinem ad actum, à quo ordine specificatur; & ideo potentia, licèt sit de genere absoluto, habet tamen modum relatiuum, quapropter dicit relationem *secundùm dici*; propter quod essentia Diuina absolutè sumpta, prout est in tribus personis, nõ est potentia generatiua formaliter sumpta; sed solùm essentia, prout habet importare relationẽ *secundùm dici*, seu modum relatiuum. Hoc autẽ explicat *Fundatiss. Doct. hìc, & Quodl. 4.q.8; & de Sacram. Altaris proposit. 27; & dist. 15. p. 1. princ. 1.q.2.* sic. Prædicamenta sibi communicant suos modos ita tamen, vt non communicent sibi suas entitates, seu formalitates; hinc communiter diuiditur relatio in relationem *secundùm esse*, quæ secundùm suam quiditatem importat puram entitatem relatiuam; & in relationem *secundùm dici*, quæ dicitur relatio, seu habet modum relatiuum, nõ tamen est relatio secundùm suam entitatem, sed est quid absolutum. Dat duplex exemplum *B. Doct.* vnum in naturalibus de scientia, quæ secundùm suam entitatem est quid absolutum, est enim de genere qualitatis, & tamen habet modum relatiuum, quia dicit ordinem ad obiectum; & de forma substantiali, quæ aduenit materiæ per modum qualitatis, vt ait *Phil. 5. Met. t. c. 19.* dicens: *Qualitas vno modo dicitur de forma substantiali*; & sic omnes differẽtiæ substãtiales dicuntur prædicari per modũ qualitatis, quia prædicantur per modum aduenientis generi. Idem dicitur de qualibet potentia, & in supernaturalibus de quantitate in Sacramento Altaris, quæ habet modum substantiæ, cùm existat in se, & per se sine subiecto; & tamen entitas qualitatis est accidens, non substantia, aliter non esset miraculum, quòd existeret sine subiecto; sic natura humana Christi habet modum accidentis, quia existit per existentiam alterius, non per existentiam propriam, & tamen secundùm suam entitatem non est accidẽs. Igitur licèt potentia generatiua, *vt sic*, sit quid absolutum; vel enim loquimur de potentia remota, & est substantia; vel de proxima, & sic est qualitas; & tamen potentia generatiua importat modum relatiuum, seu relationem *secundùm dici*; quia importat ordinem ad suam actionem, à quo ordine specificatur, vt omnes consentiunt.

8 Essentia ergo Diuina, non quidem absolutè sumpta, sed prout dicit modum relatiuum ad actionem generatiuam, est potentia generatiua in Diuinis. Ex quo patet essentiam Diuinam non trahere illum modum relatiuum ex vnione ad relationem; relatio enim est quid posterius ad conceptum potentiæ; ideo ordo ad illam nequit constituere potentiam; sed ab ordine ad actum generationis; nam omnis potentia specificatur ab ordine ad suum actum, vt communiter dicitur *à Philosophis*; vnde malè explicant, & accipiunt, & peiùs impugnant istum modum relatiuum *noster Toletan*; putans *B. Doct.* velle, quòd essentia Diuina trahat istum modum ex vnione ad relationem; sicut malè explicant *Suar. Mol. Alarc. & alij*, quarum explicationes dimittimus tanquam insufficientes.

9 Quanuis tamen Diuina essentia sit potentia generatiua; attamen actio generatiua ei non tribuitur, & ideo non valet: *Essentia generat*; & rationem tradit *B. Doct. in 1. dist. 7. princ. 2. q. 3*; nam *actiones sunt suppositorum*; & ei tantùm tribuitur, cui competit per se agere; sed supposito solùm competit per se agere, quia est id, quod agit; natura verò non est id, quod agit, sed id, quò agit, ideo generare non tribuitur essentiæ Diuinæ, quanuis sit id, quo Pater generat.

10 Vnica concl. Potentia generatiua, seu principium *quo* remotum est diuina essentia, quatenus per intellectum dicit modum relatiuũ ad actionẽ generatiuam; ipse autem intellectus, quatenus dicit modum relatiuum ad actionem

generatiuam est principium *quo* proximum; relatio verò est tantùm conditio.

Prob. 1. pars concl. *ex Conc.Flor.sess.*10; vbi habetur: *Dixi Filium ex Patre, & ex Patris substantia generari ita tamen, vt persona sit producens, & generans, principium autem quo ipsa persona generat sit id solùm, quod communicabile est*,& paulò post: *Patris persona est generans; Diuina verò natura est generatiuum principium*. Ex quo sic. Persona Patris est ipsum producens, & generans,*vt quod*; Diuina verò natura est principium *quo* Diuinæ generationis,non est autem principium *quo* Diuinæ generationis,nisi quatenus communicabilis Filio per generationem; & Diuina natura, vt communicabilis Filio per generationem,est natura cum modo relatiuo; modus enim relatiuus, quem importat Diuina natura in Patre, & qui est proprius solius Patris, est communicabilitas per generationem;in Filio enim natura non est actiuè communicabilis, sed est passiuè communicata à Patre; ac propterea modus relatiuus, quem dicit natura in Filio,est communicatio actualis passiua per intellectum; sicut modus relatiuus proprius, quem importat in Spirito sancto,est spiratio passiua per voluntatem:ergo principium formale *quo* Diuinæ generationis iuxta *Conc.* importat naturam Diuinam cum modo relatiuo, scilicet cum communicabilitate.

11 Prob.2.*ex Beatiss. P.* 15. *de Trin.c.* 13; vbi docet: *Nostrum Verbum,quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi Verbo Dei, quod natum est de Patris essentia*. Ex quo sic. Principinm formale *quo* verbi creati,quod nascitur de scien tia creata,est ipsa scientia,de qua nascitur; sicut principium formale *quo* amoris creati est ipsa voluntas,de qua nascitur; ergo principium formale *quo* generationis Verbi Diuini est ipsa essentia Patris,de qua nascitur.Item c.20.habet: *Filium Dei esse natura genitum*. Et *lib.*3.*contra Maximin. c.*12. in fine: *Filium quippe ipsum genuit vtiq; Patris natura*. Et 15.*de Trin.c.*20.*cõt. Eunomium* asserentem Filium Dei esse Filium voluntate ait: *Vnigenitum Dei Verbum,per quod facta sũt omnia,Filium Dei esse natura,hoc est de substantia Patris genitum*; sed id, quo gignitur Filius,est potentia, seu principium *quo* generationis illius;ergo natura est principium formale *quo* generationis Verbi.

12 Præterea prob.*ex Phil.*3.*Phys.t.c.*33. dicente:*In æternis idem est esse, & posse*; sed Deus est æternus; ergo eius potentia idem est, ac eius existentia;sed essentia Dei est idem, ac eius existentia sine distinctione etiam virtuali, vt diximus *Tom.* 1. *de Subst. Dei q.* 2. *art.*3. §. 2; ergo potentia generatiua in Diuinis importat formalissimè essentiam Diuinam. Præterea *idem Phil.* docet, quòd *natura est principium operandi*; sicut enim essentia ordinatur ad esse, seu ad existentiam,ita natura ordinatur ad operationem; ergo principiũ formale *quo* Diuinæ generationis importat formaliter Diuinam naturam.

13 Prob. 3. ex *nostro Ger.* Potentia generatiua est illa,secundùm quam attenditur assimilatio inter generans,& genitum, vt dictum est *in sup.art.n.*4;sed sola essentia Diuina est id, in quo fit assimilatio inter Patrem, & Filium; quia inter paternitatem, & filiationem est dissimilatio,cùm sint relationes disparatæ;vt patet; ergo essentia Diuina est principium formale *quo* generationis Verbi Diuini.

14 Conf. Si natura Diuina non esset principium formale *quo* Diuinæ generationis, Verbum Diuinum non procederet formaliter per naturam Diuinam,nec procederet,vt simile formaliter ex vi suæ processionis;nec procederet,vt genitum, aut vt Filius; sed consequens est falsũ; ergo & antecedens.Prob.seq. In tãtùm dicimus, quòd Verbum procedit,vt simile in natura, vt genitum,& vt Filius;in quantùm natura est principium formale *quo*,per quod procedit;nam etiã Spiritus sanctus procedit per naturam identicè, & tamen non dicitur procedere ex vi suæ processionis,vt similis,vt genitus, vt natus, & vt Filius, vt infra dicemus; quia principium *quo* procedit,non est natura,sed voluntas, quæ est attributum virtualiter distinctum à natura;Filius autem,cùm procedat per intelligere Diuinũ, quod est vltimum,& formalissimum constitutiuum naturæ Diuinæ,formaliter procedit per naturam, tanquam per principium *quo*; ergo si natura Diuina non esset principium formale *quo* Diuinæ generationis,Verbum Diuinum non procederet formaliter per naturam Diuinam, vt simile, vt genitum,& vt Filius;& eius processio non haberet,per quod distingueretur à processione Spiritus sancti in eo,quòd vna est generatio,& altera non est generatio;in tantùm enim processio Verbi dicitur generatio,in quantùm principium formale processionis Verbi est natura, quæ tamen non est principium formale processionis Spiritus sancti.

15 Prob.4.Potentia formalis generatiua importat formaliter id, quo agens redditur communicabile genito; sicut enim generatio actualis est ipsa actualis communicatio esse genito; ita potentia generatiua est id,quo generans redditur potens communicare esse genito; sed sola natura Diuina est id, quo Pater redditur potens communicare esse Filio;nam relatio,vtpotè simpliciter incommunicabilis, nequit facere communicabile; implicat enim, quòd id, quo redditur Pater incommunicabilis Filio, reddat ipsum communicabilem; ergo sola essentia, prout dicit modum relatiuum communicabilitatis propriũ Patris,est potentia generatiua.

16 Prob. 5. *ex B.Doct.in* 1.*dist.*20.*p.*1.*q.*2. Quælibet potentia productiua formaliter continet illud esse,quod per illam communicatur;ergo potentia generatiua in Diuinis formaliter im-

importat Diuinam eſſentiam. Ant. patet; nam Nemo dat, quod non habet; & ideo ſi potẽtia productiua dat eſſe termino producto, debet illud eſſe in ſeipſa continere; tum quia, vt ait Fund. Doct. Quodl. 5. q. 15. Agens debet eſſe in actu ſecũdùm illam formam, quam debet communicare; aliter non eſſet ratio, cur Agens determinaretur potiùs ad hos effectus, quàm ad illos; ſed quodlibet Agens poſſet producere quemlibet effectum; & ſic planta nedum produceret hos fructus, ſed etiam alios diuerſæ ſpeciei, imò produceret etiam animalia, & omnes alios effectus genericè diuerſos; in tãtùm enim dicimus, quòd planta producit tantùm hos fructus, & non alios ſpecie diuerſos, aut alios effectus genericè diuerſos, in quantùm in eius virtute continentur tantùm hi fructus, & non alij, aut alij effectus genericè diuerſi; ergo potentia productiua formaliter importat continentiam illius eſſe, quod communicat termino producto. Prob. conſ. Sola eſſentia Diuina continet in ſe ipſa omne eſſe abſolutum, & relatiuum, quod Pater communicat Filio, quia iſta eſt fundamentum omnium attributorum, & relationum, & ideo continet etiã filiationem, quam Pater communicat Filio; Paternitas verò nec continet eſſentiam, nec filiationem, quia vnum oppoſitum nequit continere aliud, ergo ſola eſsẽtia eſt potẽtia generatiua.

17 Prob. 2. pars concl.; nam potentia, vt dictum eſt, dicit ordinem ad actum, à quo ſpecificatur; ſicut actus dicit ordinem ad obiectum, à quo ordine pariter ſpecificatur; quando enim Phil. docet; quòd potentiæ ſpecificantur per actus, & actus per obiecta, intelligitur communiter, quòd potentiæ ſpecificentur per ordinem ad actus, & actus per ordinem ad obiecta; poteſt enim contingere, quòd actio ſit tranſiens, & per conſequens extra potentiam; & obiectum pariter ſit extrinſecum actui; nullum autem ſpecificatiuum eſt extrinſecum; quia ſpecificatiuum eſt conſtitutiuum formale, quod neceſſariò eſt intrinſecum; ordo tamen potentiæ ad actum ſemper eſt intrinſecus, ſicut ordo actus ad obiectũ; potentia ergo dicit eſſentialiter ordinẽ ad actũ, à quo ſpecificatur; tum quia potentia eſt alicuius actus potentia, ſicut Pater eſt alicuius Filij Pater; ſed Pater ex eo, quòd eſt alicuius Filij Pater, dicit ordinem ad Filium; ergo potentia ex eo, quòd eſt alicuius actus potentia, dicit ordinẽ eſſentialiter ad actum; ſed ille ordo non eſt vera relatio de prædicamẽto relationis; eſt enim tantùm modus relatiuus; ſicut modus ſubſtantiæ in quantitate panis Euchariſtici nõn eſt ſubſtantia panis, aliter non eſſet deſtructa per conuerſionem tota ſubſtantia panis, quod eſt contra Fidem; ſed eſt ſolùm modus ſubſtantiæ, & dicitur ſubſtantia ſecundùm dici, attamen ſecundùm rem eſt accidens, quòd dicendum pariter eſt de humanitate aſſumpta; & de ſubſtantijs ſecũdis, quæ ſunt qualitates ſecundùm dici, non ſecundùm eſſe; tum quia ſi ille ordo eſſet relatio de prædicamento relationis formaliter, eadem res formaliter eſſet in duplici prædicamenro, quod eſt abſurdum; ergo ille ordo eſt tantùm modus relatiuus.

18 Prob. 2. Potentia generatiua dicit Diuinam eſſentiam, vt communicabilem Filio; ſed Diuina eſſentia, vt communicabilis Filio, importat aliquem modum proprium ſoli Patri, quia Diuina eſſentia, vt eſt in Filio, eſt, vt communicata à Patre; & vt eſt in Spiritu ſancto, eſt communicata ab vtroque; quod autem eſt propriũ alicuius perſonæ, eſt relatiuum, non abſolutum, cùm abſoluta ſint omnibus communia; ergo potentia generatiua importat Diuinam eſſentiam cum modo relatiuo.

19 Quòd autem principium formale quo proximum generationis Verbi ſit intellectus; & principium quo proximum ſpirationis Spiritus ſancti ſit voluntas, iam probatum eſt q. 2. art. 4.

20 Prob. vlt. pars concl. Relatio Diuina eſt tantùm conditio neceſſariò requiſita ad actionem; ergo neque in recto, neque in obliquo poteſt eſſe formale conſtitutiuum potentiæ generatiuæ. Ant. patet ex dictis; ſicuti enim ſe habet eſſe in ſuppoſitis abſolutis creatis; ita ſe habet relatio in ſuppoſitis relatiuis Diuinis, quia ſicut eſſe indiuiduat ſuppoſitum abſolutum, ita relatio indiuiduat ſuppoſitum relatiuum; ſed eſſe in ſuppoſitis abſolutis ſe habet tantùm, vt cõditio, vt oſtenſum eſt; ergo & relatio in ſuppoſitis relatiuis eſt mera conditio.

21 Prob. 2. Relatio ex Phil. nullius eſt actiuitatis; tum quia ſupponit actionem, ad quam ſequitur; ergo multò magis ſupponit potentiam generatiuam, quæ eſt prior actione. Tum quia per relationem nulla fit aſſimilatio, vt dictum eſt. Tum propter alias rationes, quibus probata eſt 1. pars; ergo relatio eſt tantùm conditio; id enim, quod requiritur ad aliquam actionem, nec conſtituit formaliter potentiam actiuam, eſt mera conditio, vt patet.

22 Prob. 3. Si relatio ſimul cum Diuina eſſentia conſtituerent formaliter potentiam generatiuam, ſeu principium formale quo Diuinæ generationis, ſequeretur, quòd principiũ quod, & principiũ quo nõ differrent inter ſe; nam principium quo conſtitueretur per eſſentiam, & relationem, ſicuti conſtituitur principium quod; ergo iſtæ ſentẽtiæ æquiuocãt de principio quod, & principio quo; ſed æquiuocatio, ſeu confuſio principij quo cum principio quod eſt tollenda, vt diximus contra Aureol; & noſtrum Greg. propter rationes ibidem adductas; ergo relatio nullo modo ingreditur formale conſtitutiuum generationis Diuinæ.

Aliæ rationes allatæ à noſtris DD. ommittuntur, quia graues patiuntur difficultates.

23 Obijc. 1. Henr. Actus proprius, & incõmunicabilis eſt à forma propria, & incommunica-

nicabili, tanquam à suo principio formali *quo* elicitiuo; sed generatio actio est actus proprius Patris, & incommunicabilis; ergo est à principio proprio, & incōmunicabili; sed huiusmodi principium non est essentia, sed relatio; ergo potentia generatiua non importat formaliter essentiam, sed relationem. Prob.ma.ex *Phil.2.Physf.&* *5.Met.* dicente; *quòd causa, & effectus sibi debent correspondere;* & ex *Beatiss.P. lib. de Fide ad Petrum,* vbi docet: *quòd generare est opus paternæ proprietatis;* & *9.de Trin.c.6;* vbi ait: *Pater ex eo est Pater, quo est ei Filius.*

Resp. 1. neg. supp.ma; nam actiones non attribuuntur principio formali *quo*, sed principio *quod*, vt *sup.* dictū est. 2. *resp.B.Doct.ad 1.* neg.mi; nā essentia, prout substernitur tali modo relatiuo, scilicet, prout communicatur per actionem generatiuam, non est, nisi in Patre, & ideo est propria Patris. 3. Neg.ma; nam actio generatiua est à potentia, prout communicat esse genito, & ideo nequit esse à forma incommunicabili; repugnat enim formam incommunicabilem communicari, vt *sup.* diximus. Ad *Phil.* dicitur, quòd loquitur de principio *quod*, non *quo*, vt explicat *B.Doct.2.Phys.t.38.* Additur, quòd cùm effectui communicetur esse à sua causa, ideo si causa debet correspondere effectui, debet ei communicare esse, & ideo debet esse à causa communicabili effectui. Ad 1. *Beatiss.P.* dicitur similirer loqui de principio *quod*, non *quo*; non quòd relatio præcisa essentia sit principiū *quod*; sed quia ipsa proprietas relatiua constituit personam Patris, quæ est principium *quod*. Ad 2. dicitur, quòd loquitur de constitutiuo formali personæ; non autē de constitutiuo formali potētiæ generatiuæ; vt patet ex ipsis verbis allatis.

24 Obijc.2. Ideo solùm Verbum est incarnatum, quia terminatio naturæ humanæ fuit facta à sola proprietate relatiua Verbi, & principium illius terminationis fuit filiatio; ergo ideo generare est proprium Patris; quia principium *quo* elicitiuū illius est proprietas relatiua Patris.

Resp. 1. neg. supp. conf; generare nanque, vt dictum est, attribuitur principio *quod*, non principio *quo*, quia princi pium *quo* non est id, quod generat, & ideo non valet: *Essentia generat*; sed est id, quo suppositum generat; vnde generare est proprium Patris; quia principium *quod*, cui attribuitur actio generatiua, non est quid commune ceteris personis Diuinis; sicut terminare est proprium proprietatis Filij, quia principium *quod* terminans est persona Filij, quæ est quid proprium, non quid commune.

Resp. 2. quòd terminare naturam humanam est illam reddere incommunicabilem alieno supposito; propterea principium terminans debet esse ipsa proprietas Filij, quæ est formaliter incommunicabilis; at verò esse principium *quo* Diuinæ generationis non est reddere naturam incommunicabilem, sed est esse principium communicandi naturam Filio; vnde dicit quid commune, non quid proprium.

25 Obijc.3. Forma, quæ dat actum primū, qui est esse, dat etiam actum secundum, qui est operari; sed proprietas relatiua Patris dat esse personale Patri, quod est actus primus; ergo dat etiam illi generare; & per consequens est principium *quo* Diuinæ generationis. Prob. ma. Forma dans actum primum, & non secundum, est forma imperfecta, quia nō dat vltimam perfectionem, quæ est actus secundus, à quo sumitur vltima perfectio; ergo in Diuinis, vbi nulla est imperfectio, forma, quæ dat actum primum, scilicet quę dat esse, dat etiam actum secundùm, scilicet operari.

Resp. dist.ma. Forma, quæ dat actum primum, vt *quod*, dat etiam actum secundum, qui est operari, vt *quod*, conc; & in hoc sensu conc. mi; quòd scilicet paternitas det actum primum, vt *quod*, & operari, vt *quod*; quia paternitas constituit suppositum Patris, quod est principium *quod* operatiuum. Forma, quæ dat actum primum vt *quo*, seu specificū, dat actū secundū, vt *quo*; idest cōmunicationem naturæ, neg; & in hoc sensu neg.mi. Ad prob. dicitur, quòd forma, quæ dat actum primum, & non secundum in eo ordine, in quo dat actum primum, est imperfecta; non tamen est imperfecta ex eo, quòd non det actum secundum in alio ordine; v.g. si intellectualitas daret solùm actum primum in genere intellectiuo, & non actum secundum, qui est actualis intellectio, esset forma imperfecta; non tamen est imperfecta ex eo, quòd non det actum secundum volitionis, qui est in alio ordine; esse autem, & operari, vt *quod*, est in alio ordine ab esse, & operari, *vt quo*; vt patet.

26 Obijc.4. Potentia, & actus sunt in eodem genere *ex Phil*; sed actus generandi est relatiuus; ergo potentia generandi est relatio. Prob. ma. Medium est eiusdem naturæ cum extremis; participat enim naturam extremorum; sed actus generandi est medius inter generans, & genitum, quæ sunt relatiua; ergo actus generandi est relatiuus.

Resp. *Ger*; ma. verā esse de potētia obiectiua, nō autē de potētia actiua; eadē enim res, quę erat v.g. sub genere animalis in statu possibilitatis, est etiā in statu existētiæ. Ad prob. neg. mi; nā actus generādi est proprietas constituēs Patrē, & ideo se tenet ex parte vnius extremi, propter quod nequit esse medium. Vel *cum B. Doct. dist.11. princ.2.q.3.ad 4*; dicitur, quòd potentia remota, & terminus debent esse in eodem genere, non autem potentia proxima, & actio; nam potentia proxima est in genere qualitatis, & actio est in genere actionis; quod est diuersum prędicamentum. Ad prob. dicitur ma. esse veram de medijs, quæ sunt in eodem genere; vt color medius inter albedinem, & nigredinē participat de vtraque; falsum verò de medijs, quæ sunt in diuersis præ-

prædicamentis, vt pate t de virtute, quæ est media inter subiectum,& operationem.

27 Obijc.5.Sicut se habet essentia ad actus essentiales, ita pariter se habet notio ad actus notionales; sicut enim actus essentiales exeunt ab essentia, ita notionales à notione; sed essentia est principium actuum essentialium;ergo notio notionalium.

Conf. Pater generat Filium in eo, quòd Pater; nam ista propositio:*Pater generat*;est magis propria, quàm hæc: *Deus generat*; vt habet *B.Doct.dist.5.princ.1.q.1*; sed Pater in eo,quòd Pater, dicit relationem; ergo relatio est principium generandi.

Resp. *Ger. ibid.* dist. ma. Quantùm ad denominationem,& distinctionem,conc; quantùm ad communicationem esse, neg; nam sicut actus essentiales denominantur ab essentia, quæ est forma denominans; ita notionales à notione; & sicut actus essentiales non distinguuntur ab essentia; ita actus notionales non distinguuntur à notione; paternitas etenim, quæ est notio Patris, est idem, ac generatio actiua, quæ est actus notionalis; quantùm verò ad communicationem esse, falsa est illa propositio; nam essentia, quia est communicabilis, ideo potest esse principium *quo* productiuum; relatio verò, quia est incommunicabilis, ideo nequit esse principium productiuum.

Ad conf. dicitur,quòd illa propositio: *Pater generat*; est magis propria, quàm *Deus generat*; si ly *Pater* sumatur complexè, prout est suppositum constans ex essentia, & relatione; *actiones enim* propriè loquendo *sunt suppositorum*; & ideo est magis propria, quàm *Deus generat*; quia ly *Deus* dicit solam essentiam. Si autem ly *Pater* sumatur incomplexè,prout importat solam relationem paternitatis, nedum non est magis propria, sed in rigore est falsa; facit enim sensum, quòd paternitas sit principiũ formale *quod* Diuinæ generationis; quod est falsũ.

28 Dices. Sicut se habet suppositum absolutum ad actionem absolutam;ita suppositum relatiuum ad actionem relatiuam; sed suppositum absolutum agit per principium *quo* absolutum;ergo suppositum relatiuum agit per principium *quo* relatiuum.

Resp.neg.cons;nam suppositum absolutũ, & relatiuum non distinguuntur penes principium *quo*; cùm enim vtrunque agat per suam naturam; nam natura est *principium operandi*; & cùm tam in supposito absoluto, quàm in relatiuo natura semper sit quid absolutum, quia est fundamentum relationis,& fundamentum relationis nequeat esse relatio,aliter daretur relatio sine fundamento; illa enim natura non fundaretur in alio, cùm ipsa sit primum, quod est in re, & vltra primum nihil datur; ideo principium *quo* operandi etiam in suppositis relatiuis est quid absolutum; & in hoc non differunt à suppositis absolutis. Tota ergo differentia, quæ est inter suppositũ absolutum,& relatiuũ, est; quòd absolutum constituitur per subsistentiam personalem absolutam;relatiuum verò per proprietatem relatiuam.

29 Obijc. 6. Ab eodem principio formali nequeunt prouenire actiones diuersæ speciei; sed in Diuinis sunt spiratio, & generatio,quæ specie distinguuntur; ergo nequeunt prouenire ab eadem essentia Diuina,& per consequens essentia Diuina nequit esse illarum principium formale.

Resp.dist.ma. Ab eodem principio formali proximo, conc; ab eodem principio radicali existente sub duobus principijs formalibus proximis diuersis, neg. Quanuis ergo essentia Diuina sit idem principium radicale; quia tamen agit mediante intellectu, & voluntate,quæ sunt principia proxima,& immediata, & sunt diuersæ speciei; ideo ab ipsa possunt prouenire actiones diuersæ speciei; vt patet de anima rationali, quæ mediante intellectu, & voluntate elicit intellectionem,& volitionem,quæ sunt actiones formaliter diuersæ.

30 Obijc. 7. Principium, vt principium, debet esse alterius rei principium; ergo importat distinctionem realem à termino producto, & per consequens relationem realem; sed Diuina essentia nequit realiter distingui à termino producto, aut ad illum realiter referri; ergo nequit esse principium *quo* generationis Filij;ergo erit ipsa relatio.

Si dicatur ma. veram esse de principio *quod*; falsam verò de principio *quo*; quando talis generatio est infinita per simplicem communicationem naturæ.

Inst. *noster Greg.* Non magis principium *quod* est principium principiati, quàm sit principium principiati principium *quo*; sed principium *quod* eo, quia essentialiter est principium alterius, distinguitur realiter ab illo; ergo & principium *quo* eo, quia essentialiter est principium alterius; aliter esset principium nihili. Tũ quia principium siue *quod*, siue *quo* essentialiter est alterius principium,& non sui, vel nihili; vt habet *Phil.1.Phys.t.c.8*; vbi ait: *Si tantùm vnum est, ibi primum non est*; ergo principium *quo* debet realiter distingui à termino producto.

Resp. ad inst; quòd licèt principium *quo*, & *quod* conueniant in ratione principij; differunt tamen eo, quòd principium *quo* est assimilatiuum, & quia assimilatio dicit vnitatem, quæ potest adeo crescere, vt pertingat ad identitatem, si illa communicatio sit infinita, ideo non dicit distinctionem, sed identitatem. At verò principium *quod* est productiuum alterius, ideo dicit distinctionem ab illo; aliter non produceret alterum, sed se ipsum. Vnde principiũ *quod* est id, quod simpliciter est principium; & ei solùm tribuitur actio; nam vt docet *B.Doct.dist.7.*

princ.2.

princ.2.q. 1.S.*Respōdeo.*Per se agere sequitur ad per se esse; sicuti agere sequitur ad esse; sed soli supposito competit per se esse; quia natura est in supposito, à quo indiuiduatur; suppositum autem,cùm sit prima substantia, non est in alio; ergo supposito solùm conuenit per se agere; & ideo actio tribuitur solùm principio *quod*, non principio *quo*, sed distinctio sequitur ad actionem; ergo distinctio solùm tribuitur principio *quod*, non principio *quo*.Ad aliud dist.ant.Principium *quo* est principium assimilatiuum, conc; distinctiuum,neg; *Phil.* autem loquitur de principio *quod* tantùm.

31 Obijc. 8. *Greg.* Si daretur aliqua forma separata à subiecto, illa ageret; non ageret autem per aliquod principium *quo*,sed se ipsa immediatè ageret per se ipsam, quia esset simplicissima;sed persona Diuina est simplicissima nullam admittens distinctionem, aut compositionem; ergo in ipsa non datur principium *quo*. Prob. ma. In tantùm in compositis naturalibus forma est principium *quo* agēdi, quia forma distinguitur realiter à materia; ergo vbi est summa simplicitas,ibi non datur principium *quo*.

Si dicatur, quòd licèt in Patre non detur distinctio realis inter essentiam, & paternitatē, datur tamen distinctio virtualis, & hæc sufficit ad saluandam rationem principij *quo*.& *quod*.

Instat *Greg.* Si sufficeret distinctio rationis ad saluandam rationem principij *quo*, & *quod*, sequeretur, quòd ratio principij *quo*, & *quod* essèt ens rationis, non autem quid reale, & sic Diuina essētia verè, & realiter non esset principium *quo*,sed tantùm per nostrum modum intelligendi,quod non est ad propositum.

Resp.ad arg; quòd forma separata à subiecto esset existens, & ideo natura, seu quiditas formæ esset principium *quo* agēdi; complexum autem ex quiditate,& existentia principiū *quod*.

Ad inst.neg.seq; aliud enim est, quòd aliqua duo non sint verè,& realiter in eodem, & aliud, quòd in illo non distinguantur realiter; nam rationalitas, & animalitas in homine non distinguūtur realiter, sed tantùm virtualiter; & tamen nullus diceret,quòd rationalitas, & animalitas non sint verè,& realiter in homine, aliter homo nō esset verè, & realiter animal rationale. Et quāuis animal,& rationale in homine non distinguātur realiter,attamen nō sequitur, quòd homo verè, & realiter non intelligat per rationalitatem, & non sentiat per animalitatem. Ita à pari.

32 Obijc.*ex Tolet.*Vel ille modus relatiuus est de ratione essentiali potentiæ generatiuæ, vel non?Si primum;ergo principium generationis non est in Filio, quod est *cont. Beatiss.P;* & *Fundatiss. Doct;* vt *inf;* cùm in Filio non sit ille modus relatiuus. Si secundum; ergo ratio formalis potentiæ generandi non importat formaliter illum modum relatiuum, sed solam Diuinam essentiam.Tum quia Pater omnia communicat Filio excepta relatione; sed non communicat illum modum;ergo non datur ille modus. Tum quia si Pater generaret alium Deum, sola essentia sine modo relatiuo esset principium *quo*;ergo à pari.

Resp.ad arg;quòd ille modus est de ratione essentiali potentiæ generatiuæ, quæ formaliter constituitur per ordinem ad suum actum.Ad improb. dicitur, quòd potentia generatiua est tantùm in Filio specificatiuè,non reduplicatiuè, & formaliter;vt videbimus *inseq;* & ideo in illo est essentia tantùm sine illo modo relatiuo, per quem constituitur, & completur formaliter potentia generatiua. Ad aliud dicitur, quòd Pater omnia communicat Filio excepta relatione, & modo relatiuo; communicat enim essentiam, vt communicatam, non vt communicabilem per generationem; quia Filius nequit generare. Ad aliud neg. ant; potentia enim formaliter constituitur per ordinem ad actum etiam in creatis.

33 Inst.Illud est principium *quo* producendi, in quo fit perfecta assimilatio generantis ad genitum; sed in sola Diuina essentia fit perfecta assimilatio generantis ad genitum, non autem in illo modo relatiuo, in quo potiùs est dissimilatio; ergo sola Diuina essentia est principium Diuinæ generationis. Tum quia fundamentum relationis est sola essentia; sed potentia generandi dicit fundamentum relationis; ergo dicit solam essentiam.

Resp; quòd principium *quo* vltra assimilationem dicit ordinem essentialiter ad actum generationis, cuius est principium *quo*.Dist.ergo ma.Illud est principium *quo* producendi,per quod fit assimilatio, & quod dicit ordinem ad actum generationis, conc; per quod tantùm fit assimilatio,& pręscindit à tali ordine,neg;de ratione enim principij est, quòd respiciat essentialiter actum, cuius est principium, vt patet. Ad aliud dist.ma.Fundamentum relationis, vt relatio est,est sola essentia,cōc;vt actio est,neg; nam vt actio est,requirit essentiam,vt habentem modum relatiuum.

34 Obijc.10.*Io.à S.Tho.*Non est fas in tam sacrosancto, & eleuatissimo Mysterio introducere alias voces,quàm illas,quæ *à SS.PP,Concilijs,probatissimis*, & *antiquis Theologis* sunt introductæ;sed *SS.PP;Concilia*, & *Theologi* assetūt in Diuinis personis esse tantùm duo prædicamēta, scilicet substantiam, & relationem; ergo nō non est admittendus ille modus relatiuus, & per consequens sola essentia est principium *quo* generandi. Præterea vel ille modus relatiuus dicit aliquod absolutū, vel aliquod relatiuum? Si primum; ergo ille modus relatiuus communicatur tribus,& per consequens non est proprius Patri; omnia enim absoluta communicantur. Si secundum; ergo ille modus relatiuus est ipsa relatio paternitatis, quia id,quod non

com-

communicatur Filio,est relatio paternitatis.

Resp.neg.minam *Concilia,SS.PP; & antiquissimi,& altissimi Doctores* docent communiter Patrem æternum habere naturam à se non communicatam sibi ab alio,& communicabilem Filio;& Filiũ illam habere , vt sibi cõmunicatam à Patre;& Spiritum s;vt cõmunicatam à Patre,& Filio;& cõmuniter docẽt, quòd prioritas in Diuinis nihil aliud dicit,quã diuersũ modũ habẽdi Diuinã essentiã. Certũ autẽ est, quòd Pater cõmunicans naturam Filio , non communicat illi naturã eo modo,quo ipsã habet Pater,quia ipse Pater habet illam, vt incommunicatam ; nequit autem illam communicare Filio , vt incommunicatam;hoc enim implicat in terminis; ergo secundùm *SS.PP; Conc; & probatissimos Theologos* in Diuinis personis præter Diuinam essentiam , & relationes dantur modi relatiui. Ad aliud dicitur , quòd ille modus relatiuus dicit aliquod absolutum secundùm *esse* , relatiuum tamen secundùm *dici*; quod absolutum,& si communicetur secundùm *esse* ; non tamen communicatur secundùm *dici*.Ad id autem,quod additur; scilicet quòd id , quod non communicatur,est relatio,dist. Est relatio secundùm *esse*, vel secundùm *dici*,conc; secundùm *esse* tantùm, neg.

35 Obijc. 11. Si potentia generatiua non includeret formaliter relationem , sequeretur , quòd potentia generatiua esset in Filio, & ideo Filius posset generare seipsum; non enim generabilis est alius Filius distinctus,quia ipse est terminus adæquatus illius potentiæ ; sed ea , quæ sunt possibilia in Diuinis,sunt actualia; ergo sequeretur,quòd Filius generaret seipsum.

Resp. hoc soluendum esse *in seq. art.* Interim dicitur , quòd potentia generatiua formaliter sumpta importat modum relatiuum,vt dictũ est,& hoc modo non est communis tribus personis. Dist.igitur ma. Potentia generatiua formaliter,& reduplicatiuè sumpta esset in Filio,neg; specificatiuè sine modo relatiuo , conc.

36 Inst.Quanuis natura humana concurrat in obliquo ad constituendam personam Christi, attamen concurrit formaliter ; ita quanuis simitas nasi importet in naso curuitatem , & nasum in obliquo ; attamen nasus formaliter importatur;ergo quanuis potentia generatiua importet in obliquo relationem , attamen illam importat formaliter .

Resp.neg. cons; quia concretum coalescit ex omnibus, quæ sunt in ipso ; abstractum verò importat solùm rationem abstractam ab alijs ; ideo Christus Dominus coalescit ex natura humana, & Diuina , quia est concretum ex duplici natura . At verò potentia generatiua est abstracta à relatione ; nam concretum ex natura,& relatione est principium *quod*, non *quo*; potentia autem generatiua est principum *quo* . Ad aliud dicitur,quòd simitas est modus nasi,& ideo importat ipsum nasum , cùm non sit nisi ipse nasus curuus,& sic potentia generatiua importat modum relatiuum,non autem ipsam relationem.

37 Obijc.12.*Dur.*Quotiescunque in aliquo termino sunt plures rationes diuersæ, quarum vna est communicata,& altera producta, tunc in producente sunt plura principia,quibus producuntur illæ plures rationes, vt v.g. si quis faciat statuam,& domum,tunc in illo artifice debet esse ars statuaria,& ars domificatoria ; sed in Filio est essentia , quæ habet rationem communicati, & est filiatio,quæ habet rationem producti;ergo in Patre debent esse diuersa principia formalia *quibus* ; vnum quidem, *quo* communicat essentiam;& aliud,quo producit filiationem . Tum quia potentia generatiua nequit exire in actum generationis,nisi existat sub paternitate. Tum quia potentia generatiua est propria Patris; Diuina autem essentia præcisa relatione non est propria Patris,sed communis Filio;ergo potentia generandi importat etiam relationem saltem de connotato.

Resp.hoc arg. probare in Deo esse principium *quo,& quod*,quod non negamus.Dist.igitur 2.pars mi. Filiatio in abstracto, vt est relatio præcisa ab essentia , habet rationem producti , neg;relatio enim resultat,non producitur; Filiatio in concreto,prout habet rationem personæ, habet rationem producti,vt *quod*, conc; productio enim, vt dictum est, dicitur solùm per ordinem ad principium *quod* , & ideo nec essentia , nec relatio disiunctiuè , sicut nec materia,nec forma , sed totum solùm producitur . Ad aliud dicitur, quòd solùm probat relationem esse cõditionem;nam licèt sine existẽtia agens nequeat producere , attamen existentia est conditio . Ad aliud dist.mi. Essentia,vt est sub modo relatiuo, est communis,neg;præciso tali modo , conc.

38 Obijc.13.Paternitas est perfectio realis substantialis constitutiua personæ Patris ; sed nulla perfectio realis potest esse conditio ; approximatio enim , quæ est conditio ad comburendum,non est perfectio realis ignis ; ergo paternitas pertinet ad formale constitutiuum potentiæ generatiuæ .

Resp.neg.mi Ad prob.infert.dicitur,quòd approximatio est conditio extrinseca igni , & ideo non est perfectio realis ignis ; at verò existentia actualis substantiæ ignis est conditio intrinseca;& est perfectio ignis; sed paternitas Diuina se habet , vt existentia indiuidualis indiuiduans personam Patris ; ergo se habet , vt mera conditio .

39 Quæres, an potentia in Diuinis dicatur vniuocè de potentia spiratiua, creatiua , & generatiua ?

Resp. *B.Doct.dist.6.princ.1.q.3*; quòd eadem est potentia secundùm rem;quia eadem essentia per intellectum generat Filium , per voluntatem spirat Spiritum sanctum . Si ergo sumatur radicaliter,vna,& eadem est potentia ge-

neratiua spiratiua, & creatiua, si autem sumatur formaliter proximè, diuersa est virtualiter potētia generatiua à potentia spiratiua, & creatiua; quia intellectus, voluntas, & omnip otentia sunt virtualiter distincta.

ART. III.

An potentia generandi sit in Filio?

1 PRima sententia negat potentiam generatiuam esse in Filio. *Ita omnes citati in sup. art*; qui volunt potentiam generatiuam importare relationem paternitatis, seu essentiam Diuinam cum paternitate; cùm enim paternitas non sit in illo, consequenter substinent potentiam generatiuam non esse in Filio.

Secunda sententia vult potentiam generatiuam absolutè sumptam esse in Filio. *Ita noster Tolet. dist. 6. q. 1. art. 1; & omnes alij*, qui substinent solam Diuinam essentiam præcisa relatione, & modo relatiuo esse in Diuinis potentiam generatiuam.

Tertia sententia docet potentiam generatiuam materialiter, & specificatiuè sumptam, prout importat quid simpliciter absolutum, esse in Filio, non autem formaliter, & reduplicatiuè sumptam, idest prout importat modum relatiuū, seu ordinem ad actum generationis. *Ita Fundat. Doct. hic dist. 7. p. 2. q. 1. art. 2; & omnes alij citati pro nostra sententia in sup. art.*

2 Not. *ex B. Doct. vbi sup. q. 2*; quòd potentia generandi potest sumi tripliciter. 1. ita, vt *lij generandi* sit gerundiuum verbi passiui. 2. ita, vt sit gerundiuum verbi actiui. 3. ita, vt sit gerundiuum verbi impersonalis. Si sumatur primo modo; certum est potentiam generandi esse in Filio; quia potentia generandi in hoc sensu nihil aliud importat, quàm potentiam passiuam, per quam Filius generatur. Si sumatur tertio modo; certum est potentiam generandi esse in omnibus tribus personis, quia in illis est Diuina essentia, in cuius virtute fit generatio, sumendo tamen potentiā generandi impersonaliter, idest præscindendo à persona generante. Difficultas procedit in secundo sensu; an scilicet in Filio, idest personaliter, sit potentia actiua generatiua; vel solùm sit potentia passiua ad generari?

3 Quamuis autem potentia generandi actiuè, & passiuè sumpta sit idem secundùm rem; quia per eandem essentiam Pater generat, & Filius generatur; nam principio *quo* debet correspondere terminus *quo* ad hoc, vt fiat assimilatio inter generans, & genitum; attamen si sumatur secundùm modum relatiuum, potentia generandi actiuè sumpta differt à potentia generandi passiuè sumpta; quia habent modum oppositum; nam potentia actiua dicit communicabilitatem actiuam; & potentia passiua dicit cōmunicationem passiuam.

4 Potētia tamen passiua, quam admittimus in Filio, non est in genere causæ materialis, quæ dicitur potentialitas passiua, & perfectibilitas passiua, hæc enim repugnat Deo; sed est potentia passiua in genere causæ efficientis, vel in genere principij productiui; quæ dicit solam producibilitatem termini, & hæc nullam importat potentialitatem passiuam, cùm sit per solam cōmunicationem identicam naturæ Diuinæ.

5 Igitur si sumatur potentia generādi actiua præciso modo relatiuo, hoc est specificatiuè res ipsa, quæ est principium *quo*, est in Filio; quamuis Filius defectu modi relatiui, & relationis non possit generare; non enim implicat in aliquo esse potentiam generandi actiuam absq; eo, quòd ei competat generare defectu alicuius conditionis, vel requisiti ad operandum; vt ostēdit *B. Doct. vbi sup. q. 1.* Nec per hoc est aliqua imperfectio in Filio, quia ille modus relatiuus nullam dicit perfectionem, quidquid sit de relatione, de qua inferiùs; & ideo etiam si in Filio sit essentia sine modo relatiuo, qui est in Patre, attamen Filius non est imperfectior Patre. Imò quòd Filius habeat potentiam generatiuam specificatiuè sumptam, & non possit generare aliū Filium, arguit maximam perfectionem Filij. Et ratio est; nam si Filius generaret alium Filium, ipse Filius non esset terminus adæquatus potentiæ generatiuæ Patris; quia illa eadem potentia in Filio posset adæquari ab alio Filio; ergo Filius esset imperfectus, & per consequens posse actu generare in Filio dicit summam imperfectionem; cùm inadequatum, & imperfectum cōuertātur. Hanc rationem tradit *B. Doct. ibid. q. 1.*

6 Tandem quòd potentia generatiua possit haberi dupliciter. 1. secundùm rem, & non secundùm modum. 2. secundùm rem, & secundùm modum, patet; nam aliquis habens lignum, ex quo formabilis sit statua, dicitur habere statuam secundùm rem; idest habere rem, ex qua fit statua; sed non habet statuam secundùm modum; quia illud lignum non est modificatum in statuam; & potest habere statuam secundùm rem, & modum; quia potest habere illud lignum modificatum in statuam. Potest ergo Filius habere potentiam actiuam generandi secundùm rem tantùm, seu specificatiuè, & materialiter; non secundùm modum, idest reduplicatiuè, & formaliter. *His not.*

7 Vnica Concl. In Filio est potentia generatiua specificatiuè sumpta, non autem formaliter reduplicatiuè.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. 3. cont. Max. c. 12. docente: Absit autem, vt quomodò putas, ideo sit potentior Pater Filio, quia Creatorem generauit Pater; Filius autem non generauit Creatorem. Neque enim non potuit, sed non oportuit; immoderata enim esset Diuina generatio; si genitus Filius nepotem gigneret Patri; quia & ipse nepos, nisi Auo suo pronepotem generaret, secundùm vestram mirabilē sapientiam impotens diceretur; similiter etiam ille, si Nepotem non generaret Auo suo, & pronepotem*

tem Proauo suo, non à vobis appellatur omnipotēs nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero generaretur; nec eam perficeret vllus, si non sufficeret vnus omnipotens. Ex quo fic. In tantùm nequit Filius generare alium Filium; in quantùm ipse est terminus generationis perfectè illam adæquans; si autem per impossibile nō esset terminus adæquans potentiam generatiuā in Patre, posset absque additione nouæ virtutis illum generare; ergo in Filio est potentia actiua generandi specificè, non formaliter.

8 Conf. 1. Potentia generatiua specificè sūpta est Diuina essentia, in qua fit assimilatio inter generans, & genitum; assimilatio enim fit in sola natura Diuina, non autem in modo relatiuo; cùm Pater, & Filius habeant eandem naturā, non tamen eundem modum relatiuum; sed in Filio est essentia Diuina; ergo est potentia generatiua specificatiuè sumpta.

9 Conf. 2. Potentia generatiua specificè sumpta dicit quid absolutum, vt supra dictum est; sed absolutum est in Filio; quia omnia absoluta communicantur; ergo potentia generatiua specificè sumpta est in Filio.

10 Prob. 2. *ex B. Doct.* Potentia generatiua specificè sumpta est in Patre; ergo est etiam in Filio. Prob. conf. Ideo in Patre est potentia generatiua specificè sumpta, quia aliter Pater non esset omnipotens; cùm enim potentia generatiua sit aliqua potentia, si Pater illam non haberet, sequeretur, quòd Pater non haberet omnem potentiam, & consequenter quòd non esset omnipotens; sed non minùs est omnipotens Filius, quàm sit omnipotēs Pater *iuxta symb. D. Athan*; ergo potentia generatiua est in Filio.

11 Præterea potentia generandi actiua specificè est idem, ac potentia generandi passiua, vt dictum est; eiusdem enim speciei est natura humana in generante, & in genito: sed in Filio est potentia generandi passiuè sumpta; ergo & potentia generatiua specificatiuè sumpta.

12 Item potentia generatiua specificè sumpta dicit perfectionem simpliciter simplicem; sed omnis perfectio simpliciter simplex est communis tribus personis; ergo potentia generatiua est in omnibus tribus personis. Prob. ma. *à nostro Tol.* Non minoris perfectionis est potentia productiua creaturarum, quàm potentia generatiua Diuina sed potentia productiua creaturarum dicit perfectionem simpliciter simplicē, quia dicit attributum, quod est perfectio simpliciter simplex; ergo multò magis potentia generatiua Diuina. Mi. patet; quia si vna perfectio simpliciter simplex non esset in omnibus personis, personę Diuinę non essent ęqualis perfectionis.

13 Nec valet dicere, quòd per potentiam generatiuam Diuinam producitur terminus relatiuus; cùm autem relatio nullam dicat perfectionem, ideo nec potentia generatiua Diuina aliquam importat perfectionem.

Contra nanque *instat Tolet.* Dato, quòd relatio nullam dicat perfectionem pro nunc, adhuc potentia generatiua importat perfectionem simpliciter, quia quanuis lapis productus, vt lapis est, à potentia creatiua Dei non importet perfectionem simpliciter simplicē, attamen potentia creatiua lapidis hoc non obstante perfectionem simpliciter simplicem importat; ergo à pari. Præterea dicitur falsum esse suppositum; nam vt dictum est, potentia generatiua non est id, quod generat; sed est id, quo generans generat, & ideo per ipsam non producitur terminus relatiuus, nec absolutus.

14 Tandem prob. Potentia generatiua actiuè sumpta est intelligere actuale; cùm Filius generetur per intelligere actuale; sed intelligere actuale est in Filio; ergo & potentia generatiua.

15 Dices potentiam generatiuam esse intelligere notionale.

Resp. intelligere notionale esse potentiam generatiuam reduplicatiuè, & formaliter, non autem specificatiuè, & materialiter.

16 Prob. 2. pars concl. Potentia generatiua formaliter reduplicatiuè sumpta importat modum relatiuum; formaliter enim constituitur per ordinem ad terminū generationis; *cùm potentia specificētur per actus, & actus per obiecta*, vt docet *Phil*; sed in Filio non est modus relatiuus proprius Patris, siue ordo ad actum generationis; neque sui ipsius, neque alterius Filij; ergo in Filio non est potentia generatiua formaliter, & reduplicatiuè sumpta.

17 Conf. Potentia generatiua reduplicatiuè sumpta importat essentiam Diuinam, vt communicabilem alteri personæ per generationem; sed essentia Diuina, vt est in Filio, non est communicabilis alteri personæ per generationem; ergo in Filio non est potentia generatiua reduplicatiuè sumpta.

18 Obijc. 1. In illo est potentia generatiua, in quo est posse actu generare. sed in Filio non est posse actu generare; quia si posset actu generare, vel se ipsū, vel alium Filium; vtrumque autē est impossibile, vt supra dictum est; ergo in Filio non est potentia generatiua.

Conf. Quia potentia generatiua in illo, cui non competit posse actu generare, est imperfecta, vt patet in animalibus imperfectis, in quibus, cùm eis non competat posse actu generare, est potentia generatiua imperfecta; sed in Filio nequit esse aliqua imperfectio; ergo in ipso non est potentia generatiua, quæ, cùm non possit actu generare, imperfectionem admitteret.

Resp. ad arg. dist. ma. In quo est posse actu generare positis omnibus conditionibus ad generandum, conc; deficientibus conditionibus ad generandum, neg; conditiones autem ad generandum sunt duæ principales. 1. est, quòd terminus sit producibilis. 2. quòd agens dicat ordinē re-

relatiuum ad genitum. Defectu primæ conditionis si Deus destrueret omne combustibile, ignis vtique haberet potentiam perfectè combustiuam, nō tamen posset actu comburere; quia implicat, quòd comburatur id, quod non est cōbustibile. Necessitas autem secundæ conditionis est, quia potentia generatiua specificatur per ordinem ad actum generationis, & vbi non est ille ordo, non est potentia generatiua formaliter sumpta. Igitur cùm in Diuinis neque sit producibilis alius Filius, neque in Filio sit modus relatiuus ad alium Filium, neque proprietas personalis requisita ad actionem generatiuam; hæc enim proprietas personalis est paternitas, quæ solùm est cōstitutiua formaliter Patris, siue personæ generantis, ideo quanuis in Filio sit potētia generatiua, nō tamen est posse actu generare.

Ad conf.dist.ma.Ex defectu virtutis, conc; ex defectu conditionis, neg, sic Filio non competit generare ex defectu conditionis; non ex defectu virtutis.

19 Obijc.2. *ex Beatiss.P.7. de Trin.c.*1.habetur: *Sicut se habet essentia ad esse; ita potentia ad posse, & sapientia ad sapere*; sed omne illud, quod habet essentiam, existit, & quod habet sapientiam, sapit; ergo omne illud, quod habet potentiam generatiuam, generat; sed Filius non generat; ergo non habet potentiam generatiuam actiuè sumptam.

Resp. *Fundat.Doct.* ad 2; quòd licèt inter prædicata Diuina sit aliqua similitudo, est tamen aliqua diuersitas; nam essentia ordinatur ad esse, & sapientia ad sapere; sapere autem, & esse sunt actus essentiales; ergo non requirūt modum relatiuum, relationem, & terminum oppositum; ideo quanuis non detur in essentia, & sapientia modus relatiuus notionalis, relatio, & terminus oppositus, adhuc tamen datur actus essendi, & actus sapiendi; at verò cùm ad actu generandum, vt potè actū notionalē, requiratur modus relatiuus, relatio, & terminus oppositus, defectu istorum trium non datur actu generare, quanuis detur potentia.

20 Obijc. 3. Frustra est illa potentia, quæ non reducitur ad actum *ex Phil*; cùm enim actus, & operari sint finis potentiæ, & illud sit frustraneum, *quod* caret fine, ideo illa potentia, quæ caret suo actu, frustranea dicitur; sed in Filio potentia generatiua non reducitur ad actum, & nihil frustraneum in Diuinis personis est admittendum; ergo potentia generatiua non est in Filio.

Resp. *B. Doct. hic q.* 1. *ad vlt*; quòd illa potentia esset frustranea, si nullo modo, & in nulla persona reduceretur ad actum. Quanuis autem non reducatur ad actum in Filio, aut in Spiritu sancto, reducitur tamen ad actum in Patre; qui actus, cùm sit perfectus, adæquatus, & infinitus, ita est in Patre, vt nequeat replicari in Filio, & Spiritu sancto. Addit *Toletan. ad* 2. *Garronis art.* 3. & 4; quòd cùm potentia generandi sit eadem res, ac potentia creatiua; ideo quanuis non det Filio generare alium Filium, dat tamen potentiā ad creādas creaturas, & ideo non est frustranea, quia non caret omni actu.

21 Obijc. 4. Cuius non est actus, non est potentia; sed Filio non est actus generationis; ergo in Filio non est potentia. Prob.ma; quia potentia dicitur relatiuè ad actum.

Resp.dist.ma.Cuius non est actus, non est potentia formaliter reduplicatiuè, conc; materialiter specificatiuè, neg. Ad prob.patet responsio; nam solùm potentia formalis reduplicatiuè dicitur relatiuè ad actum, ideo nihil concludit.

22 Obijc. 5. Habere potentiam generandi, & posse generare idem est; posse enim dicitur à potentia, & generare dicitur à generatiuo; sed non conceditur, quòd Filius possit generare alium Filium; ergo nec quòd habeat potentiam generatiuam.

Resp. neg.ma; ad variationem enim significati formalis alicuius propositionis sufficit parua variatio verborum; nam ista propositio conceditur: *Deus generat*, & ista negatur: *Deitas generat*; sufficit ergo in prædicta propositione variatio, quæ est inter verbum gerundiuum, & verbum infinitum, ad hoc vt prima sit vera, secunda falsa.

23 Obijc. 6. cont. 2. part. concl. *Beatiss. P. vbis.* docet, quòd Filius nō genuit alium Filium: *non quia nō potuit, sed quia non oportuit*; ergo Filius habet potentiam nedum specificatiuè, sed etiam formaliter sumptam; aliter Filius non esset formaliter æquè omnipotens, ac Pater, ac propterea Pater esset potentior Filio, vt dicebat *Maximinus*.

Resp. neg.ant; nam *Beatiss.P.* docet, quòd cùm Filius, & Spiritus sanctus habeant eandem potentiam, quam habet Pater; ideo Pater non est potentior Filio, habent enim eandem essentiam, quæ est potentia. Non oportuit tamen, quòd hæc potentia in Filio genuerit, quia hæc eadem potentia in Patre genuit totum id, quod gigni potest, & ideo in Patre fuit cum modo relatiuo ad actum generationis, in Filio fuit sine modo relatiuo, qui ideo nō fuit in Filio, quia non oportuit; & ideo non oportuit, quia iste modus fuit in Patre, & ideo non potuit replicari in Filio; quòd si non esset in Patre, oporteret, quòd esset in Filio propter fœcunditatem Diuinæ naturæ, & multiplicitatem Diuinarum personarum. Ad id, quòd additur, quòd si potentia formaliter sumpta non esset in Filio, Filius non esset formaliter æquè omnipotēs, ac Pater, neg; cùm enim omnipotētia sit quid absolutum, ideo ad hoc, vt Filius sit æquè omnipotens, ac Pater, sufficit, quòd habeat eandem potentiam secundùm rem, & secundùm entitatem absolutam. Quòd autem non habeat eundem modum relatiuum, est argumentum distinctionis Filij à Pa-

tre,non impotentiæ ipsius Filij. *Vid. B. Doct. in 1.dist.20. princ.1.q. 1; & 2;* vbi affert alias responsiones.

24 Quæres 1; an hæc propositio: *In Filio est potentia generandi*; sit absolutè concedenda?

Resp. neg. *B.Doct.hic q.2*; cùm enim illud gerundiuum *generandi* possit sumi actiuè,& passiuè; & cùm eadem sit potentia generandi actiuè, & passiuè sumpta; & potentia generandi passiuè sumpta sit in Filio sine aliqua clausula restrictiua, ideo potest absolutè concedi.

25 Quæres 2; an hæc propositio: *Potentia generandi actiuè sumpta est in Filio*; sit absolutè concedenda?

Resp.negatiuè cum eodem *hic princ.2.q.2*; nam cùm potentia generandi actiuè sumpta importet etiam modum relatiuum, & ordinem ad actum generationis, qui ordo, & modus relatiuus non est in Filio, ideo absolutè non est concedenda.

26 Quæres 3;quid dicendum sit de Spiritu s.in ordine ad potentiam generandi?

Resp. 1.potentiam generandi passiuè sumptam absolutè non esse concedendam in Spiritu s;quia sic importat modum relatiuum proprium Filij, qui non est in Spiritu s. 2. Potentiam generandi actiuè sumptam pariter absolutè non esse concedendam in Spiritu s.propter eandem rationem. Nullo modo ergo absolutè concedendum est potentiam generandi esse in Spiritu s; quia siue sumatur actiuè illud gerundiuum, siue passiuè, semper importat aliquem modum relatiuum, qui non est in Spiritu s; sed vnus est in Patre, alius in Filio. Est ergo potentia generandi in Spiritu s. tantùm specificatiuè, & materialiter, quia in ipso est essentia Diuina, quæ est eadem res, quam dicit potentia actiuè, & passiuè sumpta.

ART. IV.

An Pater genuerit Filium natura?

1 NOt. *ex B.Doct.in 1.dist.6.princ.1.q.1. §.Respondeo*; quòd titulus potest habere duplicem sensum. 1. ita,vt ly *natura* cadat supra Filium, & faciat sensum, quòd natura est constitutiuum personale ipsius Filij; & hic sensus est falsus; nam Filius in esse personę formaliter constituitur per filiationem,non per naturam;sicut Pater in esse personę Patris constituitur formaliter per ipsam paternitatem, non per naturam.2. Ita, vt ly *natura* importet principium *quo* formale ipsius processionis Filij, & faciat sensum, quòd natura est principium formale,*quo* Pater generat Filium;in quo sensu *natura* cadit supra ly *genuerit*, non autem supra ly *Filium*. In hoc secundo sensu procedit difficultas exposita.

2 Præterea aduert. id, quod diximus *To.1. de Attr.in com.q.2.art.9.n.7; & q.3.art.2.n.6.* de distinctione verbi adiectiui,& substantiui, quod tradit *Fund.Doct. in 1. dist.5.princ.1.q.2. art.1*; quibus suppositis.

3 Vnica concl.Pater genuit Filium natura, seu per naturam ita, vt illa particula *per* importet principium formale *quo* processionis Filij.

Prob.1.*ex Beatiss. P. serm. 105. de Temp*; vbi ait:*Pater genuit Filium, nō voluntate,nec necessitate, sed natura*; & prob. Principium formale *quo* processionis Filij est id, in quo Filius assimilatur Patri; sed id, in quo Filius assimilatur Patri,est natura Diuina,non relatio,in qua Pater, & Filius dissimilantur; ergo principium formale *quo* processionis Filij est natura;sed Pater generat Filiū per principiū formale,*quo* procedit Filius;ergo Pater generat Filiū per naturā.

4 Conf.Si principium formale,*quo* Pater generat Verbum, non esset natura, sequeretur, quòd Filius non esset Filius nec esset genitus; in tantùm enim dicitur Filius, & genitus, seu natus, in quantùm principium,*quo* procedit, est natura;quapropter Spiritus sanctus,cùm nō procedat formaliter per naturam, non dicitur Filius,neque genitus,neq;natus;sed dicitur procedens,& datus; ergo Pater genuit Filium formaliter per naturam.

5 Obijc. 1. Si Pater generaret Filium formaliter per naturam, sequeretur, quòd valeret ista propositio: *Natura Diuina generat*; sed hoc non conceditur; ergo neque id, vnde sequitur. Prob.seq.Ex eo, quòd Deus sapit per sapientiā; valet:*Sapientia sapit*; & sicuti quia existit per suam essentiam,valet;*Essentia Dei existit*;ergo si Pater generaret Filium per naturam,valeret:*Essentia Diuina generat Filium*.

Resp.neg.seq.Ad prob.neg. paritas; nam vt docet *B.Doct.hic*,in hoc differunt actus essentiales, & notionales, quòd essentiales non important distinctionem realem principij, & termini,inter quæ mediant; intelligere namque essentiale non importat distinctionem inter potentiam intellectiuam,& obiectum cognitum; quia idem potest cognoscere seipsum. At verò actus notionales,cùm sint productiui sui termini,& cū ad productionem realem sequatur relatio realis, quæ importat distinctionem realem; ideo actus notionales realiter distinguuntur à suis terminis productis;sed generare est actus notionalis,& ex alia parte Diuina essentia nequit realiter distingui à termino producto, quia Diuina essentia identificatur cum omnibus relatiuis, & absolutis realiter, ideo licèt sapere conueniat sapientiæ; generare tamen non conuenit essentiæ,sed personæ.

6 Obijc.2.In Deo est idem realiter natura, ac voluntas; sed Pater non generat Filium per voluntatem;ergo neque per naturam.

Resp; quòd licèt in Deo sit idem realiter natura,& voluntas,attamen quia differunt virtualiter,& verba adiectiua faciunt sensum formalissimum;ideo quamuis Pater non generet Filium per

Per voluntatem, generat tamen per naturam.

7 Obijc. 3. Si Pater generaret Filium per naturam, Pater non minùs eſſet principium naturale Filij, quàm creaturarum; & Filius non minùs eſſet ordinis naturalis, quàm ſint creaturæ; ſed ſi Filius eſſet ordinis naturalis, eſſet inferior Patre, ſicuti creaturæ ſunt inferiores Deo; ergo Pater non genuit Filium per naturam.

Reſp. naturale poſſe ſumi dupliciter. 1. prout eſt eiuſdem naturæ cùm principio, à quo procedit; & ſic Pater dicitur principium naturale Filij; & Filius dicitur terminus naturalis Patris; natura enim Patris non ſuperat naturam Filij, cùm ſit eadem omnino natura; dicitur tamen ſimpliciter ſupernaturalis reſpectu creaturę, quia eſt ſuper omnem naturam, & virtutem creabilē. 2. ſumitur naturale, prout eſt eiuſdem ordinis cum natura creata. Ad arg. igitur diſt. ma. Pater eſſet principiū naturale, & Filius eſſet terminus naturalis, idēſt eiuſdem naturæ cum natura Patris, conc; eiuſdem naturæ cum creatura, neg.

ART. V.

An Pater genuerit Filium voluntate?

1 EVnomius, qui, vt diximus *q.1.art.4.n.8;* prodijt *ex Arianis*, voluit Verbum non eſſe de ſubſtantia, ſed de voluntate Patris merè accidentaliter, & contingenter, ſicut contingit amor in nobis. Hanc hæreſim refert *Beatiſſ. P. 15. de Trin.c.20;* quam confutat his verbis: *Acutè ſanè quidam reſpōdit hæretico verſutiſſimè interroganti, vtrum Deus Filium volens, aut nolens genuerit; vt ſi diceret volens; abſurdiſſimè Dei miſeria inuicta ratione concluderet, non naturæ eſſe Filium; ſed voluntatis. At ille vigilantiſſimè quæſiuit ab eo; vtrum Deus Pater volens, at nolens ſit Deus? Vt ſi reſponderet, nolens; ſequeretur illa miſeria, quam de Deo credere magna inſania eſt. Si autem diceret, volens: reſponderet ei; ergo & ipſe Deus eſt ſua voluntate, non natura.*

2 *Ariani* ergo volentes Verbum eſſe creaturam conſequenter dicebant Patrem eum genuiſſe voluntate; à qua producitur omnis creatura.

Ceterùm hæc hæreſis ſatis impugnata fuit *q.1.ar.5.* Quod modò in diſſidium vertitur *inter Catholicos*, eſt; an licèt voluntas non ſit principium elicitiuum actionis generatiuę ipſius Filij, attamen velle eſſentiale præceſſerit intellectionem notionalem, per quam gignitur Filius, per modum applicantis intellectum Patris ad actualem generationem Filij; vel concomitanter, aut ſubſequenter ſe habuerit complacendo ſibi de ea; complacentia enim de generatione Filij habetur expreſsè *Matt.17;* & *2. Pet.1. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

3 Prima ſententia vult velle eſſentiale præcedere generationem Filij ita, quòd Pater priùs voluerit generationē Filij; & in poſteriori ſigno rationis ipſum genuerit. Tribuitur *Scot.in 1.diſt.6.q.1.apud Caiet;* qui hanc ſententia ſequitur; & *apud noſtrū Greg.* citatur *in quæſt.report.diſt.6.q.2;* & *apud Ger. q.1.* Hanc ſententiam complectitur *Io.à S.Tho;* qui refert *Naz;* & *alios Thomiſt.*

Secunda ſententia vult actus notionales præcedere actus eſſentiales ita, quòd Pater priùs genuerit Filium intellectione notionali, & Pater, ac Filius ſpirauerint Spiritum ſanctum volitione notionali, & poſtea omnes tres perſonæ iam conſtitutæ per actus notionales elicuerint actus eſſentiales, qui ſunt intelligere, & velle. Tribuitur *Henr. in Sum. art.68.q.2;* & *Quod.5.q.4. apud noſtrum Ger; Vaſq. diſp.160.c.3; Capr. diſt.6.q.1 1.concl.6; Ferr.cont.Gent. c.11.*

Tertia ſententia docet velle eſſentiale, quo Deus Pater ſibi complacet de generatione Filij, ſimul eſſe cum ipſa generatione, nec eam vllo modo præcedere, aut ad eam conſequi. *Ita Fundatiſſ. Doct. in 1.diſt.6. princ.2.q.2.* in fine corp; vbi ait: *Sicut Deus natura eſt Deus, et tamen complacet ſibi in eo, quòd Deus eſt, ſic Deus Filium natura genuit, ſibi tamen complacet in gignendo;* vbi not. illud: *In gignendo;* non enim ait: *Antequam gigneret*, vel *poſtquam genuit; Ger. in 1. diſt.4.q.1.art.1; Greg in 1.d.6.q.1.art.3; Put.1.p.q.11.d.1; Luſit. de Beat. To.1. lib.5. q.14. art.7.n.56.* Eam expreſſe docet *D.Tho. de pot. q.2.art.2.ad 2; Capr.diſt.6.q.1.art.1.concl.6; Val.To.1.diſp.2.q.11.punct.4; Torr.ibid; Ban.ibid; & alij.*

4 Not. *ex noſtro Ger.ibid;* quòd actus notionales, & eſſentiales dupliciter poſſunt comparari. 1. inter ſe. 2. per ordinem ad tertium, quod ex illis conſtituitur. Si comparentur inter ſe; ſic notionales habent oriri ab eſſentialibus; nam relationes habent oriri ab eſſentia, quæ eſt radix nedum omnium attributorum, ſed etiam omnium relationum, & in hoc ſenſu actus eſſentiales ſunt priores notionalibus ſecundùm rationem; quia illud concipitur, vt prius, quòd eſt radix, & origo alterius. Si comparentur ad tertium, quod ex illis conſtituitur, ſic vnum non habet rationē prioris, nec aliud poſterioris, ſed ambo ſimul ſe habent in conſtitutione illius; nec conſtituitur illud tertium, niſi ex ſimultate illorum, cùm nunquam poſſit intelligi cum vno ſolùm illorū, ex quibus reſultat; ſicuti licèt materia, vt ex illa educitur forma, ſit prior forma prioritate naturæ, attamen ſi vtraque comparetur ad compoſitum, quod fit ex materia, & forma, materia non eſt prior, aut poſterior in compoſito, quia compoſitum eſſentialiter nequit intelligi cum ſola materia, aliter eſſet cōpoſitum, & eſſet ſimplex, quòd repugnat in terminis; compoſitum ergo eſſentialiter reſultat ex ſimultate partium ita, vt ſimultas partium ſit ratio formalis conſtitutiua compoſiti. Ita dicendum à pari in perſona Diuina conſtituitur complexè ex eſſentialibus, & notionalibus, nec poteſt intelligi ſolùm cum eſſentialibus ſine notionalibus, aliter non eſſet aliquod complexum ex vtriſque; & ſi perſona Di-

Diuina intelligeretur cum solis essentialibus sine relatiuis,iam relatio non esset constitutiuum formale ipsius personæ,& persona posset esse,& intelligi sine suo constitutiuo formali;& sic falsa esset definitio constitutiui formalis,qua dicitur: *Constitutiuum formale est illud, sine quo res nec esse,nec intelligi potest*.Ita si persona posset esse, & intelligi cum solis notionalibus sine essentialibus,posset esse, & intelligi persona sine sua essētia;essentia enim personæ Diuinæ est id,quod est commune tribus personis, sicut proprietas personalis est ipsa notio,quæ est propria tantùm vnius personæ;implicat autem,quòd res intelligatur sine sua essentia;ergo essētialia,& relatiua per ordinem ad personas, quas constituunt,nequeunt habere ordinem prioris, & posterioris.

5 Vnica concl. Actus complacentiæ, quo Deus Pater complacet sibi de generatione Filij, est simul pro eodem signo rationis cum generatione Filij.

6 Prob.*ex Conc.Tolet.II.in profess.Fidei*;vbi dicitur:*Neque voluntas sapientiam præuenit, sed natura*; *& Beatiss.P. 15.de Trin.c.*20; vbi maximè commendat illam responsionem datam *Eunomio*,quæ concludit, quòd sicut Deus maximè sibi complacet in eo, quod est Deus, quæ complacentia est coætanea ipsi Deo, nec tamen producit Deum; ita eodem modo sibi complacet Pater in generatione Filij; & *c.*14.*Sciunt ergo inuicem Pater,& Filius; sed ille gignendo,iste nascēdo*;& *in qq.ad Oros.Non genuit Filium voluntate, quia præire sapientiam voluntas non potest*; & *serm.* 105.*de Temp. Pater genuit Filium non voluntate,nec necessitate, sed natura.*

7 Resp.*Aduersarij* dupliciter.1.*has authorit.* loqui de prioritate temporis, aut naturæ, quæ est prioritas realis, non autem de prioritate rationis,quæ stat cum simultate reali.2.loqui de velle notionali, non de essentiali; certum nanq; est velle notionale non posse præcedere intelligere notionale; cùm enim per velle notionale producatur Spiritus sanctus; & per intelligere notionale producatur Filius, si velle notionale præcederet intelligere notionale, sequeretur, quòd Spiritus sanctus præcederet Filium; & quòd Spiritus sanctus esset secūda persona Diuina,& Filius tertia.

Sed contr.1. instat *Ger.* eos loqui de omni prioritate siue reali, siue rationis; eadem enim sequuntur incōuenientia; nam si in aliquo signo rationis Pater esset volens, & intelligens volitione,& intellectione essentiali,& nō esset generans Filium; fieret autem generans in posteriori signo rationis, sequeretur, quòd in secundo signo rationis fieret, quod non erat in primo signo rationis; implicat autem, quòd concipiatur aliquod signum rationis,in quo non sit Filius;vt diximus *q.*2.*art.*8. Ad aliud dicitur,quòd *Eunomius*, quem impugnabat,non dicebat Spiritum sanctum produci priùs,quàm Filius, sed tantùm produci per voluntatē antecedentem,per quam voluntatem, cùm non dixerit produci Spiritum s;apertè deducitur eum non fuisse locutum de voluntate notionali,sed essentiali.

8 Prob. 2. *à nostro Ger.* Si Pater in aliquo priori rationis intelligeret,& vellet essentialiter, antequam generaret,sequeretur,quòd Pater intelligeret, & vellet, antequam esset constitutus in esse Patris, & sic esset Pater, & non esset Pater;sed hoc repugnat;ergo & id, vnde sequitur. Prob. ma. In illo priori rationis non esset paternitas,quæ constituit Patrem; quia nō esset actus generationis,ad quem sequitur paternitas; ergo in illo priori non esset Pater; & esset, vt supponitur; aliter cùm in illo priori rationis, in quo Pater præintelligitur actui generationis, nō sint, nisi absoluta, sequeretur, quòd vel daretur in Diuinis aliquod absolutum, quod non esset cōmune omnibus tribus personis; quia proprietas constitutiua personæ non est communis, vt patet; vel quòd persona Patris esset cōmunis omnibus personis Diuinis, & omnis persona denominaretur Pater; sicuti ex eo, quòd in esse Dei cōstituatur per Diuinam essentiam,quæ est quid absolutum, & commune omnibus tribus personis,quælibet persona denominatur Deus; ergo tenet sequela.

9 Conf.Si Pater priùs intelligeret,& vellet intellectione,& volitione essentiali, antequam actu generaret, sequeretur, quòd Pater priùs esset Deus,quàm Pater,& per cōsequens, quòd in illo priori intelligeretur deitas sine vlla persona Diuina; sed hoc est absurdū; ergo & aliud. Prob. ma; nam in illo priori rationis nulla esset proprietas personalis constitutiua personæ Diuinæ,& sola esset Diuina essentia constitutiua in esse Dei; ergo in illo priori rationis Pater esset Deus,& non esset Pater.Mi.patet;nam si pro aliquo signo rationis posset esse Deitas sine vlla persona, daretur signum, in quo non esset mysterium Trinitatis; quòd nullus concederet.

10 Prob. 3.*ex eod.* Quotiescunque aliqua duo concurrunt ad constitutionem vnius,suppositum non potest intelligi cum vno tantùm illorum constituentium, vt patet de composito ex materia, & forma; sed persona Patris essentialiter constituitur ex essentialibus,& proprietate relatiua;ergo nequit præintelligi cum solis essētialibus sine proprietate personali. Tum quia si Pater, antequam generet, intelligeret, & vellet essentialiter,sequeretur, quòd daretur actus essentialis proprius solius Patris elicitus à solo Patre, & non ab alijs personis Diuinis; sed hoc est falsum; quia actus essentiales sunt communes tribus personis;& in tantùm dicuntur communes, in quantùm communiter eliciuntur ab omnibus;ergo Pater non intelligit,& vult,priusquam generet.

11 Prob.4.*à nostro Greg.* Si Pater in primo signo rationis intelligeret, & vellet essentialiter

ter, antequam generaret, & in secundo signo rationis actu generaret, sequeretur, quòd ex illis duobus signis rationis constitueretur vnum instans reale, sed hoc ponit prioritatem, & posteritatem realem in Diuinis personis, ergo opinio *Scoti* non est admittenda. Prob. ma. Ex duobus instantibus realibus naturæ resultat vnum instans temporis; ergo ex duobus signis rationis resultaret vnum instans reale. Prob. mi. Spiritus sanctus non spiratur, nisi post illa duo signa rationis, in quibus generatur Filius *per Scotum*; nã sicut intellectio, & volitio essentialis præcedit generationem Filij in vno signo rationis, & ad ipsam actualem intellectionem, & volitionem essentialem sequeretur generatio Filij in alio signo, ita velle essentiale in Patre, & Filio debent præcedere spirationem actualem Spiritus s; & ad ipsum velle essentiale Patris, & Filij sequeretur in alio signo posteriori rationis spiratio Spiritus s; & sic essent quatuor signa rationis, in quorum duobus primis compleretur generatio Filij, & in duobus vltimis compleretur spiratio Spiritus s; ergo essent duo instantia realia, in quorum posteriori esset tantùm Spiritus s; & per consequẽs Spiritus s. esset posterior Patre, & Filio posterioritate reali, quod est contra *sacras Scripturas*; dicitur enim *in Symb. D. Athan. Nihil prius, aut posterius*.

12 Prob. 5. Si in aliquo signo rationis Pater intelligeret essentialiter, antequam generet Filium, sequeretur, quòd Pater pro illo priori rationis non intelligeret in Verbo; quia Verbũ pro eo tunc non esset productum; sed hoc est *contra SS. PP.* communiter asserentes Patrem intelligere se in Verbo; ergo contraria sententia est difformis *SS. PP.*

13 Conf. Si Pater ante generationem Filij haberet volitionem essentialem, qua vellet illã generationem, & in illo signo non esset actu generatio Filij, illa volitio essentialis esset de obiecto absenti, quia esset de generatione Filij, quæ non esset actu, sed conciperetur, vt futura, vel possibilis pro illo priori rationis; sed volitio de obiecto absenti, possibili, & futuro est desideriũ; ergo in Deo daretur desiderium, quod est actus voluntatis essentialiter importans imperfectionem, & per consequens daretur in Deo imperfectio. *Vide sup. q. 2. art. 8.*

14 Impug. 2. sẽt. *ex Ger.* Si intellectio essẽtialis subsequeretur ad generationẽ Filij, sequeretur, quòd Filius nõ generaretur de substãtia Patris; nã intelligere essentiale est constitutiuũ naturæ Patris, vt diximus *To. 1. de Subst. Dei*; sed consequẽs est cõtra Fidẽ docentẽ in Symb. *Deum de Deo*; ergo intelligere, & velle essẽtiale nõ subsequũtur ad actualẽ generationẽ Filij. 2. Si intelligere, & velle essetiale subsequerẽtur ad generationem Filij, Pater, qui est prima persona, aquireret intelligere, & velle essentiale post actum generationis; sed intelligere essentiale est constitutiuum formale naturæ Diuinæ; ergo post generationem Filij aquireret naturam Diuinam; sed natura Diuina est fundamentum, & principium, à quo pullulat actio generatiua; ergo priùs haberet actionem, quàm fundamentum, & principium illius. 3. sequeretur, quòd Pater in illo priori rationis esset Pater, & non Deus, & sic priùs esset Pater, quàm Deus, quia non haberet pro eo tunc intelligere essentiale, quod est constitutiuum Deitatis; sed hoc est absurdum, ergo & id, vnde sequitur. 4. sequeretur, quòd relatiua essent priora absolutis, & sic fundamentum esset posterius re fundata, & res fundata pro aliquo signo priori rationis daretur sine suo fundamento, quòd est contra rationem.

15 Præterea Pater constituitur in esse Patris ex ipsis actibus essentialibus, qui important essentiam Diuinam; & notionalibus, qui important Diuinam relationem; ergo nequit præintelligi cum solis actibus notionalibus sine actibus essentialibus. Item intelligere; & velle notionale sunt formaliter intelligere, & velle essẽtiale cum modificatione relatiua; vt dictum est *q. 2. art. 4*; ergo intelligere notionale nequit præcedere essentiale. Tandem in Diuinis non datur prioritas, & posterioritas rationis, *in qua*, vt ostensum est *q. 2. art. 8*; ergo in eodem signo rationis, in quo Pater generat Verbum, essentialiter intelligit.

16 Obijc. 1. Quidquid Pater communicat Filio per actum generationis, præcedit in Patre in aliquo signo rationis, antequam actu generet Filium; quia *nemo dat, quod non habet*; vnde si Pater non præhaberet, quidquid communicat Filio, non posset ei illud communicare; sed intelligere, & velle essentiale cum omnibus absolutis communicantur Filio per actum generationis; ergo intelligere, & velle essentiale in Patre præcedunt generationem Filij.

Resp. *Ger. ad* 1. neg. ma. Ad prob. infert. dicitur, quòd ad hoc, vt Pater communicet Filio intelligere, & velle essẽtiale, nõ requiritur, quòd illud habeat Pater pro aliquo signo rationis, *in quo*, sed sufficit, quòd illud habeat simul in eodem signo rationis *in quo*.

17 Obijc. 2. Pater in illo signo rationis, in quo præintelligitur non generare Filium, est perfectè beatus; sed beatitudo cõsistit in intelligere, & velle essentiali; ergo in priori signo rationis, antequam generet Filium, Pater intelligit, & vult essentialiter. Prob. ant; aliter si Pater aquireret beatitudinem per generationem Filij, reciperet suam beatitudinem à Filio; & illam non haberet à se.

Resp. *Ger. ad* 2. neg. ant. Ad prob. ait assumptum peccare per fallaciam non causæ pro causa; assumit enim generationem Filij, tãquam causam beatitudinis Patris, & tamen non est causa, quia non accipit beatitudinem à Filio productam in Patre. Sicut ergo licèt esse Patrẽ non

non habet, niſi per generationem Filij, attamen non dicitur accipere eſſe Patrem à Filio; ita à pari. Diſt. ergo aſſumpt. Si aquireret beatitudinem per generationem Filij, tanquam per principium actiuè illam producens in Patre, cōc; tanquam per rationem formalem exiſtentem in ipſo Patre, neg.

17 Inſt. *Caiet, & Io. à S.Tho.* In illo ſigno rationis, in quo intelligitur Pater, antequam generet, eſt intelligens, & volens; ſed non eſt intelligēs, & volēs notionaliter; ergo eſsētialiter.

Reſp. neg. ſupp. ma; nullum enim datur ſignum rationis, in quo ſit Pater, & non ſit Filius; vt admittūt etiam iſti *Auctores contra Scot*; quapropter *hic* ſibi videntur contradicere.

18 Obijc. 3. Suppoſitum, quòd naturaliter elicit duos actus, quorum vnus eſt abſolutus, & alter reſpectiuus, priùs elicit actum abſolutum, quàm reſpectiuum; nam abſolutum præcedit relatiuum, quod fundatur in abſoluto.

Reſp. diſt. ma. Si illud ſuppoſitum conſtituatur formaliter ex illis duobus actibus, vt in caſu, neg; ſi non conſtituatur, tranſeat. Ad prob. infert. diſt. Abſolutum præcedit relatiuum, ſi comparentur ad inuicem, conc; ſi comparentur ad tertium, neg.

19 Obijc. 4. Actus immanens priùs competit rei, quàm actus tranſiens, quia priùs eſt rem eſſe in ordine ad ſe, quàm ad aliud realiter diſtinctum; ſed intelligere, & velle eſſentiale eſt actus immanēs, & generatio Filij eſt actus tranſiēs perſonaliter ſaltem, quia tranſit in perſonam realiter diſtinctam; ergo priùs competit Patri intelligere eſſentiale, quàm intelligere notionale.

Reſp. *Ger.* actum notionalē non eſſe actū verè tranſeuntem, quanuis tranſeat in aliam perſonam; quia actio verè tranſiens recipitur in effectu habente diuerſam naturam. Item diſt. ma. Si actus immaneus, & tranſieus ordinentur ad conſtituendum ſuppoſitum agens, neg; ſecus, tranſeat. Vel ſi habeant ſucceſſionem, conc; ſi ſucceſſionem excludant, neg.

20 Inſt. Actus notionalis oritur ab actu eſſentiali, tanquam proprietas illius, quia eſſentia Diuina eſt radix, à qua profluunt omnes relationes; ergo actus notionalis eſt poſterior actu eſſentiali.

Reſp. actum notionalem comparatum ad eſsētialem præcisè, non reſpectu perſonæ, quam cōſtituit, eſſe poſteriorem poſterioritate *à qua*, non *in qua*; non autem ſi compararetur ad perſonam conſtitutam.

21 Replic. Actus eſſentialis, & notionalis debēt ſeruare eundem ordinem reſpectu tertij, quem ſeruant inter ſe; ſed inter ſe habent ordinē prioris, & poſterioris; ergo & reſpectu perſonæ conſtitutæ.

Reſp. neg. ma; nam inter ſe comparati hābent rationem originantis, & originati virtualiter, & ideo habent rationem prioritatis, & poſterioritatis *à qua*. At verò reſpectu tertij habent rationem conſtituētis, quod excludit omnem poſterioritatem.

22 Obijc. 5. contra 2. partem concl. Actus cōſtitutiui perſonarum antecedunt actus ſubſequentes ad illarum conſtitutionem; ſed actus notionales ſunt conſtitutiui perſonarum Diuinarum, & actus eſſentiales ſubſequuntur ad illarum conſtitutionem; ergo actus notionales præcedunt actus eſſentiales. Prob. 2. pars mi; nam ſi actus eſſentiales non ſubſequerentur ad perſonas iam conſtitutas, ſequeretur, quòd eas præcederent conſtituendo; & ſic perſonæ Diuinæ conſtituerētur per abſoluta, nō per relatiua.

Reſp. neg. 2. part. mi. Ad prob. diſt. ſeq. Sequeretur, quòd actus eſſentiales conſtituerēt perſonas per modum communis, conc; per modum indiuidualis, neg; ſic enim conſtituuntur ſolùm per relatiua. Cùm ergo ad conſtituendam perſonam concurrat etiam natura, quæ eſt communis, & eſt veluti materia; ideo eſſentialia in Diuinis conſtituunt perſonas per modum communis, non per modum proprij.

23 Obijc. 6. Actus proprius alicuius perſonæ priùs competit illi perſonæ, quàm actus communis; nam generare, quod eſt proprium Patris, priùs competit Patri, quàm ſpirare, quod eſt actus communis Patri, & Filio; ſed intelligere notionale eſt proprius Patris, & intelligere eſſentiale eſt actus communis; ergo intelligere notionale præcedit eſſentiale.

Reſp. *Ger.* neg. ma; nam ſentire eſt actus communis homini, & bruto, & intelligere eſt actus proprius ſolius hominis; & tamen homo priùs elicit actum ſentiendi, quàm actum intelligendi; quapropter ait *Phil. Omnis noſtra cognitio habet ortum à ſenſu*. Ad prob. inſertam dicitur, quòd generare eſt prius ſpirare prioritate rationis *à qua*; non tamen habet hanc prioritatem eo, quia eſt actus proprius, & ſpirare eſt actus communis; ſed quia ſpirare eſſentialiter importat amorem mutuum Patris, & Filij; ideo habet oriri à Filio, & Filius ſupponitur genitus pro aliqua prioritate originis *à qua*; quia ab ipſo elicitur ſpirare. Aliter ſi id, quod eſt commune, eſſet poſterius eo, quod eſt proprium, ſequeretur, quòd eſſentia, quæ eſt communis, eſſet in perſonis Diuinis in aliquo ſigno poſteriori ad relationes Diuinas, quod eſt abſurdum.

24 Obijc. 7. Vel Pater priùs generat, quā intelligat, & velit; vel è contra? Si primū; habetur intentum. Si ſecundū; ergo in illo priori, antequā Pater generet, Pater habet virtutē ſpiratiuam, & per conſequēs poteſt ſpirare Spiritum ſanctum, antequam generet Filium, quod eſt abſurdum. Tum quia ſi Pater priùs intelligeret, quàm gigneret Verbum; Verbum priùs intelligeretur, quàm eſſet productum; ſed illud, quòd intelligitur, antequam producatur, non intelligitur in

ſe

se ipso, sed in sua Idæa, & quòd intelligitur, est creatura; ergo Verbum esset creatura.

Resp. Patrem nec priùs generare, quàm intelligat, & velit; nec priùs intelligere, & velle, quàm generet; ideo argumentum non est ad rem, & sic ad aliud.

25 Obijc. 8. Sicuti se habet intellectus ad voluntatem; ita intellectio ad volitionem, & obiectum intellectus ad obiectum voluntatis; sed voluntas supponit intellectum, à quo oritur, & dimanat, quia est potentia cæca sequens ductum intellectus; ergo & actus voluntatis supponit actum intellectus; & obiectum voluntatis supponit obiectum intellectus; sed actus intellectus Diuini est generatio Verbi, & obiectum intellectus est Verbum in esse genito; ergo complacentia, quæ est actus voluntatis, supponit generationem Verbi; & esse volitum in Verbo est posterius in esse genito; & per consequens illa complacentia non est simultanea, sed subsequens.

Resp. dist. mi. Voluntas supponit intellectum, & volitio intellectionem, si comparentur inter se, conc; in ordine ad tertium, quod constituunt, neg.

26 Collig. 1. ex dictis, quòd licèt Pater sibi complaceat, & maximè delectetur de generatione Filij; attamen absolutè non est concedendum Patrem genuisse Filium voluntate; nam ille ablatiuus *voluntate* importat principium formale *quo* generationis ipsius Verbi, quòd, vt diximus, non est voluntas, sed intellectus; propterea *Beatiss. P.* neg. Patrem genuisse Filium voluntate, vt supra diximus.

27 Collig. 2. Generationem Filij non posse dici volntariam absolutè propter eandem rationem; quanuis quatenus importat complacẽtiam voluntatis summoperè de ipsa delectantis, possit dici summè voluntaria.

28 Collig. 3. Non esse concedẽdum absolutè generationem Filij esse liberam, quanuis enim possit dici libera libertate complacentiæ, quæ distinguitur contra necessitatem coactionis; attamen quia libertas propriè sumpta dicit libertatem contradictionis, & contrarietatis, quę contradistinguitur à necessitate immutabilitatis, & infallibilitatis, & importat indifferẽtiam ad esse, & non esse, quæ omnia repugnãt generationi ipsius Filij, quæ simpliciter est immutabilis, & non potest non esse, ideo absolutè non est concedendum liberam esse.

29 Collig. 4. Non esse pariter concedẽdum Patrẽ genuisse Filiũ consilio; cùm enim cõsilium importet electionem liberam mediorum, consilium enim est de medijs; & cùm electio libera repugnet generationi Verbi, ideo illi quoque repugnat esse per consilium. Quando autẽ apud *SS. PP.* inuenitur Patrem genuisse Filium consilio, loquũtur de cõsilio, prout idẽ est, ac sapiẽtia, vel prout importat libertatem à coactione.

ART. VI.

An Pater genuerit Filium necessitate?

1 ARiani, vt probarẽt Verbum esse creaturam, vt videtur *apud Beatiss. P. 15. de Trin. c. 20; & in qq. ad Oros*; hoc argumento vtebantur. *Vel Pater genuit Filium necessitate, vel voluntate? Si primum; ergo Pater miser est; coactio enim miseria est. Si secundum; ergo Verbũ liberè producitur, & per consequens est creatura.* Propter hoc instituta est hæc difficultas; *pro cuius decis.*

2 Not. *ex B. Doct; & Ger. inf*; quòd necessitas alia est indigẽtiæ; quã quis cogitur ad habẽdam aliquam rem, seu perfectionem, ad quam est in potẽtia passiua; sic materia habet necessitatem formæ ad existendum. Alia violẽtiæ, seu coactionis, qua quis nolẽs, seu reluctans premitur. Alia expediẽtiæ, qua quis premitur in ordine ad consecutionem alicuius finis. Alia exigẽtiæ, quæ est ex vi ipsius naturæ. Hæc dicitur etiam ineuitabilitatis, & immutabilitatis.

3 Prima sentẽtia concedit in Patre necessitatem exigẽtiæ, & indigẽtiæ obiectiuam; propterea distinguit duplicem indigentiam; vnam formalem, cùm aliquod agens indiget aliqua perfectione sibi intrinseca, sine qua non potest agere; vt substantia ignis indiget formaliter calore; alia obiectiua, quę quidem non est perfectio in ipso, sed est tantùm conditio extrinseca, necessariò requisita, vt Pater in humanis indiget Filio ad hoc, vt sit Pater; non quòd Filius sit aliqua perfectio formalis intrinseca Patri, sed quia est terminus necessariò exigitus adhoc, vt sit Pater. Hæc sententia videtur esse *Scoti*, vt habet *Scholiastes Greg.*

Secunda sententia concedit solam necessitatem exigentiæ, siue immutabilitatis, vel ineuitabilitatis cum determinatione ad vnã partem tantùm, & negat necessitatem indigentiæ, violentiæ, expedientiæ, aut coactionis. *Ita B. Doct. in 1. dist. 6. princ. 1. q. 2; Ger. ibid. q. 1. art. 2; Greg. ibid. q. 1. art. 1; & alij.*

4 Vnica concl. Pater genuit Filium necessitate exigentię naturalis, seu ineuitabilitatis, non autem necessitate indigentiæ, coactionis, aut expedientiæ; *& SS. PP; ac Conc*; quando negant necessitatem in Diuina generatione, solùm negant necessitatem indigentiæ, vel coactionis, vel expedientiæ.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. Serm. 105. de Temp*; vbi ait: *Pater genuit Filium non voluntate, nec necessitate, sed natura*; sed natura Diuina dicit solùm naturalem exigentiam, qua communicat se suis suppositis; non enim indiget suppositis, quia non aquirit esse in suppositis, sed illis esse communicat; & hæc communicatio est simpliciter immutabilis, vt docet idẽ *Sanctiss. P. 5. de Trin. c. 5*; vbi ait: *Quod dicitur Pater, & quod dicitur Filius, æternum, atque incommutabile est*; ergo

generatio Verbi eſt neceſſaria neceſſitate exigẽtiæ naturalis, aut immutabilitatis, non indigentiæ,aut coactionis,aut expedientiæ.

5 Conf.*ex B.Doct.*Quod naturaliter exigitur à ſua natura, eſt neceſſarium neceſſitate exigentiæ,immutabilitatis,ſeu eneuitabilitatis; ſed generatio Verbi naturaliter exigitur à natura Diuina,quæ naturaliter exigit eſſe in tribus perſonis; ergo generatio Verbi eſt neceſſaria neceſſitate exigentiæ naturalis, ſeu ineuitabilitatis.

6 Prob.2.Pater non poteſt generare Filium neceſſitate coactionis,quia cùm ſit omnipotens, non habet, à quo poſſit cogi; nec neceſſitate indigentiæ, quia cùm in illo nullus ſit defectus, nulla poteſt eſſe indigentia; & vt docet *B. Doct. in lib.de cauſis propoſit.32.lit.*X; cùm ſit vnus, & ſimpliciſſimus,eſt ſuperabundãs omni diuitia,& quia cum omni diuitia pugnat indigentia, ideo non agit neceſſariò neceſſitate indigentiæ. Nec neceſſitate expedientiæ, quia hæc eſt propter aliquod bonum aquirendum;patet autem,quòd Deus,cùm ſit omne bonum, nullum bonum poteſt aquirere; ergo neceſſariò tantùm generat neceſſitate exigẽtiæ naturalis,& ineuitabilitatis.

7 Conf. Natura Diuina eſt naturaliter fœcunda fœcunditate intrinſeca, & immanenti; ergo naturaliter exigit cõmunicari per ſuas actiones immanentes;ſed iſtæ ſunt tantùm duæ, ſcilicet intellectio,per quam producitur Verbum;& volitio,qua ſpiratur Spiritus s;ergo Pater generat Verbum neceſſitate naturalis exigentiæ.

8 Tandem impug. 1. ſent. Id, quod eſt neceſſarium ex indigentia, eſt aliquo modo cauſa, vel concauſa,vt ſit,vel bene ſit ille, qui indiget; vt cibus, qui eſt neceſſarius homini ex indigentia,eſt cauſa,cur homo viuat, & bene viuat; ſed dicere,quòd Filius ſit cauſa,vel concauſa, quòd Pater ſit,vel bene ſit, eſt inſania, quia Pater ex ſe ipſo eſt,& ex eo,quod eſt,bene eſt;ergo Pater non generat Filium neceſſitate indigentiæ. Ma. eſt *Phil.5.Met.t.c.6.* vbi de neceſſitate indigentiæ ait:*Neceſſarium dicitur,ſine quo non contingit viuere,quaſi concauſali*, &c: & ſtatim concludit: *Hac neceſsitas cauſa quidem eſt*.Mi. eſt *Beatiſſ.P. 7.de Trin.c.* 1. dicentis : *Sapientia genita non eſt cauſa Patris,vt ſit,neque vt ſapiens ſit.*

9 Nec valet dicere verum eſſe de indigentia formali,non autem de obiectiua;nam contra. 1.eſt; repugnat enim Patri habere cauſam, nedũ formalem,ſed etiam obiectiuam, & aliam quancunque; ſed ſi haberet indigentiam formalem, haberet cauſam formalem; ergo ſi haberet indigentiam obiectiuam,haberet cauſam obiectiuã, quod repugnat.2.*Beatiſſ.P.15.de Trin. c.* 7. ait, quòd ſi Pater indigeret Filio ad intelligendum; & Spiritu ſancto ad amandum ; Pater reciperet eſſentiam à Filio; ergo nullam habet indigentiã obiectiuam, quæ eſt terminus intellectionis, & volitionis Patris.4.*Lib.83.qq.q.22.* ait; quòd *ibi nulla eſt indigentia,vbi nullus eſt defectus*; ſed in Patre nullus eſt defectus formalis, aut obiectiuus; ergo nulla indigentia. Tandem *ex Fund. Doct.de Cauſ. vbiſup.* Vbi eſt ſumma vnitas, & ſumma ſimplicitas,ibi nulla poteſt eſſe indigentia; ſed in Patre formaliter,& obiectiuè eſt ſumma vnitas, & ſimplicitas ; ergo nulla indigentia formalis,aut obiectiua.

10 Obijc.1.*SS.PP*; *& Conc.* aliquando aſſerunt Patrem non genuiſſe Filium neceſſitate, *& Ariſt.5.Met.t.c.6.*ait.*Omne neceſſarium eſt contriſtans*;ergo falſa prima pars concl.

Reſp. *SS. PP.* loqui de neceſſitate coactionis, indigentiæ, & expedientiæ ; non autem de neceſſitate exigentiæ naturalis,& immutabilitatis.Ad *Ariſt.*ait *B.Doct*; quòd illa propoſitio eſt dictũ cuiuſdã *Poetæ*,quem *Ariſt.*inducit loquentem. Exponitur tamen de neceſſitate coactionis, quæ, cùm ſit contra internũ impetum volũtatis,non poteſt non eſſe contriſtans;non autem de neceſſitate naturalis exigentiæ, quæ, cùm ſit cum maxima complacentia,non poteſt non eſſe delectabiliſſima.

11 Obijc.2.cont.2.part.concl.Pater nequit eſſe Pater ſine Filio;ergo ad hoc,vt ſit Pater,indiget Filio.

Conf. Omnis intellectio actualis indiget ſuo obiecto, tanquam termino ; ſed generatio Verbi eſt intellectio actualis Patris ; ergo Pater indiget Filio,tanquam obiecto.

Reſp.*Greg.* neg. conſ; nam quãuis cauſa nõ poſſit eſſe cauſa ſine effectu, attamen nõ dicitur, quòd cauſa indigeat effectu ad hoc, vt ſit cauſa; aliter effectus cauſaret cauſam in eſſe cauſæ; quod eſt abſurdum.Ita à pari.

Ad conf.neg. maiaſliter ſi intellectio actualis indigeret ſuo obiecto,ſequeretur,quòd Filius intelligens ſe ipſum indigeret ſe ipſo, quod eſt abſurdum;indigentia enim dicit carentiam illius rei,qua indigemus;& ſic Filius careret ſe ipſo.

13 Obijc.3.Ad hoc,vt Deus cognoſcat roſam, roſa debet eſſe in obiecto Dei ; ergo ad hoc,vt cognoſcat Filium, indigentia obiectiua neceſsitatur Filium generare.

Reſp;quòd licèt neceſsariò requiratur roſa in eſſe cognito ; non tamen neceſſitate indigentiæ,aliter Deus indigeret creatura.

13 Collig.ex dictis abſolutè concedendam eſſe hanc propoſitionem *Pater neceſſitate generat Filium* ; quia neceſſitas exigentiæ naturalis eſt vera,& propria neceſſitas.

ART. VII.

An Pater genuerit Filium per modum Artis?

1 ADuertit *B.Doct.in 1.diſt.6.princ.2.q.1. & in Hexam.p.1.c.4*; quòd procedere per modum Artis ſtat dupliciter. 1.paſſiuè ita, vt producens ſit productum ab arte exiſtente in mente producentis;& ſic procedens dicitur *artefactum*. 2. actiuè ita, vt procedens ſit ars aliorum faciendorum ad extra,& ſic non dicitur artefactum,ſed ars. Vni-

2 Vnica concl. Verbum procedit à Patre per modum artis actiuè,non paſſiuè. *Ita B.Doct.*

Prob.1.pars concl.*ex Beatiſſ.P.6. de Trin. c.10;vbi docet:Verbum factum, cui non deſit aliquid,& ars quadam omnipotentis,atque ſapientis Dei plena omnium rationum viuentium* ; ex quo ſic. Verbum procedit,vt principium,*quo* formaliter creaturæ ; ſed principium *quo* formaliter creaturę eſt Ars Dei;ergo Verbum procedit per modum artis. Prob.ma.*à Beatiſſ.P. vbiſup.c.11;* nam *Eccl.*.17.dicitur: *Initium omnis operis Verbum*; tum quia ſicut Artifex creatus,priuſquam formet aliquod artefactum, concipit in mente imaginem repræſentatiuam illius ; ita Deus,antequam cōderet creaturas, formauit ſibi in mēte Verbum repręſentatiuum illarum ; per quod tanquam per principium *quo* factæ ſunt creaturæ.Prob.mi.Ars eſt principium,*quo* producit effectus per intellectum; ſed Verbum eſt huiuſmodi; ergo Verbum eſt principium *quo* producuntur creaturæ.

3 Prob.2. pars. Si Verbum procederet, vt ars Patris paſſiuè, denominaretur artefactum ; ſed hoc eſt *cōt.Symb.D.Athan*; vbi dicitur:*Filius à ſolo Patre eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus* ; ergo non procedit per modum artis paſſiuè. Ma. patet; nam effectus paſſiuè productus ab arte dicitur artefactus.Prob.mi. Si Verbum procederet,vt quoddam artefactum,ſupponeret in mente Patris aliud Verbum,per quod procederet,& à quo denominaretur artificialiter factū; ergo daretur Verbum Verbi, quod eſt abſurdū. Tum quia artefactum habet diuerſam naturam ab artifice;vt patet de arca in mēte artificis;tum quia quod procedit per modum artis,nō procedit per naturam,vt habet *Phil.12.Met.t.c.12.*

4 Objc.1.cont.1. part.concl. Quod procedit per modum artis,eſt artificiatum ; ſed Filius non eſt artificiatus ; ergo non procedit per modum actis.

Reſp.diſt.ma.Quod procedit per modum artis paſſiuè,conc;actiuè,neg; Verbum autem nō procedit per modum artis primo modo.

5 Objc. 2. Filius procedit à Patre per modum naturæ; ergo non procedit per modum artis;quia ars,& natura ſunt diuerſa principia.

Reſp; quòd Filius procedit per modum naturæ paſſiuè,quatenus natura eſt principium formale proceſſionis Filij, & ipſe Filius eſt terminās illam proceſſionem ; & per modum artis, quatenus Filius eſt ars, qua formantur creaturę.

6 Objc.3.cont.2. part.concl. Quod procedit per Idæam ſui, eſt artificiatum; ſed Verbum procedit per Diuinam eſſentiam, quæ eſt ſua Idæa;ergo eſt artificiatum. Prob.mi.*Idea eſt illa,ad quam reſpiciens artifex operatur*;ſed Pater producens Filium reſpicit ſuam Diuinam eſſentiam;ergo Diuina eſſentia eſt Idæa Filij.

Reſp.neg.mi; nam vt diximus *de Ideis* Diuina eſſentia non eſt Idæa Patris, aut Filij, aut Spiritus ſancti; Idæa enim dicit veram cauſalitatem reſpectu idæati ; & Diuina eſſentia non eſt vera cauſa Patris, Filij, aut Spiritus ſancti. Ad prob.diſt.ma.Operatur cauſando,conc; ſimpliciter communicando eſſe,neg.

ART. VIII.

An in Diuinis perſonis ſit vera generatio actualis?

1 Declaratis iis, quæ ſpectant ad proceſſionem Verbi,quatenus habet munus potentiæ generatiuæ, ſupereſt inquirendum de ipſa,prout habet munus actionis.

2 Non loquimur de generatione communiter, prout conuenit viuentibus, & non viuentibus; nec de generatione viuentium in genere, prout conuenit vegetatiuis, ſenſitiuis,& intellectualibus , ſed determinatè,prout conuenit ſolis intellectualibus.Nec loquimur de generatione, vt eſt vera actio de prædicamento actionis; quāuis enim generatio , vt eſt actio de prædicamento actionis,non ſit in Deo, quia actio prædicamentalis importat motum , vt optimè probat *noſter Ger.hic diſt.4.q. 1. art.* 1; attamen non ſequitur , quòd generatio, vt eſt actio puriſſima, excludens motum non ſit vera actio;ſicut quanuis ſubſtantia Dei non ſit in prædicamēto ſubſtantiæ; attamen non ſequitur, quòd ſubſtantia Dei non ſit vera ſubſtantia; imò eo magis vera, quò magis excludit imperfectionem prædicamentorū.Loquimur ergo de generatione,prout eſt actio puriſſima,vt ſuperiùs diximus *art.*1.

3 Not.*ex noſtro Ger.vbiſup.art.*2;quòd generatio formaliter ſumpta præſcindendo à ſubiecto, in quo eſt,importat. 1.communicationē eſſe ſubſtantialis , quia per ipſam generans dat eſſe genito.2.importat acceptionem eſſe in ipſo genito propter eandem rationem. 3. realem diſtinctionem,quia nihil poteſt generare ſe ipſum. 4.relationem realem, quæ eſſentialiter ſequitur ad actionem,in qua fundatur.4.aſſimilationem in natura , vt dicitur in eius definitione . Quòd autem fiat ex contrarijs;per approximationem actiui,& paſſiui;quòd ſit de prædicamento actionis; quòd ſit eductio de potentia materiæ; quòd ſit per deciſionem partis ſubſtantiæ generantis, hoc ei accidit ratione ſubiecti, in quo eſt; nam quia generans ita ſe habet,vt agat ex præſuppoſitione materię,quæ alteratur ab accidētibus cōtrarijs;ideo generatio in tali agente ſit ex cōtrarijs, & per agētis applicationē ad propriū paſſiuum præſuppoſitum,& eſt cum motu alterationis ſubiecti præſuppoſiti ; & quia generans propter limitationem in natura diſtinguitur realiter à genito ; & ideo nequit ei communicare per idētitatē ſuā propriā naturā,ideo ſit per deciſionē partis ſubſtantiæ generantis. Sicut cū reperitur in ſubiecto, quod non agit ex præſuppoſitione materiæ,ſed de propria ſubſtantia per cōmunicationem identicam importatam per infinitatem;generatio non ſit ex contrarijs, nec per ap-

approximationem proprij paſſiui,nec per motũ, nec per eductionem à materia,nec per deciſionẽ partis ſubſtantiæ generantis,vt patet.

4 Definitur autem communiter generatio formaliter ſumpta. *Eſt origo viuentis à viuente principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Ex qua definitione conſtat excludi ea omnia, quæ diximus,à conceptu formali generationis,& importari ſolùm materialiter ratione ſubiecti. Dicitur ergo: *Origo viuentis à viuente*, vt exprimatur, quòd generans debet cõmunicare eſſe ſubſtantiale genito, & genitum illud debet accipere,vt diximus; quapropter animalia nata ex putri,quia accipiunt eſſe à Sole,qui non eſt viuẽs, ab eo non generantur.Dicitur: *Principio coniuncto*; vt declaretur generationem debere eſſe de ſubſtantia generantis; & quidem ſi ſit generatio imperfecta per partitionem naturæ, debet eſſe tantũ per deciſionẽ portionis ſubſtantiæ generãtis; vt eſt generatio animalium, quæ generantur ex deciſo ſemine, quod eſt pars ſubſtantiæ deciſa à generante; ſi autem generatio ſit formaliter per identitatem naturæ, debet eſſe per cõmunicationem totius ſubſtantiæ generantis.In hoc autem diſtinguitur generatio viuentium à generatione non viuentium;nam viuẽtia, vt dictum eſt, communicant vel partem,vel totam ſuam ſubſtantiam genito; vbi non viuentia non cõmunicat partẽ, nec totam ſubſtantiã genito; Sol enim nõ dat plantæ,vel animali ex putri ſuã ſubſtantiam,vel partem ſuæ ſubſtantiæ;aliter Sol aliquid ſubſtantiæ ſemper deperderet,& ſic non eſſet incorruptibilis. Dicitur tandem: *In ſimilitudinem naturæ*; agens enim naturale in tantũ agit,in quantùm intendit aſſimilare ſibi paſſum.

5 Circa vltimã particulã diſcordant *DD.*in illius explicatione;nam *Vaſq.diſp.13.art.* 1. *per ſimilitudinem naturæ* intelligit imaginem. Hæc tamen explicatio non placet, quia imago ſequitur ad ſimilitudinem, & in ea fũ datur,vt *inf.*tum quia imago reſpicit directè perſonam, nõ naturam,vt diximus *q.1.art.4.Zum.* verò 1. *p. q.* 27. *art.4. dub.* 1. intelligit ſimilitudinem in natura ſpecifica, aut ſaltem in genere proximo. *Alij* intelligunt ſimilitudinem genericam, quia in generatione quorundam viuentium non reperitur ſimilitudo ſpecifica. *Alij* autem intelligunt ſimilitudinem ſaltem ex intentione generantis ſecundùm ordinem naturæ propter generationem animalis ſpurij. Sed iſtæ explicationes non ſufficiunt, quia non exprimunt ſimilitudinem, quæ interuenit in omni generatione;vt oſtendit *Ger.* Igitur dicendum *cum eodem*, quòd hæc ſimilitudo tanta debet eſſe, quanta eſſe poteſt ita, vt creſcere poſſit etiam ad identitatem, quæ eſt perfectiſſima ſimilitudo ſine omni diſſimilitudine; quantò enim magis elũgatur à diſſimilitudine,tantò magis perfectè participat ſimilitudinẽ; ſicuti è contra quantò magis recedit à ſimilitudine, tantò magis participat diſſimilitudinem; elungatio enim ab vno extremo eſt acceſſus ad aliud extremum oppoſitum. Itaque quia identitas recedit ab omni diſſimilitudine, erit perfectiſſima ſimilitudo.

6 Vnica concl. In Diuinis eſt verè, & propriè formaliter generatio.Eſt de Fide.

Prob. 1. ex illis *Scripturis*, quas adduximus *q.1.art.4*;vt ex illo; *Ego hodie genui te*; *Ante Luciferum genui te*;ſuper quod *Beatiſſ.P. hom. 43. Pater dicit ad Filium;ex vtero ante Luciferum genui te. Quid eſt ante Luciferum? Per Luciferũ ſignificantur tempora; ergo ante tempora, ante omne, quod ante dicitur, ante omne, quod non eſt, vel ante omne,quod eſt.*Et paulò poſt.*Et quia dixit:Ex vtero,niſi,vt intelligeretur de ſua ſubſtantia genuiſſe*;Et ex illo:*Filius meus es tu. Et generationẽ eius quis ennarrabit Iſaiæ* 53.Quod *Beatiſſ.P.ſerm.12.& 13. de Tẽp.*exponit etiã de generatione Diuina:*Ego in Patre,& Pater in me eſt: Et hic eſt Filius meus dilectus*; ſed hæ voces *Patris, Filij*, & *genuit* ſequuntur ad veram, & propriam generationẽ,illique tantùm ac commodãtur;ergo in Diuinis perſonis datur verè, & propriè generatio.

7 Prob. 2. ratione *Fund. Doct.diſt.4.princ.* 1.*q.*1.In perſonis Diuinis datur relatio originis; ergo datur vera, & propria generatio. Ant. patet; nam ita debemus ſaluare diſtinctionem Diuinarum perſonarum, vt non derogemus illarũ ſimplicitati; ſed ſola relatio originis habet realiter diſtinguere ipſas perſonas,& ſecũ compati sũmam ſimplicitatẽ earundem Diuinarum perſonarum, quia hæc tantùm habet diſtinguere à termino oppoſito, ſiue ſecundùm eſſe *ad*, non autem ſecundùm eſſe *in*,ſeu à ſubiecto,& à fundamento,vt diximus *q.1.art.* 5; ergo in Diuinis perſonis datur relatio originis.Prob.conſ.1.Relationes originis non ſunt,niſi duæ, quarum vna eſt per intellectum,altera per voluntatem;quia tantùm duæ ſunt potentiæ immanenter agentes, quarum quælibet habet vnam tantùm actionem ſibi adæquatam,ad quam conſequitur vna tantũ relatio; ſed origo per intellectum eſt origo per modum naturę,cùm intelligere Diuinum ſit formaliſſimum conſtitutiuum naturæ Diuinæ, & origo per modum naturæ eſt vera generatio; ergo in Diuinis datur vera,& propria generatio.

8 Conf. Generatio eſt origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ; ſed proceſſio Filij eſt huiuſmodi; quia Filius eſt viuens,imò ipſa vita, vt dicitur *Io.* 14; & eſt in ſimilitudinem naturæ,quia eſt per intellectum,cuius proprium eſt aſſimilare, vt *inf.*oſtendemus *art.*10; ergo in Diuinis eſt vera generatio.

9 Prob.3. Generatio formaliter ſumpta ſecundùm ea,quæ importat per ſe,& quæ neceſſariò ad ipſam conſequuntur, conſiderata, prout formaliter generatio eſt,nullam in ſuo conceptu formali imperfectionem inuoluit,vt dictũ eſt;ergo eſt formaliter in Diuinis perſonis.

10 Obijc.

10 Obijc. 1. In Diuinis perſonis nequit dari exitus de potentia ad actum; aliter Diuinæ perſonæ tranſirent de non eſſe ad eſſe; & ſic nō eſſent entia neceſſaria ſimpliciter; ergo in Diuinis perſonis nequit eſſe generatio formaliter. Prob. conſ. Generatio formaliter ſumpta importat exitum de potentia ad actum, quia importat eſſentialiter, quòd genitum accipiat eſſe à generante; genitum autem nequit accipere eſſe à generante, niſi illud eſſe priùs non habeat, cùm nemo dicatur accipere id, quod habet; ſed accipere id eſſe, quòd non habet, eſt tranſire de potentia ad actum; ergo generatio formaliter ſumpta eſt exitus de potentia ad actum.

Conf. Generatio eſt ſpecies motus, ſeu mutationis; ſed ſpecies nequit repetiri ſine genere;& motus, vel mutatio nequit eſſe in Deo propter imperfectionem, quam importat; ergo neque generatio formaliter eſt iu Deo.

Reſp. ad arg. neg. conſ. Ad prob. neg. ma; & ad prob. infert. dicitur veram eſſe de acceptione eſſe per diſtinctionem, non autem per communicationem identicam.

Ad conf. diſt. ma. Generatio eſt ſpecies motus formaliter ſumpta, neg; materialiter ſūpta, prout eſt actio agentis, quod requirit alterationem præcedentem, conc. Item neg. mi. cum *B.Doct*; nam in Deo ponitur ſapientia, quæ eſt ſpecies qualitatis, ſine qualitate, quæ eſt genus.

11 Obijc. 2. In Diuinis nequit formaliter eſſe corruptio, quia Diuinæ perſonæ ſunt indefectibiles; ergo neque generatio, quæ opponitur corruptioni; *oppoſita enim ex Phil. habent fieri circa idem.*

Reſp. *B.Doct.* neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. aſſumptum de generatione, quæ eſt motus, conc; de generatione, quę non eſt motus, neg.

12 Obijc. 3. Id, quod generatur, poſſibile eſt generari; ſed quod eſt poſſibile, tranſit de potentia ad actum; ergo generatio dicit exitum de potentia ad actum.

Reſp. diſt. ma. Quod generatur, eſt *poſſibile* generari, ſi ly *poſſibile* diſtinguatur contra neceſſarium, neg; ſi ly *poſſibile* diſtinguatur contra impoſſibile, conc; & eodem modo diſt. mi. *Poſſibile*, quod contradiſtinguitur à neceſſario, tranſit de potentia ad actum, conc; quod contradiſtinguitur ab impoſſibili, & idem eſt, ac nō impoſſibile, neg.

13 Obijc. 4. In Diuinis non datur ſubiectū generationis; ergo ibi non eſt vera generatio; quia generatio eſt actio, quæ in aliquo ſubiecto exigit recipi. Prob. ant. Subiectum generationis eſt ens in potentia; nam *ex Phil. 1. de Gen. t. c. 24.* ſubiectū generationis eſt *Hyle*, quod eſt idem, ac ens potentiale; ſed omnia, quæ ſunt in Deo, ſūt actus purus excludens omnem potētialitatem; ergo in Diuinis perſonis non eſt ſubiectum generationis.

Reſp. *B.Doct.* ad 3. diſt. ant. In Diuinis non datur ſubiectum generationis materiale verè, & propriè, conc; non datur quaſi ſubiectum, neg; ſed de hoc *inf. art. 12.*

14 Obijc. 5. *ex Phil. 7. Met. t. c. 9.* habetur, quòd *non generatur, niſi compoſitum*; ſed in Diuinis perſonis nulla datur compoſitio vera, & propria; ergo nec vera, & propria generatio.

Reſp. *B.Doct.* ad 4; quòd *Phil.* loquitur tantùm de generatione creata, quæ materialiter compoſitionem importat; non autem de generatione formaliter ſumpta, quæ nullam compoſitionem admittit. Vel quòd *Phil.* ibi ſumit cōpoſitum, prout idem eſt, ac ſuppoſitum; ſicut enim in generatione creata non generatur nec forma, neque materia, ſed totum compoſitum ex vtraque; ita in generatione Diuina non generatur eſſentia, nec filiatio, ſed generatur perſona Filij; quemadmodum in Patre nec eſſentia, nec paternitas, ſed perſona Patris generat.

ART. IX.

In qua perſona Diuina ſit generatio?

1 Certum eſt 1. ſecundùm Fidem generationem, ſiue ſumatur actiuè, ſiue paſſiuè, non eſſe in omnibus perſonis Diuinis; quia Spiritus ſanctus nec eſt generans, neq; genitus.

2 Certum eſt 2. generationem paſſiuè ſumptam non eſſe in Patre, neq; generationem actiuè ſumptam eſſe in Filio, quia in Patre eſt relatio oppoſita generationi paſſiuæ; eſt enim generatio actiua, per quam conſtituitur in eſſe Patris; & in Filio eſt generatio paſſiua, per quam conſtituitur in eſſe Filij; ſed generatio paſſiua, & actiua nequeunt eſſe in eadem perſona, quia idē nequit eſſe ſimul generans, & genitum; ergo in Patre nequit eſſe generatio paſſiua, & actiua in Filio.

3 Dices 1. Generatio in Diuinis dicit perfectionem; ergo ſi non eſſet in omnibus tribus perſonis, perſonæ non eſſent æqualis perfectionis. 2. Illa proceſſio, per quam communicatur natura Diuina, eſt generatio; ſed per proceſſionem Spiritus ſancti communicatur illi natura Diuina; ergo eius proceſſio eſt generatio. 3. Generatio in Diuinis eſt intellectio, ſed in omnibus tribus perſonis eſt intellectio; ergo in omnibus eſt generatio.

Reſp. *B.Doct. in hac diſt. 4. princ. 1. q. 2. ad 1.* non eſſe inconueniens, quòd aliquod ſit perfectio relatiua in vno, & nō ſit perfectio in alio; imò ſi in ipſo poneretur, non eſſet perfectio, ſed imperfectio; nam ſi filiatio poneretur in Spiritu ſancto, Filius, & Spiritus ſanctus eſſent ambo geniti; & per conſequens eſſent termini inadæquati, & imperfecti. Ad 2. dicit, quòd communicatio naturæ per modum naturæ formaliter ita, vt natura ſit principium formale communicationis, eſt generatio; non autem quæcunque communicatio naturæ in ſenſu identico, & materiali; ſicuti eſt proceſſio Spiritus ſancti, qui, cùm

cùm formaliter procedat à voluntate, tanquam à principio formali proximo, non procedit per modum naturæ, sed per modum amoris. Ad 3. dicit, quòd generatio est intellectio notionalis, quæ est tantùm in Patre actiuè, & in Filio passiuè, non autem est intellectio essentialis, quæ est in tribus personis.

4 Vnica concl. Generatio actiuè sumpta est in Patre, sumpta verò passiuè est in Filio. Prob. 1. ex *Beatiss. P. 6. de Trin. c. 2.* vbi ait: *Sic enim Verbum, quomodò imago; non autem Pater, & Filius simul ambo imago; sed Filius solus imago Patris, quemadmodum & Filius; non enim ambo simul Filius*. Et paulò post: *Non enim simul ambo Deus de Deo, sed solus Filius de Deo, scilicet Patre*. Ex quibus sic arguit *B. Doct.* Generatio actio idem est, ac paternitas, quia est proprietas constitutiua Patris significata per modum actionis; & generatio passio idem est, ac filiatio; sed paternitas est solùm in Patre, & filiatio in solo Filio; ergo generatio actio est tantùm in Patre, & generatio passio in Filio.

5 Conf. In illo est generatio actio, cui competit actiuè generare; sicut in illo est generatio passio, cui competit passiuè generari.

6 Obijc. 1. contra 1. part. concl. Actio est in passo, non in agente, vt dicitur *in Phys.* ergo generatio actio non est in Patre, sed in Filio.

Resp. *B. Doct.* dist. ant. Actio, quæ est motus, est in passo, conc. motus enim est in mobili, vt docet *Phil. 3. Phys. t. c. 18.* Actio, quæ est relatio, sicuti est actio Diuina, neg. nam relatio agentis ad passum est in agẽte; sicuti relatio patientis ad agens est in patiente.

7 Obijc. 2. Si generatio actio esset in Patre, sequeretur, quòd in Patre essent duæ relationes oppositæ, quia in Patre est ingeneratio, cùm Pater sit ingenitus, & sic in ipso esset generatio, & ingeneratio.

Resp. *Beatiss. P. 5. de Trin. c. 7.* quòd ingeneratio est negatio filiationis, quæ est idem, ac paternitas; sicut generatio passiua idem est, ac filiatio. Hinc subdit *Fundat. Doct. hic*, quòd generatio actiua, & ingeneratio non opponuntur, quia sunt respectu diuersorum.

8 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. Quidquid habet Filius, habet à Patre; sed quidquid habet à Patre, est in Patre, quia *nemo dat, quod non habet*; & in Patre non est generatio passiua; ergo neque est in Filio.

Resp. *Fund. Doct.* dist. ma. Quiquid habet Filius, habet à Patre eo modo, & ordine, quo habet Pater, neg. diuerso modo, & ordine, conc. quia ergo filiatio non est quid absolutum, ideo illam non habet à Patre, sed ad Patrem; hinc resultat ad id, quod habet à Patre.

9 Obijc. 4. Præsente termino cessat actio productiua illius; sed Filius est terminus generationis actiuæ; ergo producto Filio cessat generatio; & ideo neque generatio actio est in Patre, neque generatio passio est in Filio.

Resp. *B. Doct.* dist. ma. Præsente termino, cessat actio, quę est motus, quia in termino, *qui* est quies, nequit esse motus; aliter duo contraria essent simul, conc. cessat actio, quæ est relatio, neg. Propter hoc Pater semper generat, & Filius semper nascitur, quia in Patre semper est paternitas, quæ est actio generatiua, & in Filio semper est filiatio, quę est generatio passiua.

10 Collig. ex *B. Doct. hic q. 4.* quòd absolutè loquendo generatio est tantùm in Filio. Et ratio est, quia generatio absolutè sumpta magis denotat originem per modum passionis, quàm per modum actionis; & ideo solùm cum addito, idèst generatio actio, dici debet de Patre.

ART. X.

An processio Verbi formaliter sit generatio?

1 Dogma Fidei est processionem Filij esse veram generationem, & processionẽ Spiritus sancti non esse generatiōnẽ, sed spirationem, vt diximus *art. 8, & 9; & q. 1. art. 4.* Et quanuis *in Scripturis* Filius aliquando dicatur *primogenitus*; attamen hoc dicitur non in ordine ad alios Filios posteriores natu, sed in ordine ad Spiritum sanctum non natum, & facit sẽsum; quòd Pater prioritate originis genuit Filium, & ideo priùs genuit Filium; & deinde Pater, & Filius se amando spirauerũt Spiritum sanctum; quando autem dicitur *Primogenitus in multis fratribus*, tunc sermo est de Christo Domino secundùm humanam naturam.

2 Quæritur modo, an possit afferri aliqua ratio, cur processio Filij, & non processio Spiritus sancti sit generatio? Et quanuis *noster Greg.* asserat propterea nos in hac vita non posse afferre rationem conuincentem, quia generatio Filij ineffabilis est; dicitur enim *Isaia 52. Generationem eius quis enarrabit*; attamen hoc est intelligendum per rationem, & lumen merè naturale; nam per lumen Fidei, & supposita Diuina reuelatione posse inueniri rationem, tradit *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 27*; vbi referẽs se in quodam *serm. de Tempore* attulisse rationem huius ait: *Sed Fidelibus, non infidelibus loquens*; & paulò post: *Nusquam se meliùs regente dumtaxat Fidei regula acies humana mentis exercet, quàm in eo; quod ipse homo in sua natura melius ceteris animalibus, melius etiam ceteris anima sua participibus habet, quod est ipsa mens*; scilicèt ex eo, quòd Verbum procedit per intellectum, cuius est assimilare, ideo procedit in similitudinem naturæ, & ideo vt genitus, vt videbimus.

3 Prima sententia vult processionem Filij esse veram generationem, quia Filius ex vi suæ processionis accipit naturam Diuinam fœcundam ad producendam aliam personam, quæ est Spiritus sanctus; processionem verò Spiritus sãcti non esse veram generationem, quia Spiritus sanctus non accipit naturam Diuinam fœcũdam

ad

ad productionem alterius personæ. *Ita Alen; D. Bon; Ricard. à S.Vict;* qui tamen apud *Sua. de Trin.lib.11.c.5.n.19;* aliter referuntur; *Zunig. disp. 2. de Trin. dub. 20; & Martinon. disp. 24. sect. 9.*

Secunda sententia asserit Verbum esse Filium, quia procedit, vt natus, & ideo ab vna tantùm persona, cùm natura sit ad vnum determinata; Spiritum sanctum verò non esse Filium, quia procedit, vt datus, & ideo à duobus. *Ita Aliacen, Scot; & alij.*

Tertia sententia vult Verbi processionem esse veram generationem, non autem processionem Spiritus sancti, quia licèt tam Verbo, quàm Spiritui sancto communicetur formaliter ex vi suæ processionis natura Diuina, & vterque procedat formaliter, vt similis suo principio productiuo; attamen Filius procedit, vt imago, non autem Spiritus sanctus; ad rationem etenim veræ generationis est, quòd Filius genitus procedat, vt imago generantis. *Ita Torr; Canar; Vasq; disp.113; Turrian; Alarc; & Banhie art.4.dub.1; & ex nostris Antolinez, & alij.*

Quarta sententia vult solam rationem similitudinis probare generationem Verbi; tres autem allatas rationes esse insufficientes. *Ita Recentiores Thomistæ, & ex nostris Gibb; & alij.*

Vltima tandem sententia docet rationem ductam ex similitudine esse veluti à priori per principium formale intrinsecum; rationes verò ductæ ex fœcunditate ad producendam tertiam personam, & ex processione ab vna tantùm; & ex eo, quòd procedit, vt natus, & vt imago, optimè à posteriori probare processionem Filij esse veram generationem; non verò processionem Spiritus sancti. *Ita Fund. Doct. in 1.dist.3. princ. 2. q. 1;* vbi vtitur istis quatuor rationibus allatis *à Beatiss. P;* primam autem rationem tradit *dist. 4. princ. 1. q.2.ad 2; & q. 3; & in 3. dist.8. p.1. q.1. art.1.ad 4.* Ipsum sequuntur *Ger; Argent; & alij ex antiquis.* Ita etiam *D. Tho;* qui pluribus in locis vtitur his rationibus, vt *q.10. de Verit. art.2.* ait: *Spiritum Sanctum non esse genitum, quia procedit à duobus.* Vnde mirum est, quòd *Thomistæ recentes* inuehantur in has rationes tanquam in insufficienter probantes, non videntes, quòd insufficientiæ arguant rationes *à D.Tho.* aliquando allatas.

4 Not; quòd, vt dicitur *in lib.Post.* probatio recta duplex est; alia à priori per causam; causa autem quadruplex est; finalis, efficiens, formalis, & materialis; formalis autem alia physica, alia metaphysica, quæ est idem, ac constitutiuum formale rei, vt si quis probet *Petrum* esse hominem, quia est rationalis. Alia probatio est per effectum, seu quasi effectum, quia est per aliquod resultans, & consequens ad esse illius. Cùm dicimus rationem ductam à similitudine esse à priori, intelligimus esse per constitutiuum formale generationis; ceteras verò rationes esse à posteriori, volumus ipsas esse per aliquod consequens ad filiationem, & cum illa coniunctum. Ratio autem à priori est potissima; à posteriori verò est minùs principalis, sed rectè concludēs.

5 Vnica concl. Ratio ducta ex formali similitudine in natura probat à priori processionem Verbi esse veram generationem; ceteræ verò rectè probant à posteriori; quanuis ratio similitudinis sit primaria, & principalis, quia est per constitutiuum formale generationis, quod primò est in re; ceteræ verò sunt secundariæ, & minùs principales, quia sunt per aliquod consequens ad ipsam generationem.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiss.P. lib.7.de Trin.c.2;* vbi docet: *Eo Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius.* Quod dupliciter exponit *lib.15;* nam *c.13.* docet ideo Verbum procedere, vt Filius, quia procedit per intelligere actuale, quod est constitutiuum formalissimum naturæ Diuinæ; ait enim: *Quæ sapientia, ipsa & essentia, siue substantia, quia in illius naturæ simplicitate mirabili nō est aliud sapere, quàm esse; sed quod est sapere, hoc est & esse;* & *c.27.* ait: Verbum procedere, vt Filium, quia procedit in similitudinem naturæ formaliter, cùm procedat per intellectū, de cuius ratione est assimilare; docet enim: *Fitque in acie cogitantis imago simillima cogitationis eius, quod memoria continebat; ista duo scilicet parentem, & prolem tertia voluntate, siue dilectione iungente. Quam quidem voluntatem de cogitatione procedere, nemo enim vult, quod omnino quid, vel quale sit, nescit; nō tamē esse cogitationis imaginem, & ideo quandam in hac re intelligibili natiuitatis, & processionis insinuari distantiam;* sed quod procedit, vt simile, procedit, vt genitū; ergo Verbum formaliter procedit, vt genitum.

6 Prima ratio sic exponitur. Illud procedit, vt simile in natura, cuius principium formale *quo* est natura, seu ratio specifica, & differentialis constitutiua naturæ; vnde ad hoc, vt vnus homo propriè dicatur generare alium hominem, rationalitas, quæ est vltima ratio specifica differentialis constitutiua naturæ hominis, debet esse principium formale *quo* productiuum alterius hominis; quòd si non rationalitas, sed animalitas esset principium formale *quo* productionis alterius hominis, homo productus non esset formaliter genitus, vt homo, nec vt Filius, quia ratio constitutiua hominis non esset principium productiuum illius; sed Verbum Diuinum formaliter procedit per intelligere actuale, quod in nostra sententia est vltimum constitutiuum formale naturæ Diuinæ; ergo Verbum Diuinum formaliter procedit, vt genitum, & vt Filius; & sicut homo genitus per animalitatem formaliter in data hypothesi non procederet, vt similis formaliter propriæ naturæ hominis, quæ est rationalitas; quia principium, per quod formaliter procederet, nō esset rationalitas, quæ est ratio constitutiua naturæ hominis, sed animalitas, quæ se habet ma-

teria-

terialiter ad essentia m hominis;& licèt terminus productus esset homo; attamen quia esset homo,in quantùm animalitas,quæ esset principium productiuum illius,identificatur cum rationalitate, quæ est ratio formalis constitutiua naturæ hominis; ideo ille homo productus diceretur similis tantùm identicè,& materialiter,non reduplicatiuè, & formaliter eo prorsus modo, quo Domus facta ab *Aedificatore* Musico,dicitur esse formaliter ab arte ædificatoria, & materialiter ab arte Musicæ, in quantùm Musica nō est principium formaliter productiuum Domus, sed tātùm coniungitur eum arte ædificatoria, quæ est principium formaliter formatiuum domus. Ita Verbum Diuinum dicitur procedere in similitudinem naturæ, quia principiū processionis Verbi est intelligere actuale,quod est constitutiuum formale vltimum naturæ Diuinæ; Spiritus sanctus verò,quia procedit per voluntatem,quæ nō est formaliter cōstitutiua naturę Diuinę,sed realiter identificatur cum intelligere actuali, ideo Spiritus sanctus dicitur procedere, vt similis in natura tantùm materialiter,identicè, specificatiuè,non autem formaliter reduplicatiuè.

7 Secunda ratio sic exponitur. Quod formaliter procedit per intellectum, procedit formaliter,vt simile; sed Verbum Diuinum formaliter procedit per intellectum; ergo formaliter ex vi suæ processionis procedit, vt simile. Prob. ma;nam de ratione intellectus est assimilare,quia de illius ratione est, quòd fiat res intellecta, & quòd exprimat Verbum eiusdē rationis, & speciei cum obiecto gerente vicem speciei impressæ, vel cum ipsa specie impressa, quæ est principium formale *quo* proximum productiuum Verbi; vnde cùm in productione Verbi Diuini loco speciei sit natura Diuina, ideo Verbum Diuinū formaliter ex vi suæ processionis procedit,vt simile in natura Diuina; Spiritus sanctus verò,cū procedat per voluntatem, quia est amor formaliter; & quod procedit per voluntatem, habeat formaliter procedere,vt quidam impetus,& impulsus; quia *secundùm Pholosophum: Voluntas trabitur à rebus*; & per consequens in ipsas impellitur, ideo non procedit,vt similis formaliter in natura. Quia tamen talis impulsus identificatur cum natura Diuina, ideo procedit identicè, & materialiter tantùm, vt habens naturam Diuinam.

8 Conf.1. Verbum habet procedere,vt naturalis similitudo speciei impressæ, aut obiecti gerentis munus speciei impressæ; quapropter Verbum dicitur *idolum, seu imago* rei cōceptæ; sed id, quòd gerit vicem speciei impressæ in intellectu Patris,est essentia Diuina; omnia enim intelligit per suam essentiam; ergo Verbum Diuinum habet formaliter procedere à Patre,vt simile in essentia Diuina; sed processio in similitudinem naturæ est generatio; ergo processio Verbi est generatio.

9 Dices Verbum procedere simile solùm in esse intellectuali,non in esse entitatiuo.

Resp.retorq;nam esse intellectuale est constitutiuum formale vltimum naturæ Diuinæ; sicut esse rationale est constitutiuum formale hominis;ergo si Verbum Diuinum procedit, vt simile in esse intellectuali,procedit formaliter, vt simile in natura.

10 Conf.2.Assimilatio, quæ sit inter generans, & genitum, est penes principium *quo* coniunctum eum generante,& genito;est enim generatio, vt supra dictum est, *principio coniuncto*; vnde in generatione creata principium coniunctum est pars substantiæ decisæ à generante, idèst semen; quia generatio creata fit per partitionem naturæ, & in generatione Diuina est tota substantia, seu natura, fit enim per communicationem identicam naturæ;sed natura Diuina coniungitur cùm intellectu Patris,vt principium *quo*, quia tenet locum speciei, & coniungitur cum Filio,quia ei communicatur; nō coniungitur autem cum voluntate, vt principium *quo* operandi;nam voluntas ex obiecto existente in intellectu sufficienter mouetur ad tendendum in illud;hinc docet *Phil.12.Met.t.c.39.Balneum apprehensum auget desiderium in anima*, & ideo *intellectus trabit res ad se,voluntas autem trabitur à rebus*; ergo solus intellectus,non voluntas habet assimilare.

11 Quòd autem hæc ratio ducta ex similitudine sit potissima, quia est veluti à priori, ostenditur sic. Illa est ratio à priori, quæ est per causam; sed ratio probans processionem Verbi esse generationem eo, quia est in similitudinem naturæ, est veluti per causam, quia est per constitutiuum formale,quod est veluti causa formalis metaphysica intrinsecè constituens rem; nam eo,quòd effectus procedat in similitudinem naturæ,distinguitur ab omni alia productione, quæ non est generatio; tum quia generatio est *opus naturalissimum viuentis*, vt ait *Phil*; tum quia similitudo ponitur in definitione generationis,vt differentia illius; ergo hæc ratio est à priori, & ideo potissima.

12 Quòd autem ratio ducta ex fecunditate ad producendam tertiam personam optimè cōcludat à posteriori,prob.*ex Beatiss.P.15 de Trin. c.26*,vbi ait: *Qui potest intelligere generationem Filij de Patre,intelligat processionem Spiritus sancti de Filio*; quibus ostendit fæcūditatem ad producendam tertiam personam esse proprietatem inseparabilem à filiatione, quia Filio communicantur omnia,quæ sunt in Patre(excepta paternitate) aliter non esset ei æqualis; fæcunditas autem ad producendam tertiam personam est in Patre; sed per proprietatem inseparabilem optimè probatur à posteriori essentia, ad quam sequitur; ergo per fæcunditatem ad producendam tertiam personam optimè probatur filiatio;sed filiatio est generatio passiua;ergo optimè

pro-

probatur generatio. Tum quia ex voluntate optimè probatur à posteriori intellectus; ergo ex processione per voluntatem optimè probatur processio per intellectum; sed processio per intellectum est generatio;ergo optimè probatur generatio.Et quo patet hanc rationē esse secundariam;reducitur enim ad primariam.

13 Prob.2. subtiliùs *ex eodem Tract.99.in Io.c.16*;vbi loquens de Spiritu sancto ait: *Quid autem intersit inter procedere, & nasci,longum est quærendo differere, & temerarium differendo definire, & linguæ difficillimum explicare; quantuslibet sit Doctor,quantuslibet sit Auditor. Non ergo loquetur à semetipso,sed quæcunque audiet,loquetur. Ad illo audiet,à quo procedit. Audire illi est scire;scire verò esse. Quia ergo non à semetipso,sed ab illo,à quo procedit,à quo illi est essentia,ab illo scientia. Ab illo igitur audientia, à quo nihil est aliud,quàm scientia.* Ex quo sic. Pater est dicens, Filius est Verbum dictum, & Spiritus sanctus est audiens,vt habetur *ex Scriptura*,sed per Verbum dictum optimè probatur à posteriori Pater dicens, quia Verbum dictum est correlatiuum ad Patrem dicētem; ergo per Spiritum sanctum audientem optimè probatur à posteriori Verbū dictum;atqui Verbum dictum est Filius,vt probat.1.ratio;ergo rectè probatur Filius;fæcunditas autem ad producendam tertiam personam est optimum medium ad probandum Spiritum sanctum audientem,quia dicit relationem ad ipsum; ergo per fæcunditatem ad producendam tertiam personam optimè probatur Verbum esse Filium. Ex his patet hanc rationem reduci quoque ad primam,& ideo non esse principalē.

14 Conf. Per omne id, quod coniungitur cum generatione Filij, tanquam proprietas illius, probatur à posteriori generatio Filij; aliter per passionē non probaretur id,cuius est passio; quod est cōtra *omnes Philosophos*;sed fęcūditas ad producendam tertiam personam, vt communicata,coniungitur cum generatione Filij;nam fæcunditas ad producendam tertiam personam in Patre est incommunicata; ergo ex eo, quòd Filius procedat,vt fæcundus ad producendam tertiam personam, rectè probatur processio Filij esse veram generationem.

15 Resp.1.*Gonet.hic* §.2.*Beat.Patrem* tradidisse talem rationem,non vt sufficientem, sed vt accommodatam *his, qui extendi non valent in amplius*;vt habet 15.*de Trin.c.* 27; ergo ista ratio non est tenenda. 2. Similitudo, quæ requiritur formaliter ad generationem, consistit in absoluto, non in relatiuo; sed fæcunditas importat quid relatiuum;ergo per ipsam non probatur similitudo,& ideo nec generatio.3.simul cum *nostro Gibb.* Si ad rationem generationis in Diuinis requireretur, quòd Filius procederet, vt similis Patri in fæcunditate ad producendam tertiam personam, maximè,quia hoc contingit in creatis;sed hoc est falsum, quia Filius in creatis accipit virtutem ad generandum; in Diuinis autem non ad generandum, sed ad spirandum; Tū quia mulus in creatis non accipit virtutem ad generandum, & tamen est verè genitus; ergo hæc ratio non concludit. 4. de ratione generationis est, quòd sit processio solùm per naturam; sed sine fæcunditate potest haberi conceptus naturæ; quia fæcunditas ad spirandum dicit virtutem spiratiuam,quæ virtualiter distinguitur à natura; tum quia in definitione generationis nō ponitur fæcunditas, vt patet; ergo potest haberi generatio absque fæcunditate.

Sed hæc solùm probant fæcunditatem non esse rationem formalem constitutiuam intrinsecam generationis; & ideo non probare à priori, quod libenter concedimus; quamuis enim voluntas creata non sit de formali conceptu intellectus, nec ponatur in definitione illius,& licèt creaturæ non sint de conceptu Dei; attamen non sequitur, quòd per voluntatem à posteriori rectè non probetur intellectus, & per existentiam creaturarum existentia Dei; aliter omnes rationes,quibus *D.Tho*; & cùm ipso *omnes Thomistæ,& DD. Catholici* probant existentiam Dei per existentiam creaturarum, essent insufficientes;quòd nullus diceret. Ad 1. igitur, quòd *Beatiss. P.* illis verbis declarat hanc rationem esse captu faciliorem;non tamen,quòd sit insufficiēs; aliter quoties illam repetit, toties insufficienter argueret, quod est indignum *tanto Ecclesiæ Magistro*. Ad 2. quòd per fæcunditatem non probatur generatio,sicut per similitudinem;sic enim probaretur à priori; sed tanquam per aliquod coniunctum cum similitudine, & ideo à posteriori. Ad 3.dicitur eodem modo, quòd licèt ad generationem Filij in Diuinis non requiratur formaliter fæcunditas ad producendam tertiam personam,attamen coniungitur cum illa tanquā proprietas, & ideo per illam rectè probatur.Et sic ad 4; nam licèt sine voluntate in creatis, & sine creaturis possit haberi conceptus intellectus,& Dei, & licèt voluntas, & creaturæ non ponantur in definitione intellectus,& Dei; attamen non sequitur, quòd per voluntatem nō probetur intellectus,& Deus per creaturas.

16 Tertia ratio,quam tuetur 2.*sent*; traditur à *Beatiss.P.5.de Trin.c.* 14; vbi loquens de Spiritu s.docet: *Exit enim, non quomodò natus,sed quomodò datus; & ideo non dicitur Filius, quia neque natus est,sicut Vnigenitus;neque factus, vt per Dei gratiam in adoptionem nasceretur, sicuti nos. Quod enim de Patre natum est,ad Patrem solùm refertur,cùm dicitur Filius; & ideo Filius Patris est,& non noster. Quod autem datum est,& ad eum,qui dedit,refertur,& ad eos,quibus dedit. Et lib.15.c.27*; vbi recapitulat omnia, quæ dixerat in præcedentibus libris: *Cur non dicatur natus esse,sed potiùs procedere Spiritus s; quoniam si & ipse Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur,quod absurdissimum est. Filius quippe* nul-

nullus est duorum, nisi patris, & matris. Absit autem, vt inter Deum Patrem, & Deum Filium aliquid tale suspicemur; quia nec filius hominum simul ex matre, & patre procedit, sed cùm in matrem ex patre procedit, non tunc procedit ex matre; & cùm in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem s. non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de vtroque procedit: quamuis hoc Pater Filio dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.

17 Ex his formatur hæc ratio *à Fund.Doct.* Quamuis non sit de ratione geniti, *vt sic*, procedere ab vno tantùm; quia ignis v.g. potest generari à duplici igne partialiter agente; & homo potest esse à Patre, tanquam à principio actiuo, & à matre, tanquam à principio passiuo; attamen de ratione perfectissimi Filij, cuius generatio est per communicationem identicam naturæ, est, quòd procedat ab vno tantùm; quia plura principia partialia, sicut essentialiter sunt in se ipsis imperfecta, quoniam deficiunt à ratione totius, ita suam imperfectionem transfunderent in terminum productum, qui nequit esse perfectior suo principio. Tum quia procedere ex matre, tanquam à principio passiuo, conuenit tantùm filio, qui habet esse in potentia passiua, & ideo accipit esse post non esse; ac per consequẽs filio imperfecto, sicut est in humanis; habere enim principium passiuum nihil aliud est, quàm esse in potentia passiua; & esse in potentia passiua est non habere actu esse, vt patet. Tum quia *natura est ad vnum determinata*; vt communiter dicitur; Filius autem procedit per naturam; & vt natus; ergo exigit esse ab vna tantùm persona. At verò Spiritus sanctus procedit, vt amor perfectissimus, qui essentialiter est mutuus, & ideo est nexus duorum; ergo exigit esse à duobus. Hinc dicitur procedere, vt *datus*; quia dare coexigit eum, cui datur, & eum, qui dat; & ideo exigit esse à Patre, & Filio, tanquam à duabus personis; ergo eius processio non est generatio.

18 Inst. *Gonet.* 1. Possunt plures personæ adunari ad productionem alicuius Filij, vt patet in nobis. 2. Si Pater, & Filius producerent Spiritum sanctum per intellectum, Spiritus sanctus verè esset Verbum, & Filius; ergo ex eo, quòd sit à duobus, non probatur, quòd non sit Filius.

Resp. ad 1. esse expressè *cont. Beatis. P. vbis.* Dist. ergo ant. Possunt plures personę adunari ad productionem vnius filij per modum principij actiui, & passiui, vt in nobis, quod repugnat Filio perfectissimè procedenti per identitatem purissimam, vel per modum principij actiui partialis, conc. per modum principij perfectissimi, neg. Ad 2. dicitur, quòd si Pater, & Filius producerẽt Spiritum sanctum per intellectum, essent plura Verba, non vnum; quia Pater non producit Filium, nisi intelligendo se ipsum, & formando Verbum; si autem Pater produceret Spiritum sanctum etiam per intellectum, iam formaret aliud Verbum; & sic essent duo Verba; tandem si Filius produceret Spiritum sanctum intelligendo se ipsum, & Patrem, iam daretur aliud Verbum distinctum à Verbo Patris, quia esset distinctum ab ipso Filio, qui est Verbum Patris; & sic non esset ratio, cur non distingueretur etiam à secũdo Verbo, quod produceret Pater; sed hæc omnia repugnant Filio perfectissimo, qui non est nisi vnicus in vnica natura; ergo Filius perfectissimus, vt perfectissimus essẽtialiter, exigit esse ab vna, non à duabus personis.

19 Ex hoc deducitur, quòd illa ratio, quam tradit *Fund. Doct. hic*; scilicet, quòd Filius refertur ad vnum; Spiritus sanctus autem ad duos, sequitur ad hanc tertiam rationem; quia relatio originis ad vnum sequitur ex acceptione esse ab vno; & relatio ad duos sequitur ex acceptione esse à duobus; vnde istæ rationes: Filius est ab vno, non à duobus: Procedit, vt natus, non vt datus, reducitur ad vnam, non ad duas; ideo simul asseritur *à Beatiss. P. vbis.* quia in idem redeunt.

20 Quòd autem hæc ratio sit posterioristica, patet; nam relatio ad vnum supponit generationẽ actualẽ, in qua fundatur; & ideo est posterior generatione. Sic procedere ab vno, & vt natus, supponit similitudinem naturæ, per quam formaliter constituitur processio ab vno.

21 Quarta ratio adducta *pro 3. sent.* traditur *à Beatiss. P. 6. de Trin. c. 2;* vbi docet: *Filius est eo imago, quo Filius.* Et *lib. 7. c. 2. Eo, quòd natus est, & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur.* Ex quo sic. 1. Ex eo, quòd Filius procedat, vt Verbum, procedit, vt Filius, quia procedit in similitudinẽ naturæ; vt *sup.* dictum est; sed ex eo, quòd procedat, vt imago intellectualis, procedit, vt Verbũ; quia Verbũ est naturalis imago rei, quam repræsẽtat; ergo ex eo, quòd procedit, vt imago, procedit Filius; & ideo ratio imaginis bene probat processionẽ Filij esse veram generationẽ. 2. Imago naturalis importat similitudinẽ in natura; sicut imago artificialis importat similitudinẽ in figura; sed per similitudinem rectè probatur processionem Verbi esse generationem; ergo & per rationem imaginis.

22 Denique quòd ratio imaginis sit à posteriori, prob. sic. Generatio Diuina formaliter importat communicationem naturæ per identitatem; relationem autem ex consequenti; vt diximus *art. 2;* sed imago directè repræsentat personalia, vt habitum est *q. 1. art. 3;* quæ consequũtur ad naturam Diuinam; ergo ratio ducta ex imagine probat solùm à posteriori.

23 Dices. 1. *D. Greg. Niss.* refert fuisse reuelatum *D. Greg. Thaumaturgo* Spiritum sanctum esse imaginem Filij; & tamen Spiritus sanctus non est genitus. 2. Ignis genitus est similis igni generanti, & tamen non est imago illius; ergo ratio imaginis nõ cõnectitur necessariò cũ generatione, & ideo per illã nõ probatur generatio.

Resp.

Reſp. ad 1. Spiritum ſanctum dicit imaginem Filij identicè, quatenus habet eandem naturam, non formaliter ex vi ſuæ proceſſionis; quia procedit per voluntatem, quæ non habet aſſimilare,ſed transformare. Ad 2.dicitur, quòd quidquid ſit de generatione phyſica, & materiali, negari non poteſt de generatione intellectuali, quia quod gignitur intellectualiter,eſt Verbum;& Verbum eſt naturalis imago.

24 Aduertendum tamen,quòd licèt iſtę rationes explicatę eo modo, quo dictum eſt,rectè probent; attamen malè vſurpantur *ab Auctoribus ſup.cit*;nam *Scot*; vt videri poteſt *apud noſtrũ Gibb*; vult Filium procedere,vt natum,quia procedit neceſſariò,& determinatè ad vnum;Spiritum ſanctum verò nõ procedere,vt natum, quia procedit liberè, idèſt per voluntatem. Hæc explicatio reijcitur; quia vel per illam libertatem eſſentialē,quam *Scot*.dicit conſiſtere in eo,quòd voluntas ex ſua natura non ſit paſſiuè determinata ad vnum, intelligit potentiam, per quam voluntas ſe determinat ad vnum cum poteſtate ad oppoſitum; & hoc non; quia hæc eſt liberras indifferentiæ,quam etiam ipſe negat.Vel intelligit potentiam ſine poteſtate ad oppoſitum; & hoc non eſt aliud, quàm agere determinatè ad vnum.Quamuis ergo Spiritus s.procedat per voluntatem, attamen procedit per ipſam, vt natura eſt, non vt potentia ad oppoſitum, vt diximus *de Vol.Dei q.2.art.1.§.1.n.13*.

25 *Torres* autem, *& Vaſq*. abutuntur alia ratione; dicunt enim, quòd licèt etiam Spiritus s.ex vi ſuæ proceſſionis formaliter procedat, vt ſimilis, attamen quia non procedit formaliter, vt imago,ideo non procedit,vt Filius. Hoc autem falſum eſt,nam procedere, vt imago,eſt procedere,vt Filius, vt ſup. probatum eſt; ideo hic modus eſt relinquendus.

26 Obijc.1.*Torr.& Vaſq*.cont.1.rationem. Spiritus s.procedit formaliter in 4.modo dicendi per ſe, vt Deus; quia non procedit per accidens;cùm nullum accidens ſit in Deo;ergo procedit formaliter, vt ſimilis in natura ex vi ſuæ proceſſionis formaliter;nam procedere, vt ſimilis ex vi ſuæ proceſſionis formaliter eſt procedere per ſe formaliter,vt Deus;ſimilitudo enim attenditur ſecundùm Deitatem.

Reſp.neg.ant.Ad prob.infert.dicitur,quòd inter procedere per ſe formaliter, & per accidens datur procedere per ſe identicè; nam homo non procedit per ſe formaliter ex vi ſuæ proceſſionis, vt animal, ſed vt rationalis; & tamen non procedit, vt animal per accidens, ſed per ſe identicè, quatenus animal realiter identificatur cum rationalitate. Ita Spiritus s.procedit per ſe formaliter, vt amor; quia tamen ratio amoris identificatur realiter cum Deitate, ideo procedit per ſe realiter identicè, vt Deus.

27 Inſt. 1. In definitione generationis traditæ *à Phil*.non ponitur illa particula *ex vi proceſſionis*; ergo non eſt addenda, quia eſt ſuperflua. 2.Procedere,vt ſimilem in natura ex vi ſuæ proceſſionis eſt accipere eandem naturam per actionem, qua producitur; ſicut procedere, vt diſſimilem, eſt accipere diuerſam naturam; ſed Spiritus s.ex vi ſuæ proceſſionis accipit eandem naturam Diuinam; quidquid enim habet in ſe ipſo, habet ſibi communicatum à Patre,& Filio per actionem, per quam producitur; ergo procedit,vt ſimilis in natura ex vi ſuæ proceſſionis. 3. Spiritus ſanctus procedit formaliter, vt perſona; quia procedit formaliter, vt ſpiratus; ſpiratio autem eſt conſtitutiuum formale perſonæ; ſicut Verbum ex eo,quòd procedat formaliter, vt Filius, procedit formaliter, vt perſona; quia filiatio eſt conſtitutiuum formale Filij; ſed perſona importat formaliter naturã; definitur enim *Rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*,ergo Spiritus s. procedit formaliter, vt habens naturam Diuinam, & ideo ex vi ſuæ proceſſionis communicatur ei formaliter natura; non verò identicè. Tum quia Spiritus s. procedit formaliter, vt ſubſiſtens in natura intellectuali; ſubſiſtentia autem in natura intellectuali eſt ratio formalis conſtitutiua perſonæ. Tum quia procedit,vt diſtinctus à Patre; ratio autem diſtinguens in Diuinis eſt perſonalitas. Tandem quia procedit ſub ea ratione, qua exiſtit; ſed exiſtit, vt perſona;ergo procedit, vt perſona.

Reſp.ad 1. non poni illam particulam in definitione generationis explicitè, ſed implicitè; à nobis tamen addi ad maiorem explicationem illius; non verò tanquam aliquid implicitè non contentum in illa. Ad 2. neg.ma; nam licèt homo genitus accipiat animalitatem per actionem, per quam producitur, non tamen dicitur procedere formaliter ex vi ſuæ proceſſionis ſimilis animalitati;nam ſimilitudo formalis eſt ſimilitudo in ſpecie, non in genere; quòd igitur procedat, vt ſimilis animalitati, ſe habet genericè, & materialiter; non verò ſpecificè, & formaliter. Procedere ergo, vt ſimilis formaliter ex vi ſuę proceſſionis,eſt procedere ab ipſo prędicato ſpecifico differentiali vltimò conſtituente ipſam naturam, tanquam à principio formali *quo*; vt homo à rationalitate. Sic autem non procedit Spiritus s; quia procedit per voluntatem, quæ non eſt conſtitutiua, ſed proprietas naturæ Diuinæ. Ad 3. reſp. communiter neg. ma; nã Spiritus s.formaliter procedit, vt amor, vt *impetus cum exceſſu bonus*; hoc enim ſonat hoc nomen *Spiritus s*; quòd autem procedat,vt perſona, vt ſubſiſtens, vt diſtinctus à Patre, & vt exiſtens,identicè ſe habet. Sed non videmus, quare nõ poſſit concedi ma;& neg.mi;ad cuius prob.infert.dicitur,quòd natura in definitione perſonæ venit, quaſi materialiter,& genericè, non formaliter,& ideo ponitur in caſu obliquo; & ratio euidens eſt; nam nullus diceret, quòd na-

natura sit constituriuum formale vltimum personæ; quia persona dicit incommunicabilitatē; natura verò est communis omnibus suis suppositis; ergo suppositalitas est ratio constitutiua personæ. Ad aliud dist. Spiritus sanctus procedit, vt subsistens relatiuè, conc; absolutè, neg; subsistentia autem absolutè, non relatiuè sumpta est constitutiua naturæ Diuinæ. Insuper subsistentia licèt sit constitutiua naturæ Diuinæ, non tamen est vltimò veluti differētialiter constitutiua, quia constitutiuum vltimum est intelligere, vt diximus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 7*; & ideo licèt Spiritus s. procedat, vt subsistens, non tamen procedit, vt genitus, quia non procedit per vltimum constitutiuū naturæ Dei. Ad aliud vel dicitur, quòd habet solùm formaliter procedere, vt amor, & impetus, identicè verò, vt distinctus; vel quòd licèt procedat, vt distinctus, & vt persona, non tamen procedit, vt genitus, vt dictum est. Ad vlt. dicitur de existentia, sicut dictum est de subsistentia.

28 Replic. cont. resp. ad 2. Homo genitus non procedit immediatè à rationalitate, quæ est constitutiua naturæ humanæ, sed procedit à potentia generatiua, quæ est proprietas superaddita naturæ; nam nulla substantia est immediatè operatiua; ergo procedere formaliter, vt similis in natura, non est procedere ab ipsa ratione formali constitutiua naturæ immediatè, & proximè (aliter nulla daretur generatio in creatis) sed tantùm remotè, & radicaliter; & ideo licèt Spiritus s. immediatè procedat per voluntatem, quæ est proprietas naturæ Diuinæ; attamen quia procedit radicaliter, & remotè per naturam, quæ est radix voluntatis, procedit, vt similis formaliter.

Resp. 1. communiter; quòd licèt procedere in similitudinem formaliter non sit immediatè procedere ex constitutiuo substantiali, est tamen procedere per proprietatem, quæ habet munus proprium formaliter communicandi cōstitutiuum substantiale eo, quia habet munus assimilandi formaliter in natura; sicut est potētia generatiua in creatis; at verò voluntas non habet munus proprium formaliter communicandi naturam; cùm eius munus sit tendendi per modum impetus in obiectum, ideo Spiritus s. procedens per voluntatem non procedit, vt similis in natura.

Resp. 2. specialiter; quòd generatio creata potest dupliciter sumi. 1. prout est communicatio esse substantialis, seu partis substantiæ generantis, quæ est semen decisum; & sic nihil aliud est, quàm ipsa substantia generantis decisa, & communicatio immediata. 2. prout est motus, & sic est à proprietate accidentali immediatè; mediatè verò à substantia. Cùm autem in Diuinis sit generatio, prout est communicatio substantiæ, non prout est motus, ideo debet esse immediatè à constitutiuo formali vltimo, non autem à proprietate. Dist. ergo ant. Homo genitus non procedit immediatè à rationalitate, prout eius processio est motus, conc; prout est communicatio substantiæ, neg. ma; & cons. propter disparitatem assignatam.

29 Obijc. 2. Intellectus Diuinus habet solùm assimilare in esse intentionali, non autem in esse naturali physico; sed assimilatio, quam importat generatio, est in esse naturali physico; ergo ex eo, quòd intellectus habeat assimilare, non probatur, quòd processio per intellectum sit generatio. Prob. ma. Vel intellectus Diuinus habet assimilare in esse naturali physico, vt intellectus secundùm purum conceptum formalem intellectus præcisè; vel vt Diuinus? Si primum; ergo omnis intellectus habet substantialiter assimilare. Si secundum; ergo etiam voluntas, vt Diuina, habet assimilare in natura; & Spiritus s. procedens per voluntatem, vt Diuinam, procedit, vt similis in natura; ergo hæc ratio non probat.

Resp. *Io. à S. Tho. cum Caiet. & Ferrar.* quòd intellectus habet assimilare, quatenus perfectissimus, & actualissimus in sua linea; non verò, vt coniungitur cum alia ratione extranea.

Sed hæc responsio non soluit; nam intellectus non est perfectissimus in sua linea, & depuratus ab omni imperfectione, nisi ex eo, quòd ponatur in ipso summa, & purissima actualitas, quæ excludit omnem imperfectionem potentialitatis passiuæ, quæ imperficit intellectum creatum; sed hæc purissima actualitas competit etiam voluntati; ergo etiam voluntas habet assimilare. Nec valet dicere, quòd illa purissima actualitas, quæ competit intellectui, cùm sit perfectio pertinens immediatè ad speciem intellectus, non est purissima actualitas pertinens ad lineam voluntatis. Contra enim est; nam ratio actus puri est ratio transcendens essentialiter imbibita in omni prædicato Diuino; nec ex eo, quòd imbibatur in illis, multiplicatur ita, vt sint diuersæ rationes formales virtualiter distinctæ pertinentes formaliter ad diuersas species; sicut æternitas, & infinitas ex eo, quòd imbibantur in omnibus prædicatis Diuinis, nō distinguūtur virtualiter; aliter tot essent attributa æternitatis, & infinitatis, quot sunt attributa in Deo. Quemadmodum igitur sapientia, quatenus æterna, habet semper durare, ita voluntas, quatenus æterna, habet semper durare; quia vna est in illis æternitas, quæ est ratio semper durandi; sic si intellectus Diuinus, quatenus summè perfectus, habet assimililare formaliter in natura; ita volūtas quatenus, summè perfecta, habet similiter assimilare; cùm vna sit ratio summæ perfectionis communis intellectui, & voluntati; quia est vna ratio actus purissimi, à qua sumitur ratio perfectissimi; *perfectio enim sumitur ab actu*, vt docet *Phil*; & ideo summa perfectio ab actu purissimo.

30 Inst. Volūtas secundū suū genus nō habet

bet assimilare; ergo nec ratio actus purissimi cõtrahens voluntatem habet assimilare; aliter poneret voluntatem extra suum genus. At verò intellectus de sua natura habet assimilare, & ideo ratio actus puri posita in intellectu habet assimilare substantialiter; nec ponit ipsum extra suũ genus; & ideo non inuertit, sed perficit eius naturam.

Sed contra est; nam licèt potentia productiua, *vt sic*, secundùm totum suum genus non habeat assimilare in natura; aliter omnis productio etiam per voluntatẽ haberet assimilare; attamen potentia productiua, vt contracta per potentiam generatiuam, habet assimilare substantialiter; nec tamen potentia productiua, *vt sic*, ponitur extra suum genus, nec inuertitur eius natura, sed perficitur; tum quia nec etiam intellectus, *vt sic*, habet assimilare substantialiter, & tamen contractus per rationem actus purissimi assimilat substantialiter, nec tamen ponitur extra suum genus, ergo licèt voluntas secundùm suum genus non habeat assimilare, attamen cõtracta per rationem actus purissimi, quæ est ratio assimilandi substantialiter, assimilabit substãtialiter absque eo, quòd ponatur extra suum genus, & inuertatur eius natura. Relicto ergo hoc.

Resp.2. quòd *ly Diuinus* dupliciter sumitur. 1. differentialiter, prout significat Deitatem, quæ est natura ipsius Dei. 2. transcendentaliter, prout est nomen transcendens ad omnia prædicata Dei essentialia, attributalia, & relatiua. Neg. igitur ma. Ad prob. dist. 2. pars. Vel habet assimilare, vt Diuinus differentialiter, conc; & in hoc sensu voluntas non est Diuina; nam est attributũ virtualiter distinctum à natura, seu Deitate; vt Diuinus transcendentaliter, neg.

31 Replic. Si Filius procederet, vt genitus formaliter, quia procedit per intelligere virtualiter indistinctum à natura, Spiritus s. procedens per voluntatem realiter indistinctam procederet realiter, vt Filius; sicut quia procedit per voluntatem realiter indistinctam à Deitate, procedit realiter, vt Deus, & dicitur realiter Deus.

Omissis responsionibus *Recentiorum* dicentium Spiritum s. procedere identicè, vt similem &c. resp. neg. seq; nam *procedere* est Verbum adiectiuum, quod facit formalissimum sensum, & explicat rationem formalem productionis, ideo nequit aptari sensui identico; nisi explicetur per Verbum substantiuum hoc modo: Spiritus sanctus procedit realiter per voluntatem, quæ est idem cum essentia, quæ est eadem cùm Patre, & Filio; & procedit per voluntatem, quæ est eadẽ cum natura Filij, qui est verè genitus, & Filius; nunquam tamen potest dici, quòd procedat, vt Filius, & vt genitus; quia filiatio, & generatio passiua opponitur indirectè Spiritui sancto, quatenus scilicet est idem cum filiatione; & ideo filiatio nequit communicari Spiritui s; nec etiã identicè; sicut ei communicatur natura, quæ ei non opponitur. Et hæc est ratio, cur Spiritus s. procedat, vt Deus identicè, non vt Filius identicè; quia Deitas ei communicatur per identitatem, quam habet cum volũtate, & quia nullam dicit oppositionem relatiuam, quæ impedit cõmunicationem; filiatio verò opponitur, vt dictũ est. Sicuti Filio communicatur identicè voluntas Patris, quia identificatur cum essentia, & ei non opponitur; at verò non communicatur ei paternitas, quia ei opponitur; quapropter *Beat. P.* docet: *Pater omnia dedit Filio excepta paternitate*; & est doctrina communis *SS.PP; DD; & Conc*; ita à pari.

32 Dices. Si Spiritus s. procederet, vt Deus identicè, esset tantùm Deus identicè, non formaliter; sed consequens est falsum; quia quod est tale formaliter, est magis tale, quàm illud, quòd est tantùm tale materialiter, ergo Spiritus s. non procedit, ut Deus identicè.

Resp. neg. ma; alium enim sensum facit verbum adiectiuum, & alium verbum substãtiuum; nam adiectiuum explicat modũ proprium procedendi, cùm autem Spiritui s. non communicetur Deitas formaliter, quia principium formale processionis illius non est Deitas, sed uoluntas; ideo formaliter communicatur ei solùm esse spiratum, cum quo, quia idẽtificatur Deitas, & nullam dicit oppositionem, ideo communicatur identicè Deitas. At uerò verbum substantiuum significat realem existentiam prædicati in subiecto, cùmque Deitas formaliter existat in Spiritu s; ideo Spiritus s. est formaliter Deus.

33 Inst. denuo. Spiritus s. procedit formaliter, ut amor substantialis; nam amor, *vt sic*, diuiditur in substantialem, & accidentalem; & ideo differentia constitutiua amoris Diuini, & distinctiua ab amore creato est substantialitas; ergo procedit formaliter, ut substantia Diuina; sed substantia Diuina non distinguitur à natura; ergo procedit formaliter per naturam; & ideo, ut Deus formaliter.

Resp. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd amor diuiditur in substantialem, & accidentalẽ materialiter, idẽ ratione subiecti, in quo est; formaliter autem diuiditur in amorem beneuolentiæ, amicitiæ &c; unde amor Diuinus non est substantialis, nisi identicè, & veluti materialiter. Formaliter ergo non procedit, ut substantialis, sed solùm identicè.

34 Obijc. 3. Voluntas habet magis assimilare, quàm intellectus; ergo ratio nõ probat. Prob. ant. Assimilatio in Diuinis consistit in unione cum natura Diuina; sed magis unit uoluntas, quàm intellectus; quia uoluntas essentialiter est nexus; tum quia, ut docet *Fundat. Doct. Quodl. 5. q. 5*; uoluntas transformat amantem in rem amatam, transformatio autem est maxima unio; tum quia intellectui ad intelligendum sufficit, quòd vniatur cum specie, non cum obiecto; uoluntas autem unitur cum ipso obiecto; ergo uoluntas

magis

magis habet assimilare, quàm intellectus.

Resp.neg.ant.Ad prob.dist.ma.Assimilatio consistit in vnione per modum expressiui, & repræsentatiui naturalis,conc;de ratione enim naturalis similitudinis est,quòd exprimat,& repręsentet id,cuius est similitudo;hinc verbum,quod est naturalis similitudo obiecti,illud repręsentat; per modum simplicis vnitiui etiam transformatiui, neg. Hinc quanuis detur maior vnio inter materiam, & formam, quæ vniuntur in eodem composito, quàm inter formam geniti, & generãtis,quę sunt in diuersis cõpositis; nõ tamẽ materia est similitudo formæ; sicut forma geniti est similis formæ generãtis; & tamẽ nõ est ei vnita. Et sic ad mi. dicitur,quòd voluntas magis vnit, quia vnit secũdũ affectũ,quã intellectus,qui nõ vnit secundũ intellectionẽ;loquẽdo tamẽ de volũtate,& intellectu creato,vt loquitur *B.Doct*;nã loquendo de intellectu, & voluntate Diuina sicut voluntas facit esse eundem amorem essentialem trium personarum ; ita intellectus facit esse eandem intellectionem essentialem. Igitur probationes mi. procedunt solùm de voluntate creata.

35 Obijc.4.Id,quòd conuenit primò Spiritui s;communicatur ei formaliter ex vi suæ processionis; quia illud, quod primò est in re,communicatur ei ex vi suæ processionis, vt patet de rationalitate respectu hominis; sed essentia Diuina conuenit primò Spiritui s;nam essentia Diuina est radix omnium,quæ sunt in Spiritu s;ergo essentia Diuina cõmunicatur Spiritui s; formaliter ex vi suæ processionis.

Resp. dist. ma. Id, quod conuenit primò Spiritui s.in ratione personæ,& per ordinem ad spiratorem, à quo accipit esse, conc; per ordinẽ ad sua constitutiua intrinseca, neg. Et sic ad mi. dicitur, quòd quanuis essentia in ordine ad spirationem passiuam sit prior; non tamen per ordinem ad Patrẽ, & Filium spirantes. Vel cum *nostro Ger.* dist. mi. Essentia est prior spiratione passiua, si comparentur inter se, prout habent rationem radicis,& radicati,conc; si comparentur ad tertium,scilicet ad personam, quam constituunt, neg; sic enim spiratio passiua, quæ est constitutiuum formale personæ, est prior essentia.

ART. XI.

An processio Filij sit potiùs assimilatiua, quàm distinctiua.

1 EX dictis *in sup.art.*patet generationem Filij esse formaliter assimilatiuam, quia omnis generatio est in similitudinem naturę,vt dicitur in definitione generationis,*vt sic.*

2 Quòd autẽ etiam sit distinctiua,colligitur *ex Beatiss.P.1.de Trin. c.1.* docente: *Qui autem putat esse eius potentiæ,vt se ipsum genuerit,eo plus errat; quia non solùm Deus ita non est; sed nec spiritualis, nec corporalis creatura; nulla enim omnino est res, quæ seipsam gignat,vt sit*; aliter si seipsum posset producere, esset,antequam esset. Quæritur modò, quodnam ex his duobus principaliter importet?

3 Vnica concl. Diuina generatio primò,& principaliter importat principium assimilationis; ex consequenti verò importat principium distinctionis ita, vt sit potiùs assimilatiua, quàm distinctiua. Prob. *ex Fundatiss.Doct. in 1.dist.4. princ.1.q.1;3;& 4.*In hoc distinguitur generatio à productione simplici,quòd illa est assimilatiua; ista verò est etiam in effectum dissimilẽ,& æquiuocum;vt productio,qua Sol producit plantam; sed distinctiuum,& constitutiuum idem est; ergo generatio formaliter constituitur per assimilationem; sed constitutiuum importatur principaliùs,& formaliùs, quàm non constitutiuum; ergo generatio Verbi principaliùs, & formaliùs est assimilatiua,quàm distinctiua.

4 Conf. Distinctio sequitur ad generationem; ex eo namque, quòd agens nequit communicare esse substantiale sibi ipsi, sequitur, quòd genitum distinguatur realiter à generante; ergo generatio est principaliùs,& formaliùs assimilatiua,quàm distinctiua.

5 Præterea si generatio importaret principaliùs distinctionem,quàm assimilationem, sequeretur, quòd vbi datur distinctio realis cum simplici communicatione esse, ibi esset principalitas generationis, & deficeret ei minùs principale; & sic in processione Spiritus sancti esset principalitas generationis, & deficeret ei minùs principale;sed hoc nullus docet;ergo neque id, vnde sequitur.

6 Obijc. *Ex B.Doct.loc.cit.vbi sup.q.4.* habetur,quòd generatio nihil aliud est,quàm proprietas Patris, vel Filij significata per modum actionis, vel passionis; sed proprietas relatiua habet distinguere;ergo generatio Diuina primò, & principaliter est distinctiua, ex consequenti verò assimilatiua.

Resp;quòd Diuina generatio habet diuersa munera; habet enim communicare naturam Diuinam Filio genito; referre Patrẽ ad Filium; & distinguere Patrem à Filio; communicare autem naturam Diuinam est formalitas generationis; & quia illa communicatio debet esse in similitudinem naturæ; ideo generatio primò, & formaliter importat principium assimilatiuum; quia tamen ad communicare esse alteri consequitur distinctio realis, nam idem nequit sibi ipsi communicare esse; ideo generatio Diuina consequenter est distinctiua.Ad *B.Doct.*dicitur, quòd generatio est idem formaliter virtualiter cum relatione; differt tamen secundùm munera; & secundùm munus generationis importat principaliùs assimilationem; sicut secundùm munus relationis importat principaliter distinctionem.

ART. XII.

An essentia sit subiectum Diuinæ generationis?

1 Prima sententia vult Diuinam essentiam esse verum subiectum nedum respectu generationis, sed etiam respectu termini formalis *quo*; putat enim, quòd sicut in rebus corporeis materia est subiectum generationis, & formæ genitæ, quæ est terminus formalis *quo*; sic essentia Diuina est subiectum generationis actiuæ, & passiuæ, & ipsius generationis passiuæ, scilicet relationis filiationis, quam (licèt falsò) censet esse terminum formalem *quo*. *Ita Henr. in Sum.art.5.q.3; & art.58. q.1. apud nostrum Ger. inf. Dur.dist.5.q.2.* Tribuitur etiam *D.Tho. in 1.dist.5.q.2.art.1.*

Secunda sententia vult nullo modo dari subiectum, nec respectu generationis, nec respectu termini *quo*. Tribuitur *D.Tho.1.p.q.41.art.3.ad 2; Caiet.ibid; Vasq.disp.152.c.2; Mol.dub.2; Capr.disp.5.q.1; Scot.q.2; D.Bon.art.1.q.2.*

Tertia sententia docet Diuinam essentiam respectu Diuinæ generationis, non termini formalis *quo* esse subiectum, non formaliter, sed similitudinariè. *Ita B.Doct. in 1.dist.4.princ.1.q.1. ad 3;* vbi ait: *Licèt in Diuinis non sit materia, est tamen ibi aliquid, quod habet aliquam similitudinem cum materia, quia sicut materia est illud, ex quo fit generatio; ita substantia Patris est illud, ex quo Filius generatur.* Idem latè probat *noster Ger.dist.5.q.3.art.1;2; & 3; M. Conson. in M.S.* Inclinat *D.Thom; & Val. To.1. disp.2. q.13. punct.3.*

2 Notat *Ger.vbi sup.art.1;* quòd subiectum generationis, vt habet *Phil.1;3; & 5. Phys; & 1. de Gen;* in creaturis sex conditiones importat. 1. est, quòd subiectum non sit ens in actu. 2. quòd sit ens in potentia. 3. quòd habeat annexam priuationem formæ generandæ. 4. quòd subijciatur generationi, & termino genito. 5. quòd præexistat generationi, & termino genito; de ratione namque generationis est esse ex præsupposito, in quo generatio distinguitur à creatione. 6. quòd hoc subiectum remaneat in genito etiam completa generatione. Quantùm ad primas tres conditiones patet, quòd Diuina essentia nequit habere rationem subiecti; quia non esse ens actu, esse ens in potentia repugnant Diuinæ essentiæ, quę est purissimus actus. Et habere annexam priuationem formæ generandæ, cùm priuatio sit nō esse; & non esse nequeat competere essentiæ Diuinæ, quæ est ipsum esse formalissimè; ideo nequeunt istæ tres conditiones conuenire Diuinæ essentiæ. Quarta tamen conditio, licèt non ex integro possit conuenire essentiæ Diuinæ, quia essentia Diuina nequit subijci sibi ipsi, & per cōsequēs nequit subijci termino formali *quo*; quia terminus formalis *quo* est eadem met Diuina essentia, vt *inf;* attamen subijcitur generationi tum actiuæ, tum passiuæ; quia cùm generatio sit relatio, & Diuina essentia sit fundamentum, ideo est subiectum Diuinæ relationis. Quinta item conditio, licèt non conueniat Diuinæ essentiæ eo modo, quo conuenit creaturæ, quia creaturæ conuenit præexistere termino genito, & generationi præcedentia naturæ, & temporis; attamen essentiæ Diuinæ conuenit præexistere tantùm generationi seu relationi præcedentia rationis *à qua*, non *in qua*, vt superiùs dictum est. Sexta tandem conditio conuenit essentiæ Diuinæ, quæ ita præsupponitur in Patre præsuppositione rationis *à qua*, vt dictum est, tanquam principium *quo* processionis Filij, vt maneat etiam in Filio.

3 Vnica concl. Diuina essentia habet rationem subiecti non formaliter, sed similitudinariè respectu generationis, non respectu termini formalis *quo*.

Prob. 1. *ex Beatiss.P. lib. 2. contra Maxim;* vbi docet: *Non de aliqua materia, aut de nihilo est Filius;* & *15. de Trin.c. 13.* latè probat *contra Arianos* Filium esse de substantia Patris; & *c.19.* habet: *Filius non nisi de substantia Patris est genitus.* Ex quo sic. Verum subiectum generationis formaliter importat veram materiam, & veram potentialitatem passiuam; similitudinariè autem importat aliquod præsuppositum, ex quo fit generatio, quod est fundamentum ipsius actionis, & passionis generatiuæ; in hoc enim distinguitur generatio à creatione, quæ est ex nullo præsupposito, & ex nihilo; sed Diuina essentia nec est materia, nec est quid potentiale, est tamen fundamentum paternitatis, quę est generatio actiua; & filiationis, quæ est generatio passiua; non tamen est fundamentum termini formalis *quo*, qui est ipsa Diuina essentia, vt *inf;* aliter esset fundamentum sui ipsius, quod implicat; ergo Diuina essentia est subiectum generationis non formaliter, sed similitudinariè respectu quidem generationis, non respectu termini geniti.

4 Prob. 1. pars concl. seorsim. Subiectum generationis formaliter importat sex conditiones allatas, vt colligitur *ex Phil;* sed illæ conditiones repugnant Diuinæ essentiæ; ergo non est subiectum formaliter.

5 Conf. Si subiectum posset formaliter depurari ab omnibus suis imperfectionibus, & poni formaliter in Deo, posset etiam depurari materia, & poni formaliter in Deo; sed consequens est falsum; aliter à fortiori omnia alia ponerentur formaliter in Deo, quia alia à materia minorem important imperfectionem, cùm materia sit imperfectissimum omnium; & sic nihil esset eminenter in Deo, quod est *contra omnes Theologos;* ergo ratio subiecti non ponitur formaliter in Deo. Prob. ma; nam materia est essentialiter subiectum; definitur enim *primum subiectum, ex quo fit aliquid,* &c; sed subiectum formaliter potest in sententia *Henr.* depurari ab imperfectionibus, & poni formaliter in Deo; ergo & materia.

Pro-

6 Prob.2.pars *ex B.Doct.dist.5.princ.2.q.1. ad* 1.& *q.2.ad* 2. In hoc distinguitur formaliter generatio à creatione; quòd illa est ex aliquo præsuppolito; ista verò ex nihilo; sed processio Verbi est vera generatio; ergo essentialiter est ex aliquo præsuppositọ; sed hoc præsuppositum nequit esse subiectum formaliter; ego erit tantũ similitudinariè.

7 Conf. *ex eodem*. Quod non est ex aliquo præsuppolito, est ex nihilo; sed generatio Verbi non est ex nihilo; quia quod est ex nihilo, est creatura; quæ est ex sui non esse; ergo generatio Verbi est ex aliquo præsupposito, quod habet similitudinem cum subiecto; quæ similitudo consistit in hoc; quòd sicuti subiectum formale est substantia decisa à generante; ita præsuppositum (præsuppositione tamen originis *à qua*) est ipsa substantia Patris communicata Filio; & sicuti subiectum est fundamentum actionis generatiuæ, ita Diuina essentia est fundamentum relationis; & sicuti materia est communis generanti, & genito, & manet in vtroque, licèt cum distinctione reali; ita Diuina essentia est communis Patri, & Filio, & manet in vtroque absque tamen distinctione.

8 Prob.3.pars. Subiectum, & fundamentum sunt idem *ex Phil.1.de Gen. t.* 11; vbi ait; quòd *Hyle*, quod est subiectum generationis, est etiam fundamentum illius; sed Diuina essentia est fundamentum paternitatis, quæ est generatio actiua; & filiationis, quæ est generatio passiua; non autem est fundamentum sui ipsius, quia, cùm ipsa sit substantia, ei repugnat formaliter esse in alio; ergo Diuina essentia est subiectum similitudinariè generationis, non verò termini formalis *quo*.

9 Obijc.1.*Scot*. Diuina essentia est terminus generationis; ergo nequit esse subiectum illius. Prob. ant. 1. In creaturis forma, quæ est terminus generationis, non est subiectum illius, quod est materia. 2. Si essentia esset subiectum, & terminus, Filius haberet essentiam duobus modis, scilicet, vt est terminus, & vt subiectũ, & sic darentur in Filio duæ filiationes; vna resultans ex acceptione essentiæ, vt est subiectum; & altera ex acceptione eiusdem essentiæ, vt est terminus.

Resp.*Ger*.neg.ant. Ad 1.prob.disparitas est; quia natura creata transit realiter de non esse ad esse, ideo debet dari potentia passiua accidentalis, quæ recipit esse post non esse; at verò natura Diuina est ipsum esse; & in generatione communicatur per identitatem purissimam; & ideo non exigit subiectum. Ad 2.neg.assumptũ; nam licèt Filius habeat essentiam duobus modis, nõ tamen illam accipit per duplicem generationẽ realiter distinctam, & ideo non resultant duæ filiationes; sicut licèt Pater habeat essentiam, vt est fundamẽtum paternitatis, & vt est principiũ *quo* generationis, nõ tamen habet duplicem paternitatem. Ita à pari.

10 Obijc.2. Si essentia Diuina esset subiectum Diuinæ genertionis, vel esset subiectum, prout est in Patre, vel prout est in Filio, vel prout est in Spiritu sancto? Nõ primum; quia essentia Diuina in Patre est principium *quo* Diuinæ generationis, vt superiùs dictum est. Non secundum; quia in Filio est terminus formalis generationis. Neq. tertium; aliter Spiritus s. esset genitus; ergo nullo modo est subiectũ generationis.

Resp.*Ger.ad* 2.*Scot*; quòd essentia Diuina, vt est sub generatione actiua Patris, & passiua Filij, haber esse subiectum Diuinæ generationis. Neque obstat; quòd in Patre sit principium generationis, & in Filio sit terminus; nam idem secundùm diuersas rationes potest habere plura munera, vt patet de relatione, quæ habet munus proprietatis, quatenus cõstituit, & hàbet munus actionis, quatenus generàs generat; & sic habet munus passionis, relationis &c.

11 Obijc. 3. Si Diuina essentia esset subiectum Diuinæ generationis, haberet rationem materiæ, seu principij materialis; sed hoc ei nequit competere, cùm sit actus purissimus excludens omnem materiam, & materialitatem; ergo non est subiectum generationis. Prob.ma; quia subiectum habet rationem materiæ, vel principij materialis, vt patet.

Resp.dist.ma. Si Diuina essentia esset subiectum acceptum secundùm tres primas conditiones, conc; secundùm tres vltimas, neg. Ad prob. dicitur, quòd subiectum habet rationem materiæ solùm, si accipiatur secundùm tres primas conditiones, non secundùm tres vltimas, sicuti accipitur in præsenti.

12 Obijc.4.*Henr*. Quando aliqua duo concurrunt ad constitutionem tertij, tunc vnum habet rationem materiæ, alterum formæ; seu vnum principij materialis, & potentialis, & alterum actus, vt patet in constitutione suppositi creati ex natura, & personalitate; ex essentia, & existentia; sed essentia Diuina in Filio simul cum filiatione concurrunt ad constitutionem personæ Filij; ergo vnum illorum habet rationem materiæ, & alterum actus; sed nequit dici, quòd filiatio habeat rationem materiæ, quia filiatio debet constituere, & determinare personam, quod est proprium actus; ergo essentia Diuina habet ueram rationem materiæ.

Resp.dist.ma. Quando aliqua duo concurrunt ad constitutionem tertij per compositionem, ut in exemplis allatis, conc; per idẽtitatem, ut in casu, neg. Et sic ad mi.

13 Obijc.5. Quando vnum in generatione alteri præexistit, habet rationem veræ materiæ; sed Diuina essentia est huiusmodi, quia præexistit in Patre; ergo habet veram rationem principij materialis.

Resp. dist. ma. Si quod præexistit, aquirat esse actuale in genito, conc; si sit suum esse, & illud non aquirat, sed communicet, neg.

14 Obijc. 6. Veræ potentiæ actiuæ debet cor-

correſpondere vera potentia paſſiua, vt habet *Phil*; ſed in Patre generante eſt vera potentia actiua generans; ergo debet eſſe vera potentia paſſiua,& ideo materia,ex qua fit generatio.

Reſp.diſt.ma.Si potentia agat per communicationem identicam naturæ, neg; ſi per communicationem naturæ potentialis, quæ aquirit ſuum eſſe in ſuppoſito,conc;potentia autem generatiua in Patre agit per communicationem identicam naturæ, quæ non aquirit ſuum eſſe in genito, & ideo non oportet dari materiã receptiuam illius eſſe;datur tamen in generatione creata, quia, cùm natura aquirat ſuum eſſe in ſuppoſito, ideo debet dari materiam, quæ recipiat illud eſſe aquiſitum.

15 Obijc.7. Diuina eſſentia habet veram rationem ſubiecti relationis,quia habet veram rationem fundamenti;fundamentum autem,& ſubiectum idem eſt; ergo in Deo datur formalis ratio ſubiecti.

Reſp. neg. ant; ſubiectum enim importat priuationem, & non eſſe, vt dictum eſt; fundamentum autem poteſt actiuè ſubſtentare; ſic dicitur Deus ſubſtentare omnia.

ART. XIII.

De varijs modis loquendi circa Diuinam generationem.

1 FVndatiſſ. *Doct. in* 1. *diſt.* 9. *princ.* 1. *q.* 2. ait; quòd circa modum loquendi in hac materia nos debemus cõformare *SS.PP*;qui in hac ſciẽtia *sũt noſtri Philoſophi*,vt ait *D.Dion.* 5. *de Diuin. Nomin*; ideo plures propoſitiones, quas latè examinat *B.Doct*;*hic* ſunt proponendę.

2 Dicendum 1; quòd Filius eſt de ſubſtantia Patris,non verò ex nihilo. *Ita B.Doct.diſt.*5. *princ.*2.*q.*2. Colligitur apertè *ex Beatiſſ.P.lib.*2. *contra Maximin*;qui contendebat Verbum eſſe creaturam eo,quia erat à Patre;*Beatiſſ.P.*autem eum redarguit dicens,quòd licèt ſit à Patre,quia tamen non eſt ex nihilo, ſed eſt de eadem ſubſtantia Patris,ideo Verbum non eſt creatura.Ex quo deſumitur ratio fundamentalis. Illud,quod eſt ex nihilo, eſt ex ſui non eſſe, & quod eſt ex ſui non eſſe, eſt creatura; ergo ſi Verbum eſſet ex nihilo,eſſet creatura.Tum quia Filius recipit à Patre eandem ſubſtantiam, & eſſentiam ipſius Patris;ergo eſt de ſubſtantia Patris.

3 Quęres, quomodò ſumatur illa prępoſitio *de* in allata definitione?

Reſp.denotare originem per modum conſubſtantialitatis.*Eſt contra Dur;Henr;et Ger*;qui putant importare ſolam habitudinem principij materialis; eſt tamen *Fundat. Doct. vbi ſup*; nam nulla res dicitur eſſe de ſubſtantia alterius eo,quia ab illa recipiat materiam, ſed bene eo, quia recipit formam; ergo illa particula *de* non deſignat tantùm principium materiale. Tum quia ad hoc,vt aliquid ſit de ſubſtantia alterius, non ſufficit,quòd ab illo producatur; nam creaturæ non dicuntur eſſe de ſubſtantia Dei, quamuis à Deo producantur;ergo requiritur,quòd illud, quod eſt de ſubſtantia alterius, originetur per modum conſubſtantialitatis.

4 Dicendum 2.Concedi debet hęc propoſitio: *Filius eſt ex ſubſtantia Patris*; & ratio eſt, quia *à Scripturis, & à SS.PP; & DD.* illa particula *ex*,& *de* ſumuntur pro eodem, vt vid. *apud Fund.Doct.in* 1.*diſt.*4.*prin.*1.*q.*1.*ad* 2.

5 Dicendum 3. Neganda eſt hæc propoſitio.*Deus genuit alium Deum.Ita Fundatiſſ.Doct. diſt.*4.*prin.*2.*q.*1;nam per *ly alium* additum Deo ſignificatur alietas in Deitate; ſed alietas dicit diſtinctionem, & per conſequens pluralitatem; ergo illa propoſitio arguit pluralitatẽ Deorum, ſeu *Politheiſmum*;& ideo neganda eſt. Et quamuis ſi *ly alius* ſumatur ſubſtantiuè, poſſit facere ſenſum verum,& Catholicum; tunc enim ſignificaret, quòd Deus genuit alium, qui eſt idem Deus;attamen abſolutè eſt negãda; quia *SS.PP*; & præcipuè *Beatiſſ.P.* diſputans *contra Arianos* illam abſolutè negat.

6 Dicendum 4. Poteſt abſolutè concedi; quòd Pater genuit alium à ſe; nam cùm *ly alius* non coniungatur alicui ſubſtantiuo; & terminus adiectiuus ſe ſolo ſumptus ſine ſubſtantiuo induat rationem ſubſtantiui;ideo non cadit ſupra Deitatem,ſed ſupra perſonam,& facit ſenſum; quòd Pater genuit Filium,qui eſt alius à Patre. *Ita Fund.Doct.ibid.*

7 Dicendum 5. hanc propoſitionem: *Deus genuit ſe Deum*; eſſe dubiam, & amphybologicam,& ratio *B.Doct.ibid.*eſt;nam illa particula *ſe* poteſt eſſe caſus ablatiuus, & facere ſenſum, quòd Pater genuit ſe Filium, qui eſt Deus, de ſua propria ſubſtantia; & hic ſenſus eſt verus.Et poteſt eſſe caſus accuſatiuus,& facere ſẽſum, quòd Deus genuit ſe ipſum, & hoc eſt falſum; abſolutè tamen neganda eſt propter æquiuocationem, quæ poteſt eſſe occaſio *Hæreticis* malè ſentiendi de generatione Diuina.

8 Dicendum 6. hanc propoſitionem: *Deus genuit eundem Deum*; poſſe concedi.Eſt *contra noſtrum Put*; & ratio eſt;quia ly *genuit* cadit ſupra perſonam,quæ ſola generatur, & ly *eundem* cadit ſupra Deitatem, quæ eſt eadem in generante,& genito.

9 Dicendum 7. hanc propoſitionem: *Deus genuit Deum, qui eſt Pater*; abſolutè negandam eſſe. *Ita Fund.Doct. ibid*; & ratio eſt; nam illud relatiuum *qui* relatum ad Patrem facit ſenſum perſonalem,& ſignificat,quòd Deus genitus eſt Pater, quod eſt falſum. Si tamen facit relationẽ ſimplicem non referendo *genuit* paſſiuè, & terminatiuè ad Patrẽ,poteſt verum sẽſum habere.

10 Dicendum 8.hanc propoſitionem:*Deus genuit alterum ſe*; abſolutè eſſe concedendam, quia per ly *alterum* ſignificatur diſtinctio in perſona, & per illam particulam *ſe* ſignificatur idẽtitas in natura. Tum quia hæc propoſitione vti-

vtitur *Beatiſſ. P. epiſt. 66.*

11 Dicendum 9. hanc propoſitionem: *Qui gignit, & qui gignitur, vnum ſunt*: abſolutè eſſe concedēdam; ea enim vtitur Chriſtus Dominus dicens: *Ego, & Pater vnum ſumus*; & *Beatiſſ. P. lib. 1. Retract. c. 4.* docet, quòd per ipſam deſignatur pluralitas perſonarum, & vnitas naturæ.

12 Dicendum 10. hanc propoſitionem: *Filius eſt alius à Patre*: eſſe concedendam, quia ly *alius* ſupponit perſonaliter; propoſitio autem: *Filius eſt aliud à Patre*: eſſe negandam, quia ly *aliud* ſignificat ſimpliciter, & facit ſenſum, quòd Filius habet eſſentiam diſtinctam à Patre. *Ita Fund. Doct. diſt. 9. princ. 1. q. 2.*

13 Dicendum 11. hanc propoſitionem: *Eſſentia creat*: eſſe falſam; & ratio eſt, quia *actiones ſunt ſuppoſitorum*; vnde dicitur quidem, quòd Muſicus cantat per muſicam, non autem, quòd muſica cantat per Muſicum. *Ita B. Doct. diſt. 5. princ. 1. q. 2. art. 1; & 2*; & quamuis concedatur: *Eſſentia creat* (quidquid dicat *Zum. 1. p. q. 39. art. 5. diſp. 1. ad 3*; vbi citat *B. Doct. in 1. diſt. 5. q. 1. art. 2.* docentē hanc propoſitionem eſſe falſam in rigore; in quo loco tamen *Fund. Doct.* de hac re nec verbum habet; imò *diſt. 11. princ. 2. q. 4.* habet, quòd, cùm tres perſonæ Diuinæ ſint vnum in Deitate, & agant, ſecundùm quod Deus; hæc propoſitio: *Deitas creat*: eſt vera.) Quamuis, inquam, concedatur hæc propoſitio, non tamen concedēda eſt: *Eſſentia generat*. Tum quia creatio eſt actio eſſentialis, non notionalis; generatio verò eſt actio notionalis, nō eſſentialis; ideo creatio competit eſſentiæ, non perſonæ; generatio verò perſonæ, non eſſentiæ. Tum quia eſſentia realiter diſtinguitur à natura creata, quæ eſt terminus creationis; non diſtinguitur autem à Filio, qui eſt terminus generationis; ideo reſpectu creaturæ eſſentia poteſt eſſe principium *quod*; de cuius ratione eſt diſtingui realiter à ſuo termino; reſpectu verò generationis nequit eſſe principiū *quod*, ſed *quo* tantùm.

14 Dicendum 12. hanc propoſitionem: *Deus generat Deum*: eſſe concedendam; hanc verò: *Deitas generat*: eſſe negandam. *Ita Fundat. Doct. vbi ſup. q. 1*; & ratio eſt; nomina enim concreta, cùm implicent omnia ea, quæ ſunt in ſuppoſito, ideo de ipſis poteſt prædicari omne illud, quod prædicatur de omni eo, quod eſt in tali ſuppoſito; nomina verò abſtracta, cùm ſignificent formam extra ſuppoſitum, ideo non habent implicare omne illud, quod eſt in ſuppoſito, & per conſequens de illis non poteſt prædicari, quidquid prædicatur de ſuppoſito. Et ideo ait *Fund. Doct*; quòd nomina concreta faciunt ſenſum materialem identicum, ſeu dicentē quid rei; nomina verò abſtracta faciunt ſenſum formaliſſimum, & dicentem quid nominis.

15 Eſt autem regula ſeruanda in omnibus prædicationibus, quòd nomina concreta, prout important quid rei, habent, quòd de ipſis poſſit prædicari omne illud, quod prædicatur de omni eo, quod eſt in ipſis propter rationem allatam; ſcilicet quia nomen concretum habet implicare omne illud, quod eſt in tali ſuppoſito: vnde valet: *homo ridet*: quia homo eſt terminus concretus implicans ipſam riſibilitatē realiter, ſeu vt quid rei; non autem valet: *humanitas eſt riſibilitas*: vt patet; prout autem concreta important quid rationis, et quid nominis, de ipſis nequit prædicari omne illud, quod eſt in tali ſuppoſito. Nomina verò abſtracta cùm ſignificent nomen extra ſuppoſitum, ideo non habent, quòd de ipſis poſſit prædicari, quidquid prædicatur de ſuppoſito.

16 Hic recolenda eſt ea doctrina, quam tradidimus *To. 1. de Attr. in com. q. 3. art. 2.* de prædicationibus attributorum de eſſentia Diuina, & inter ſe; nam ſi prædicationes fiant per verbum ſubſtantiuum, *eſt*, cùm verbum ſubſtantiuum faciat ſenſum identicum, & materialem; ideo prædicationes etiam de abſtractis valent, vt v.g. *Sapientia Diuina eſt iuſtitia*: facit enim ſenſum: *Eadem entitas, quæ eſt ſapientia, eſt iuſtitia.* Prædicationes verò, quæ fiunt per verba adiectiua, cùm verba adiectiua faciant ſenſum formaliſſimum; ideo de nominibus abſtractis non verificantur, quare non valet. *Eſſentia Diuina eſt Pater: ſed Pater generat; ergo eſſentia generat*; nam à prima propoſitione, quæ facit ſēſum materialem, tranſit ad minorem, & conſequētiam, quæ faciunt ſenſum formalē; & ideo in his propoſitionibus ſēper variatur appellatio.

17 Dicimus 13. hanc propoſitionem: *Deus non generat*; eſſe negandam, quia illud nomen concretum *Deus* ſupponit etiam pro perſona Diuina; quæ tamen generat. *Ita Fundat. Doct. diſt. 6. princ. 2. q. 3.*

18 Dicimus 14; quòd licèt valeant iſtæ propoſitiones: *Filius ſemper gignitur*; *Filius ſemper gignetur*; attamen iſta propoſitio: *Filius ſemper genitus eſt*: magis habet veritatem. *Ita B. Doct. diſt. 9. princ. 2. q. 3*; nam cū generatio Filij ſit æterna, & æternitas complectatur omnia tēpora; ideo de illa quodlibet tempus verificatur; quòd autem tertia propoſitio magis exprimat veritatem, prob; nam prima exprimit actualitatem, ſeu ipſum eſſe ſemper præſens; ſecunda indeficientiam; tertia verò exprimit completam perfectionem ipſius generationis, quæ, cùm non ſit in potētia, tātùm eſſe completum habet; ideo tertia propoſitio magis exprimit perfectionem Diuinæ generationis, proptereà *Beatiſſ. P. lib. 83. qq. q. 39.* ait: *Melius dicitur ſēper natus eſt, quàm ſemper naſcitur.* Idem habet *in pſ. 2.*

ART. XIV.

Quinam ſint termini terminantes, vt quo, *& vt* quod *Diuinam generationem?*

1 Nomine termini terminantis, vt *quod* Diuinam generationē intelligimus ipſa ſ

ipsa supposita, seu personas Diuinas, inter quas est generatio, quarum vna est principium producens,& altera est terminus genitus. Nomine autem termini terminantis, vt *quo* intelligimus illud, secundum quod fit assimilatio inter generans,& genitum.

2 Hæc autem est differētia inter terminum terminantem, vt *quod*, & terminum terminantem, vt *quo*, quòd secundùm terminum terminantem, vt *quod*, datur distinctio, & dissimilitudo, quia suppositum generans distinguitur realiter à supposito genito; & suppositalitas generantis, per quam constituitur formaliter in esse suppositi, est diuersa à suppositalitate ipsius geniti; vnde suppositalitas generantis nequit esse in genito, cùm sit incommunicabilis; & ideo est diuersa,& dissimilis suppositalitati ipsius geniti. At verò secundùm terminum *quo* attenditur similitudo,& conuenientia, quæ potest crescere vsque ad identitatem; natura enim humana, quæ est terminus *quo*, habet assimilare filium patri; at si pater communicaret filio eandem numero naturam, vt in Diuinis, tunc similitudo esset per identitatem rationis assimilantis. Itaque terminus terminans, vt *quod*, nequit esse idem in vtroque extremo; terminans autem, vt *quo*, potest esse idem simplicissimè; de ratione enim similitudinis est, quòd eadem ratio sit in vtroque extremo; vt patet de albedine existente in duplici pariete; si enim esset tantùm in vno, tunc non esset similis, sed dissimilis. Quòd autem, vt est in vno, distinguatur realiter à se ipsa, vt est in alio;& quòd prout est in principio, sit in potētia passiua, & sub non esse; & ideo transeat de non esse ad esse, per accidens se habet omnino; vt diximus *art.* 1. de potentia generatiua.

3 Omnes conueniunt in hoc, quòd termini terminantes, vt *quod*, sunt personę Patris, & Filij; habetur enim expressè *in Conc. Flor. sess.* 18; & ideo est de Fide.

4 Prima sententia negat dari in Diuinis rationem termini *quo*. *Ita noster Greg. in* 1. *dist.* 7. *q.* 1. *art.* 2; *& alij Nominales.*

Secunda sent. vult terminum *quo* esse relationem. *Ita Aureol; & Capr. in* 1. *dist.* 5. *p.* 1. *art.* 2; *Dur. ibid. q.* 2; *Gabr. q.* 3. *art.* 1. *not.* 4; *Henr. in Sum. art.* 3. *q.* 3.

Nostra sententia docet essentiam cum modo relatiuo, idēst vt passiuè communicatam per generationem, esse terminum formalē *quo* Diuinæ generationis; & vt actiuè communicabilem per generationem, esse principium formale *quo*. *Ita B. Doct. dist.* 5. *princ.* 2. *q.* 2; *& dist.* 18. *princ.* 2. *q.* 1. *§. Hoc viso; Argent. ibid. q.* 1. *art.* 3; *Ger. q.* 2; *M. Conson. in M. S;* & ex exteris *D. Tho. in* 1. *dist.* 5. *q.* 3. *art.* 1; *Scot. dist.* 5. *q.* 2; *Caiet.* 1. *p. q.* 41. *art.* 3; *Vasq. disp.* 147. *c.* 3; *Suar.* 6. *de Trin. c.* 6; *& alij.*

5 Vnica concl. Termini terminantes, vt *quod*, Diuinam generationem sunt personæ Patris, & Filij, prout persona dicit complexum ex essentia, & proprietate; termini verò, vt *quo*, sunt essentia cum diuersa modificatione.

Prob. 1. pars concl. *ex Beat. P.* 15. *de Trin. c.* 22; vbi ait: *Memoria non meminit, nec intelligentia intelligit, sed homo per intelligentiam, & memoriam intelligit, & meminit*. Ex quo sic. Illud est principium *quod* generans in Diuinis, cui tribuitur actio generatiua; ille verò est terminus *qui*, cui tribuitur generatio passiua; sed actio generatiua tribuitur personæ Patris complexè acceptæ; nam Pater verè dicitur generare; & generatio passiua tribuitur personæ Filij, qui verè dicitur generari; ergo personæ Patris, & Filij complexè sumptæ sunt termini terminātes, vt *quod*, Diuinam generationem. Ma. patet; nā nomine principij *quod* intelligimus id, quod agit; & ideo illud, cui tribuitur actio. Mi. etiam constat; nam *actiones sunt suppositorum*.

6 Prob. 2. Si solæ relationes personales præcisè sumptæ essent termini terminantes, vt *quod*, processionem Filij, valeret dicere: *Paternitas generat, & filiatio generatur*; nam generare; & generari tribuitur principio *quod*, & termino *qui*; sed consequens est falsum; tum quia *relatio nullius est actiuitatis*; tum quia sicut nec materia, nec forma generatur, sed compositum ex vtraque; ita nec relatio, nec essentia generatur, sed Filius, prout est complexus ex vtraque; ergo relationes non sunt termini terminantes, vt *quod*, Diuinam generationem.

7 Vlteriùs. Sola essentia nō est principium *quod*, quia essentia nequit distingui realiter; principium autem *quod* realiter distinguitur à termino *qui*; nec sola relatio est principium *quod*; quia relatio in Diuinis se habet, sicut suppositalitas in creatis; suppositalitas autem est tantùm conditio ad agendum; vt diximus *art.* 1; ergo termini terminantes, vt *quod*, sunt personæ Patris,& Filij.

8 Dices. Potest dici: *Essentia generat*; sicut dicitur: *Essētia creat*; ergo sicut essētia est principium *quod* creationis; ita & generationis. Tum quia paternitas est Pater; sed Pater generat, vt *quod*; ergo & paternitas. Tum quia Pater est Pater per paternitatem; sed Pater, vt Pater, generat, vt *quod*; ergo & paternitas. Tum quia quoties aliqua sunt idem, quod conuenit vni, conuenit,& alteri; sed Pater, & paternitas sunt idem; ergo si ratio principij *quod* conuenit Patri, conuenit etiam paternitati.

Ad 1. dictum est *in sup. art. n.* 13. Ad 2. dist. ma. Paternitas est Pater incomplexè, conc; & in hoc sensu neg. mi; complexè, neg;& conc. mi. Ad 3. dist. ma. Est Pater per solam paternitatem, neg; per paternitatem simul cum essentia, cōc;& hoc modo Pater generat. Ad 4. dist. ma. Si sint idem realiter,& virtualiter; absolutè, & relatiuè, conc; secus, neg.

9 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Beatiss. P. serm.* 105.

105.*de Temp*; vbi ait: *Pater genuit Filium non voluntate,nec necessitate,sed natura*;vbi per illud nomen *natura* apertè indicat principium *quo* generationis esse naturam; sed terminus *quo* debet correspondere principio *quo*; quia secūdùm hos duos terminos attenditur assimilatio; ergo natura est etiam terminus formalis *quo*. Arguitur autem sic. Terminus formalis *quo* est ille, quo communicatur esse genito,qui per se primò intenditur à generante; qui est ratio formalis terminans generationem, & assimilans genitum generanti; hæ enim conditiones, vt colligitur *ex Phil*; requiruntur ad rationem termini formalis *quo*,sed Diuina essentia,vt communicata Filio,est huiusmodi; quia essentia est ratio,per quam communicatur esse Filio; cùm enim essētia sit suum esse,ideo cùm cōmunicatur Filio,ei communicat esse. Item generans per se primò intendit communicare suam essentiam; & ideo essentia,vt communicata,est id,quod per se primò intenditur à generante. Item essentia est ratio terminās generationem;nam *ex Phil.2.Phys. t.c.14.Generatio est via in naturam*;patet autem, quòd id,in quod est via,est terminus viæ;tandem sola essentia est id, in quo Filius assimilatur Patri;quia in filiatione, & paternitate est dissimilatio, ergo essentia est terminus formalis *quo* generationis.

10 Prob.2. In generatione creata terminus formalis *quo* est ipsa natura,quę communicatur, nō filiatio, quæ nō cōmunicatur,sed resultat; ergo à pari; nam filiatio Diuina non communicatur, sed resultat ad naturam Diuinam, vt communicatam,tanquam proprietas illius; vnde potest dici communicata indirectè,& mediatè,quatenus resultat ad naturam,vt communicatam.

11 Prob. 3. euertendo rationem *Aduersariorum*. Terminus formalis *quo* non importat distinctionē à principio *quo*, nec potest produci, sed simpliciter communicari; quòd enim distinguatur, ei accidit ratione limitationis subiecti, vt sup.diximus;sed Diuina essentia communicatur; ergo licèt non distinguatur à Patre, adhuc est terminus formalis *quo*.

12 Obijc.1. Diuina essentia est principium *quo*;ergo nequit esse terminus; implicat enim, quòd idem sit principium,& terminus.

Resp.neg.cons; nam eadem essentia hominis sub diuersa modificatione est principium, & terminus.Ita à pari.

13 Obijc.2.Terminus formalis nequit præexistere suæ generationi; sed Diuina essentia præexistit Diuinæ generationi; ergo nequit esse terminus illius. Tum quia terminus formalis producitur à generante; Diuina autem essentia non producitur.

Resp. dist. ma. Terminus formalis nequit præexistere,vt habet rationē termini reduplicatiuè,conc;& in hoc sensu neg.mi;vt habet rationem principij,neg; & conc.mi.Ad aliud neg. assumpt;natura enim non producitur propriè, sed communicatur; producitur autem suppositum; & si in creatis concedatur produci; hoc ei accidit,quia natura ratione limitationis,& quia non est suum esse, cùm aquirat esse tantùm in suppositis;esse autem suppositorum est diuersum; ideo non communicatur eadem numero natura, sed producitur diuersa,natura autem Diuina tribuit esse suppositis, quia est suum esse,ideo non multiplicatur, nec producitur, sed per identitatem communicatur.

ART. XV.

An Verbum procedat ex cognitione essentiæ, attributorum,& personarum?

1 Verbum procedere ex cognitione essentiæ &c.stat tripliciter. 1. Antecedenter.2.concomitanter.3.consequenter. Tunc procedit ex cognitione antecedenter, quando pro illo priori originis ad generationem Verbi illud cognoscitur,& influit per se,& formaliter,vt *quo*,in generationem Verbi. Illud cognoscitur concomitanter, quod pro illo priori originis non cognoscitur, sed solùm cognoscitur pro eo signo, quo generatur Verbum;non quòd cognoscatur per distinctam cognitionē; sed quia pro illo priori non erat cognoscibile, quia non concipiebatur,vt existens;quando autem fit existens,tunc absq; variatione illa cognitio, vtpotè infinita,ad illud extenditur,& per illam cognoscitur.Illud cognoscitur consequenter, quod habet esse solùm post completam generationem Verbi, per eandem tamen cognitionem sine variatione extensam ad illud,vt dictum est.

2 Hoc autem est discrimen inter illud,quod cognoscitur antecedenter,& illud,quod cognoscitur concomitanter,& subsequenter; quòd cognitum antecedenter formaliter,& per se ita influit,vt *quo*,in generationem Verbi, vt eo non cognito Verbum non procederet eiusdem rationis,& perfectionis; illud autem, quod cognoscitur concomitanter,vel consequenter, nullo modo influit,sed solùm veluti materialiter identicè se habet; nam influēs in aliud habet aliquo modo rationem prioris ad illud; unde si, quod cognoscitur concomitanter, & subsequenter influeret in generationem, se haberet antecedēter.

3 Certum est *apud omnes* Patrem in generatione Verbi cognoscere essentiam,attributa,& personas;vertitur autem in dubium,an hæc omnia cognoscat antecedēter, vel concomitanter,vel subsequenter?

4 Prima sententia vult Verbum Diuinum per se, & formaliter procedere tantùm ex cognitione essentiæ, & attributorum antecedenter;cognitionem autem Diuinarum personarum se habere tantùm cōcomitanter. Tribuitur *Scot. in 1.dist.12.q.1;& in 2.dist.1.q.1.ar.2;et Quodl. 14.q.2; Bassol;Tataret;Viger;Rada, Fab; Ponc;& alijs. Mastrius* tamen *in 1.disp.7.q.2.art.1.* vult

Sco-

Scotum non eſſe huius opinionis.

Secunda ſententia vult Verbum formaliter procedere ex cognitione eſſentiæ, attributorũ, & perſonæ Patris, non autem ex cognitione ſui ipſius,& Spiritus ſancti. Ita *noſter Put.1.p.q.34. art.3.dub.2.*

Tertia vult Verbum procedere ex cognitione etiam ſui ipſius,non autem Spiritus s.Ita *Vaſq.1.p.diſp.143.c.2; & 3; Turrian; & Alarc. diſp.8;* vbi refert etiam *noſtrum Luſit.*

Noſtra ſententia docet Verbum procedere ex cognitione eſſentiæ,attributorum, & perſonarum per ſe, & formaliter antecedenter, antecedentia tamen originis *à qua*, non in *qua*. Ita *B.Doct. in 1. diſt.7. princ.2. q.4; & diſt.10. princ.2.q.2.§ In contrarium;et diſt.27.princ.2.q.4.* ex profeſſo.*Greg;Ger. ibid;Gibb*, & rota *noſtra Schola*,excepto *Put.* Ex *Alijs* verò *D.Tho;Caiet; Ban;Zum*;& omnes *Thomiſtæ* communiter. *Sua; Mol; Arrub;Granad;Ruiz*;& *ex Scotiſtis Maſtrius vbi ſup;Vulp,Herrer;Smiſing;Sgbem;& alij.*

5 Quatuor *hic* ſupponenda ſunt, quæ alibi fusè probauimus.

Primum eſt,quòd licèt attributa, & relationes in eſſe entis conſiderata non ingrediantur conſtitutionem Diuinæ eſſentiæ,attamen in eſſe intelligibili ingrediuntur formaliſſimè conſtitutionem obiecti primarij Diuini intellectus,quia tam eſſentia, quàm attributa, & relationes ſunt intelligibilia per vnicam ſimpliciſſimam intelligibilitatem etiam virtualiter indiuiſibilem;ſicut omnia iſta ſunt æterna per vnicam indiuiſibilem æternitatem,& infinita per vnicam infinitatem, &c;vt diximus *de Vol.q.3.art.1;& de Scient.q.1. art.2;& To.2.de Inuiſib.q.4.art.1.*

6 Secundum eſt, quòd actiones notionales non diſtinguuntur virtualiter ab actionibus eſſentialibus, vt diximus *q.2.art.4.*

7 Tertium eſt, quòd intellectio eſſentialis comparata ad perſonam, quam ſimul cum proprietate notionali conſtituit,non præcedit actionem notionalem,vt diximus *ſup.art.5.*

8 Quartum eſt non dari prioritatẽ in *qua* nec etiam rationis inter actus eſſentiales, & notionales;quod eſt maximè obſeruandum, ex hoc enim pendet totaliter ſolutio huius difficultatis.

Etenim cùm imaginentur *Aduerſarij* dari aliquod prius ſaltem ratione, in quo intelligitur eſſentia cum attributis, & non intelliguntur perſonæ,vel in quo intelligitur Pater ſine Filio; vel Pater,& Filius ſine Spiritu s; ideo aiunt intellectionem,per quam procedit Verbum,habere ſolùm pro obiecto eſſentiam, & attributa,vel vnam perſonam,aut alteram;non autem omnes. Quàm autem falſa ſit hæc imaginatio patet ex dictis *loc.cit;* vbi oſtendimus ſimultatem exiſtentiæ eſſentiæ, ac omnium Diuinarum perſonarũ etiam pro quacunque ſigno rationis in *quo*; ſi enim pro aliquo priori eſſet eſsẽtia ſine perſonis, daretur vnitas ſine Trinitate,& ſic hoc myſteriũ poſſet pro aliquo ſigno cõcipi non eſſe,quod nõ videtur rationabiliter *à Catholicis* aſſerendum. Quòd autem Pater non poſſit eſſe ſine Filio,cõſtat ex natura relatiuorum. Tandem quòd Pater, & Filius nõ poſſint eſſe ſine Spiritu s; deducitur ex eo, quòd voluntas identificata cum intellectu realiter nequit pro vllo ſigno concipi, vt otioſa,& ſuſpenſa à ſua actione,per quam ſpirat Spiritum s; ſicut enim licèt paternitas, & filiatio diſtinguantur virtualiter ab eſſentia, tanquam proprietates illius;attamen nequit concipi eſſentia pro aliquo priori ſine paternitate, & ſine filiatione, quia conciperetur Deus ſine locutione,& ſine Verbo;& ſic conciperetur Deus mutus; ita licèt voluntas ſit proprietas virtualiter diſtincta ab eſſentia,attamen nequit concipi eſſentia ſine voluntate,quia conciperetur Deus ſine amore,ſine gaudio,& beatitudine; & ſic cõciperetur Deus miſer.

9 Igitur tenenda firmiter eſt ſimultas etiam rationis exiſtentiæ vnitatis, & Trinitatis Diuinæ; nec pro vllo ſigno rationis licet negare alterum ex his myſterijs. Ex alia parte autem non eſt neganda origo realis inter perſonas, & virtualis inter eſſentiam, & ſuas proprietates ita, tamen,vt originans,& originatum ſint ſimul in eodem ſigno etiam rationis.

10 Iſta autem origo,vt dicebamus *ex Beatiſſ. P;* dicit ſolùm diuerſum modum habendi eſſe, ſcilicet *quo alterum eſt ab altero*; vnde quia Filius eſt à Patre dicitur oriri ab illo;quia proprietas virtualiter emanat ab eſſentia, dicitur eſſe ab illa, & ſic de ceteris. Non implicat autem, quòd vna, & eadem res ſecundùm vnum munus habeat oriri, & ſecundùm aliud munus habeat eſſe radix, ſeu principium *quo* oriendi ſui ipſius acceptæ ſecundùm aliud munus;vt eſſentia,prout in Patre, eſt principium *quo* generationis Filij; & prout in Filio, eſt terminus formalis *quo* communicatus à Patre;& paternitas,prout actio, eſt radix, à qua oritur munus relationis; & prout relatio, oritur à ſe ipſa, ut eſt actio. Sic etiã in creatis materia ſecundùm munus eductionis eſt radix, à qua oritur forma, & ſecundùm munus ſpecificationis oritur à forma;non tamen ex hoc ſequitur, quòd materia aliquando ſit ſine omni ſpecificatione,& forma aliquando ſit ſine materia,hæc enim dicunt ſolùm diuerſa munera, & diuerſos modos habendi eſſe ſecundùm diuerſa munera. Sic perſonæ,prout habent munus obiecti intellectus Patris, dicuntur principium, *quo* Pater generat Verbum, obiectum enim, ſicut ſpecies eſt principiũ *quo* productionis Verbi; & prout habent rationem termini producti, dicuntur oriri primordialiter à Patre ita tamẽ, vt nunquam concipiatur eſſe vnum ſine altero, ſed cum omnimoda ſimultate exiſtentiæ etiam per intellectum. Nam ſicuti materia nunquam concipitur ſine exiſtentia,& è contra, quia vna eſt exiſtentia, qua vtraque indiuiſibiliter exiſtit

stituita à fortiori, quia vna est indiuisibilis existētia omnium Diuinarum personarum, nequit vnquā concipi vna sine alia pro quocunq. signo rationis, quanuis vna concipiatur oriri ab alia.

11 Hæc doctrina maximè notanda est; explicat enim etiam duas alias sequētes difficultates, omnesque soluit oppositiones.

12 Vnica concl. Verbum procedit formaliter ex cognitione essentiæ, attributorum, & omnium personarum.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. 15. de Trin. c.* 14; vbi docet: *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia; non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset, si aliquid amplius, aut minus esset in eius Verbo.* Ex quo sic. Vel Pater ea cognitione, qua producit Verbum, cognoscit totum se ipsum; vel nō cognoscit; vel non dicit totum id, quod cognoscit? Si primum; ergo per illam cognoscit etiam paternitatem, & spirationem actiuam, quæ est in ipso; & ideo cognoscit Filium, qui est correlatiuus paternitatis, & Spiritum s; qui est correlatiuus spirationis actiuæ; *relatiua enim sunt simul cognitione*; nam Pater est alicuius Filij Pater, & ideo implicat cognosci Pater sine Filio; & spirator est alicuius spirati spirator, ideo &c. Si secundum, aut tertium; ergo Verbum non est æquale Patri, quia non procedit de tota cognoscibilitate Patris, nec per ipsum dicitur omne id, quod est in Patre, aut quod cognoscitur à Patre.

13 Dices Verbum procedere æquale Patri, quia exprimit concomitanter, vel subsequenter omne id, quod est in Patre; non tamen antecedenter.

Sed contra est; nam *Beatiss. P.* ad excludendam hanc euasionem *ibid.* subdit: *Quidquid est in ea scientia, de qua est genitū, & in ipso est; quod in ea non est, nec in ipso est.* Ex quo sic. Verbum repræsentat solùm id, quod cognoscitur per eam cognitionem, qua genitum est; sed per cognitionem concomitantem, aut subsequentem non gignitur Verbum; nam cognitio, per quam gignitur, est antecedens, cùm habeat rationem principij *quo*; ergo si per cognitionem productiuam Verbi non cognosceretur totus Pater, Verbum non adæquaret totam cognoscilitatem Patris, nec repræsentaret omne id, quod est in Patre, & ideo illa cognitio concomitans, & subsequens imaginata ad *Aduersarijs* merum somnium est.

14 Conf. Vel pro illo priori, quo Pater generat Verbum, virtus generatiua, & spiratiua est in Patre, vel non? Si primum; ergo Pater illam cognoscit, aliter non cognosceret totum se ipsū, nec omne id, quod est cognoscibile; sed virtus generatiua dicit ordinem ad Filium; sicut spiratiua dicit ordinem ad Spiritum s; ergo Pater pro illo priori cognoscit Filium, & Spiritum s. Si secundum; ergo Pater nesciens generat, quia non cognoscit, nec virtutem generatiuam, nec actionem, nec Filium genitum; & ideo non generat per intellectum, quia non generat intelligēs; sed nesciens; nec communicat Filio virtutem spiratiuam, quia pro eo signo, quo generat, non habet virtutem spiratiuam; & non communicat, nisi ea, quæ habet in illo signo communicationis; *nemo enim dat, quod non habet*; sed consequens est *contra Scripturas* asserentes omnia, quæ habet Filius, habere à Patre; & Filium habere virtutem spiratiuam; ergo id, ex quo deducitur, nō est conforme *Scripturis*.

15 Prob. 2. Implicat, quòd constitutiuum formale cuiuscunque rei se habeat concomitāter, vel subsequenter nec etiam per rationem ad illam rem, quia constitutiuum formale definitur *illud, quod est, & intelligitur prius in re*; quod autem se habet concomitanter, aut subsequenter, non est prius in re, vt patet; sed intelligibilitas Diuinarum personarum pertinet ad cōstitutiuum formale obiecti primarij cognitionis, per quam procedit Verbū, per vnam enim & eandem intelligibilitatem Diuinam sunt intelligibiles essentia, & personæ, sicut sunt æternæ per vnam æternitatem; quotiescunque autem plura habent formaliter in se ipsis rationē formalem specificatiuam alicuius obiecti, tunc omnia illa pertinent ad obiectum primarium, aliter non esset ratio, cur vnum potiùs pertineat ad obiectum primarium, quàm aliud, cùm illa ratio formaliter reperiatur in vtroque; neque quòd vnum oriatur ab alio, tollit, quin vtrūque pertineat ad obiectum primarium: talis enim orientia se habet merè materialiter, vt dictum est *de Scientia vbi sup*; & sic non esset ratio, cur essentia pertineat ad obiectum primarium, non autem personæ; ergo intelligibilitas Diuinarum personarum nequit se habere concomitanter, aut subsequenter ad obiectum primarium cognitionis, qua producitur Verbum; & ideo personæ cognoscuntur antecedenter.

16 Prob. 3. Intellectio, per quam procedit Verbum, non est distincta ab intellectione essētiali, vt probatum est *vbi sup*; sed si per illam non cognoscerētur omnes personæ, illa non esset essentialis, quia non esset communis omnibus tribus personis; essentialia enim sunt communia; sed esset propria Patris; quia tunc non daretur nisi Pater; ergo intellectio, per quam formaliter procedit Verbum, est cognitio omnium personarum.

17 Prob. 4. Essentia, & personæ sunt simul in eodem signo etiam rationis in *quo*; ergo in eodem signo, in quo intelligibilis est essentia, sunt etiam intelligibiles personæ; intelligibilitas enim sequitur ad esse; sed cognitio, qua generatur Verbum, extenditur ad omne cognoscibile; aliter non esset comprehensiua, nec perfectissima, cognitio enim comprehensiua est perfectior omni alia cognitione; ergo cognitio, qua gignitur Verbum, pro illo priori rationis extenditur etiam ad personas. Ant. patet ex dictis *vbi s*; non enim datur in Diuinis prioritas *in qua* etiam rationis;

tionis; tum quia si personæ non essent simul cũ essentia in eodem signo rationis, maximè,quia oriuntur ab essentia; sed etiam attributa oriuntur; & tamen *per Aduersarios* Verbum procedit ex cognitione attributorum;ergo & personarũ.

18 Obijc. 1. Si Verbum procederet ex cognitione sui ipsius, Verbum procederet ex se ipso;sed consequẽs est falsum,quia idem nequit à se ipso procedere; ergo nõ procedit ex cognitione Diuinarum personarum.

Resp. dist. seq. ma. Procederet ex se ipso, tanquam ex principio *quod* suæ productionis, neg;tanquam ex comprincipio *quo* in esse intelligibili, conc.

19 Inst. Si Verbum in esse intelligibili esset comprincipium *quo* elicitiuum cognitionis productiuæ sui ipsius, sequeretur, quòd etiam Spiritus sãctus esset huiusmodi comprincipium, quia etiam Spiritus s.pertinet ad obiectum primarium, vt dictum est, obiectum autem,vel species obiecti est principium *quo* elicitiuũ cognitionis; sed hoc dici nequit;ergo neq; primũ.Prob.mi.Si Spiritus s.esset comprincipiũ elicitiuum *quo* generationis Verbi, esset vera ista causalis à priori: *Existit Spiritus sanctus; ergo existit Verbum*; sed hæc non verificatur,cùm opposita potiùs sit vera: *Existit Verbum; ergo existit Spiritus sanctus*; & hæc est à priori;quia Verbum est principium *quod* productiuum Spiritus sancti; ergo Spiritus sanctus nequit esse comprincipium *quo* elicitiuum generationis Verbi.

Resp. *Aliqui* Spiritum sanctum,& Verbum esse tantùm terminum cognitionis paternæ, non esse tamen principium *quod*,nec *quo* productionis Verbi. Sed hæc responsio negat vnum ex nostris principijs,scilicet,quòd obiectum primarium, si vniatur immediatè cum intellectu, concurrat simul cum intellectu, tanquam principiũ *quo* ad intellectionem.Relicta ergo hac resp.

Resp; quòd ex existentia Spiritus sancti,& Verbi in esse intelligibili consideratis,tanquam ex principio *quo*, arguitur à priori existentia Verbi; ex existentia autem Verbi, tanquam principio *quod*,arguitur existentia Spiritus sancti, vtroq; modo à priori, sed in diuerso genere causæ; primũ enim est in genere causę formalis; secundum verò in genere causę productiuæ;propterea nullum sequitur absurdum.

20 Obijc. 2. Cognitio intuitiua supponit præexistere suum obiectum; sed cognitio,per quam procedit Verbum,est intuitiua, quia est clara, et terminatur ad existentiam Verbi, & tamen non supponit ipsum Verbum,aut Spiritum sanctum existere; aliter Verbum, & Spiritus s. essent,antequam essent; ergo Verbum non procedit ex cognitione sui,& Spiritus sancti.

Resp. dist. ma. Cognitio intuitiua formaliter speculatiua supponit suum obiectum præexistens, conc; cognitio intuitiua productiua, prout est cognitio,per quã procedit Verbũ,neg.

21 Obijc. 3. Si Verbum procederet ex cognitione Spiritus s; Verbũ esset imago Spiritus sancti; ergo non esset tantùm imago Patris; sed Verbũ *eo est imago, quo Filius ex Beatiss.P. vbi*; ergo esset Filius Spiritus sancti, quod est contra *Fidem.* Prob.seq.De ratione imaginis est exprimere rẽ,cuius est imago;sed si Verbũ procederet ex cognitione Spiritus sancti, exprimeret Spiritum sanctum;ergo esset illius imago.

Resp. *B.Doct.dist.27.princ.2.q.1.* neg. ma. Ad prob. ait,quòd ad rationem imaginis *cum B.P; & D.Hyl.* quatuor requiruntur; scilicet *similitudo*,quia imago debet esse repræsentatiua imaginati. *Aequalitas*; quia omnis imago debet proportionari imaginato. Tandem *imitatio*, & *actio productiua*, quia imago dicitur quasi *Imitago*, idest ago imitationem, quibus significatur, quòd imago naturalis debet esse expressa, & producta ab illo,cuius est imago,tãquam à principio *quo*, non tanquam à principio *quo*; cùm actiones sint tantùm principij *quod*, non *quo*, vt superiùs dictum est; propterea *6. Top.* definitur imago *est illa, cuius generatio est per imitationem*. Ad hæc quatuor sequitur relatio realis; quia imago non potest ad se dici, sed ad alterum.

22 Ex his patet,quòd prima duo requisita ad imaginem non pertinent ad illam formaliter; nam non omne simile, aut æquale est imago; cùm vnus paries albus possit esse similis, & æqualis alteri parieti, & tamen quia non exprimitur,nec agitur ab illo,nõ est imago illius,licèt omnis imago sit similis, & æqualis. Similitudo ergo,& ęqualitas se habent materialiter ad imaginem. Duo postrema se habent formaliter ad imaginem.Cùm igitur nec Spiritus sanctus, nec Verbum producat Verbum ad sui similitudinẽ, sed solus Pater; ideo Verbum est imago solius Patris,non Verbi,& Spiritus sancti.Propter hoc licèt Diuina essentia sit principium *quo* generationis Verbi, licèt sit similis, non tamen Verbum dicitur imago essentiæ Diuinæ, quia non producitur ab essentia. Ad arg.neg. ant. Ad prob. neg. ma; nam Verbum non exprimit nisi produceens,vt *quod*,non autem cognitum,vt *quo*, vt dictum est.

23 Dices.De ratione imaginis creatæ non est, quòd producatur ab illo, cuius est imago tãquam à principio *quod*;sed sufficit, quòd producatur à specie ipsius; imago enim Pontificis formata non à Pontifice, sed ab aliquo Pictore habente speciem Pontificis in intellectu dicitur vera imago Põtificis; ergo licèt Spiritus sanctus non producat Verbum, vt principium *quod*, si tamẽ produceret vt *quo*, idest tanquam obiectũ cognitum,esset imago Spiritus sancti.Tum quia Verbum in creatis est imago etiam obiecti cognitiergo à pari.

Resp.neg. cons; & disparitas est hæc; nam Pon-

Pontifex, & imago producta à Pictore distinguũtur realiter; & ideo inter Pontificem in specie repræsentatum, & ipsam imaginem potest esse actio realis, quæ non datur, nisi inter ea, quę sũt realiter distincta; & cùm ex alia parte non desit imitatio, & similitudo, illa imago habet veram rationem imaginis. At verò cùm Spiritus s. in esse intelligibili non distinguatur à natura Diuina, nam esse intelligibile est constitutiuum illius; & natura Diuina non distinguatur à Filio, nec natura Diuina habeat veram actionem in Filiũ; Filius nequit dici imago Spiritus sancti, quia idem non potest imitari se ipsum, nec esse imaginem fuisse de hoc *infra*.

Ad aliud neg. conf. nam Verbum creatum est Imago obiecti cogniti, quia obiectum cognitum cõcurrit, *vt quo* ad productionem Verbi per distinctionem realem in esse, & ideo cùm detur productio, & distinctio, datur vera ratio imaginis; at verò in Diuinis obiectũ in esse intelligibili concurrit per identitatem in esse, & ideo nõ saluatur ratio imaginis.

24 Obijc. 4. Sola essentia Diuina est obiectum primarium Diuinæ cognitionis; ergo Verbum non procedit ex cognitione personarum. Prob. ant; nam sola essentia Diuina est species assimilatiua. Tum quia pro illo priori non sunt personæ. Tum quia cognitio essentiæ antecedit cognitionem personarum; *cùm essentialia sint priora notionalibus.*

Ad hoc *fuit responsum de Inuisib; & de Scient. vbi sup.* Neg. ergo ant; ad cuius probationes neg. assumpt; vt *sup.* dictum est.

25 Obijc. 5. Omne prius potest esse, & intelligi sine suo posteriori; sed productio Verbi est prior productione Spiritus sancti; ergo potest intelligi productio Verbi absq; eo, quòd intelligatur Spiritus sanctus.

Resp. dist. ma. Omne prius prioritate *in qua*, transeat, prioritate *à qua*, neg, & eodem modo dist. mi. Productio Verbi est prior prioritate *in qua*, neg; *à qua*, conc.

26 Obijc. 6. Si Verbum non procederet ex cognitione Spiritus sancti, adhuc esset æquè perfectum, ac nunc est; ergo cognitio Spiritus s. non requiritur per se, & formaliter ad productionẽ Verbi. Prob. ant. In illa suppositione, quæ communiter admittitur. *Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, an distingueretur ab eo*; conceditur Filius perfectus; ergo à pari.

Resp. neg. ant. Ad prob. dist. ant. Conceditur Filius perfectus in illa hypothesi formaliter in ratione Filij, conc; identicè, & integraliter, neg; si igitur Spiritus s. non procederet à Filio, adhuc Filius posset cõsiderari, vt verus, & formalis Filij, quia esset verè genitus; attamen non esset æquè perfectus, ac de facto est, quia illi deficeret virtus spiratiua, quæ est perfectio simpliciter.

27 Obijc. 7. *cum nostro Put.* Intellectio essentiæ, prout est in solo Patre, est fęcunda ad generationem Filij; ergo Verbum procedit ex cognitione solius essentiæ, & Patris. Prob. ant. Intellectio fęcunda ad generationem Filij est notionalis, & propt erea Patris; non cõmunis, & essentialis; aliter omnes personę Diuinæ haberent intellectionem fęcundam ad generationem Verbi, & producerent Verbum.

Resp. dist. ant. Si *ly prout est in solo Patre*, cadat super intellectionem formalem, & faciat sensum, quòd intellectio, prout est in Patre, est productiua Verbi, conc; si cadat super essentiam obiectiuè cognitam, & faciat sensum, quòd cognitio essentiæ, solùm vt existentis in Patre, est productiua Verbi, neg. Ad prob. dicitur, quòd licèt intellectio productiua Verbi sit notionalis, attamen habet pro obiecto omnia Diuina, quia dicit omnia, quæ sunt in Diuinis personis; & ratio est, quia cognitio notionalis, & essẽtialis sunt vna, & eadem cognitio, vt diximus *q. 2. art. 4.*

ART. XVI.

An Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium?

1 Certum est. 1. Patrem producendo Verbum dicere creaturas, tam possibiles, quàm futuras; & Verbum illas repræsentare, quia est Idæa illarum appropriatiuè; vt *sup.* dictum est; quæritur modo, an Pater cognoscat creaturas possibiles antecedenter, vel concomitanter, aut subsequenter eo modo, quo dictum est *in sup. art. à n. 1.*

2 Certum est. 2. creaturas possibiles secundùm illud esse, quod habent in Deo, cognosci antecedenter. Nam *creatura in Deo* (inquit *Beatiss. P.*) *est creatrix essentia; & Fundatiss. Doct. in 1. dist. 20. princ. 1. q. 1.* docet, quòd ratio constitutiua omnipotentiæ est continentia omnis esse; vt diximus *To. 1. de Omnipot. art. 2. n. 4; & art. 6. n. 5*; in tantùm enim causa dicitur potens communicare esse ad extra, in quantùm continet illud esse; nam *nemo dat, quod non habet*; vnde qui tolleret illud esse, quod habet creatura possibilis in omnipotentia, tolleret rationem formalem constitutiuã omnipotẽtiæ; & ideo illam destrueret; sicuti destrueret hominem, qui tolleret rationalitatem ab homine. Difficultas igitur est de creaturis secundùm illud esse, quod possunt habere extra Deum.

3 Cùm autem illud esse, quod possunt habere creaturæ extra Deum, non sit, nisi illud, quod habent creaturæ in Deo cum modo relatiuo ad extra, quatenus scilicet illud esse poni potest extra Deum, vt diximus *vbi s. art. 4*; quærimus, an obiectum, ex quo procedit Verbum, cõprehendat etiam illud esse creaturarum in Deo, prout fundat illum modum relatiuum ad extra; vel solùm illud esse fundet talem modum relatiuum concomitanter, aut subsequenter ad productionem Verbi ita, vt Verbum non dicatur procedere ex cognitione creaturarum possibilium,

lium, tãquam ex aliquo ptiori prioritate *à qua*, sed tantùm concomitanter, vel subsequenter.

4 Prima sententia vult Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium solùm materialiter, & concomitanter; non autem formaliter antecedenter. Ita *Scot; & Scotistæ*, inter quos *Mastrius 1.p.disp.7.art.4; Vasq; Alarc; & alij relati in sup.art.*

Secunda sententia docet Verbum formaliter procedere ex cognitione creaturarum possibilium, tanquam ex subiecto secundario. Ita *Fund.Doct.dist.27.princ.2.q.4; & dist.7.princ.2.q.4; & dist.45.princ.1.q.3; Ger; Argent; Franc. à Christo dist.25.q.4; M.Conson; Bernardin; Cornejus, Antolin; Gamboa in M.S.* apud *Gibb. hic disp. 13.dub.4.§.1; & communiter tota nostra Schola. Ex exteris verò Alen.1.p.q.62.art.4; D.Bon.dist. 25.art.2.q.2; D.Thom; & omnes Thomistæ communiter; Salm; Mol; Sua; Val; Granad; Ruiz; Arriag; Bec; Tanner; & omnes alij.*

5 Not; quòd sicut cognitio non specificatur, nec denominatur ab obiecto secundario, sed solùm à primario, ita nec Verbum, quod est terminus productus per cognitionem formaliter, specificatur, aut denominatur ab obiecto secundario, sed tantùm à primario; vnde licèt ex eo, quòd per lucem, quæ est obiectum primarium potentiæ visiuæ, cognoscantur tenebræ, quæ sũt obiectum secundarium; non tamen illa visio specificatur, aut denominatur tenebrosa à tenebris; quia de ratione specificatiui, à quo sumitur denominatio *iuxta Phil*; est, quòd sit quid primarium, & ideo ab illo, quod est secundarium, nulla desumi potest specificatio, aut denominatio; ita actio, & terminus productus per actionẽ, quę sũt in eadem specie; quia sicuti potentia specificatur ab actu, ita actus ab obiecto, seu termino; patet autem, quòd specificatum, & specificatiuum sũt in eadem specie; ideo sicuti cognitio non specificatur, aut denominatur ab obiecto secundario, ita nec Verbum productum per talem cognitionem. Hæc doctrina diligenter notanda est, penitus enim euertit omnes inutiles rationes, quæ obijciuntur contra nostram sententiam *à Scotistis in hoc art; & à Thomistis in seq*; quanuis enim creaturæ possibiles non sint æquè necessariæ, ac Diuina essentia, & creaturæ futuræ sint omnino contingentes, & liberæ; nõ tamen sequitur, quòd Verbum procedens ex cognitione illarum sit minùs necessarium, contingens, & liberum, quia ipsæ non sunt, nisi obiectum secundarium, & ab obiecto secundario nulla potest desumi specificatio, aut denominatio, vt etiã ipsi tam *Scotistæ*, quàm *Thomistæ* fateri coguntur.

6 Nec ex eo, quòd aliquod sit obiectum secundarium, sequitur, quòd cognoscatur in signo posteriori ad primarium, in quo est alia hallucinatio *Mastrij*; sed solùm sequitur, quòd ipsum non cognoscatur per se ipsum, seu per rationem formaliter existentem in se ipso, sed per rationem existentem in alio, quod primariò cognoscitur; aliter si cognosceretur in signo posteriori, daretur reuolutio de cognitione in cognitionem in Deo; vt optimè arguit *Com.cont.Themistium apud Fund.Doct.dist.35. vbi sup.* Tum quia Pater in illo signo priori continet eminenter esse omnium creaturarum, aliter si eas non contineret, aquireret continentiam illarum solùm à productione, vel post productionem Verbi; & cùm per illam continentiam constituatur omnipotẽtia, aquireret omnipotentiã à Verbo; sicuti cùm per cognitionem creaturarum possibilium constituatur formaliter sapientia Dei, seu scientia simplicis intelligentiæ, quæ est attributum Dei, iam Pater aquireret sapientiam à Verbo, & sic non esset sapiens, nisi per sapientiam sequentem ad productionem Verbi; quod improbat *Beatiss.P.15.de Trin. c.14*; quia Pater nihil accipit à Filio, aut per Filium; sicut omne accipit Filius à Patre, vt docet Fides; sic enim Verbum non procederet ex cognitione omniũ attributorum; quod non admittit *Scot.* Tum quia licèt quotiescunque plura sunt simul, possit vnum illorum cognosci non cognito altero cognitione inadæquata, & præcisiua; repugnat tamen cognosci cognitione adæquata, & comprehensiua essentialiter cognoscente omne id, quod est; vt est cognitio Patris, per quam procedit Verbum. Tum quia si cognoscere vnum per aliud importaret posterioritatem cognitionis, sequeretur, quòd Pater cognosceret attributa in signo posteriori rationis, cùm ea cognoscat per essentiam; quod tamen non admittit *Scot*; imò sequeretur, quòd non cognosceret se ipsum, nisi in signo posteriori, cùm non cognoscat se ipsum, nisi per intelligibilitatem, quæ est ratio essentialis, & ideo prior paternitate, quæ est notionalis, vt vult *Scot*; vt diximus *art.5*; & sic non generaret Filium intelligendo se ipsum, vt docet *SS. PP.* Tandem sicut actio productiua hominis, licèt primariò respiciat substantiam, & secundariò accidentia, attamen nullus diceret, quòd prius producat substantiam, & posteriùs accidentia; sed solùm quòd ratio producendi accidentia sit ipsa substantia, cum qua tamen simul producuntur per eandem indiuisibilem actionẽ, quia coniunguntur in esse; ita per eandem cognitionem cognoscuntur essentia, & creaturæ; quia coniunguntur in esse, & cognosci; abijcienda enim est falsa imaginatio, quòd creaturę possibiles habeant aliud esse ab esse Dei, quia effectus in causa nullum aliud habet esse, quàm esse causæ, vt *sup.* dictum est. Destructis his fundamẽtis, quibus conantur se sustinere *Aduersarij*, licèt parum solidè, quia nitũtur falso supposito.

7 Tandem procedere per se ex aliquo stat dupliciter, quia duplex est modus essendi, & dicendi per se; scilicet tanquam ex obiecto formali primario, vt homo procedit ex rationalitate, quæ est ratio primaria constitutiua naturæ ho-

minis: vel tanquam ex obiecto secundario, per se tamen necessariò coniuncto cum primario, vt homo procedit ex risibilitate, quæ necessariò, & per se in secundo modo perseitatis coniungitur cum rationalitate. *His not.*

8 Vnica concl. Verbum procedit ex cognitione creaturarum possibilium, tãquam ex obiecto secundario.

Prob. 1. *ex Scriptura*; nam *ps.* 148. habetur: *Ipse dixit, & facta sunt*; sup. quod *Beatiss. P.* 15. *de Trin. c.* 14; vt diximus *in sup. art*: *Non enim se ipsũ integrè, perfectèq. dixisset, si aliquid amplius, aut minus esset in eius Verbo.* Et paulò post. *Quidquid est in ea scientia, de qua est genitum, & in ipso est; quod in ea non est, nec in ipso est.* Ex quibus sic. Vel essentia Diuina in illo priori, in quo Pater generat Verbum, continet esse creaturarum possibilium, vel non? Si primum; ergo Verbum procedit, ex cognitione illarum; aliter Pater integrè, & perfectè non se dixisset in Verbo, quia dixisset solùm prædicata formaliter, non eminentialiter contenta: patet autem, quòd prædicata eminentialiter contenta pertinent ad integritatem Diuinæ essentiæ, licèt non pertineant ad constitutionem formalem illius: omne enim illud, quod coniungitur cum aliqua essẽtia, pertinet ad integritatem illius; sic dicitur, quòd accidentia pertinent ad integritatem substantiæ; & ideo multò magis ea, quæ identificantur, pertinent ad integritatem rei; vt sunt prædicata eminentialia respectu Diuinæ essentiæ. Si secundum; ergo Diuina essentia pro illo priori non est omne esse; quia non est esse omnium creaturarum possibilium; & ideo nec est actus purus infinitus; infinitas enim est ratio identificans omne ens; & per consequens essentia in illo priori est in potẽtia ad essendum omne esse, quod potest communicare creaturis; ergo est imperfecta; sed Filio communicatur essentia eo modo, quo est in illo priori; ergo Filio communicatur essentia imperfecta; quod est *Arianum*.

9 Conf. 1. *ex eodem*. In Verbo non est, nisi id, quod cognoscitur per eam cognitionem, per quam formaliter producitur; nam ait *Beatiss. P. vbi sup. Quod in ea cognitione, de qua genitum est, non est, nec in ipso est*; sed per cognitionem concomitantem, aut subsequẽtem non producitur Verbum, quia cognitio, per quam producitur Verbum, via originis antecedit ipsum Verbum, cùm actio antecedat terminum; ergo si Verbum non procederet ex cognitione creaturarum possibilium, creaturæ possibiles nec essent in Verbo, nec cognoscerentur concomitanter, aut subsequenter; & ideo illa cognitio concomitans, aut subsequens; quam fingunt *Aduersarij*, est omnino imaginaria, & aliena à doctrina *Beatiss. P.*

10 Hę rationes concludunt etiam de creaturis futuris; vt *vid. in seq. art.*

11 Conf. 2. *ex Fund. Doct. in hac dist.* 7. *vbi sup.* Si Pater per cognitionẽ productiuam Verbi formaliter non cognosceret creaturas, illas non diceret in Verbo, quia dictio est cognitio productiua Verbi; aliter diceret id, quod non cognoscit, & sic insipienter diceret; sed consequens est falsum. 1. quia si non diceret creaturas in Verbo, posset illas dicere, vel per aliud Verbum, vel per additionem factam eidem Verbo? Non primum; quia repugnat aliud Verbum; aliter Verbum Diuinum esset inadæquatum, & imperfectum, quia nõ adæquaret totum intellectum Patris. Nec secundum; quia illa additio facta per cognitionem concomitantem, vel subsequentẽ supponeret imperfectum Verbum pro illo priori, in quo non erat illa additio; licèt enim creaturæ secundùm esse extrinsecum nullam addant perfectionem Deo; attamen secundùm esse intrinsecum constituũt aliquam perfectionem formaliter in Deo existentem, quia constituũt continentiam, seu eminentiam, aut omnipotentiam continentem creaturas, quæ si pro aliquo signo rationis deficeret Verbo, & posteà adderetur, argueretur Verbum pro illo priori esse imperfectum, & perfici solùm in signo posteriori, quod repugnat.

12 Prætereà Vẽrbum procedit per cognitionem eorum, quæ sunt formaliter in Deo; ergo & eorum, quæ sunt eminenter; nam plura formaliter in Deo contenta constituuntur formaliter per esse creaturarum eminenter contẽtum; vt Omnipotentia, Scientia, Idæa; vt diximus *de Idæis art.* 2.

13 Prob. 2. *ad hominem*. Essentialia *per Scot.* præcedunt notionalia; vt diximus *art.* 5; sed cognitio possibilium est essentialis; est enim communis personis; ergo cognitio possibilium præcedit productionem Verbi, quæ est actio notionalis; & ideo Pater non cognoscit concomitanter, aut subsequenter possibilia; ex quo patet sibi parum conuenire.

14 Vlteriùs. Cognitio Patris, vt habet *Mastrius art.* 5. *n.* 99; priùs terminatur ad ea, quæ inueniuntur in Diuina essentia ex natura rei, vt sunt attributa, & relationes; quàm ad ea, quæ sunt in ipsa eminenter, vt sunt possibilia; sed spiratio passiua inuenitur ex natura rei in essentia Diuina, quia est relatio Diuina; ergo priùs terminatur ad spirationem passiuam, quàm ad possibilia; sed Pater posteriùs ratione spirat Spiritum sanctũ *per Scot*; vt diximus *art.* 5; ergo Pater nec concomitanter cognoscit in Verbo creaturas possibiles, sed subsequenter; ergo nullo modo dicit creaturas in Verbo: nam dictio *per Scot.* est actio productiua Verbi; Verbum autem nequit produci per actionem subsequentem ad suam productionem, aliter produceretur iam productum; & ideo si cognosceret creaturas solùm subsequenter, iam non diceret creaturas in Verbo; nec eas produceret per Verbum, quod est *contra Scripturas*; in tantùm enim eas

pro-

producit per Verbum, in quantùm eas dicit in Verbo,vt ait *Scriptura:Ipse dixit,& facta sunt.*

15 Obijc.1.*Mastrius*.Ens simpliciter infinitum, & necessarium nequit esse posterius ente finito,& possibili non esse spectato etiam secundùm esse cognitum; aliter sublato ente finito, & possibili tolleretur naturali sequela ens infinitum,& necessarium, & ideo ens infinitum depéderet ab ente finito; sed Verbum est ens infinitum,& necessarium; & creaturæ possibiles sunt finitæ, & contingentes, quibus positis,vel ablatis adhuc remanet Verbum: vt habet *D. Ans.in Monol.c.30*: vbi ait: *Siue ergo ille cogitetur nulla alia existente essentia,siue alijs existentibus necesse est Verbum coæternum illi esse cum illo*, ergo Verbum nequit esse posterius creaturis possibilibus. Prætereà Pater priùs cognoscit naturam Diuinam, quæ est obiectum primarium cum illis,quæ sunt in ea formaliter,& ex sua natura, quàm creaturas,quæ sunt in illa eminẽter,sed in in illo priori cognitio est infinita; ergo est sufficiens ad producendum Verbum.

Resp.ad hoc arg.mutuatum *à Vasq*. neg. supp; supponit enim, quòd creaturæ possibiles habeant aliquod esse extra Deum,quod tamen falsissimum est;quia nulla entitas omnino,quantunuis minima, datur ab æterno extra Deum, docet enim Fides omnia incępisse in principio temporis, siue sint actualia,siue potentialia;tum quia effectus in causa habet solùm esse causæ: creaturæ autem possibiles sunt meri effectus in sua causa: & ideo nullum aliud esse habẽt,quàm esse causæ,quid enim est fructus extra arborem, antequam producatur? Non nisi vana imaginatio potest ipsum effingere. Igitur cùm causa creaturarum sit Diuina essentia,& non habeant nisi esse Diuinæ essentiæ, quia *creatura in Deo non est nisi creatrix essentia*, vt docet *Beat.P*; & esse Diuinæ essentiæ est infinitũ,necessariũ, ideo Verbum non procedit ex ente finito, & contingenti. Omissa igitur ma.dist.2.pars mi. Creaturæ possibiles sunt finitæ, & contingentes secundùm illud esse, quod habent in Deo dicẽte modum relatiuum ad extra, neq; secundùm esse extrinsecum Deo,quod non habent,sed possunt habere, conc. Ad *D.Ans*.dicitur loqui manifestẽ de esse extra Deũ, siue sit futurũ, siue sit possibile esse.2. Dato etiam,quòd possibilia importarẽt aliquod esse extra Deum saltem potentiale, vt fingunt *Recentiores*; attamen certum est, quòd esse possibilium continetur etiam in Deo; quia in Deo est omne esse creaturarum; notum enim est *apud omnes Philosophos* causam efficientem continere esse suorum effectuum;aliter Deus nõ posset illas creare,quia *nemo dat,quod non habet*; & hoc esse extrinsecum debet esse vniforme illi esse, quòd habent intra Deum, aliter non esset verum esse,quia non adæquaretur esse,quod est in Deo, à quo sumitur veritas; sed Pater non potest non cognoscere omne esse,quod est in illo; ergo ex cognitione illius cognosceret etiam esse extrinsecum propter vniformitatem, quam habet cum esse intrinseco. 3. Neg.pariter supp; supponit enim Verbum esse posterius essentia, & creaturis contentis, quod est falsum; omnia enim sunt simul simultate *in qua*, licèt vnum procedat ab alio.Dist.ergo 2.pars.Etiam secundùm esse cognitum extrinsecum immediatè, conc; secundùm esse cognitum intrinsecum immediatè,& secũdùm extrinsecum mediatè, neg. 4. Dist. ma. Ens infinitum nequit esse posterius ente finito procedens ab illo, vt ab obiecto primario,à quo sumitur specificatio, & denominatio, conc; tanquam ab obiecto secundario, neg. Ad aliud neg. ma; obiectum enim secundarium est essentialiter connexum;imò habet idem esse, ac primarium; & ideo nequit cognosci vnum sine alio, nisi per cognitionem præcisiuam inadæquatam, quæ inueheret imperfectionem inadæquationis in Verbum.

16 Obijc.2.Impossibilitatis creaturis adhuc procederet Verbum æquè perfectum,ergo non procedit ex earum cognitione. 2. Causa non relata ad effectus potest cognosci non cognitis effectibus; quia causa non relata est quid absolutum, & absolutum potest cognosci sine alio, in hoc enim distinguitur à relatiuo.

Resp.neg.ant.nam vt diximus *de Scient. q. 12. art. 1. n. 24*; ex impossibilitate creaturæ sequeretur à posteriori destructio omnipotentiæ, quia sequeretur talem creaturam non esse in omnipotentia, cùm in omnipotentia nullum impossibile existat; aliter illud posset producere, cùm possit producere omne id,quod continet in se ipsa;ergo ex destructione possibilitatis creaturæ omnipotentia deperderet aliquod esse, & sic destrueretur.Ad 2.dist.assumpt. Causa non relata potest cognosci comprehensiuè non cognitis effectibus, neq;quanuis enim non referatur realiter,attamen in se ipsa illas continet,& ideo nequit in se ipsa adæquatè penetrari, nisi cognoscantur omnes effectus, qui in ipsa continentur, & quia esse extrinsecum, quod possunt habere, vniformatur cum esse intrinseco,ideo cognoscũtur etiam quoad esse extrinsecum. Absolutum autem potest cognosci sine alio,quando illud nõ continet; potest cognosci præcisiuè inadæquatè, conc.

17 Inst. *noster Gibb.ex Vasq*.cõtra 1. Est contra decorem Diuinæ perfectionis tam strictè exigere creaturas ad suum esse, vt illis deficientibus non possit consistere; ergo impossibilitatis creaturis adhuc subsisteret potentia Dei.

Resp.dist.ant.Exigere creaturas secundùm esse actualis existentiæ, transeat, nam etiam existentia extrinseca creaturarum *est ornamentum maiestatis suæ*,vt ait *Tertull.lib.Apologet.c.17*,secundùm esse intrinsecum cum modo relatiuo ad extra,neg.*Vid.de Scient.vbis.*

18 Dices. Ex eo, quòd implicet chimera, nul-

nullus est defectus in omnipotentia; ergo & si omnes creaturæ implicarent.

Resp.neg. cons; nam ex eo, quòd implicet illud, quod est secundùm suum conceptum formalem impossibile, nullus arguitur defectus in potentia facientis; at verò ex eo, quòd repugnet id, quod secundùm suam rationem formalem est possibile, arguitur destructio potentiæ; quę fieret potentia nihili, ad quod datur non potentia, sicut ad ens datur potentia; & ideo potentia fieret non potentia; & sic destrueretur.

19 Replic. Si tenebræ implicarent, adhuc esset potentia visiua; quia tenebræ sunt obiectū secundarium, à quo nulla desumitur perfectio, quia nulla desumitur specificatio; sed creaturæ sunt obiectum secundarium; ergo à pari.

Resp.dist.ma. Quia tenebræ sunt obiectum secundarium merè negatiuum non contentum in potentia visiua, nec constitutiuum illius, conc; & neg.mi; nam creaturæ, prout contentæ in Diuina omnipotentia, sunt quid positiuum constitutiuum illius, imò non sunt, nisi ipsa omnipotentia, & ideo illis destructis, destruitur ista; secus, neg.

20 Obijc. 3. Si Verbum procederet ex cognitione creaturarum, sequeretur, quòd creaturæ essent principium *quo* productiuum illius; sicut ex eo, quòd procedat ex cognitione essentiæ, sequitur, quòd essentia sit principium *quo* productionis illius; sed consequens est falsum; quia Verbum est principium *quo* creaturarum, vt dicitur *Io. 1. Omnia per ipsum facta sunt*; & ideo creaturæ nequeunt esse principium *quo* Verbi; ergo falsum est ant.2. Si Verbum procederet ex cognitione creaturarum esset imago, & similitudo illarum, sed consequens est falsum, nā Verbum est imago solius Patris, vt docent *S.PP; & D.Anselm in Monol.à c.30; & seq.* probat non esse similitudinem creaturarū; ergo falsū est ant.

Resp. omissis solutionibus *Recentiorum* ad 1. neg. ma; nam principium *quo* est solum obiectum primarium, non secundarium; illud enim est principium *quo*, vt *sup.* diximus, secundùm quod fit assimilatio in natura; sed assimilatio in natura attenditur solùm penes obiectum primarium, quia penes ipsum sumitur specificatio, secundùm quam est assimilatio; ergo principium *quo* est solùm obiectum primarium, non secundarium. Cùm igitur creaturæ sint obiectum secundarium, ideo non sunt principium *quo*; sicut est essentia, quæ est obiectum primarium. Ad mi. dicitur, quòd Verbum est principium *quo* effectiuum creaturarum in esse entitatiuo; non implicat autem, quòd creaturæ in esse intellectiuo sint obiectum secundarium, ex quo procedit Verbum; sicut Idæa artificis est principium effectiuum *quo* statuæ, & tamen ipsa Idæa procedit à cognitione statuæ in esse intellectuali, quatenus artifex cognoscit statuam, ad cuius similitudinē format Idæam in mente. Ad 2. patet responsio *in sup. art.* Neg. igitur seq; licèt enim Verbum procedat ex cognitione sui, & Spiritus s; attamen non est imago sui, neque Spiritus s; ergo multò minùs erit imago creaturarum, quæ non sunt obiectum primarium, sicut est Verbum, & Spiritus s. Ad rationem ergo imaginis requiritur, quòd producatur, vt *quod*, non vt *quo*; docet enim *Beatiss.P.6.de Trin.c.2. Filius est eo imago, quo Filius*; sicut ergo non dicitur Filius per ordinem ad principium *quo*; ita nec imago. Ad 2. iam dictum est similitudinem desumi ab obiecto primario, à quo sumitur specificatio, secundùm quam est similitudo.

21 Obijc.4. Si Verbum non procederet ex cognitione possibilium, adhuc esset perfectè beatum; ergo cognitio possibiliū nihil facit ad productionem Verbi. Prob.ant. Beati, etiamsi nullam videant creaturam possibilem, adhuc tamen sunt perfectè beati; ergo à pari. Prob.cons; nam Verbum procedit per eam cognitionem, quæ correspondet eius beatitudini.

Resp.neg.ant. Ad prob.dist.ant. Beati nullam videntes creaturam possibilem sunt perfectè beati beatitudine essentiali, quæ sumitur ab obiecto primario, conc; beatitudine accidentali, quæ sumitur ab obiecto secundario, neg; vnde sicut beatus, qui videt plures creaturas possibiles, est perfectiori modo beatus; quia magis habet de lumine, & eius visio est perfectior saltem extensiuè; ita Verbum, quod est perfectissimè beatum, & infinitè tam intensiuè, quàm extensiuè, non potest nō procedere ex cognitione omnium creaturarum. Vel assignatur disparitas; nam beatitudo creaturæ sequitur ad cognitionem quidditatiuam, quæ est tantùm eorum, quæ sunt formaliter in Deo, at verò beatitudo Dei sequitur ad cognitionem comprehensiuam, qua cognoscuntur ea, quæ sunt formaliter, & eminenter in Deo.

22 Obijc.5. Spiritus s. non procedit ex amore possibilium; ergo nec Verbum ex cognitione illarum. Ant.patet; nam ex dictis *de Vol.q.3.art. 5.* Deus nōn amat creaturas possibiles.

Resp. hoc arg. fuisse solutum *loc.cit.*

23 Inst. Creaturæ possibiles secundùm esse, quod habent in Deo, amantur, & cognoscuntur; ergo sicut non amantur extra Deum, quia nullum habent esse, ita nec cognoscuntur secūdùm esse extra Deum, quod nihil est.

Resp; quòd licèt possibilia nullum important esse extra Deum, dicunt tamen modum relatiuum ad extra; vt diximus *de Omnipot. vbi sup*; & prout fundant istum modum, sunt cognoscibiles, non amabiles; vt diximus *de Vol. loc.cit.*

24 Obijc. 6. Verbum procedit per intellectionem essentialem, quæ est constitutiua essentiæ; quia procedit per vltimum constitutiuum naturæ; ergo non procedit ex cognitione possibilium; quia cognitio possibilium est simplex intelligentia, quæ est attributum essentiæ, vt dictū

est To.1. de Subst. q. 2. art.5; & 7; & de Scient. Dei q.1.art.1.

Resp.dist.conf. Non procedit ex cognitione possibilium præcisè; quia cognitio possibiliū præcisè sumpta est simplex intelligentia, & attributum,conc; ex cognitione creaturarum possibilium,& omnium eorum,quæ sunt formaliter in Deo, quæ cognitio est intelligere essentiale, non attributale,neg;intelligere enim essentiale, cùm sit vniuersalissimum, extenditurad omne obiectum,vt diximus *loc.cit.*

A R T. XVII.

An Verbum procedat ex cognitione creaturarum futurarum,& existentium?

1 PRima sententia vult Verbum Diuinum non procedere formaliter ex cognitione creaturarum futurarum, sed tantùm materialiter,& concomitanter,aut subsequenter. *Ita Scot;& Scotistæ relati in sup.ar; Vasq;Sua; Arrub; Mol;*, quibus accedunt *ferè omnes Thomistæ recẽtes,Caiet,Ban;Io.à S.Tho; Gonet; Salm, & ex nostris. Gibb. apud quem Cornejus, Antolin;Bernardin;Gamboa,& alij.*

Secunda sententia docet pariformiter esse loquendum de creaturis futuris, ac de possibilibus;neq;vnum posse affirmari sine altero absque pluribus incongruentijs,& contradictionibus ad ea,quæ superiùs dicta sunt;& ideo Verbum procedere ex cognitione creaturarum futurarum, tanquam ex obiecto secundario. *Ita B.Doct.dist. 37.princ.24.q.4.§.Tertiò restat; & dist.29.princ. 2.q.1.§.Ideo not;* vbi pariter loquitur de futuris, ac de possibilibus. Ita loquitur etiam *D.Tho.q. 33.art.2; & sæpe alibi; ac ferè omnes antiqui. Ex recentibus autem;nostris quidem Fulg.à Iudice, Zunig;*ex alijs verò *Val;Ruitz, Arria; & alij.*

2 Not. *ex Fundatiss.Doct.dist.29.vbisup*quòd de futuris possumus loqui vel absolutè, & simpliciter,vel ex suppositione,quòd sint futura. Si loquamur primo modo;certum est Verbum non procedere per se ex cognitione illorum;quia ita sunt futura,vt potuissent non esse futura;& ideo sic cognoscuntur, vt potuissent non cognosci. Supposito tamen,quòd sint futura,Verbum ita procedit ex cognitione illorum , quia essentialiter procedit per cognitionem comprehensiuam omnium cognoscibilium, quæ verè sunt cognoscibilia,vt non possit non procedere; & in hoc secundo sensu procedit difficultas.

3 Incongruentiæ autem,quę sunt in doctrina *eorum Recentium*, qui volunt Verbum procedere ex possibilium , non autem ex futurorum cognitione,sunt. 1. Dicunt Verbum procedere per intelligere essentiale , quod est cōstitutiuum naturæ Diuinæ; & quod est intelligere vniuersalissimum attingens omnia intelligibilia siue nō habeant causam, vt Diuina essentia; siue causam habeant,vt creaturæ ita,quòd nullum detur cognoscibile, quod non attingatur per hoc intelligere, aliter non esset vniuersalissimum; quia non extenderetur ad omnia; & postea dicunt per hoc intelligere non attingi creaturas futuras;& ideo non esse vniuersalissimum. Si dicant creaturas futuras pro eo signo rationis non esse futuras,& ideo non cognosci. Hæc est 2. incongruentia; nam vt diximus *q.2.art.8;* substinent *cont.Scot.*nullum dari signum rationis, in quo sit vnum in Deo,& non sit aliud;& ideo nullum dari signum rationis , in quo sit actus notionalis, per quem procedit Verbum; non autem actus essentialis,quo Deus vult,& intelligit creaturas futuras. 3. incongruentia est; nam vt diximus *q.2.ar.4;*volunt *cont.Scot.*intellectionē notionalem nō differre ab essentiali, & *hic* dicunt volitionem liberam creaturarum esse posteriorem productione Verbi; quia actiones ad extra sunt communes Trinitati,& ideo supponunt Trinitatem;sed intellectio essentialis est communis toti Trinitati;aliter daretur aliquod essẽtiale propriū vni personæ,quod est cont. Fidem; ergo dicunt, quòd actiones essentiales supponunt Trinitatẽ, & non supponunt;quòd sunt communes, & non communes.Præterea etiam cognitio possibilium est cōmunis Trinitati; & tamen Verbum per illā procedit;ergo dicunt,& contradicunt.4.Dicunt Verbum non procedere ex cognitione futurorum,quia cognitio futurorum est scientia libera, quæ est attributum Dei, per quod procedit solùm ens liberum,& contingens;Verbum autem nequit procedere,vt liberum,& contingens;nec per aliquod attributum, aliter non procederet per naturam;& postea dicunt Verbum procedere per cognitionem possibilium, quæ secundùm ipsos est scientia simplicis intelligentiæ, quæ est idem attributum,ac sciẽtia libera,per quod cognoscuntur ea,quæ sunt indifferentia ad esse, & non esse; quæ repugnant Verbo non minùs, ac contingentia.5.Dicunt Verbum non procedere ex cognitione futurorum, quia futura essent ante productionem Spiritus s; sed non est minùs dissonum , quòd creaturæ possibiles sint ante productionem Spiritus s.6. Dicunt *plures ex illis* voluntatem Diuinam non posse manere suspensam à volitione libera creaturarum,nec pro minimo signo rationis; vt *Io. à S.Tho; Salm; & alij relati de Vol.q.2.art.4;*& postea dicunt creaturas futuras in illo signo productionis non esse futuras;in quo tamen est voluntas Diuina , quæ communicatur Verbo. 7. Dicunt actiones essentiales præcedere notionales;*vt Caiet;Io.à S.Th; & alij sup.relati art.5;* & *hic* dicunt volitionem, & cognitionem futurorum, quæ etiam secūdùm ipsos sunt actiones notionales,subsequi ad generationem Verbi,quæ est actio notionalis. Vt igitur istæ, & aliç contradictiones,quæ patebunt ex solutione obiectionum,euitemus; & concordia doctrinæ seruetur.

4 Not. sunt ea, quæ diximus *art.15.à n.8. vsq.ad* 14;scilicet,quòd omnia, quę sunt in Diuinis

uinis sunt simul simultate existentiæ etiam in quocunque signo rationis *in quo*; & licèt vnum sit posterius posterioritate rationis *à qua* in vno genere, attamen non tollitur, quin in genere possit esse prius; aliter Verbum, quod est prius Spiritu s. prioritate originis *à qua*, non procederet ex cognitione Spiritus sancti, si Spiritus s. in esse obiectiuo nõ esset prior ratione ipso Verbo.

5 Vnica concl. Verbum per se procedit ex cognitione creaturarum futurarum, tanquam ex obiecto secundario.

Prob. 1. ex *ps. 148 allato in sup. art. Ipse dixit, & facta sunt*. Ex quo sic. Verbum procedit formaliter ex cognitione illius, quod Pater dicit formaliter; sed Pater dicit formaliter creaturas futuras; ergo Verbum procedit formaliter ex cognitione creaturarum futurarum. Ma. patet; quia procedere Verbi *secũdùm omnes* est dicere; ergo processio Verbi est ex cognitione omnium, ex quorũ cognitione est dicere. Prob. mi. Pater dicit etiam ea, quæ facta sunt; sed quæ facta sunt, sunt creaturæ futuræ; quia creaturæ possibiles nec factæ sunt, nec fient; ergo Pater dicit formaliter creaturas futuras.

6 Dices hoc intelligi solùm concomitanter, aut subsequenter. 2. intelligi de dictione essentiali, qua omnes tres personæ Diuinæ producunt creaturas ad extra; non autem de dictione notionali, qua producitur Verbum.

Resp. 1. reiectũ fuisse *ex Beatiss. P. in sup. art. n. 10. vsque ad 17*. Ad aliud dicitur, quòd licèt tres personæ Diuinæ producant creaturas per intellectionem essentialem; attamen intellectio notionalis, seu dictio est principium, per quod illas producunt; vt habetur *Io. 1. Omnia per ipsũ facta sunt*; aliter non esset ratio; cur creaturæ nõ producantur per Patrem, & per Spiritum s; sicut producuntur per Verbũ, quod est *cont. Scripturã, & SS. PP*; nam *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 14.* ait, quòd Pater per eandem dictionem, qua dicit se ipsum, dicit etiam creaturas; *& D. Dam. Monol. 33. apud Fund. Doct. dist. 27. vbi sup. Vno, eodemq. Verbo dicit Deus Pater se ipsum, & quæcumque fecit*; sed dictio, qua Pater dicit se ipsũ in Verbo, est notionalis; ergo & dictio, qua dicit creaturas.

7 Prob. 2. Verbum formaliter procedit à Patre, vt ars omnium creaturarum futurarũ; nam vt diximus *art. 7. ex Beatiss. P. 6. de Trin. c. 10*; procedit, vt *Verbum perfectum, cui non desit aliquid, & ars quædam omnipotentis, atque sapientis Dei plena omnium rationum viuentium*; ergo procedit ex cognitione omnium creaturarum futurarum, quę sunt per artem faciendę; ars enim importat cognitionem artificialium faciendorum per ipsam, imò nihil aliud est formaliter, nisi cognitio practica illorũ; cùm sit *ratio factibilium*; vnde sicuti implicat cognosci quiditatiuè hominem, quin cognoscantur animal, & rationale, quæ sunt definitio hominis, ita implicat cognosci aliquam artem, quin cognoscantur *ratio, & factibilia*, quæ formant definitionem artis; sed Pater producendo Verbum exprimit, & cognoscit illud, vt est ars factibilium, quæ sunt creaturæ futuræ; ergo formaliter cognoscit creaturas futuras; atqui Verbum procedit ex cognitione omnium, quæ cognoscit Pater in productione ipsius Verbi; ergo procedit ex cognitione creaturarum futurarum.

8 Prob. 3. Verbum procedit formaliter per intelligere essentiale vniuersalissimum; vt fatentur *Thomistæ recentes*; & habetur *ex Beatiss. P. 15. de Trin. c. 14; Non enim se ipsum integrè, perfectèque dixisset*. Et paulò post: *Quidquid est in ea scientia, de qua genitum est, & in ipso est; quod in ea non est, nec in ipso est*. Quibus docet; quòd si illud intelligere, per quod procedit Verbum, non cognosceret creaturas futuras, nec ipsum Verbum illas cognosceret; quia in Verbo non est, nisi illa scientia, & cognitio, per quam genitũ est; sed intelligere essentiale vniuersalissimè extenditur ad omnia etiam possibilia, & futura, vt etiam *ipsi* fatentur; & Verbum, vt docet Fides, cognoscit creaturas futuras; ergo procedit ex cognitione futurarum.

9 Prob. 4. rationibus allatis *in duob. sup. art.*

10 Tandem prob. euertendo eorum fundamenta, & deducendo ad contradictiones, quas superiùs notauimus, quæ magis patebunt in solutione obiectionum.

11 Obijc. 1. Si Verbum procederet ex cognitione futurorum, hæc cognitio deberet conuenire priùs origine Patri, quàm Filio; sed consequens est falsum; quia cognitio futurorum pro illo priori esset propria Patri, non communis omnibus personis; ergo falsum est ant.

Retorq. arg. Si Verbum procederet ex cognitione Spiritus s; & creaturarum possibilium, illa cognitio pro illo priori esset propria Patris sed consequens est falsum; quia cognitio Spiritus s; & possibilium est communis toti Trinitati, cùm sit essentialis; ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus s; & possibiliũ, quod tamen asserunt *Aduersarij*.

Resp. ergo ad arg. dist. ma. Illa cognitio, prout modificata à relatione, esset propria Patri, conc; vt non modificata, neg. Et ad prob. infert. dicitur, quòd illa cognitio est communis non modificata; non tamen vt modificata; quia sic spectat ad esse relatiuum.

12 Obijc. 2. Si Verbum procederet ex cognitione futurorum, processio Spiritus s. esset prior processione Verbi; nam creaturæ non non sunt futurę, nisi per actum voluntatis Diuinæ; & actus voluntatis Diuinæ circa creaturas futuras supponit actum voluntatis Diuinæ circa Spiritum s; *cùm emanationes ad intra sint causa emanationum ad extra*; sed consequens est contra Fidem docentem Spiritus s. procedere etiam à Filio; ergo & ant.

Retorq. arg. Si Verbum procederet ex cogni-

gnitione Spiritus s;& possibilium,processio Spiritus s. esset prior processione Verbi; non enim potest cognosci Spiritus s;nisi cognoscatur eius processio, & sicut Spiritus s. præcedit Verbum, quia est principium *quo* processionis illius; ita processio Spiritus s; quæ præcedit Spiritum s; esset prior processione Verbi, quæ est ex processione Spiritus s. Cognitio etiam possibilium, cùm sit communis Trinitati, supponit Spiritum s; ergo si Verbum procederet ex cognitione possibilium, & Spiritus s; processio Spiritus s. esset prior processione Verbi.

Resp. ergo dist. ma. Processio Spiritus s. esset prior processione Verbi in esse obiectiuo, conc; in esse originatiuo,neg.

13 Obijc.3. Si Verbum procederet per cognitionem futurorum, procederet per sciétiam liberam; nam cognitio futurorum est scientia libera; sed quod procedit per sciétiam liberam, procedit, vt quid contingeus sup ponens decretum liberum voluntatis Dei,quod est commune toti Trinitati; ergo Verbum procederet, vt quid contingens,& liberum.

Retorq. arg. Si Verbum procederet ex cognitione possibilium,procederet,vt quid possibile,& indifferens ad esse,& non esse; quia cognitio possibilium est scientia simplicis intelligentiæ,quæ versatur circa possibilia, quæ sunt indifferentia ad esse, & non esse; sed Verbum non procedit,vt quid possibile,& indifferens ad esse,& non esse; ergo non procedit ex cognitione possibilium.

Resp. ergo dist.ma. Si Verbum procederet ex cognitione futurorum contracta solùm ad futura, conc; si ex cognitione vniuersalissima essentiali cognoscente etiam creaturas futuras, neg. Vel dist. Si procederet ex cognitione futurorum, tanquam ex obiecto primario, à quo sumitur denominatio,& specificatio, côc; ex obiecto secundario,neg;

14 Obijc. 3. Creaturæ futuræ sunt tantùm obiectum secundarium Diuinæ cognitionis; sed obiectum secundarium cognoscitur tantùm ex consequenti;vt habet *Fundat.Doct.hic §.Sed vt meliùs*, vbi ait: *Per Verbum Deus Pater dicitur principaliter, creatura autem ex consequenti*; ergo Verbum non procedit ex cognitione futurorum formaliter, sed tantùm consequenter.

Retorq.arg. In sententia multorum *Scotistarum*, & aliquorum *Thomistarum*: vt diximus *Tom.1. de Inuisib.q.4.art.1.n.2;& de Scient.q.1. art.3. n.6.* relationes sunt obiectum secũdarium Diuinæ intellectionis, & creaturæ possibiles secundùm *omnes* sunt obiectum secundarium: ergo Verbum non procedit ex cognitione Diuinarum personarum, quæ constituuntur per relationes,nec creaturarum possibilium.

Resp.ergo dist.mi. Obiectum secundarium cognoscitur ex consequenti formaliter per cognitionem comprehensiuam attingentem omne cognoscibile, neq; cognoscitur ex consequenti obiectiuè, tanquam aliquod sequens ad obiectum primarium,conc.Quanuis autem creaturæ se habeant cõsequenter ad Diuinam essentiam, attamen non sequitur,quòd non cognoscantur in eodem signo rationis, sicut licèt attributa consequantur ad essentiam, non tamen sequitur,quòd non cognoscantur in eodem signo, in quo cognoscitur essentia, ita licèt obiectum secundarium cõsequatur ad essentiam, attamen cognoscitur pro eodem signo, in quo cognoscitur essentia. Neque in eo, quòd est secundum, cognoscitur in posteriori signo; nam persona Verbi est verè secunda,& Spiritus s. est persona tertia, & tamen nec Verbum cognoscitur in secundo signo,nec Spiritus s.in tertio;ergo obiectum secundarium, nec ex eo, quòd cognoscatur,vt consequẽs ad primarium,vt habet *Fund. Doct*; neque ex eo,quòd cognoscatur, vt secundũ,habet, quòd nõ cognoscatur in priori signo.

15 Obijc. 5. Verbum non procedit ex cognitione futurorum, vt Filius; quia vt Filius, est per naturam, cognitio autem futurorum distinguitur virtualiter à natura, cùm sit attributum; ergo neque procedit,vt Verbum; quia *Verbum eo est,Verbum,quo Filius.*

Retorq. arg. Verbum non procedit ex cognitione personarum, neque possibilium, vt Filius; quia personalitates, & possibilia distinguũtur virtualiter à natura, cùm sint proprietates illius; ergo neque vt Verbum.

Resp.ergo neg.ant.Ad prob.dicitur;vt *ad 3.*

16 Obijc. 6. Si Verbum procederet ex cognitione futurarum, Pater pro illo priori vellet creaturas futuras per decretum liberum; ergo Pater communicaret Filio cognitionem, & volitionem liberam creaturarum; sed consequens est absurdum; aliter Filius necessariò, non liberè vellet creaturas, quia illa cognitio,& volitio libera in Patre esset suppositio antecedens volitionem liberam Filij; & ideo esset necessitans; ergo falsum est ant.

Retorq. arg. Omnia absoluta, quæ sunt in Filio, sunt communicata à Patre,vt docet Fides; sed volitio libera creaturarum est absoluta; ergo est à Patre communicata; sed quod est à Patre communicatum, non est liberum Filio; quia antecedit actum secundum Filij; ergo in Filio non est volitio libera.

Resp.ergo *ex Beatiss.P. 15. de Trin. c.14.* neg. supp. ma; nam licèt Pater communicet Filio cognitionem,& volitionem liberam creaturarum; quod mirũm est, si ab aliquo Catholico negetur; ait enim Filius *in Scripturis*: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; & alibi: *Doctrina mea non est mea*; attamen non intelligit priùs Pater,quàm Filius; sed sicut simul sunt,ita simul intelligunt:*Pater gignendo,& ille nascendo.* Præterea Filius non esset *Sapientia genita de sapientia.* Abijciant ergo *Aduersarij* falsam imaginatio-

nationē illius prioritatis,quæ eſt cum omnimoda ſimultate *in qua* etiam rationis.

17 Obijc.7. Ad rationem comprehenſionis non requiritur,quòd cognoſcantur ea,quæ ſunt eminenter in obiecto ; quia Angelus ſuperior comprehendit inferiorem,& tamen non cognoſcit ſecreta cordis illius; ergo Verbum procedit per cognitionem comprehenſiuam, & ſi non cognoſcat creaturas futuras,quæ eminenter continentur in Diuina eſſentia.

Retorq.arg. Ad rationem comprehenſionis non requiritur cognitio eorum, quæ eminenter continentur;ſed creaturæ poſſibiles eminenter continentur ; ergo Verbum non procedit ex cognitione poſſibilium;vt probat *noſter Gibb.*ex ratione cōprehenſionis *cum cæteris Thomiſtis*,quorum eſt hæc obiectio.

Reſp.ergo neg.ant;vt diximus *To.1.de Inuiſib.q.5.art.1.à n.3.*

18 Obijc.8. Ex duplici præmiſſa, quarum vna eſt neceſſaria, altera contingens, infertur concluſio contingens; ſed creaturæ futuræ ſunt contingentes ; ergo Verbum,ſi procederet ex cognitione futurorum, eſſet quid contingens, non neceſſarium.

Retorq.arg. Ex vna præmiſſa neceſſaria,& altera poſſibili infertur concluſio poſſibilis;ergo ſi Verbum procederet ex cognitione poſſibiliū, eſſet quid poſſibile.

Reſp.ergo neg. conſ; nam præmiſſæ æquè primariò influunt in concluſionem ; creaturæ verò non concurrunt ad productionem Verbi, niſi ſecundariò.

19 Obijc.9.*Vaſq.*Illud concurrit ad productionem Verbi in 4. modo dicendi per ſe, ſine quo nequit eſſe, aut intelligi productio Verbi; ſed ſine creaturis futuris poteſt intelligi, & eſſe productio Verbi; quia ſi Deus nullam decreuiſſet condere creaturam, Verbum eſſet æquè perfectum, ac modò ; ergo Verbū non procedit ex cognitione futurorū in 4.modo dicēdi per ſe.

Retorq. arg. Illud concurrit ad productionem Verbi in 4.modo dicendi per ſe, ſine quo nequit eſſe, aut intelligi productio Verbi; ſed ſine attributis,& relationibus poteſt intelligi productio Verbi; quæ formaliter intelligitur per ſolam communicationem naturæ ; attributa autem, & relationes ſunt proprietates,quæ non ingrediuntur conſtitutionem formalem naturæ ; ergo Verbum non procedit ex cognitione attributorum;& perſonarū in 4.modo dicēdi per ſe.

Reſp. ergo diſt. mi. Suppoſita futuritione creaturarum productio Verbi ſine cognitione illarum poteſt intelligi præciſiuè inadæquatè, conc;integraliter adęquatè,neg.Sicut ergo licèt ſine riſibilitate poſſit intelligi eſſentia hominis inadæquatè ſumpta ſecundùm prædicata primaria ſubſtantialia conſtitutiua;attamen ſine ipſa nequit intelligi adæquatè ſecundùm omnia, quæ ſpectant ad integritatem ipſius hominis, quia riſibilitas etiam ſpectat formaliter ad integritatem ipſius hominis,prout integritas dicit omnia prædicata ſiue ſubſtantialia,ſiue accidentalia;ita generatio Verbi,licèt formaliter inadęquatè ſumpta ſecundùm ſola prædicata conſtitutiua illius poſſit intelligi ſine cognitione futurorum,quæ ſunt obiectum ſecundarium, & ideo non ſunt de primario intellectu illius ; attamen adæquatè,& integraliter ſumpta ſecundùm omnia,quæ illam integrant, nequit intelligi ſine illis ; ſed Verbum procedit formaliter per cognitionem adæquatam, & integram omnium, quæ ſunt in Deo, quia formaliter procedit per cognitionem comprehenſiuam, quæ eſſentialiter reſpicit integritatem rei,vt docet *Beatiſſ.P.*;ergo procedit formaliter per ſe primò ex cognitione etiam creaturarum.Vnde creaturæ ſolùm reſpectu noſtræ cognitionis, quę poteſt inadæquatè præſcindere, dicuntur non ſpectare per ſe ad productionem Verbi;non autem reſpectu cognitionis Dei, quæ,vtpotè comprehenſiua, nequit præſcindere. Non ſuppoſita autem futuritione, conc; nam in tali caſu non tolleretur ratio cognitionis comprehenſiuæ,quæ formaliter habet cognoſcere omne cognoſcibile ; non autem id, quod eſt incognoſcibile.

20 Hac facilitate retorquentur ad impoſſibile omnes rationes *Aduerſariorum*,& pręcipuè *recentium Thomiſtarum* admittētium Verbum procedere ex cognitione poſſibilium ; ex quo apparet infirmitas eorum ſententiæ.

21 Quæres,an Spiritus s.procedat ex amore futurorum?

Reſp.aff.vt patebit *in ſeq.q.art.1.*

QVÆST. IV.

De proceſſione Spiritus Sancti.

PRoceſſio Spiritus S;quæ eſt actus voluntatis, ſequitur ad proceſſionem Filij, quæ eſt actus intellectus;recto itaque ordine de illa ſequitur agendum.

ART. I.

Quænam doctrina tradita de proceſſione Filij poſſint adaptari proceſſioni Spiritus S?

1 PLura diximus *in ſup.q;* quæ conueniunt etiam proceſſioni Spiritus S;& plura, quæ illi non conueniunt, ideo de his eſt diſtinctè diſcurrendum. Quæ tamen,quia ſupponuntur ab *omnibus Theologis*, ideo *in hoc art.* breuitatis causâ ſunt reſtringenda;nec tamē omittenda,ne diſtinctæ huius rei notitiæ detrahamus.

2 Dicendum 1. In Deo eſt vera, & realis po-

potentia ſpiratiua, nedum reſpectu termini ſpirati, ſed etiam reſpectu actionis ſpiratiuæ. *Ita Fundatiſſ.Doct.diſt.11.princ.2.q.2.§. Reſpondeo*; vbi ait; quòd *ſicut loquimur de potentia generandi, ita loquendum eſt de potentia ſpirandi*; ſed in Deo ex eo, quòd detur verus Filius, datur vera, & realis potentia generandi, nedum reſpectu termini geniti, ſed etiam reſpectu actionis generatiuæ, ergo ex eo, quòd detur verus Spiritus S; datur potentia ſpiratiua, nedum reſpectu termini ſpirati, ſed etiam reſpectu actionis ſpiratiuæ; demptis tamen imperfectionibus, ſicuti locuti ſumus de potentia generatiua. *Videantur* omnes rationes, quas adduximus *ſuperiùs q. 3. art. 1.*

3 Dicendum 2. potentiam ſpiratiuam importare formaliter proximè Diuinam voluntatem cum termino relatiuo ad actum ſpirationis. *Ita Fundatiſſ.Doct. diſt.11.princ.2.q.3*; nam potentia ſpiratiua proxima nō importat voluntatē eſſentialē, aut intellectū, aut eſſentiā Diuinā, ſed importat principium formale elicitiuum amoris; ſed huiuſmodi eſt voluntas Diuina cum modo relatiuo ad actionem amoris; ergo potentia ſpiratiua formaliter proximè importat voluntatem Diuinam cum modo relatiuo. *Vid.q.2.ar.5.*

4 Dicendum 3. potentiam actiuè ſpiratiuam formaliter, & reduplicatiuè ſumptam non eſſe in Spiritu S, bene tamē materialiter, & ſpecificatiuè. *Ita Fundatiſſ.Doct.ibid. ad 2*; nam potentia ſpiratiua formaliter, & reduplicatiuè ſumpta importat Diuinam voluntatē cum ordine ad actionem ſpiratiuam alicuius termini oppoſiti; & potentia ſpecificatiuè, & materialiter ſumpta importat ſolùm Diuinam voluntatem ſine tali ordine, & modo relatiuo; ſed in Spiritu S. eſt volūtas Diuina ſine tali ordine, & modo relatiuo; ergo in ipſo eſt potentia ſpiratiua materialiter, & formaliter ſumpta. *Vid.q.3.art.2.*

5 Quæres an hæc propoſitio: *Potentia ſpirandi eſt in omnibus tribus perſonis*; ſit abſolutè concedenda?

Reſp.aff.cū *B.Doct.vbiſup*; nā illud gerundiuum *ſpirandi* poteſt ſumi actiuè, & paſſiuè; & ideo cū in Patre, & Filio ſit potētia ſpirādi actiuè; & in Spiritu S. ſit potentia ſpirandi paſſiuè, bene ſequitur, quòd potentia ſpirandi ſit in omnibus tribus perſonis.

6 Dicendum 4. Patrem, & Filium non ſpirare Spiritu S. natura ita, vt ly *natura* deſignet principium formale proceſſionis Spiritus Sancti; ſpirare tamē natura, prout ly *natura*, deſignat principium concomitans ipſam voluntatem, quę eſt principium formale proceſſionis ſpiritus S. *Ita B.Doct.diſt.princ.1.q.1.* Prob. 1. pars. Si Pater, & Filius ſpirarent Spiritum ſāctum per naturam formaliter ita, vt natura eſſet principium formale ſpirationis Spiritus s, Spiritus Sanctus eſſet Filius, & genitus, & ſic darentur duo Filij, & duo geniti, quod eſt contra Fidem.

7 Prob. 2. pars. Spiritus S. procedit formaliter, vt amor Diuinus; ergo debet procedere formaliter per voluntatem, cùm amor ſit actus formalis voluntatis; ſed voluntas identificatur cum natura Diuina; ergo nequit Spiritui Sancto communicari eſſe amoris, quin illi communicetur natura Diuina concomitans ipſam eſſe amoris propter identificationem, cùm enim aliqua duo identificantur realiter, nequit vnum cōmunicari formaliter, quin aliud communicetur.

8 Dicendum 5. Patrem, & Filium ſpirare Spiritum S. neceſſitate exigentiæ naturalis; non autem neceſſitate indigentiæ, coactionis, aut expedictiæ. *Ita Fund.Doct.diſt.6.princ.1.q.2.* Prob. Natura Diuina naturaliter exigit eſſe in tribus perſonis; quia, cùm ſit naturaliter fœcunda, eſt communicabilis ad intra per duas potentias immanentes, quæ ſunt intellectus, & voluntas; nec iſta communicatio poteſt ab aliquo cogi, cū Deus ſit omnipotens; nec poteſt fieri propter indigentiam, quia cùm Pater, & Filius ſint omne bonum, & in illis nullus ſit defectus bonitatis, ſunt per ſe formaliter indigetes; ergo ſpirant Spiritum S. neceſſitate exigentiæ; non autem indigentiæ, aut coactionis. *Vid.in ſup.q.art.13.*

9 Dicendum. 6. Patrem, & Filium non ſpirare Spiritum S. per modum artis. *Ita Fūd.Doct. diſt.6.princ.2.q.1.* Prob. Ars eſt partus ſolius intellectus procedens formaliter per intellectum; ſed Spiritus S. nō procedit per intellectum; ergo non procedit, vt ars. *Vid.vbi ſup.art.7.*

10 Dicendum 7. in Diuinis perſonis eſſe ſpirationem actualem. *Ita Fund. Doct. diſt. 10. princ.1.q.1; & diſt.11.princ.2.q.3*, & per totam eandem *diſt. 11*; nam vbi datur verè ſpirans, & verè ſpiratus, ibi eſt vera, & formalis ſpiratio; ſed in Diuinis perſonis Pater, & Filius ſunt verè ſpirantes, & Spiritus S. eſt verè ſpiratus; ergo in Diuinis perſonis eſt vera, & formalis ſpiratio. *Vid.in ſup.art.16.*

11 Dicendum 8. Spiratio actiuè ſumpta eſt in Patre, & Filio, paſſiuè ſumpta eſt in Spiritu S. *Ita B.Doct.diſt. 10; & diſt. 11.princ. 1.q. 1; & princ.2.q.1, & 2*; nam ſpiratio actiuè ſumpta eſt in ſpirante, ſicut ſpiratio paſſiuè ſumpta eſt in ſpirato, quia ſpiratio actiuè ſumpta nihil aliud eſt, quàm relatio ſpiratoris, ſicut ſpiratio paſſiuè ſumpta nihil aliud eſt, quàm relatio ſpirati, ergo ſpiratio actiuè ſumpta, quæ dicitur communis notio, quia eſt communis Patri, & Filio, eſt in Patre, & Filio, & ſpiratio paſſiuè ſumpta eſt in Spiritu S. *Vid.vbiſup.art.9.*

12 Quæres, an abſolutè ſit concedendum, quòd ſpiratio ſit in Patre, & Filio?

Reſp. *ex Fund.Doct.diſt.4.princ.1.q. 4.* negatiuè; nam ſpiratio abſolutè ſumpta denotat proceſſionem potiùs per modum paſſionis, quā per modum actionis. Abſolutè ergo, & ſimpliciter dicendum eſt, quòd ſpiratio ſit in Spiritu S; in Patre autem, & Filio tantùm concedi debet

Yyy ſpi-

ſpiratio cũ addito, ſcilicet ſpiratio actiuè sũpta.

13 Dicendum 9.Spirationem Spiritus S.eſſe diſtinctiuam, non aſſimilatiuam formaliter in natura,aſſimilatiuam tamen materialiter, & idéticè. *Ita Fund.Doct.diſt.13.princ.2.q.* 1; nã proceſſio Spiritus S.eſt formaliter per voluntatem, quæ virtualiter diſtinguitur à natura Diuina, & realiter tantùm identificatur cum illa; ergo non eſt formaliter aſſimilatiua in natura, ſed tantùm materialiter. *Vid.in ſup.q.art.9.*

14 Dicendum 10.Diuina eſſentia eſt ſubiectum, ſeu fundamentum ſpirationis Diuinæ eo modo, quo diximus de generatione Filij *in ſup. q. art.* 12.

15 Dicendum 11.Spiritus S.eſt de ſubſtantia Patris,& Filij,non ex nihilo. *Ita Fund. Doct. diſt.5.princ.2.q.2.Vid.in ſup.q.art.13.n.2.*

16 Dicendum 12. has propoſitiones eſſe negandas: *Deus ſpirat alium Deum; eſſentia ſpirat; Deitas ſpirat*. Has verò eſſe concedendas: *Deus ſpirat eundem Deum. Pater; & Filius ſpirant alterũ ſe,vel aliũ à ſe.Vid.vbi ſup.n.5;& ſeq.*

17 Dicendum 13.Termini terminantes, vt *quod* proceſſionẽ Spiritus S; sũt Pater,& Filius, qui ſunt vnum principium actiuè ſpiratiuum Spiritus S; vt *inf.* videbimus;& Spiritus S.eſt terminus. *qui*. Termini verò terminãtes proximè, *vt quo*, eſt voluntas,vt ſpirans,& voluntas, vt ſpirata; vt diximus *vbi ſup.art.*14. *Vid.Fund.Doct.diſt. 18.princ.2.q.1.§.Hoc viſo.*

18 Dicendum 15.Spiritus S. per ſe, & formaliter procedit ex amore Diuinæ eſſentiæ, Diuinorum attributorum, & Diuinarum perſonarum. *Ita Fund.Doct.diſt.10.princ.2.q.2.* Fundamentum eſt. Spiritus S. procedit formaliter ex amore perfectiſsimo,& infinito conſequente ad cognitionem comprehenſiuam terminatam ad omnem bonitatem, & perfectionem; ſed Diuina eſſentia,attributa,& perſonæ Diuinæ dicunt sũmam,& infinitam perfectionem, ac ſummè amabilem à Deo; ergo Spiritus S. procedit ex amore eſſentiæ Diuinæ, attributorum, & Diuinarum perſonarum. *Vid.vbi ſup.art.*15;& 16.

19 Dicendum 16. Spiritum S. non procedere ex amore poſſibilium,benè tamen ex amore futurorum. *Ita Fund.tiſſ.Doct. lib. de Cauſis prop.*21; & *diſt.*1. *princ.*1.*q.*1.*ad* 1; & *diſt.*45. *princ.*1.*q.*2.*Vid.vbi ſup.art.*15; & 17.

20 Dicendum 17;quòd licèt valeat dicere, & ſint veræ iſtæ propoſitiones; *Spiritus Sanctus ſemper ſpirabitur; Spiritus S.ſemper ſpiratus eſt; & Spiritus S.ſemper ſpiratur*; attamen iſta propoſitio: *Spiritus S.ſpiratus eſt*; magis exprimit veritatem. *Vid.in ſup.q.art.*13.*n.*18; nam proportionaliter idem dicendum eſt.

21 Dicendum 18.proceſſionem Spiritus S. non eſſe veram generationem. *Ita Fund.Doct. diſt.*13.*princ.*2.*ar.*1;& eſt de Fide: habetur enim *in Symb.D.Athan*; nã ad generationẽ non ſufficit quocunq; modo eſſe à natura; quia capilli,& vngues ſunt à natura, & tamen non dicuntur generari; nec ſufficit habere naturam ſimilem; nam *Eua,& Adam* habent naturam ſimilem;& tamen *Eua* nõ eſt genita ex *Adam*; ſed requiritur,quòd vel ſit immediatè à natura, vt in generatione Diuina, vel à principio immediato, cuius proprium munus eſt cõmunicare ſimilem naturam; vt in generatione create, quæ eſt per potentiam generatiuam; cuius proprium officium eſt communicare naturam ſimilem. *Vid.vbi ſup.art.*10.

22 An autem Spiritus S. poſſit ſaltem dici Filius naturalis Sãctitatis Diuinę, qua sãctus eſt?

23 Narrat *Io.à.S.Tho.q.*27.*diſp.*12.*art.*7.*n.* 36: inter *Complutẽſes* diſputationes irrupiſſe hanc ſententiam, ſcilicet Chriſtum Dominum, quoad ſuam ſanctificationem dici Filium naturalem, nõ Patris, ſed totius Trinitatis, non per aliquam ſanctitatem creatam, ſed per ipſam communicationem Deitatis factam in vnione hypoſtatica; putabant enim, quòd filiatio Chriſti naturalis non importet generationem Diuinam, qua Verbum eſt à Patre, ſed tantùm communicationem ſanctitatis, qua Chriſtus conſtituitur hæres hæreditatis æternæ. Vnde ſi Spiritus S; aut Pater incarnatus fuiſſet, non minùs diceretur Filius Dei naturalis, quàm modò dicatur Chriſtus de facto. Quòd autem Spiritus S. dicatur de facto Filius Dei ratione ſanctitatis, arguebãt ſic. Chriſtus dicitur Filius Dei naturalis ob ſolam communicationem Diuinæ naturæ factam in vnione hypoſtatica filiationis ſanctitatis, qua conſtituitur hæres gloriæ æternæ, ſed Spiritui S. magis intimè communicatur natura Diuina, quàm communicetur in vnione hypoſtatica naturæ humanæ; quia Spiritui S. communicatur cum identificatione reali; humanæ verò naturæ cum diſtinctione; ergo multò magis Spiritus S. in ratione ſanctitatis, qua conſtituitur hæres bonorum Dei, dicitur Filius naturalis. Hoc tamen nõ obſt.

24 Dicendum vltimò. Spiritum S. nec in ratione ſanctitatis poſſe dici Filium Dei naturalem. *Ita Fundatiſſ.Doct.diſt.*13.*princ.*2.*art.* 1; & *in* 3.*ſent*; vt videbimus, vbi docet filiationem Chriſti dici naturalem per ordinem ad generationem,& filiationem æternam; vnde cùm nullo modo Spiritus S. generetur æternaliter à Patre, nullo modo poteſt dici Filius. Sententiam oppoſitam vocat *Io.à S.Tho.* temerariam, erroneam, parum Fidei conſonam, & doctrinis *SS. PP.* profus aduerſam; latibulum alicuius hęreſis; & refugiũ *Hæreticorum*; quia, vt docet *D.Hier In myſterio Trinitatis ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis*.

Reſp.ergo ad eorum arg.diſt.mi.Ob ſolam communicationem naturæ Diuinæ per ordinem ad generationem æternam, conc; ſine tali ordine, neg;& in hoc ſecundo ſenſu,neg.mi. Sicuti neg; quòd ſi Pater, vel Spiritus S. incarnatus fuiſſet, dicendus eſſet Filius Dei naturalis in ipſis enim non eſſet filiatio æterna, quia nec Pater, nec Spiritus

tus S. procedit, vt Filius æternaliter ab alia persona Diuina, & per consequens in ipsis non est id, per quod possent denominari Filius naturalis, etiam quoad naturam assumptam. An verò dicendi essēt Filij adoptiui, *vid. in 3. sent.*

ART. II.

An Spiritus sanctus procedat à Patre, & à Filio?

1 Sva. *lib. 10. de Trin. c. 1*; *Vasq. 1. p. disp. 146. c. 6*; & *Io. à S. Tho. q. 33. dist. 15. art. 3.* volunt controuersiam de processione Spiritus S. à Filio originem duxisse ex quibusdam scriptis *Nestorij*, eiusq. *sequacium* damnatis *in I. Syn. Ephesin*; in qua *Theodoretus Græcus in contradict. 9. Anathematismi* asseruit Spiritum S. non procedere à Filio; cui acriter se opposuit *D. Cyrill. Alex.* pariter *Græcus* defendens mordicus idē *Anathematismū*; qui deinde scripsit decē capitula super eandem rem, quam prosecutus est *lib. 1. & 2. ad Reges*; & *lib. de Fide ad Theodosium*. Quæ omnia inserta sunt in eodem *Conc*; quod tamen nihil definiuit de hac re, quia coactum fuerat solùm propter *Hæresim Nestorianam*; & ideo hanc controuersiam, quæ interciderat, indefinitam reliquit. Dissoluto *Cōc. Theodoretus* scripsit *cont. D. Cyril*; cuius tamen scripta damnata fuisse tanquam impia *à V. Syn. Gen. collat. 1.* refert *Io. à S. Tho. vbi sup. n. 1*; *Theodoretum* tamen resipuisse ab hoc errore testatur *Baron. anno 436. n. 1*; quod negat *Gibb.*

2 Addit *Sua. n. 8*; & *9*; quòd licèt hæc veritas fuerit sufficienter definita *in Conc. I. Constātinop*; & *in sex Synodis Gen. seq.* celebratis apud *Græcos*, & præsertim *in Alex*; *Ephesin*; & *Calced*; attamē quia in illis nō agebatur ex professò de hac re; videtur hæc veritas primò fuisse definita *in II. Syn. Nic*; quæ est *VII*; vnde illi, qui fuerūt ante eandem, non videntur posse haberi, tanquam *Hæretici*.

3 Quantùm autem ad illam particulam: *Qui ex Patre, Filioque procedit*; quæ addita fuit *Symbolo Nyceno*, variant *Auctores*; & *Suar. vbi sup.* asserit non constare de tempore, quo primùm facta est talis additio.

4 *Noster Magister Christianus Lupus*, qui in re Ecclesiastica, nec sapientiorem, nec parem habuit, consultus dum viueret super hoc respondit *Theodorum Mopsuestiæ in secunda Cilicia Episcopū Theodoreti Magistrum* fuisse primum Auctorem erroris *Græcorum*, à quo *Theodoretus* eundem hausit. Ante *Theodorum* omnes *PP. Græci* confessi sunt processionē Spiritus S. à Filio. Item falsum esse, quod *in V*; aut *VII. Syn.* fuerit disputatum *de hoc articulo*; primus autem, qui hunc errorem solemniter damnauit, fuit *S. Nicolaus Pontifex*, dū Photius *Græci Schismatis* Auctor istum articulum inter errores *Ecclesiæ Latinæ* cepit numerare.

Quātùm verò ad additamētum: *Qui ex Patre, Filioque procedit*: ait fuisse inchoatum *ab Hispanis in III. Syn. Tolet*; & confirmauit *Tolet. VIII. Reges Gothorū in Hispania* hūc articulum inseruerunt suarum legum Codici. Idem additamentum posteà admissum fuit *à Francis* sub *Imperio Caroli Magni*; verùm *Romana Ecclesia* potentissimè se opposuit. Tandem primus *Romanorum Pontificum*, qui illum admisit, fuit *Papa Christophorus*, & sic pedetētim admissum fuit à tota *Ecclesia Latina*.

5 Post hæc fuit *D. Dam*; qui docuit Spiritum S. non esse ex Filio, sed per Filium; ex quo sumpserunt *Græci* posteriores occasionem negandi Spiritum S. procedere à Filio, & propter hoc aliqui *Auctores* impingunt *D. Dam.* errorem *Græcorum*.

6 Vindicatur tamen *à Fund. Doct. hìc* docēte, quòd quia *in Græco* idiomate illa particula *ex* designat primariū, & fōtale principiū, siue principiū sine principio, ideo *D. Dam.* negauit Spiritū S. esse *ex Filio*; quia Filius nō habet virtutem spiratiuam primordialiter, idèst à se ipso, cùm illā habeat sibi à Patre communicatam; asseruit autē Spiritum S. esse per Filiū, quo docet Spiritum S. procedere à Filio; quanuis Filius habeat virtutem sibi communicatam à Patre: ex eo enim, quòd Spiritus S. sit per Filium, non sequitur, quòd non procedat à Filio; illa enim particula *per* designat veram rationem principij; dicitur nanque *Io. 1.* de Verbo: *Omnia per ipsum facta sunt*; ex quo colligitur Verbum esse principium creaturarum, quanuis habeat virtutem creatiuam sibi communicatam à Patre; ergo à pari. Vnde concludit *Fundatiss. Doct. cum Mag. sent. dist. 11. Græci in sensu nobiscum sentiunt, licèt verbis differant*. Ex quo apparet motiuum *Recētium Græcorum* desumptum *ex D. Dam.* esse omnino irrationale. Et multò magis, quia circa idem ferè tempus floruerunt multi *PP. Græci*, qui apertè docuerunt processionem Spiritus S. à Filio, *vt Anastasius Sinaita*, *Sophronius*, & *Tharasius*.

7 Nihilominùs *Theophilactus* hūc errorem acriter propugnauit, & post ipsū plures alij *Græci*; propter quòd indictū fuit anno 1097. sub *Vrbano II. Conc. Barense in Apulia*, in quo *D. Ansel. Græcos* conuicit, & *de hac re* scripsit librum, vt testatur *Sigebert. Gemblac. in Catalog. Scriptor. Ecclesiast. c. 169*; sed iste liber perijt, aut latet.

8 Ceterùm quia *Græci* adhuc non quieuere, ideo *in Conc. Lat. sub Innoc. III*; *et in Lugd. sub Greg. X*; & tandem *in Flor.* definitum fuit esse dogma Fidei.

9 Modò dissidium est inter *Catholicos*: quænam sit ratio potissima principaliter probans Spiritum S. procedere à Filio.

10 *Recentes Thomistæ*: inter quos *Ioa. à S. Tho. vbi sup*; *Gonet*; & *alij* tres assignant rationes: primam quidem aiunt esse efficacissimam, & potissimam; duas autem postremas asserunt esse tantùm congruentes.

11 Prima autem ratio est. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab eo; nam distinctio in Diuinis personis oritur ex relatione potentiæ, quæ consurgit ex processione vnius ab alio; & ideo ex oppositione producti ad producens; sed si Spiritus S. non procederet à Filio, non haberet relationem oppositionis ad illum; ergo Spiritus S. procedit à Filio.

12 Secunda ratio est. Filius formaliter procedit, vt Verbum; & Spiritus S; vt amor; sed amor necessariò procedit à Verbo, quia non amamus, nisi id, quod cognoscimus; ergo Spiritus S. procedit à Filio.

Tertia ratio est. Ab eodem principio non possunt procedere plura distincta sine aliquo ordine productionis inter se, nisi illa plura materialiter, & numericè distinguantur; in tantùm enim Pater in humanis potest producere plures Filios; in quantùm illi materialiter numericè distinguuntur; sed Filius, & Spiritus S. non possũt distingui materialiter, cùm careant omni materia; ergo inter ipsos debet dari aliquis ordo productionis; & ideo Spiritus S. procedit à Filio.

13 *Fund. Doct. in 1. dist. 11. q. 1. §. Respondeo* docet has rationes non esse potissimas; & ideo per ipsas non conuinci efficaciter errorẽ *Græcorum*. Et quidem de duabus postremis fatentur *Thomistæ*; secunda enim soluitur dist. mi. Amor necessariò procedit à Verbo, tanquam à principio *quod* productiuo, neg; vt patet in nobis; tanquam à principio *quo*, vel ab obiecto, ad quod resultat, conc; secundùm autem principium *quo*, & obiectum non desumitur distinctio realis; vt dictum est *in sup. q. art. 1; & seq*; tertia autem soluitur dist. ma. Ab eodem principio *quo* proximo nequeunt procedere plura realiter distincta, nisi distinguantur numericè, conc; sic in Diuinis nequeunt esse plures Filij, quia essent termini inadæquati procedentes per idem principium, quod est intellectus. Ab eodem principio *quod* remoto mediante diuerso principio *quo*, neg; non enim requiritur tanta distinctio in principio, quanta in principiatis; nam videmus, quòd sapientia, & pulcritudo in Deo non distinguuntur realiter, & tamen distinguuntur in creaturis.

14 Quantùm autem ad 1. rationem, quòd non sit potissima ad conuincendos *Græcos* sic prob. 1. Id non est efficax ad conuincendum aliquem errorem in Fide, quod est controuersum apud *Catholicos*; sed illa ratio est controuersa apud *Catholicos*: aliqui enim illã negãt, vt *Scotistæ*: ergo illa ratio non est efficax ad conuincendum errorem *Græcorum*. Prob. ma. Illa ratio non est efficax ad conuincendum *Hæreticum*, quam potest *Hæreticus* negare simul cum *Catholicis*, absque præiudicio Fidei, & sensus *Catholici*; sed illud, quod est controuersum apud *Catholicos*, potest negari absque præiudicio Fidei in sensu Catholico, cùm de facto illud negent *Catholici*; ergo id, quod est cõtrouersum apud *Catholicos*, non est efficax ad conuincẽdum errorem in Fide. 2. *cum B. Doct. Ecclesia* non obijciebat *Græcis*, quòd crederent solùm dualitatem personarum, quam fatebantur, etiam si negarent processionem Spiritus S. à Filio; ergo illa ratio non est sufficiens ad conuincendos *Græcos*. 3. *cum eodem*. Illa ratio non est efficax, quæ potest solui; sed prima ratio potest solui dicendo, quòd *cùm non requiratur tanta distinctio in principijs, quanta in principiatis*, vt dictum est; ideo sufficit distinctio virtualis principiorum, & distinctio relationum disparatarum in terminis, vt aiunt *Scotistæ*, ergo illa ratio non est efficax. 4. Ratio ducta ab inconuenienti est minùs efficax, quàm ratio à priori, & quam ratio ducens ad impossibile; quia adducere inconueniens non est soluere; sed prima ratio est ab inconuenienti, vt fatetur *Io. à S. Tho*; & rationes *inf.* afferendæ *ex B. Doct.* sunt à priori, & ducens ad impossibile, vt patebit; ergo illa est minùs principalis.

15 Inst. 1. hæc ratio insinuata est *in Conc. II. Tolet. sub Vuamba anno 665. in Confess. Fidei* verbis *Beatiss. P. 7. de Trin. à c. 1. ad 6. Hoc solùm numerum insinuat, quòd ad inuicem sunt, & in hoc caret, quòd ad se sunt. 2. Marcus Epist. Ephes.* præcipuus *Græcorum* disputator tali rationi nõ contradixit. 3. *Conc. Flor.* potissimè hac ratione vsum est, vt patet ex disputatione *Io. Theologi sess.* 18; sed nequit dici, quòd *Conc.* vtantur rationibus inefficacibus; ergo hæc ratio est efficax.

Resp. ad 1; quòd *Græci* possunt soluere dictum *Conc. Tolet*; vt soluunt *Scotistæ*, quòd esse ad inuicem stat dupliciter, idẽst oppositiuè, vel disparatè, & ideo per hoc non conuincuntur; quia quamuis Spiritus S, & Filius non sint ad inuicem oppositione productiua; sunt tamen ad inuicem relatione disparata. Ad 2. dicitur, quòd licèt *Græci* non contradixerint, poterant tamen contradicere, & ideo non fuerunt conuicti hac ratione, sed alijs *inf.* inferendis. Ad 3. neg. ma; nam *sess. vlt.* habentur duæ aliæ rationes potissimæ, quæ, vtpotè concludentes *Conc*, & vltimantes disputationem cum *Græcis*, censendæ sunt principalissimæ, quia post adductionem illarum *Græci* nihil ampliùs dixerunt, sed subscripserunt *Conc*; hæ autem rationes afferuntur *à Fundatiss. Doct*; *vt inf.* Ad mi. dicitur, quòd *Conc.* vtuntur pluribus rationibus, quæ coniunctæ cum efficacibus efficaciam aquirunt, vt in casu. Igitur.

16 Vnica concl. Spiritus S. procedit nedum à Patre, sed etiam à Filio, & rationes allatæ à *Fund. Doct.* sunt conuincentes.

Prob. 1. pars concl. *ex illis Scripturis*, in quibus Spiritus S. dicitur spiritus Patris, & Filij, vt *ad Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra*; & *Matt. 10. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*: super quæ *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 26.* ait: *De vtroque autem procedere sic docetur*:

Ex

Ex quibus sic arguitur. In tantùm Filius dicitur Filius Patris, in quantùm procedit à Patre, quia filiatio est relatio sequens ad processionem; hinc etiam in humanis *Abel* dicitur *Adæ*, non *Moysis*, quia procedit *ab Adam*, non *à Moyse*; sed Spiritus S. *in Scripturis* dicitur spiritus Patris, & Filij: ergo procedit à Patre, & Filio.

17 Et *Io.20.* ait Christus Dominus *Accipite Spiritum S*; sup. quod *Beatiss.P.ibid, & Fundatiss. Doct.hic* ait, quòd hoc dixit, *vt eum etiam de se procedere ostenderet*. Ex quo sic. Accipere est correlatiuum ad dare; sed dare Spiritum S. in Diuinis idem est, ac producere Spiritum Sanctum; ergo Filius producit Spiritum S; & propterea *Luc.6.* dicitur de Christo Domino: *Virtus*, idèst Spiritus S; *de illo, idèst de Filio, exibat, & sanabat omnes*.

18 Et *Io.19.* ait Filius de Spiritu S. *Quem ego mittam vobis à Patre*; *& c.14. Quem Pater mittet in nomine meo*; sup. quòd *Beatiss.P.ibid.* sic arguit. Illa persona potest solùm temporaliter mitti ab alia, quæ æternaliter procedit ab illa; quia missio temporalis est signū emissionis æternæ, quæ est processio, vt *inf.* videbimus; sed Spiritus Sanctus temporaliter mittitur à Patre, & Filio; ergo æternaliter procedit à Patre, & Filio.

19 Et *Io.16. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*; & paulò post: *Omnia quæcunq. habet Pater, mea sunt, propterea dixi vobis; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Sup. quod *Beatiss.P. Tract.99. in Io. Ab illo, à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo est scientia*. Et *Fundatiss.Doct. hic* arguit. 1. sic. Accipere à Filio id, quod est Filij, est procedere ab illo, quia nequit accipere nisi essentiam, & substantiam Filij; cùm in illo non sit aliquod accidens; nec filiationē potest accipere, quia relatio est incommunicabilis; sed Spiritus S. accipit aliquod à Filio, ergo procedit ab illo. Præterea Spiritus Sanctus procedit ab illo, qui habet virtutem spiratiuam cum proposito respectu; etenim ob hanc rationem procedit à Patre; sed Filius habet virtutem spiratiuam cum proposito respectu sibi communicatam à Patre; quia Pater communicat Filio omnia, quæ habet excepta paternitate, quæ, quia opponitur filiationi, est incommunicabilis; ergo Spiritus S. procedit à Filio.

20 Idem docent omnes *PP.Græci*, qui fuerunt ante *Schisma*; *vt Didymus lib.2. de Spiritu S*; *Cirill.Hierosol.catech.17*; *Basil.lib.3.cont. Eunom*; *Naz.orat.24*; *Chrisost.hom.1, & 2. de Symb.* *Epiphan.hær.69*; *Philo in Cant*; *Cirill. Alex*; & post Schisma *Dam.lib.1. de Fide c.9*; *& seq*; *Anastasius Sinaita lib.1. de rectis Fidei dogm*; *Tharas.in Epist.relata in VII.Syn.art.3*; *Sophron.in VI.Syn. act.11*; *& alij*. Idem habetur *in Concil.III; IV; V; VI*; in quibus fuit cōfirmata *Epist.Cirilli Alex*; & quæ fuerunt celebrata *apud Græcos*, vnde nedum *ex PP. Latinis*, sed etiam ex suis conuincuntur *Græci*;

21 Prob.2. pars concl. *ex Fundatiss.Doct*; & 1. à priori ratione desumpta *ex Beatiss.P.15. de Trin. c.14.* docente: *Pater genuit Verbum sibi æquale per omnia, non enim se integrè, perfectèque dixisset, si aliquid minùs, aut ampliùs esset in eius Verbo, quā in ipso*; qua ratione vtitur *Conc.Flor. sess.vlt.* vbi ait: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito suo dedit præter esse Patrem, hoc ipsum, quòd Spiritus S. procedit à Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo essentialiter est genitus.* Et *inf. Credentes Spiritum Sanctum nequaquam ex Filio procedere necesse est, vt Spiritum Sanctum intelligant à solo Patre procedere, & ideo non esse Filium*; quia Filius essentialiter habet omnia, quæ habet Pater præter paternitatem; & ideo habet etiam virtutem spiratiuam; aliter non haberet omnia. Ex quo sic arguit *Fūdatiss.Doct.* Pater generans Filium ei communicat omnia excepta relatione paternitatis, quæ opponitur Filio, & ideo nequit communicari, sed virtus spiratiua formaliter accepta est in Patre, & non opponitur relatiuè Filio; ergo Pater cōmunicat Filio virtutem spiratiuam formaliter sumptā, sed Spiritus S. procedit ab habēte virtutem spiratiuam formaliter; est enim terminus essentialiter procedens à virtute spiratiua; ergo procedit à Filio. Ma. patet, nam si Pater non cōmunicaret Filio omnia, quæ habet, Filius non esset æqualis Patri; quia aliquid minùs esset in Filio, quàm in Patre excepta etiam paternitate, quod est *Arianum* damnatum etiam à *Græcis*. Prob. mi. quoad 2.p. Filio, vt Filius est, non opponitur, nisi paternitas; sed virtus spiratiua formaliter virtualiter non est paternitas; est enim voluntas, quæ communicatur Filio, quia per ipsam Filius amat Patrem, & Spiritum S, ergo virtus spiratiua non opponitur relatiuè Filio.

22 Conf.1. *ex eodem*. In tantùm Pater communicat Filio, & Spiritui S. virtutem creatiuam omnium creaturarum, per quam omnes tres personæ sunt vnum principium productiuum ad extra, inquantùm virtus creatiua formaliter sūpta, prout dicit modum relatiuum actiuè ad creaturas, non opponitur Filio, aut Spiritui S; & intantùm nō opponitur, in quantùm Filius, & Spiritus S. non procedunt formaliter per virtutem creatiuam formaliter sumptam; sed Filius non procedit per virtutē spiratiuam formaliter sūptam; ergo non opponitur, sed ei communicatur, virtus spiratiua.

23 Conf.2. Spiritus S. essentialiter est amor Patris, & Filij; quia amor Patris est communis Filio; non enim est actus notionalis, per quem procedit Filius; sed Spiritus Sanctus procedit à Patre, quia est amor Patris, ergo & à Filio, quia est amor Filij.

24 Prob.2. alia ratione *Fundatiss.Doct.* ducente ad impossibile, quæ est etiam *D. Anselm. lib.de Profess. Spiritus S.q.3*; qui liber censetur continere acta *Conc Bar*, vbi ait: *Vel Filius est de Spi-*

Spiritu S; vel Spiritus S. de Filio, non ſaluaretur inter eos diſtinctio. Arguitur autem ſic. Si Filius non ſpiraret Spiritum S; Spiritus S. generaret Filium;ſed hoc eſt contra Fidem, aliter Spiritus S. eſſet Pater Filij, & Verbum eſſet Filius Spiritus S;& ſic eſſet Filius duorum, quam abſurditatem vrget *Beatiſſ.P.15.de Trin.c.27;* ergo Spiritus S.procedit à Filio.Prob.ſeq.Quòd Spiritus S.non generet Filium,non poteſt prouenire,niſi ex eo,quòd habeat reſpectũ oppoſitum ad actionẽ notionalem, per quam gignitur Filius;nã ex eo, quòd habeat eſſentiam Diuinam, quod eſt principium *quo* generationis Filij, ſi non haberet reſpectum oppoſitum ad actionem notionalem,per quam gignitur Filius, eſſet vnum principium ſimul cum Patre generatiuum Filij, vt diximus de virtute creatiua;ſed ſi Spiritus S.nõ procederet à Filio, non haberet reſpectum oppoſitum ad actionem notionalem generatiuam Filij;quia in tantùm Spiritus S. opponitur generationi actiuæ, quæ eſt in Patre, in quantùm per ipſam generationẽ actiuam gignitur Filius, & à Filio ſpiratur Spiritus S; ergo ſi Spiritus S. non procederet à Filio,gigneret vnà cum Patre ipſum Filium.

25 Conf. *ex eod.* Ideo Spiritus S. non dicitur generari,quia in Spiritu S.non eſt intelligere paſſiuè ſumptum, quod eſt generatio paſſiua, quod correſpondet intellectioni actiuæ, quæ eſt generatio actiua;nam in Spiritu S.eſt velle paſſiuum, cùm formaliter procedat per voluntatem, quod eſt ſpirare paſſiuum oppoſitum ſpirationi actiuę; ſed ſi Sipritus S. non procederet à Filio, nõ opponeretur generationi actiuę mediãte generatione paſſiua, quia non opponeretur intellectioni paſſiuę oppoſitę generationi actiuæ,non enim procederet ab intellectione paſſiua; ergo Spiritus S.generaret Filium,quia perſona non habens terminum oppoſitum generationi actiuæ habet terminum propoſitum, & ideo actiuè generat.

26 Obijc.1.*Græci*. In allato textu ponitur *accipiet* in futuro: ergo nequit intelligi de proceſſione Spiritus Sancti, quæ eſt æterna, non futura.2.*Io.5.* dicitur de Spiritu S. *Qui à Patre procedit;*non autem additur *Filioque;* ergo non eſt licitum illud addere. Tum quia *in Sym.Nic.* non reperitur illa particula:*Filioque,& in Conc. Epheſ.*cautum eſt,nequid addatur illi *Symbolo.*3. *D.Dam.* docet Spiritum S. nõ procedere ex Filio,& *D.Naz.Orat.24.*ait:*Omnia,quæ habet Pater, habet & Filius præter cauſalitatem;* & *D. Max.Epiſt.ad Marin.*ait: *Filium nõ eſſe cauſam,* idèſt principium Spiritus S.4.Si Spiritus S.procederet à Filio,Pater,& Filius eſsẽt duo principia Spiritus Sancti, quod eſt falſum, vt *inf.*5. Spiritus S.eſt vna ſimplex perſona producta:ergo requirit tantùm vnum producens;vnus enim terminus nequit eſſe à pluribus producentibus totalibus,& adæquatis;nequit autem dici,quòd Pater,& Filius ſint plura producẽtia partialia. 6.Pater habet totam vim ſufficientem ad ſpirandum Spiritum Sanctum; non enim illam aquirit à Filio;ergo Filius ſuperfluit.7.Sequeretur,quòd Filius eſſet ſimilior Patri,quàm Spiritus Sanctus, quia Pater,& Filius aſſimilarentur in productione actiua Spiritus Sancti; hoc autẽ nequit dici, quia perſonæ ſunt æquales in ſimilitudine.

Reſp.ad 1.*Beatiſſ.P. tract.in Io.ſuper text. allatum: In eo, quod ſempiternum eſt,cuiuſlibet temporis verbum ponatur, ſiue præteriti, ſiue præſentis, ſiue futuri, non mendaciter ponitur; omnes enim propoſitiones de rebus æternis veræ ſunt,pro quocunque tempore exprimantur. Vid.Fundatiſſ. Doct.diſt.9.princ.2.q.3.* Ad 2.*reſp.Fundat.Doct. hìc ad 4.ex Beatiſſ.P.15.de Trin.c.vlt;& 20.de Trin. apud Mag;* quòd ea ratione, qua Chriſtus Dominus aſſerens doctrinam ſuam non eſſe ſuam, ſed Patris,propter hoc nõ negauit doctrinam ſuam eſſe ſuam, ſed tantùm ſignificauit doctrinam ſuam non eſſe à ſe ipſo, ſed à Patre receptam,vt à fonte primordiali; ita dicens Spiritum S.procedere à Patre, non negat procedere etiam à ſe; ſed tantùm indicat procedere à Patre,vt à principio ſine principio; à Filio autẽ, vt à principio de principio. Ad *Conc.Nic.* dicit *Vgo Aetherian.lib.3.cont. Græcos c.16; quòd Græci in Conc. Conſtantinop. I.* addiderunt *Symb: Ex Patre procedentẽ;*ergo potuit etiam addi: *Filioq. Conc.* autem *Nic.* non appoſuit has particulas, quia tunc temporis tenebatur communiter proceſſio Spiritus S.à Patre,& Filio. Tandem *Conc. Epheſ.*vetuit addi aliquid de nouo non contentum virtualiter in *Symb;* non autem prohibuit addi aliquod magis explicatiuum illius, quod continetur *in Symb.* præſertim exorta noua hæreſi. Ad 3. dicitur *D.Dam.* velle ſolùm Spiritum S.non procedere ex Filio,tanquam de principio ſine principio;vt dictum eſt. Idem dicitur *ad D.Naz;* qui *Orat.* 5. manifeſtè fatetur Spiritum Sanctum procedere ab vtroque, & ſic *ad D.Max.* Ad 4.neg.ma;vt *inf;* Pater enim, & Filius ſpirant per vnam, & eandem virtutem, & ideo ſunt vnum principium.Ad 5.diſt.conſ.Terminus productus requirit tantùm vnum principium producens,conc; vnam tantùm perſonam, nõ plures per modum vnius,neg;licèt enim vnus terminus nequeat eſſe à pluribus producentibus adæquatis eiuſdem ordinis per modũ plurium;poteſt tamen eſſe à pluribus per modum vnius.Ad 6.diſt.ant.Pater habet totam virtutem ſufficientem ſpiratiuam, vt *quo*, conc; vt *quod,* neg;cùm enim Spiritus S. eſſentialiter ſit nexus Patris,& Filij,vt *inf;*ideo eius proceſſio coexigit vtrunque. Ad 7.diſt.ſeq.Filius eſſet ſimilior Patri in relatiuis,conc; in abſolutis,neg; æqualitas autem ſimilitudinis attenditur ſolùm penes eſſentialia,non penes relatiua; patet enim, quòd paternitas eſt diſſimilis filiationi.

27 Obijc.2.*Henric.*cont.1.rat. Omne,quod ha-

habet Filius, vt genitus, habet cum respectu opposito ad Patrem; sed habet virtutem spiratiuā à Patre, vt genitus; ergo prout habens virtutem spiratiuam habet respectum oppositum ad Patrem, & per consequens non habet respectum propositum ad spirare; & ideo Filius nequit spirare Spiritum Sanctum. Ratio igitur allata non probat.

Resp.dist.ma. Omne, quod habet Filius, vt genitus formaliter, cōc; secūdū actionē materialem, & identicam, neg; quia ergo Filius gignitur à Patre per intelligere, non per spirare; & formaliter Verbo non communicatur ex vi suæ processionis virtus spiratiua, sed tantùm materialiter, & identicè, quatenus virtus spiratiua identificatur cum intelligere, quod Filio communicatur formaliter ex vi suæ processionis; ideo Filius non opponitur Patri secundùm virtutem spiratiuam, sed secundùm intelligere notionale; aliter Filius habens Diuinam naturam, vt genitus, distingueretur secundùm naturam, quia opponeretur Patri secundùm naturā, quod est hæreticū.

28 Obijc.3. *Aureol.* Si Pater communicaret Spiritui S. omne id, in quo sibi non opponitur, sequeretur, quòd illi communicaret actum generationis, & paternitatem; Pater enim non opponitur Spiritui S. in esse Patris, sed tantùm in esse spirationis; & Filius communicaret Spiritui S. filiationem, & generationem passiuam; quia Filius non opponitur Spiritui S. in esse Filij, & geniti passiuè; sed hæc sunt absurda; ergo & id, vnde sequuntur.

Resp.neg.seq.ma. Ad cuius prob. infert. dist. assumpt. Pater non opponitur Spiritui S. immediatè, & directè per paternitatem, conc; mediatè, & ex consequenti, neg; ita Filius in esse Filij opponitur Spiritui S; vt *sup.* dictum est.

29 Inst.1. Si Spiritus S. aliquo modo opponeretur filiationi, & paternitati, sequeretur, quòd in Spiritu S. essent tres relationes oppositæ; vna, per quam opponitur spirationi actiuæ; alia per quam opponeretur paternitati; relatio autem opposita paternitati non est, nisi filiatio; & sic filiatio esset in Spiritu S; & altera, per quam opponeretur filiationi; relatio autem opposita filiationi non est, nisi paternitas; ergo paternitas esset in Spiritu S; sed hoc est falsū; nā relationes reales in Diuinis non sunt, nisi tres; ergo nullo modo Spiritus Sanctus opponitur paternitati, & filiationi.

Resp.neg. seq; sicuti enim Pater in creatis per vnicam relationē paternitatis respicit plures filiationes realiter distinctas existentes in pluribus suis filijs, illisque opponitur; ita Spiritus S. per vnicam relationem spirationis passiuæ respicit plures relationes in Patre, & Filio existentes, illisque opponitur; & sicuti Filius in creatis per vnicam relationem filiationis directè, & immediatè respicit Patrem, & indirectè, seu mediatè Auum, qui est correlatiuum sui Patris; ita Spiritus S. per vnicam relationem spirationis passiuæ respicit Filium directè, & immediatè, & indirectè Patrem, qui est principium correlatiuum Filij. Ad id autem, quòd additur, scilicet, quòd relatio opposita paternitati est filiatio, & relatio opposita filiationi est paternitas; dicitur, quòd verum est de relatione directè, & immediatè opposita; filiatio enim immediatè, & directè opponitur paternitati, & paternitas filiationi, vt patet; falsum verò de relatione indirecta, & mediatè opposita; sicut est spiratio passiua, quæ tantùm indirectè, & mediatè opponitur.

30 Inst.2. Si spiratio passiua esset indirectè opposita filiationi, maximè, quia filiatio in Filio coniungitur spirationi actiuæ, cui directè opponitur spiratio passiua; sed hoc dici non potest; ergo nullo modo opponitur. Prob. mi. Quamuis spiratio actiua in Patre coniungatur cum paternitate; attamen filiatio in Filio, quæ directè opponitur paternitati, non opponitur indirectè spirationi actiuæ; aliter essent duæ spirationes actiuæ realiter distinctæ; vna in Patre, & altera in Filio; & sic spiratio actiua non esset notio communis; ergo licèt spiratio actiua in Filio coniungatur filiationi, & in Patre paternitati; attamen spiratio passiua, quæ est in Spiritu S; directè opponitur spirationi actiuæ existenti in Patre, & Filio, & non opponitur indirectè paternitati, & filiationi.

Resp.dist.ma. *ex Fundat. Doct. in hac dist. 11. princ. 1. q. 1. in fine corp.* Quia filiatio in Filio coniungitur cum spiratione actiua, & filiatio est aliquo modo ratio emanationis Spiritus S; conc; quatenus tantùm, & præcisè coniungitur cum spiratione actiua, neg; ex eo enim, quòd Pater producēs Filium illi communicat virtutē spiratiuā, per quā Filius spirat Spiritum S; sequitur, quòd spiratio passiua indirectè opponatur paternitati, cui directè opponitur Filius. Ad prob. mi. eodem modo dist. assumpt. Spiratio actiua in Patre coniungitur cum filiatione ita, quòd spiratio actiua sit ratio emanationis Patris ab aliqua alia persona, neg; aliter Pater non esset à se; coniungitur per modum notionis communis etiam Filio, conc.

31 Inst. 3. Essentia Diuina in Patre est ratio emanationis Filij, quia est principium processionis Filij; & tamen spiratio passiua Spiritus S. non distinguitur realiter ab essentia Diuina, nec illi opponitur, nec etiam indirectè, quia relationes comparatę ad essentiam transeunt in identitatem ipsius; ergo licèt paternitas sit ratio emanationis Filij, à quo procedit Spiritus S; attamen spiratio passiua non distinguitur realiter à paternitate, nec illi opponitur etiam indirectè.

Resp.dist. ant. Essentia est ratio emanationis Filij, vt *quo*, de cuius ratione non est opponi, & distingui, sed communicari, & ideo identificari, vt diximus *in sup. q. art.* 1; conc; vt *quod*, de cuius

cuius ratione eſt diſtingui, & non communicari, neq; de ratione autem emanationis relatiuæ eſt eſſe, vt *quod*, & ideo opponi, & diſtingui.

ART. III.

An ſi Spiritus S. non procederet à Filio, diſtingueretur ab eo?

Oſtenſum fuit *in ſup. art.* rationem ductam à non diſtinctione Spiritus S. à Filio non eſſe adeò efficacem ad conuincendos *Græcos* negantes proceſſionem Spiritus S. à Filio; modò videndum eſt, an ſit efficax *cont. Scotiſtas* aſſerentes proceſſionem vnius ab alio non eſſe rationem adæquatam diſtinctionis Diuinarum perſonarum; patet autem, quòd eadem ratio reſpectu diuerſorum motiuorum, & *Aduerſariorum* poteſt eſſe efficax, & inefficax, vt ratio ducta ex auctoritate *noui Teſtam.* eſt efficax ad conuincendum *Hæreticum*; non autem ad conuincendum *Iudæum*, vel *Paganum*; quia tamen *Aliqui* citò ſe expediunt negando illam hypotheſim conditionalem, tanquam implicantem in terminis; ideo priùs videndum eſt, quid de hac ſit nobis dicendum.

§. I.

An ſuppoſitio prædicta ſit admittenda?

1 Pvtant *Aliqui* hanc conditionalem hypotheticam, ſi Spiritus S. non procederet à Filio, nō poſse admitti, quia formaliter, & ab intrinſeco deſtruit terminos ipſius hypotheticæ; deſtruit enim Filium, & Spiritū S; vnde dato, quòd non ſit Filius, & Spiritus S; ad quid quæreretur, an Spiritus S. diſtinguatur à Filio? Sicuti ſi quis ſupponeret hominem non eſse animal rationale; nonne eſſet fruſtraneum quærere, an homo diſtinguatur ab equo? Ita *Gotifred. Quodlib. 7. q. 4.* docēs, quòd ex his hypotheticis implicantibus, ſequitur vtraque pars contradictionis; vnde poſito, quòd Spiritus S. non procederet à Filio, ſequeretur, quòd diſtingueretur, quia ſupponitur habere aliud eſse à Filio; & non diſtingueretur, quia non eſset; ſicuti enim diſtinctio ſequitur ad eſse; ita non diſtinctio ad non eſse. Ita etiam *ex noſtris Greg. in 1. diſt. 11. q. 1. art. 2*; ſed propter aliam rationem; ſequuntur *Gabr, Aureol, Marſ. & Val.*

2 Ceteri tamen *Theologi* communiter admittunt illam ſuppoſitionem, quanuis ob diuerſa motiua; nam *Thomiſtæ* illam admittunt, tanquam fontem, à quo elicitur ratio efficax ad confundendos *Græcos*. At verò *Fund. Doct.* illam admittit, tanquam vtilem ad inueſtigandam rationem formalem diſtinctionis Filij à Spiritu S. Ita *diſt. 11. q. 2*; & 3.

3 Not; quòd ſuppoſitio impoſſibilis duplex eſt; alia, quę deſtruit terminos propoſitionis formaliter, cùm ſupponit non eſſe conſtitutiuū formale illorum; vt cùm ſupponitur *hominem non eſſe rationalem*; ſi quis quæreret, an ſit diſcurſiuus? Tunc ſuppoſitio deſtruit formaliter hominem, quia tollit ab illo rationalitatem, quæ eſt conſtitutiuum formale hominis; & hæc ſuppoſitio non eſt admittenda, quia eſt de ſubiecto non ſupponente. Alia eſt ſuppoſitio impoſſibilis, quæ deſtruit ſolùm aliquod materialiter, aut identicè coniunctum cum terminis ipſius propoſitionis, vt ſi quis ſupponeret *hominem non eſſe animal*; *eſſe tamen rationalem*, & quæreret, an haberet principium diſcurrendi? Hæc ſuppoſitio eſt admittenda; ſaluat enim rationem formalem terminorum, & maximè inſeruit adinuenandas rationes formales, à quibus formaliter oriuntur effectus, ſeu quaſi effectus formales; vt ad inueniendam radicem, à qua formaliter oritur actus diſcurrendi præſcinditur rationalitas ab omni alio prædicato ſubſtantiali. Igitur, vt videamus, an allata ſuppoſitio ſit admittenda, videndum eſt, quodnam ſit conſtitutiuū formale Filij, & Spiritus S; & qnod conueniat illis tantùm identicè, & materialiter?

4 Certum eſt, quòd conſtitutiuum formale perſonę Filij eſt intelligere paſſiuè acceptum; ſicut conſtitutiuum formale perſonæ Patris eſt intelligere actiuè ſumptum, prout productiuum Filij; Pater enim conſtituitur in eſſe Patris formaliter per actualem productionē Filij; & cùm Pater producat per intelligere, ideo conſtituitur in eſſe Patris per intelligere actiuum productiuum Filij. Sicut ergo Pater conſtituitur per intelligere actiuum productiuum; ita Filius conſtituitur per intelligere paſſiuè ſumptum; cetera autem ſe habent tantùm materialiter identicè ad perſonam Filij, & per conſequens ſpiratio actiua tantùm identicè, & completiuè ſe habet ad Filium. Spiritus S. verò conſtituitur formaliter per ſpirationem paſſiuè ſumptam; ſicut ſpirator conſtituitur per ſpirationem actiuè ſumptam, quia correlatiua dicuntur oppoſito modo propter eandem rationem allatam de Filio. Spiritus S. autem formaliter reduplicatiuè, vt Spiritus S. eſt, dicit eſſe ſpiratū ab vno principio, & ab vna virtute ſpiratiua; quòd autē ſpiretur à duobus ſuppoſitis, hoc ſe habet tantùm, vt *quod* remotè, & integraliter, quia ſcilicet virtus ſpiratiua eſt in duobus ſuppoſitis Diuinis. Et licèt per ſe requiratur, & eſſentialiter ad productionem Spiritus S; quòd ſit à duobus ſuppoſitis, quia per ſe procedit, vt nexus, vt *quod*, & remotè; non autem per ſe formaliter, & proximè, quia per ſe formaliter proximè eſt, quòd ſit ab vna virtute ſpiratiua formaliter, quæ eſt principium formale *quo* proximè ſpiratiuum illius. Quia tamen illa virtus ſpiratiua eſt voluntas notionalis, quæ ſequitur ad intellectum notionalem; & intellectus notionalis actiuè ſumptus conſtituit Patrem, & paſſiuè acceptus conſtituit Filium, vt dictum eſt, ideo voluntas notionalis reperitur in Patre, & Filio, & per conſequens actio ſpiratiua, quæ eſſentialiter eſt à principio *quod*; nam

nam *actiones ſunt ſuppoſitorum*; exigit eſſe per ſe à duabus perſonis Diuinis; per ſe tamen, vt *quod*, non per ſe formaliter, vt *quo*, vt *inf.* dicemus *ex Fund.Doct.in ſeq.art.*

5 Vnica concl. Prædicta ſuppoſitio præciſiua eſt admittenda.

Prob.1 *ex Beatiſſ.P.* 15. *de Trin. c.*19; vbi admittit conditionalem impoſſibilem huic conſimilem; ad probandum enim, quòd charitas ſit communis omnibus perſonis; quanuis approprietur Spiritui S; ait: *Si in illa Trinitate ſolus Spiritus S. eſt charitas, profectò & Filius non ſolius Patris, verumetiam Spiritus S. Filius inuenitur*; quoniam *ad Coloſſ.* 3. dicitur: *Qui eruit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ Filij charitatis ſuæ*; idêſt facta ſuppoſitione, quòd charitas non competeret Patri, quæ ſuppoſitio eſt impoſſibilis, vt patet, daretur Filius Spiritus S; quia datur Filius charitatis Dei. Ex quo ſic. Non minùs charitas eſt idem cum Patre, & eſt impoſſibile ab illo præſcindi, quàm ſpiratio actiua ſit idem cum Filio, & impoſſibile eſt ab illo præſcindi; ſed hoc non obſtante præſcinditur charitas à Patre ad oſtendendum ipſam eſſe communem etiam Patri; ergo & ſpiratio actiua poteſt præſcindi à Filio ad oſtendendum diſtinctionem à Spiritu S. ſumi ſolùm à proceſſione.

6 Prob.2. Quotieſcunque aliqua ſuppoſitio præciſiua non deſtruit rationem formalem, & differentiam eſſentialem terminorum, tunc eſt admittenda; ſed prædicta ſuppoſitio eſt huiuſmodi; ergo eſt admittenda. Ma. patet ex dictis; nam poſita ratione formali ipſius rei, etſi ſupponatur præciſa aliqua ratio materialis identica, adhuc ſaluatur eſſentia ipſius rei, & ſic propoſitio nequit dici de ſubiecto non ſupponente. Prob. mi. Filius conſtituitur formaliter in eſſe Filij per intelligere paſſiuè acceptum; & ratio ſpirationis actiuę ſe habet tantùm identicè, & materialiter ad conſtitutionem Filij, quia cùm Filius formaliter procedat per naturam, quæ eſt intelligere eſſentiale, non per voluntatem; ideo formaliter conſtituitur in eſſe Filij per intelligere, non per velle, aut ſpirare; ſicut homo genitus, quia formaliter procedit per rationalitatem, quæ eſt principium formale *quo* productiuum hominis, non per animalitatem, quæ ſe habet tantùm materialiter, quatenus identificatur cum rationalitate, ideo formaliter conſtituitur in eſſe hominis per rationalitatem, non per animalitatem. Idem autem dicendum eſt de Spiritu S; qui formaliter conſtituitur in eſſe Spiritus S. per ſpirationem paſſiuam, cùm formaliter procedat per voluntatem, quæ eſt vnum principium *quo* Spiritus S; quòd autem virtus ſpiratiua ſit in duobus ſuppoſitis Diuinis, hoc tantùm ſe habet realiter identicè, non formaliter, quia virtus ſpiratiua formaliter virtualiter diſtinguitur à duabus relationibus paternitatis, & filiationis, quibus conſtituuntur duo ſuppoſita Diuina; ergo adhuc præciſa ratione ſpirationis actiuę à Filio, & relatione ſpiratiã Spiritu S. ſaluaretur ratio formalis conſtitutiua Filij, & Spiritus S. præciſa à ratione reali, & identica.

7 Prob. 3. Quotieſcunque aliqua res realiter indiſtincta habet prēſtare plura munera ſpecificè, & virtualiter diuerſa; tunc poteſt conſiderari ſine falſitate, & mẽdacio illa res, vt principium vnius abſque eo, quòd concipiatur, vt principium alterius; vt patet de eſſentia hominis, quæ, quia *habet ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis*; ideo poteſt conſiderari, vt principium ſentiendi abſque eo, quòd conſideretur, vt principium intelligendi, & è contra; & à fortiori conſtat de eſſentia Diuina, & paternitate, quæ licèt in Patre ſint vna res, & entitas ſimpliciſſima realiter; attamen iſta entitas poteſt conſiderari, vt de facto communicatur tribus perſonis, & ſic importat rationem formalem eſſentiæ; & prout importat incommunicabilitatem perſonalem; & ſic explicat relationem paternitatis, non eſſentiam; & licèt intellectus Diuinus ſit idem realiter cum voluntate; attamen Filius dicitur procedere per intellectum, non per voluntatẽ; & Spiritus S. è contra; ſed relatio filiationis, & ſpirationis actiuæ in Filio diſtinguuntur, ſicut voluntas, & intellectus in Patre; filiatio enim eſt intelligere paſſiuum notionale, & ſpiratio actiua eſt velle notionale; & ratio ſpirationis paſſiuæ, & ratio nexus duorum in Spiritu S. diſtinguuntur virtualiter, quia ratio ſpirationis paſſiuæ dicitur per ordinem ad virtutem ſpiratiuam; & ratio nexus dicitur per ordinem ad duo ſuppoſita ſpirantia, quæ ſunt Pater, & Filius; virtus autem ſpiratiua diſtinguitur virtualiter à paternitate, & filiatione, quia ſpiratio pertinet ad voluntatem, paternitas verò, & filiatio ad intellectum; ergo poteſt conſiderari vnum ſine altero ſine falſitate, & mendacio, & ſine deſtructione filiationis, & ſpirationis formaliter ſumptæ; quanuis deſtrueretur filiatio, & ſpiratio paſſiua realiter identicè ſumpta; vnde Filius, & Spiritus S. non remanerent idem realiter ſecundùm omnia, quæ illi realiter competunt; remanerent tamen idem formaliter ſecundùm virtutẽ formalem, & principium *quo* proximum procedendi.

8 Prob.4. Admittẽdæ ſunt iſtæ propoſitiones: *Quænam ſit ratio formalis diſtinctiua Filij à Spiritu S*; & *Quænam ſit ratio formalis cõſtitutiua eſſentiæ Diuinæ*; & *Quænam ſit ratio formalis diſtinctiua proceſſionis Verbi à proceſſione Spiritus S*; quotieſcunq. enim in aliqua re ſunt plura prædicata realiter identificata, optimè quæri poteſt, quodnam ſit munus illorum; & quodnam illorum differentialiter ſe habeat; quod verò materialiter, & genericè; vt patet de animalitate, & rationalitate in homine, aliter deſtruerẽtur omnia quinque prædicabilia, & ſic euerteretur tota Lo-

Logica; ſed prædicta ſuppoſitio æquiualet huic ca: hegoricæ: *Quænam ſit ratio formalis diſtinctiua Filij à Spiritu S*;ergo eſt admittenda.

9 Conf. Si non poſſent fieri hæ præciſiones obiectiuæ,ſequeretur, quòd hę propoſitiones nō eſſent veræ: *Eſſentia communicatur;relatio diſtinguitur realiter ; paternitas non communicatur: Eſſentia non diſtinguitur realiter ; Filius procedit per intellectum ; Spiritus Sanctus per voluntatem*;ſed poſſet dici: *Eſſentia non communicatur,ſicut non communicatur paternitas; eſſentia diſtinguitur realiter,ſicut diſtinguitur relatio; Filius procedit per voluntatem , ſicut Spiritus S; & Spiritus S.per intellectum,ſicut procedit Filius*; ſed iſtæ sūt falſæ; ergo iſtę pręciſiones ſunt admittēdæ; & per conſequens prædicta ſuppoſitio ,quæ æquiualet cathegoricæ præciſiuæ,debet admitti.

10 Obijc.1.*Greg.art.1.cit.* Vel ſpiratio actiua,vt eſt aliquid extra animam, & realiter, præcisè conſtituit perſonam Filij , vel datur aliquid aliud in Filio realiter ab ipſo diſtinctum? Si primum; ergo ipſa circunſcripta ampliùs non eſt Filius;& ſic illa ſuppoſitio intrinſecè deſtruit terminos propoſitionis. Si ſecundum ; ergo datur compoſitio in Filio , & per conſequens Filius non eſt omnino ſimplex,quod eſt erroneum.

11 Retorq. arg. Vel ſpiratio actiua conſtituit præcisè perſonam Filij , vel datur aliquid aliud realiter diſtinctum ab ipſa? Si primum;ergo in Filio non eſt filiatio, quod eſt erroneum. Si ſecundum ; ergo Filius non eſt omnino ſimplex. In forma ergo dicitur,quòd ſpiratio actiua in Filio conſtituit identicè Filium,idèſt prout eſt idem cum filiatione,non autem formaliter ita, vt conſtituere perſonam Filij ſit munus ſpirationis.Ad 1.improb.diſt.conſ. Ipſa circunſcripta non eſt ampliùs Filius identicè,conc; non ſaluatur ratio formalis Filij,neg. Ad 2.dicitur, quòd Filius eſt ſimpliciſſimus realiter,non virtualiter; nam ſimplicitas virtualis,vt eſt ſimplicitas pūcti, eſt imperfectiſſima,vt diximus *To.1.de Simpl.*

12 Obijc.2. Filius non conſtituitur in eſſe Filij per filiationem,ergo falſum eſt,quòd ſi *Spiritus S. non procederet à Filio*; Filius adhuc eſſet formaliter Filius . Prob.ant. Conſtitutiuum debet eſſe realiter diſtinctum à conſtituto , quia conſtitutiuum eſt aliquo modo cauſa conſtituti,aliter idem conſtitueretur per ſe ipſum; ſed filiatio non diſtinguitur realiter à Filio ; aliter Filius non eſſet ſummè ſimplex; ergo Filius non conſtituitur in eſſe Filij per filiationem.

Reſp.neg.ant.Ad prob.neg.ant;nam materia, & forma ſimul conſtituunt compoſitum , & tamen materia , & forma ſimul ſumptæ non diſtinguuntur realiter à compoſito, & rationalitas conſtituit hominem , & tamen non diſtinguitur realiter ab homine.Ad id,quod additur,dicitur, quòd conſtitutiuum eſt cauſa,ſeu ratio formalis conſtituti per exhibitionem formalem ſuæ entitatis; ſicut albedo cauſat eſſe album in pariete per exhibitionem ſui ipſius, & ideo non diſtinguitur realiter à ſuo effectu; quia eius effectus nihil aliud eſt,quā ipſa, vt cūmunicata ſubiecto.

13 Obijc.3.*Greg.art.2.* Si Spiritus S. non procederet à Filio,non daretur Spiritus S; ergo hęc ſuppoſitio deſtruit formaliter terminos propoſitionis. Prob.ant.ex pluribus auctoritatibus *Scripturæ,& SS.PP*; præcipuè *Beat.P.5.de Trin.* c.2.dicentis:*Spiritus S. & Patris,& Filij Spiritus eſt . Et 5.de Trin.c.17. Spiritus S.ſecundùm ſanctas Scripturas nec Patris eſt ſolus , nec Filij ſolius,ſed amborum* . Tum quia Spiritus S. procedit,vt donum Patris,& Filij;& ſicuti ſi Filius non procederet à Patre,non daretur Filius;ita ſi Spiritus S. non procederet ab vtroque, non eſſet Spiritus Sanctus.

14 Reſp.diſt.ant. Si Spiritus S. non procederet à Filio realiter , & phyſicè , non daretur Spiritus S.realiter, & phyſicè, conc; ſi non procederet methaphyſicè præciſiuè,non daretur ratio methaphyſicè præciſiua conſtituens Filium , neg.Ad auctoritates dicitur,quòd procedunt de proceſſione reali,& phyſica, non de proceſſione metaphyſicè præciſiua . Ad 1.dicitur, quòd Spiritus S.procedit,vt ſpiritus vtriuſq;per ſe identicè,nō per ſe formaliter primò. Ad 2.neg.paritas; nā Filius in eo,quòd Filius,formaliſſimè procedit à Patre,& ſic ſi nō procederet à Patre,formaliſſimè non eſſet Filius; at verò Spiritus S. formaliſſimè procedit tantùm à virtute ſpiratiua, quia tamen illa virtus ſpiratiua identificatur cum duplici ſuppoſito;ideo identicè procedit à duobus, non verò formaliter.

15 Inſt. Filius eſt principium per ſe Spiritus S; ſicut Pater eſt per ſe principium Filij ; ergo ſicut ſi Filius non procederet à Patre,non daretur Filius ; ita ſi Spiritus S.non procederet à Filio,non daretur Spiritus S.Prob.ant.Filius nō eſt principium per accidēs Spiritus S; nihil enim per accidens datur in Deo;quia nulla in ipſo eſt mutatio;ergo eſt principium per ſe.

Reſp.diſt.1.part.ant. Filius eſt principium *quod* per ſe reale,& identicum Spiritus S;vt coniungitur cum ratione ſpirationis, quæ eſt principium per ſe formaliſſimè Spiritus S: conc; Filius eſt principium per ſe formale in eo, quòd Filius,neg; propter quod neg. paritas de Patre, qui in eo, quòd Pater,eſt principium formaliſſimum Filij;non tamen Filius,vt Filius,eſt principium formaliſſimum Spiritus S; ſed vt ſpirator. Ad prob. dicitur, quòd inter principium per accidens,& principium per ſe formaliſſimum, datur principium reale identicum , quod eſt principium per ſe.

16 Obijc.4.Si aliqua creatura non procederet à Filio , nec etiam procederet à Patre , aut à Spiritu S;& ſic nullo modo eſſet ; ergo ſi Spiritus S. non procederet à Filio , nec etiam procederet à Patre;& ſic nullo modo eſſet. Ant. prob.ex Verbis Chriſti Domini *Io.5. Non poteſt*

Fi-

Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

17 Resp. hoc arg. pariter procedere de processione reali, & physica; non autem de præcisiua, & metaphysica. Dist. ergo ant. Si creatura nõ procederet à Filio realiter, & physicè, cõc; metaphysicè præcisiuè, idèst si cognosceretur creatura procedere ab vnitate essentiæ Diuinæ, quæ est principium formalissimũ productiuũ creaturarũ, creatura nullo modo cõciperetur esse per talem vnitatem, non consideratis personis, quæ identicè concurrunt ad productionem creaturarum, neq; adhuc enim intelligeretur principium formalissimum productiuum, & sic possent intelligi creaturæ, quæ sunt termini illius principij.

18 Obijc. 5. Filius in eo, quòd Filius, formaliter procedit, vt habens naturam Diuinam, ac proprietates, quæ consequuntur ad naturam Diuinam, sed voluntas spiratiua Spiritus S. consequitur ad naturam Diuinam; ergo Filius formaliter procedit, vt habens voluntatem spiratiuam Spiritus S, & per consequens si Spiritus S. non procederet à Filio, Filius non esset formaliter Filius.

19 Resp. eodem modo; procedit enim arg. de processione Filij realiter, & identicè considerata, non autem formaliter præcisiuè. *Vid. in seq. art;* vbi explicabitur, quomodò Spiritus S. per se procedat à duobus.

§. II.

Resoluitur difficultas principalis proposita?

20 SVpponimus tanquam certum *apud omnes*, quòd, cùm personæ Diuinæ sint suppositа relatiua, distinctio personalis intercedens inter ipsas debet attendi penes relationes; non autem penes quid absolutum; aliter si distinctio Diuinarum personarum non sumeretur penes quid absolutum, iam absoluta non essent communia omnibus tribus personis; illud enim absolutum, per quod Pater distingueretur à Filio, non esset in Filio, & id, per quod Filius distingueretur à Spiritu S; non esset in Spiritu S; & è contra, quod est contra Fidem *in Symb. D. Athan;* in quo declaratur, quòd prædicata absoluta, vt v.g. omnipotentia, immensitas, Deitas, & cetera huiusmodi non multiplicantur; & hoc prob. *Fund. Doct. in hac dist. 11. q. 2. ex Beatiss. P. 5. de Trin. c. 11;* vbi docet, quòd omnia absoluta transeunt in vnitatem substantiæ; quia Diuina substantia, vtpotè purus actus, & infinitus, qui est omne esse, identificat sibi omnem perfectionem absolutam, quæ sumitur ab esse.

21 Quæritur modò, an hæc distinctio desumatur solùm penes relationes oppositas, scilicet originis vnius ab alia; an verò penes relationes disparatas?

22 Prima sententia vult, quòd in data hypothesi adhuc Spiritus S. realiter distingueretur à Filio, substinens nedum relationes oppositas, sed etiam disparatas habere vim distinguendi realiter terminos productos, quamuis in principio producente istæ relationes disparatæ realiter nõ distinguantur. *Ita Henr. Quodlib. 5. q. 9;* quem sequitur *Scot. dist. 11. q. 2; Gabr; OKam; & omnes Scotistæ,* inter quos *Mastrius hic disp. 7. art. 2. vsque ad 9; & ex nostris Tolet. dist. 11. q. 1. art. 2. concl. 1.*

Secunda sententia vult, quòd si Filius haberet potentiam ad spirandum; actu tamen non spiraret, realiter distingueretur. *Ita Ruiz. disp. 68. 7. n. 7.*

Sed hæc sententia reijcitur ex dictis *q. 3. art. 2;* nam in tali casu potentia spiratiua esset tantùm specificatiuè, & sic vel esset Diuina essentia, si sumatur radicaliter remotè; vel voluntas essentialis, si sumatur proximè; vtraque autẽ esset in Spiritu S; & ideo per illam non distingueretur; non autem esset potentia reduplicatiuè, quia hæc est tantùm per ordinem ad actum spirationis, qui non daretur.

Tertia sententia docet, quòd in data hypothesi Spiritus S. non distingueretur à Filio realiter, sed tantùm virtualiter. Ita *B. Doct. dist. 11. q. 3; & Quodlib. 1. q. 6; & in Opusc. de summa Trin. fol. 1. col. 1. Ger; Argent; M. Conson, Gibb; apud quẽ Cornejus, & Gamboa; & D. Tho. cum Thomistis; Salm; Sua; lib. 10. c. 2; Vasq; Bec; D. Bon. dist. 11. q. 1; Dur. q. 2; Capr. q. 1; Aureol. q. 1; & 2; & omnes alij communiter.*

23 Vnica concl. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab eo.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. 5. de Trin. c. 11; & 12;* vbi ait: *Spiritus S. relatiuè dicitur, cùm & ad Patrem, & ad Filium refertur, quia Spiritus S; & Patris, & Filij Spiritus est.* Ex quo sic arguitur. Persona Diuina non distinguitur ab alia, nisi prout refertur ad illam aliqua relatione reali; sed Spiritus S. non refertur ad Patrem, & Filium, nisi prout est spiritus Patris, & Filij; ergo non distinguitur à Patre, & Filio, nisi prout est spiritus Patris & Filij. Ma. prob; quia cùm non detur distinctio per absolutum, vt dicebant *Ariani, & Macedoniani,* qui admittebant distinctionem in substantia, superest, vt detur tantùm per relationem, quæcunque sit illa relatio. Prob. mi. Filius non refertur ad Patrem, nisi prout est Filius Patris; ergo Spiritus S. non refertur ad Patrem, & Filium, nisi prout est spiritus Patris, & Filij, sed Spiritum S. esse spiritum Patris, & Filij, vel est, quia accipit esse à Patre, & Filio; sicut Filius est Filius Patris, quia accipit esse à Patre, vel quia dat esse Patri, & Filio, sicut Pater est Pater Filij, quia illi dat esse genitum; vel quia Spiritus S. est sub dominio, & potestate Patris, & Filij; nullo enim alio modo potest dici aliqua res esse *Petri* v.g; nisi quia vel illa res habet esse à *Petro*, sicut est eius filius, aut alius effectus: vel quia dat esse *Petro*, sicut est eius pater; vel quia est sub eius do-

dominio; ea enim, quæ non poſſidet, non dicuntur eſſe *Petri*; ſed Spiritus S. in ea hypotheſi nõ acciperet, nec daret eſſe Filio, nec eſſet ſub eius dominio; aliter eſſet ſerua creatura, vt blaſphæmabat *Macedonius*; correlatiuum enim dominij eſt ſeruitus; ergo nullo modo eſſet Filij ſpiritus, nec relatiuè diceretur, aut diſtingueretur ab eo.

24 Et *c.*11.docens, quid ſit oppoſitio relatiua ait eſſe illam; *cui viciſſim reſpondet vocabulum eius, ad quem refertur*. Quia tamen tunc temporis hoc vocabulum *ſpirator* non erat in vſu; pertimeſcebant etenim *Sancti Patres*; ne nouitate nominum darẽt *Hæreticis* occaſionem multiplicandi blaſphæmias; probat ex eo, quòd tũc diceretur *Donum Donatoris*, *& Donator Doni*; Donator enim eſt proprium vocabulum relatiuum correſpondens Dono, quod eſt correlatiuum. Ait ergo *c.*12. *Non enim ſicut dicimus ſeruum Domini, & Dominum ſerui; filium patris, & patrem filij; quoniam iſta relatiuè dicuntur; ita etiam hic poſſumus dicere; dicimus enim hic Spiritum S. Patris; ſed non viciſſim dicimus Patrem Spiritus S; ne Filius eius intelligatur Spiritus S. Item dicimus Spiritum S. Filij; ſed non dicimus Filium Spiritus S; ne Pater eius intelligatur Spiritus S; in multis enim relatiuis contingit, vt non inueniatur vocabulum, quo ſibi viciſſim reſpondeant, quæ ad inuicem referuntur*. Ex quo ſic. Mutua relationis oppoſitio, quæ diſtinguit Diuinas perſonas, conſiſtit in eo, quòd termini oppoſiti dicantur ad inuicem, vt Pater Filij, & Filius Patris; ſic enim *ex Beat.P.* ſtatuit *Conc. Tolet; vt inf*; ſed ablata proceſſione Spiritus S. non eſſet ſpiritus Filij; ergo non daretur mutua oppoſitio, nec diſtinctio.

25 Conf. Relationes diſparatæ non dicuntur ad inuicem; non enim dicitur ſapiens diuitis, aut è contra; ſed relationes, quæ diſtinguunt in Diuinis, ſunt illæ, quæ dicuntur ad inuicem; vt docent *SS.PP; & Conc*; ergo relationes diſparatæ non arguunt diſtinctionem.

26 Et *lib.*7. *c.*1. ait: *Omnia enim, quæ relatiuè dicuntur, ad inuicem dicuntur*; idem habet *c.*2, *& lib.*9.*c.*2, qua doctrina vtitur *Conc.Tolet. II.* ſtatuens: *Ergo hoc ſolùm numerum inſinuat, quòd ad inuicem ſunt*. Quem modum loquendi ſeruant *SS.PP. Anſ; Greg.Niſſen. ad Ablau, Cyril. lib.*7.*Theſ.c.*1; *Athan; Baſil; & alij*. Et *Flor.ſeſſ.*18. *Sola nanque relatio, quam principalem habitudinem ſupra nominauimus, apud omnes, tam Græcos, quàm Latinos DD. Diuina proceſſione perſonas multiplicat*. Et paulò poſt. *Igitur relationes huiuſmodi perſonas multiplicant ita, vt nulla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, & vna perſona ab alia differat*. Ex quibus ſic. Sola relatio proceſſione multiplicat perſonas, nec vlla alia eſt ratio diſtinguens; ſed in data hypotheſi non daretur inter Filium, & Spiritum S. relatio proceſſione multiplicans; ergo nulla eſſet ratio diſtinguens.

27 Reſpondent 1. *Scotiſtæ* has auctoritates probare tantùm de facto, non de poſſibili. 2. *SS, PP; & Conc.* loqui de relatione oppoſita, vel diſparata.

Sed cont. 1. arguit *Fundatiſſ. Doct. diſt.*3. *princ.*1. *q.*4. Quidquid eſt poſſibile in Deo, de facto eſt in Deo; & quidquid de facto non eſt in Deo, eſt ſimpliciter impoſſibile, quia ei repugnat omnis poſſibilitas, cùm ſit puriſſimus actus; tum quia de facto dantur in Deo relationes diſparatæ, vt filiatio, & ſpiratio paſſiua, & tamen *SS.PP; & Conc.* docent ſolas relationes proceſſionis diſtinguere; ergo relationes diſparatæ nõ habẽt ſecundùm ſe ipſas diſtinguere conformiter ad doctrinam *SS. PP.* Tum quia relationes diſparatæ non dicuntur ad inuicem, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 2. dicitur eos loqui de relatione, quæ conſurgit ad proceſſionem: relatio autem diſparata non eſt huiuſmodi, vt patet; vnde hæc euaſio eſt in ſuis terminis falſa. Tum quia relatio *ex Phil.* diuiditur in oppoſitam, & diſparatam; ergo oppoſitio nequit diuidi in relationem oppoſitam, & diſparatam, quia vnum membrum diuidens nequit diuidi in aliud.

28 Prob.2. *ex Fũdatiſſ. Doct.* In Diuinis nõ datur diſtinctio realis, niſi ſecundùm eſſe *ad*, quia ſecundùm eſſe *in omnia tranſeunt in identitatem naturæ*, vt docet *Conc.Tolet*; & communiter *SS. PP*; ſed ſolæ relationes oppoſitæ diſtinguunt ſecundùm eſſe *ad*; nam diſparatæ diſtinguunt tantùm ſecundùm eſſe *in*; hinc miſericordia, & iuſtitia, quia dicunt tantùm rationes diſparatas, in Deo non diſtinguuntur; ergo ſublata relatione originis Spiritus S. non diſtingueretur à Filio.

Conſ; & ſimul euertitur euaſio *Aduerſariorum* dicentium relationes diſparatas diſtingui; quia fũdãtur in diuerſis productionibus paſſiuis. Vel relatio diſparata diſtinguit formaliter ſecundùm ſuum eſſe *ad*; vel quia fundatur in diuerſa productione paſſiua? Si primum; ergo paternitas, & ſpiratio in Patre realiter diſtinguuntur, quia in illo reperiuntur formaliter ſecundùm ſuum eſſe *ad*. Si ſecundùm; ergo relatio diſparata non diſtinguit ſecundùm ſuum eſſe *ad*, ſecundùm quod eſt diſparata; ſed tantùm ſecundùm eſſe *in*, quia diſtinguit, prout eſt in tali productione paſſiua; ſed ſecundùm eſſe *in* omnia tranſeunt in identitatem eſſentiæ; ergo nullo modo diſtinguit. Tum quia ſi relatio diſtinguit, quia eſt in productione paſſiua; ergo talis diſtinctio non deſumitur à relatione, ſed ab ipſa productione paſſiua; & ſic diſtinctio non eſt formaliter ſecundùm relationem, quod eſt contra *SS.PP; & Conc.*

29 Prob.3. *ex Ger.* Si Spiritus S. diſtingueretur à Filio per filiationem, ſequeretur, quòd principaliùs diſtingueretur ab ipſo per filiationem, quàm per ſpirationem actiuam, quia ſpiratio actiua *per Scotum* aduenit in poſteriori ſi-

gno

gno rationis, & inuenit in Filio filiationem, quæ eſt primum diſtinctiuum ipſius à Spiritu S; primum autem, & principale idem eſt; ſed conſequens eſt abſurdum; nam relatio oppoſita magis diſtingueretur à termino nõ oppoſito, quàm ab oppoſito; ergo abſurdum eſt & ant.

30 Prob. 4. Diuerſus modus procedendi eo, quia vnus eſt per intellectum, & alius eſt per voluntatem, non ſufficit ad diſtinctionem realem proceſſionum; ergo nec terminorum; ſed Filius, & Spiritus S. ſunt termini illarum proceſſionum; ergo non diſtinguerẽtur realiter. Ant. prob. ant. eſt *q.2.art.6*; & ſuadetur. Actus amoris, & actus intellectionis eſſentialis procedunt per intellectum, & voluntatem, & tamen non diſtinguuntur realiter; ergo ex eo, quòd Diuinæ proceſſiones ſint per intellectum, & voluntatem, non poteſt haberi diſtinctio realis. Tũ quia ab ijs, quæ virtualiter diſtinguuntur, non poteſt deduci, niſi virtualis diſtinctio; quia *nemo dat, quod non habet*: ſed intellectus, & voluntas in Deo ſunt huiuſmodi; ergo ab ipſis nequit ſumi, niſi diſtinctio virtualis. Prob. conſ. 1. arg. Termini conſtituuntur, & ſpecificantur per eorum proceſſiones; ſed eorum proceſſiones non diſtinguuntur realiter; ergo neque termini, *cùm idem ſit ſpecificatiuum, conſtitutiuum, & diſtinctiuum*. Hoc arg. eſt *ad hominem contra Scot*; qui eodem vtitur ad impugnandam noſtram ſent.

31 Tandem prob. Pater communicat Filio omne id, quod ei non opponitur; ſed ſpiratio paſſiua non opponitur filiationi, quia nullus diceret, quòd vnum diſparatum opponatur alteri diſparato oppoſitione incompatibilitatis; aliter duo diſparata non poſſent eſſe ſimul; non eſſent diſparata, ſed oppoſita; ergo in tali caſu Pater communicaret Filio etiam ſpirationem paſſiuam; & ſic non diſtingueretur. Ma. eſt in terminis *Beatiſſ. P*; & omnium *SS. PP*; ac *Conc*; vt ſuperiùs diximus.

32 Inſt. 1. *Vaſq*; qui non reputat ſufficientem rationem *Fundatiſſ. Doct*. Relatio ſecundùm ſuam propriam differentialem quiditatem differt non ſolùm à ſuo termino correlatiuo ſibi oppoſito, ſed etiam ab alia re, & relatione diſparata; ergo ratio allata nihil probat. Prob. ant. 1. quia genus generaliſſimum relationis differt ab omnibus alijs nouem prædicamentis per ſuum eſſe *ad* ſibi proprium, & ſibi intrinſecum, quod non competit nouem alijs prædicamentis. 2. quia paternitas non ſolùm differt à filiatione, ſed etiam differt à relatione ſimilitudinis, æqualitatis. 3. Relatio terminatur ad abſolutum; abſolutum autem eſt diſparatum.

Reſp. neg. 2. part. ant; nam relatio non differt realiter à ſuo fundamento, quod eſt res diſparata. Ad 1. prob. diſt. Prædicamentum relationis differt ab omnibus alijs nouem prædicamẽtis realiter, neg; virtualiter, conc; cùm enim prædicamentum definiatur *modus eſſendi rerum principalis*; & modus non diſtinguatur à re, cuius eſt modus, niſi virtualiter, vt diximus *To. 1. de Attr. in com. q.2. art.2*; ideo de ratione prædicamẽti formaliter nõ eſt diſtingui ab alio prædicamento realiter, ſed tãtùm virtualiter; ideo actio, & paſſio ſunt diuerſa prædicamenta, & tamen non diſtinguuntur realiter, ſed virtualiter. *Vid. B. Doct. 3. Met. t. 22. dub. 1.* Ad 2. pariter neg. aſſumpt; aliter in Diuinis darentur relationes ſimilitudinis, & æqualitatis, quibus perſonæ Diuinæ differrẽt realiter. Ad 3. dato etiam, quòd relatio terminetur ad abſolutum: attamen abſolutum, prout formaliter terminat relationem, nõ eſt diſparatum relationi, ſed oppoſitum, eſt enim terminus formalis illius.

33 Inſt. 2. Si Spiritus S. non procederet à Patre, adhuc ab eo diſtingueretur realiter, & tamen ſpiratio paſſiua, quæ eſt in Spiritu S; eſt relatio diſparata ad paternitatem; ergo relatio diſtinguitur nedum à termino oppoſito, ſed etiam à diſparato.

Reſp. diſt. ant. Si Spiritus S. nullo modo procederet à Patre nec mediatè, nec immediatè, diſtingueretur realiter ab eo, neg; ſi non procederet immediatè, procederet tamen mediatè, quatenus ſcilicet Pater producit Filium, & Filius produceret Spiritum Sanctum, conc; & neg. conſ; quia tunc daretur proceſſio realis ſaltem mediata, quæ eſſet ſufficiẽs ad diſtinctionem realem Spiritus S. à Patre.

34 Inſt. 3. *Sua*; cui pariter non placet hæc ratio *lib.7.c.4. n.9.* Filiatio realiter conſtituens perſonam Filij diſtinguit ipſam realiter à Spiritu S, quia Spiritus S. procedit à Filio, vt Filius eſt, & à Patre, vt Pater eſt; vnde ſi per impoſſibile non reſultaret in Filio relatio ſpirationis actiuę, adhuc Filius realiter diſtingueretur à Spiritu S. per filiationem conſtituentem perſonam Filij, & diſtinguentem ipſam à Spiritu S; nam illud axioma *Phil. Conſtitutiuum eſt diſtinctiuum* admitti debet nedum in creaturis, ſed etiam in Diuinis; ergo relatio diſtinguit etiam ab alia relatione diſparata. Ant. patet; quia Spiritus S. immediatè procedit à Patre, & à Filio, vt Pater, & Filius eſt; nam ſpiritus refertur ad Filium ita, vt filiatio ſit ratio immediatè terminans relationem, quam Spiritus S. dicit ad Filium; quapropter *in Conc. Tolet. XI.* dicitur: *Sicut Filius refertur ad Patrẽ, ita Spiritus S. refertur ad Patrem, & ad Filium*; ergo ſicut Filius refertur ad Patrem ita, vt paternitas ſit ratio terminans relationem, quam dicit Filius ad Patrem; ita Spiritus S. refertur ad Filium ita, vt filiatio ſit ratio immediatè terminans relationem, quam Spiritus S. dicit ad Filium.

Reſp. diſt. ant. Filiatio realiter diſtinguitur à Spiritu S. immediatè, & directè ſecundùm quòd ipſum, neg; quia Filius, vt Filius eſt, directè, & reduplicatiuè reſpicit ſolùm Patrem, vt patet; indirectè, & mediante ſpiratione actiua, conc. Ad prob. inſert. neg; quòd Spiritus S. refera-

ſatur immediatè ad Filium ita, quòd filiatio ſit ratio immediatè terminans relationem, quam Spiritus S. dicit ad Filium. Ad aliud neg. pariter, quòd Filius, vt Filius eſt; & Pater, vt Pater eſt, producant Spiritum S; quia Filius, vt Filius eſt, dicit tantùm eſſe genitum à Patre; non tamen dicit eſſe principium productiuum alterius, & Pater, vt Pater eſt formaliter, importat ſolùm eſſe principium generatiuum Filij; nõ autem principium ſpiratiuum Spiritus S; quia, vt docet *B. Doct.* illa reduplicatio appellat rationem formalem producendi, vt videbimus *in ſeq. art*; intelligere autem paſſiuum; quod conſtituit Filium, vt Filius eſt, non eſt ratio formalis ſpiratiua Spiritus S; hæc enim eſt voluntas, & ſic dicendum de intelligere actiuè ſumpto, quod conſtituit Patrem. Ad id de conſtitutiuo dicemus inferiùs.

36 Inſt. 4. Potentia viſiua conſtituitur in ſpecie talis potentiæ per realem relationem ad ſuum obiectum, & per illam eandem relationem diſtinguitur realiter ab omnibus alijs potentijs ſenſitiuis; ergo à pari relatio Diuina nedum diſtinguitur à termino oppoſito, ſed etiam à relatione diſparata.

Reſp. neg. 2. part. ant; diſtinctio enim numerica potentiarum, quæ ſolùm eſt realis, habetur à ſubiecto, in quo ſunt; licèt diſtinctio ſpecifica, quæ ſecundùm ſe eſt virtualis, habeatur ab ordine ad obiectum; vnde ſi in eodem organo eſſet potẽtia viſiua, & auditiua, illę duę potẽtię diſtinguerentur ſpecificè, quia pertinerent ad diuerſas virtutes; non tamen diſtinguerentur realiter numericè; ſicuti in homine animalitas, & rationalitas diſtinguuntur quidem ſpecificè, & virtualiter, quia pertinent ad diuerſas naturas; non tamen diſtinguuntur numericè eo, quia vniuntur in eadem entitate.

36 Obijc. 1. *Scot*; *D. Anſel. de proceſſione Spiritus S. c.* 1; cùm priùs dixiſſet, quòd Filius, & Spiritus S. habent eſſe à Patre, ſed diuerſimodè quia *alter naſcendo, & alter procedendo*, ſubdit: *Si per aliud non eſſent plures Filius, & Spiritus S; per hoc ſolum eſſent diuerſi*; & hoc hauſit *ex Beatiſſ. P.* docente Filium diſtingui, quia procedit, *vt natus*; & Spiritus S; *vt datus*.

Reſp. *Ger*; quòd *D. Anſel.* arguebat *ad hominem* cõtra *Græcos*; cõcedebant enim *Græci*, quòd Spiritus S. ſit à Patre procedendo, non naſcendo, & quòd per hoc tantùm diſtingueretur à Filio; & negabant, quòd Spiritus S. procedat etiam à Filio; inferebant ergo *S. Doct.* ex illo principio admiſſo *à Græcis* id, quod negabant; ſic. Spiritus S. in hoc ſolùm diſtinguitur à Filio, quod eſt à Patre procedendo; Filius verò naſcendo; ſed id, quòd eſt procedendo in Diuinis, non diſtinguitur realiter ab eo, quod eſt naſcendo, niſi ex eo, quòd ſit ab illo, vel illud ſit ab ipſo; propterea dixit *loc. cit. quòd vel Filius eſt à Spiritu S; vel Spiritus S. à Filio*; nequit autem dici, quòd Filius ſit à Spiritu S, ergo dicendum eſt, quòd Spiritus S. ſit à Filio, ſecus *S. Doct.* nõ impugnaſſet, ſed propugnaſſet *Græcos*, quod eſt omnino ridiculum.

37 Obijc. 2. *Idem eſt conſtitutiuum, ac diſtinctiuum ex Phil*, ſed Filius conſtituitur in eſſe talis perſonæ per filiationem; ergo diſtinguitur à quacunque alia perſona per filiationem, & per conſequẽs adhuc in data hypotheſi diſtingueretur à Spiritu S; quia vbi datur diſtinctiuum formale, ibi datur diſtinctio. Prob. ma. Filius non conſtituitur in eſſe ſecundæ perſonæ per Diuinam eſſentiam præciſè; quia hæc eſt communis omnibus tribus perſonis, nec per ſpirationem actiuam; quia hæc etiam eſt cõmunis Patri; ergo in eſſe talis perſonæ conſtituitur per ſolam filiationem, quæ eſt propria ſoli Filio, tale enim debet eſſe conſtitutiuum, quale eſt conſtitutum. Si igitur perſona cõſtituta nõ cõuenit cũ alijs perſonis; ita etiam conſtitutiuum, nequit eſſe quid commune alijs perſonis, ſed debet eſſe quid proprium tali perſonę. Prob. mi. Quod conſtituit in ratione talis perſonę cõſtituit ipſum in ratione indiuiduali, ſeu in ratione vnius numero perſonæ; ſed vnum indiuiduum eſt indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio; ergo quod cõſtituit in ratione talis perſonæ diſtinguit à quocunq. alio.

Hoc arg. quòd adeo magnificat *Maſtrius*, vt aſſerat multùm laceſſere, adeò facile eſt; vt etiam *à Logiculis* ſit ſolubile, ſi benè perpendatur ratio, & natura relatiuorum oppoſitorum, & diſparatorum, quam explicuimus *q. 1. art. 5. ex Fund. Doct.* Igitur ſicut relatiuum conſtituitur per ordinem ad aliud ex ſua ratione formali, ita diſtinguitur in ordine ad aliud. Et ſicuti per ordinem ad diſparatum non conſtituitur; nullus enim diceret, quòd Pater v.g. conſtituatur in eſſe Patris in ordine ad album, quod eſt diſparatum, ſed ſolùm per ordinem ad Filium, cui opponitur; ita non diſtinguitur per ordinem ad diſparatum; quapropter diſparata diſtinguuntur ſolũ ſecundùm eſſe *in*, quia habent diuerſum eſſe; non autem penes eſſe *ad*, quia non referuntur ad inuicem.

Retorq. ergo arg. Idẽ eſt conſtitutiuũ, & diſtinctiuum; ſed Filius conſtituitur in eſſe Filij ſolùm per ordinem ad Patrem; & non per ordinem ad Spiritum S; ergo diſtinguuntur ſolùm per ordinem ad Patrem, & non ad Spiritum S.

Præterea diſt. mi. Filius conſtituitur per filiationem in ordine ad Patrem, conc; in ordine ad Spiritum S; neg. Ad prob. diſt. mi. Indiuiduum relatiuum eſt indiuiſum in ſe, & diuiſum ab omni alio, ab quod refertur, conc; ad quod non refertur, neg.

38 Inſt. *Maſtrius.* Filius conſtituitur in eſſe perſonæ per filiationem, quæ eſt proprietas perſonalis; ergo per ipſam diſtinguitur à Spiritu S; qui conſtituitur per ſpirationem paſſiuam; quia res diſtinguitur ab omni alio per conſtitutiuum perſonale.

Reſp.

Reſp.neg.conſ; ad cuius prob.diſt.Ab omni alio habente diuerſum eſſe abſolutum, conc; habēte idē eſſe,neg.Hæc inſtātia probat filiationem diſtingui realiter à ſpiratione actiua, prout in Filio; quia probat Filiū diſtingui per filiationem à non conſtitutiuo,vt eſt ſpiratio actiua.

39 Obijc.3. Plura principia virtualiter diuerſa nequeunt diſtinctis actionibus, & proceſſionibus producere eundem terminum realiter; ſed adhuc ablata proceſſione Spiritus S.à Filio, eſſent plura principia, nempe intellectus, & voluntas; & plures actiones, & proceſſiones,nempe intellectio, & volitio; ergo non poſſet produci eadem numero perſona. Prob. ma. Vna, & eadem perſona nequit eſſe à duabus proceſſionibus totaliter diuerſis;ergo plura principia diuerſis actionibus, & proceſſionibus nequeunt producere eundem terminum. Tum quia *non requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*; ſed ſublata oppoſitione adhuc intellectus diſtingueretur virtualiter à voluntate; ergo termini horum principiorum deberēt eſſe realiter diſtincti.

Reſp. diſt. ma. Plura principia pluribus actionibus, & proceſſionibus diuerſis diſtinctis realiter nequeunt producere eundem terminū, conc; diſtinctis tantùm virtualiter, adhuc ſubdiſt. Si illi termini diſtinguantur ſecundùm naturam,conc; ſi procedant per identitatem naturæ,neg; & ſic ad 1. prob. Ad 2.diſt.ma. *Non requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*, quando principiata habent ſufficiēs principium maioris diſtinctionis in ſe ipſis, cōc; quando principiata non habent ſufficiens principium maioris diſtinctionis,vt in caſu,neg.

40 Dices 1. Spiratio paſſiua,& filiatio ſunt relationes oppoſitæ,quia ſunt relationes potentiæ;ergo diſtinguuntur inter ſe.

Reſp.diſt.ant.Sunt relationes oppoſitæ per ordinem ad paternitatem, & ſpirationem actiuam,conc;inter ſe,neg;non enim implicat,quòd vna relatio ſecundùm diuerſas rationes ſit oppoſita, & diſparata, quia dicitur oppoſita in ordine ad ſuum terminum correlatiuum, inter quem, & conterminum mediat actio; dicitur autem diſparata in ordine ad aliam relationem, inter quam,& ipſam non mediat alia actio.

41 Dices 2.Tunc darētur duæ perſonalitates; vna per quam conſtitueretur Verbum; alia per quam conſtitueretur Spiritus S;ergo eſſent duæ perſonæ, ſicut ſunt de facto.

Reſp.neg. ant; ſicut enim de facto ſpiratio actiua non eſt perſonalitas, ſed proprietas perſonalitatis; attamen ſuppoſito, quòd daretur 4. perſona, cui competeret ſolùm ſpirare;tunc ſpiratio actiua eſſet perſonalitas,quanuis de facto, quia ſpiratio actiua aduenit perſonæ iam conſtitutæ, non ſit perſonalitas, ſed proprietas adueniēs perſonalitati;ita à pari in data hypotheſi.

42 Obijc.4. Implicat, quòd vnus, & idem terminus producatur à duabus productionibus adæquatis;altera enim illarum ſuperflueret;nam ſi totus produceretur per vnam,nihil remaneret producendum per alteram. Nec poteſt dici, quòd illæ duę productiones ſint inadæquatæ; quia omnis inadæquatio eſt imperfectio, quæ à Deo eſt reijcienda; ſed ſublata proceſſione Spiritus Sancti à Filio, eſſent duæ productiones adæquatę, quia eſſent duæ potentiæ æqualiter fœcundæ; ſcilicet intellectus, & voluntas; ergo non poſſet eſſe idem terminus,ſed diuerſus.

Reſp. diſt. ma. Implicat,quòd vnus terminus producatur duabus productionibus eiuſdē generis,& ordinis, quia vna illarum ſuperflueret, conc; diuerſi generis, & ordinis, neg; nam quicunque effectus creatus ſub ratione vniuerſaliſſima entis producitur à Deo, & ſub ratione talis entis producitur à cauſa ſecunda; nec neutra ſuperfluit,quia vtraque agit ſecundùm ſuam actionem diuerſam, & producit in obiecto diuerſas rationes. In data hypotheſi igitur Filius, vt intelligibilis, generaretur; & vt bonus,ſpiraretur à Patre; patet autem,quòd ratio intelligibilis, & ratio boni ſunt diuerſæ. Et vtraque productio in ſuo genere eſſet adæquata, quia Pater produceret totum Filium, vt intelligibilem; & per voluntatem produceret totum Filium,vt bonum.

43 Obijc.5. *Fundatiſſ.Doct. in hac diſt.* 11. *princ.*1. *q.*1. docet rationem oppoſitionis non eſſe ſufficiētem ad improbandos *Græcos* negantes proceſſionem Spiritus Sancti à Filio,vt diximus *art.*2; ergo ratio oppoſitionis iuxta doctrinam *B. Doct.* non eſt ſufficiens ad probandam diſtinctionem Spiritus S. à Filio; & per conſequens ratio oppoſitionis non eſt cauſa,ſeu ratio formalis diſtinctionis Spiritus Sancti à Filio;aliter eſſet optima probatio, quia probatio cauſæ per effectum, quanuis à poſteriori,eſt ſufficiens probatio, vt omnes faetntur cum *Phil*;ſecus ſequeretur ipſum ſibi cōtradicere; ergo diſtinctio realis Spiritus Sancti à Filio aliunde poteſt haberi, quàm ab oppoſitione originis; ſed præter oppoſitionē originis nihil aliud remanet, quàm relatio diſparatio;ergo diſtinctio realis habetur etiam à relatione diſparata; & per conſequens adhuc ſublata oppoſitione originis inter Filiū, & Spiritum Sanctum, quia remanerent relationes diſparatæ, ſcilicet filiatio, & ſpiratio paſſiua, ſaluaretur diſtinctio realis. Prob. conſ.1. arg. Si oppoſitio originis eſſet ſolùm ratio formalis diſtinctionis realis Spiritus Sancti à Filio,Eccleſia redarguiſſet *Græcos* de errore *Sabellij* eo, quia negantes proceſſionem Spiritus Sancti à Filio, negaſſent quoque diſtinctionem harum duarum perſonarum; ſed Eccleſia de hoc non redarguit *Græcos*; ergo ſignum eſt, quòd diſtinctio realis non attenditur ſolùm penes relationes oppoſitas,ſed etiam penes diſparatas.

Conf. *B.Doct.loc.cit.* habet, quòd in data hy-

hypothesi possunt Spiritus S; & Filius differre realiter; licèt natura, secundùm quam emanat Filius; & voluntas, secundùm quam procedit Spiritus Sanctus, differrent ratione; sed hoc nequit esse nisi per relationes disparatas, vt patet; ergo in data hypothesi secundùm *B.Doct.* adhuc distinguerentur.

Ad hoc arg. respōsum fuit *ibid*; docet enim *B.Doct*; quòd hæc ratio non sit sufficiens ad conuincendos *Græcos*, nec potissima; non tamen docet, quòd ex ista ratione non sequatur absurditas in Fide, vt docet *hic ad* 2; vbi soluit hanc instantiam, quam sibi obijcit dicens; quòd Ecclesia non obiecit *Græcis* hanc absurditatem, quia posito vno inconuenienti sequuntur infiniti errores, vt ait *Phil.2.Phys.t. c.9*; & ideo non possunt obijci omnes ad euitandam confusionē.

Ad conf. dicitur, quòd loquitur in sententia *Aduersariorum*, vt *ibid.* diximus.

ART. IV.

An Spiritus Sanctus exigat esse per se à duobus suppositis Diuinis?

1 ORta est hęc difficultas ex dictis *in sup. art.* §. 1; cùm enim dictum sit, quòd etsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc saluaretur ratio formalis Filij, & Spiritus S; videtur, quòd Spiritus S. non exigat per se procedere a duobus; quod enim competit rei per se, illi competit essentialiter; & sine eo, quòd essentialiter competit, nequit saluari ratio formalis, seu essentia rei.

2 Non quęrimus autē, an exigat esse à duobus suppositis, vt à duobus principijs, vel à duobus spiratoribus; de hoc enim *in seq*; sed tantùm à duobus suppositis per modum vnius principij.

3 Ratio autem dubitandi est; nam Spiritus Sanctus est amor mutuus, quo se diligunt duæ personæ distinctæ; & est nexus realiter vniens duas personas amantes; de ratione autem nexus realis est, quòd sit inter duo extrema distincta, vt docet *Fundatiss. Doct. dist.* 10. *princ.* 1. *q.* 3; ideo videtur, quòd Spiritus Sanctus per se exigat esse à duobus suppositis Diuinis; è contra autem, quia Spiritus S. potest formaliter intelligi, vt persona, absq; eo, quòd concipiatur esse à Filio, vt diximus *vbi sup*; quòd si formaliter intelligi potest Spiritus S. absque eo, quòd intelligatur esse à Filio; iam Spiritus S. potest intelligi absq; eo, quòd intelligatur, vt nexus, & amor Patris, & Filij; & ideo absque eo, quòd procedat à duobus per se. Tum quia quòd Spiritus S. exigat esse à duobus suppositis tantùm identicè, non videtur exigere per se ab illis procedere; quia illud exigit per se, sine quo non procederet æquè perfectus, ac modò est. Si autem Spiritus S. exigeret esse à duobus tantùm identicè, quatenus principium, per quod procedit, identificatur cum duabus personis, sequeretur, quòd non procederet per se ab illis, quia etiamsi nō procederet, adhuc esset æquè perfectus, vt patet de creaturis, quæ, quia sunt formaliter ab essentia Diuina, vt subsistens est; & identicè à personis Diuinis; ideo creaturæ per se non exigunt esse à pluribus personis Diuinis; vnde si per impossibile vel vna tantùm, vel nulla esset persona Diuina, adhuc creaturæ procederent ab essentia æquè perfectæ. Ita à pari.

4 Prima sententia vult Spiritum S. non exigere per se procedere à duabus personis actiuè ipsum originantibus; sed supposito, quòd virtus spiratiua esset in vna tātùm persona, adhuc Spiritus S. procederet eodem modo cum eadem natura, & cum eadē proprietate, cum qua procedit de facto à duabus personis. *Ita Scot. in* 1. *dist.* 19. *q.* 1; *Gab. q.* 1. *art.* 1; *& ex nostris Ger. dist.* 11. *q.* 3. *art.* 5; quanuis in modo explicandi inter se valde discriminentur.

Secunda sententia arbitratur, quòd licèt Spiritus Sanctus per se procedat à duabus personis, attamen si per impossibile procederet à Patre tātùm, solus Pater sufficeret ad eum producendum eo modo, quo de facto est. *Ita Mol.* 1. *p. q.* 36. *art.* 4. *sect.* 5; *& Bec. de Trinit. c.* 6. *q.* 6; *& alij*.

Tertia sententia vult, quòd paternitas, & filiatio requiratur ad processionem Spiritus Sācti, tanquam conditio necessaria, non quidem tanquam principium elicitiuum illius. Tribuitur *Caiet; Sua; Vasq; Zum. hic ad* 1; *& alijs*.

Quarta sententia vult, quòd si Spiritus Sāctus consideretur, vt amor perfectus præcisè, *vt sic*, non considerādo ipsum, quatenus talis amor est, per se non exigit esse à duobus suppositis; attamen si consideretur, quatenus talis amor est mutuus, & nexus duorum, ideo sub hac consideratione per se necessariò petit esse à duabus personis. *Ita communiter Thomistæ* 1. *p. q.* 36. *art.* 4; *Vasq. disp.* 150; *Sua. de Trin. lib.* 10. *c.* 6, *Val. q.* 10. *puncto* 5; *circa finem*; *Alen, Capr, Caiet; Ferr; Can*; *& ex nostris Arg. dist.* 14. *q.* 1. *art* 2; *Put.* 1. *p. q.* 36. *dub.* 3.

Vltima tandem sententia docet Spiritum Sanctum procedere per se à duabus personis, non tamen formaliter primò, & secundùm quod ipsum reduplicatiuè. *Ita Fundat. Doct. dist.* 11. *princ.* 2. *q.* 1. 2; *&* 4; *& dist.* 10. *princ.* 1. *q.* 3. Ipsum sequitur *M. Conson*; *& omnes alij Discipuli*.

5 Not. *ex B. Doct. vbi sup. q.* 1; quòd aliquod potest esse principium alterius tripliciter; 1. *per se.* 2. *formaliter primò.* 3. *reduplicatiuè secundùm quod ipsum*. Illud est principium per se, quod continet in se ipso rationem formalem agendi, per quā constituitur in esse principij *quod* actionis; vnde suppositum, quod est principium *quod* agendi constitutum in esse principij *quod* per rationem formaliter agendi, dicitur propriè per se agere, quia illi competit per se esse. Illud est principium *formaliter primò*, quod est ratio formalis agendi, secundùm quam fit assimilatio, vt natura

natura cuiuslibet rei. Illud est principium reduplicatiuè secundùm quod ipsum,quod est ratio immediata agẽdi; vt v.g.homo est principiũ *per se* generans alium hominem; natura humana est principium *formaliter primò*,quia est prima ratio, á qua prouenit generatio hominis; & potentia generatiua est principium *reduplicatiuè secundùm quod ipsum*,quia est ratio immediata,& proxima actionis.

6 Quia tamen in principio *quod* aliquæ sũt rationes constitutiuæ illius in esse suppositi, & aliæ non constitutiuæ, sed tantùm ei accidentes, vt v.g.existentia,quæ simul cum essentia constituit suppositum; & risibilitas,quæ accidit supposito iam constituto, nec est ratio elicitiua illius actionis, & proximè constitutiua suppositi in esse principij generationis;ideo ab illis rationibus, quæ constituunt formaliter suppositum, dicitur actio esse per se; ab illis autem, quæ accidunt, dicitur esse tantùm materialiter identicè, & quasi per accidens. Diximus, *illas rationes*, quæ non constituunt formaliter suppositum, nec sunt illi rationes formales proximè agendi; nam licèt risibilitas non constituat formaliter suppositum, attamen quia est supposito hominis ratio elicitiua actionis risiuæ, ideo respectu risus dicitur ratio formalis proxima,& reduplicatiuè, vt diximus; quia tamen non constituit suppositum in esse generantis proximè, ideo risibilitas tantùm materialiter,& quasi per accidens dicitur generare, quatenus scilicet coniungitur merè accidẽtaliter cũ homine generante ita, vt si præscinderetur ab homine risibilitas, adhuc generaret hominem æquè perfectum in esse hominis,non tamen in esse risibilis, quia risibilitas nullo modo concurrit ad generationem hominis in esse hominis, sed tantùm in esse risibilis.

7 Et quamuis existentia comparata ad essẽtiam sit tantùm conditio ad agendum, vt diximus *q.3. art.2*; attamen comparata ad suppositum, cui tribuitur actio, prout illud constituit, dicitur principium per se. Sicut licèt materia comparata ad formam nullius sit actiuitatis, attamen comparata ad compositum, prout illud constituit, & est in ipso,dicitur agere; non enim sola forma agit; sed totum compositum ex materia, & forma, & in hoc sensu *Auctores 3.sent.* accedunt ad nostram sententiam. *Vid.Fundatiss. Doct.vbi sup.q.4.*

8 Itaque illa,quæ constituunt principium *quod* productiuum Spiritus Sancti,dicuntur exigi per se à Spiritu Sancto,quia principium *quod* exigitur per se; & ideo illa, quæ constituunt principium *quod*, exiguntur per se; cùm principium *quod* non sit nisi ipsa constitutiua complexè sumpta; sicut compositum physicum non est nisi materia, & forma,prout vniuntur.Illa autẽ, quæ nõ constituunt, nec sunt rationes formales agẽdi,exigũtur tantùm identicè,& materialiter.

9 Hoc autem est discrimen inter Diuinas actiones essentiales, & notionales, quòd essentiales sunt ab essentia,vt subsistens est,tanquam à principio *quod*; quia cùm sint communes, & indiuisæ, debent esse à principio *quod* communi, & indistincto, quod nequit esse nisi essentia; vnde principium *quod* actionum essentialium est ipsa essentia, & existentia Dei absoluta; principium autem *quo* radicale, & primum est ipsa essentia, & principium *quo* proximum, & immediatum est omnipotentia. Illud autem se habet solùm identicè, quod nec constituit essentiam, nec est ratio agendi, vt v.g. personalitas,quæ nec est constitutiuum essentiæ, nec est ratio formalis agendi. Sicut in homine ædificatore, & musico principium *quod* est ipse homo, principium *quo* radicale, à quo primò oritur ædificatio, est ipsa natura hominis, à qua primò dimanant omnes operationes hominis; & principium *quo* proximum est ars ædificandi musica autem se habet solùm materialiter, quatenus coniungitur cum arte ædificandi. Actiones autem notionales habent esse à personis, vt à principio *quod*, quia notio desumitur solùm ab aliquo proprio, & personali, vt *inf.* aliter si actiones essentiales, & notionales essent simul, vel ab essentia, vel à personis,non haberent,per quid differrent.

10 Cùm igitur spirare, per quod procedit Spiritus Sanctus,sit actio notionalis, ideo eius principium *quod* est persona, cui inest virtus spiratiua formaliter sumpta; quæ,cùm sit in Patre, & Filio, quia per illam non opponuntur; ideo Pater,& Filius sunt principium *quod*,à quo per se procedit Spiritus Sanctus.

11 Ex hac subtilissima doctrina fundata in vera *Philosophia* apparet solutio rationis dubitandi; nam Spiritus Sanctus, etsi non procederet à Filio, saluaretur *formaliter reduplicatiuè secundũ quod ipsũ*, quia saluaretur virtus spiratiua,quæ est tota in Patre, & Filio, & quæ est ratio formalis immediata, & proxima; non saluaretur autem,prout est quid realiter per se, seu prout est terminus *qui* correspondẽs principio *quod*, quia principium *quod* importans duplex suppositum non saluaretur. Ad aliud dicitur, quòd respectu creationis personæ concurrunt tantùm identicè, & materialiter, quia non sunt principium *quod*,vt *sup.* dictum est. *His not.*

12 Vnica concl.Spiritus S.procedit à duobus suppositis Diuinis necessariò per se, non autem formaliter primò,& reduplicatiuè secundùm quod ipsum.

Prob.1. *ex Beatiss.P. 15.de Trin.c.19*; vbi docet: *Si charitas, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabiliter communionem demonstrat amborum,quid conuenientiùs,quàm vt ille dicatur charitas propriè, qui spiritus est communis ambobus?* Idem habet *lib. 6. c.5*; vbi vocat Spiritum Sanctum *communionem, & vnitatem*

tatem Patris,& Filij. Ex quo sic arguit *Fūdatiss. Doct.* Spiritus Sanctus per se procedit,vt charitas Patris, & Filij, & ideo vt *nexus,vnitas*, *& communio* Patris, & Filij,ergo per se procedit à duobus suppositis; nam si non procederet per se à Filio, iam per se non procederet, vt charitas Filij; in tantùm enim per se procedit à Patre,in quātùm per se procedit,vt charitas, seu vt amor Patris. Prob.ant. 1. *ex Scripturis allatis art.*2; in quibus Spiritus Sanctus dicitur *spiritus Patris*, *& Filij*. 2.Si non procederet per se, vt charitas Filij, sed solùm vt charitas Patris, iam nec procederet per se, vt charitas Patris, & sic per se à nullo procederet; quod est indignum; esset enim merè per accidens, vt blasphæmabat *Macedonius*. Prob. autem assumpt. sic. In tantùm non procedit à Filio per se, in quantùm Filius intelligitur adæquatè perfectus in esse Filij per ipsam filiationem; sed etiam Pater per paternitatem intelligitur adæquatè perfectus in esse Patris; ergo si Spiritus Sanctus non procedit à Filio per se, nec etiam per se procedit à Patre. 3. In tantùm Spiritus Sanctus per se procedit à Patre, in quantùm in ipso est virtus spiratiua constituens personam Patris in esse spiratoris; sed virtus spiratiua necessariò est etiam in Filio;ergo Spiritus Sanctus necessariò per se procedit,vt charitas Patris, & Filij. Prob. mi; nam si Spiritus Sāctus per se solùm procederet à Patre; quia in Patre est virtus spiratiua à se, non vt communicata ab alio;non autem à Filio,quia in Filio est communicata à Patre, sequeretur, quòd creaturæ non procederent ab essentia, vt communicata Filio, & Spiritui Sancto; sed solùm ab essentia, vt est in Patre, & actiones ad extra essent propriæ Patris, non communes. Tum quia nullus effectus creatus procederet per se à causa creata, quia virtus creaturæ est communicata à Deo. Mi. patet; quia virtus spiratiua in Filio non habet oppositum respectum ad Patrem; ergo in illo est cum proposito respectu, & ideo in eo est virtus spiratiua formaliter sumpta.

13 *Et ibid.lib.*15.*c.*27. docet: *A quo autem habet Filius, vt sit Deus, est enim Deus de Deo, ab illo habet vtique,vt de illo etiam procedat Spiritus Sanctus; ac per hoc Spiritus Sāctus,vt etiam de illo procedat,sicut procedit de Patre,ab ipso habet Patre*;ex quo sic. Filius habet à Patre per se, vt de illo procedat Spiritus Sanctus; si enim nō haberet voluntatem fœcundam ad producēdum Spiritum Sanctum, non esset æquè perfectus; & Spiritus Sanctus habet,vt procedat à Filio,sicut procedit à Patre; sed Spiritus Sanctus procedit à Patre per se;ergo,& à Filio.

14 Conf. *ex Fundatiss. Doct.dist.*10. *princ.* 2.*q.*3. Spiritus Sanctus habet per se procedere, vt nexus Patris, & Filij,quia habet procedere, vt spiritus,vt amor vtriusque, vt docent *Scripturæ*; sed amor Patris, & Filij est amor notionalis; & amor notionalis est nexus notionalis,qui habet nectere obiectum volitum cum potentia;nexus autem essentiæ est per identitatem; quia essentia nequit distingui; nexus verò personarum est cum distinctione, quia repugnat eos identificari; ergo Spiritus Sanctus per se exigit esse à duobus.

15 Conf.2. *ex eodem*. Connexio, & ordo creaturarum est maior perfectio,quæ sit in mundo; nam post bonum primi est bonum ordinis, qui consistit in connexione partium totius inter se; ergo connexio, & ordo Diuinarum personarum inter se necessariò, & per se est admittenda inter Diuinas personas, cū in ipsis debeat poni omnis perfectio simpliciter simplex, sicut est perfectio ordinis, & perfectionis; sed connexio Diuinarum personarum nequit competere, nisi Spiritui Sancto, quia licèt Diuinę personæ in Diuina essentia vniantur, tamen essentia non habet rationem nexus, quia non distinguitur realiter à personis; neque habet rationem medij, quia non distinguitur ab extremis;neque sumi potest notionaliter, & ideo nequit esse nexus personalis; ergo sumitur à persona, non autem à quacunque persona, sed à persona, quæ procedit formaliter, vt terminus bonitatis essentialis; cùm connexio sit formaliter quid bonum, vt dictum est, Spiritus Sanctus autem est huiusmodi; ergo Spiritus Sanctus necessariò, & per se procedit à Patre,& Filio.

16 Vrgetur ampliùs hęc ratio. Si Spiritus Sanctus non procederet à Patre,& Filio,Diuinæ personæ non essent notionaliter connexæ in eo, quòd personæ, nec essent ordinatæ inter se; ergo admitterent disconnexionem, & confusionē; quia confusio nihil aliud, quàm carentia ordinis,& disconnexio carentia connexionis;sed disconnexio, & confusio dicit imperfectionem, cùm eius oppositum dicat perfectionem; ignorantia enim, quæ opponitur scientię priuatiuè, dicit imperfectionem, quia scientia, quæ illi opponitur dicit perfectionem; ergo si Spiritus Sāctus non procederet à Filio, & à Patre, non esset eiusdem perfectionis, ac nunc est, & propterea falsæ nedum primæ tres sentētiæ; sed etiam falsus est modus explicandi allatus à quarta sententia; quia de ratione amoris perfecti notionalis præcisè est connectere personas amantes, & si non haberet hanc connexionem, esset imperfectus,quia careret hac perfectione;carentia autem perfectionis debitę est imperfectio,vt patet; ergo etiansi Spiritus S. concipiatur, vt amor perfectus præcisiuè, adhuc habet procedere à Patre, & Filio per se. Ma. quoad 1. part.probata est; tum quia si Spiritus S. non procederet à Filio,non acciperet naturam ab illo,& ideo non esset quid medium connectens Filium cum Patre, quia *medium communicat cū extremis*; communicatio autem in Diuinis personis nequit esse nisi acceptio naturæ Diuinæ; tum quia nexus per-

perſonalis debet perſonaliter reſpicere perſonas connexas; ſed reſpectus realis in Diuinis nō habetur niſi per proceſſiones, vt ſuperiùs habitum eſt;ergo ſi Spiritus Sanctus non procederet etiam à Filio,Diuinæ perſonæ non eſſent notionaliter connexæ.Prob.2.pars.Ordo,qui eſt inter perſonas Diuinas,nequit eſſe niſi ordo originis, vt dictum eſt *ſup*; ergo ſi Spiritus S. non procederet etiam à Filio,non daretur ordo inter omnes Diuinas perſonas;nam nec Filius ordinaretur ad Spiritum S;nec Spiritus S.ad Filium.

17 Prǽterea *imp.4.ſent*.Perfectiſſimus amor notionalis per ſe ſupponit perfectiſſimam intellectionem notionalem iuxta illud *nihil volitum, quin præcognitum*; & ſicut amor eſſentialis ſupponit intellectionem eſſentialem, ita notionalis notionalem; ſed perfectiſſima intellectio notionalis eſt communicatio eiuſdem naturæ cum omni perfectione non oppoſita termino producto per intelligere notionale;& virtus notionaliter ſpiratiua non opponitur termino producto per intelligere notionale, quia illi termino, cùm ſit formaliter intelligere paſſiuè acceptum, opponitur tantùm intelligere actiuè ſumptum; ergo amor notionalis neceſſariò,& per ſe exigit eſſe ab intelligere notionali actiuè ſumpto,& ab intelligere notionali paſſiuè ſumpto; ſed Spiritus S. procedit, vt amor notionalis perfectiſſimus,& intelligere actiuè ſumptum eſt conſtitutiuum Patris, ſicut intelligere paſſiuè ſumptum Filij; ergo Spiritus S.habet per ſe procedere à Patre,& Filio;& per conſequens etiam,vt amor perfectus,habet procedere per ſe à duobus;propter quod illa ratio iudicatur inſufficiens. Hæc ratio ſumitur *à B.Doct.diſt.11.p.1.q.1*;pro qua *vid*.rationes allatas *art.1*.

18 Conſ. Amor perfectiſſimus eſt amor iucundus; ſed amor iucundus non eſt niſi ex conſortio alterius, quia *ex Boet. nullus eſt ſine ſocio iucundus*; ergo de ratione amoris perfectiſſimi eſt eſſe à duobus.

19 Prob.2.pars concl.Illud petit eſſe à duobus formaliter primò,& reduplicatiuè,vt à duobus,ſeu ſecundùm quod duo, quod exigit eſſe à duplici virtute formali, ſeu à duplici principio *quo*; ſed Spiritus S. exigit eſſe ab vna tantùm virtute ſpiratiua;ergo Spiritus S.non exigit eſſe à duobus, vt à duobus formaliter primò, & reduplicatiuè ſecundùm quod duo. Ma.patet ex dictis;nam formalitas, & reduplicatio appellat ſupra rationem formalem, & ſupra principium *quo*;quapropter cùm dicitur:*Homo,vt Muſicus, ſeu ſecundùm quòd Muſicus,formaliter,vt Muſicus,ædificat*;falſa locutio eſt; quanuis enim poſſit eſſe verum, quòd homo, qui eſt Muſicus, ſit etiam ædificator; attamen quia Muſica non eſt ratio formalis, ſeu principium formale *quo* ædificationis, ideo falſum eſt,quòd Muſicus reduplicatiuè, vt Muſicus,ædificet, non ob aliam rationem,niſi quia reduplicatio formalis appellat ſupra rationem formalem agendi. Prob.mi.*à B Doct.in hac diſt.11.princ.2.q.2*.ſic. Vnus terminus formalis per eandem actionem nequit eſſe à duobus principijs formalibus adæquatis eiuſdem ſpeciei; ſpecificatio enim, & diſtinctio ſpecifica principiorum habetur à termino eorum, & ideo à duplici voluntate exit duplex amor diſtinctus, vt patet de voluntate *Petri*, & de voluntate *Pauli* mutuò ſe amantium,à quibus exit duplex amor diſtinctus; ſed Spiritus S. eſt vnus amor Patris,& Filij;ergo petit eſſe ab vna,& eadem voluntate Patris,& Filij.

20 Collig.*ex Fundatiſſ.Doct.in hac diſt.11. q.2*;quòd iſtæ propoſitiones:*Pater,& Filius ſpirant, quatenus ſunt vnum in virtute ſpiratiua*; *quatenus vnus Deus*; debent abſolutè concedi, quia appellant ſupra rationem formalem, & principium *quo* ſpirādi, quod vnicum eſt;& hoc modo loquendi vtuntur SS. PP; & præcipuè *Beatiſſ.P;& D.Anſ.lib.de Proceſſ.Spiritus Sancti*. Sicuti pariter abſolutè concedendum eſt, quòd *Spiritus S.ſit à duobus*,quia hæc propoſitio, cùm nō ſit reduplicatiua,appellat ſupra ſuppoſitum, non ſupra rationem formalem agendi.

21 Obijc.1. Eſſe amorem mutuū nihil aliud eſt,quàm illum amorem procedere à duobus, ſicut eſſe nexum duarum perſonarum nihil aliud eſt,quàm procedere à duabus perſonis; ergo ratio *B.Doct*.nihil probat, quia probat idem per idem,& petitio principij eſt.

Reſp. neg. ant; quia amor mutuus creatus eſt vnus ſolùm ſecundùm affectum,non ſecundū entitatem; & nectit ſolùm affectuosè, non entitatiuè,& ideo nō eſt idem eſſe amorem mutuum, & eſſe vnum ſecundùm entitatem ſpiratum à duobus.

22 Dices 1. Amor mutuus, ſeu nexus duorum optimè ſaluatur inter ipſum Patrem, & inter Spiritum Sanctum, quia Pater, & Spiritus S. ſunt duæ perſonę realiter diſtinctæ, ſicuti amor mutuus in creaturis ſaluatur inter Patrem producentem,& Filium productum abſq; eo, quòd detur tertia perſona media inter Patrē,& Filiū.

Reſp.*Fund.Doct*.neg.ant. Ad prob. inſert. diſt.aſſump.Pater,& Spiritus S. ſunt duæ perſonæ diſtinctæ realiter ab amore perſonali, quo mutuò ſe diligunt,& connectuntur,neq;ſunt duę perſonæ,quarum vna habet rationem amantis,& alia amoris, ſeu nexus duorum, conc;& neg. conſ. Si namque Spiritus S.eſſet amor mutuus, & nexus inter ſeipſum,& Patrem,iam idem connecteretur ſibi ipſi.

23 Dices 2. Perſonæ Diuinæ ſufficienter connectuntur in eſſentia Diuina amore eſſentiali;ſic enim omnes perſonæ Diuinæ mutuò ſe amāt amore amicitię;ergo illa ratio non probat.

Reſp.diſt.ant.Connectuntur notionaliter in ratione producētis,& producti,neg; in ratione Deitatis,conc.

24 Dices 3. Amor eſſentialis, quo Pater amat

amat seipsum, est amor perfectissimus, & tamen non habet rationem amoris mutui, vel nexus; ergo tertia ratio non probat.

Resp.neg.conf.& ratio est; quia in essentialibus non datur distinctio realis, sed datur summa identitas; in notionalibus datur distinctio realis, & quia cum distinctione reali debet stare connexio realis distinctorum, sine qua illa plura realiter distincta essent imperfecta; ideo amor notionalis debet esse nexus. Imò retorq. arg. Amor, quo Pater diligit seipsum, ita est vnus, & idem amor cum amore, quo Filius, & Spiritus S. diligunt seipsos, vt sine hac vnitate, & identitate essentiali amor Patris esset imperfectus, quia esset finitus; distingueretur enim ab amore essentiali, quo Filius diligit seipsum, & distinctio secundùm esse absolutum finitatem importat; ergo amor notionalis, quo Pater diligit Filium, debet esse vnitiuum, & connectens Patrem, & Filium, ita, vt sine hac connexione, & vnione ille amor esset imperfectus.

25 Obijc.2.*ex Scot.* In Patre est perfectissima, & completissima virtus spiratiua; ergo Spiritus S. non exigit esse per se à duobus. Prob.ant. Si in Patre non esset perfectissima, & completissima virtus spiratiua, sequeretur, quòd in Patre esset virtus spiratiua imperfecta, & incompleta, seu partialis, quæ perficeretur, & compleretur per virtutem spiratiuam, quæ est in Filio, & sic Pater acciperet aliquod à Filio, & Filius haberet aliquod, quod non acciperet à Patre. Prob.cons. quia illud agens, in quo est completa, & perfecta virtus operatiua, potest se solo operari absque consortio alterius; & terminus productus ab agente, in quo est perfecta virtus operatiua, imò eadem virtus, quę est in duobus, est ita perfectus, ac si produceretur à duobus habentibus eandem virtutem.

Resp.dist.ant. In Patre est perfectissima virtus, quæ necessariò exigit esse etiam in Filio, conc; quæ non exigit necessariò esse etiam in Filio, neg. Ad prob.cons.dist.assumpt. Si ille terminus procedat per se, vt nexus duorum, neg; secus, conc. Cùm igitur tota virtus sit in Patre, & Filio, non minùs exigit Spiritus S. esse per se à Patre, quã à Filio, aliter non esset ratio, cur potiùs exigeret esse ab vno, quàm ab alio, vel à neutro, vt dictum est.

26 Obijc. 3.*Scot.* Vel Spiritus S. petit procedere à duobus per se, quatenus amor notionalis est, vel quatenus amor mutuus est. Non primum; nam si Pater per impossibile non produceret Verbum, & spiraret Spiritum S; adhuc amor, quo Pater diligeret Spiritum S; esset amor notionalis, quia esset ad personam, & non esset à duobus; ergo ratio amoris notionalis, vt notionalis est, non petit esse à duobus. Non secũdum; quia esse mutuum est denominatio extrinseca amori, ex eo namque, quòd *Petrus* amans *Paulum* redamatur *à Paulo*, amor *Petri* à reamore *Pauli* non aquirit aliquod intrinsecum, sed tantùm extrinsecam denominationem; quapropter etiam si tollatur reamor *Pauli*, adhuc remanet intrinsecè secũdùm suam entitatem amor *Petri*; ergo ratio amoris mutui non ponit aliquod intrinsecè in entitate amoris; & per consequens etiam si Spiritus S. non esset amor mutuus, adhuc remaneret amor formaliter quantùm ad suã entitatem essentialem, licèt non remaneret quãtùm ad denominationem extrinsecam.

Resp. quòd hoc petit, quatenus amor notionalis mutuus nectens duas personas amantes se ad inuicem per eundem amorem. Ad 1. improb. dicitur, quòd in tali casu Filius non amaret notionaliter Patrem, quia non produceret actiuè amorem personalem, & sic Spiritus S. non terminaretur ad personam Patris, & Filij notionaliter, quia non terminaretur, vt procedens à Patre, & Filio; quomodò terminari debet amor notionalis. Ad 2. dicitur, quòd amor mutuus creatus non est vnus secundùm entitatem, sed solùm secundùm affectum; & ideo amor *Petri* ex amore *Pauli* non aquirit entitatem, aut aliquod intrinsecè, sed solam denominationem extrinsecam. At verò si esset vnus secundùm entitatem, vt est amor Dei, ex eo, quòd non eliceretur *à Paulo*, non esset idem intrinsecè; & colligitur ex eo, quòd si ex illis duabus entitatibus fieret vna entitas, sicut ex duabus intellectionibus vna intellectio, profectò nullus diceret, quòd illa duplex intellectio identificata sit idem, ac vna tantùm intellectio.

27 Obijc.4. Creaturæ non procedunt à Diuinis personis per se, sed tantùm concomitanter, & identicè eo, quia Diuinæ personæ creant, quatenus sunt vnum in essentia. ergo Spiritus S. per se non procedit à duabus personis, quia duæ personæ spirant, quatenus sunt vnum in vnica virtute spiratiua.

Conf. Si per impossibile daretur tantùm essentia Diuina, creaturæ possent produci ab ea cum eadem entitate, & perfectione, cum qua de facto producuntur ab essentia Diuina existente in tribus personis Diuinis; ergo si Spiritus S. per impossibile produceretur ab vna tantùm persona, esset æquè perfectus, ac modò.

Resp. hæc fuisse *sup.* soluta. Ad arg. igitur dist. 2. pars ant. Eo, quia Diuinæ personæ creant, quatenus sunt vnum in essentia, quæ est principium *quod* productionis creaturarum, conc; quatenus sunt vnum in essentia, quæ est tantùm principium, *quo*; sicuti solùm est principium *quo* spirationis, neg.

Ad conf. neg. cons; & disparitas est, quia si non essent personæ, adhuc daretur principium *quo*, & *quod* productionis illarum; at verò si Spiritus S. non produceretur à duobus, non esset idem principium *quod*, & ideo neque idem terminus *qui*, idest Spiritus S; terminus enim *qui* correspondet principio *quod*; sicut terminus *quo* prin-

Principio *quo*; vnde ficuti variaretur Spiritus S. si essentia, vel voluntas non esset eius principiū *quo*:ita variaretur,si Filius non esset eius principium *quod*.Veluti si quis tolleret ad ædificatore musicam,sequeretur eadem ædificatio,quia musica, non est principium *quo*, aut *quod*; si quis autem tolleret artem ædificatoriā, quæ est principium *quo*,vel destrueret suppositum, quod est principium *quod*,non sequeretur ædificatio.

28 Dices. Illa hypothesis non destruit Spiritum S; vt probatum est *in sup.art.cont. Greg*; ergo non variaretur Spiritus S.

Resp. dist. ant; vt dictum est.Non destruit Spiritum S. per se realiter, idest prout respicit principium *quod*,neg; formaliter reduplicatiuè, idest prout respicit virtutem, quæ est ratio spiratiua, conc.

29 Inst. Si supposita Patris, & Filij essent principium *quod* processionis Spiritus S; sequeretur,quòd essent duo principia *quod*,sicut sunt duo supposita.

Ad hoc dicemus *in seq.art.*

ART. V.

An Pater,& Filius sint vnum principium quod Spiritus Sancti?

1 Patet ex dictis principium *quo* Spiritus S;siue radicale,quod est essentia, siue proximum,quod est voluntas,esse vnum, & idē; quæritur ergo solùm de principio *quod*; an sit vnum,vel duo;sicut sunt duo supposita.

2 Prima sent. vult Patrem, & Filium esse duo principia, non vnum tantùm. *Ita Dur.in* 1. *dist.*29. *q.* 2. Hanc sententiam merè disputatiuè proponit *noster Greg.in* 1.*dist.* 12.*q.*1; vbi affert aliquas obiectiones,quas insolutas relinquit.

Secunda sent.vult Patrem, & Filium posse dici vnum, & plura principia Spiritus S. sub diuersis rationibus,& respectibus;vnum quidem, quatenus spirant per vnicam virtutem spiratiuam;& duplex,quatenus sunt duo supposita spirantia.*Ita OKam, & Gabr.apud Sua.de Trin.lib.* 10.*c.*7.Hanc sententiam non differre à sententia *Dur.*manifestum est;nam etiam *Dur.*vult Patrē, & Filium spirare per vnicam virtutem spiratiuam,& secundùm hanc Patrem, & Filium esse vnum in spirando;dici autem duo principia,quatenus sunt duo supposita.

Tertia sent. docet Patrem, & Filium esse vnum tantùm principium *quod* Spiritus S;quamuis sint duo supposita realiter distincta.*Ita Fundatiss.Doct.in* 1. *dist.*29.*princ.* 1. *q.* 3; *& dist.*10. *princ.*2. *q.* 2; *& communiter omnes Theologi*, qui sētentiam *Dur.*vocant temerariam in Fide,directè contra *Conc*;& per consequens erroneam; vt videre est *apud Sua.loc.cit;& Io.à S.Thom.q.*25. *disp.*15.*art.*4.*n.*19.

3 Hæc est quęstio tantùm de modo loquēdi;in re enim conueniunt omnes Patrem, & Filium esse duo supposita Diuina realiter distincta; spirare per vnicam tantùm virtutem spiratiuam;habere vnicam, & eandem indiuisē actionē spiratiuam, dari tantùm vnam relationem spiratoris communem Patri,& Filio,dari tantùm vnū terminum productum,scilicet vnum Spiritum S; & tandem Spiritum S. per vnicam relationem spirationis passiuæ respicere Patrem,& Filium.

4 Vnica concl.Pater, & Filius sunt tantùm vnicum principium *quod* Spiritus S.

Prob. 1. *ex Beatiss.P.*5.*de Trinit. c.*14; vbi docet: *Fatendum est Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti,non duo principia,sed sicut Pater,& Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiuè vnus Creator, & vnus Dominus, sic relatiuè ad Spiritum Sanctum vnum principium*. Ex quo *Conc. Lugd.c. Fideli de Sum.Trin,& Fide Cathol.in* 6. ait: *Fideli, ac deuota professione fatemur, quòd Spiritus Sāctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno principio, non duabus spirationibus, sed vna spiratione procedit*; & deinde definit: *Damnamus, qui temerario ausu asserere præsumpserint, quòd Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex vno procedat;& Flor.in lit.Vnionis.Definimus,quòd Spiritus S.à Patre,& Filio æternaliter est,& essentiam suam,suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio,& ex vtroque æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit.*

5 Inst. *Dur. Conc.* non definiuisse absoluta Patrem, & Filium esse vnicum principium Spiritus S; sed tantùm determinasse Spiritum S. procedere à Patre, & Filio; propterea addiderunt illam particulam *tanquam*, quæ est particula diminutiua;& facit sensum,quòd Spiritus S. ita est à Patre,& Filio,quatenus spirant vnica spiratione simul, & inseparabiliter eodem prorsus modo,ac si essent vnum tantùm principium. Ceterùm stando in veritate sermonis, quatenus principium verà, & realiter prædicatur de duobus suppositis realiter distinctis, non possunt dici vnum principium,sed duo principia.

Sed contra est; quia licèt illa particula *tanquam* aliquando sumatur in *Scripturis* similitudinariè; vt *Sap.*3. *Tanquam aurum in fornace probauit electos*; attamen aliquando sumitur, prout est idem,ac particula *vt*, & facit sensum verum, & formalem; vt *Cor.*4.vocat Apostolos, *tanquam morti destinatos*; qui tamen verè, & realiter erant morti destinati. *Conc.* autem *hic* loquuntur propriè, & formaliter, non similitudinariè, vt cùm dicimus: *Creatura sunt à tribus personis, tanquam ab vno principio*; & ratio est, quia *Græci* obijciebant *Catholicis*, quòd si Spiritus S.procederet à Filio, & à Patre,esset à duobus principijs; quod reputabant absurdum in Fide. *Conc.* ergo non soluissent obiectionem *Græcorum*, si tantùm similitudinariè locuta fuissent;illi enim loquebantur propriè.

6 Prob.

6 Prob.2. *ex Fund. Doct.* Quotiescunque plura principia concurrunt ad vnam, & eandem actionem; tunc vel vnum reducitur ad aliud, vt inferius ad superius;vel vnum est instrumentum alterius, vel ambo reducuntur ad tertium; sed Pater, & Filius nullo ex his modis possunt dici duo principia Spiritus S; ergo sunt tantùm vnum principium. Ma. patet; nam omnis multitudo deriuat ab vnitate; vt habet *D. Dion. de Diuin. Nomin. c. vlt; & Proclus lib. de Caus. prop.1*; & manifestum est; quia quicunque numerus deriuat ab vnitate, quæ est principium omnium numerorũ,à qua descendunt,& ad quam reducuntur omnes numeri. Prob.mi. Filius non reducitur ad Patrem, tanquam inferius ad superius, quia in Diuinis personis non datur inferioritas, aut minoritas; tum quia principium inferius est agens particulare; superius verò est agens vniuersale, quæ non possunt competere Patri, & Filio, vt patet. Nec potest esse instrumentum Patris, quia instrumentum agit per virtutem alterius excedentem suas proprias vires; & sic Filius non haberet virtutem spiratiuam, vt spiraret Spiritum S; excederet enim vires naturales ipsius Filij, quod est absurdum. Nec ambo reducuntur ad tertium, quia non datur agens superius Patre, & Filio, ad quod reducantur Pater,& Filius.

7 Conf. *ex eod.dist.24.princ.1.q.3.* Numerus dualis est collectio duarum vnitatum distinctarum, ex quibus coalescit, & per consequens dicit esse quid maius vnitate, propter quod numerus dicit quid compositum; vnitas verò dicit quid simplex; nam si numerus non diceret quid compositum ex pluribus vnitatibus distinctis, iam numerus esset quid simplex; simplex autem, & vnum idem sunt; cùm per simplicitatem probetur vnitas;& per consequens non esset numerus, quia numerus plures vnitates essentialiter importat;in hoc enim distinguitur ab vnitate;sed in Patre, & Filio non sunt duæ vnitates distinctæ,quibus constituuntur in esse principij Spiritus S; ergo non sunt duo principia Spiritus S. Prob.mi.Vnitas, per quam Pater, & Filius constituuntur in esse principij Spiritus S;est vnitas virtutis spiratiuæ; sed hęc non replicatur in Patre, & Filio; aliter essent duę virtutes spiratiuæ distinctæ realiter;ideo in Patre,& Filio non sunt duæ vnitates distinctæ, per quas constituuntur in esse duplicis principij.Prob.ma.*Petrus*,&*Paulus* in tantùm sunt duo homines, in quantùm *in Petro*, & *Paulo* sunt duæ animæ rationales, quibus constituuntur in esse hominis; ergo in tantùm Pater,& Filius sunt duo principia,in quantũ in ipsis sunt duę virtutes spiratiuæ, quibus constituuntur in esse principij Spiritus S; sed omne compositum reducitur ad vnitatem simplicem, & est illa inferius; quapropter omnis creatura, quæ est quid compositum, quia est sicut numerus,reducitur ad Deum,qui est summa vnitas,& est Deo inferior; ergo si Pater, & Filius essent duo principia,reducerẽtur ad vnum principium vt inferius ad superius.

8 Prob.3.Persona constituitur in esse principij per ipsam virtutem, seu rationem formalẽ agendi, quæ est principium *quo* actionis, & qua ablata tollitur pariter à Persona ratio principij; nam ignis generans constituitur in esse principij *quod* per formam substantialem ignis,quæ est principium *quo* generationis ignis, & ablata ab igne forma ignis, tunc materia, quæ remanet, nullo modo dicitur principium generatiuum ignis,quia materia nullius est actiuitatis;sed cõstitutiuum est pariter distinctiuum, & multiplicatiuum, cùm ab eodem sumatur specificatio, vnitas,& distinctio,ac pluralitas *iuxta Phil*;ergo ab vnitate virtutis, & rationis formalis agendi, quæ est constitutiua principij *quod*, desumitur vnitas principij *quod*;sicuti à pluralitate virtutis & rationis formalis agendi desumitur pluralitas principiorum *quod*, sed Pater, & Filius per vnicam virtutem spiratiuam constituuntur in esse principij *quod* Spiritus S; ergo sunt vnum tãtùm principium Spiritus Sancti.

9 Conf.*ex eod. dist.9.princ.1. q.3; & in 2. dist.1 princ.1.q.1. art.5. dub.1.lat.* Nomen substantiuũ in Diuinis nõ multiplicatur, nisi multiplicetur forma, quã principaliter significat,etiã si multiplicentur supposita, in quibus reperitur talis forma;ideo quanuis essentia,sapiẽtia,ęternitas,& cetera huiusmodi sint in tribus personis realiter distinctis;attamen non dicuntur tres essentiæ,tres sapientię,tres ęternitates;sed forma, quam principaliter significat principium Spiritus S;est virtus spiratiua, quæ non multiplicatur in Patre, & Filio; quia vna, & eadem virtus spiratiua est voluntas fæcunda communis vtrique, vt dictum est; ergo nec potest duplicari ratio principij *quod*.

10 Tandem prob.*ex Fundat. Doct. dist.10. cit.* Implicat, quòd duo principia adæquata, & totalia eiusdem speciei per eandem virtutem,& actionem importantem eãdem relationem producant eundem numero terminum; sed Pater,& Filius per vnicam virtutem spiratiuam, per eandem actionem, & relationem producunt Spiritum S;ergo implicat,quòd sint duo principia.

11 Obijc. 1. In Diuinis personis datur numerus ternarius,qui non reducitur ad vnitatem, tanquam inferius ad superius; ergo falsum est, quòd quilibet numerus reducatur ad vnitatem virtutis spiratiuæ; sicut Trinitas personarum reducitur ad vnitatem essentiæ; ergo prima ratio non probat.

Resp.*B.Doct.dist.24.princ.1.q.3*; quòd in Diuinis non est propriè numerus;quia numerus propriè sumptus est species quantitatis discretæ; & ideo propriè non reperitur, nisi in prædicamento quantitatis. Cùm ergo personæ Diuinæ sint in prædicamento substantiæ, ideo inter

ipsas

ipsas non est numerus; & per consequens nec descensus ab vnitate, aut inferioritas. At verò principia, cùm desumantur penes virtutem, quæ est quantitas spiritualis, quantitas enim diuiditur in quantitatem molis,& virtutis; ideo si daretur numerus principiorum, daretur vnitas in eodem genere, idèst daretur vnum principium, à quo illa duo principia descenderent, & cui subijcerentur, tanquam aliquid inferius; quia omnis numerus, qui est in prædicamento quantitatis, essentialiter descendit ab vnitate, & est inferior illa. Quanuis ergo personæ reducantur ad vnitatem essentiæ, tanquam in radicem, à qua pullulant; non reducuntur tamen, tanquam numerus in vnitatem. Igitur dist.ant. In Diuinis personis datur propriè numerus, neg; impropriè, & trāslatiuè, conc. Ad aliud neg. 1. pars ant; nam si illa duo principia reducerentur ad vnam virtutem spiratiuam, deberet illa virtus in illis duobus principijs duplicari; quia numerus binarius constat essentialiter ex duabus vnitatibus duplicatis, vt patet; aliter si esset vna tantùm vnitas in illis, vt in casu, nō fieret numerus binarius, sed remaneret vnitas in illis; creaturæ autē se habēt, sicut numeri, quia in illis multiplicantur vnitates, quæ descendunt à primo vno, qui est Deus.

12 Obijc. 2. Multiplicata ratione formali, qua constituitur principium *quod*, & non multiplicato supposito non multiplicatur principium *quod*, v.g. si homo, in quo sit musica, quæ est ratio constituens principium *quod* Musicum; & sit ars ædificatoria, quæ est formalis constituens principium ædificans, idèm homo nequit dici duplex principium *quod*, quia principium *quod* est suppositum; & sic esset duplex suppositum, quod est ridiculū; sed Pater, & Filius est duplex suppositum, vt docet Fides; ergo quamuis sit vna tantùm ratio spiratiua constitutiua principij *quod* Spiritus S; attamen propter dualitatem suppositorum Pater, & Filius sunt dicendi duo principia *quod*, & sic ruit alia ratio.

Resp; quòd principium *quod* coalescit ex supposito, & ratione formali constitutiua, quia in qualibet constitutione debet dari constituēs, & res constituta; ad multiplicationem ergo principij *quod* requiritur multiplicatio suppositorū, & multiplicatio virtutis formalis, nec sufficit sola multiplicatio virtutis absque multiplicatione suppositorum, vt patet per instantiam allatam; nec sufficit multiplicatio suppositorum absque multiplicatione virtutis formalis; sicuti quia compositum physicum coalescit ex materia, & forma; ideo ad multiplicationē compositi physici non sufficit sola multiplicatio materiæ cum vnitate formæ, aut è contra. Propter hoc Pater, vt est principium Filij, & vt est principium Spiritus S; non est duplex principium, quia est vnū suppositum. Et Pater, vt principium Filij; & Filius, vt principium Spiritus S; non est duplex principium; quia virtus generatiua, & spiratiua non distinguuntur realiter; aliter non essent in eodem Patre.

13 Obijc. *noster Greg.* Quando dicimus Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus S; vel ly *principium* supponit pro essentia communi, vel pro virtute spiratiua, actione, & relatione spirationis; vel pro alio tertio constituto ex essentia, & spiratione actiua; vel supponit confusè pro Patre, & Filio, vel determinatè pro Patre, & Filio; neutrum dici potest; ergo nec dicendum est, quòd Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus S. Prob. mi; nam ly *principium quod* in dicta propositione non supponit pro essentia communi, quia essentia esset principium *quod*; & ideo valeret dicere; essentia Diuina spirat; quod est falsum. Non pro virtute spiratiua, actione, aut relatione communi spiratoris, quia virtus spiratiua est principium formale *quo*; vt supra diximus; non principium *quod*; actio verò est quid elicitum à principio *quod*, & relatio est quid cōsequens ad actionem spiratiuam, & per consequens ad principium *quod*. Non pro aliquo tertio constituto ex essentia, & spiratione actiua, quia hoc tertium constitutum esset quarta persona; sicut enim cōstitutū ex paternitate, & essētia est persona Patris; ita hoc constitutum ex essentia, & spiratione actiua esset quarta persona, & sic saltem formaliter essent quatuor personæ constitutæ. Nec supponit confusè, quia nullum signum sincathegorematicum præcedit principium; dicendo; aliquod principium; hæc enim propositio est confusa: *Aliquis equus est necessarius ad iterandum*; quia *Aliquis* præcedit *equum*, & propterea illam confundit. Tum quia si principium supponit confusè, valet dicere: Pater, & Filius sunt hoc principium, quod est Pater; significando solam personam Patris; deinde valet dicere: Pater, & Filius sunt hoc principium, quod est Filius significando solam personam Filij; hoc autem est falsum; quia nec Pater solus est hoc principium Spiritus S; nec Filius. Non determinatè pro solo Patre, aut pro solo Filio, vt patet; quia nec solus Pater, nec solus Filius est principium Spiritus S. Non tandem determinatè pro Patre, & Filio simul, quia terminus supponens pro pluribus personis magis propriè ponitur in plurali, quàm in singulari; nam magis propriè dicitur *Sortes*, & *Plato* est duplex homo, quàm *Sortes*, & *Plato* sunt vnus homo; ergo debet dici, quòd Pater, & Filius sunt duo principia, non vnum principium.

Resp. Omissis aliorū placitis ly *principium* supponere determinatè, & singulariter pro Patre, & Filio ita, vt simul valeat de vtroque, & in particulari de vno tantùm, non exclusiuè tamen, excludendo scilicet aliud; valet enim *Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus S; Pater est principium Spiritus S. simul cum Filio*; non valet tamen: *Pater est principium Spiritus S. sine Filio*; & è contra; propter hoc dicitur *contr.*

Sua.

Sua; quòd hæc suppositio assimilatur potiùs distributiuę, quàm collectiuę, quia terminus collectiuus prædicatur tantùm de omnibus simul, non tamen de singulis, vt patet de ciuitate, quæ non prædicatur tantũ de vno ciue. Potest tamẽ dici: *Pater verè est principium Spiritus S*; quod dicitur etiam de Filio, & potest prædicari simul de vtroque, vt dictum est.

Resp.2.retorq.arg. In hac propositione: *Pater, & Filius sunt vnus Deus*; prædicatum non supponit tantùm pro essentia communi, quia Deus, qui est Pater, non est tantùm essentia, nec supponit confusè, nec determinatè pro aliqua persona; ergo dicendum est: *Pater, & Filius est duplex Deus*. Quicquid respondebit *Greg*; erit solutio eius obiectionis; ly enim *Deus* supponit principaliter pro ipsa natura, quæ est vna, & cõmunis connotando tantùm supposita habentia talem naturam simul, & etiam in singulari, non exclusiuè tamen, scilicet cum exclusione vnius ab altero. Ita in casu ly *vnum principium* supponit principaliter pro virtute spiratiua, quæ vna est in Patre, & Filio, & connotat supposita Patris, & Filij habentia talem virtutem, pro quibus supponit simul, & etiam in singulari determinatè, sine tamen exclusione vnius ab altero.

14 Obijc. 4. *Greg. Beatiss.P.apud Mag.dist.* 29. docet tres personas Diuinas dici vnum principium creaturarum, quia res eodem modo sunt ab omnibus personis Diuinis; non enim magis, aut pleniùs, aut immediatiùs sunt à Patre, quàm à Filio, & à Spiritu Sancto, & è contra; ergo Pater, & Filius dicuntur vnum principium, quatenus spirant eodem modo, in re ipsa tamen sunt duo principia.

Resp. *Beatiss.P.* docere, quòd Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus S; sicut Pater, & Filius sunt Deus, quod etiam sæpè docet *Mag*; *& passim D.Ans*; ergo si Pater, & Filius dicuntur solùm vnum principium, quatenus spirant eodem modo, in re ipsa tamen secundùm veritatẽ sermonis sunt duo principia; ita dicuntur vnus Deus, quatenus habent vnam naturã Diuinam cum æquali perfectione, attamen in re ipsa secundùm veritatem sermonis sunt tres Dij. Dicendum ergo, quòd Pater, & Filius sunt vnicum principium, non tamen quia spirant eodem modo, sed quia habent vnicam spirationem actiuam, à qua verè, & realiter constituuntur in esse principij.

15 Obijc.5.*D.Ans.lib.de Proc.Spiritus S.*ait: *Spiritum Sanctum esse à Patre, & Filio Auctoribus*; sed *Auctor* idem est, ac principium, & hoc nomen ponitur in plurali; ergo & hoc nomen principium dicendum est de Patre, & Filio in plurali; propterea sunt duo principia.

Resp.neg.mi; nomen enim *Auctoris*, cùm sit nomen verbale, potest multiplicari, vt *inf.* dicemus, ideo Pater, & Filius sunt *Auctores* Spiritus S; non autem duo principia, vnde *Auctor* idem est, ac *spirator*.

16 Obijc.6. Si vna persona Diuina assumeret plures naturas humanas, vel duæ personæ assumerent eandem naturam humanam, in primo casu essent vnus homo non obstante pluralitate naturæ humanæ; in secundo essent plures homines non obstante vnitate naturæ; ergo non obstante vnitate virtutis spiratiuæ adhuc Pater, & Filius sunt dicendi duo principia.

Resp.neg.cons. nam vnus homo principaliter significat pro supposito; non enim est vnus, nisi vnitate suppositi, & principium constituitur formaliter à virtute, quæ, cùm sit vna, nequit multiplicare principia.

17 Obijc.7. Materia, & forma, quanuis sint in eodem composito, attamen dicuntur duo principia compositi; ergo licèt Pater, & Filius habeant eandem virtutem spiratiuam, attamen erunt duo principia.

Resp.neg.cons. nam materia, & forma principiant diuersis causalitatibus realibus; quia materia recipiendo, & forma actuando; Pater autẽ, & Filius sunt principium Spiritus S. eadem actione, & virtute. Tum quia materia, & forma sunt principia partialia compositi, quòd nequit competere Patri, & Filio propter imperfectionem, quam importat principium partiale.

18 Collig. ex dictis principium generationis Filij, & principium spirationis Spiritus S; & principiũ creationis dici analogicè, nõ vniuocè, aut æquiuocè. *Ita Fundatiss.Doct.dist.7.princ.1. q.3; & dist.29.q.1.* Ratio est. Principium formale generationis, & principium formale spirationis, & creationis important eandem rem realiter distinctam solùm virtualiter; quia principium generationis dicit essentiam Diuinam cum intellectu, & principium spirationis dicit eandem essentiam cum voluntate; & principium formale creationis dicit essentiam cum omnipotẽtia; intellectus autem, voluntas, & omnipotentia differunt virtualiter, vt diximus *To.1.de Omnip. art. 6.* Hoc idem docet *Quodl.1.q.8*; sed illud nomen, quod significat plura, quæ sunt eadem secundùm vnam rationem, & sunt diuersa secũdùm aliquam rationem, dicitur analogicè de illis; ergo nomen principij analogum est ad omnia supradicta.

ART. VI.

An Pater, & Filius sint duo spirantes, & duo spiratores?

1 HAec quoque lis est de nomine; conueniunt enim *omnes DD*; quòd vnica est virtus spiratiua, vnica actio, & vnica volitio Patris, & Filij in ordine ad Spiritum S; nec non quòd duo sunt supposita spirantia; quare ex vi significationis formalis nominum est dirimẽda.

2 Prima sent. vult Patrem, & Filium propriè dici duos spirantes, & vnus spirator. *Ita D. Tho.q.36.art.4.ad 7*; & communiter *Thomistæ*, quan-

quanuis *D.Tho.in 1.dist.11.art.4;& dist.12.art.3.* contrarium docuerit. Hanc docet *ex nostris Put.ibid.concl.2; ex alienis Bec;Sua; Mol; & alij.*

Secunda sent.docet Patrem,& Filium propriè dici nedum duos spirantes, sed etiam duos spiratores. Ita *B.Doct.hìc dist.11.princ.2.q.4;& eius discipuli Ger.dist.12.q.1. art.3; Arg.dist.11.q.1.art.3;Franc.à Christo dist.28.q.3;M.Conson;& tota nostra Schola. Ex alij Albert.q.3.memb.3;Henric.q.8.art.54; Dur. art.29. q.3; Tho. Arglius dist.12. q.2.* Esse probabilem asserit *Ruiz. dist.11.q.5;Palat.dist.11.disp.3;Val.q.13. ad 4; & alij;pro cuius decis.*

3 Not;quòd *D.Tho.in Sum.*retractauit sententiam,quam tradiderat *in 1.sent*;quia censuit, prout aduertit *Io. à Tho.hìc disp. 15. art. 24.n. 21*; nomen spiratoris esse nomen substantiuum; nomen verò spirantis esse adiectiuum; & quia, vt diximus *in sup.art*;nomen substantiuum non multiplicatur nisi multiplicata forma,quam principaliter significat, ideo non multiplicantur spiratores,quia est vna tantùm vis spiratiua,quã significat, & ob eandem rationem tres personæ non dicuntur tres creatores, sed tres creantes. Vt autem hoc dissoluatur.

4 Aduertit *Fundatiss. Doct*; quòd nomen substantiuum,adiectiuum, Verbum,participium, ac nomen verbale habent diuersum modum significandi;nam nomen substantiuum propriè significat formam per se stantem, & in se existentem; dicitur enim substãtiuum *quasi per se stans, & substentans alia*;propterea nequit multiplicari, nisi multiplicetur illa forma stans, & per se existens, quam significat, etiansi multiplicentur supposita,in quibus stat,& existit;ideo quia vna, & eadem omnipotentia est in tribus personis Diuinis realiter distinctis,propterea non dicuntur *tres omnipotentiæ*;quod dicendum est pariter de essentia &c. Nomen adiectiuum propriè significat formam non per se stantem, & existentem,sed alteri adiacentem; hinc dicitur adiectiuum,quia *alteri adiacet*;vnde principaliter significat suppositum habens talem formam, quia proprium est suppositi substentare alia, quæ ei adiacent; & per consequens ad multiplicationẽ suppositorum multiplicatur tale nomen, quanuis vna sit,& immultiplicata illa forma,quam significat; propterea dicimus tres *personas Diuinas*,non tres Deos, quanuis *Diuinum* sumatur à Deitate.Verbum,& participium non significant propriè formam per se stantem, aut alteri aduenientem, sed significant actionem à supposito egredientem.Quis enim diceret;quòd *dealbare, & dealbans*,sit idem,ac dicere;*albedo*,aut *album*; quare si multiplicantur supposita,à quibus egreditur talis actio, licèt sit eadem actio, etiam multiplicatur verbum, & participium; vnde plures equi trahentes vnam nauim eodem fune, & tractione dicuntur *plures trahentes*. Nomen autem verbale demum significat actionem egredientem à principio *quod*; & in hoc distinguitur à nomine substantiuo,& adiectiuo; conuenit tamen cum verbo,& participio, vt dictum est. Differt autem à verbo,& participio, quòd verbum, & participium significant actionem egredientem à principio *quod*,siue illud sit mediatũ, siue immediatum; propterea tam *manualis murarius*,qui ponit lapides,& vnit cum cemento,& domum fabricat,quàm *Architectus*, qui ordinat domum,quàm Dominus, qui erogat pecuniam, dicuntur illam domum ędificare;sic solemus dicere: *Romulus ædificauit Romam; Alexander Magnus Alexandriam;Constantinus Constantinopolim &c*; & hoc idem dicitur *de Architectis*, & *manualibus* harum ciuitatum. Nomen autem verbale significat actionem egredientem tantùm immediatè à supposito operante; propterea soli *manuales* dicuntur ædificatores; *Romulum* autem, *Alexandrum &c.* nullus diceret ędificatorem.Sic Sol dicitur generare hominem, non tamen dicitur genitor hominis,quia immediatè, & proximè non producit hominem, cùm ipsum tantùm producat sub ratione viuentis, quæ est ratio tantùm generica,& remota; & in hoc distinguitur nomen verbale à verbo, aut participio; ex quo patet hallucinari *Thomistas* dicentes multiplicari spirantes, quia spirans est nomen adiectiuum; hoc enim falsum est; nam *Grammatici* distinguunt nomen à participio asserentes participium esse partem orationis distinctam à nomine.

5 Ex his apparet 1. quòd nomen verbale est quid medium inter nomen substantiuum, & adiectiuum;nam nomen verbale, cùm deriuetur à verbo, quod essentialiter est quid medium vniens subiectum cum prædicato, ideo induit naturam verbi, & ideo sicuti verbum pluraliter dicitur ad multiplicationẽ suppositorum etiam immultiplicata forma,dicitur enim: *Pater,& Filius spirant per eandem virtutem spiratiuam*; ita dicendum de nomine verbali.

6 Apparet 2. quòd cùm principium *quod* proximum, & immediatum creationis sit Diuina essentia, vt subsistens, & personæ sint tantùm principia remota,ideo potest dici personas esse tres creantes,non autem tres creatores; at verò cùm principium proximum spirationis sint personæ Patris, & Filij; quia spiratio est actio notionalis, quæ proximè, & immediatè elicitur à persona, ideo dici debent propriè tres spirãtes, & tres spiratores.

7 Vnica concl. Pater, & Filius rectiùs dicuntur duo spirantes,& duo spiratores.

Prob.1.*ex Beatiss.P.lib.de Gram*;vbi habet: *Verba diximus hæc; quæ dicunt modos cum temporibus,& personis.*Ex quo sic.Nomen verbale induit naturam illius, à quo oritur; quia effectus trahit naturam à sua causa; sed verbum, à quo oritur,plurificatur ad pluralitatem personarum, quia immediatè significat cum persona; ergo & no-

nomen verbale;atqui ſpirator in Diuinis eſt nomen verbale, & duæ ſunt perſonæ, quæ ſpirant; ergo ſunt duo ſpiratores; propter hoc *D.Hil.2. de Trin.* ait:*Spiritus S. à Patre, & Filio Auctoribus*,idêſt ſpiratoribus, *confitendus eſt*; quem modum loquendi non reijcit *Beatiſſ.P*;quem tamen certum eſt vidiſſe *libros D. Hil*; vt ſæpe teſtatur *in lib. de Trin.*

8 Dicunt *Thomiſtæ à D.Hil.* ſumi nomen *Auctoris* adiectiuè,non ſubſtantiuè.

Sed contra eſt 1.Si nomen *Auctoris* poſſet ſumi adiectiuè;ergo & nomen ſpirator.2.Nomē *creator* nunquam ſumitur *à SS.PP.* adiectiuè;ergo afferenda eſt ratio, cur *Auctor* ſumi poſſit adiectiuè,non autem creator; ſed hæc nequit eſſe,niſi quia nomen verbale ſignificat ſuppoſitum immediatè agens;ergo ex eo,quòd ſint duo ſuppoſita ſpirantia immediatè,deducitur, quòd ſint duo ſpiratores verè loquendo.

9 Prob.1.pars concl; quæ communis eſt *inter Theologos*. Participium,& verbum ſignificant actionem exeuntem à ſuppoſito, ſiue ſit principium *quod* immediatum,ſiue mediatum;ergo ad multiplicationem ſuppoſitorum, ſiue ſit principium *quod* immediatum,ſiue mediatum, multiplicantur; ſed ſpirans eſt principium; ergo ad multiplicationem perſonarum Diuinarum, quæ ſpirant,multiplicatur ſpirans;atqui duę ſunt perſonæ,quæ ſpirant;ergo duo ſunt ſpirantes.

10 Conf.1.Participium ſortitur naturam,& modum ſignificandi,quem habet Verbum,à quo deriuatur; ſed verbum plurificatur ad pluralitatem ſuppoſitorum, etianſi ſit eadem virtus,ratio agẽdi,actio,& terminus productus;ergo plurificari etiam debet participium.

11 Conf.2.Participium, & verbum,licèt diſtinguantur à nomine adiectiuo, ſpectant enim ad diuerſam partem orationis, attamen illi aſſimilantur in hoc.1.quòd participium non ſignificat formam ſtantem per ſe,ſicut ſubſtantiuum,& ideo poteſt multiplicari etiam non multiplicata forma,quam ſignificat. 2. Quia participium mouetur per omnia genera,ſicut adiectiuum; quidquid dicant *noſtri Argent*; *& M. Conſon*; *dicitur enim: Homo victor;gens victrix,& genus victrix & à Beat.P.dicitur gratia victrix,adiutorium victrix*; quamuis enim non habeat diuerſas terminationes, non tamen ſequitur, vt ipſi aiunt, quòd non moueatur per omnia genera, ſcilicet maſculinum,fœmininum, & neutrum;quia nomē *felix* non habet diuerſas terminationes, & tamen eſt adiectiuum, & verè mouetur per omnia genera; ſed adiectiuum ex eo, quòd non ſignificet formam per ſe ſtantem,& moueatur per omnia genera,multiplicatur immultiplicata forma, quã ſignificat;ergo & participiũ,& ideo ad multiplicationem perſonarum, quæ ſpirant, multiplicantur ſpirantes.

12 Dices.Etiam nomen verbale in hoc aſſimilatur adiectiuo; quòd ſcilicet non ſignificat formam per ſe ſtantem, & mouetur per omnia genera grammaticalia, & tamen *creator* non multiplicatur ad multiplicationem ſuppoſitorũ.

Contra eſt; nam quamuis nomen verbale aſſimiletur nomini adiectiuo per non ſignificare formam per ſe ſtantem,& per moueri per omnia genera; attamen nomen verbale diſtinguitur ab adiectiuo, & à verbo,ac participio; quòd adiectiuum,verbum,& principium multiplicantur ad multiplicationem ſuppoſitorum, ſiue illa ſint principium proximum immediatum, & directũ; propterea tres perſonæ Diuinæ dicuntur tres creantes,tres perſonæ æternæ &c; etianſi perſonæ Diuinæ ſint principium *quod* mediatum, & remotum; creare enim immediatè conuenit eſſentiæ Diuinæ,& mediatè perſonis;nomen verò verbale ſignificat tãtùm actionem immediatè, & directè, & proximè exeuntem à principio *quod*; ideo non multiplicatur, niſi multiplicato hoc principio proximo; ergo quamuis *creator* ſignificet formam per ſe ſtantem,& moueatur per omnia genera, ſicut adiectiuum, quia tamen non multiplicatur immediatum principium *quod*; ideo non multiplicantur creatores.

13 Si dicatur 2. *D. Athan. in Symb.* negat Patrem,& Filium, & Spiritum S. eſſe *tres omnipotentes,tres æternos;tres immenſos &c*;ſed omnipotens,æternus, immenſus ſunt nomina adiectiua;ergo falſum eſt nomina adiectiua multiplicari ad multiplicationem ſuppoſitorum.

Reſp.*D.Athan.* negare tres perſonas eſſe tres omnipotentes incomplexè ſumendo hoc adiectiuum *omnipotens* ſine ſubſtantiuo; tunc enim adiectiuum ſumitur ſubſtantiuè;quia non adiacet alteri nomini,cùm ſolitariè ſumatur;non tamen negare eſſe tres perſonas omnipotentes, æternas; ait enim: *Sed tota tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt,& coæquales*; quia tunc talia nomina nõ ſumuntur ſubſtantiuè;nam ſumuntur ſimul cum perſona, cui adiacent. Vnde licèt non concedatur Patrem, & Filium, & Spiritum S.eſſe tres omnipotentes; conceditur tamen eſſe *tres perſonas omnipotentes*; quia in prima propoſitione ly *tres* cadit ſupra omnipotentiam,& facit ſenſum, quòd ſint tres omnipotentiæ,quod eſt falſum;in ſecunda autem cadit ſupra *perſonas*,& facit ſenſum,quòd ſint tres,quibus adiacet vna omnipotentia,quod eſt verum.

14 Prob.2.pars. Quandocunque plura ſuppoſita concurrunt immediatè ad producendum vnum effectum per eandem actionem, illa ſuppoſita non obſtante identitate actionis, & virtutis dicuntur plura producentia,& plures productores,v.g; quando plures homines trahunt nauim,nõ obſtante,quòd ſit vna,& eadem tractio, ſeu actio tractiua, adhuc dicuntur plures homines trahentes, & plures tractores, & ideo non obſtante,quòd ſit eadem virtus,quia virtus ſpecificatur ab actione, poteſt multiplicari nomen verbale,& participium; ergo etiam non obſtante

vni-

vnitate virtutis spiratiuæ, attamen Pater, & Filius, quia sunt duo supposita spirantia, debent dici duo spiratores.

15 Prob. 3. Nomen verbale significat immediatè suppositum, à quo immediatè exit actio, vt dictum est; sed duo sunt supposita Diuina, à quibus immediatè oritur actio spiratiua; ergo duo sunt spiratores.

16 Præterea nomen verbale, quanuis verè non sit nomen adiectiuum, attamen assimilatur nomini adiectiuo, quatenus non significat formam per se stantem, & subsistentem, & quatenus mouetur per omnia genera grammaticalia; sed adiectiuum eo, quia non significat formam per se stantem, & subsistentem; & quia mouetur per omnia genera, multiplicatur ad multiplicationem suppositorum, quibus adhæret, etiam immultiplicata forma, quam significat; ergo & nomen verbale; sed nomen spiratoris est verbale, quia deriuatur à verbo spiro, & multiplicantur supposita, à quibus exit illa actio, quam significat; ergo Pater, & Filius dicendi sunt nedum duo spirantes, sed etiam duo spiratores.

17 Conf. Actio spiratiua non egreditur immediatè ab vno tertio subsistenti relatiuo constituto per relationem spirationis, sed immediatè à suppositis Patris, & Filij, vt nobiscum *inf.* probabunt *Thomistæ art. 9. cont. Okam, & alios*; ergo Pater, & Filius nequeunt dici vnus spirator, sed duo spiratores.

18 Obijc. 1. *Thomistæ*. Hoc nomen *spirator* est nomen substantiuum; sed nomen substantiuũ non plurificatur, nisi plurificata forma, quam significat; ergo nomen spiratoris non plurificatur, nisi plurificata forma, quam significat; forma autem, quam significat *spirator*, est virtus, vel actio spiratiua, quarum vtraque vna, & eadem est singulariter in Patre, & Filio; ergo Pater, & Filius non sunt propriè duo spiratores, sed vnus spirator. Prob. ant. 1. Spirator non mouetur, aut declinatur per omnia genera, sicuti mouetur, & declinatur nomen adiectiuum. 2. Spirator non significat formam adiacentem; ergo significat formam per se stantem.

Sed hæc, & similia leuia sunt. Neg. ergo supp. ma; supponit enim, quòd nomen adæquatè diuidatur in substantiuum, & adiectiuum; quod falsum est; quia vltra nomen substantiuum, & adiectiuum datur nomen verbale, quod propriè non est substantiuum, aut adiectiuum. Sit nanq; *Aethiops dealbator*; tunc hoc nomẽ *dealbator* non est nomen substantiuum, quia *in Aethiope* non stat albedo; nec est nomen adiectiuum, quia *Aethiopi* non adiacet albedo; sed directè significat actionem egredientem ab *Aethiope* inductiuam albedinis in parietem. Ad 1. prob. neg. assumpt; & ad 2. neg. conf; quia datur medium inter significare formam stantem, & adiacentem, quod medium est significare actionem egredientem à supposito.

19 Obijc. 2. Ita se habent Pater, & Filius ad spirandum, sicut tres personæ Diuinæ ad creandum; sed quanuis tres personæ dicantur tres creantes, non tamen dicuntur tres creatores; ergo à pari.

Conf. Ideo tres personæ dicuntur vnus creator; quia licèt omnes tres concurrant ad creandum, attamen creant per vnicam virtutem, & actionem creatiuam; ergo à pari.

Resp. ad arg. neg. ma, nam tres personæ cõcurrunt tantùm ad creandum mediatè, & remotè, seu indirectè; personæ autem Patris, & Filij concurrunt immediatè, & proximè ad spirandũ; vt dictum est.

Ad conf. neg. ant; nam ratio, cur tres personæ dicantur creantes, & vnus creator, non est, quia est vnica eorum virtus, & actio creatiua, sed quia principium *quod* immediatum, & proximum vnicum tantùm est.

20 Inst. *Henr. & Ruiz. Actiones ex Phil. sunt suppositorum*; sed essentia Diuina, vt subsistens principium elicitiuum creationis, non est suppositum, aliter quatuor essent supposita Diuina; ergo Diuina essentia non est principium *quod* immediatum actionis creatiuæ, & ideo rigorosè loquendo non valet hæc propositio: *Essentia creat*; sed dici debet: *Tres personæ mediante essentia creant.*

Resp. 1. *Actiones esse suppositorum, vel subsistentium*; essentia autem Diuina est subsistens secundùm se. 2. Actiones sunt suppositorum, quando natura aquirit esse in supposito; cũ enim *agens agat, in quantùm actu est*, ideo illa natura, quæ aquirit tantùm esse in supposito, nequit habere actiones; aliter ageret absque eo, quod existeret. At verò natura, quæ dat esse supposito, & quę est suum esse, vt natura Diuina, potest esse principium *quod*. Instantiam habemus de anima separata, quæ non est suppositum, & tamen agit, quia habet subsistentiam extra suppositum, & ideo actiones sunt suppositorũ, vel subsistẽtium.

21 Replic. Quanuis animæ rationali separatæ à corpore conueniat per se agere; attamen prout est coniuncta cum corpore, illi non competit per se agere; quia *si quis dixerit animam per se intelligere, dicit eam texere, vel ædificare*, vt habetur 1. *de An. t. c. 64*; sed Diuina essentia est inseparabilis à suppositis; ergo illi non competit per se creare.

Resp. neg. paritatem; nam anima, prout est in corpore, non habet esse per se, & in se, sed in alio, ideo illi non conuenit per se agere, quia per se agere sequitur ad esse per se. At verò essentiæ Diuinæ, etiam prout est coniuncta cum suppositis, conuenit esse in se, & per se, quia illi conuenit subsistentia absoluta, vt diximus *To. 1. de Subst. q. 2. art. 4*; ergo illi cõuenit per se agere.

22 Obijc. 3. Essentia Diuina, licèt sit subsistens, nequit esse principium *quod* spirationis Spiritus S; vel generationis Filij; ergo licèt sit

per ſe ſubſiſtens , nequit eſſe principium *quod* creationis.

Reſp.neg.conſ.& diſparitas eſt;nam adhoc, vt ſit principium *quod* , non ſufficit eſſe quid ſubſiſtens,ſed requiritur etiam,vt ſit quid diſtinctum à termino producto , cùm idem non poſſit producere ſe ipſum . Cùm ergo eſſentia diſtinguatur à creaturis,non à perſonis, ideo eſt principium *quod* creationis,non ſpirationis.

23 Inſt.Emanatio Diuinarum perſonarum eſt ratio emanationis creaturarũ,vt habet *Fund. Doct.*;& *omnes antiqui*;ergo perſonæ ſunt principium *quod* proximum.

Reſp. Emanationem perſonarum Diuinarum eſſe rationem,ſeu principium *per quod* proximum , quia *omnia per Verbum facta ſunt* , *&* *omnia per Spiritum S.ſanctificantur*; eſſe tamen principium *quod* remotum.

24 Obijc.4.Si Pater,& Filius eſſent duo ſpiratores, eſſent pariter duo principia ; ſecundum dici nequit ; ergo neque primum .

Reſp.neg. ſeq; principium enim eſt nomen ſubſtantiuum;ſpirator verò verbale,vt dictũ eſt.

25 Obijc.Si eſſent duo ſpiratores,darentur duæ relationes ſpirationis actiuæ; ſed conſequẽs eſt falſum;ergo & ant. Prob.ma. Relatio ſpirationis actiuæ ſequitur ad ſpiratorem.

Reſp.neg.ma; & ad prob. dicitur,quòd relatio ſequitur ad actionem ; vnde ſicuti eſt vna actio, ita & vna relatio ſpiratoris , quanuis ſint duo ſpiratores.

ART. VII.

An Spiritus Sanctus principaliùs procedat à Patre, quàm à Filio?

1 Difficultas pariter eſt de vocibus ; nam certum eſt Patrem, & Filium ſpirare Spiritum S.per eandem virtutem ſpiratiuam;dubium tamen eſt,an ex eo, quòd Pater habeat illam virtutem à ſe ipſo , & Filius illam habeat à Patre,dicendum ſit Patrem principaliùs ſpirare, quàm Filium?

2 Prima ſent.vult hanc propoſitionem: *Spiritus S.principaliùs procedit à Patre , quàm à Filio*;abſolutè eſſe cõcedendã. *Ita D.Bon.in 1.diſt. 11.q.2; Scot; & Dur. ibid; Gab.ibid.q.3; Marſ.q. 15.art.2;Sua.lib.10.de Trin.c.3.n.10.*

Secunda ſent. docet nõ eſſe concedendum Spiritum S.principaliùs procedere à Patre, quã à Filio, quanuis cum aliqua explicatione poſſit concedi eſſe à Patre principaliter,& à Filio non principaliter,non tamen minùs principaliter.*Ita B.Doct.in 1.diſt.12.princ.2.q.1;& lib.cont.Exp. r.16;D.Tho;& omnes;pro eiuus explic.*

3 Not.*Fundatiſſ.Doct. diſt.12.cit*; quòd illud,quod poteſt facere difficultatem in præſenti,eſt commune axioma *Phil.* ſcilicet : *Propter quod vnumquodque tale,& illud magis* : Vnde cùm Filius ſpiret Spiritum S. per virtutem acceptam à Patre,videtur,quòd Pater magis principaliter ſpiret , quàm Filius . Ceterùm docet *Fundatiſſ. Doct*; quòd allegatum axioma non poteſt intelligi neque in vniuocis,neq; in æquiuocis, ſed tantùm in analogis, quæ habent eſſe inæqualiter eo,quia vnum habet eſſe principaliter;idèſt habet totum eſſe,aliud verò habet eſſe minùs principaliter,idèſt ſolùm partem eſſe.Nõ in vniuocis ; quia quanuis ignis genitus habeat eſſe calidum per ignem generantem;non tamen ignis generans habet eſſe magis calidum , quàm ignis genitus; quia ignis genitus, & ignis generans vniuocè conueniunt in forma caloris. Non in æquiuocis,quia non habent illam formã, ſecundùm quam comparantur,v.g; cùm dicitur: *Aliquod ſubiectum eſt calidum propter motum ; ergo motus magis eſt calidus*;non valet,quia motus non participat formam caloris formaliter,& ideo forma caloris non eſt communis ſubiecto calido,& motui.Valet ergo illud principium ſolùm in analogis , quorum vnum habet eſſe per eſſentiam,quia habet totum eſſe; aliud verò habet eſſe per participationem, quia participat ſolùm partem eſſe ; nam *participare idem eſt , ac ſolùm partem capere* ; quapropter licèt Filius in Diuinis accipiat eſſe à Patre, non tamen dicitur participare eſſe , quia non capit ſolùm partem eſſe, ſed accipit totum eſſe Patris, & ideo Filius conuenit cum Patre vniuocè . Igitur ſolùm in analogis valet illud principiũ,propterea,ſi aqua eſt calida propter ignem , multò magis eſt calidus ipſe ignis;cùm in igne reſeruetur calor principaliter,& ſecundùm omnes ſuos gradus ; in aqua verò ſolùm minùs principaliter , & non ſecundùm omnes ſuos gradus , & ideo analogicè dicuntur.Cùm ergo Filius habeat eandem virtutem ſpiratiuam, quam habet Pater ; ideo non poteſt dici,quòd ſecundùm virtutem ſpiratiuam detur inter Filium , & Patrem aliqua analogia , neque,quòd detur principalitas reſpectu vnius, & minùs principalitas reſpectu alterius ; ſicuti neque maioritas,neque minoritas; nec ſimpliciter,nec ſecundùm quid, nec magis,nec minùs; cùm principalitas , & minùs principalitas; maioritas,& minoritas,ſimpliciter, & ſecundùm quid;magis , & minùs, & vniuerſaliter quæcunque inæqualitas ſecundùm aliquam formam importent analogiam.

4 Principale ergo,vt ait *Fundatiſſ.Doct.cont. Exempt*;poteſt ſumi per comparationẽ ad minùs principale, ſeu inſtrumentale;ſic Deus agit principaliter, & creatura minùs principaliter ; quia Deus agit per virtutẽ,quę eſt omnis virtus;creatura verò per virtutẽ limitatã ad vnum eſſe ſpeciale ; & poteſt ſumi per comparationem ad ſecundum,& ſic eſt idem,ac primordialiter; & nihil aliud ſignificat, quàm illud , quòd habet aliquod à ſe ; ſicut non principale eſt illud , quod habet eſſe ab alio,hoc tamen non principale nõ dicitur minùs principale. Et hoc ſecundo modo Pater dici poteſt ſpirare principaliter;& ſic intelligen-

ligendi ſunt SS.PP;& præcipuè *D.Dam*; qui negauit Spiritũ S.eſſe à Filio principaliter,idêſt tãquam à principio ſine principio,ſeu tanquam ab habente à ſe virtutem ſpiratiuam.His not.

5 Vnica concl. Spiritus S. eſt à Patre principaliter,idêſt primordialiter;& à Filio nõ principaliter,idêſt non primordialiter;non verò minùs principaliter.

Prob.1. *ex Beatiſſ.P.* 15. *de Trin.c.*17; vbi ait: *Nec de quo genitum eſt Verbum, nec de quo procedit principaliter Spiritus S; niſi Deus Pater. Ideo autem addidi principaliter, quia & de Filio Spiritus S.procedere requiritur;ſed hoc quoque illi Pater dedit. Et c.*26. *Filius autem de Patre natus eſt,& Spiritus S.de Patre principaliter.*

6 Prob.autem ſic *ex Fundatiſſ.Doct. cont. Exempt.*1.pars concl.Ab illo procedit principaliter,idêſt primordialiter aliquod,quod eſt principium ſine principio, & ab illo procedit non primordialiter, quod eſt principium de principio; ſed Pater eſt principium ſine principio; & Filius eſt principium de principio;ergo Spiritus S.procedit à Patre principaliter, non autem à Filio. Ma.patet;quia nomine principalis intelligimus exordium, ſeu fontẽ primarium omnium aliorum;de ratione autem primarij eſt eſſe principium ceterorum ita,vt non ſit ab alio,ſecus nõ eſſet primarium. Mi.eſt de Fide; quia Pater habet eſſe à ſe,non ab alio;& dat eſſe Filio,& Spiritui Sancto.

7 Conf.*ex eodem.*Procedere ab aliquo principaliter,ſeu primordialiter eſt procedere ab illo, quod habet virtutem irreceptam ſimpliciter ab alio; & procedere non principaliter eſt procedere ab aliquo habente virtutem receptam ab alio; ſed Pater habet virtutem ſpiratiuam ſimpliciter irreceptam ab alio; vnde *à D. Dion.* 2.*de Diuin.Nomin.*dicitur:*Fontana totius Trinitatis*;& Filius eam habet à Patre; ergo Spiritus S.procedit principaliter à Patre, & à Filio non principaliter.

8 Prob.2.pars *ex B.Doct.in hac diſt.*12.*princ.*2.*q.*1.Illud competit alicui principaliter,& minùs principaliter alteri;ſicut illud competit magis vni, quàm alteri; perfectiùs, & imperfectiùs; pleniùs,& non pleniùs;priùs, & poſteriùs, quod eſt analogum inæqualitatis ad illa duo; prius enim,& poſterius;ſimpliciter,& ſecundùm quid; magis,& minùs;plenius, & ſemiplenius; perfectius,& imperfectius,& cetera huiuſmodi arguũt analogiam inæqualitatis; ſed virtus ſpiratiua nõ eſt analoga ad Patrem, & Filium, cùm Pater, & Filius habeant eandem virtutem ipſiſſimam, per quam ſpirant, ſicut habent eandem eſſentiam; ergo Spiritus S. non eſt principaliter, magis, perfectiùs,ſimpliciter,& pleniùs à Patre,quàm à Filio; ſed æquè principaliter ab vtroque,& omnino vniuocè, cùm vna, & eadem ſit virtus ſpiratiua vtriuſque.

9 Conf.1.*ex eod.ibid;& princ.*1.*q.*2.*S. In contrarium;& diſt.*11.*princ.*2.*q.*2.Vbi eſt ſumma virtus,ſumma ſimplicitas,& ſumma identitas ſecundùm illam formam,in qua plura conueniunt, ibi nequit eſſe analogia inæqualitatis, principalitatis, prioritatis, & poſterioritatis; ſimpliciter, & ſecũdùm quid;maioritatis,& minoritatis; magis pleni,& minùs pleni;magis perfecti;& minùs perfecti;& cetera huiuſmodi;nam quia *Petrus*,& *Paulus* ſunt vnum in ratione humana; ideo *Petrus* non eſt inæqualiter homo,ac *Paulus*; nec per priùs competit eſſe homo *Petro*,quàm *Paulo* eſſẽtialiter;nec *Petrus* poteſt dici homo principaliter, ſimpliciter, magis homo, pleniùs, & perfectiùs;quàm *Paulus*, qui nequit eſſe homo minùs principaliter, ſecundùm quid, minùs homo, minùs plenè, & imperfectiùs; ſed Pater,& Filius sũt ſummè vnum,ſummè ſimplex, & ſummè idem in virtute ſpiratiua; vt diximus *art.* 5; aliter eſſent duo principia;tum quia inter virtutem ſpiratiuam Patris,& Filij non datur oppoſitio relatiua;ex eo enim, quòd vna eſt communicata,& altera incommunicata,non opponuntur, aliter eſſentia in Patre,quia eſt incommunicata; & eſſentia in Filio,quia eſt communicata,opponerentur,& diſtinguerẽtur realiter; ergo nequit dici, quòd Spiritus Sanctus principaliter, priùs, ſimpliciter, magis, pleniùs, & perfectiùs ſpiretur à Patre.

10 Conf.2.Illa agentia inæqualiter producunt,quæ habent inæqualem virtutem,quę ſicut eſt ratio producendi, ita inæqualiter participata eſt ratio inæqualiter producendi,ſed producens principaliter, & minùs principaliter,inæqualiter producunt; ergo ſi Pater produceret principaliter, & Filius minùs principaliter inæqualiter producerent;& ſic daretur aliqua minoritas in Filio,vt dicebant *Ariani*.

11 Obijc.1.Quod agit per virtutem acceptam ab alio,minùs principaliter agit,quàm quod agit per virtutem,quàm habet à ſe ipſo; ſed Pater æternus ſpirat per virtutem, quam habet à ſe, Filius verò per virtutem, quam habet à Patre; ergo Pater principaliùs ſpirat Spiritum S; quã Filius.Mi.patet. Prob.ma. *Ex* 2.*Met.t.c.*4. habetur:*Primũ in omni genere ſemper eſt maximè tale*;ſed quod habet virtutem à ſe,eſt primum in tali genere;& quod illam habet ab alio, non eſt primum,ſed ſecundum; ergo quod agit per virtutem acceptã ab alio, minùs principaliter agit, quàm quod agit per virtutem, quam habet à ſe.

Reſp.*Fund.Doct.*diſt.ma.Si agat per virtutem acceptam per participationem,quæ ſemper eſt diminuta,conc;ſi agat per virtutem acceptam per communicationem identicam, vt in caſu, neg.Ad prob.dicitur *Phil.*loqui de primo ente analogo,vt eſt Deus,comparatiuè ad analogata, quæ ſunt creaturæ.

12 Obijc. 2. Quia concl.habet veritatem propter principia, ideo multò magis principia ſunt vera; ergo ſi Filius ſpirat per virtutem ac-

pce-

ceptam à Patre multò magis Pater ſpirat, quàm Filius; quia *propter vnumquodque tale, & illud magis*.

Reſp.neg.conſ;nam non eſt eadem veritas in concluſione,quæ eſt in principijs, & per cõſequens eſt diuerſa veritas; at verò in Filio eſt eadem virtus ſpiratiua,quæ eſt in Patre;ideo tanta eſt in Patre,quanta in Filio.Ad illud axioma dicitur,quòd valet ſolùm in analogis, vt dictũ eſt.

13 Obijc. 3. Spiritus S.à Patre procedit principaliter; ſed *principaliter* dicitur correlatiuè *ad minus principaliter*;ergo Filius minùs principaliter ſpirat,quàm Pater.

Reſp.diſt.ma.Principaliter,idèſt à ſe,& primordialiter,conc.& ſic neg.mi;principaliter inęqualiter analogicè, neg.

14 Quæres 1; an ſicuti concedimus Spiritum S. procedere à Patre principaliter;ſic poſſimus dicere Spiritum Sanctum procedere à Filio ſecundariò.

Reſp.neg; nam procedere ab aliquo agente ſecundariò eſt procedere ab aliquo habente virtutem participatam, & diminutam, Filius autem habet eandem indiuiſam virtutem; ideo nõ eſt agens ſecundarium.

15 Dices.Pater eſt perſona prima, & Filius eſt ſecunda;ergo valet dicere Spiritus S. procedit à Patre,vt à prima perſona,& à Filio, vt à ſecunda perſona.

Reſp. ſufficienter explicatum fuiſſe *q.2.ar.8.n.30*;quomodò admittatur primũ,ſecundũ, & tertium in Diuinis perſonis. Præterea quanuis Filius, vt genitus,habeat dici ſecunda perſonam; attamen quatenus ſpirator,quia conuenit cum Patre,& non diſtinguitur; ideo in ratione ſpirationis non habet rationem ſecundi,quanuis quatenus genitus,quia diſtinguitur realiter à Patre, poſſit concedi, quòd habeat rationem ſecundæ perſonæ;& ideo bene docet *Fundatiſſ.Doct.*Spiritum S.non procedere à Patre, vt à primo, & à Filio,vt à ſecundo, quia indiuiſibiliter procedit ab vtroque.

16 Quæres 2; an poſſit concedi, quòd Spiritus S. procedat à Patre *auctoritatiuè*, non autem à Filio?

Reſp. affirmatiuè, ſi ly *auctoritatiuè* accipiatur, prout ſignificat Patrem habere virtutem à ſe,& illam communicare Filio.

17 Quæres 3;an poſſit concedi Spiritum S. procedere à Patre,& Filio vniformiter,& eodem modo; vel potiùs difformiter,& diuerſo modo?

Reſp. debere dici Spiritum S. procedere vniformiter à Patre, & Filio. Eſt contra *Scot; Okam;*& *alios apud Vaſq.hic*, qui volunt difformiter procedere eò,quia procedit à Patre,vt ab habente virtutem à ſe, & à Filio, vt ab habente virtutem ab alio. Ceterùm habere virtutem à ſe, & habere virtutem ab alio non facit diuerſitatem in ſpiratore, & in termino ſpirato; ſed ſolùm in ſuppoſitis ſpirantibus; diuerſitas autem ſpirationis, & termini ſpirati habetur à diuerſitate virtutis ſpiratiuæ; vnde cùm eadem ſit virtus ſpiratiua in Patre,& in Filio; ideo Spiritus S.procedit vniformiter & eodem modo. Tum quia habere virtutem à ſe, & ab alio dicit tantùm modum habendi naturam Diuinam; non autem diuerſum modum eiuſdem proceſſionis; nam licèt tres Diuinæ perſonæ diuerſimodè habeant virtutem creatiuam;quia Pater eſſentiam habet à ſe, Filius à Patre,& Spiritus S. à Patre, & Filio; attamen tres perſonæ Diuinæ vniformiter dicuntur creare;ergo à pari.

18 Dices.Spiritus S. eſt à Filio immediatè, & à Patre immediatè, & mediatè;ergo eſt à Patre,& Filio diuerſimodè,& difformiter; quia eſſe ab aliquo mediatè, & immediatè facit diuerſitatem in modo procedendi.

Reſp.neg.conſ. Ad prob.dicitur,quòd eſſe ab aliquo mediatè tantùm, & ab altero immediatè facit diuerſitatem; eſſe tamen ab aliquo mediatè, & immediatè ſimul, & ab altero immediatè non facit diuerſitatem in modo procedendi; quanuis faciat diuerſitatem in modo habendi virtutem; ex eo enim,quòd Filius habeat à Patre virtutem ſpiratiuam,non ſequitur,quòd Spiritus S; prout eſt à Filio, non procedat, vt amor mutuus,vt nexus per voluntatem;ſed hoc eodem modo procedit à Patre, quia per eandem potentiam non eſt,niſi vnus modus procedendi; ergo eodem modo procedit. Quare ſi ly *diuerſimodè* dicat modum habẽdi virtutem ſpiratiuam,poteſt concedi Spiritum S.procedere à Patre diuerſo modo, ac à Filio; ſi tamen dicat diuerſum modum procedendi, quia diuerſus modus procedẽdi importat diuerſas potentias; & ideo quia Filius procedit per intellectum, & Spiritus S.per voluntatem, dicuntur habere diuerſum modum procedendi,cùmque Spiritus S. procedat tam à Filio,quàm à Patre per eandem voluntatem; idcirco dici debet procedere vniformiter, & per eundem modum procedendi, ſcilicet per voluntatem,à qua ſumitur identitas modalis. *Vid.Fundatiſſ.Doct. in 3.diſt.10.q.2.princ.1.art.1.§.Si quæratur.*

ART. VIII.

An Pater, & Filius æquè immediatè realiter producant Spiritum Sanctum?

1 NOn loquimur *hic* de immediatione, & mediatione rationis; ſcilicet an Pater,& Filius mediante aliquo tertio ratione diſtincto producãt Spiritum S;de hoc enim *art. ſeq*; ſed de mediatione, & immediatione reali, an ſcilicet ſolùm ſuppoſitum Patris mediante ſuppoſito Filij, quod eſt realiter diſtinctum à ſuppoſito Patris, ſpiret Spiritum S?

2 Difficultas eſt an Pater immediatè ſpiret Spiritum S; quatenus per virtutem ſpiratiuam in Patre exiſtentem immediatè illum producit; ſicuti per eandem virtutem in Filio exiſtentem

Fi-

Filius ipsum producit, & vltra hanc immediationem producentem, Pater habet hoc specialiter, quòd etiam mediatè spiret; quatenus scilicet communicat Filio virtutem spiratiuam, per quam etiam Filius spirat.

3 Prima sententia vult tam Patrem, quàm Filium producere solùm immediatè; non autem mediatè Spiritum S. eo, quia Pater non communicat verè, & propriè Filio virtutem spiratiuam, sed posita Deitate in Patre, & Filio resultat virtus spiratiua in vtroque, per quam vterque immediatè spirat. Dici autem Patrem communicare Filio virtutem spiratiuam, quatenus illi communicat Diuinam essentiam, ad quam resultat virtus spiratiua, tanquam passio illius. Tribuitur *Alarc. Tract. 5. de Tri. disp. 9. c. 2; & Ruiz. disp. 69. sect. 2. n. 7; & disp. 71. sect. 3. n. 6; & 12. apud Io. à S. Tho. 1. p. q. 33. disp. 15. art. 4. n. 31;* sed hæc sententia meritò ab omnibus relinquitur; est enim manifestè *contr. Script; Conc; & SS. PP; vt inf. patebit.*

Secunda sententia docet Patrem immediatè producere Spiritum S; sicuti immediatè illum producit Filius, & vltra hoc Patrem etiam mediatè producere Spiritum S; quatenus verè communicat Filio virtutem spiratiuam, per quā Filius spirat Spiritum S. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 12. princ. 2. q. 2; & lib. contr. Exempt. c. 16; Ger; Argent; & omnes illius Interpretes.* Idem docet *D. Thom. cum Thomistis 1. p. q. 36. art. 3; & omnes alij communiter.*

4 Supp. *ex B. Doct. dist. 12. princ. 1. q.* 1. Patrem non spirare prius Spiritum S; quàm spiret Filius, quia Pater, & Filius spirant, vt vnum in virtute spiratiua, & in vno nequit esse prioritas, & posterioritas. Tū quia Spiritus S. procedit necessariò, vt nexus duorum, *vt sup.* diximus; & ideo nequit spirari ab vno, non ab alio; aliter pro illo priori non esset nexus, quidquid dicant *Mayr; Gabr; Rub; & alij.*

5 Not. *ex eod. hic* ad 1; quòd agens dupliciter potest esse immediatum, & mediatum. 1. mediatione, & immediatione virtutis; & illud est immediatum immediatione virtutis, cuius virtus non innititur virtuti alterius, sed per se ipsam producit suum terminum. Illud est mediatum mediatione virtutis, cuius virtus innititur virtuti alterius, & per virtutem alterius producit effectum. *Hic* non est difficultas de immediatione virtutis, quia cùm sit eadem virtus, per quam Pater, & Filius spirant, neutrius virtus innititur alterius virtuti. 2. Potest esse immediatum, & mediatum immediatione, & mediatione suppositi. Illud est immediatū immediatione suppositi, inter quod, & terminum productum non mediat aliquod suppositum, quo mediante illud producat; illud verò est mediatum, inter quod, & terminum productum mediat suppositum, quo mediante agens dicitur producere; sic auus dicitur mediatè producere nepotem, quia inter auum, & nepotem mediat suppositum patris, quo mediante auus producit nepotem; pater verò dicitur immediatum principium filij, quia inter patrem, & filium non mediat aliquod aliud suppositum, quo pater filium producat. *His not.*

6 Vnica concl. Pater immediatè, & mediante Filio, quatenus ei verè communicat virtutem spiratiuam, spirat Spiritum S.

Prob. 1. *ex Script;* nam *Io. 19.* habetur. *Quem ego mittam vobis à Patre;* quod nequit intelligi, vt docet *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 26.* nisi quòd Filius per virtutem acceptam à Patre spirat Spiritum S. *Et Io. 5. Sicut habet Pater vitam in semetipso; sic dedit Filio vitam habere in semetipso sup.* quod *Beatiss. P. ibid. Vita, quam Pater Filio gignēdo dedit, coæterna sit vitæ Patris, qui dedit, intelligat, sicut habet Pater in semetipso, vt de illo procedat Spiritus S; sic dedisse Filio, vt de illo procedat Spiritus S. Et Io. 5. Non potest Filius quidquam facere à semetipso;* facere autem ab alio, est agere per virtutem acceptam ab illo. *Et Luc. 10. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo;* quod *Conc; & SS. PP, & DD.* communiter intelligunt de omnibus, quæ sunt in Patre excepta paternitate, in qua Filius opponitur Patri. *Et ex alijs testimonijs Diuinis allatis art. 1; & seq.*

7 Quòd Pater immediatè producat Spiritū S; sicut Filius immediatè producit, prob. Si Pater produceret Spiritum S. solùm mediante Filio, Spiritus S. esset à Patre per accidens, non per se, & Pater esset principium Spiritus S. solùm per accidens; sed cons. est falsum; ergo & ant. Prob. ma. Si Pater produceret solùm mediante Filio, Pater produceret Spiritum S; sicut Auus nepotem; sed Auus nepotis est principium per accidens *ex Com. 12. Met. c. 3.* dicente: *Accidit Filio procedere à multis patribus;* tum quia etiansi Pater non esset ab Auo; attamen posset esse causa Filij; ergo si Pater solùm mediatè spiraret, esset principium per accidens Spiritus S. Mi. prob. est *art. 4;* vbi ostendimus Spiritum S. procedere per se à Patre, & Filio; quia per se est nexus, & amor mutuus duorum, & habetur expressè ex verbis Christi Domini *Io. 14.* dicentis: *Spiritus S; qui à Patre procedit;* absoluta autem locutio significat processionem per se, non per accidens.

8 Prob. 2. ex doctrina *Fundatis. Doct. in sup. art.* Quotiescunque plura supposita agunt per eandem simplicissimam, & indiuisam virtutem; tunc si vnum illorum agit immediatè, etiam alterum immediatè agit; sed Pater, & Filius sic se habent; ergo ambo immediatè producunt Spiritum Sanctum.

9 Prob. 2. pars concl. Pater communicat Filio essentiam Diuinā, & omnia attributa; si enim communicaret solam essentiam, non omnia illi tradita essent à Patre, quia non omnia illi essent ab ipso communicata; sed virtus spiratiua est attributum, quia est voluntas cum respectu proposito, qui non opponitur Filio, ergo Pater cōmuni-

municat Filio virtutem spiratiuam,& ideo etiam mediatè spirat Spiritum S. Tum quia Pater communicat Filio vitam actualem ; sed vita consistit in actu intellectus,& voluntatis;ergo communicat actum intellectus,& voluntatis; atqui spiratio est actus voluntatis;ergo ei communicat spirationem actualem. Tum quia si Pater non communicaret Filio virtutem spiratiuam , quia est proprietas essentiæ;neque ei communicaret doctrinam,vt dicitur *Io.7.Doctrina mea nõ est mea, sed eius,qui misit me*; neque omnipotentiam , & cetera attributa, hæc enim omnia sunt proprietates essentiæ,vt notum est *apud omnes* . Tum quia Filius spiraret à se,sed nihil potest facere à se,vt dicitur *Io.5*.Tum quia,vt arguit *Fundatiss. Doct. contr. Exempt. vbisup*; ex eo , quòd Pater communicet Filio omnipotentiam, & Filius eam communicet Spiritui S; Pater dicitur creare per Filium,& Filius per Spiritum S;& omnes tres personæ immediatè creant per eandem actionem: ergo ex eo, quòd Pater communicet Filio virtutẽ spiratiuam, & spiret simul cum illo per eandem actionem,dicitur mediatè,& immediatè spirare ; sicut in humanis si Pater communicaret Filio virtutẽ generatiuam, & simul cum eo generaret per eandem actionem, mediatè, & immediatè generaret.

10 Conf. Pater communicat Filio essentiam Diuinam, & omnia attributa; sed voluntas Diuina, quæ est virtus spiratiua, est attributum; ergo Pater verè communicat Filio virtutem spiratiuam. Ma. patet,quia non est ratio, cur communicet Filio omnipotentiam,quæ est principiũ creaturarum , non autem voluntatem , quæ est principium Spiritus S. Tum quia virtus productiua Spiritus S. est voluntas cum proposito respectu,sic enim solùm est fœcũda,vt pluries diximus *ex Fundatiss. Doct*; Pater autem communicat Filio voluntatem cum proposito respectu ; quia ex eo , quòd illam non communicet cum respectu opposito,sequitur, quòd illam communicet cum respectu proposito , illa enim omnia communicat , quæ illis non opponuntur formaliter.Mi.probata est *de Vol.Dei q.1.art.2*.

11 Obijc. 1. Plures *SS.PP. Græci, & Latini* docent Spiritum S.à Patre procedere per Filiũ; sed Spiritum S. procedere à Patre per Filium est ipsum procedere à Patre tantùm mediatè;ergo Pater non est principium immediatum Spiritus Sanctus.

Resp.*SS.PP.* vnum asserere , & aliud non excludere;dicunt enim Spiritum S.procedere à Patre mediatè, non tamen negant procedere immediatè; sicut cùm dicitur *Io. 1. Omnia per Verbum facta sunt*; non excluditur, quòd Pater immediatè faciat creaturas; sed tantùm insinuatur Patrem dedisse Filio virtutem creatiuam. Ita à pari.

12 Obijc. 2. Si Pater communicaret Filio potentiam spiratiuam, sequeretur, quòd virtus spiratiua priùs esset in Patre, quàm in Filio; sed virtus spiratiua in Diuinis non est per modũ potentiæ excludentis actum ; ergo in Patre priùs esset actus spirandi,quàm in Filio, & per consequens Pater pro aliquo priori spiraret Spiritum S;in quo nõ spiraret Filius, quod est absurdum, cùm Spiritus S.procedat, vt nexus , & vt amor duorum per se.

Resp.dist.ma.Priùs esset in Patre,quàm in Filio prioritate *à qua* designãte tantùm modum habendi virtutem spiratiuam,conc; prioritate *in qua*,siue reali, siue rationis,neg; ideo in eodem signo rationis in *quo* spirant Spiritum S.

13 Inst.Si Pater communicaret Filio virtutem spiratiuam;vel illam communicaret tantùm per modum principij radicalis excludentis actũ secundum,vel per modum actus secundi. Non primum; quia virtus per modum principij radicalis excludentis actum secundum dicit imperfectionem . Non secundum;quia si Pater communicaret Filio virtutem spiratiuam cum actione spiratiua , iam Filius non eliceret actionem spiratiuã, sed acciperet actionem spiratiuam elicitam à Patre ; & sic nullo modo Filius spiraret Spiritum S;sed reciperet tantùm in se ipso actionem,per quam Pater spirat Spiritum S.

Resp;quòd Pater communicat Filio virtutem spiratiuam cum actione spiratiua , prout egreditur à supposito Patris ; non autem prout egreditur à supposito Filij , quia ergo actio spiratiua non dicitur elicita à Filio , nisi prout egreditur à supposito Filij;cùm aliquam actionẽ elici ab aliquo supposito nihil aliud sit, quàm egredi ab illo supposito ; ideo quia Pater non communicat Filio actionem spiratiuam, prout egredientem à Filio, & aliunde illa actio potest egredi à supposito Filij,cùm sit communis Patri, & Filio , ideo licèt Filius accipiat à Patre actionem spiratiuam, prout egredientem à supposito Patris ; attamen quia illa actio dicitur egredi etiam à supposito Filij,etiam Filius dicitur spirare simul cũ Patre; & hoc est,quod dicũt *Scripturæ*,scilicet Filium spirare à Patre,quia spirat per spirationem acceptam à Patre.Neque implicat, quòd vna, & eadem actio eliciatur à pluribus suppositis , quorum vnum accipiat ab alio illam actionem elicitam ab illo;nam vt docet *B.Doct. lib.de Causis prop.1;Creatura agit per actionem Dei*,quam actionem creatura recipit à Deo,& illa actio est verè elicita à Deo , & à creatura , ac per ipsam verè Deus , & creatura denominantur agere.*Vid.de Scient.Dei q.4.art.1.S.3*.

ART. IX.

An Pater,& Filius spirent Spiritum S.immediatè etiam virtualiter ?

1 IMmediatè spirare stat dupliciter. 1. ita,vt ly *immediatè* neget aliud principiũ *quod*, quo mediante Pater,& Filius spirant Spiritum S. 2. ita, vt ly *immediatè* neget principium *quo*, sci-

scilicet virtutem spiratiuam. Difficultas procedit in primo sensu.

2 Prima sententia vult relationem spirationis actiuę constituere vnum quoddam tertiũ subsistens constans ex essentia Diuina, & ex ipsa spiratione actiua communi Patri, & Filio antecedente actualē spirationem Spiritus S; quod subsistens cõmune est principiũ *quod* immediatum spiratiuum Spiritus S; quod dicitur vnus spirator,& virtualiter distinguitur ab ipsa paternitate,& filiatione; & per consequens Pater, & Filius tantùm mediatè virtualiter producunt Spiritum S. *Ita Gabr. in 1. dist. 12. q.1. art.2; Okam ibid; Mol.1.p.q.36.art.4.disp.2; Val. de Trin.q.10. punct.3. §. Primum ita declaro; Bec. c.6.q.5.n.6;* & probabilem reputat *Vasq.1. par. disp.149.n.8; & disp.156.n.11.*

Secunda sentẽtia docet non dari hoc tertium subsistens constitutum per relationem spirationis actiuæ,sed immediatè etiã virtualiter,& ratione Patrem, & Filium producere Spiritum S; relationem autem spirationis actiuæ sequi, non antecedere productionem Spiritus S. *Ita Fundatiss.Doct.in 1.dist.11.princ.2. q.4;* vbi docet, quòd ex essentia Diuina, & virtute creatiua constituitur vnum quid subsistens absolutum, quod est principium *quod* productiuum creaturarũ, ex virtute autẽ spiratiua, & ex persona Patris, & Filij constituitur vnum principium productiuum Spiritus S. Idem docet *princ. 2. q.1; & dist.10.princ.1.q.3; & Quodl.5.q.2;* vbi ait spirationem actiuã esse distinctiuam, & relatiuam, non autem constitutiuam. *Ita etiam D. Tho.q.36.art.4; & communiter omnes Thomistæ, Salm.disp.15.dub.4;Sua.lib.10.de Trin.c.4;Vasq. disp.149.c.4; & ferè omnes alij,pro cuius explic.*

3 Relatio Diuina,vt *inf.*dicemus,habet munus proprietatis constituentis personam producentem, & secundùm hoc munus est prior origine persona producta, & habet munus referentis vnum ad aliud; & secundùm hoc munus sequitur ad actionem productiuam, & ad personam constitutam.

4 Modò controuersia est, an spiratio actiua habeat hæc duo munera, scilicet habeat constituere simul cum Diuina essentia vnum tertium subsistens singulare commune Patri, & Filio, quod dicatur vnus spirator; sicuti paternitas simul cum Diuina essentia constituit vnum subsistens singulare,quod dicitur Pater,qui est principium *quod* productiuum Filij. Et vltra hoc munus constituendi istud subsistens singulare habeat etiam munus illud referendi, & distinguendi à Spiritu S. *Auctores 1. sentent.* volunt spirationem actiuam habere hæc duo munera, & prout habet munus proprietatis cõstitutiuę, antecedere actionem productiuam Spiritus S. Nos autem spirationem actiuam habere tantùm munus referendi, & distinguendi; non autem constituendi, ac propterea non dari hoc

tertium subsistens singulare commune Patri, & Filio productiuum,vt *quod* Spiritus S. *Hoc supp.*

5 Not. *ex B.Doct. Quodl. cit;* quòd prædicata, quæ pertinent ad lineam relatiui in Diuinis,sunt in triplici differentia; alia enim sunt distinctiua,sed non relatiua,aut constitutiua,vt innascibilitas, quæ distinguit Patrem à Filio, qui nequit dici innascibilis, quia procedit,vt natus; non tamen refertur ad Filium, nisi quatenus coniungitur cum paternitate; quia relatio, quæ respicit Filium, est paternitas; neque constituit Patrem, quia relatio constitutiua Patris est paternitas. Alia sunt distinctiua,& relatiua,sed non constitutiua, vt est spiratio actiua, quæ aduenit Patri,& Filio, & quia supponit Patrem, & Filiũ constitutos in esse suppositi singularis, ideo non constituit; distinguit tamen Patrem,& Filium à Spiritu S; & ad ipsum refertur. Alia tandem sunt prædicata distinctiua,relatiua,& constitutiua,vt paternitas,quæ constituit Patrem in esse Patris,distinguit,& refert ipsum ad Filium. Ex hoc colligit *Fund. Doct.* quinque esse notiones in Diuinis, quatuor relationes, & tres proprietates constitutiuas personarum.

6 Ex hac doctrina deducitur resolutio præsentis difficultatis; nam spiratio actiua ex eo, quòd non sit constitutiua personæ Patris, & Filij; ideo non habet munus constituendi; & per consequens nequit antecedere ipsam actionem spiratiuam, cùm relatio solùm antecedat actionem productiuam, prout habet munus proprietatis constitutiuæ. Superest ergo, quòd spiratio actiua habeat solùm munus relationis;& per cõsequens, quòd sequatur ad actionem spiratiuam; illud autem,quod sequitur ad actionem, debet necessariò sequi ad principium *quod*, à quo elicitur talis actio.

7 Vnica concl. Pater, & Filius immediatè etiam virtualiter,vt *quod*,spirant Spiritum S.

Prob. 1. *ex auctoritatibus Beatiss.P;* quibus docet *Spiritum S. procedere, vt vnionem, communionem, nexum, & amorem mutuum Patris,& Filij 6.de Trin.c.5; & 15.c.19;*ex quibus sic arguitur. Id, quod procedit, vt nexus duorum subsistentium per se, debet esse per se à duobus subsistentibus; sed quod procedit per se à duobus subsistentibus,nequit esse ab illis,vt sunt vnum vnica subsistentia communi;aliter nõ esset à duobus, sed ab vno tantùm; ergo Spiritus S; qui procedit per se,vt nexus duorum, debet esse à duobus subsistentibus,non prout sunt vnum subsistens.

8 Prob.2. *ex Fund.Doct.vbi sup.art.6.* Pater, & Filius dicuntur duo spiratores,non vnus spirator, vt probatum est *loc. cit;* sed nomen verbale,vt *ibid.* ostendimus, multiplicatur tantùm ad multiplicationem subsistentium *quod*, à quibus immediatè egreditur actio;ergo Pater,& Filius immediatè, & virtualiter spirãt Spiritũ S.

9 Prob. 3. Relatio spiratoris non habet

munus conſtituendi aliquam perſonam, quia Pater ſufficienter conſtituitur per paternitatem, & Filius per filiationem; ergo habent tantùm munus referendi vtranq. perſonam ad Spiritum S; ſed relatio ſecundùm munus referendi ſequitur ad actionem ſpiratiuam, & actio ſpiratiua ſupponit ſubſiſtens relatiuum, vt *quod*, à quo elicitur; ergo relatio ſpiratoris non conſtituit ſubſiſtens relatiuum.

10 Prob. 4. In creaturis idem ſubſiſtens creatum cum pluribus potentijs, ſeu rationibus agendi producit res diuerſæ rationis; vt idem homo per intellectum intelligit, per voluntatem vult, per potentiam generatiuam producit, per ædificatoriam ædificat, per muſicam canit &c; quia eadem ſubſiſtentia indiuidualis perſonalis eſt vnicum principium *quod* diuerſarum actionum per virtutes diuerſas ſuperadditas; ergo idem Pater per eandem proprietatem perſonalem, quæ eſt paternitas, & per diuerſas potentias formales, ſcilicet per intellectum, & voluntatem generat Filium, & ſpirat Spiritum S; & per conſequens non datur hæc ſubſiſtentia communis relatiua.

11 Conf. Ex eo, quòd *Petro* v. g. adueniat ars ædificatoria, non aduenit ei ſubſiſtentia abſoluta, quia ars ædificatoria inuenit *Petrum* actu ſubſiſtentem perſonaliter; ergo ex eo, quòd virtus ſpiratiua adueniat Patri, & inueniat Patrem ſubſiſtentem perſonaliter; non addit Patri ſubſiſtentiam relatiuam communem Patri, & Filio.

12 Prob. 5. ratione *noſt. Greg. in 1. diſt. 12. q. 1;* quæ ratio, licèt videatur inefficax *Io. à S. Tho. in hoc art. 4. diſp. 15. n. 24;* attamen ſi benè cõſideretur, efficaciſſima eſt. Perſona formaliter conſtituitur ex eſſentia, & ſubſiſtentia relatiuè accepta; vt diximus *To. 1. de Subſt. Dei q. 2. ar. 4. §. 2;* ſed per *Aduerſarios* datur ſubſiſtentia communis Patri, & Filio, quæ ſimul cum eſſentia conſtituit quoddam ſubſiſtens commune; ergo daretur perſona communis; & ſic non eſſet Trinitas, ſed quaternitas.

13 Conf. 1. Ideo ſubſiſtentia abſoluta, qua Diuina eſſentia conſtituitur *hoc ſubſiſtens abſolutum ſingulare*, non conſtituit quartam perſonam; vt diximus *To. 1. vbi ſup;* quia illa ſubſiſtentia abſoluta non eſt relatiua, nec notionalis, nec per conſequens perſonalis; cùm perſona in Diuinis pertineat ad genus relatiui; ſed ſubſiſtentia ſpiratiua, qua conſtituitur ſubſiſtens ſpiratiuum, eſt relatiua, & notionalis, non eſſentialis; aliter etiam Spiritus S. conſtitueretur in eſſe ſpiratiui, quia eſſentialia ſunt communia omnibus tribus perſonis; ergo per ipſam conſtitueretur quarta perſona Diuina.

14 Conf. 2. Perſona *ex Boet. eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſeu ſubſiſtentia;* ſed illud ſubſiſtens ſpiratiuum eſſet rationalis, idèſt intellectualis naturæ, vt *infra* explicabimus; eſſet indiuidua ſubſiſtentia, quia eſſet vnum ſubſiſtens, vnũ autẽ, & indiuiduũ ſunt omnino idem, quia vnum definitur *indiuiſum à ſe, & diuiſum à quolibet alio;* quomodò pariter definitur indiuiduum; ergo eſſet perſona.

15 Inſt. 1. Quanuis per paternitatem conſtituatur Pater in eſſe principij *quod* generationis Filij; non tamen in eſſe principij *quod* ſpirationis Spiritus S; aliter cùm paternitas ſit idem, ac intelligere actiuum, Spiritus S. procederet per intelligere actiuum, & ſic non diſtingueretur à Verbo, nec poſſet reddi ratio, cur non ſit Filius; ergo per ſpirationem actiuam Pater conſtituitur in eſſe principij *quod* Spiritus S.

Reſp. neg. ant. Ad prob. infert. neg. ſeq; nam Spiritus S; licèt procedat per ſe à principio *quod*, non tamen procedit formaliter, & reduplicatiuè, ſecundùm quod ipſum; vt diximus *art. 4;* quia procedit proximè à virtute ſpiratiua, quę eſt ratio formalis ſpirandi, & ab ipſa denominatur Spiritus, non Filius, aut genitus. Sicut homo ridet per potentiam riſiuam formaliter, non tamen, conſtituitur in eſſe hominis, qui eſt principium *quod* omnium actionum humanarum, per ipſam riſibilitatem. Ita à pari.

16 Inſt. 2. *Io. à S. Tho;* cui non placet hæc ratio. Quanuis ſpiratio actiua conſtituat vnum ſubſiſtens, vt *quod* ſingulare relatiuum, attamen quia non eſſet incommunicabile, communicaretur enim perſonæ Patri, & Filij, ideo non eſſet perſona; cùm perſona vltra ſubſiſtentiam formaliter importet etiã incommunicabilitatẽ.

Reſp; quòd implicat dicere ſubſiſtentiam ſingularem indiuidualem communicabilem; indiuidualitas enim, & ſingularitas formaliter important incommunicabilitatem; ergo ſi illa ſubſiſtentia communis eſſet indiuidua, & ſingularis, iam haberet omne id, quod requiritur ad rationem perſonæ. Quòd autem ſit communis Patri, & Filio, & ideo communicabilis, arguit eandem implicantiam; ſic enim eſſet ſingularis, vt admittitur, & non eſſet ſingularis, quia de vno ſolo non prædicaretur.

17 Obijc. 1. Pater, vt Pater, non eſt principium Spiritus S; quia Pater, vt Pater, eſt principium Filij, ergo Pater, vt ſpirator, eſt principium illius; ergo ratio ſpiratoris conſtituit principium *quod* ſpiratiuum ſubſiſtens virtualiter diſtinctum à paternitate; & per conſequens Pater non producit immediatè Spiritum S. Prob. conſ. Nec paternitas, nec eſſentia Diuina, vt patet, conſtituunt principium *quod* ſubſiſtens ſpiratiuum Spiritus S; ergo conſtituit ſpiratio actiua; cùm in Patre nihil aliud reperiatur præter eſſentiam, paternitatem, & ſpirationem actiuam. Tum quia ſpiratio actiua eſt ſubſtantia, cùm nullum in Deo detur accidens; ergo eſt ſubſiſtens, quia ſubſiſtentia eſt vltima perfectio, & actualitas ſubſtantiæ; in Deo autem non datur ſubſtantia ſine ſua actualitate vltima, quia ſubſtantia ſic accepta

cepta est imperfectissima; tum quia paternitas constituit principium *quod* subsistens generationis Filij; ergo spiratio constituit principium *quod* subsistens spirationis Spiritus S.

Resp. hæc, & similia argumenta procedere de principio *quo*, non de principio *quod*, ideo omnia eodem modo soluuntur. Dist. ergo ant. Pater, vt Pater, non est principium Spiritus S; si ly *vt* reduplicet rationem formalem agendi, conc; si reduplicet principium *quod* subsistens, neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd paternitas constituit principium *quod* omnium actionum Patris, quia constituit personam Patris, quæ est principium *quod* omnium actionum. Ad 2. prob. dist. ant. Spiratio est substantia identicè, conc; formaliter, neg. Ad 3. neg. cons. nam paternitas est proprietas personalis constitutiua personæ Patris; spiratio autem actiua supponit personam Patris constitutam; & quia persona est principium *quod* omnium actionum, ideo paternitas constituit principium *quod*, non autem spiratio.

18 Obijc. 2. Id, quod communicatur pluribus suppositis Diuinis, prout conueniunt inter se, communicatur eis, vt quid subsistens; & ideo natura Diuina, quia communicatur omnibus tribus personis Diuinis, prout conueniunt inter se, communicatur eis, vt *quid* subsistens subsistentia absoluta; sed spiratio actiua non communicatur Patri, & Filio, prout opponuntur inter se, sed prout conueniunt in vna ratione spiratiua; ergo spiratio actiua communicatur Patri, & Filio, prout quod subsistens illis commune.

Conf. Forma, seu ratio formalis agendi, quæ communicatur pluribus suppositis, vt principium *quo*, saltem virtualiter multiplicatur in illis propter diuersitatem communicationis; ergo quod communicatur pluribus sine sui distinctione virtuali, communicatur per modum subsistentis communis.

Resp. neg. ma; nam omnipotentia, sicut & quodlibet attributum communicatur omnibus personis Diuinis, vt conueniunt inter se, & tamen omnipotentia non communicatur, vt *quid* subsistens per se formaliter, sed tantùm identicè, quatenus identificatur realiter cum subsistentia Diuinæ essentiæ, per quam omnia attributa habent subsistere; aliter darentur in Diuina essentia tot subsistentiæ, quot sunt prædicata essentialia, & attributalia, quod est contra communem sensum *Theologorum*.

Ad conf. neg. ant; nam omnipotentia communicatur tribus personis Diuinis, vt principium *quo* agendi, & tamen non multiplicatur virtualiter; sic dicendum de spiratione proportione seruata; communicatur enim eodem modo Patri, & Filio, cùm sit vnica, & simplicissima virtus, & ratio formalis agendi; distinctio autem virtualis sumitur ex diuersitate virtutis, vt patet ex ipso nomine virtualitatis.

19 Obijc. 3. Virtus intellectiua ex eo, quòd adueniat essentiæ Diuinę per modum complentis virtutem generatiuam Filij, dicitur tribuere personæ Patris subsistentiam relatiuam; essentia enim Diuina per paternitatē, seu per intelligere actiuum constituitur, & completur in esse principij *quod* generantis Filium; ergo à pari virtus spiratiua ex eo, quod adueniat essentiæ Diuinæ complendo ipsam in esse principij *quod* spiratiui, dicitur illi tribuere subsistentiam relatiuam; & sicut ex essentia Diuina, & intelligere actiuo, seu paternitate consurgit quoddam subsistens, quod dicitur Pater; ita ex essentia Diuina, & spiratione actiua consurgit quoddam subsistens, quod dicitur spirator.

Resp. neg. cons; nam paternitas, seu intelligere actiuum aduenien essentiæ Diuinæ, non inuenit in illa proprietatem personalem, ideo illi dat esse personaliter. Spiratio verò actiua, quia inuenit in Patre proprietatem personalem habitam per paternitatem, ideo nequit illam denuo dare, aliter daret, quod iā haberet.

20 Obijc. 4. Persona Spiritus S; vtpotè relatiua, debet habere suum correlatiuum; sed eius correlatiuum nequit esse Pater, vt Pater, & Filius, vt Filius, quia, Pater, & Filius, vt tales sunt, nullam dicunt oppositionem ad Spiritum S; ergo debet esse spirator communis; sed Spiritus S; qui est relatiuus, est quid subsistens singulare; ergo & spirator, qui est correlatiuus, debet esse quid subsistens singulare.

Resp. conc; quòd spirator sit correlatiuus Spiritus S; negatur tamen, quòd spirator constituat vnum tertium subsistens, vt quod; in rantū enim spiratio passiua constituit Spiritum S; in quantùm non inuenit in illo aliud constitutiuū, vt *quod*; at verò spirator inuenit Patrem, & Filium constitutos in esse subsistentis vt *quod*, & ideo non constituit, aliter constitueret iam constitutum. Hinc docet *Beatiss. P. 5. de Trin. c. 12. In multis relatiuis non inuenitur vocabulum correspondens*, vt in casu inter Patrem, & Spiritum S.

21 Obijc. 5. *Mol.* vel ratio spiratoris includit essentiam Diuinam, vel non? Non secundum; quia Pater, & Filius spirant, prout sunt vnum in essentia, vt loquuntur *SS. PP*; tum quia essentia Diuina est principium *quo* radicale, & remotum Diuinarum processionum, vt superiùs dictum est. Si primum vel spiratio actiua cum essentia facit vnum subsistens per se notionale, vel per accidens? Si primum; ergo spiratio actiua habet formaliter constituere vnum subsistens relatiuū; quia subsistens est idem, ac vnum per se, & in se. Si secundum; ergo Spiritus S. procedit per accidens, quia eius principium *quod* est vnum per accidens, hoc secundum dici nequit; ergo primum est dicendum.

Resp; quòd ratio spiratoris includit essentiam Diuinam vt *quo*, duas autem personas, vt

quod ſubſiſtens;quia eſſentialiter eſt nexus duorum.Ideo improbatio non eſt ad rem.

21 Obijc.6.Spiratio actiua importat vnam virtutem communem Patri,& Filio; ergo ſpirator dicit vnum ſubſiſtẽs cõmune Patri,& Filio. Ant.pat.Prob.cõſ.nomina enim abſtracta, & cõcreta in Deo idem ſunt.

Reſp.neg. conſ.Ad prob. ſuperiùs reſponſum eſt *ex Fundatiſſ.Doct. in* 1.*diſt.*9. *q.*1. *art.*3; ſcilicet,quòd licèt nomina abſtracta,& concreta ſint idem quantùm ad rem ſignificatam, differũt tamen quantùm ad modum ſignificandi; nam concreta ſignificant formam exiſtentem in alio, & ſi ſumantur adiectiuè, multiplicantur etiam non multiplicata forma,quam ſignificant.At verò abſtracta ſignificant formam exiſtentem in ſe, ideo non multiplicantur niſi multiplicata forma,quam ſignificant.Quanuis ergo ſit vna virtus ſpiratiua communis Patri, & Filio, quia tamen vnitas virtutis ſpiratiuæ non ſumitur ab vnitate principij *quod*, ſed ab vnitate actionis ſpiratiuæ; cùm virtus ſpiratiua, vt potè productiua nexus duorum, exigat duas perſonas ſpirantes, ideo quanuis ſit vnica virtus ſpiratiua,non tamen eſt vnum ſubſiſtens *quod* ſpiratiuum commune Patri,& Filio.Cetera facilè ſoluuntur ex dictis.

QVÆST. V.

De Relationibus Diuinis.

Conſtat ex dictis relationes reales,quæ ſunt in Diuinis,eſſe relationes potentiæ, quæ ſequuntur ad actiones productiuas;propter quod conſequenter de illis eſt *hic* pertractãdum, vt rectus ordo continuò ſeruetur.

ART. I.

An dentur in Deo relationes reales?

1 Negarunt primò *Iudæi* ſaltem implicitè relationes reales originis eſſe in Deo,quia negarunt Trinitatem perſonarum. Ex hæreticis *Sabellius*, qui admiſit vnam tantùm perſonam tribus nominibus appellatam.Deinde *Ariani*,& *Macedoniani*;illi negando Verbum eſſe Filium Dei conſubſtantialem negarunt filiationem; iſti negando Deitatem Spiritui S.negarunt relationem ſpirationis paſſiuæ in Diuinis.

2 *Gilbertus*,vt aduertit *Fundatiſſ. Doct.inf*; voluit,quòd ex eo, quòd relatio non ſit aliquid, ſed *ad aliquid*,ſcilicet ad terminum,quem reſpicit,& quia terminus eſt aliquod extra perſonam, ideo relationes Diuinæ non ſunt intrinſecè in ipſis perſonis,ſed extrinſecè affixæ.

3 Communis tamen ſententia eſt dari in Diuinis perſonis relationes reales realiter diſtinctas inter ſe, & realiter diſtinguentes perſonas Diuinas. *Ita Fundatiſſ.Doct.diſt.*26.*princ.*2.*q.*1; *& diſt.*33.*princ.*1; *& ſæpe alibi; & communiter omnes.*

4 Not;quòd relatio poteſt ſumi dupliciter, ſcilicet ſecundùm eſſe *ad*,& ſecundùm eſſe *in*. Relatio ſecundùm eſſe *in* non eſt relatio formaliter ſumpta, quia, vt docet *Fundatiſſ.Doct.diſt.*33.*cit*; ſecundùm eſſe *in* importat ſubiectum; cùm non habeat eſſe diſtinctum ab eſſe ipſius ſubiecti,vt *ſupp.ex Logica*;& propter hoc ſecundùm eſſe *in* dicitur tranſire in identitatem ſubiecti;nam eſſe,in quo vnus paries eſt ſimilis alteri, eſt ipſa albedo,quę eſt fundamentum ſimilitudinis,& ideo eſſe relationis eſt extra eſſentiam, & quiditatem illius; propter quod reſpectu ſubiecti dicitur ratio,ſeu quid rationis, quia non importat quid realiter ſuperadditum ipſi ſubiecto. Secundùm eſſe *ad* dicit ordinem ad terminum, & ſic eſt relatio formaliter; quia conceptus relationis conſiſtit in ordine vnius ad aliud, vt dicitur in eius definitione; vnde ſi ordo ſit realis, etiam relatio eſt realis,vt diximus *To.*1.*de Attr. in com.q.*2.*art.*2.*à n.*1.

5 Quanuis autem relatio formaliter ſumpta ſecundùm eſſe *ad*,prout abſtrahit à relatione reali,& relationis,non importet aliquid reale,vt docet *Fundat.Doct. diſt.*33.*cit*; attamen non ſequitur, quòd relatio Diuina ſumpta formaliter ſecundùm eſſe *ad* non ſit realis, & non habeat realiter diſtinguere,vt malè deducit *noſter Gibb. hic n.*4.*ex Vaſq.& alijs*;ſicut ex eo,quòd ens,*vt ſic*, præſcindat ab ente reali, & rationis, non tamen deducitur, quòd entitas realis formaliter, vt talis entitas eſt,non ſit realis;ſicut enim entitas realis eſt differentia contractiua entis,*vt ſic*, abſtrahentis ab ente reali, & rationis, ſic relatio realis eſt differentia contrahens relationem, *vt ſic*, abſtrahentem à relatione reali, & rationis; nam ordo ſequitur ad ens, & eodem modo dicitur,ac ens.

6 Tria autem requiruntur ad hoc,vt relatio ſit realis, vt docet *Fund.Doct.vbiſ.*1. quòd fundamentũ ſit reale.2.quòd ſit ordo realis.3.quòd relatum habeat eſſe diuerſum ab alio relato. Defectu primi in obiecto non eſt relatio realis ad ſcientiam, quia in obiecto non eſt aliquod, per quod referatur ad ſcientiam,& quod poſſit eſſe fundamentum relationis realis. Defectu ſecundi eiuſdem ad ſe ipſum non datur relatio realis, quia idem nequit ordinari ad ſe ipſum; cùm ordo eſſentialiter ſit *vnius ad alterum*;idem autem nequit eſſe alter à ſe ipſo, aliter eſſet ipſe,& non ipſe. Tum quia paternitas non ordinatur ad ipſum Patrem, non enim dicitur Pater ſui, ſed ad Filium,quia dicitur Pater Filij. Defectu tertij in patre non multiplicantur relationes paternitatis ad plures filios; nec in pariete multiplicantur relationes ſimilitudinis ad plura ſimilia;quia paries, & pater nõ habent niſi vnicum eſſe albũ,

&

& esse patris, quo respiciunt plures terminos.

7 Ex his deducit *B. Doct. dist. 26. cit. contr. Gilbert*, quòd esse relationis Diuinæ est intrinsecum Deo; quia eius esse est esse fundamenti, quod est essentia Diuina; formalitas autem relationis est ad aliquod extrinsecum realiter aliud, quia essentialiter *est ordo vnius ad alterum*. Et licèt eadem essentia sit fundamentum omnium relationum, attamen non sequitur, quòd relationes sint idem inter se; quia sufficit, quòd relatum sit aliud, quamuis esse, in quo fundantur, sit idem; vnde licèt esset eadem albedo in duplici pariete; attamen si illi parietes, qui sunt relati, distinguerentur realiter, daretur vera, & realis relatio inter illos. *His not.*

8 Vnica concl. In Diuinis dantur relationes reales realiter distinctæ, & realiter distinguentes personas. Est de Fide saltem deductiuè; de Fide enim est personas Diuinas distingui realiter per solas relationes.

Prob. 1. *ex Scriptura*; nam *Matt. 28.* habetur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S*; & *Io. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S*; & ex alijs textibus adductis *q. 1. ar. 4*; vbi probauimus Trinitatem personarum: *Et in Conc. Tolet. II. in Confess. In relatiuis verò personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus S. ad vtrosque refertur; quæ, cùm relatiuè tres personæ dicantur; vna tamen natura per substantiam creditur*: *Et in Flor. sess. 18. Sola namque relatio, quã principalem habitudinem nominauimus, apud omnes tam Græcos, quàm Latinos DD. Diuina processione personas multiplicat*: Et paulò post. *Siquidem igitur relationes huiusmodi personas multiplicant ita, vt nulla alia ratione, quàm vi relationis Pater à Filio, ac vna persona ab alia differat*: Quæ concilia doctrinis *Beatiss. P.* composita esse testatur *Macedo in Concentu Euchologdie 28. Augusti*; sed paternitas verè est in Patre, & filiatio in Filio; & differentia, per quam vna res differt ab alia, est in ipsa realiter in re non differret; ergo in Diuinis personis datur verè, & formaliter relatio, aliter in ipsis non esset paternitas, & filiatio formaliter; quia paternitas, & filiatio formaliter est relatio; nec in ipsis esset distinctio secundùm rem, quæ attenditur solùm secundùm relationes.

9 Prob. 2. *ex Beat. P. 5. de Trin. c. 7*; & 8. docète in Deo esse propriè substantiã, & relationem; cetera verò spectantia ad alia octo prædicamenta tantùm translatè. Arguit autem sic ex illo *Io. 10. Ego, & Pater vnum sumus*. In Deo datur realis vnitas, & distinctio personarum; vnitas enim colligitur ex illa particula: *Vnum*, & Trinitas ex illis particulis: *Ego, & Pater*; Pater enim nequit esse Pater sui ipsius, sed alterius ab ipso; quia dicitur Pater ex eo, quòd est ei Filius, qui est alius à Patre; sed distinctio nequit sumi ex substantia; aliter essent tres Dij; & vnitas nequit sumi ex relatione, aliter non essent tres personæ; quia in substantia conueniunt, & sic essent vnum in omnibus; ergo sicut in Deo datur essentia realis, per quam personæ sunt vnum realiter; ita dantur relationes reales, quibus personæ distinguuntur realiter.

10 Prob. 3. *ex Fundatiss. Doct.* In illo est relatio realis, in quo adest fundamentum reale; in quo est verus, & realis ordo, & quod respicit suũ correlatum; vt in humanis ideo in Patre est relatio paternitatis, quia in ipso est potentia, vel actio generatiua, quæ est fundamentum paternitatis; & est ordo, quo ordinatur ad Filium; & respicit filium, qui est terminus, ad quem relatus est pater; sed in Diuinis datur fundamentum reale relationis, quod est ipsa essentia, in qua fundatur; & vna persona realiter ordinatur ad aliam; quia Pater verè dicitur Filij Pater, & Spiritus S. verè dicitur Spiritus Patris, & Filij; & datur terminus realis, ad quem refertur; ergo in Diuinis dantur relationes reales; sed ab ipsa essentia nequit sumi distinctio realis, quia in ipsa omnia sunt vnum; ergo dantur relationes reales realiter distinctæ distinguentes personas.

11 Conf. 1. *cont. Gilbert.* Relationes Diuinæ non distinguuntur realiter ab essentia; aliter in eadem persona daretur distinctio realis, & ideo esset composita, non simplex; vt arguit *Beatiss. P. lib. 3. cont. Maxim. c. 10*; sed id, quod est extrinsecè affixum, est realiter distinctũ; vt patet de sigillo epistolæ appenso; ergo relationes reales sunt in Deo intrinsecè formaliter, non extrinsecè affixæ.

12 Conf. 2. Relationes potentiæ, quæ consequuntur ad actionem productiuam, sunt reales mutuæ realiter distinctæ, & distinguentes producens à producto; vt habet *Phil. & omnes communiter*; sola enim relatio mensuræ non est realis mutua; sed in Deo dantur relationes consequentes ad actiones productiuas; ergo in ipso dantur intrinsecè formaliter relationes reales realiter distinctæ distinguentes personas productas à producente.

13 Obijc. 1. Relatio Dei ad creaturas est tantùm rationis, & aduenit Deo ex tempore, tantùm extrinsecè; & tamen Deus per illam distinguitur realiter à creaturis; ergo licèt relationes Diuinæ non sint reales intrinsecæ Deo, attamen distinguunt realiter Diuinas personas. Tum quia non minùs generatio Diuina est fundamentum relationis paternitatis, & filiationis; quàm actualis creatio est fundamentum relationis Creatoris, & Domini creaturarum; sed actualis creatio fundat relationem rationis extrinsecam; ergo & generatio Diuina fundat relationem rationis paternitatis, & filiationis.

Resp. dist. 1. part. ant. Relatio Dei ad creaturas est tantùm rationis ex parte ipsius Dei, conc; ex parte creaturarum, neg. Ad 2. part. dicitur *ex Fundatiss. Doct. in 1. dist. 30. princ. 1. q. 2*; & *ex Beat. P. 5. de Trin. c. vlt*; quòd relatio adue-

ueniens Deo ex tempore fundatur in actione extrinseca, quæ recipitur in creatura; & ideo sola creatura refertur realiter ad Deum; & illa relatio aduenit extrinsecè; ex qua consurgit relatio rationis fundata in denominatione extrinseca, quæ aduenit Deo; at verò relationes Diuinæ fundantur in actione intrinseca; & ideo sunt intrinsecæ ipsi Deo,& ipsi coæternæ. Ad 3. part. neg; quòd per relationem rationis distinguatur à creatura; distinguitur enim per esse absolutum; quæ distinctio nequit esse in Diuinis personis; quæ in absolutis identificantur. Ad aliud dist. ma. Ita, vt tam generatio,quàm creatio sit actio intrinseca Deo,neg;ita,vt illa sit intrinseca;ista verò extrinseca, conc; & ideo creatio,quia est actio extrinseca, fundat relationem extrinsecam; generatio verò, quia est actio intrinseca, fundat relationem intrinsecam; vnde potiùs deducitur oppositum.

14 Obijc. 2. Relatiua realia habent ad inuicem dependere; sed in Diuinis non est ponenda dependentia realis; ergo neque relatio realis. Prob. ma. Illa dependent ad inuicem, quorum vno destructo destruitur aliud; sed destructo vno relatiuo destruitur aliud; ergo dependent ad inuicem. Mi. patet; quia dependentia est summa imperfectio.

Resp. dist. ma. Relatiua realia habent dependere in eo, quòd relatiua, neg; aliter causa dependeret ab effectu,quòd nullus diceret; in eo, quòd vnum accipit esse ab alio per distinctionem; propter quod solus effectus dicitur dependere à causa,non è contra,conc.Ad prob. neg.ma;nam destructa essentia Diuina destruuntur etiam attributa, & tamen nullus diceret attributa dependere ab essentia;aut è contra. Dependentia ergo propriè importat acceptionem esse cum distinctione, & subiectione, quæ repugnat in Diuinis.

15 Obijc. 3. Relationes secundùm esse *ad*, vt de eis loquimur,respiciunt terminum extrinsecum;ergo sunt aliquod extrinsecè affixum.

Resp. dist. ant. Respiciunt terminum extrinsecum Diuinæ essentiæ, neg; Filius enim, quem respicit paternitas, non est extra Diuinam essentiam,aliter non esset consubstantialis; respiciūt terminum extrinsecum personæ,conc; ex hoc tamen non sequitur, quòd sint extra essentiam, aut extra personam; vt quantitas corporis, licèt respiciat locum, qui est extra corpus,non tamen est extra corpus.

16 Obijc.4. Relationes sunt minimæ entitatis; sed nulla entitas minima datur in Deo; ergo relationes nō sunt in Deo.2.Relatio definitur *ordo vnius ad aliud*;sed in Diuinis non datur *aliud*; quia dicit diuersitatem in essentia, vt dictum est *in sup.q.art.14.n.12*;ergo non datur relatio in Deo.3. In Deo non reperitur oppositio relatiua, quia in ipso non reperiuntur aliæ species oppositionis. 4. Pater communicat Filio omnem realitatem; sed non communicat relationem, quia relatio est incommunicabilis; ergo in Deo non est relatio realis.5. Ad omnem relationem requiritur terminus, fundamentum, & ratio fundandi; sed hæc non dantur in Deo; ergo neque relatio.

Resp. dist. ma. Relationes creatæ, vtpotè accidentia, sunt minimæ entitatis,conc; relationes Diuinæ,quę sunt substātiales,& actus purissimi,neg .Ad 2.dist.ma. Definitur ordo ad aliud diuersum in natura,vel in supposito,conc;solùm in natura,neg;in Diuinis autem non datur aliud substantiuè,vt diximus *loc.cit*;datur tamen aliud relatiuè, idèst suppositaliter. Ad 3.neg.assump; quia aliæ species oppositionis dicunt imperfectionem; oppositio autem relatiua dicit perfectionem, quia dicit fœcunditatem naturæ. Ad 4.dist. ma. Communicat omnem realitatem absolutam, conc; relatiuam, neg. Ad 5. dicitur, quòd terminus est persona opposita,fundamentum est potentia productiua; & ratio fundandi est ipsa actualis productio.

A R T. II.

An in Diuinis sint tantùm quatuor relationes reales, & tres res?

1 Prima sententia vult in Diuinis esse quatuor relationes reales, & illas esse dicendas quatuor res. *Ita Dur*, & tribuitur etiam *Scot*.

Secūda sent.vult in Diuinis relationes esse plures, quàm quatuor. Ita quidam *Scotista*, qui *Romæ* exposuerat in thesibus esse decē, & octo; quod tamen nō fuit admissū *à Mag.Sac.Palatij*.

Tertia sententia docet relationes reales in Diuinis esse solùm quatuor, & illas esse tantùm tres res. *Ita Fundatiss.Doct.in 1.dist.25.princ.3. q.1;& dist.27.princ.1.q.1;& Quodl.5.q.5*;quidquid falsò dicat *Zum*. Idem habent *omnes alij DD. communiter*.

2 Not; quòd *Fundatiss. Doct.* videtur sibi contradicere; nam *dist.33.cit.* ait, quòd relatio è comparata verò ad terminum est res;vt diximus *in sup.art;& To.1.ibid;dist.verò 25; & 27.citat.* ait,quòd relatio à subiecto habet, quòd sit res; à termino verò habet,quòd sit relatio; quæ videntur implicare contradictionem.

3 Sed non est sic, vt videtur; *hic* enim solum docet,quòd multitudo,distinctio,seu pluralitas rei habetur à subiecto, quanuis realitas relationis habeatur nedum à subiecto, sed etiam ab ordine, & à relato, seu correlatiuo, vt diximus *in sup. art.* Aliud est autem loqui de ipsa realitate entis, & aliud de distinctione, seu pluralitate; nam vt ibidem docet,in Deo est realiter sapientia, & iustitia, non tamen est realis distinctio sapientiæ, & iustitiæ; quanuis realitas relationis sumatur per ordinem ad terminum oppositum, quia eiusdem ad se ipsum non datur relatio realis, quæ essentialiter exigit esse inter duos

duos terminos reales distinctos, in hoc enim relatio realis distinguitur à relatione rationis; attamem pluralitas realis relationum sumitur per ordinem ad subiectum proximum, in quo est; non autem à subiecto remoto, & radicali; nam cùm eadem essentia Diuina sit subiectum omnium relationum, sequeretur, quòd omnes relationes essent vna relatio realiter. At verò cùm fundamentum proximum relationum Diuinarum sit triplex; scilicet fundamentum paternitatis actio generatiua, fundamentum filiationis generatio passiua, & fundamentum spirationis passiuæ velle notionale passiuè sumptum, ideo triplex est relatio. Igitur relatio à termino habet, quòd sit res, à fundamento autem, quòd sit multiplex res, per quod tollitur apparentia contradictionis.

4 Vnica concl. In Diuinis sunt tantùm quatuor relationes reales, quæ sunt solummodò tres res.

Prob.1.pars concl. *ex Symb. D. Athan.* vbi dicitur Filium esse genitum, & Spiritum S. procedentem à Patre, & Filio; super quod *Beatiss.P. lib.3. cont.Maximin.c.14.* ait: *De Patre est Filius, de Patre est Spiritus S; tamen ille genitus, iste procedens*. Ex quibus sic. In Deo sunt tantùm duæ processiones reales, vt docet Fides; sed quælibet processio realis exigit duas relationes reales; ergo in Deo sunt tantùm quatuor relationes. Ma. patet ex dictis *q.2. art.2.* Prob.mi. Quælibet processio realis est inter principium producens, & terminum productum; sed principium producens, & terminus productus referuntur, & dicuntur realiter ad inuicem, vt docet *Beatiss. P; & Conc.cit.in sup.q. art.3;* ergo quælibet processio necessariò exigit duas relationes reales.

5 Conf. Si in Diuinis relationes reales essent plures, quàm quatuor, maximè, quia Pater, & Filius sunt duo spiratores Spiritus S; sed hoc non sufficit, quia licèt sint duo spiratores, attamen spirant per eandem virtutem, & actionem spiratiuam, ad quam consequitur vna tantùm relatio spiratoris communis Patri, & Filio, sicut virtus, & actio spiratiua est vna, & eadem communis vtrique; ergo relationes reales sunt tantùm quatuor.

6 Prob.3.*ex Fundatiss.Doct.* Relatio habet, quòd sit realis ex ordine reali ad suum correlatiuum, vt *sup.* diximus; sed quadruplex ordo realis est in Diuinis; nam est ordo Patris ad Filium; & Filij ad Patrem; & Patris, ac Filij ad Spiritum S; & Spiritus S. ad Patrem, & Filium; aliter realiter non dicerentur ad inuicem, vt *sup.* diximus; ergo tantùm sunt quatuor relationes in Diuinis; nullus enim alius ordo realis est excogitabilis in Diuinis personis.

7 Conf. Relatio realis, quæ admittitur in Diuinis, est relatio tantùm sequēs ad originem, seu ad actionem productiuam; nam relationes æqualitatis, & similitudinis in Diuinis personis est relatio rationis, non realis; sed relationes sequentes ad originem sunt tantùm quatuor, vt *sup.* dictum est; ergo sunt tantùm quatuor relationes reales.

8 Prob.2.pars concl. *ex Conc. Lat. c. Damnamus de Summa Trin; & Fid.Cath;* vbi ait: *In Deo solummodò Trinitas est, non quaternitas;* & *Beat.P.6.de Trin.c.5.* docet: *Personæ Diuinæ non excedunt numerum ternariū,* ex quibus sic arguit *Fund.Doct.* Res in Diuinis non multiplicantur realiter, nisi ad multiplicationem realem subiectorum, in quibus proximè fundantur; sed subiecta, in quibus proximè fundantur relationes, sunt personæ, quæ non sunt, nisi tres, vt docet Fides; ergo quatuor relationes sunt tantùm tres res. Ma. patet ex dictis; res enim, quæ est idem, ac ens, non multiplicatur, nisi ad multiplicationem ipsius esse; ideo enim *Petrus*, & *Paulus* sunt plures res realiter distinctæ, quia habent plura esse realiter distincta; ergo relationes Diuinæ considerata, prout sunt quædam res, non multiplicantur, nisi ad multiplicationem esse personalis, in quo sūt. Prob.mi. *ex Beat.P.5. de Trin.c.5;* vbi ait: *Quamuis diuersum sit Patrem esse, & Filium esse,* (quod dicendum est etiam de Spiritu S.) *non est tamen diuersa substantia, quia hæc non secundùm substantiam dicuntur, sed secundùm relatiuum.* Ex quo sic: Esse, quod multiplicatur in Diuinis personis, est tantùm esse relatiuum, quia esse absolutum vnum, & idem est, cùm vna, & eadem sit substantia; sed esse relatiuum non est, nisi triplex, sicut triplex est persona, quæ per illud constituitur; ergo tantùm sunt tres personæ, in quibus fundantur proximè relationes.

9 Conf.1.*Conc.Rhem.* damnauit *Gilbertum* asserentē esse in Deo quaternitatē; dicebat enim relationes Diuinas esse entitates realiter distinctas ab entitate essentiæ Diuinæ; patet autem quòd essentia Diuina, vt distincta à relationibus, non est persona; ergo *iuxta Concilia* nequit sustineri non solùm quaternitas personarū, sed nec etiam quaternitas entitatum, sed res, & ens sunt idem; ergo nequit sustineri esse quatuor res in Diuinis; sed tantùm quatuor realitates, quarum duo sunt vna res, & reliquæ duæ sunt duæ res relatiuè sumptæ.

10 Conf.2. Si relationes reales essent quatuor res, spiratio actiua distingueretur realiter à paternitate, & à filiatione; sed consequens est falsum, aliter persona Patris, & Filij non esset summè simplex, sed realiter composita ex duplici re realiter distincta, vt arguit *Beatiss.P.cont. Maximin. lib.3.c. 10;* ergo relationes reales non sunt, nisi tres res.

11 Tandem prob. Nulla datur distinctio realis in Diuinis, nisi per oppositionem relatiuam; sed spiratio actiua non opponitur paternitati, aut filiationi, quia quæ opponuntur, implicat vniri in eadem persona; vt patet de filiatione,

ne,& paternitate; ergo ſpiratio actiua nō diſtinguitur realiter à paternitate,& filiatione. Ma. patet *ex dictis in ſup. q. art. 3.*

12 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Beatiſſ. P. 5 de Trin. c. 12.* ait Patrem,& Filium non dici viciſſim ad Spiritum S; non enim dicitur *Pater Spiritus S;* ne intelligatur Spiritum S. eſſe Filium Patris; neque dicitur *Filius Spiritus S;* ne Spiritum S. intelligatur eſſe Patrem Filij; ergo in Diuinis non ſunt, niſi tres relationes. Tum quia ſpiratio actiua non opponitur paternitati, & filiationi; ergo non facit numerum cum illis.

Reſp. neg. conſ; licèt enim Pater, & Filius non dicantur immediatè ad Spiritū S. per relationem paternitatis, & filiationis, dicūtur tamen mediatè, ſcilicèt mediante ſpiratione actiua; vnde Pater, & Filius dicuntur ſpiratores Spiritus S; ſubdit enim *ibid. Beatiſſ. P;* quòd Pater dicitur *donator Doni*, & Spiritus S. dicitur *Donum Donatoris*; ergo ex eodem, licèt Pater, & Filius non dicantur viciſſim de Spiritu S. immediatè ſub ratione paternitatis, & filiationis, dicuntur tamen mediatè alia ratione. Ad aliud diſt. ant. Non opponitur immediatè, conc; mediatè, neg.

13 Obijc. 2. *In Conc. Lat. vbi ſup.* damnatur quaternitas in Deo; ergo non ſunt quatuor relationes. Tum quia quatuor relationes ſunt quatuor res, qualibet enim relatio eſt aliqua res, cū non ſit nihil; ſed non ſunt quatuor res; ergo neque quatuor relationes.

Reſp. ad 1. in *Conc.* damnari quaternitatem entitatum realiter diſtinctarum, non autem quaternitatem relationum, quarum duæ ſunt vna res, ſiue ſunt duæ realitates vnius rei. Ad 2. neg. ma; & ad prob. infert. dicitur, quòd inter ens, & nihil eſt realitas, quæ identificatur cum ente, nō tamen eſt ens realiter diſtinctum ab illo ente, in quo eſt; v. g. ſapientia in Deo non eſt ens realiter diſtinctum à Deo, neque eſt nihil, ſed eſt realitas identificata cum entitate ipſius Dei; ita à pari de ſpiratione actiua reſpectu paternitatis, & filiationis.

14 Obijc. 3. Per relationes reales conſtituūtur perſonæ Diuinæ formaliter; ſed perſonæ Diuinæ ſunt tantùm tres, ergo tantùm tres ſunt relationes reales.

Reſp. *ex Fundatiſſ. Doct. Quodl. 5. q. 2.* diſt. ma. Per omnes relationes reales conſtituuntur perſonæ, neg; per aliquas tantùm, conc. Relatio ergo realis in Diuinis alia eſt tantùm diſtinctiua, non relatiua, aut conſtitutiua, vt *eſſe ingenitū*, quod diſtinguit Patrem à Filio, & à Spiritu S; & ideo eſt notio propria Patri, non tamen relatiuè dicitur ad Filium, & Spiritum S; quia eſſe ingenitum negat potiùs relationem, quàm illam afferat; vnde non refertur, niſi quatenus identificatur cum paternitate, quæ refertur ad Filium; alia eſt diſtinctiua, & relatiua, nōn conſtitutiua, vt ſpiratio actiua, quæ, cùm ſit notio communis Patri, & Filio, nequit cōſtituere aliquam perſonam, eùm conſtitutiuum debeat eſſe proprium, & incommunicabile. Alia eſt diſtinctiua, relatiua, & conſtitutiua, vt paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua.

15 Obijc. 4. Spiratio actiua in Patre, & Filio multiplicatur; eadem enim entitas nequit identificari cum duplici oppoſito, ſicut eſt paternitas, & filiatio; ergo relationes ſunt plures, quàm quatuor. Tum quia Filius, vt Filius, dicit relationem filiationis ad Patrem, vt Pater eſt; & vt Verbum, dicit relationem dictionis ad Patrem, vt dicens eſt; & vt imago, dicit relationem ſimilitudinis, & vt æqualis, relationē æqualitatis; ſic dicendum de Spiritu S; prout habet rationem doni, amoris &c; ergo relationes Diuinæ non ſunt tātùm quatuor.

Reſp. ad 1. neg. ant; eadem enim eſſentia identificatur cum relationibus, quæ inter ſe opponuntur; & ideo à fortiori ſpiratio actiua, quæ pertinet ad idem genus relatiuum, ad quod non pertinet eſſentia, poteſt identificari cum duplici oppoſito. Ad 2. diſt. ant. Ita, vt relatio dictionis, filiationis, & imaginis ſint plures relationes formales ſpecie diuerſæ, neg; vt enim diximus *ex Beatiſſ. P. 6. de Trin. c. 2. Filius eſt eo imago, quo Filius; & lib. 7. c. 2. Eo, quòd nata eſt, & Verbum, & imago, & Filius intelligitur.* Ita, vt ſit eadem relatio, conc. Ad aliud de ſimilitudine, & æqualitate dicitur, quòd ſunt relationes rationis defectu ordinis realis, & termini oppoſiti.

16 Obije. 5. *Dur.* cont. 2. part. concl. Vna relatio nequit terminari ad diuerſos terminos productos, quorum alter ſit genitus; & alter non genitus, à terminis enim habetur diſtinctio relationis; ſed ſpiratio actiua in Patre terminatur ad Spiritum S; qui nō eſt genitus, & paternitas terminatur ad Filium, qui eſt genitus; ergo ſpiratio actiua in Patre differt realiter à paternitate.

Reſp. diſt. ma. Vna relatio virtualiter ſpecificè, conc; ſic enim vna, & eadem paternitas nequit terminari ad Filium, & Spiritum S; vna relatio realiter, virtualiter tamen ſpecificè diuerſa, neg; *non enim requiritur tanta diſtinctio in principijs, quanta in principiatis*; vt patet in creatis, vbi pater per vnicam relationem paternitatis reſpicit plures filios realiter diſtinctos.

17 Obije. 6. Generatio actiua diſtinguitur realiter à ſpiratione actiua; ſed generatio actiua eſt paternitas; ergo paternitas diſtinguitur realiter à ſpiratione actiua. Prob. ma. Spiratio paſſiua, & generatio paſſiua diſtinguuntur realiter; ſed duæ proceſſiones paſſiuæ realiter diſtinctæ nequeunt eſſe ab vna, & eadem actione; quia per vnam, & eandem actionem realem nequit produci niſi vnicus terminus realis; ergo generatio actiua, & ſpiratio actiua diſtinguuntur realiter.

Reſp. neg. ma. Ad prob. diſt. mi. eodem modo. Ab vna, & eadem actione realiter, & virtualiter, conc; ab eadem realiter, & virtualiter duplici, neg; ſicut enim ab eadem potentia realiter ſicut

ficut est intellectus,& voluntas in Deo,virtualiter tamen multiplici, sunt duo termini realiter distincti;ita ab eadem actione realiter,virtualiter tamen duplici possunt esse duę processiones passiuæ; vt dictum est ad 1; vnde hoc arg. indirectè probat etiam intellectum,& voluntatem realiter distingui,quod est cont.Fidem.

18 Obijc. 7. Sicut se habet paternitas ad filiationem, & spiratio actiua ad spirationem passiuam; ita se habet filiatio ad paternitatem, & spiratio passiua ad spiratiuam actiuam; ergo mutata proportione sicut se habet filiatio ad spirationem passiuam; ita paternitas ad spirationem actiuam;sed filiatio distinguitur realiter à spiratione passiua ; ergo & paternitas à spiratione actiua. Tum quia paternitas,& spiratio actiua sunt duę relationes;ergo sunt duæ res;nam multiplicato inferiori multiplicatur superius, vt patet de rationalitate respectu animalitatis;relatio autem est inferior ad rem;quia res diuiditur in absolutam,& relatiuam.

Resp.ad 1.neg.esse proportionē;nā filiatio dicit oppositionem mediatam ad spirationem passiuam, per quam realiter distinguitur; paternitas verò nullam dicit oppositionem ad spirationem actiuam,& ideo non seruatur proportio. Ad 2. dist. ant. Sunt duæ relationes realiter distinctæ,neg;virtualiter distinctæ,conc;sicut ergo multiplicatur inferius , ita multiplicatur superius; vnde quia relatio non multiplicatur realiter,ita nec res. Præterea dicitur, quòd relatio Diuina propriè non est inferior , quia in Deo non datur genus, & differentia propriè. *Vid.B. Doct.dist.27.vbis.*

19 Obijc.8.*Scot.*Paternitas, & spiratio actiua nequeunt ad inuicem prædicari , non enim valet:*Paternitas est spiratio*;sicut non valet:*Generare est spirare*; quia Filius spirat,& tamen non generat;ergo distinguuntur realiter.

Resp.dist.ant.Paternitas,& spiratio actiua non prædicantur ad inuicem substantiuè , neq; adiectiuè , conc. *Vid. inf. art.* 4; sicut enim ex eo,quòd non valeat : *Intellectus amat*; *Voluntas intelligit*, non sequitur, quòd voluntas, & intellectus distinguantur realiter;ita à pari.

ART. III.

An, & quomodò relationes distinguantur ab essentia?

1 LAtè discussa fuit hæc difficultas *To. 1. de Attr.in com.q.2.per totā*; licèt enim de attributis *ibid.*loqueremur;attamen etiam de relationibus sufficiens sermo habitus fuit,eadem namque est ratio de vtrisq; at propterea vnum ab alio separari non potuit. Et quanuis relationes magis distinguantur ab essentia, quàm attributa;quia relationes pertinent ad diuersum genus, quod est relatiuum,& attributa, ac essentia ad idem genus absolutum;illa autem, quæ differunt genere,magis distinguuntur, quàm ea,quæ conueniunt in genere; attamen illud magis, & minùs non variant speciem distinctionis;sicut licèt homo differat genere à planta,& cum Brutis conueniat in genere:attamen ab vtroque differt realiter , ita dicendum de distinctione virtuali, quæ æquiualet reali,& ideo de illa philosophandum est,sicut de reali, quòd suscipiat magis, & minùs. Breuiter ergo ad ea,quæ diximus, aliqua dicemus, ne idē superflua repetitione agamus.

2 Error fuit *aliquorum apud Niceph.lib.18. hist.Eccl.c.49.*asserentium Diuinas relationes distingui realiter ab essentia;cui errori adhęsit *Gilbertus* , qui tamen *in Conc.Rhem.* se retractauit. Refertur etiam *Abbatem Ioachim* docuisse essentiam neque esse Patrem, aut Filium, aut Spiritum S;quæ sententia damnata est *in c.Damnamus de Sum.Trin; & Fid.Cath.in Conc.Lat;* & à nobis reprobata fuit *vbis.art.5.*

3 Prima sententia vult relationes distingui ab essentia realiter modaliter. *Ita Dur.in 1.dist. 31.q.1;& dist.34.q.1;& dist.7.q.1.*Sed hæc sēt. reiecta fuit *vbis.art.6.*

Secunda sententia vult relationes distingui ab essentia formaliter ex natura rei , prout distinctio formalis distinguitur à distinctione virtuali.*Ita Recentiores Scotistæ*; quid autem dicendum sit de mente *Scoti*; *vid. vbisup.art.3; & recentes Scotistæ* impugnati fuerunt *art.7.*

Tertia sententia vult sola ratione ratiocinante,& sine fundamento distingui . *Ita Aureol; & communiter Nominales.*

Quarta sententia docet distingui virtualiter realiter independenter ab intellectu , quod idem est, ac realiter æquiualere cum summa identitate pluribus realiter distinctis , & distingui formaliter sola ratione cum fundamento , quod est ipsa æquiualentia ad plura distincta . *Ita Fundatiss.Doct.in 1.dist.34.princ.1.q.2;& 3; & locis cit.vbisup. art.4;8; & 9; Argent.ibid.q.1. art.1;Ger.q.2;Tolet.q.2,Lusit.de Beat.P.To.1 lib. 5.q.5;Franc.à Christo in 1.dist.2.q.3.cōcl.3;Gibb. hic disp.*10. *dub.3*; apud quem *Bernardin; Gamboa, Dominguez; & omnes nostri*; Et ex alijs *D. Tho.hic art.1*; quem sequuntur *omnes Thomistæ; & Salm.hic disp.5.dub.2, Albertin; Fonsec; Vasq; Sua;Val;& omnes alij extra Scotistas:& ex Scotistis Herrer; & Ponc*; qui asserunt *Scotum* fuisse huius sententiæ,de quo *vbis.*

4 Vnica concl. Relationes non distinguuntur aliqua distinctione formali ante opus intellectus , sed tantùm virtualiter æquiualenter , & ratione cum fundamento.

Prob. 1.*ex Conc.Rhem*;vbi dicitur: *Nec aliquas omnino res, siue relationes, siue proprietates, siue singularitates, vel vnitates dicantur, vel alia huiusmodi, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.* Ex quibus sic . Nulla relatio, vel proprietas,vel vnitas,aut formalitas(vnitas enim est formalitas *per recentes Scotistas*,quia esse formalitatis est huiusmodi,sicut esse vnitatis)potest es-

se in Deo, & non esse Deum omnino; sed si relationes distinguerentur formaliter ex natura rei ab essentia, non essent omnino Deitas; quia distinctio est negatio; ergo non distinguuntur formaliter ex natura rei. Propter hoc ait *Vasq.* opinionem *recentium Scotistarum* nõ differre à sententia *Gilberti*, quam tamen ipse religiosè retractauit. *Et Conc. Flor. sess.* 15. *Relatio est eadem re cum natura, sola autem ratione distingui*; *& sess.* 28. *Diuina substantia, & persona re quidem sunt idem, secundùm autem modum intellectionis nostra videntur differre*; *& sess.* 19. *Haudquaquam putare debetis, quod re differant, quandoquidem sola ratione, aut intelligentia differre creduntur*; *& sess. vlt. Diuina substantia à tribus hypostasibus non re, sed ratione differt.* Ex quibus sic. Distinctio formalis ex natura rei *per Scotistas* non est distinctio rationis, quia est ante opus intellectus; sed *per Conc.* relationes distinguuntur ab essentia solùm ratione, & per intellectum; ergo relationes non distinguuntur ab essentia formaliter ex natura rei.

5 Dices *Conc.* non definiuisse hanc rem, sed solùm protulisse hanc sententiam disserendo.

Sed contra est; nam *Conc.* asserit *sola ratione, aut intelligẽtia differre creduntur*; sed id, quod *creditur in Conc*; assertur tanquam aliquod definitum de Fide; non enim sumitur *ibid. credere*, prout idem est, *ac putare*; excluditur enim *putare* per illa verba antecedentia: *Nequaquam putare debemus*; ergo *Conc.* loquitur definitiuè, repetendo scilicet d finitionem factam *in Conc. Rhemen.*

6 Prob. 2. *ex Beatiss. P. 6. de Trin. c. 6*; vbi docet: *Neque in hac Trinitate, cùm dicimus personã Patris, aliud dicimus, quàm substantiam Patris*; *& lib. 6. c. 6. Non est aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem*; sed si relatio distingueretur ab essentia, nõ esset omnino idem ante opus intellectus; illa enim particula *omnino* excludit omnem distinctionem, quæ opponitur identitati à parte rei ante opus intellectus; ergo relatio nõ distinguitur formaliter ex natura rei ab essentia.

7 Conf. *ex eod. 15. de Trin. c. 17*; vbi docet: *Nec distent in eis ista, sicut in nobis aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio, siue charitas; sed vnũ aliquod est, quòd omnia valeat*; quibus verbis nedum manifestè docet distinctionẽ virtualem, quę consistit in ęquiualentia vnius ad plura, sed etiam conuincit opinionem *Scotistarum* non esse conformem illius menti, quod sic ostenditur. *Ex Beat. P.* relationes non distinguũtur ab essentia, sicuti in nobis differunt ab anima memoria, intellectus, & volũtas; sed *per Scotistas* memoria, intellectus, & volntas in nobis differunt formaliter actualiter ex natura rei, ergo nõ possunt substinere nisi cum implicantia suæ doctrinæ relationes differre formaliter actualiter ex natura rei ab essentia iuxta mentem *Beat. P.*

8 Rationes autem, quibus probatur hæc concl. *Vid. To. 1. vbisup*; vbi soluuntur etiam obiectiones.

9 Obijc. *nost. Greg.* cont. 2. part. concl. Si daretur distinctio virtualis inter essentiam, & relationem, maximè ad saluanda cõtradictoria, quòd scilicet eadem res, quæ est essentia, communicatur, & prout est relatio, non communicatur; sed contradictio saluatur absque distinctione virtuali; quia paternitas communicatur Patri, & non communicatur Filio; & tamen paternitas non distinguitur virtualiter, cùm sit vna simplicissima formalitas etiam virtualiter; ergo non datur distinctio virtualis.

Resp; quòd licèt distinctio virtualis optimè saluet essentiam communicari non communicata paternitate sine vlla contradictione; attamen admittitur etiam ad saluandam infinitatẽ multiplicium perfectionum Dei cum summa simplicitate purissima. Ad arg. igitur omissa ma. neg. mi. Et ad prob. insert. dicitur, quòd paternitas propriè non communicatur; quia communicatio importat esse in pluribus, siue communionem plurium; vnde essentia communicatur, quia est in pluribus personis; paternitas autem, licèt sit in Patre, non tamen propriè communicatur, quia est in solo Patre, non in pluribus.

Cetera arg. *Nominalium vid. vbis. art. 4.*

ART. IV.

An relationes includantur in conceptu essentiæ?

1 SVpp. ijs, quæ diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 2. art. 9; & q. 3. art. 1.* de inclusione, & exclusione vnius formalitatis in alia, certum est *in nostra Schola* relationes secundùm esse *in* includi formaliter in conceptu formali essentiæ; cùm enim relatio non habeat aliud esse *in*, quàm esse essentiæ; ideo relatio secundùm esse *in* est ipsissimum esse essentiæ; sed esse essentiæ est de conceptu formali ipsius essentiæ, quia est constitutiuum illius; vt diximus *ibid. de Subst. Dei q. 2. art. 2*; ergo relatio secundùm esse *in* est de conceptu formali essentiæ. Igitur dubium est de relationibus secundùm esse *ad*, secundùm quod habẽt respicere terminum oppositum, non autem subiectum.

2 Prima sententia vult relationes Diuinas esse de conceptu formali essentiæ & è contra. *Ita Capr; Caiet; & alij antiquiores Thomistæ*; nouiores tamen volunt, quòd si consideretur essentia per modum radicis attributorum, & relationum, seu secundùm quod virtualiter præscinditur ab attributis, & relationibus, & prout importat solam lineam prædicatorum spectantium ad lineam essentiæ, non est de conceptu relationum; si autem consideretur per modum substrati, & transcendentis essentialiter imbibiti in omni prædicato Diuino siue essentiali, siue attributali, siue relatiuo, relationes sunt de conceptu essentiæ, & è contra. *Ita Io. à S. Tho. hic q. 28. disp. 13. art. 2; Salm. noster Gibb. apud quem alij.*

Secunda sententia vult essentiam esse de conceptu relationum, non è contra. *Ita Suar. Bel-*

Bellar. lib. 1. de Christ. c. 9; Arrub; Ruiz; & alij.

Tertia sententia vult relationes secundùm esse *in*, & *ad* non esse de conceptu relationum; putat enim distingui formaliter ex natura rei. *Ita Scot; & alij cit. in sup. art.*

Quarta tandem sententia docet, quòd relationes secundùm esse *in* sunt de conceptu essentiæ; non tamen secundùm esse *ad*. *Ita Fund. Doct. iu 1. dist. 34. princ. 1. q. 2; Greg. dist. 33. q. 1. art. 2; Argent. ibid. q. 1. §. Tertiò dicendum, Gerar; Franc. à Christo in 1. dist. 9. q. 6; Put. q. 28. art. 2. dub. 2; Lusit. de Beat. lib. 5. q. 13. art. 1. §. 3; M. Conson; & omnes Aegidiani in M. S;* ex alijs verò *Mol; Vasq; Alarc; Bec; Turrian; et alij communiter exceptis sup. allatis.*

3 Not; quòd duplex est conceptus essentię; alius adæquatus, & integralis, prout complectitur omnia, quæ sunt in Diuina essentia; & in hoc sensu non procedit difficultas; nam si sumatur essentiæ conceptus, prout adæquatè, & integraliter comprehendit omnia, quæ sunt in illa, *apud nullum* est dubium, quòd relationes sint de illius conceptu, cùm relationes sint realiter in illa per identificationem purissimam; vnde si *recentes Thomistæ* per illud *transcendentaliter imbibi in omnibus* intelligant omnia esse in essentia adæquatè sumpta; & secundùm esse *in* omnia esse vnum, & eundem conceptum, verbis ludunt. Alius est conceptus inadæquatus essentiæ proprius, & specificus; prout scilicet distinguitur à conceptu attributorum, & relationum, & in hoc sensu, licèt attributa sint de conceptu essentiæ; non tamen relationes propter rationes *inf.* afferendas; vnde confusè loquuntur *Recentiores*; & hoc secundo modo procedit difficultas.

4 Igitur discrimen est inter relatiuum, & absolutum, vt docet *Fundatiss. Doct. dist. 26. princip. 2. q. 1. §. Notandum*; vbi ait: *Differt autem quia alijs entibus, prout sunt in aliquo, respondet proprium esse, relationi autem non respondet esse proprium; non quia ei nullum esse respondeat, sed quia non habet esse distinctum ab esse fundamenti; nam si iu aliquo, est magnitudo, & albedo, aliud est esse magnitudinis, & albedinis; & compositius est illud ex eo, quod est magnum, & album, quàm ex eo, quod est magnum solùm. Esse tamen æqualitatis non est alius ab esse quantitatis; nec esse similitudinis ab esse albedinis; & inde est, quòd Phil. 5. Met. t. c. 20. assignat differentiam relationum secundùm genera aliorum entiũ. Inde est etiã, quòd non est aliquod compositius ex eo, quòd est album, & simile, quàm ex eo, quod est album solùm, eò quòd similitudini non respondet proprium inesse.* Oportet ergo bene percipere essentiam relationis, & differentiam, qua differt ab absoluto; ex cuius ignorantia plurima falsò attribuuntur relationi *à Recentioribus*. Explicatur autẽ sic.

5 Relatio duo importat; vnum de formali, & hoc est *ordo* ad terminum, seu respectus ad illud, ad quod refertur; aliud de materiali, & hoc est *inesse*, quod ei conuenit communiter cum accidentibus. Differt autem ab alijs accidentibus, quòd alia accidentia important aliquod esse, siue aliquam entitatem distinctam ab esse subiecti; aliud enim est esse hominis; & aliud est esse albi, & quia ex pluribus entitatibus simul vnitis fit compositio; ideo homo albus dicitur accidẽtaliter compositus; & eo est compositior, quo plura habet accidentia, quia pluras habet entitates. At verò relatio nullum aliud habet esse, quàm esse fundamenti, quod prob. 1. Nam *Phil.* diuidens esse relatiuum illud diuidit secundùm diuisionem entitatum, in quibus fundatur; ergo esse relatiuum non importat esse distinctum ab entitate subiecti: aliter diuideretur secundùm suum esse proprium, non secundùm esse subiecti. 2. Si relatio importaret aliquod esse distinctum ab esse fundamenti, faceret compositionẽ cum illo; quia compositio est vnio plurium esse, seu entitatum; sed nullus diceret, quòd paries albus sit magis compositus ex eo, quòd sit similis, quàm ex eo, quòd sit solùm albus; ergo relatio non importat esse distinctum ab esse fundamenti. 3. Nullum esse potest de nouo produci in aliquo subiecto, nisi per aliquam actionem, & per aliquod agens; sed non est assignabilis actio, vel agens producẽs relationẽ in subiecto, cùm enim dealbatur paries *in India*, paries *Romæ* aquirit relationem similitudinis ad illum, quæ relatio nequit produci à dealbatore existente *in India*, cùm nullum agens possit agere in tanta distantia, vt experientia docet; neque est assignabile aliquod agens *Romæ* producens illam similitudinem; ergo relatio nõ importat esse distinctum ab esse fundamenti. 4. Punctum centrale indiuisibile physicè, & mathematicè ex eo, quòd referatur ad plura puncta existentia in circunferentia, non aquirit tot entitates, quot habet respectus; aliter non esset indiuisibile secũdùm entitatem; quia quod habet plures entitates, est diuisibile in illas. Et licèt punctum per vnam relationem respiciat alia puncta eiusdem speciei; attamen nequit illas respicere sub diuersa ratione specifica; v. g; licèt per vnicam relationem æqualitatis respiciat alia plura puncta, prout sunt æqualia; attamẽ per relationẽ ęqualitatis illas respicere nequit, vt sũt similia; relatio enim ęqualitatis differt specificè à relatione similitudinis; vt docet *Phil*; cùm relatio æqualitatis fundetur in quantitate, relatio verò similitudinis in qualitate; tum quia aliqua possunt esse æqualia, & dissimilia; vt duo paries latitudinis, & altitudinis, quorum vnus sit albus, alter niger, & è contra possunt esse similia, & inæqualia, vt duo parietes albi, quorum vnus sit maior alio; ergo relatio nõ haber esse distinctum ab esse fundamenti. 5. Relatio *ex Phil. est minima entitatis*, nedum comparatiuè ad substantiam, quia hoc modo etiam accidentia sunt minimæ entitatis, quia *sunt entis entia*, sed etiam comparatiuè ad accidentia; sed acci-

accidentia comparatiuè ad substantiam sunt non entia, quia existunt solùm per existentiam substantiæ; ergo relationes cōparatiuè ad accidētia sunt non entia, quia non important, nisi esse accidentis, super quod formaliter non addunt, nisi purum ordinem. *6.* Ordo essentialis, quem dicit materia ad formam, & è contra, non importat aliquam entitatem distinctam ab entitate materiæ, & formæ; nam vel illa entitas esset substantia, vel accidens. Si primum; ergo nullum esset compositum per se ex materia, & forma; nam illa entitas substantialis, quā diceret ille ordo, nō esset pura potentia; aliter non distingueretur ab entitate materiæ, sed esset actus distinctus ab entitate formæ, quę pariter est actus; & ex pluribus entibus in actu etiam inadæquatis non fit vnum per se, vt fatentur nobiscum *Thomistæ cont. Scotistas*. Tum quia materia includeret aliquem actum in suo conceptu essentiali, cùm includat essentialiter illum ordinem, quod non admittūt *Thomistæ*. Tum quia materia non vniretur formę immediatè, sed mediante illa entitate ordinis. Si secundum; ergo materia vniretur formæ per accidens, & sic non componeret per se. Tum quia, cùm materia essentialiter constituatur in esse potentiæ essentialis per illum ordinem, iam constitueretur per accidens, & sic non esset substantia, sed accidens; quia constitutiuum, & constitutum sunt eiusdem speciei.

6 Remanet ergo, quòd relatio supra esse fundamēti nullam penitus importet entitatem, non quòd nullum habeat esse, quia habet esse fundamenti, sed quia non dicit distinctum esse, vt dicunt alia accidentia; super esse autem fundamenti, quod est esse *in*, importat purum ordinem, & respectum, seu *ad*, quod est esse abusiuè.

7 Ex his patet, quòd attributa, cùm se habeant ad modum accidentis, important aliquod esse; quod si non includeretur in conceptu essentiæ, iam essentia non esset omne esse; & faceret compositionem saltem virtualem cum illis; at verò relationes, quia de suo formali non important aliquod esse; ideo etiam si non includantur in conceptu essentiæ, non sequitur, quòd non sit omne esse, neq; quòd faciat compositionem cum illis. *His not.*

8 Vnica concl. Relationes, prout dicunt *ad*, non sunt de conceptu essentiæ.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. lib. 7. de Trin. c. 2*; vbi docet: *Alio Pater est Deus; alio est Pater; nam Deus est essentia, est autem Pater paternitate*. Et paulò post: *Pater eo bonus, & sapiēs est, quo Deus*; quibus docet relationem aliam esse ab essentia, & ideo non includi in conceptu essentiæ; non tamen aliam esse bonitatem, & sapientiam, & ideo includi in conceptu essentiæ. Nec potest dici, quòd loquatur de alietate reali; nam *c. 6.* subdit: *Non est aliud Deo esse, aliud personam esse*. Ex quo sic arguitur. Illud non est de conceptu alterius, quod non est, quo est illud; nam albedo, quia nō est id, quo est homo, ideo nō est de conceptu hominis; sed relationes non sunt id, quo est Deus; ergo non sunt de conceptu Dei; sed id, quod non est de conceptu Dei, non est de conceptu essentię; quia Deus est Deus essentia; ergo relationes non sunt de conceptu essentiæ.

9 Prob. 2. *ex Fundatiss. Doct.* Si relationes essent de cōceptu formali essentiæ, possent prædicari in concreto de quacunque persona; nam quia bonitas, sapientia &c. sunt de conceptu formali essentiæ; ideo prædicantur in concreto de quacunque persona; dicitur enim *Pater est bonus, sapiens*; & sic de Filio, & Spiritu S; sed consequens est falsum; quia paternitas nequit prædicari de Filio in concreto; non enim potest dici: *Filius est Pater*; sicut potest dici: *Filius est bonus*; ergo non sunt de conceptu formali essentiæ. Mi. patet. Prob. ampliùs ma. Id, quod est de conceptu alicuius, prædicatur in concreto de omni eo, cui competit illud; vt quia rationalitas est de conceptu naturæ humanæ, ideo in concreto dicitur de omni indiuiduo, cui competit talis natura; ergo si relationes essent de cōceptu formali essentiæ, prædicarentur in concreto de omni persona Diuina, cui competit essentia.

29 Resp. *Io. à S. Tho.* hoc arg; quo vtitur etiam *Sua*; esse purum sophisma; soluitur enim arg. neg. ma. Ad prob. dist. ant. Si sit de conceptu, vt *quid*, conc; si vt *ad aliquid*, tanquam modus inadæquatus, neg.

Sed contra; nam in tantùm *quid* prædicatur de omnibus, in quibus est essentia; in quantùm est de conceptu illius; nam *quid*, quod non est de conceptu, non prædicatur; & ideo non in eo, quòd est *quid*, sed in eo, quod est de conceptu, prædicatur; ergo si *ad aliquid* esset de conceptu essentiæ, prædicaretur de omni eo, in quo est essentia; nec ex eo, quòd sit modus inadæquatus, sequitur, quòd non prædicetur; nam vnitas supra ens addit tantùm modum inadæquatum, & tamen prædicatur de omni ente.

11 Prob. 3. *ex eod.* Relationes, prout dicunt *ad*, transeunt ad extra; ergo nequeunt esse de conceptu formali essentiæ: nam id, quod est de conceptu formali alicuius, est constitutiuum illius; illud autem, quod est constitutiuum alicuius, est essentialiter intrinsecum, & ideo repugnat; quòd aliquod extrinsecè se habens sit de constitutione illius.

12 Prob. 4. Quidquid est de conceptu essentiæ, est etiam de conceptu personæ, quia persona constituitur ex essentia, & relatione; sed paternitas non est de conceptu personæ Filij, imò illi repugnat propter oppositionem; ergo non est de conceptu essentiæ.

13 Prob. 5. *ad hominem*. In tantùm relationes sunt de conceptu formali essentiæ, in quantùm essentia est actus purissimus identificans sibi omne esse; sed relationes, prout dicunt *ad*, non important aliquod esse, vt *sup.* dictum est;

ergo

ergo relationes, prout dicunt *ad*, non sunt de conceptu essentiæ.

14 Tandem prob. Relatio ex sua ratione formali habet subsequi ad absolutū, super quod fundatur; quælibet enim res fundata habet subsequi, & supponere suum subiectum, tanquam prius seipsa; sed implicat, quòd posterius sit de conceptu prioris; quia posterius est illud, sine quo potest concipi id, quod est prius; & ideo cōceptus prioris potest haberi sine cōceptu posterioris; ergo relatio nequit esse de conceptu essentiæ Diuinæ.

15 Dices. Attributa sunt posteriora essentia, quia sunt proprietates illius; sicut sunt relationes, & tamen sunt de conceptu essentiæ; ergo à pari.

Resp. dist. ant. Attributa sunt posteriora secundùm esse implicitum, secundùm quod sunt de conceptu essentiæ, neg; sunt posteriora secundùm esse explicitum, secundùm quod non sunt de conceptu essentiæ, conc; vnum enim, & idem est esse implicitum essentiæ, & attributorum formalissimè, vt saluetur simplicitas admirabilis ipsius Dei; quamuis sint diuersæ explicationes, vt saluetur infinita multiplicitas perfectionū Dei; vt diximus *ex Beatiss. P. To. 1. vbi s.* At verò relationes, prout dicunt *ad*, nullum important esse; quia important esse tantùm, prout dicunt *in*, quod est esse essētiæ; ergo relationes sunt de cōceptu essentiæ solùm, prout dicunt *in*; non verò, prout dicunt *ad*.

16 Obijc. 1. *ex nost. Gibb.* Modi contrahentes ens, *vt sic*, includunt implicitè rationem entis; aliter essent nihil; sed relationes sunt veluti modi contrahentes Diuinam essentiam; ergo illam includunt in suo conceptu formali. 2. Quidquid est intrinsecum Deo, est formaliter Deus, vt definitum est *in Conc. Rhem*; sed quod est formaliter Deus, includitur in conceptu formali Deitatis; ergo relationes, quæ sunt intra Deum, includuntur in conceptu formali Deitatis. 3. Si relationes non essent de conceptu essentiæ, sequeretur dari in Deo compositionem rationis cum fundamētos; sed cons. est falsum, ergo & ant.

Resp. Hæc omnia probare de relationibus secundùm esse *in*, non secundùm esse *ad*. Ad 1. dist. mi. Relationes sunt modi contrahentes essentiam, prout dicunt esse *in*, conc; prout dicunt *ad*, neg; sic enim respiciūt terminum oppositum, non essentiam. Ad 2. dist. mi. Relationes sunt in Diuina essentia, prout dicunt *in*, conc; prout dicunt *ad*, neg; sic enim respiciunt personam, à qua distinguūt; vnde si prout dicunt *ad*, respicerent essentiam, ab illa distinguerentur realiter, quod est erroneum. Ad 3. neg. seq; compositio enim est vnio plurium esse, seu entitatum; vnde cùm relationes, prout dicunt *ad*, non important aliquod esse, quod solùm important, prout dicunt *in*; ideo non componunt secundùm *ad*; licèt transeant ad extra; neque secundùm *in*, quia transeunt intra conceptum essentiæ.

17 Obijc. 2. Essentia Diuina est simpliciter infinita, & actus purissimus in omni genere; ergo identificat sibi omne esse omnis generis: sed relationes Diuinæ, vt dicunt *ad*, important aliquod esse; aliter essēt nihil; ergo relationes secundùm esse *ad* sunt de conceptu essentiæ.

Resp. dist. mi. subsumpt. Relationes, vt dicunt *ad*, important aliquod esse præcisiuè ab esse *in*, neg; nullum enim aliud habent esse, quàm esse fundamēti, quod est esse *in*, copulatiuè cum esse *in*, conc. Ad hoc autē, vt relationes non sint nihil, sufficit, quòd habeant aliquod esse; quamuis illud esse sit extra genus ipsius relationis; quod si esse *in* præscindatur à relationibus, relationes euadunt in nihil; in tantùm enim relatio est aliquid, in quantùm est alicuius subiecti; quia relatio est *ordo vnius ad aliud*; vnde si præscindatur illud vnum, cuius essentialiter est ordo, erit relatio nihili, & nihil.

18 Obijc. 3. Relationes secundùm esse *ad* identificantur formaliter cum Diuina essentia; ergo sunt de cōceptu formali illius. 2. Maior est identitas relationum cum Diuina essētia, quàm animalitatis cum homine; sed animalitas est de cōceptu hominis; ergo à pari. 3. Relationes prędicantur per se de essentia, nihil enim in Deo est per accidens; sed prædicatio per se est illa, in qua prædicatum est de conceptu formali subiecti; ergo relationes sunt de conceptu essentiæ. 4. Paternitas est de conceptu essentiali ipsius Patris; sed Pater constituitur in suo esse per essentiam, & paternitatem; ergo paternitas est de conceptu essentiæ. 5. De essentia Dei est, vt sit vnus, & trinus; sed Trinitas constituitur per relationes secundùm esse *ad*; ergo relationes secundùm esse *ad* sunt de conceptu Deitatis, seu essentiæ.

Resp. hæc pariter concludere de relationibus secundùm esse *in*. Ad 1. dist. ant. Relationes secundùm esse *ad* præcisiuè identificantur cum essentia, neg; ablato enim esse *in*, quod habent relationes in Diuina essētia, nec sunt relationes essentiæ, nec identificantur cum illa; copulatiuè, quatenus esse *ad* coniūgitur cum esse *in*, conc. Vel neg. supp; quia relationes secundùm esse *ad* non respiciūt essentiam, aliter ab illa distinguerentur realiter; sed respiciunt personam oppositam, & ideo secundùm esse *ad* neque identificantur, nec distinguuntur ab essentia. Ad 2. dist. ma. eadem modo. Maior est identitas relationis secundùm esse *in*, conc; secundùm esse *ad*, neg. supp. Ad 3. dist. ma. similiter. Prædicantur secundùm esse *in*, secundùm quod habent respicere essentiam, conc; secundùm esse *ad*, secundùm quod respiciunt personas, neg; non enim valet: Relatio, vt dicit *ad*, est distinctiuū reale; ergo essentia est distinctiuum reale. Ad 4. dist. ma. Paternitas est de conceptu essentiali, idest formali constitutiuo Patris, conc; est de conceptu essen-

tia-

tiali, idèst de conceptu naturæ ipsius Patris, neg.Ad 5.dist. ma. De essentia Dei integraliter sumpta secundùm omnia,quę sunt in illa eo modo, quo risibilitas est de essentia hominis integraliter sumpti,conc; de essentia Dei formaliter præcisiuè sumpta, prout dicit solùm lineam prædicatorum essentialium,neg.

19 Inst. *Io.à S.Tho.cum Sua.* Paternitas per se est Deus ; ergo includit in suo conceptu Deitatem.

Resp. dist. ant. Est Deus secundùm esse *in*, conc; secundùm esse *ad*,neg; est enim ad Deum, seu ad personam, quæ est Deus. Igitur locutiones sunt corrigendæ iuxta significationem propriam ipsarum rerum ; vnde cùm relationes sint *ad aliud*; non debent dici *aliquid*,sed *ad aliquid*; sicut essentia, quæ est *aliquid*, non debet dici *ad aliquid*; aliter comprehenderentur significata formalia,& fieret confusa locutio.

ART. V.

An relationes prædicentur de essentia ?

1 SOlutio similiter huius difficultatis colligi potest ex dictis *To.1. de Attr.in com. q.3.art.2*; vbi vid; quæ diximus de varijs prædicationum speciebus.

2 Certum est 1.*apud omnes*,quòd essentia in concreto prædicatur de relatione in concreto:valet enim:*Pater est Deus; Filius est Deus &c*; quia hoc concretum *Pater* includit essentiam Diuinam, ex qua simul cum paternitate constituitur persona Patris ; & ideo de illa potest prædicari.

3 Certum est 2. relationes in abstracto prædicari de essentia in sensu idẽtico reali, quia essentia realiter est idem cum relationibus. Superest solùm quærere ; an relatio in abstracto sumpta, prout virtualiter excluditur à conceptu essentiæ,valeat de illa prædicari? Et hoc dupliciter. 1. an prædicetur substantiuè per verbum *est* dicendo: *Formalitas essentiæ est etiam virtualiter formalitas relationis*.2.adiectiuè per verbum adiectiuum significans proprium munus relationis: *vt essentia refertur,non communicatur, distinguitur realiter &c.*

4 Vnica concl. Relationes formaliter virtualiter sumptę non prædicantur de essentia formaliter virtualiter, neque substantiuè, neque adiectiuè.

Prob.1. *ex Beatiss.P. 6.de Trin.*docente: *Non eo Verbum, quo sapientia, quia Verbum non ad se dicitur,sed tantùm relatiuè ad eum,cuius est Verbum ; sicut Filius ad Patrem; Sapientia verò eo,quo essentia;& ideo quia vna essentia, vna Sapientia*. Ex quibus apertè habetur vtraque pars conclusionis ; nam si prædicaretur substantiuè, valeret dicere,quòd eadem formalitare, qua est essentia, est sapientia; si autem prædicaretur adiectiuè per verbum adiectiuum,valeret, quòd essentia refertur,sicut refertur relatio,& quòd relatio est ad se,non ad aliud ; sicut essentia est ad se,non aliud; sed hæc non valent, vt patet ; ergo relatio formaliter virtualiter non prædicatur de essentia substantiuè,vel adiectiuè.

5 Prob.2. *ex Fundatiss.Doct. in sup.art.* Relatio formaliter sumpta secundùm propriam formalitatem habet respicere personam realiter distinctam ; sed essentia non respicit personam realiter distinctam, quia essentia à nullo prædicato Diuino distinguitur realiter, cùm in ipsa omnia vnum sint per identitatem realem ; ergo relatio formaliter sumpta non prædicatur de essentia.

6 Conf. Relatio formaliter sumpta est quid incommunicabile alteri personæ; sed essentia est communicabilis omnibus personis ; ergo relatio formaliter sumpta nõ prædicatur de essẽtia.

7 Prob.3. Illud, quod distinguitur ab alio, non prædicatur de illo in eo sensu, quo distinguitur ; quia prædicatio est vnio prædicati cum subiecto; distinctio autem est diuisio prædicati à subiecto ; sed relationes distinguuntur ab essentia secũdùm formalitatem,vt diximus *in sup.art*; ergo nequeunt de essentia formaliter prædicari.

8 Dices. Attributa distinguuntur formaliter ab essentia, & tamen de illa prædicantur formaliter virtualiter:ergo à pari.

Resp. dist. ant. Distinguuntur formaliter implicitè ita, vt importent diuersas formalitates intra Diuinam essentiam,sicut animalitas, & rationalitas in homine, neg; implicitè enim important vnam simplicissimam formalitatem, & ideo implicitè prædicantur formaliter ; distinguuntur formaliter explicitè ita,vt importẽt solùm diuersas explicabilitates, conc; & in hoc sensu non prædicantur,vt diximus *vbi sup.*

9 Conf.Illud prędicatur formaliter de alio, cuius formalitas est de conceptu formalitatis alterius ; sicut illud prædicatur realiter,cuius realitas est de conceptu reali identico alterius ; sed relationum formalitas non est de conceptu formalitatis essentiæ, vt dictum est *in sup. art*; ergo de illa non predicantur formaliter.

10 Obijc.*ex Sua.lib.1.de Trin.c.6.n.2.*Deus in concreto habet per se supponere pro persona, quia de se importat habentem Deitatem, & persona est formaliter habens Deitatem; ergo relatio formaliter prędicatur de essentia saltem concretè sumpta.

Resp.dist.ant.Hoc nomen *Deus* habet supponere pro persona identicè, & realiter adæquatè integraliter ; si sumatur secundùm omnia, quæ realiter identificantur cum Deitate, conc; habet supponere formaliter virtualiter præcisiuè inadæquatè, si sumatur solùm secundùm ea, quæ sunt de conceptu formali ipsius Deitatis, neg;& ideo solùm identicè,non formaliter de illa prædicatur persona.

Ceteræ obiectiones soluuntur ex dictis in *sup.art;& To.1.vbi sup.*

ART.

ART. VI.

An relationes formaliter dicant perfectionem?

1 Nunquam vsque nunc huic rei mentem admouimus; tum vt quid maturiùs dicendum esset *Aliorum* placitis diligenter examinatis apertiùs appareret; tum quia de mente *Fundatiss. Doct. inter ipsius Discipulos*, sicut *inter Thomistas* de sententia *D. Tho;* magnum extra dissidium.

2 Ratio autem dubitandi circa rem ipsam est; quia summa æqualitas perfectionis in omnibus personis Diuinis, quæ tollit maioritatem, & minoritatem inter ipsas, iuxta Fidem tenenda est *cont. Arianos, & Macedonianos*, vt probat *Beatiss. P. lib. 5. de Trin;* cum qua æqualitate videtur non posse stare perfectio relatiua. E contra verò ponere in Diuinis personis aliquod, quod non dicat perfectionem, videtur repugnare summæ illarum perfectioni; quæ summa non esset, si in illis poneretur aliqua non perfectio; sicut earum esse summum non esset, si in ipsis poneretur aliquod non esse. Igitur.

3 Certum esse debet apud omnes relationes Diuinas secundùm esse *in* importare saltem realiter identicè perfectionem essentiæ; quia sic non distinguuntur ab essentia. Tum quia esse *in*, vt diximus *art. 4*; est ipsum esse essentiæ; vnde cùm esse essentiæ summam dicat perfectionem, relationes secundùm esse *in* summam redolent perfectionem. Dubium ergo reducitur ad esse *ad*; secundùm quod relationes distinguuntur virtualiter ab essentia.

4 Prima sententia vult relationes secundùm esse *ad* nullam dicere perfectionem, sed præscindere à perfectione, & imperfectione. *Ita Scot. in 1. dist. 8; & in 3. dist. 2. q. 1; Dur. in 2. dist. 34. q. 1. ad 3; Mars. dist. 4. q. 23. art; Capr; Caiet; Fons. 4. met. c. 2. q. 7. sect. 7; Mol; Gonet hic disp. 3. art. 5; Salm; & alijs.* Tribuitur etiā *nostro Argent;* sed falsò; quia docet solùm relationes dicere modum perfectionis, non perfectionem, vnde absolutè non negat eas dicere perfectionem.

5 Secunda sent. docet relationes secundùm esse *ad* dicere perfectionem; sed diuisa est.

Io. à S. Tho. hic q. 201. disp. 15. art. 3. cum Vasq; & nostro Cornejo ait relationes Diuinas dicere perfectionem, non quidem per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad subiectum, in quo est, quæ perfectio spectat ad lineam formalem ipsius relationis, & ratio eius est, quia perfectio sumitur ab esse; esse autem relationis est inesse; sed inesse dicit ordinem ad subiectum, & vnum est inesse omnium relationum, ergo relationes dicunt perfectionem per ordinem ad subiectum, quæ non multiplicatur, sed vna, & eadem est in tribus personis.

Sed hæc opinio subtiliter euadit difficultatem; difficultas enim est de relationibus secundùm esse *ad*; patet autem, quòd relationes secundùm esse *ad* non respiciunt subiectum, sed terminum, quia illud respiciunt solùm secundùm esse *in*. Tum quia esse *in* est quid commune, & materiale respectu relationis, & attributorum; sicut esse animal est quid commune materiale respectu hominis, & bruti; ergo sicut animal non est formaliter, sed tantùm materialiter homo; ita inesse non formaliter, sed tantùm materialiter relatio; & ideo relatio formaliter sumpta nequit importare perfectionem secundùm inesse; sicut homo formaliter non importat animalitatem. Tum quia repugnat dicere, quòd aliquid spectet formaliter ad lineam relationis, & sit commune omnibus personis; quia formalitas relationis importat incommunicabilitatem. Igitur dimissa hac sent.

6 *Noster Gibb. disp. 10. dub. 10.* asserit relationes importare tres perfectiones realiter distinctas transcendentales quidem, quia important entitatem, quę conuertitur cum bono transcendentali; & formales, quia important integritatem suæ speciei.

Sed hæc sententia falsis nititur suppositis, quæ reiecimus *To. 1. de Bonit. art. 2*; nam bonitas trascendentalis est tantùm bonitas nominalis, seu penes nomen, non penes rem, & ideo non est amabilis, quia amor fertur in res, non in nomina: vt docet *Phil. Voluntas trabitur à rebus*; non à nominibus rerum. Tum quia bonitas formalis consistit in actualitate ipsius rei, vt diximus *ex Beatiss. P. vbi sup; & art. 1.* Ideo hoc etiam *Auctore* diuiso.

7 *Alij* volunt relationes importare perfectiones secundù n quid; non autem simpliciter, vt plures *ex nostris in M. S.* putantes hoc modo posse concordare *Fundatiss. Doct;* quando videtur negare, & affirmare.

Sed hæc sententia non loquitur congruenter ad ea, quæ statuta sunt *de Emin. To. 1. art. 2*; nam perfectiones secundùm quid sunt illæ, quæ important in suo conceptu formali imperfectionem, & sunt solùm eminenter in Deo; relationes autem sunt formaliter in Deo, & ideo nullam inuoluunt in suo conceptu formali imperfectionem; propter quod nequeunt esse perfectiones secundùm quid.

8 Circa mentem *Fund. Doct.* dissidium est; nam *in 1. dist. 4. princ. 1. q. 2.* ad 1. cōcedit aliquid perfectionis esse in aliqua persona, quod non est perfectionis in alia; hoc autem nequit intelligi de perfectione absoluta, quæ est in omnibus, quibus verbis videtur docere relationes importare perfectionem propriam. E contra verò *dist. 33. princ. 1. q. 3.* ait: *Relatio creaturarum ex eo; quòd est ordo quidam, habet rationem boni; & ideo in creaturis, vbi reperitur alius, & alius ordo, potest reperiri alia, & alia ratio bonitatis; sed bonitas Diuina est bonitas finis, non est bonitas ordinis; licèt ergo quiditates relatiuæ in Diuinis plurificentur; propter quod, & ordo inuenitur ibi alius, &*

alius

*alius,quia, & ipsa relationis quiditas est essentialiter quidam ordo propter huiusmodi alietatē ordinis sic accepti,licèt sit realis distinctio inter personas,nō est tamen alia,& alia ratio bonitatis.*Propter hæc,& alia est dissidium *in nostra Schola* ita, vt *M. Conf.* vir clarissimus eam problematicè defenderit.

9 Ceterùm rebus diligenter examinatis apparet *Fundatiss.Doct. dist.33.cit.* loqui de bonitate vtili, quæ contradistinguitur à bonitate finis,quæ est bonitas honesta; subdit enim immediatè:*Licèt in Diuinis non sit bonum ordinis,vt diuiditur contra bonum finis* ; quod etiam repetit paulò inferiùs, non tamen negat in Diuinis esse bonitatem finis,nec negat ordinē inter personas Diuinas;sicut enim non est ordo mediorum, sed plurium personarum habentium rationem vltimi finis simpliciter,ita nō est bonitas vtilis, quę est bonitas mediorū,sed est bonitas honesta,quæ est bonitas finis; & sicut ab ordine mediorum desumitur bonitas magna, vt *inf.* ita ab ordine finis sumi debet bonitas maxima , cùm media participent bonitatem à fine,& ordo mediorum ab ordine finis.

10 Quòd autem ordo importet perfectionem puram , vt ordo est , manifestè docet *dist.1. princ.1.q.2.§. Propter primum ex Phil.12.Met.t.c.52.*distinguente *bonum ordinis* , *& bonum Ducis*; vbi ait : *Propter quod, & ipse ordo potest dici bonum, & quia ipse ordo relationem dicit,ipsa relatio,prout est in rebus,habebit rationem boni.* Idē repetit *dist.44 princ.1. q.2.§. Respondeo*; & alibi sæpissimè, & hoc ex doctrina *Beatiss.P.lib.1; & 2.de Ord; & lib. de natura Boni c. 2;* vbi diuidit bonum *in modum,speciem,& ordinem*.Igitur.

11 Nostra sent. docet relationes Diuinas, prout dicunt *ad* , importare perfectionem simpliciter.*Ita Fundat.Doct.vbisup;*cui adhæret *Argent.in 1.dist.4.q.1.art.1. ad 11; Lust. lib.5.q.4. art.6;Sua.lib.3. de Trin.c.9; Gabr; Henr; Cabr; Ledes;Can;Torr;Ban;Alarc;Ruiz;Arrub,Granad; Val; Arriag; D.Bon;& alij, quàmplures.*

12 Nō;quòd æqualitas, & inæqualitas est proprietas quantitatis , vt tenent *communiter omnes*,siue sit quantitas molis,siue virtutis,vnde licèt vna , vel duplex perfectio relatiua sit in vna,vel duabus personis,& non in alia , non deducitur æqualitas, vel inæqualitas perfectionis. Igitur quando *Beatiss P. in lib.de Trin.præcipuè lib.5.*probat *cont. Arianos* Filium esse æqualem Patri,& ideo eandem bonitatem, & perfectionē esse in Patre,& in Filio,procul dubio loquitur de bonitate, & perfectione essentiali, & absoluta , quæ desumitur penes quantitatem virtutis , quæ est quiddam absolutum, cùm omnia præter relationem in Diuinis sint absoluta , ad quam perfectionem absolutam propriè sequitur ęqualitas, non autem loqui de perfectione relatiua, secundùm quam propriè desumitur dissimilitudo:nam cùm de hac loquitur,asserit *cont. Sabellium* Patrem esse alium à Filio , & Spiritu S: & in hoc maximè æquiuocant *Salm. cum Auctoribus 1.sent.Hoc supp.*

13 Vnica concl.Relationes Diuinæ important perfectiones relatiuas realiter distinctas.

Prob. 1. *ex Syn.I. Constantinop. in Epist.ad Damas.*vbi dicitur:*Certè æqualem honorem, ac dignitatem , & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentijs, vnitatem propter naturalem vnionem ; Trinitatem verò propter subsistentiarum perfectionem.*Ex quibus sic.Perfectio subsistentiarum,propter quam est Trinitas, non est perfectio absoluta ; quia per perfectionem absolutam est vnitas, non Trinitas ; sed in Deo datur perfectio subsistentiarum, propter quam est Trinitas; ergo datur triplex perfectio relatiua.Idem habet *Conc.Nic.II.*

14 Prob.2.*ex Beatiss.P. lib.1. de Ord.c.7;*vbi docet:*Certè enim Deus amat ordinem;verè amat, ait ille,ab ipso manat,et in ipso est.*Relationes Diuinæ, prout dicunt *ad*, verè amantur à Deo; aliter Deus non amaret personas,vt personæ sunt, quia personæ non sunt personæ, nisi secundùm esse *ad*, per quod constituuntur in esse personæ, & per quod distinguuntur;sicut si homo non esset amabilis, vt rationalis, non esset amabilis,vt homo;quia constitutiuum , quo constituitur in esse hominis, non esset amabile,ergo relationes secundùm esse *ad* formaliter important perfectionem,& bonitatem, quia sola bonitas formalis,quæ est idem,ac perfectio, est obiectum amoris Dei.Idem dicitur de adorabilitate ; personæ enim in eo, quod personæ, adorantur, adoratio autem est actus amoris;vt suo loco videbitur.

15 Conf.*ex Fundatiss.Doct.*1.Ordo creaturarum importat perfectionem formaliter sine vlla imperfectione;ergo multò magis ordo inter Diuinas personas ; sicut enim quia substantia creata dicit perfectionem , à fortiori arguitur , quòd substantia Dei dicat perfectionem simpliciter,ita quia ordo,qui est inter creaturas, dicit perfectionē, sic ordo, qui est inter Diuinas personas,dicit perfectionem simpliciter ; sed ordo , qui est inter Diuinas personas,est relatio secundùm esse *ad*;ergo relatio secundùm esse *ad* dicit perfectionem simpliciter.

16 Conf.2. Ordo mediorum ad finem dicit perfectionem; aliter media nullam haberent bonitatem; ergo ordo, qui est inter personas eiusdem vltimi finis, dicit summam perfectionem; nam media participant perfectionem ordinis à fine ; ergo multò magis finis dicit perfectionem ordinis,quia *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*.

17 Prob.3.*ex eodem Sanctiss.P.vbi s.c.6.Quid saltem censes,inquam,esse ordini contrarium? Nihil. Ait ille . Nam quomodò esse contrarium quicquam potest ei rei,quæ totum occupauit, totum obtinuit? Quod enim erit ordini contrarium,necesse erit esse præter ordinem,nihil autem esse præter ordinem*

dinem

dinem video. Nihil igitur ordini oportet putare eſſe contrarium; quam reſponſionem Licentij maximè commendauit Beatiſſ. P. ibid. Ex quo ſic. Ordo ſecundùm ſuum conceptum formalem contradiſtinguitur à nihilo, ideo eſt in omni re; ſed illud, quod contradiſtinguitur à nihilo, & eſt in omni re actuali, eſt bonū formale, quo idem eſt, ac perfectio ſimpliciter ſimplex; ſicut entitas actualis, quia cōtradiſtinguitur à nihilo, & eſt in omni re actuali, eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo ordo ſecundùm ſuum conceptum formalem importat perfectionem; ſed relatio Diuina eſt formaliter ordo; ergo importat ſecundùm eſſe *ad*, ſecundùm quod tantùm eſt ordo, perfectionem ſimpliciter.

18 Conſ. 1. Illa tantùm ponuntur in Deo formaliter, quę dicunt perfectionem ſimpliciter; vt diximus *de Emin. vbiſ*; ſed relationes ponuntur in Deo formaliter, prout dicunt *ad*; ergo dicunt perfectionem ſimpliciter. Prob. vlteriùs ant. Si in Deo poſſent poni formaliter ea, quæ abſtrahunt à perfectione, & imperfectione, à fortiori poſſent pòni formaliter in ipſo ea, quæ important perfectionem ſimplicem; quia perfectio magis conuenit Deo, qui eſt ens infinitè perfectū eſſentialiſſimè, quàm conueniat abſtrahens à perfectione, & imperfectione; ſed perfectio ſimplex non ponitur formaliter in Deo, vt omnes fatentur; ergo ſi relatio ſecundùm *ad* nō diceret perfectionem ſimpliciter, non eſſet formaliter in Deo.

19 Conſ. 2. Si poſſet poni in Deo aliquod abſtrahens à perfectione, & imperfectione; poſſet poni aliquod abſtrahens ab eſſe, & non eſſe; quia perfectio ſumitur ab eſſe; vt dicunt *Aduerſarij*; ſed prædicatum abſtrahens ab eſſe, & non eſſe eſt potentiale; ergo in Deo poſſet poni potentialitas.

20 Prob. 4. Perfectio ſimpliciter ſumitur ab actualitate rei nullam inuoluente imperfectionem; ſed relationes Diuinæ ſunt actualiſſimæ, nec vllam inuoluunt imperfectionē; ergo important perfectionem ſimpliciter.

21 Conſ. Bonitas formalis, ſeu perfectio rei ſumitur ab entitate actuali; hinc non dicitur quis habere perfectionem ſanitatis, vel ſcientiæ, niſi illam actu poſſideat; ſed relationes Diuinæ, vt dicunt *ad*, ſunt entitates actualiſsimę; non enim ſunt in potentia paſsiua ad *ad*; ergo dicunt bonitatem formalem, ſeu perfectionem; ſed illa perfectio nullam inuoluit in ſuo conceptu formali imperfectionem; quia purus ordo, vt ordo eſt, nullam dicit imperfectionem; ergo dicunt perfectionem ſimpliciter.

22 Prob. 5. *ad hominem*. Si relationes non dicerent perfectionem, maximè, quia vni perſonæ deficeret perfectio relatiua alterius, & ſic perſonæ non eſſent æquales; ſed æqualitas non attenditur penes perfectiones relatiuas, quia penes ipſas attenditur ſimilitudo, vt dictum eſt; & ęqualitas, cùm ſit paſsio quantitatis, quę eſt aliquod abſolutum, attenditur ſolùm penes perfectiones abſolutas; ergo etiam ſi relationes dicant perfectionem, attamen ſaluatur æqualitas, & ponitur ſola diſsimilitudo, quæ neceſſariò ponenda eſt. Sic retorqueri poſſunt omnes aliæ rationes; ſicut enim relationes per ordinem ad ſubiectum, quod bonum eſt, dicūt perfectionem; ita per ordinem ad terminum, qui eſt bonus; & ſic de ceteris.

23 Tandem prob. Myſterium Trinitatis importat perfectionem ſimpliciter, qua myſteriū eſt; abſurdum enim eſt dicere, quòd hoc myſterium nullam formaliter perfectionem importet; aliter ſi eſſent ſolùm duæ perſonæ, ſeu vna perſona, perfectio huius myſterij non deeſſet Deo; quod eſt impoſsibile, quia deeſſet ei myſterium, vt ideo deeſſet etiam perfectio myſterij; ſicut ſi deeſſet Deo myſterium vnitatis, ei quoque deeſſet perfectio huius myſterij; ſed myſterium Trinitatis conſtituitur formaliter per relationes, vt dicunt *ad*; quia vt dicunt *in*, conſtituitur myſterium vnitatis; ſeu ſecundùm eſſe *in* omnia tranſeunt in vnitatem eſſentiæ; ergo relationes ſecūdùm eſſe *ad* important perfectionem ſimpliciter.

24 Rationes autem *Gibb; & aliorum*, quia probant ſolùm de bonitate tranſcendentali, omittuntur.

25 Obijc. 1. *Beatiſs. P. 6. de Trin. c. 7.* ait: *Eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo; & eadē veritas, qua illa omnia. Et non eſt ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnum, aut ſapientem, aut verum, aut bonum eſſe. Et c. 8. In ipſo igitur Deo, cùm adhæret aquali Patri Filius æqualis, aut Spiritus S. Patri, & Filio æqualis, non fit maior Deus, quàm ſinguli eorum, quia non eſt, quo creſcat illa perfectio. Perfectus autem ſiue Pater, ſiue Filius, ſiue Spiritus S; & perfectus Deus Pater, & Filius, & Spiritus S; & ideo Trinitas potiùs, quàm triplex; Et lib. 5. c. 8. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus S; nec tres boni, ſed vnus bonus; & lib. 7. c. 1; & 6. Bonitatem, & magnitudinem perfectionis in Diuinis, non relatiuè, ſed ad ſe dici*; ergo relationes Diuinæ non dicunt perfectionem relatiuam, ſed abſolutam.

Reſp. *Beatiſs. Patrem in his locis* loqui ſolùm de perfectione abſoluta, ſecundùm quam deſumitur æqualitas Diuinarum perſonarum; totus enim erat in euertenda hæreſi *Arianorum*; non autem loquitur de perfectione relatiua, ſecundùm quam attenditur diſſimilitudo, & ſimilitudo; quia hæc non faciebat ad rem, quæ agebatur *cum Arianis*.

26 Obijc. 2. *Fund. Doct.* vt diximus *To. 1. de Attr. in com. q. 1. art. 1*; docet, quòd perfectiones omnium generum congregantur in primo eo, quia eſſe illius eſt omne eſſe; & ideo omnis perfectio, quia perfectio ſumitur ab eſſe; ſed eſſentia Diuina eſt omne eſſe; ergo eſt omnis per-

fectio omnium generum;atqui relationes, vt dicunt *ad* virtualiter distinctum à Diuina essentia, sunt virtualiter extra Diuinam essentiam; ergo nullam dicunt perfectionem, quia extra omnem perfectionem nulla est perfectio; sicut extra omne ens nullum est ens. 2. Relatio *ex eod.* nullum dicit esse præter esse subiecti; ergo nullam perfectionem præter perfectionem subiecti. 3. Perfectio formalis sumitur ab existentia rei;sed existentia est quid absolutum;ergo & perfectio.

Resp.*Fund.Doct.in his loc.* loqui de perfectione absoluta,non relatiua . Ad 1. igitur dist. mi. Diuina essentia est omne esse absolutum, & relatiuum realiter identicè , conc; est omne esse etiam relatiuum *ad* virtualiter , neg. Ad 2. neg. cons;cùm autem dicitur, quòd perfectio sumitur ab esse , verum est de perfectione absoluta; falsum verò de perfectione relatiua , quæ sumitur ab ordine. Ad 3.dist.ma. Perfectio formalis absoluta sumitur ab existenria rei, conc; relatiua,neg;sumitur enim ab actualitate ordinis.

27 Obijc. 3. si relationes adderent perfectionem essentiæ, adderent bonitatem , *quia bonum, & perfectum conuertuntur*; sed non addunt bonitatem ; nam hæc bonitas non esset bonitas medij, quę conuenit solis creaturis ; nec bonitas finis: aliter essent tres vltimi fines simpliciter;tũ quia si adderent bonitatem, essent tres boni, nedum adiectiuè, sed etiam substantiuè, quod est *cont.Beatiss.P.vbi sup*; ergo nõ dicũt perfectionẽ.

Resp.neg.mi;ad cuius 1. prob. infert. neg. assumpt; quamuis enim relationes dicant tres bonitates relatiuas finis vltimi, non tamen sunt tres vltimi fines ; quia ratio vltimi finis sumitur solùm per ordinem ad creaturas , quæ solùm ordinantur ad vltimum finem ; sed creaturæ referuntur ad Deum , quatenus vnus est formaliter, non quatenus trinus,sicut ab illo causantur , vt vnus est, ideo est vnus tantùm vltimus finis. Ad 2.dist.ma.Essent tres boni relatiuè,conc;absolutè,neg; quia tamen absolutè non sunt tres boni, ideo absolutè non est concedendum esse tres bonos, sed tantùm cum addito, scilicet relatiuè.

28 Obijc.4. Si relationes dicerẽt perfectionem,vna perfectio esset in vna persona, quæ deficeret alteri ; ergo non essent æqualis perfectionis;imò in Patre , & Filio esset duplex perfectio relatiua, scilicet in Patre paternitas , & spiratio actiua; in Filio filiatio , & spiratio actiua ; & in Spiritu S.esset tantùm vna perfectio relatiua,scilicet spiratio passiua;ergo saltem Spiritus S. non esset æqualis perfectionis cum Patre,& Filio.

Conf.Defectus perfectionis dicit imperfectionem; sed in Filio esset defectus paternitatis; ergo esset imperfectio;& sic de alijs personis.

Resp.1.dist.ant.Perfectiò relatiua,conc;absoluta,neg;& neg.supp. cons nã æqualitas sumitur à perfectione absoluta;vt sup.dictum est;per quod patet ad illud,quod subditur, quòd etiamsi in Spiritu S. sit tantùm vna relatio , attamen est æqualis in perfectione, quia penes relationes non attenditur æqualitas.

Ad conf. dist.ma. eodem modo. Defectus perfectionis absolutę, quæ attenditur secundùm esse, conc;perfectiones relatiuę , quę attenditur secundùm ordinem , neg. Imò defectus perfectionis relatiuæ sibi indebitæ arguit sũmã perfectionem,quia arguit sũmum ordinem,qui tolleretur,si poneretur perfectio relatiua sibi indebita ; fieret enim confusio Patris cum Filio , &c. confusio autem est imperfectio tollens perfectionem ordinis.

Resp.2.ad arg.dist.ant. Vna perfectio esset in vna persona, quæ non esset in alia formaliter per modum constituentis,conc;per circũinsessionem,neg;ait enim Christus Dominus *Io.10.Ego in Patre,& Pater in me est*; nã cùm paternitas sit idem cum Diuina essentia , & essentia sit in Filio; ideo etiam in Filio est paternitas, non quidẽ per modum constituentis personam Filij ; aliter daretur confusio personarum;vt aiebat *Sabellius*, sed per modum circuminsedentis;& sic ad conf.

29 Inst. *Gonet.* Modus essendi in alio formaliter per modum constituentis est perfectior, quàm modus essendi in alio per modum non constituentis, & circuminsedentis; ergo daretur inæqualitas perfectionis. Prob.ant. 1. Res non perficitur, nisi à forma formaliter perficiente, & constituente; ergo per circuminsessionem non perficiuntur personæ. 2. Si aliqua perfectio absoluta esset in Filio solùm per circuminsessionem Filius non esset æquè perfectus eo modo , quo est ex eo,quòd est in illo formaliter;ergo à pari.

Resp. neg. ant; ex eo enim,quòd voluntas sit in Spiritu S.per modum constituentis,& non in Filio,non arguitur,quòd perfectior sit voluntas Spiritus S; quàm Filij; & ex eo , quòd attributa sint in Diuina essẽtia per modum proprietatum ; & intelligere essentiale sit per modum constitutiui formalis, non arguitur, quòd intelligere sit perfectius , quàm cetera attributa. Ad 1.prob.neg. ant; quia Filius perficitur à voluntate , etiamsi voluntas illum non constituat . Ad perfectionẽ ergo alicuius sufficit , quòd habeat illam rem quomodocunque ; sicut licèt Filius procedat formaliter per constitutiuum formale naturæ Diuinæ,non autem Spiritus S; attamen non arguitur , quòd Filius habeat perfectiori modo naturam,quàm Spiritus S;ita à pari.Ad 2. neg.pariter ant.Vel dist. Si exigat sic habere illam perfectionem, neg;si non exigat,conc. Hinc ait *Fundatiss. Doct. vbi sup*; quòd illud,quod est perfectionis in vno, esset imperfectionis in alio, quia nõ esset iuxta naturalem sui exigentiam; & ideo nõ perficeretur, sed imperficeretur ab illo.

30 Obijc. 5. Si relationes dicerent perfectionem, omnes personæ simul essent quid perfectius , quàm vna tantùm persona , quod est *cont.Beatiss.P.6.de Trin.c.8.*

Sed ad hoc iam resp. est; neg. enim sequi

quia

quia in vna persona est, quidquid est in tribus per circuminsessionem, vt dictum est; & *Beat.P.* loquitur de perfectione essentiali,non relatiua.

Inst. *Gibb.* In humanitate Christi Domini sunt tres personæ Diuinæ per circuminsessionẽ; quatenus identificantur cum natura Diuina, & tamen humanitas non perficitur ab illis, sed solùm à Verbo; ergo esse in alio per circuminsessionẽ non communicat illi suam perfectionẽ.

Resp; quòd licèt Pater, & Spiritus S. sint in Filio per circuminsessionem, quatenus natura Diuina est in Filio per identitatem; non tamen sunt in natura humana, quia Filius illam non terminat per identitatem, sed per distinctionem; vnde cùm Filius terminet naturam humanam immediatè per personalitatẽ, non per naturam, in qua sunt personæ Diuinæ;ideo personæ Diuinæ dicuntur vtique esse in Filio per circuminsessionem, non autem in natura humana; ideo non terminatur à Patre, & Filio. Quamuis possit dici,quòd omnes tres personæ efficienter perficiunt humanitatem;quia Incarnatio est opus totius Trinitatis efficientis,licèt sit opus solius Filij terminantis. *Sed de hoc suo loco.*

31 Objic. 6. *ex Gibb.* Perfectio simpliciter simplex est illa, quæ *in vnoquoque est melior ipsa, quàm eius oppositum*, vt patet de esse, & intelligere; paternitas autem non est melior in Filio,quàm filiatio,quę ei non opponitur. 2. Perfectio simpliciter est compossibilis cum omni alia perfectione; paternitas autem non est compossibilis cum filiatione; ergo non est perfectio simpliciter.

Resp.dist.vtrunque ant.Perfectio simpliciter absoluta,conc;relatiua,neg, de ratione enim perfectionis relatiuæ est non posse formaliter identificari cum suo opposito.Vel dist.Perfectio simpliciter est melior in omni vel formaliter per constitutionem, vel circuminsessionem, conc; solùm per constitutionem, neg. Et sic ad 2. Est compossibilis, vel per constitutionem, vel per circuminsessionem. Et sic soluuntur omnia alia argumenta.

32 An autem relationes Diuinæ dicant tres existentias, & tres subsistentias, sermo erit *in seq. q.*

Q V Æ S T. V I.

De Diuinis Personis in communi.

PLuries diximus Diuinas relationes habere munus actionis, relationis, & proprietatis constituentis personam; cùm autem de ijs,vt habent munus actionis,actum sit *q.2;3;& 4;* & vt habent munus relationis *q. 5;* sequitur agendum, prout habent munus proprietatis constituentis personam.

A R T. I.

Quodnam sit constitutiuum formale personæ Diuinæ?

1 QVoad hoc nomen *persona* supp. sunt ea,quę diximus *T o.1. de Subst.Dei q. 2.art.4;* scilicet, quòd idem significat apud *Latinos*, quod significat apud *Græcos hypostasis*,non quidem si sumatur *persona* secundùm ethimologiam, quam habet apud *Græcos*, quia apud *illos* significat idem, ac *Larua*; vnde etiam apud *Latinos personatus* sumitur, prout idem est,ac *Laruatus*; sed secundùm ethimologiam,quam habet apud *Latinos*, apud quos *persona* dicitur quasi *per se sonans, per se stans*, seu *per se ens*; cùm enim ad per se esse sequatur per se agere,quod non competit,nisi supposito; cùm *actiones sint suppositorum*; & per se agere importet dominium suarum actionum, quod competit soli naturæ rationali; cùm irrationalia potiùs agantur,quàm agant; ideo *persona* secundùm ethimologiam, quam habet apud *Latinos*, propriè significat indiuiduum, seu suppositum naturæ rationalis; quod apud *Græcos* significat *hypostasis*; vnde cùm propriè ponatur in Deo suppositum naturæ rationalis, seu intellectualis (ponitur enim *hic* rationale pro intellectuali,sicut ponitur ratio pro intellectu) apertè sequitur hoc nomen *personæ* esse propriè in Deo. *Vid.Fund.Doct. in 1.dist.23.princ.1.q.2;* & *Beatiss.P.To.1.vbis.*

2 Supp.2. *ex eod. ibid. q.3;* quòd licèt persona, *vt sic*, non importet relationem; dantur enim supposita absoluta, quæ nullo modo constituuntur,aut distinguuntur per relationẽ; attamen persona, vt trãsfertur ad Diuina,importat relationem,quia cùm persona definiatur *à Martyre Boætio rationalis naturæ indiuidua substantia*; & indiuiduum importet formaliter distinctionem; ideo persona in Diuinis significat relationem formaliter;quia in Diuinis distinctio nequit sumi secundùm essentiam, quæ vnica est, & indistincta, & ideo sumitur secundùm relationem,cùm in illis non sit nisi esse absolutum, & relatiuum. Hinc deducit *B.Doct.dist.25.princ.2. q. 1.* personam dicit analogicè de creata, & increata.

3 Supp.3. *ex eod.vbi sup.q.4;*quòd licèt *persona* pluraliter dicatur in Diuinis;& ideo habeat rationem communis, vt docet *Beatiss.P.7.de Trin.c.4;*vbi ait: *Ideo dicuntur tres personæ,quia communis est eis,quod est persona:* vt prob. etiam idem *Fund.Doct. dist.25.princ.1. q.1;* attamen hæc communitas non est propriè vniuersalitas, quia vniuersale est diuisibile in plura, in quibus multiplicatur secundùm esse; persona autem dicit quid indiuisibile in plura,cùm sit *substantia indiuidua*;nec in Diuinis personis multiplicatur esse,

eſſe,quia non multiplicatur eſſentia,quæ dat eſſe ſuppoſitis. Igitur hoc nomen *perſona* in Diuinis eſt quid commune , prout commune idem eſt, ac indiuiduum vagum,quod applicatur pluribus indiuiduis.

4 Supp.4.*ex eod.diſt.*25.*q.*3;quòd definitio perſonæ allata *à Boëtio* ſic explicanda eſt. Dicitur 1.*rationalis naturæ* ad differentiam ſuppoſiti,quod conuenit etiam naturis ratione carentibus. Dicitur *indiuidua* ad differẽtiam generum, & ſpecierum, quæ ſunt diuiſibilia in ſua inferiora;& ad differentiam animæ rationalis,quæ,prout ſeparata, licèt ſit ſubſiſtens, non tamen eſt incommunicabilis, cùm poſſit communicari ſuo corpori; indiuiduum autem dicit incommunicabilitatem ſimpliciter, quia negat communitatem, cùm importet vnitatem; definitur enim illud, *quod de vno ſolo prædicatur*; ſubſtantia autem animæ ſeparatæ habet communitatem,quia per ipſam, ſicut ſubſiſtit anima, ita etiam poteſt ſubſiſtere corpus, & ideo illa ſubſiſtentia eſt communis animæ,& corpori,cui poteſt communicari; propter quod anima ſeparata non eſt perſona. Dicitur tandem *ſubſtantia* ad differentiam accidentium, quibus non competit ratio perſonæ, cùm eis non competat ſubſiſtentia; quapropter *Ricard. à S.Vict.loco indiuiduæ ſubſtantiæ* legit *incommunicabilis ſubſiſtentia.*

Ex his apparet falsò citari *à noſtro Gibb. hic diſp.*11.*dub.*2.*n.*2. *Fundatiſſ. Doct. pro ſent. Dur.* aſſerentis hoc nomen *perſonam* formaliter ſignificare ſecundam intentionem;hoc enim expreſsè reijcit, nedum *diſt.*25.*q.*3; ſed etiam *diſt.*23.*q.*3,vbi ait: *Perſona dicit aliquid ſubſiſtens in intellectuali natura habens eſſe diſtinctum ab alijs ſubſiſtentibus in eadem natura.*

Vlteriùs deducitur, quòd perſona pro formali non importat eſſentiam , quia eſſentia eſt communicabilis , & perſona eſt incommunicabilis. Tum quia eſſentia communicatur cùm ſumma identitate, & indiſtinctione, perſona autem multiplicatur cum diſtinctione reali. Tum quia conſtitutiuum formale perſonæ eſt illud, per quod talis perſona differt ab omni alia; *conſtitutiuum enim, & diſtinctiuum idem eſt*; ſed per eſſentiam vna perſona non differt ab alia; ergo eſſentia non eſt conſtitutiuum formale perſonæ.

5 Deducitur 3; quòd licèt perſona importet incommunicabilitatem, attamen perſonalitas non dicit puram negationem, vt aſſerit *Scot*; nam perſona dicit quid ſubſiſtens incommunicabiliter, ſubſiſtere autem nequit competere negationi, quia ei nequit competere eſſe. Tum quia perſonalitas eſt cõſtitutiuum formale perſonæ Diuinæ,negatio autem nequit eſſe conſtitutiuum, quia conſtitutiuum dat eſſe conſtituto, & negatio,quæ nullum dicit eſſe,nequit dare eſſe. Tum quia perſonalitas eſt actus contrahens naturam; natura enim intellectualis præciſa perſonalitate eſt contrahibilis ad tale eſſe indiuiduum, ſicut genus eſt contrahibile ad tales ſpecies,& ſicut differentiæ contrahentes genus nequeunt eſſe quid negatiuum, aliter rationalitas, & per conſequens natura humana eſſet pura negatio, ita perſonalitas contrahẽs naturam intellectualem nequit eſſe pura negatio. Tum quia ex perſonalitate,& natura fit vna perſona, ſicut ex materia, & forma fit vnum compoſitum; ex negatione autem,& poſitiuo non fit vnum,aliter ens fieret ex non eſſe , vnum enim , & ens conuertuntur.*Vid.To.*1.*vbiſup.n.*25. Igitur perſona formaliter importat aliquod poſitiuum, licèt ex conſequenti dicat negationem communicabilitatis.

6 Supp.5.dari in Diuinis proprietates perſonales conſtituẽtes Diuinas perſonas. Eſt *cont. Præpoſitiuum* negantem has proprietates, & aſſerentem perſonas Diuinas diſtingui ſe totis. Tribuitur etiam *noſtro Greg*; qui tamen nihil aliud vult, quàm relationes non diſtingui virtualiter ab eſſentia , & ideo non habere vim conſtitutiui diſtincti,ſimpliciter tamen, & abſolutè docet dari relationes reales in Diuinis, ſecundùm quas datur diſtinctio realis.Hęc ſententia reijcitur *ex Conc.Lat.c. Firmiter*; vbi dicitur: *Hæc Sancta Trinitas ſecundùm communem eſſentiam eſt indiuidua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta*;& *Flor.ſeſſ.*1.*Perſonas Diuinas per ſuas proprietates differre*;idem habetur *in VI. Syn. act.*11.*in Epiſt. Sophronij*; *& act.*13; & *Eccleſia in præfat.Sanctiſſ.Trinitatis* compoſita à *Beat.P. Vt in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in Maieſtate adoretur æqualitas.* Et ratio eſt;nam illa differunt ſe totis,quæ in nullo conueniunt,ſicut enim differentia,quæ eſt idem, ac diſconuenientia , opponitur vnitati, quæ eſt idem,ac conuenientia; ita tota differentia opponitur omni conuenientiæ ; ſed perſonæ Diuinæ conueniunt in omnibus abſolutis;ergo non differunt ſe totis.Tum quia ideo differunt ſe totis, quia per idem,in quo ſunt idem,diſtinguuntur; ſed ſi eſſent idem , in quo diſtinguuntur, eſſent idem etiam ſe totis, & ideo eſsent idem in paternitate, & filiatione, quod eſt contra Fidem; ergo non differunt ſe totis.Obiectiones autem *Greg*.de conſtitutiuo perſonæ Diuinæ ſolutę sũt *q.*4. *art.*3. §.1; quæ tamen procedunt de conſtitutiuo diſtincto,non identificato ex natura rei.

7 Supp.6. proprietates perſonales, quibus conſtituuntur perſonæ Diuinæ , eſse relatiuas, non abſolutas.Eſt contra *Rip*;*Lichet*;*Lincon*;*Smiſingh*; quam ſententiam probabilem putat *Scot. in* 1.*diſt.*26. *q.*1; à ceteris tamen grauibus afficitur cenſuris. Et ratio eſt,quia *conſtitutiuum, & diſtinctiuum idem eſt*; vt fatentur iſti *Auctores cum Scot.loc.cit.q.*4. *art.*3.§.2; ſed diſtinctiuum Diuinarum perſonarum eſt quid relatiuum, vt docet Fides *in Conc. vbiſ*; ergo conſtitutiuum Diuinarum perſonarum eſt quid relatiuum,non abſolutum.2.*Ex Beatiſ.P.*5.*de Trin.c.*8.habetur:

Quic-

Quicquid ergo ad se ipsum dicitur Deus, & de singulis personis singulariter dicitur, idest de Patre, & Filio, & Spiritu S; & simul de ipsa Trinitate, non pluraliter, sed singulariter dicitur. Ex quo sic. Absolutum in hoc differt à relatiuo, quòd ad se dicitur; relatiuum verò ad aliud; sed quod ad se dicitur, dicitur de singulis personis singillatim, & de omnibus simul; ergo absolutum dicitur de singulis, & de omnibus personis simul singulariter; sed proprietas constitutiua Patris nequit dici de Filio, & Spiritu S; nec singulariter dicitur vna proprietas constitutiua, sed triplex, aliter esset vna, & non triplex persona constituta; ergo proprietates constitutiuæ personarum sunt relatiuæ, non absolutę.

8 Dices 1. Persona constituitur per subsistentiam; sed vna est subsistentia absoluta in Diuinis; ergo constitutiuum personæ est quid absolutum, nõ relatiuum. 2. Persona idem est, ac suppositum intellectuale; sed suppositum præintelligitur constitutum ante relationem; quæ præintelligitur ad actionem, cùm *actiones sint suppositorum*, & relatio sequitur ad actionem; ergo constitutiuum personæ est quid absolutum.

Resp. ad 1. dist. ma. Per subsistentiam, vt indiuiduam, conc; vt absolutam ab indiuiduatione, neg. Sed de hoc *inf.* Ad 2. dist. mi. Ante relationem, vt gerit munus relationis, conc; vt gerit munus proprietatis, neg.

9 His supp. vertitur in dubium, quomodò relatio constituat personam; cùm enim relatio, vt *sup.* dictum est, habeat munus proprietatis, actionis, seu originis, & subsistentis, ac referentis; inquirimus, secundùm quam rationem ex istis habeat constituere personam?

10 Et ratio dubitandi, quam grauissimam vocat *Gonet hic disp. 11. art. 3. §. 1;* est. Pater pro priori ad generationem supponitur constitutus in esse personæ; quia persona priùs est, quàm operetur; sed relatio paternitatis non est in Patre pro priori ad generationem, cùm ad illam sequatur, quia *ex Phil. 5. Met. t. 2. Generatio est paternitatis fundamentum*; & quod fundatur in alio, subsequitur ad illud; illud autem, quod subsequitur, non constituit, quia constitutiuum est id, quod est prius in re; & ideo ei repugnat subsequi, esset enim posterius; ergo relatio paternitatis non constituit personã Patris. Propter hoc.

11 Prima sent. vult Patrem non constitui per relationem paternitatis, sed innascibilitatis, seu per rationem fontalis principij. *Ita Vasq. disp. 159. c. 5; & seq; Alarc; & alij.*

Sed hanc sententiam euertit *Beat. P. 5. de Trin. c. 6; & seq;* ait enim: *Cùm verò ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit, dicitur.* Et paulò post. *Ac primùm videndum est hoc significari, cùm dicitur genitus, quod significatur, cùm dicitur Filius. Ideo enim Filius, quia genitus, & quia Filius, vtique genitus. Quod ergo dicitur ingenitus, hoc ostenditur, quòd non sit Filius.* Ex quo sic. Innascibilitas est mera negatio nascibilitatis, seu filiationis; sicut nascibilitas est positio Filiationis; quẽadmodũ enim natus idẽ est, ac Filius; ita non natus idem est, ac non Filius; sed mera negatio nequit constituere personam, quæ est aliquod positiuum, vt *sup.* diximus; ergo innascibilitas nequit constituere Patrem. Tum quia si innascibilitas cõsisteret in positiuo, vel consisteret in absoluto, vel in relatiuo? Non primum, vt *sup.* dictum est. Si secundum; ergo non constituit personam, quia relatio fũdatur in persona, & illam supponit. Tum quia in Patre vel innascibilitas est relatio realis distincta à paternitate, & spiratione actiua; vel est idem cum paternitate; vel est relatio rationis? Non primum, quia relationes reales essent plures, quàm quatuor, quod reiectum est *in sup. q. art. 2.* Si secundum; eadem est difficultas de ipsa, & paternitate. Nõ tertium; quia persona est quid reale, & ideo nequit constitui per aliquod rationis; quamuis enim constitutiuum sit ratione distinctum, attamen debet esse quid reale indistinctum, vt patet de rationalitate. Tum quia idem est constitutiuum, & distinctiuum; sed personæ Diuinæ distinguuntur per relationes originis, vt docet *SS. PP. & Conc;* ergo constituuntur per relationes originis; sed innascibilitas non est relatio originis; non enim sequitur ad aliquam actionem; ergo Pater non cõstituitur per innascibilitatem. Tandem quia si innascibilitas esset realis relatio transcẽdẽtalis, vt asserit *Alarc;* ergo non est realis, quia in Deo nulla est relatio realis, nisi originis.

12 Secunda sent. vult constitui formaliter per origines, seu per actiones productiuas. *Ita aliqui,* quos tacito nomine refert *Fund. Doct. inf.*

Sed hanc sent. reijcit *B. Doct.* 1. Quia personæ constituuntur formaliter per Id, in quo distinguuntur; sed distinctio habetur solùm per relationes; ergo constituuntur solùm per relationes. 2. Actiones, quibus producuntur personæ, sunt actus essentiales, vt dictum est *q. 2. art. 4;* sed per actus essentiales, qui sunt communes, non constituuntur personæ; ergo personæ non constituuntur per origines, seu per actiones. 3. Constitutiuum personale importat formaliter distinctionem; ergo principaliter importat id, quod principaliter importat distinctionem; sed id, quod principaliter importat distinctionem, est relatio; cùm origines distinguantur per relationes; ergo personæ non constituuntur per origines, quia constitutiuum, cùm sit primarium, debet esse principaliter importatum.

13 Tertia sententia vult relationes importare rationem formæ hypostaticæ, & rationem relationis; & formam hypostaticam supponi ad relationem, adeoque constituere per modum formæ hypostaticæ, non per modum relationis. *Ita Gonet hic disp. 11. art. 3. §. 2;* vbi refert *Capr; & Caiet;* quibus additur *noster Gibb. hic disp. 11. dub. 7. §. 3.*

Sed

Sed hæc ſententia faciliùs excutitur. 1. Quia mera *paraphraſis* eſt; reſpondet enim ad idem per idem, ſed alijs verbis; nam forma hypoſtatica idem eſt, quòd forma perſonalis; idem enim ſignificat *Græcè* hypoſtaſis, quod *Latinè* perſona; & forma perſonalis idem eſt, ac conſtitutiuum perſonale, quia forma eſt illa, quæ conſtituit; ergo dicere, quòd relatio conſtituat formaliter, vt habet rationem formę hypoſtaticę, eſt *paraphraſticè*, ſeu alijs verbis dicere, quòd relatio formaliter conſtituat perſonam, vt habet rationem conſtitutiui perſonalis; & ideo quòd conſtituat, vt conſtituit; ergo eſt mera verſio vocabulorum omnino nugatoria. 2. Relatio, vt forma hypoſtatica, non dicit eſſe *ad*; quia, vt dicit eſſe *ad*, eſt relatio; & ideo dicit ſolùm eſſe *in*, vt aſſerit *Gonet*; ſed vt dicit eſſe *in*, non diſtinguit, quia ſecundùm eſſe *in* relationes tranſeunt in identitatem eſſentiæ, non in diſtinctionem; ergo relatio, vt forma hypoſtatica, non conſtituit. 3. Relatio, vt dicit eſſe *in*, non opponitur, vt vrget idem *Gonet. contra Scot*; aliter relatio filiationis, & ſpirationis diſtinguerentur ſecundùm eſſe *in*; & ideo licèt Spiritus S. non procederet à Filio, adhuc diſtingueretur; ſed conſtitutiuum perſonæ, eſt diſtinctiuũ; ſicut ipſa perſona eſt diſtincta; ergo relatio, vt dicit eſſe *in*, non conſtituit, ſed relatio, vt forma hypoſtatica, dicit eſſe *in*; ergo non conſtituit. 5. Omnes fatentur, quòd relatio importet de formali eſſe *ad*, & de materiali eſſe *in*, quod reſpicit ſubiectum; & ideo ſe habet materialiter; ergo ſi perſonæ conſtituerentur per eſſe *in*, non diſtinguerentur formaliter per relationes, ſed tantùm materialiter. 6. Eſſe *in* eſt eſſe ipſius ſubiecti, vt dictum eſt *in ſup. q. art. 4. n. 5*; ſed eſſe ſubiecti eſt eſſe eſſentiæ, quæ eſt ſubiectum relationum; ergo nequit eſſe conſtitutiuum perſonæ, aliter tres perſonæ Diuinæ eſſent tres Dij, quia haberent diuerſum eſſe eſſentiæ.

14 Noſtra tandem ſententia docet perſonas cõſtitui per relationes proprias formaliter, vt ſunt proprietates formaliter relatiuæ. *Ita B. Doct. in 1. diſt. 26. princ. 1. q. 2; Argent; Ger; M. Conſen; & omnes noſtri. Ita etiam D. Tho: 1. p. q. 48. art. 2;* qui eſt explicandus non eo modo, quo explicat *Gonet*, ſed vt *inf.* & hęc eſt mens *omnium Antiquorum paucis exceptis*; pro cuius declarat.

15 Not; quòd vt alibi diximus, relationem conſtituere, vt proprietas eſt, non vt relatio, non eſt explicandũ, vt explicat *Gonet*, propter allatas rationes. Sic igitur declaratur. Relatio, vt relatio eſt formaliter ſecũdùm eſſe *ad*; poteſt accipi dupliciter. 1. vt quid cõmune pluribus ſuppoſitis; vt ſpiratio actiua. 2. vt quid propriũ vni ſuppoſito, vt paternitas. Cùm ergo cõmune, vt cõmune eſt, non habeat conſtituere perſonam, quæ importat formaliter ſingularitatem, ideo relatio communis nequit eſſe conſtitutiuum perſonale. At verò relatio propria, cùm conueniat vni ſoli, & ſingularitatem importet, poteſt eſſe conſtitutiua perſonæ relatiuæ; ſicut enim ſuppoſitum abſolutum conſtituitur per aliquod abſolutum proprium, & ſingulariter conueniens ſuppoſito abſoluto; ita ſuppoſitum relatiuum per aliquod proprium relatiuum. Igitur ſi non omnis relatio conſtituit in Diuinis, quia ſpiratio actiua, quæ eſt relatio communis, non conſtituit; iam relatio, vt relatio eſt, idẽſt relatio, *vt ſic*, formaliter, vt relatio, non conſtituit, ſed tantùm, vt proprietas eſt, idẽſt, vt relatio propria. Per hoc vitantur omnia inconuenientia *ſup.* allata.

16 Vnica concl. Conſtitutiuum formale Diuinarum perſonarum eſt relatio propria ſecundùm eſſe *ad*.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. 7. de Trin. c. 1*; vbi docet: *Omnia enim, quæ relatiuè dicuntur, ad inuicem dicuntur*. Ex quo ſic. Perſonæ Diuinæ per id conſtituuntur formaliter in eſſe perſonæ, per quod diſtinguuntur; ſicut in humanis *Petrus* per id conſtituitur in eſſe talis perſonæ, per quod diſtinguitur à *Paulo*, & ab omni alia perſona; ſed perſonæ Diuinæ diſtinguuntur ſolùm per relationes ſecundùm eſſe *ad*, ergo per ipſas ſolùm conſtituuntur.

17 Conf. Suppoſitum abſolutum conſtituitur formaliter per aliquod abſolutum proprium ipſi ſuppoſito; quia conſtitutum, & cõſtitutiuum debent eſſe eiuſdem ſpeciei, & rationis formalis; ergo ſuppoſitum relatiuum formaliter conſtituitur per aliquod relatiuum formaliter proprium ipſi ſuppoſito; ſed perſonæ Diuinæ ſunt ſuppoſita relatiua; ſi enim eſſent ſuppoſita abſoluta, differrent realiter in aliquo abſoluto; & relatiuum formaliter importat eſſe *ad*; ergo perſonæ Diuinæ conſtituuntur per eſſe *ad* illis proprium.

18 Prob. 2. *ex Fundatiſſ. Doct. vbi ſup.* Conſtitutio perſonæ Diuinæ habetur ab illo, à quo ſumitur primariò diſtinctio; ſicut enim conſtitutiuum eſt illud, quod eſt primarium in re, ita debet eſſe primarium diſtinctiuum; ſed illud, à quo ſumitur primariò diſtinctio realis perſonarum Diuinarum, eſt relatio; quia *ſola relatio multiplicat Trinitatem*; & relatio ſolùm, prout dicit *ad*, diſtinguit; ergo perſonæ conſtituuntur formaliter per relationes proprias ſecundùm eſſe *ad*.

19 Conf. Si perſonæ non conſtituerentur formaliter per relationes proprias ſecundùm eſſe *ad*, ſequeretur, quòd etiamſi per impoſſibile non darentur relationes ſecundùm eſſe *ad*, adhuc daretur myſterium Trinitatis, quia darentur tres perſonæ conſtitutæ realiter diſtinctæ; ſed conſequens eſt *cont. Conc; & SS. PP.* docentes perſonas Diuinas eſſe tres, quia *ad inuicem ſunt*; ergo conſtituuntur per relationes proprias ſecundùm eſſe *ad*.

20 Tandem prob. omnibus illis rationibus, quibus reiecimus aliorum ſententias.

Ad

21 Ad rationem dubitandi neg. ſupp. ma; non enim datur aliquod priùs, in *quo* ſit vna perſona, & non alia, vt diximus *q.2. art.8.* Ad id, quod ſubditur, dicitur, quòd perſona abſoluta priùs eſt,quàm operetur;non autem perſona Diuina, cuius eſſentia conſtituitur formaliter per operationem; conſtituitur enim per intelligere actuale,quod eſt actio eſſentialis; vt diximus *To.1.de ſubſt.q.2.art.6*;& ſicut eſſentia perſonæ Diuinæ conſtituitur per ipſum operari eſſentiale; ita ipſa perſona conſtituitur per ipſum operari notionale,quod nihil aliud addit ſupra actionem eſſentialem, niſi relationem, vt dicit *ad*, & ideo conſtituitur formaliter per relationem, vt dicit *ad*. Ad aliud dicitur, quòd licèt relatio fundetur in eſſentia, & ſit poſterior illa,ſi comparetur ad illam;nō tamē eſt poſterior eſſentia, ſi eſſentia, & relatio cōparentur ad perſonam,quā conſtituūt;vt diximus *q.3.art.5.n.4.*

22 Inſt. Relatio ſequitur ad actionem, & actio ad perſonam, *cùm actiones ſint ſuppoſitorū*; ergo relatio non conſtituit perſonam.

Reſp.diſt.1. part. ant. Relatio ſequitur ad ad actionem eſſentialem, ſi comparentur inter ſe,prout vna emanat ab alia, conc; ſi comparentur ad perſonam,quam conſtituunt, neg; quamuis enim relatio ſequatur ad actionem eſſentialem, quia oritur ab illa tanquam pro prietas illius; attamen non ſequitur ad actionem notionalem, cùm per illam conſtituatur formaliter actio notionalis; & neg.2.pars ant; licèt enim actiones in ſuppoſitis abſolutis ſint tātùm ſuppoſitorum; quia natura aquirit tantùm eſſe in illis;& agēs in tantùm agit, in quantùm actu eſt; attamen hoc non valet de ſuppoſitis Diuinis, quia natura non aquirit eſſe in illis, ſed acta eſt per ſe ipſam; & ideo per ſe ipsā poteſt agere; vt diximus *q.4.art.6.n.20;& ſeq.*

23 Obijc.1.*Beatiſſ.P.7.deTrin.c.6.*ait:*Perſona ad ſe,& nō ad aliud dicitur*; nō enim dicitur: *Pater eſt perſona Filij*; & è contra; ſed quod eſt ad ſe,eſt abſolutum; & abſolutum conſtituitur per aliquod abſolutum; ergo perſonæ Diuinę non conſtituuntur per aliquod relatiuum.

Reſp.quòd hæc difficultas, cui plures dant reſponſiones inſufficientes, ſoluitur ab eodem *Beatiſſ.P.5.de Trin.c.11*; vbi ait: *In multis enim relatiuis hoc contingit, vt non inueniatur vocabulum, quo ſibi viciſſim reſpondeant, quæ ad ſe referuntur. Quid enim tam manifeſtè relatiuè dicitur,quàm pignus?*& paulò poſt. *Non ergo cùm dicimus pignus Patris, & Filij, poſſumus viciſſim dicere Patrem pignoris, Filium pignoris.* Dicitur ergo perſonam dici ad ſe defectu vocabuli correſerētis;nō quod ſit quid abſolutū:docet enim *ibid.c.8.*in fine:*Non audemus dicere vnam eſſentiam,tres ſubſtantias,ſed vnam eſſentiam,vel ſubſtantiam, tres autem perſonas*; quod autem pluraliter dicitur,*ex eodem* relatiuum eſt.

Reſp.2. *Fund. Doct. diſt.23. princ. 1. q.4.* perſonam dici ad ſe, quia perſona ſecundùm ſuum ſignificatum formale importat ſubſiſtentiam; eſt enim quid ſubſiſtens in natura intellectuali,& cùm ſubſiſtentia dicatur ad ſe,ideo perſona dicitur ad ſe; Pater verò, quia formaliter ſignificat relationem,ideo ad aliud dicitur.Non tamen ſequitur perſonam eſſe quid abſolutum formaliter; quia non conſtituitur niſi per relatiuum, ſicut album ſignificat ſubſtantiam, quamuis conſtituatur per albedinem, quæ eſt accidens. *Vid.B.Doct.vbiſ.& q.3.*

24 Obijc.2. Perſona conſtituitur per ſubſiſtentiam incommunicabilem; ſed ſubſiſtentia incommunicabilis eſt forma hypoſtatica; ergo conſtituitur formaliter per formā hypoſtaticā.

Reſp.diſt.ma. Suppoſitum abſolutum, in quo natura aquirit eſſe per ſe,conc; ſuppoſitum relatiuum,cui natura dat eſſe, & ſubſiſtere, neg; ſicut enim ſuppoſitum abſolutum, quod naturæ exiſtentiam, & ſubſiſtentiam indiuiduam, conſtituitur per ſubſiſtentiam indiuiduam; ita ſuppoſitum relatiuum, quod recipit à natura eſſe, & ſubſiſtere, importat formaliter ſolam incommunicabilitatem, quæ ſumitur à relatione, & quā ſuperaddit ſubſiſtentiæ.*Sed de hoc inf.art.3.*

Cetera vid.q.2.art.6.vbiſ.

ART. II.

An perſonæ habeant tres exiſtentias?

1 SVpp.ex dictis *To.1.deSubſt.Dei q.2.art.3.5.2.*dari in Deo vnā exiſtentiam abſolutam, per quam exiſtit eſſentia; quæ exiſtentia nihil aliud eſt, quàm id, quo res ponitur extra nihil in rerum natura; colligitur enim ex illo *Exod.4.Ego ſum,qui ſum.Et Io.10. Ego, & Pater vnum ſumus*,Inquirimus modò,an præter exiſtentiam abſolutā,qua exiſtit eſſentia,dentur tres exiſtētiæ relatiuæ, quibus exiſtūt perſonæ?

2 Prima ſent. affirmat. *Ita Sua.lib.3. de Trin.c.5; Arrub; Ruiz; Med; Zum; & ex noſtris Gibb;* qui refert etiam *D.Bon.in 1.diſt.25. art.1. q.2;Scot.in 1.diſt.11.q.2;Smiſingh,& alios.*

Secunda ſent. negat exiſtentias relatiuas. *Ita Fund.Doct.in 1.diſt.23.princ.1. q.2.in reſol. vlt.dub; & ſæpe alibi.* Ipſum ſequuntur ferè *omnes noſtri Auctores; & ex Alijs Thomiſtæ communiter;Capr;Io.à S.Tho;Gonet*, qui clarè oſtendunt hanc eſſe ſententiam. *S.Tho; Salm; Vaſq. acriter,Granad;& alij plurimi.*

3 Vnica concl. In Deo non dantur tres exiſtentię relatiuæ.

Prob.1.ex *Beatiſſ.P.5.de Trin.c.11*; quem refert *Fund.Doct.vbiſ.Sicut ab eo, quod eſt ſapere,dicta eſt ſapientia; ita ab eo, quod eſt ſcire, dicta eſt ſcientia;ita ab eo,quod eſt eſſe, dicta eſt eſſentia.* Ex quo ſic. Eſſentia dicitur per ordinem ad exiſtentiam; quia vnaquæque res dicitur per ordinem ad ſuum actum,tanquam ad formam,à qua ſpecificatur,conſtituitur,& diſtinguitur;ſed vna eſt tantùm in Deo eſſentia abſoluta, & non

tres

tres eſsentiæ relatiuæ: ergo vna tantùm exiſtentia abſoluta,& non tres relatiuæ.

4 Conf. hæc ratio *ex Fundatiſſ. Doct. in 1. diſt.2.princ.2.q.1.§.Reſtat videre*. Ratio,ob quã in creatis diuiduntur, & multiplicantur naturæ ad multiplicationem ſuppoſitorum,eſt,quia natura aquirit eſſe indiuiduum in ſuppoſito; nam ſecundùm ſe ipſam habet ſolùm eſſe ſpecificum, & quia diuerſa ſuppoſita habent diuerſa eſſe indiuidualia, ideo naturæ multiplicantur numericè; ſed natura Diuina nec diuiditur, nec multiplicatur in tribus Diuinis ſuppoſitis, aliter tres perſonæ Diuinæ eſſent tres Dij; ſicuti tres perſonæ rationales, quia in eis diuiditur, & multiplicatur natura,ſunt tres homines; ergo natura Diuina non aquirit eſſe indiuiduale in tribus Diuinis ſuppoſitis; ſed ſi darentur tres exiſtentiæ relatiuæ perſonales, natura Diuina ex eo, quòd illis vniatur,aquireret illa tria eſse perſonalia; ſicut natura humana ex eo, quòd vniatur tribus ſuppoſitalitatibus habentibus triplex eſſe indiuiduale,aquirit illud triplex eſse;ergo nõ dantur tres exiſtentiæ relatiuæ.

5 Prob.2.*ex eod.Beatiſſ.P.ibid.c.*10;vbi docet: *Sicut non dicimus tres eſſentias, ſic nec tres magnitudines; hoc enim eſt Deo eſſe, quod magnũ eſſe*.Et paulò poſt *inf.*idem dicit *de æternitate*.Ex quo ſic.In Deo non ſunt tres magnitudines,nec tres æternitates relatiuæ, vt habetur *in Symb. D.Athan*;ergo nec tres exiſtentiæ relatiuæ; nam magnitudo, & æternitas ſumuntur ab eſse,in tantùm enim vna res dicitur magna,in quantùm habet magis de eſse; & alia dicitur parua, in quantùm habet minùs de eſse;eſsẽtia enim,cùm ſit indiuiſibilis,eodem modo eſt in vtraque; vnde ideo Deus eſt maximus, quia habet omne eſse; & æternitas nihil aliud eſt, quàm ipſa exiſtentia ſemper durans; ergo ſi darentur tres exiſtentiæ relatiuæ,darentur tres magnitudines relatiuæ, & quia ſemper durarent,darentur tres æternitates,quod eſt contra Fidem.

6 Prob.3.Relatio,vt diximus *in ſup.q.art.*4; nullum aliud habet eſse,quàm eſse fundamenti, & in omnium ſententia exiſtentia relationis eſt inexiſtentia, cùm exiſtat in ſuo fundamento; ſed eſse fundamenti eſt vnum,quia eſt eſse eſſentiæ, & ineſse non multiplicatur, quia ſecundùm eſse *in* omnia tranſeunt in identitatem; ergo vna eſt exiſtentia, per quam exiſtunt tres relationes, & per conſequẽs nõ dantur tres exiſtẽtiæ relatiuæ.

7 Conf.Per vnicam exiſtentiam ſubſtantiæ in creatis exiſtunt omnia accidentia, quæ propter hoc dicuntur inexiſtere,idẽſt exiſtere in alio, exiſtere autem in alio eſt exiſtere per exiſtentiam illius, quia quod exiſtit per exiſtentiam propriam,ſicut exiſtit ſubſtantia,exiſtit in ſe,non in alio;ergo per vnicam exiſtentiam eſsẽtiæ exiſtunt tres relationes Diuinæ.

8 Tandẽ *Beat.P.7.de Trin.c.6.*ait:*Eſſe ad ſe dicitur*.Ex quo ſic.Illud,quod eſt ad ſe,non multiplicatur;ſed exiſtentia eſt ad ſe,non enim dicitur Pater exiſtentiæ, vel Filius exiſtentiæ, aut è contra;ergo exiſtentia non multiplicatur.

9 Obijc.1.*Ex Beatiſſ.P.5.de Trin.c.5*, habetur: *Quamuis diuerſum ſit Patrem eſſe,& Filium eſſe,nõ eſt tamen diuerſa ſubſtantia*;& alibi.*Aliud eſt Deum eſſe,aliud Patrem eſſe*;ergo dantur tres exiſtentiæ.

Reſp.*Beatiſ.P.*loqui de eſse eſsentiæ,non de eſse exiſtentiæ;nam *lib.7.c.6.* loquẽs de eſse exiſtentiæ ait:*Non enim aliud eſt Deo eſſe,& perſonam eſſe,ſed omnino idem*, quibus docet perſonas per vnicam exiſtentiam abſolutam exiſtere.

10 Inſt.Perſona ad ſe dicitur, & tamen eſt quid relatiuum;ergo hæc ratio non probat.

Ad hoc fuit reſpõſum *in ſup.art.n.*23; perſona enim non dicitur relatiuè, quia per ſe primò ſignificat ſubſiſtentiam,quæ eſt quid abſolutum;eſt tamen formaliter quid relatiuum, qui conſtituitur formaliter per relationem; at verò exiſtentia non conſtituitur formaliter per relationem,aliter ſicut eſsẽtia non eſt perſona,niſi per relationem,ita non eſset exiſtens,niſi per relationem, & per conſequens aquireret tantùm eſse in ſuppoſitis, & ad multiplicationem illorũ multiplicaretur.

11 Obijc.1. Exiſtentia importat formaliter entitatem,ſed relationes Diuinæ ſunt tres entitates actuales:ergo ſunt tres exiſtentiæ.

Conf.Relationes dicunt tres realitates:ergo tres exiſtentias: nam exiſtentia eſt id, per quod res eſt extra nihil, & realitas extrahit rem à nihilo.

Reſp.ad arg; quòd exiſtentia eſt actus, per quem res extrahitur à nihilo, dicitur enim exiſtentia, quaſi *extra ſiſtentia*, ſcilicet extra nihil, vnde licèt relationes ſint tres res; attamen quia per vnum actum ſecernuntur à nihilo, ideo eſt vna exiſtentia illis communis,ſicut licèt ſubſtãtia,& accidentia, quæ in illa fundantur,ſint plures res, attamen quia per vnicum actum extrahuntur à nihilo, ideo exiſtunt per vnicam exiſtentiam. Diſt. igitur ma.Si *ly tres* cadat ſupra *entitates*, conc; ſi cadat ſupra *actualitates*, neg; vna enim ratio actus puriſſimi imbibitur in omnibus prædicatis abſolutis, & relatiuis, ſicut vna ratio increati, vt dicitur *in Symb. D. Athan*; eſt communis omnibus.

Ad conf.neg. conſ. Et ad prob.infert. dicitur, quòd per exiſtentiam realitas extrahitur à nihilo; non tamen ipſa realitas extrahitur per ſe ipſam.

12 Inſt.Paternitas,vt virtualiter diſtincta ab eſſentia,eſt actualitas; non enim eſt in potentia paſſiua;& actu refert Patrem ad Filium;ergo eſt diuerſa actualitas.

Reſp.diſt.ant.Paternitas, vt diſtincta ab eſſentia in ratione quiditatis,eſt actualitas, conc; vt diſtincta in ratione actualitatis,neg.ſupp;quia in ratione actualitatis, quæ eſt vna, non diſtin-

guun-

guuntur. Neque implicat, quòd aliqua distinguantur secundùm vnam rationem, & non secundùm aliam; vt homo differt ab equo in ratione discursiui, nō tamen in ratione animalis; ita à pari, per quod patet ad aliud.

13 Obijc. 2. Si non daretur existentia relatiua, Pater esset ad se, non ad aliud; & sic falsum esset, quòd *relatiua sint illa, quorum totum esse est ad aliud se habere*. Tum quia productio rendir ad esse rei; sed existentia essentiæ non producitur, quia supponitur; ergo datur existentia personalis, quæ producitur.

Resp. ad 1. dist. ant. Esset ad se, idèst existeret per existentiam absolutam, conc; esset ad se, idèst non referretur ad alium, neg; non enim refertur per esse existentiæ, sed per esse quiditatis relationis; & ideo relatiua definiuntur per esse quiditatiuum, quod est esse *ad*, non per esse existentię, quod est esse *in*. Ad aliud dist. ma. Tendit ad esse rei, vel producendum, vel communicandum, conc; producendum tantùm, neg. Ad mi. dicitur non produci existentiam, vel essentiam, sed personam. *Vid. To. 1. vbi s.*

ART. III.

An dentur in Deo tres subsistentiæ relatiuæ?

1 SVbsistētiam absolutam dari in Deo, iam ostendimus *To. 1. de Subst. Dei q. 2. art. 4. §. 3.* Modò inquirimus, an vltra illam, qua subsistit essentia, dentur etiam tres relatiuæ, quibus subsistunt personæ?

2 Non loquimur *hìc* de subsistentia in concreto; patet enim *ex Conc.* tria esse subsistentia relatiua, vt *inf.* sed loquimur de subsistentia in abstracto pro ratione formali, qua Diuinæ personæ subsistunt; docet enim *Fundatiss. Doct. in 1. dist. 23. q. 1.* hoc nomen *subsistentia* posse sumi concretè, & abstractè; vnde subsistentia concretè sumpta idem est, ac persona, seu suppositum.

3 Prima sententia vult dari tres subsistentias relatinas. *Ita Sua. lib. 3. de Trin. c. 4; & 3. p; Cabr. 3. p; Caiet; Naz; Aluar; Nauarr; Ban; Salm; & ferè omnes Thomistæ iuniores*, quibus adduntur *Granad; & alij apud Io. à S. Tho. disp. 14. art. 2. n. 4*; qui omnes pręter tres subsistentias admittunt etiam vnam subsistentiam absolutam. Et ex alijs qui negant absolutam, *Alen. 3. p. q. 1. memb. 3; D. Bon. in 3. dist. 1. art. 1. q. 3; Marf. q. 2. art. 3. dub. 2; Val; Vasq; Arriag; & alij.*

Secunda sententia docet dari tantùm vnam subsistentiam absolutam, quæ, vt modificata tribus relationibus personalibus, constituit tres personas. *Ita Fundatiss. Doct. in 1. dist. 25. princ. 1. q. 2; & in 3. dist. 6. princ. 1. q. 1. art. 1. via tertia; Argent. dist. 16. q. 1. art. 4; Franc. à Christo, M. Cō-son. in M. S*; & ferè omnes nostri, vno excepto *Gibb.* Ex alijs *Scot. in 3. dist. 1. q. 2; Dur. ibid; Capr. in 1. dist. 26. q. 1. art. 1; & alij.*

4 Not. ex dictis *To. 1. vbi s.* litem quæ acriter fuit *inter Græcos, & Latinos* circa versionem huius vocis *hypostasis*, vt refert *Beatiss. P. 5. de Trin. c. 8; & 9; & lib. 7. c. 4; & seq; & Fund. Doct. in 1. dist. 23. princ. 1. q. 1*; fuisse in hoc, quòd *Græci* nomen *hypostasis* nolebant vertere *Latinè* nomine *personæ*, quia persona *Græcè* dicitur *prosopon*, quod *Latinè* dicitur *larua*, seu *vultus fictus*; vertebant ergo nomen *hypostasis* nomine *subsistentiæ relatiuæ*. Ex quo manifestè deducitur hoc nomen *subsistentia à Conc; & PP. Græcis* sumi concretè, sumitur enim prout idem est, ac *hypostasis Græcè*; & persona *Latinè*; nomen autem *hypostasis, & persona* est nomen concretum, vt patet. At verò *Latini* contendebant nomen *hypostasis* debere verti *Latinè* nomine *personæ*, quia *persona apud Latinos* habet alium modum significandi, quem non habet *apud Græcos*, significat enim *per se ens, per se sonans, & per se stans.* Non autem debere verti nomine subsistentiæ, quia subsistentia formalissimè significat substantiam, nec cogeremur admittere tres substantias, sicut nec *Græci* admittebant *tres vsias*, idèst tres substantias, nec *tres vsioses*, idèst tres subsistentias.

5 Ex hoc apparet nullam omnino firmitatem fuę sententiæ trahere *Aduersarios, inter quos Vasq; à Conc; & è PP. Græcis*; illi enim nō loquebantur de subsistentia abstractè sumpta, vt loquimur in præsenti, sed loquebantur concretè, prout idem est, ac *persona*; dari autem tres personas in Diuinis nullum est dubium,

6 Vnica concl. Non dantur tres subsistentię relatiuæ abstractè sumptæ in Diuinis personis. Hæc sententia est *Beatiss. P; & omnium SS. PP. Latinorum*, qui se *Græcis* opposuerunt circa versionem huius nominis *hypostasis*.

Prob. 1. *ex Beatiss. P. 7. de Trin. c. 4. in fine*; vbi docet: *Nam si hoc est Deo esse, quòd subsistere; ita non erunt dicendæ tres subsistentiæ, vt non dicuntur tres essentiæ, quemadmodum quia hoc est Deo esse, quòd sapere, sicut non tres essentias, ita nec tres sapientias dicimus. Sic enim quia hoc illi est Deum esse, quod est esse, tam tres essentias, quàm tres Deos dici fas non est. Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere; sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse, vel Dominum esse; quod enim est, ad se dicitur: Pater autem ad Filium, & Dominus ad seruientem creaturam dicitur; relatiuè ergo subsistit, sicut relatiuè gignit, & relatiuè dominatur. Ita iam substantia non erit substantia, quia relatiuum erit. Sicut enim ab eo, quod est esse, appellatur essentia; ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus. Absurdum est autem, vt substantia relatiuè dicatur; omnis enim res ad se ipsam subsistit; quantò magis Deus, si tamen dignum est, vt Deus dicatur subsistere.* Hanc eandem doctrinam attulimus *To. 1.* ad probandam subsistentiam absolutam.

Ex quibus sic formatur ratio desumpta ex hac doctrina. Ratio formalis constitutiua rei vnius prædicamenti nequit formaliter cōpetere rei alterius prædicamenti; quemadmodū inesse,

ſe,quod conſtituit accidens, nequit formaliter competere ſubſtantiæ, & eſſe per ſe,quod competit ſubſtantiæ, nequit formaliter competere accidenti, aliter prædicamenta non differrent formaliter, ſed confunderentur,quia confunderentur rationes formales eorum conſtitutiuæ; ſed ſubſiſtentia eſt ratio formalis conſtitutiua ſubſtantiæ, quia ſubſtantia formaliter conſtituitur per eſſe in ſe,& per ſe,quod idem eſt,ac ſubſiſtere; tum quia *ſubſiſtere apud Grammaticos* idem ſonat, ac *in ſe,vel ſub alio ſtare*; ergo nequit formaliter competere relationibus,& ideo relationes ſubſiſtunt per ſubſiſtentiã ſubſtãtiæ.

7 Explic.magis. Illud per ſe importat ſubſiſtere, quod eſt in ſe, & quod ſubſtat alijs, ſeu eſt ſubiectum aliorum; ſed relationes Diuinæ,vt diſtinctæ ab eſſentia, non ſunt in ſe, quia important ineſſe,cui opponitur eſſe in ſe; nec ſunt ſubiectum alicuius in ipſis fundati, ſed ſunt in ſubiecto; ergo relationes Diuinæ, vt diſtinctæ ab eſſentia,per ſe non important ſubſiſtere. Atqui illud,quod per ſe non competit relationibus, in Diuinis non multiplicatur; ergo in Diuinis ſubſiſtentia non multiplicatur.

8 Prob.2. Relationes in creatis non multiplicãt per ſe ſubſiſtentiam,quia ſunt accidentia, quibus repugnat ſubſiſtere:ergo neque in Diuinis; nam in Diuinis vel ideo multiplicant ſubſiſtentiam, quia ſunt ſubſtantia, vel quia conſtituunt ſuppoſita? Non primum, quia relationes in Diuinis etiam ſunt Deus, & tamen non multiplicant Deitatem.Non ſecundum,quia ſuppoſitalitas non eſt formaliter ipſa ſubſiſtentia, quia anima ſeparata eſt ſubſiſtens, & tamen non eſt ſuppoſitum; ideo ſuppoſitalitas ſequitur ad ſubſiſtentiam, & ſubſiſtentia ſupponitur ad ſuppoſitalitatem; ſed quod ſupponitur ad Diuinas relationes,eſt natura Diuina, & nullo modo multiplicatur, aliter daretur diſtinctio in abſolutis; ergo ſubſiſtentia in Diuinis non eſt multiplicabilis.*Vid.To.1.vbi ſup.*

9 Obijc.1. In *Conc.I. Nic.* habetur; quòd *Trinitas in tribus ſubſtantijs perfectis, & æqualibus conſideratur.* Et in *I. Syn.Conſtantinop. Epiſt. ad Damaſ. In tribus perfectiſſimis ſubſiſtentijs*; & *in VI.Syn. act.11. Sanctiſſima Trinitas numerabilis facta eſt perſonalibus ſubſiſtentijs*; ergo dantur tres ſubſiſtentiæ.

Reſp.*Conc.& SS.PP.Græcos* loqui de ſubſiſtentijs concretè, prout idem ſignificant, ac hypoſtaſis,aut perſona,vt *ſup.*dictum eſt; non autem abſtractè,vt nos loquimur *hic*.

10 Obijc.2.*Fundat.Doct.in 1.diſt.25.princ. 1.q.1.* §. *Dicendum* ait,quòd perſona importat aliquod per ſe exiſtens; eſt enim *intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia*: & *diſt.26. princ.1.q.2.ad 2,& 3.*ait,quòd relationes Diuinæ non habent minimum de eſſe, quia ſunt per ſe ſubſiſtentes, & ideo poſſunt conſtituere in eſſe perſonali; ſed non loq uitur de relationibus in concreto, quia loquitur de ipſis, vt ſunt conſtitutiuæ perſonarum; non ſunt autem conſtitutiuæ perſonarum,niſi in abſtracto, quia in concreto ſunt ipſum conſtitutum; ergo relationes abſtractè ſumptæ important ſubſiſtentiam, & ideo tres ſubſiſtentias.

Reſp.*B.Doct.*nihil aliud velle, quàm quòd relationes, cùm non habeant aliud eſſe, quàm eſſe fundamenti, quod eſt eſſentia, cuius eſſe eſt maximè ſubſiſtens, ideo relationes ſunt quid per ſe ſubſiſtens, cùm autem eſſe eſſentiæ non multiplicetur,ideo eſt vna tantùm ſubſiſtentia. At verò relationes creatæ, cùm fundentur in accidentibus; fundantur enim in quantitate,vel qualitate,& eſſe accidentis non ſit per ſe, ideo non important ſubſiſtentiam, quæ dicit eſſe per ſe. Ad mi.dicitur, quòd loquitur de relationibus,vt ſunt conſtitutiuæ,conſtitutiuum autem, licèt abſtrahat ab eſſentia,prout habet rationem naturę, non tamen abſtrahit ab ipſa ſubſiſtentia, quæ neceſſariò inuoluitur, tanquam aliquod præſuppoſitum in conſtitutiuo formali.

11 Obijc.3. Illa, quæ conueniunt Diuinis perſonis vi relationis, multiplicantur realiter, ſed ſubſiſtentia, ſeu eſſe per ſe incommunicabiliter conuenit perſonis vi relationis; ab eſſentia enim habetur communicabilitas; ergo ſubſiſtẽtia perſonalis in Diuinis multiplicatur.

Reſp.diſt.ma. Quæ conueniunt formaliter, & ſecundùm purum eſſe *ad*, conc; ſubſiſtentia autem conuenit ſolùm ſecundùm eſſe *in*, quia ſubſiſtentia formaliter dicit eſſe *in ſe*, *& per ſe*; quæ conueniunt vi relationis ſecundùm eſſe *in*, & materialiter, neg.

12 Inſt.1. *Gonet*. Perſona dicit formaliter eſſe ſubſiſtens incommunicabiliter; ergo importat formaliter nedum incommunicabilitatem, ſed etiam ſubſiſtentiam. 2.Perſona Diuina non conſtituitur per relationem ſecundùm eſſe *ad*, ſed prout habet rationem formæ ſubſiſtentis:ergo importat formaliter ſubſiſtentiam. 3. Non poteſt multiplicari perſonalitas, niſi multiplicetur ſubſiſtentia,quia multiplicato inferiori multiplicatur ſuperius; ſicut multiplicatis hominibus,& equis multiplicatur ratio animalis; ſubſiſtentia autem eſt quid ſuperius ad incommunicabilitatem; ergo ad multiplicationem relationum multiplicantur ſubſiſtentiæ.

Reſp.ad 1.neg.conſ.quotieſcunque enim affertur aliquod concretum, neceſſariò in illo vnum ſe habet materialiter, aliud formaliter; vnde cùm relatio importet formaliter incommunicabilitatem,ſequitur,quòd importet ſubſiſtentiam tantùm materialiter,& præſuppoſitiuè. Ad 2.neg.ant;quod eſt parum tutum,vt diximus *art.1.* Ad 3; quod eſt magis periculoſum, neg. ant.Ad cuius prob.infert.dicitur,quòd ſi valeret hæc ratio in Diuinis, probaret multiplicari eſſentiam; ſicuti multiplicatis indiuiduis humanis multiplicatur eſſentia hominis; eſſentia enim ſe

ſe habet, vt quid ſuperius, quia ſe habet, vt quid com mune.

13 Inſt. Multiplicato principio *quod* actionis notionalis debet multiplicari ſubſiſtentia, & non tantùm modus incommunicabilitatis, quia actiones ſunt ſubſiſtentium; & ideo ad multiplicationem actionum diuerſæ ſpeciei multiplicantur ſubſiſtentiæ; ſed in Diuinis multiplicatur principium *quod*; aliud enim eſt principium *quod* generationis; & aliud ſpirationis; ergo multiplicantur ſubſiſtentiæ.

Reſp. neg. mi; nam principium *quod* eſt perſona; & ideo ſicut Pater, vt eſt principium *quod* generatiuum Filij, & vt eſt principiū *quod* ſpiratiuum Spiritus S; non eſt duplex perſona; ita non eſt duplex principium. Sic in creatis idem ſuppoſitum humanum eſt principium *quod* omnium actionum hominis; quamuis illæ actiones, nedū differant ſpecie, ſed etiā genere.

14 Inſt. 3. Incommunicabilitas, quam dicunt perſonę Diuinæ, non eſt pura negatio, aliter perſona conſtitueretur per aliquod negatiuum; ergo importat aliquod poſitiuum; ſed hoc poſitiuum nequit eſſe, niſi ſubſiſtentia; aliter illud poſitiuum ſe haberet per modum formę adiacentis, vt dicebat *Gilbert*; ergo importat formaliter ſubſiſtentiam.

Reſp. neg. mi; incommunicabilitas enim fundatur in ordine reali, ſeu in eſſe *ad*, quod virtualiter diſtinguitur à ſubſiſtentia, & ad illam ſequitur, nec dicit aliquod eſſe extrinſecum; vt aiebat *Gilbert*; ſed dicit eſſe ipſius eſſentiæ, quod eſſe importatur tantùm materialit er.

15 Obijc. 4. idem *Gonet*. Si eſſentia Diuina importaret eſſe ſubſiſtens, ſequeretur, quòd, vt præintellecta relationibus eſſet perſona; quia vt præintellecta tali relationi, non eſſet communicabilis alteri relationi; ex eo autem, quòd communicetur alteri, vt forma ad ſubſtentandum, non tollitur, quin ſit ſuppoſitum; vt patet de ſuppoſito Verbi, quod communicatur naturæ humanę ad illam ſubſtentandam; ſed hoc eſt falſum; ergo & illud, quod ſequitur.

Reſp. neg. ſeq. ma; natura enim Diuina, vt ſubſiſtens, & prout præintellecta relationibus, eſt communicabilis nedum paternitati, ſed etiā filiationi, & ſpirationi paſſiuę; vnde natura Diuina communicatur ſuppoſitis Diuinis, vt quid terminabile ab illis; ſuppoſitum verò Verbi terminat naturam humanam, eamq. reddit incommunicabilem alteri ſuppoſito; propter quod à Verbo non tollitur ratio ſuppoſiti; bene tamen à natura Diuina, quæ non dat, ſed recipit incommunicabilitatem.

16 Obijc. 5. Si non daretur niſi ſubſiſtentia abſoluta, vnio humanitatis ad Verbum facta eſſet immediatè ad naturam; & ſic omnes tres perſonæ eſſent incarnatæ; nam vnio humanitatis facta eſt immediatè ad ſubſiſtentiam, quia vnita eſt Verbo ad ſubſiſtendum; ergo dantur ſubſiſtentiæ relatiuæ.

Reſp. neg. ant. Ad prob. infert. diſt. Vnio facta eſt immediatè ad ſubſiſtentiam, vt modificatam, ſeu vt perſonalizatam à relatione filiationis, conc; vt non modificatam, neg. Vnio ergo primò, & per ſe facta eſt ad hoc, vt natura ſuppoſiteţur, & ex conſequenti, vt ſubſiſtat, & exiſtat.

Cetera *vid. in ſup. art; & T o. 1. vbi ſup.*

ART. IV.

An in Deo ſint quinque notiones?

1 TEſtatur *Iacobus à S. Benedicto Ferrar. noſter Diſcalc. in Enchir. 1. p. c. 14.* primum inuentorem huius nominis *notio* fuiſſe *Beatiſs. P. Aug.*

2 Notio definitur *ratio cognoſcendi, & manifeſtandi dignitatē propriam cuilibet perſonæ Diuinæ*. Colligitur *ex Fund. Doct. in 1. diſt. 26. princ. 2. q. 2; & Quodl. 5. q. 2.* Per hoc excluduntur nomina, quæ dicuntur de Deo per ordinem ad creaturas; illa enim non conueniunt perſonis Diuinis, vt diſtinguuntur inter ſe, ſed vt ſunt vnum. Notio ergo debet eſſe ſpecialis nota, ſeu character ſignificās dignitatem propriam vnius perſonæ Diuinæ, vt cōtradiſtinguitur ab alia. Dicitur manifeſtans dignitatem, quia manifeſtat ſuppoſitum in natura intellectuali, quæ eſt dignior omnibus naturis.

3 Cùm autem dignitas propria perſonarū Diuinarum attendatur ſolùm per relationes originis; quia ea, quæ ſpectant ad eſſentiam, ſunt communia, non propria; ideo notio habet ſignificare aliquod pertinens ad originem, ſiue origo accipiatur paſſiuè, ſiue actiuè.

4 Vnica concl. Notiones in Diuinis ſunt quinque. *Ita Fund. Doct. vbiſ.*

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. 5. de Trin. c. 6*; vbi docet: *Alia eſt notio, qua intelligitur genitor; alia, qua ingenitus*. Ex quo ſic. Penes vnam originem ſumuntur duæ notiones; quia quælibet origo importat duas relationes pertinentes ad perſonam producentem, & productam; ſed duæ ſunt origines; ergo quatuor notiones. Atqui vna iſtarum relationem eſt in principio ſine principio, quod eſt principium, & fons omnium perſonarū; ſcilicet *innaſcibilitas*, ſeu *eſſe* ingenitum; ergo quinque ſunt notiones.

5 Conſ. *ex B. Doct. Quodl. cit.* Ad rationem notionis non requiritur, quòd conſtituat, aut referat, ſed ſufficit, quòd diſtinguat, & notificet conſtitutiuum, & relatiuum; quod eſt propria dignitas perſonæ; ſed innaſcibilitas notificat paternitatem, quæ eſt propria dignitas conſtitutiua Patris; & ſpiratio actiua notificat paternitatem, & filiationem, quæ ſunt propriæ dignitates Patris, & Filij; ſicut paternitas notificat primam perſonam; filiatio ſecundam; & ſpiratio paſſiua tertiam; & ſecundùm has notiones perſonæ diſtinguuntur ad inuicem; ergo ſunt quinque notiones, ſcilicet innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpi-

ſpiratio actiua,& ſpiratio paſsiua.

6 Obijc. 1. Spiratio actiua non diſtinguit Patrem à Filio; ergo non eſt notio. 2.Innaſcibilitas non diſtinguit Patrem à Spiritu S; qui etiã non eſt natus; ergo notiones non ſunt quinque.

Reſp.ad 1. diſt. conſ. Non eſt notio communis per ordinem ad Spiritum S; neg; per ordinem ad Filium,conc.Ad 2.dicitur,quòd innaſcibilitas ſumitur ſimpliciter, prout excludit omnem modum producibilitatis; & ſic ſolus Pater eſt innaſcibilis.

7 Obijc.2. Inſpirabilitas notificat perſonã Patris, & Filij; & eſſe improductiuum alterius perſonæ notificat perſonam Spiritus S; ſicut nõ eſſe generans actiuè notificat perſonam Filij, & Spiritus S; ergo notiones ſunt plures quinque. Tum quia ratio Filij, Verbi, & Imaginis notificat perſonam Filij; ſicut ratio Doni, Amoris, & Nexus perſonam Spiritus S; ergo ſunt plures, quàm quinque.

Reſp.ad 1.neg.conſ;quia ratio inſpirabilis, & improductiui non ſignificant aliquod ad dignitatem pertinens; nulla enim eſt dignitas non ſpirari,aut non producere;at verò innaſcibilitas deſignat eſſe principium ſine principio, quæ eſt dignitas Patris; vnde licèt inſpirabilitas deſignet perſonam, non tamen eſt notio, quia non deſignat aliquam dignitatem pertinentem ad originem actiuè,vel paſsiuè ſumptam; quin potiùs deſignat negationem dignitatis. Ad 2. dicitur, quòd illæ rationes ſunt inadæquatæ, non adæquatæ; nos autem loquimur de notionibus adæquatis;vnde filiatio denotat illa omnia;quia *eo Filius,quo Verbũ,& imago*,vt docet *Beatiſſ.P.*

ART. V.

An detur numerus in Deo formaliter?Vbi alia.

1 NVmerus alius eſt prædicamentalis, qui eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, & reperitur ſolùm in habentibus quantitatem, & ideo ſolùm in prædicamento quantitatis; propterquod dicitur *prædicamentalis*. Alius eſt tranſcendentalis, qui reperitur etiam in rebus non habentibus quantitatem, qui tripliciter accipitur; vt diximus *To.1. de Vnit. Dei art.7. n. 15;& de Emin.art.4. n.13.* Non loquimur de numero prædicamentali,ſed tranſcendentali.

2 Vnica concl.In Deo datur numerus trãſcendentalis propriè dictus Diuinarum perſonarum cum ſumma vnitate eſſentiæ. *Ita Fund. Doct.in 1.diſt.24.prin.1.q.3;& omnes cõmuniter.*

Prob.1.*ex Io.vlt.Tres ſunt, qui teſtimoniũ dant in Cælo,Pater,Verbum,& Spiritus S;*ſed illa vox *tres* eſt numerus; ergo datur numerus in Diuinis perſonis. Prætereà *ex Conc.Tolet. XI.* habetur: *In relatione perſonarum numerus cernitur:& VI.Syn. Trinitas numeralis perſonalibus facta eſt ſubſiſtentijs.*

3 Prob.2.*ex Beatiſſ.P.7.de Trin.c.4;& ſeq;* vbi ait:*Pater ergo,& Filius,& Spiritus S; quoniã tres ſunt,quæramus, quid tres ſunt, & quid commune habeant?* Et ſibi reſpondet, non eſſe tres, ſicut ſunt tres homines, tria animalia,tres plantæ, quia iſta ita ſunt tria, vt habeant diſtinctam naturam; perſonæ verò Diuinæ ita ſunt tres, vt habeant eandem naturam, & differant ſolùm in relatione; & ideo numerus in Diuinis perſonis attenditur ſolùm penes relationes;& vnitas penes eſſentiam. Ex quibus ſic. Numerus tranſcendentalis propriè attenditur etiam ſecundùm illa,quæ realiter diſtinguuntur; ſed Diuinæ perſonæ realiter diſtinguuntur;ergo in illis propriè eſt numerus tranſcendentalis.

4 Quæres 1. an in Deo ſint abſolutè admittendæ tres entitates,veritates, & bonitates?

Reſp.*ex Fund.Doct.*negatiuè; *nam Beatiſſ. P.8.de Trin.c.1.*ait: *Quia in eſſentia veritatis hoc eſt verum eſſe,quod eſt eſſe; & hoc eſt eſſe,quod eſt magnum eſſe;hoc eſt ergo magnum eſſe,quod verũ eſſe;* & *lib.5.c.10. Eadem cauſa nec tres magnos eſſe dicimus,ſed vnum magnum,quia non participatione magnitudinis Deus magnus eſt,ſed ſe ipſo magno magnus eſt; quia ipſe eſt ſua magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum ſit, omnibuſque omnino prædicamentis,quæ de Deo poſſunt pronunciari, quod ad ſe ipſum dicitur.* Ex quibus arguit ſic *Fund. Doct.* Relatio nullum aliud habet eſſe, quàm eſſe eſſentiæ,quia ab *eſſe* dicta eſt *eſſentia*, vt docet *Beatiſſ.P.*ſicut *à ſcire ſcientia*;ſed entitas, veritas, bonitas important formaliter ipſum eſſe; vt diximus *To.1.de Trinit. art.1; & 2*; ergo entitates, veritates, & bonitates non pluriſicantur in Diuinis,quia non pluriſicatur eſſe, quod eſſentialiter important.

5 Conf. Iſta tria trãſcendẽtia dicũtur ad ſe; ſed id, quod dicitur ad ſe,non multiplicatur in Diuinis;ergo iſta tria non multiplicantur.

6 Obijc.*ex Sua.*Relationes multiplicantur; ſed relationes ſunt entitates,& bonitates, quia dicunt perfectionem; ergo multiplicantur entitates,& bonitates.

Reſp.diſt.mi. Relationes ſunt entitates, & bonitates per vnam rationem entitatis, & bonitatis tranſcendentaliter imbibitam in omnibus, conc;per multiplicem,neg.

7 Inſt. In Diuinis multiplicantur res; ſed res,ens,& bonum idem ſunt; ergo multiplicantur entitates,& bonitates.

Reſp. *ex Fundat. Doct.diſt.33.q.1.princ.3.* diſt.mi.Res,ens, & bonum idem ſunt, & ſumuntur per comparationem ad idem,neg; & ſumuntur per comparationem ad diuerſa, conc; nam relatio dicitur ens per comparationem ad eſſe, quod imbibit,& dicitur res ſolùm per comparationem ad terminum; vnde defectu termini non eſt realis, & ideo per comparationem ad eſſentiam relatio dicitur ratio, per comparationem autem ad terminum dicitur res, quapropter licèt ſint quatuor relationes, ſunt tamen ſolùm

tres

tres res, quia tres solùm sunt termini oppositi. *Vid. in sup. q. art. 2.*

8 Quæres 2: an Sanctitas multiplicetur in Diuinis?

Resp. neg. *cum Beatiss. P. vbisup*; nam sanctitas, sicut infinitas, & alia huiusmodi dicuntur ad se, quia non spectant ad rationem originis, vt patet; sicut neque spectant entitas, bonitas, & veritas, non enim sunt principium, aut actio originatiua alicuius personæ.

QVÆST. VII.

De Persona Patris in particulari.

Methodum continuò obseruantes ab vniuersali ad particulare procedimus. Quia tamen plurima dicere superiùs coacti sumus, ideo breuiter nos expediemus, & quidem priùs de persona Patris, quæ prima est, sermo erit.

ART. I.

Quæ Patri propriè competant?

1 Duo dicuntur propriè de solo Patre ita, vt de nulla alia persona valeant prædicari; scilicet paternitas, & innascibilitas; spiratio autem actiua dicitur de Patre communiter cum Filio. Hoc tamen est discrimen inter has notiones, quòd paternitas est directè proprietas constitutiua ipsius personæ Patris, quia importat quid positiuum distinguens Patrem à Filio, & Spiritu S. Innascibilitas autem importat directè negationem emanationis ab alio, & ideo non est directè proprietas, quæ nequit consistere in negatiuo; sed reducitur ad proprietatem, qui negatio reducitur ad suam affirmationem; non homo enim reducitur ad hominem, non esse armatum ad esse armatum, vt docet *Beatiss. P. 5. de Trin. c. 7; & Fundatiss. Doct. in 1. dist. 28. princ. 1. q. 2*; qui propterea *dist. 26. prin. 2. q. 3; et Quodl. 5. q. 2.* docet proprietates esse tantùm tres, notiones quinque, & relationes quatuor.

2 Ex hoc habetur, quòd paternitas est prima proprietas, sicut enim spiratio passiua ex eo, quòd sit proprietas Spiritus S. procedentis per voluntatē, quæ est potentia posterior intellectu, tenet tertium, & vltimum locum, cùm adæquatè compleat, & terminet Trinitatis mysterium; ita paternitas ex eo, quòd fundetur in intellectu, qui est potentia prior, habet esse prima proprietas; vnde cùm primum definiatur *illud, quod non habet aliud supra se*, sequitur, quòd idem sit Pater, ac principium sine principio.

3 Fundamentum autem proximum paternitatis est actus essentialis, quo communicatur natura, qui actus est intelligere, vt *sup.* dictum est; ex eo enim, quòd natura Diuina in Patre eliciat actum intellectionis, quo communicatur Verbo natura, resultat relatio paternitatis.

4 Innascibilitatis autem fundamentum; licèt *Aliqui* velint esse paternitatem, & spirationem actiuam; ex eo enim, quòd Pater actiuè generet, & spiret, habet, vt non possit esse ab alio per generationem, & spirationem, aliter simul esset generans, & genitum; aut spirans, & spiratum, propter quod habet esse simpliciter innascibilis; attamen dicendum *cum Beat. P. vbi sup*; quòd fundatur in sola paternitate, quia *oppositorum est eadem ratio*; sed esse genitum, quod opponitur ingenito, seu innascibili, fundatur in filiatione, quia idem est, quòd filiatio: ergo innascibilitas, quæ opponitur genito, fundatur in paternitate. Tum quia paternitas essentialiter est prima proprietas originis, & primum essentialiter negat omne supra se: ergo paternitas, vt paternitas, negat omnem emanationem, & per consequens dicit innascibilitatem, quæ est negatio omnis emanationis.

5 Quæres; an innascibilitas importet negationem propriè dictam?

Resp. affirmatiuè *cum Fund. Doct. dist. 28. princ. 1. q. 3.* Est *cont. nostrum Gibb*: nam in Patre, quia essentialiter est principium sine principio, est incapacitas, & ineptitudo ad nasci. Et licèt hęc capacitas sit in aliquo indiuiduo sui generis; quia est in Filio, hoc tantùm facit, quòd si non daretur in Filio, in illo esset priuatio. Sicut licèt in aliquo in genere animalis sit capacitas ad intelligendum, non tamen facit, quòd carentia intellectionis in equo non sit vera negatio; negatio enim respicit subiectum, in quo est; non subiectum, in quo non est, & ideo aptitudo, quam importat priuatio, respicit subiectum, in quo est, non illud, in quo non est; ergo aptitudo ad nasci, quæ est in Filio, non est sufficiens ad constituendam priuationem nascibilitatis in Patre.

ART. II.

Quænam appropriatè dicantur de Patre?

1 Aliqua prædicata cōmunia tribus personis Diuinis posse appropriari tantùm vni sic probat *Beatiss. P. 15. de Trin. c. 17*; & ex illo *Fundat. Doct. dist. 31. princ. 2. q. 1*; nam *Io. Epist.* habetur, quòd Deus est charitas; & quòd charitas ex Deo est; sed charitas est communis omnibus; propterea dicitur *Deus charitas est*; & esse ex Deo non est commune omnibus; quia Pater ex nullo est; ergo prædicatum commune potest sumi appropriatè. Tum quia licèt lex cōmuniter significet totum vetus Testamentum, aliquādo tamē sumitur appropriatè pro sola lege *per Moysem*, aut per *Prophetas*, vt cùm Christus Dominus dixit: *Quæ scripta sunt in lege Moysis &c*; ergo à pari.

2 Ratio autē, quare *Scriptura, & SS. PP.* appropriauerint personis Diuinis aliqua prædica-

ta

ta communia, traditur *à Fund. Doct. vbi ſup*; nam per prædicata appropriata, quatenus habent ſimilitudinem cum proprijs, ducimur in cognitionem eorum, quæ ſunt propria; & hoc maximè vtile fuit ad euertendas potiſſimùm hæreſes *Arrij*; *& Sabellij*, vt per prædicata communia oſtenderetur vnitas in ſubſtantia *cont. Arium*; & per prædicata appropriata oſtenderetur trinitas perſonarum *cont. Sabellium*.

3 Vnica concl. Patri appropriatur potentia, æternitas, & vnitas; ſicut Filio appropriatur ſapientia, ſpecies, æqualitas; & Spiritui S. charitas, vſus, & nexus, ſeu concordia.

4 Prima appropriatio traditur *in Scriptura*; vbi potentia appropriatur Patri; nam ſicut potentia importat rationem principij; ita appropriatur Patri, qui eſt principium totius Trinitatis; hinc dicitur *in Symb. Eccl. Patrem omnipotentem*; & quia Filio competit procedere per intellectum, cuius propria eſt ſapientia, ideo ei appropriatur ſapientia; ait enim *Apoſt. Chriſtus eſt virtus, & ſapientia Patris*; & quia Spiritui S. conuenit procedere per voluntatem; ideo ei appropriatur charitas; hinc dicitur: *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.*

5 Secunda appropriatio traditur *à D. Hilario*, quam ſic explicat *Beatiſſ. P. 6. de Trin. c. vlt*; *& ex illo Fund. Doct. vbi ſup. q. 2.* Quia æternitas dicit carentiam principij, ideo appropriatur Patri, qui eſt principium ſine principio; & quia ſpecies repræſentat id, cuius eſt ſpecies, ideo appropriatur Filio, qui, cùm ſit imago Patris, habet ipſum repræſentare; & quia vſus dicit maximam ſuauitatem, & delectationem vtentis, ideo appropriatur Spiritui S; qui, cùm ſit amor Patris, & Filij, importat maximam delectationẽ, & ſuauitatem, cùm in amore conſiſtat felicitas, & beatitudo, in qua eſt omnis dulcedo, ſuauitas, & delectatio.

6 Tertia appropriatio traditur *à Beatiſſ. P. 6. de Trin. c. 5*; & explicatur *à Fund. Doct. vbi ſup. q. 3.* ſic. Quia vnitas eſt principium numeri, & non habet aliud ſupra ſe, à quo deſcendat, ideo appropriatur Patri, qui eſt principium ſine principio; & quia Filius procedit, vt Verbum perfectum, de cuius ratione eſt adæquari cum ſuo principio; & eſt imago perfecta, de cuius ratione eſt adæquatè imitari id, cuius eſt imago, ideo ei appropriatur æqualitas; & quia nexus habet coniungere vnum cum alio, ideo appropriatur Spiritus S; qui nectit amorem Patris, & Filij.

7 Collig. *ex Fund. Doct. q. 3.* Omnia eſſe vnum propter Patrem, quia ab illo eſt natura, in quo ſunt vnum. Omnia æqualia propter Filium, quia ab ipſo eſt relatio rationis adæquationis, per quam dicuntur æqualia, & omnia eſſe connexa propter Spiritum S; quia ipſe eſt nexus Patris, & Filij; cùm ſit amor vtriuſque. *Videatur loc. cit*; vbi fusè agit de hac materia.

ART. III.

An Pater dicat, & intelligat Verbo, & amet Spiritu Sancto.

1 Quia *Beatiſſ.* P. aliquando ait Patrem dicere ſe Verbo; & Patrem, & Filium amare ſe Spiritu Sancto; vt *6. de Trin. c. 5; & lib. 15. c. 10; & ſeq*; aliquando autem Patrem non eſſe ſapientem ſapientia genita; quia cùm ſapere ſit idem, quod eſſe; ſicut Pater non eſt Filio, ita nec ſapit Filio; vt *7. de Trin. c. 1*; aliquando Patrem ſcire ſe in Filio, & in Verbo, non verbo, & Filio; vt *15. c. 14*; & alibi; ideo, vt hæc concordentur *Fund. Doct. ſimul cum Mag.* de hoc pertractat *diſt. 32.* per totam. Quare

2 Not; autem quòd adiectiuum in Diuinis duplex eſt; aliud, quod ex vi ſuæ ſignificationis formalis importat actionem notionalem; vt *dicere*; aliud, quod ex vi ſuæ ſignificationis importat actionem eſſentialem; vt *intelligere*. Præterea illud, quòd importat actionem eſſentialem, aliud eſt, quod coniunctum cum relatione conſtituit actionem notionalem; vt *intelligere* coniunctum cum paternitate conſtituit *dicere*; quia per intelligere Patris procedit Filius; aliud, quod non conſtituit actionem notionalem, vt *ſcire* attributale; per quòd non procedit Filius.

3 Verbum autem notionale, vt docet *Fund. Doct*, idèſt productiuum perſonæ Diuinæ, tria importat; ſcilicet principium formale elicitiuum talis actionis; ipſam actionem productiuam; & ipſum terminum productum; & omnibus his tribus denominatur ipſa perſona producẽs; vt v.g. ignis dicitur calefaciens calore exiſtente in ipſo igne; & ipſa calefactione; & calore producto in ligno.

4 Igitur Pater, quia per *dicere* producit Verbum, dicitur dicere ſe intellectu, tanquam principio, quo dicit; & dicere ſe actione, tanquam actu; & Verbo, tanquam termino producto. Et ita Pater, & Filius diligũt ſe Spiritu S; qui eſt terminus productus per dilectionẽ vtriuſq;.

5 Quamuis autem dicere, & generare in Deo ſit idem, ſicut idẽ eſt diligere, & ſpirare; nõ tamen valet, quòd Pater, ſicut dicit, & diligit ſe, ita generet ſe, & ſpiret ſe; quia dicere, & diligere ſecundùm ſuam propriam ſignificationem important actiones reflexiuas ſupra ſe; quia important actiones intellectuales; at verò generare, & ſpirare ex vi harum vocum non important actiones reflexiuas, ſed tantùm productiuas alterius; ideo nequeunt cadere ſupra ipſum generans, & ſpirans.

6 Præterea quia *intelligere* explicat actum eſſentialem in ſe, qui coniunctus cum paternitate conſtituit *dicere*; & ideo ſolùm, prout eſt in Patre, generat; ideo dicimus Patrem intelligere ſe in Verbo. At verò, quia ſapere explicat actionem attributalem, per quam non procedit Verbum; ideo Pater non dicitur ſapiens Filio, nec ſapere in Filio.

7 Quan-

7 Quando ergo *Beatiſſ.P.* ait, quòd Pater noſcit ſe in Filio, loquitur de intelligere eſſentiali, quod coniunctum cum paternitate generat Filium; quando autem ait non ſapere ſe in Filio, loquitur de ſapientia, prout eſt attributũ. Sicut non dicimus Patrem ſpirare in Filio, punire, &c.

8 Obſeruat tamen *Fund.Doct.princ.1.q.2.*, quòd licèt dicatur: *Pater intelligit ſe in Filio*; non tamen dicitur: *Pater amat ſe in Spiritu S*; etianſi amare ſumatur eſſentialiter; quia diligere habet alium modum ſignificandi diuerſum à modo ſignificandi, quem habet intelligere; nam intelligere eſſentiale habet eſſe in ſe, quia in intelligendo fit motus rerum ad animam; & ideo retinet modum ſignificandi *in*. At verò amare haber eſſe *ad*; quia fit motus animæ ad res; & ideo nequit ei competere diligere in ſuo amore producto; ſed tantùm diligere amore.

9 Quæres 1; an Spiritus S. amet ſe ipſum amore notionali?

Reſp. *D.Doct.vbiſ.*, poſſe dici diligere ſe ipſum amore notionali, quatenus diligit ſe ipſum per ſe ipſũ, & cùm ipſe ſit amor notionalis, ideo poteſt dicere amare ſe ipſum notionaliter.

10 Quæres 2; an Deus dicat creaturas Verbo; & eas amet Spiritu S?

Reſp. *B.Doct.q.3.* affirmatiuè; & patet ex dictis *q.3.art.17; & q.4.art.1*; nam emanationes ad intra ſunt rationes emanationum ad extra.

QVÆST. VIII.

De Perſona Filij.

DE ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis perſona vix quidquam ſupereſt declarandum, quod non egerimus *q.3*; cùm haberemus de eius proceſſione ſermonem.

ART. I.

An Filius dicatur propriè Verbum, & Imago Patris?

1 TItulus poteſt intelligi in duplici ſenſu. 1. an ratio Verbi, & Imaginis propriè, & formaliter reperiatur in Diuinis? 2. an reperiatur ſolùm in Filio, & ideo an ſit perſonale, & proprium ſolius perſonæ Filij, ſicut illi ſolùm propria eſt filiatio? Primum ſoluemus *in præſenti*; ſecundum *in ſeq.art.*

2 Not. *ex Fund.Doct.diſt.27.princ.2.q.1*; quòd verbum propriè dictum duo importat. 1. quòd ſonet veritatem, dicitur enim verbũ quaſi *verum boans*, ideo *Beatiſ.P.15.de Trin.c.15.* docet: *At enim nec verbum dicendum eſt, quod verum non eſt.* 2. quòd manifeſter, exprimat, & repræſentet id, cuius eſt verbum.

3 Ad rationem autem imaginis ait *Fundat. Doct.diſt.28.princ.2.q.1.* quatuor requiri, duo ex parte naturę, & duo ex parte ſuppoſiti. 1. Ex parte naturæ requiritur ſimilitudo; vt docet *Beatiſ. P.lib.83.qq.q.38*; vbi ait: *Omnis imago eſt ſimilis.* 2. quòd ſit æqualis, ſi ſit imago perfecta; propterea ſubdit idem *Beatiſ. P. Sed non omne ſimile eſt imago.* 3. ex parte ſuppoſiti requiritur, quòd producatur ab illo, cuius eſt imago; vnde *6.de Trin.c.vlt.* dicitur: *Imago ſi perfectè implet illud, cuius imago eſt, ipſa coæquatur ei, non illud imagini*; propterea Filius dicitur imago Patris, non è contra. 4. quòd dicat relationem ad illud; hinc docet *idem Beat.P.7.de Trin.c.1. Nihil eſt abſurdiùs, quàm imaginem ad ſe dici*; quia nullus poteſt imitari de ipſum. Et hæc colliguntur etiã *ex Phil.6.Top*; vbi definiens imaginem ait: *Eſt illa, cuius generatio eſt per imitationem.* In quantùm enim generatur, debet produci ab illo, & referri ad illud ſaltem, vt ad principium exemplare; imitatio enim pertinet ad cauſam exemplarẽ. In quantùm eſt per imitationem, dicit ſimilitudinem, & ſi ſit perfecta, dicit æqualitatem. *His not.*

4 Vnica concl. Filio competit verè, & propriè ratio Verbi, & Imaginis.

Prob. 1. *ex Scripturis*; nam *Io.1.* dicitur. *In principio erat Verbum; & Sap.7. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculũ ſine macula, & imago bonitatis illius*; quæ dicuntur de Filio, cui ſolùm appropriatur ſapientia, & ſpeculum.

5 Prob. 2. ratione *Beatiſſ.P.vbiſ.* Illud habet verè, & propriè rationem verbi, cui verè, & propriè competit exprimere veritatem; & quod eſt repræſentatiuum illius, cuius eſt verbum; & illud habet rationem imaginis, quod producitur, vt ſimile, & æquale, & dicit relationem ad illud, ſed Filius eſt huiuſmodi, vt patet; ergo ei competit verè, & propriè ratio Verbi, & Imaginis.

6 Conf. Filius verè producitur per intellectum, vt terminus intellectionis, & ideo, vt ſimilis æqualiter in natura; ſed quod procedit per intellectum, vt terminus intellectionis, eſt Verbum, & quod procedit, vt ſimile æqualiter, eſt imago; ergo Filius verè, & propriè habet rationem imaginis.

7 Collig. ex his rationem Filij, Verbi, & Imaginis eſſe vnam ſpecificè, quia per idem eſt Filius, Verbum, & imago; & ideo vnam tantùm dicere relationem, vt diximus *q.5.art.2.*

Obiect. *vid.q.3.art.18.*

ART. II.

An Verbum, & imago dicantur tantùm notionaliter de Filio?

1 SEnſerunt aliqui Antiqui, vt refert *Fund. Doct.diſt.27.princ.2.q.2*; Verbum nihil aliud eſſe, quàm ſpeciem intelligibilem impreſſam,

sam, vel operationem intellectus, & ideo essentialiter, non notionaliter dici. Tribuitur etiam *Dur.dist.27. q.3.*

2 Sed hæc sententia reijcitur manifestè *ex Scriptura*: dicitur enim *Io. 1. In principio erat Verbum;& Verbum caro factum est*;Fides autem docet solùm Filium incarnatum fuisse; & ideo soli Filio competit nomen Verbi; quapropter dicitur *Apoc. 19. Nomen eius Verbum Dei*; vbi expressè sermo est de Filio Dei: hinc *Beatiss. P. 5.de Trin.c.11.*ait:*Pater,& Filius non simul ambo sunt Verbum, sed solus Filius est Verbum; & lib.7. c.1. Verbo sibi æquali, atque semper incommutabili Pater seipsum dicit, non tamen ipse est Verbum.sicut nec Filius,nec imago*. Et rationem tradit *ibid*; nam Pater nō habet esse per Filium; ergo neque sapere;esse enim,& sapere idem est; sed intelligens est sapiens per suam intellectionem, & per speciem intelligibilem; ergo Verbum nō est species intelligibilis, aût intellectio.

3 *Alij* voluerunt Verbum sumi simul essentialiter,& notionaliter; quia putarunt importare absolutum cum quodam respectu, vt importat scientia. Tribuitur *Aliquibus à Fundatiss. Doct.*suppresso nomine, inter quos censetur *D. Tho.in 1.dist.27.q.2.art.2*; quam sententiam retractauit *in Sum;& q.4.de Verit.art.2.* Illam tamen sequuntur*Capr;Val.hic disp.2.q.1.punct.1; & 3;& aliqui iuniores Thom.* vidētur inclinare.

4 Vera tamen sententia docet Verbum in Diuinis sumi tantùm notionaliter. *Ita Fundat. Doct.vbi sup*;& cōmuniter *nostra Schola*; *D.Bon. dist.27.p.2. q.1*; *D.Tho. q.34. art.1*; *Caiet*; *Scot*; *Gabr;& alij ferè omnes.*

5 Vnica concl.Verbum,& imago sumuntur solùm notionaliter.

Prob.1.*ex Scripturis sup.allatis.2.ex Beatiss.P.5. de Trin.c.3*; vbi docet: *Relatiuè dicitur Filius,& relatiuè dicitur Verbum, & imago,& in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur, & lib. 7.c.2.Verbum nō ad se dicitur,sed tantùm relatiuè ad id,cuius est Verbum, sicut Filius ad Patrem*;& paulò post: *Verbum enim relatiuè, sapientia verò essentialiter intelligitur*; ac deinde. *Sapientia in vno eorum eo,quod nata est,& Verbum,& imago, & Filius intelligatur.*Ex quibus sic.Filius solùm notionaliter dicitur, non essentialiter; sed Verbum,& imago dicuntur,sicut dicitur Filius;nam Filius dicitur, quia procedit per intellectum, cuius est assimilari in natura;quo pacto etiam dicitur Verbum,& imago;ergo Verbum,& imago solùm notionaliter dicuntur.

6 Conf.1. Id,quod dicitur relatiuè, dicitur solùm notionaliter,quia relatio est natio,vt *sup.* dictum est, & relatiuum est notionale; sed Verbum dicitur relatiuè ad Patrem; dicitur enim Verbum Patris, & Pater Verbi; ergo Verbum solùm notionaliter dicitur.

7 Cōf.2.Si Verbū diceretur essētialiter,Pater etiā esset Verbū;quia essentialia dicuntur de singulis personis;sed hoc est falsum;ergo & ant.

8 Prob. 2. Fides docet Verbum esse personam incarnatam; sed persona incarnata dicitur notionaliter; ergo Verbum solùm dicitur notionaliter.

9 Obijc. 1.*Beat.P.7.de Trin.c.10.*ait:*Quamuis sint tres,qui dicunt,non tamen esse ibi,nisi vnū Verbum*; ex quo videtur colligi commune esse tali Trinitati dicere Verbum.

Resp.hæc verba non haberi *loco cit*; haberi tamen expressè,quòd Verbum notionaliter tantùm dicitur,quia dicitur:*Sicut Verbum,quod non dicitur, nisi Filius,aut donum, quod non dicitur, nisi Spiritus S.*Si alibi autem hoc dicit, loquitur solùm per comparationem ad creaturas, quas omnes personæ producunt per intellectum,non autem per comparationem ad productionem Verbi; vnde licèt dicere respectu creaturarum sit essētiale,attamen respectu productionis Verbi est notionale.

10 Obijc.2.Spiritus S.dicitur solùm appropriatè de tertia persona; nam etiam Patri,& Filio conuenit esse Spiritum,& Sanctum,idèst bonum; ergo & ratio Verbi dicitur solùm appropriatè de Filio, & ideo essentialiter, non notionaliter.

Resp.*Beatiss.P.5.de Trin.c.11.*dist.ant.Spiritus S;prout dicit esse spiritum, seu productum per spirationem, neg; prout dicit naturam summè immaterialem habentem summam bonitatē, conc;& neg.cons;quia Verbum importat solùm esse productum per intellectum.

11 Quæres,quænam prędicata dicantur appropriatè de Filio?

Resp.Dici sapientiam,speciem, & æqualitatem,vt diximus *in sup.q. art.4*;& vltra hæc dici etiam *Ideam*, & *Artem factiuam* creaturarum;cùm enim Idæa sit repræsentatiua omnium, ideo appropriatur Verbo, quod habet omnia repræsentare, & cùm Ars sit partus intellectus, ideo appropriatur Filio,qui per intellectum gignitur; attamen quia actiones, quæ respiciunt creaturas sunt communes Trinitati, ideo Idæa, & Ars sunt quid essentiale,& ideo important essentiam, vt immitabilem à creaturis, & vt factiuam creaturarum.

QVÆST. IX.

De persona Spiritus Sancti.

SPiritum S.procedere etiam à Filio docuimus *q.4.art.1*; ideo agere de persona Spiritus S. succedere debet notitiæ traditæ de persona Filij; quia tamen per omnia diximus, cùm de eius processione ageremus,ideo non multum est immorandum.

ART.

A R T. I.

An Spiritus Sanctus dicatur Amor, & Donum notionaliter?

1 NOt. *ex B.Doct. in* 1.*dist.* 10. *princ.t.q.* 2;quòd sicut intellectio alia est essentialis, qua Diuinæ personæ communiter se intelligunt,& alia notionalis,qua producitur Verbum;ita amor alius est essentialis, quo personæ communiter se amant; & alius notionalis, quo producitur Spiritus S. Hæc autem est differentia inter intellectionem,& amorem notionalem, quòd terminus productus per intellectionem vocatur Verbum; terminus autem productus per amorem notionalem vocatur etiam amor ob deficientiam, qua laboramus vocabulorum, vnde *hic* Amor sumitur pro termino producto per actum notionalem voluntatis, qui est spirare,non autem sumitur pro ipso actu,quo formaliter fit spiratio.*Hoc supp.*

2 Vnica concl.Spiritus,Amor,& Donum dicuntur propriè, & notionaliter solùm de tertia Sanctiss. Trinitatis persona, sicut diximus de Filio,Verbo,& Imagine.

Prob.1.*ex Scripturis*;nam de ratione *Spiritus* dicitur *ad Gal.* 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui;& Matt.*10. *Sed Spiritus Patris vestri,qui loquitur in vobis*; super quæ *Beatiss.P.*15.*de Trin. c.*26.ait:*Scriptura Sancta Spiritum eum dicit amborum;& lib.*5.*c.*11.postquam dixit,quòd Pater, & Filius appellantur etiam Spiritus S. essentialiter, tradit,quòd notionaliter ratio spiritus dicitur de Spiritu S. *Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter.* Et de ratione *Amoris Io.in Epist.*1.*c.*4.*Dilectio ex Deo est*; super quod *Beat. P.ibid. c.* 17. *Siue ergo significatur, vbi legitur, Deus igitur Spiritus S; qui procedit ex Deo.* Tandem de ratione *Doni Io.* 4. *Si scires Donum Dei; & ad Ephes.* 4. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem*; super quod *idem Beatiss.P. ibid. c.*19. ait: *Notissimum est autem Dominum Iesum, cùm post resurrectionem à mortuis ascendisset in Calum, dedisse Spiritum S.* Et *lib.*5. *de Trin.c.*11. *Vocatur donum amborum Spiritus S.* Et *c.*12. *Dicimus Donum Donatoris,& Donatorem Doni.*

3 Ex quibus prob. sic. Illa persona dicitur propriè, & notionaliter Spiritus,Amor, & Donum,quæ procedit per voluntatem, quę propriè fertur in res per modum *impetus*, qui sonat idē, ac *Spiritus*, & cuius terminus productus est Amor, & quæ producit, vt data: sed Spiritus S. procedit per voluntatem: ergo dicitur propriè Spiritus,Amor,& Donum.

4 Conf. Illud dicitur propriè in Diuinis, quod dicitur relatiuè,& de vna tantùm persona: relatiua enim, quæ dicuntur de vna solùm persona,sunt propria, sicut essentialia sunt communia: sed ratio Spiritus, Amoris, & Doni dicitur relatiuè solùm de Spiritu S; dicitur enim Spiritus Patris,& Filij,Amor vtriusque, & Donum Patris datiuè, & acceptiuè Donum Filij; ergo dicitur propriè de Spiritu S. *Vid*; quæ diximus *in sup.q.art.*1.

5 Quæres; quænam appropriatè dicantur de Spiritu Sancto?

Resp. dici charitatem, vsum, & nexum, seu communionem,vt diximus *q.*7.*art.*2.Cetera autem, vt Ignis, Aqua,Columba &c.dicuntur tantùm translatè, de quibus *in seq. q.* magis explicatum sermonem habebimus.

Q V Æ S T. X.

De Missionibus Diuinarum Personarum.

QVanuis actiones Dei, quæ respiciunt creaturas,sint indiuisæ, & communes Trinitati, quia sunt à Deo,vt vnus est,non vt trinus; & ideo de ipsis agere ad hunc locum non spectet, vbi agitur solùm de Deo,vt trinus;attamen quia sunt aliquæ actiones,quæ dicunt aliquem respectum ad personas,prout distinguuntur inter se,& sic acceptæ non dicuntur de omnibus, vt sunt missiones;ideo de illis *hic* remanet agendum.

A R T. I.

An,quid,& quibus competat missio?

1 QVoad 1.est dogma Fidei traditū *ab omnibus Euangelistis* dari missionem Diuinarum personarum ad creaturas; habetur enim *Io.*5.*Ipsa opera,quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me.Et Matt.*15.ait Christus Dominus: *Non sum missus,nisi ad oues,quæ perierant.Et Matt.*9.*Quicunque me susceperit, non me suscipit,sed eum, qui misit me. Et Luc.*9. *Quicunque me recipit, recipit eum,qui misit me.*Et de Spiritu S.*Io.*16.ait Christus Dominus: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.Et* 14.*Quem mittet Pater in nomine meo.* De hac duplici missione disertè discurrit *Beatiss. P.* 4.*de Trin.c.*19.*& seq; vbi c.*20. ait de Filio sup. illud *Sap.*7. *Mitte illam à sede magnitudinis tuæ Ab illo ergo mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum.Ab illo mittitur,de quo natum est. Mittit,qui genuit; mittitur, quod genitum est.* Et paulò post: *Non ergo,quo de Patre natus est,missus dicitur Filius; sed vel eo, quòd apparuit huic Mundo, Verbum caro factum est.* Et *inf.* de Spiritu S. *Quod ergo ait Dominus: Quem ego mittam vobis à Patre;ostendit Spiritum,& Patris,& Filij esse.*Prob. autem *à Fundatiss.Doct.in* 1.*dist.*15.*princ.t.q.*1. sic.Missio formaliter tria importat ex parte mittentis, & tria ex parte termini, ad quem fit missio;ex parte quidem mittentis, quod vel det esse misso; sic Sol dicitur emittere radium;vel det

ei virtutem, sic motor det virtutem mobili, vel det ei auctoritatem; sic Pontifex dicitur mittere Legatos;& ex parte termini vel vt operetur in illo; sic Dominus mittit operarios in vineam,vel vt quiescat in illo; vt lapis mittitur deorsum;vel vt missus habeatur à termino; vt donum mittitur alicui. Quòd autem missus moueatur localiter,quòd separetur,& quòd subijciatur mittenti,per accidens se habent ad missionem, & conueniunt solùm missioni creatæ, quę importat has imperfectiones; sed personæ Filij, & Spiritus S. conuenit accipere esse,& virtutem, & auctoritatem,seu potestatem ab alio;omnia enim,quę habet Filius, habet à Patre; & omnia, quæ habet Spiritus S;habet à Patre,& Filio;& Filio,ac Spiritui S.conuenit inhabitare creaturas, operari in eis,& haberi ab ipsis;ergo missio verè,& propriè datur in Diuinis personis.

2 Quoad 2. difficultas est; nam *Aliqui* volunt importare solam causationem effectus,quæ temporalis est. Tribuitur *Mag; D.Bon; & Scot. apud Io.à S.Tho.hic disp.17.art.1. Fundat.Doct. tamen hic q.2.; & cum ipso omnes alij Theologi* docet importare aliquo modo Diuinam emanationem vnius personæ ab alia; & causationem effectus in tempore,quę causatio, cùm sit ab essentia,quia actiones ad extra sunt indiuisæ;ideo importat essentiam.

3 Tria ergo importat missio.1.Essentiam, cuius est actio. 2. respectum ad personam originatam, quæ mittitur; & ad personam originantem, quæ mittit. 3. creaturam temporalem, ad quam fit missio. Primum patet, quia cùm missio sit actio ad extra,& omnis actio dicat ordinem ad suum principium;ideo missio importat essentiam.Secundum habetur *ex Beatiss.P;* nam vt,superiùs dictum est: *Mittit,qui genuit;& mittitur, quod genitum est.*Ex quo sic.Missio *ex Scripturis, & SS. PP.* dicitur solùm per ordinem ad Diuinas emanationes, seu origines; ergo importat necessariò respectum ad personas notionaliter sumptas. Tum quia secus omnes tres personæ mitterentur,sicut omnes creant; nam in tantùm omnes creant, in quantùm creatio nullum dicit ordinem ad personas,prout inter se distinguuntur;ergo à pari.Tertium quoque traditur *à Beatiss. P. vbisup: Non ergo,quo de Patre natus est, missus dicitur Filius; sed vel eo, quòd apparuit huic Mundo;* quod etiam repetit inferiùs, vt notat *Fundatiss.Doct,*nam missio essentialiter est ad aliquem terminum,vt dictum est; sed hic terminus est creatura;ergo dicit respectū ad creaturā.

4 Dices. Missio non dicit aliquid per modum originis; quia Dominus non producit seruum,& tamen eum mittit.2.Missio est temporalis; ergo non dicit respectum ad origines, quæ sunt æternæ. 3. Missio est libera simpliciter;ergo non dicit ordinem ad origines,quæ sunt necessariæ.

Resp.ad 1.*ex Fundat.Doct.vbisup.*quòd licèt missio facta à creatura nō exigat productionem; exigit tamen acceptionem potestatis à mittente; cùm autem in Diuinis persona missa non accipiat potestatem à mittente nisi per originem; ideo missio Diuina dicit respectum ad origines. Ad 2.& 3.dicitur,quòd creatura,licèt sit temporalis,& libera, attamen dicit ordinem ad omnipotentiā,quæ est æterna,& necessaria; ita à pari.

5 Quæres; an missio importet principaliùs essentiam,quàm originem?

Resp.*B.Doct.*principaliùs significare essentiam, & ex consequenti notionem, quia missio est actio ad extra, quæ principaliter significat suum principium,quod est essentia.

6 Ex his habetur, quòd *missio Diuina est exitus, seu processio ad extra vnius personæ ab alia dicens ordinem ad originem æternam, & ad creaturas temporales, vt ad terminum.*

7 Quoad 3.dicendum, quòd prout mittere dicit actionem simpliciter productiuam,conuenit omnibus personis, & ideo vna persona dicitur mittere se ipsam,quia actiones ad extra sunt indiuisæ; sed in hoc sensu mittere non sumitur propriè, quia mittere importat in misso acceptionem potestatis à mittente. Prout autem mittere dicit in misso acceptionē potestatis à mittente,in quo sensu missio dicitur propriè,vt docet *Beat.P.4.de Trin.c.20.* vbi ait: *Verbum missum,vt homo fieret,quia non secundùm imparem potestatem,vel substantiam,vel aliquod,quod Deo Patri non sit æquale,missus fuit,*mittere non conuenit omnibus personis, nec vna persona mittit se ipsam;quia Pater non accipit potestatem à Filio,aut à Spiritu S; aliter acciperet esse,cùm potentia sit idem, quod esse; ideo in hoc sensu Filius nequit mittere Patrem; nec Spiritus S. potest mittere Filium,aut Patrem;nec vna persona mittere se ipsam;sed solus Pater potest mittere Filium, quia solus Pater dat esse, & per consequens potestatem Filio; & Filius accipit à Patre,& Pater,ac Filius possunt mittere Spiritum S;quia dant illi esse,& posse: propterea quamuis actiones ad extra sint indiuisæ;attamen Pater dicitur operari per Filium;vt dicitur *Io. 1. Omnia per ipsum facta sunt*; non tamen Filius dicitur operari per Patrem, & Pater, & Filius dicuntur operari per Spiritum S; non tamen è contra; & ideo *Beatiss.P.6.de Trin.c.vlt.* docet illa verba: *Ex quo omnia, per quem omnia,in quo omnia*; non esse confusè accipienda pro omni persona, sed distinctè pro tali persona.

8 Deducitur ergo, quòd omnes personæ Diuinæ propriè non dicuntur mitti, quia non omnes generantur,aut spirantur,nec omnes dicuntur mittere,quia non omnes generant, aut spirant, & ideo nec Patrem posse mitti à Filio, aut Filium à Spiritu S: nec Filium posse mittere Patrem,aut Spiritum S.mittere Patrem, aut Filium,hinc docet *Beat.P.4.de Trin.c.20. Sed Pater,cùm ex tempore à quoquam cognoscitur, non* di-

dicitur miſſus,non enim habet,à quo miſſus ſit,aut ex quo procedat.Sapientia quippe dicit:Ego ex ore Altiſſimi prodiui. Et de Spiritu S.dicitur: A Patre procedit,Pater verò à nullo . Vid.B.Doct.vbiſup.

ART. II.

Quotuplex ſit miſſio?

1 Diuiditur.1.miſſio in viſibilem,& inuiſibilem. *Ita Beatiſs.P.4. de Trin.c.*20; vbi loquens de ſapientia air. *Sed aliter mittitur, vt ſit eum homine, aliter miſſa eſt, vt ipſa ſit homo.In animas enim ſanctas ſe profert,atque amicos Dei, & prophetas conſtituit, ſicut etiam implet Sanctos Angelos;& omnia talibus miniſterijs congrua per eos operatur . Cùm autem venit plenitudo temporis , miſſa eſt , vt non impleret Angelos , nec vt eſset Angelus , niſi in quantùm conſilium Patris annunciabat , quod & ipſius erat; nec vt eſset cum hominibus , aut in hominibus ; hoc enim & antea in Patribus , & Prophetis , ſed vt ipſum Verbum caro fieret , idèſt homo fieret,in quo futuro reuelato ſacramento etiam eorum ſapientium,atque ſanctorum ſalus eſſet, qui, priuſquam ipſe de Virgine naſceretur,de mulieribus nati ſunt, & in quo facto , atque prædicato ſalus ſit omnium credentium,ſperãtium,diligentium. Hoc enim magnum pietatis eſt ſacramentum, quod manifeſtatũ eſt in carne , iuſtificatum eſt in ſpiritu , apparuit Angelis,prædicatum eſt gentibus,creditum eſt in Mũdo,aſumptum eſt in gloria.*Ex quibus infertur miſſionem inuiſibilem eſſe,*qua perſona Diuina mittitur ad inhabitandam,& ſanctificandam animam;viſibilem verò, qua externa apparitione dignoſcitur.Vid.Fund.Doct.diſt.*16. *princ.*1.*q.*1.

2 Differt autem vtraque miſſio ab apparitione; nam aliqua perſona poteſt apparere , & ſanctificare animam,non tamen mitti,quia non procedit ab alio,nec accipit poteſtatem ; nulla autem perſona poteſt viſibiliter mitti , niſi ſenſibiliter appareat.*Ita Fundat.Doct.vbi ſup.*

3 Item diuiditur miſſio iuxta diſtinctionem perſonarum,quæ mittuntur , idèſt in miſſionem Filij,& Spirit.S. ſiue inuiſibiliter,ſiue viſibiliter.

4 Miſſio inuiſibilis Filij eſt,qua imbuitur homo ſapientia, & cæteris donis,quæ appropriantur Filio ; & quæ conſtituunt homines prophetas,idèſt videntes,ſeu agnoſcentes Deum;miſſio autem inuiſibilis Spiritus S.eſt,qua ſanctificatur anima,& redditur amica Dei. Et licèt nunquam fiat miſſio inuiſibilis Filij , quin ſimul fiat miſſio inuiſibilis Spiritus S;dicitur enim *Sap.*1.*In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* ; attamen iſtæ duæ miſſiones diſtinguuntur inter ſe , quia,vt docet *Fund.Doct.diſt.*15.*p.*2.*princ.*1. *q.*2; Miſſio ſumitur ex eo,quòd vna perſona operatur per aliam, v.g.Pater per Filium; nequit autem vna perſona operari per aliam , niſi quatenus diſtinguitur ab illa; tum quia miſſiones ſumuntur à proceſſionibus,ſed proceſſiones differũt; ergo & miſſiones.

5 Præterea miſſio inuiſibilis differt à viſibili,quòd illa fuit facta ante Incarnationem Chriſti Domini *Beatiſſ.Virgini*, cuius anima fuit illuminata,& ſanctificata pleniùs,quã quælibet alia creatura; propterea dixit Angelus: *Aue gratia plena*;& Prophetis,ac Patriarchis: vt docet *Beatiſſ.P.*4.*de Trin. c.*20; miſſio autem viſibilis Filij facta eſt ſolùm in Incarnatione , & poſt Incarnationem Spiritus S. Apparitiones autem factæ *PP.antiquis* fuerunt per Angelos,vt docet *Beatiſs. P.* 3.*de Trin.c.*1.

6 Tandem differt miſſio viſibilis Filij à miſſione viſibili Spiritus S; quòd illa eſt vna tantùm ; ſemel enim Filius apparuit in carne , nec aliam ſumpſit figuram. Miſſio autem Spiritus S. eſt multiplex , quia ſub pluribus ſpeciebus dignatus eſt apparere . De miſſione Filij viſibili agemus *in* 3.*ſent*. Aliqua occurrunt de Spiritu S.*hic* explicanda.

7 *Fund.Doct.in fine diſt.*16.*§.ſuper lit.Mag.* aſſignat varias ſpecies miſſionis Spiritus S: quarum prima fuit ſub ſpecie Columbæ in Iordane, quando Chriſtus Dominus *à Ioanne* baptizatus fuit; cui dictum fuerat . *Super quem videris Spiritum deſcendentem, ſicut Columbam, & manentem ſuper eum, ipſe eſt, qui baptizat in Spiritu S.* Super quod *Beatiſs.P.Tract.*4;5;& 6. plurima habet . Quare autem Spiritus S. apparuerit in Columbę ſpecie,docet *lib.de Agone Chriſt. c.*22; vbi inquiens,quòd Spiritus S. non eſt natus de Columba, nec aſſumpſit naturam Colũbæ, quia Columbas non venerat redimere , ſicut Filius naturam humanam , quia venerat hominem liberare;ſed ſolummodò aſſumpſit Columbæ ſpeciem, vt ſignificaret Chriſti innocentiam , puritatem, & charitatem concludit : *Illa cauſa eſt, quòd non Columbas liberare venerat Spiritus S; ſed hominibus ſignificare innocentiam, & amorem ſpiritalem , quod in Columbæ ſpecie viſibiliter figuratum eſt.*

8 Secunda fuit ſub ſpecie Nubis lucidæ in Trãſfiguratione Domini in Monte;dicitur enim *Matt.*17.*Et Nubes lucida obumbrauit eos*;vt Diuinitatem in corpore Chriſti latentem conſpiciendam videntibus , quantùm poſſent,oſtenderet; propterea *Beat.P.lib.*3.*de mirabil.ſac.Script. c.*10. ait: *Licèt in hac oſtenſione Domini facies Solari ſplendore fulſerit ,non ipſa caro ſplenduit , ſed Diuinitas latens in corpore luminis ſui portiunculam conſpiciendam foris videntibus, quantùm poterat, oſtendit.*

9 Tertia fuit in ſpecie aquæ; dicitur enim *Io.*7.*Qui credit in me,ſicut dicit Scriptura ; Flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.Hoc autem dixit de Spiritu,quem accepturi erant credentes in eum* . Et paulò poſt. *Si ſcires Donum Dei* (idèſt Spiritum S.) *& quis eſt,qui dicit tibi:da mihi bibere ; tu forſitan petiſſes petiſſes ab eo , & dediſſet tibi aquam viuam*;vt indicaret (inquit *Beatiſſ.P.* 25.*de Trin.c.*19.)Spiritum S.facere,vt homines

faliant in vitam æternam. Præterea dici poteſt gratia Spiritus S. lauari maculas peccatorum, candidari corda, & animas venuſtari, vt contigit *Samaritanæ* peccatrici.

10 Quarta fuit ſub ſpecie flatus, ſeu ventus; dicitur enim *Io.20. Inſufflauit, & ait: Accipite Spiritum S*; cùm enim eum eſſet daturus in ſpecie ignis, vt magis accederentur amore charitatis, voluit flatum, ſeu ventum præcedere. Bis autem dedit Apoſtolis Chriſtus Dominus Spiritum S. poſt reſurrectionem ſuam, ſemel in terra, & ſemel in Cœlo; vt duplici amore, Dei ſcilicet, & proximi inflammarentur. Sic docet *Beat. P.15. de Trin.c.26*; vbi ait: *Quid verò cauſæ fuerit, vt poſt reſurrectionem ſuam, & in terra priùs daret, & de Cœlo poſtea mitteret Spiritum S; hoc ego exiſtimo, quia per ipſum Donum charitas diffunditur in cordibus noſtris, qua diligimus Deum, & proximum ſecundùm duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ.*

11 Quinta fuit in ſpecie ignis habentis linguæ figuram; ignis quidem, quia, vt inquit *Beatiſſ.P.in pſ.18. Sicut ignis venit Spiritus S. fœnum carnis conſumpturus, aurum coctarus, & purgaturus*; Linguæ autem omnium linguarum, vt indicaret Eccleſiam, quæ Spiritum S. verum Deum faſſura erat, ædificandam eſſe ex omnibus linguis, idēſt ex omnibus gentibus: vt docet *lib.30. cont.Fauſtum c.15*; vbi ait: *Vt etiam hoc ſigno promitteret in linguis omnibus, hoc eſt in omnibus gentibus futuram Eccleſiam; quæ illum, ſicut Patrem, & Filium, veriſſimè prædicaret.*

12 Quæres 1; an Spiritus S. mittatur perſonaliter, vel ſolùm virtualiter ſecundũ ſua dona?

Reſp. mitti perſonaliter. *Ita Fund. Doct. in 1.diſt.14.princ.2.q.1; & in 1.diſt.26.q.1.art.1*; vt diximus *To. 1.de Immenſit. art.4*; vbi *vid.* rationes allatas.

13 Quæres 2; an Spiritus S. detur in omni dono?

Reſp. negatiuè. *Ita Fund. Doct. in 1. vbiſ. q.2*; nam Fides eſt Donum Spiritus S, & poteſt haberi ſine Spiritu S; quia in peccatore fideli eſt Fides, & tamen in eo non eſt Spiritus S; qui non cohabitat cũ peccato. *Vid. Beatiſſ. P.15. de Trin. c.18.* Sic dicendum eſt de alijs donis datis peccatoribus, vt gratia miraculorum, curatio ſanitatis, prophetia &c. Datur ergo Spiritus S. ſolùm per charitatem, & gratiam ſanctificantem, quia mittitur ad ſanctificandam creaturam.

14 Quæres 3; an præſentia perſonalis Spiritus S. ſit diſtincta à præſentia vniuerſali, qua, vt immenſus, eſt præſens omnibus?

Reſp. affirmatiuè. *Vid. To.1. de Immenſit. vbi ſup.*

15 Ad gloriam Nominis Tui omnia, quæ dixi, dirigo, Domine Deus meus; ſicut enim corde firmo, & Fide ſtabili confiteor Te Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sãctum; ſic Te mente quæſiui cognoſcere. Itaque cum *Beatiſſimo Patre* ſeruo Tuo, à quo nunquam diuelli curaui pro modulo meo *lib.15. de Triu.* ſermonem concludam. *Ad hanc regulam Fidei dirigens intentionem meam, quantùm potui, quantùm me poſſe feciſti, quæſiui Te, & deſideraui intellectu videre, quod credidi; & multùm diſputaui, & laboraui. Domine Deus meus, vna ſpes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim Te quærere, ſed quæram faciem Tuam ſemper ardenter. Tu da quærendi vires, qui inuenire Te feciſti; & magis, magiſque inueniendi Te ſpem dediſti. Coram Te eſt firmitas, & infirmitas mea. Illam ſerua, iſtam ſana. Coram Te eſt ſcientia, & ignorantia mea. Vbi mihi aperuiſti, ſuſcipe intrantem; Vbi clauſiſti, aperi pulſanti. Meminerim Tui, intelligam Te, diligam Te. Auge in me iſta, donec reformes ad integrum.* Amen.

FINIS.



SIL-

SYLLABVS RERVM.

Amor

Cauſa

Prio-

413.

 Syllo-

FINIS.

